UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit. S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Dispvtationes Scholasticæ, Et Morales De Virtvte Fidei Divinæ

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Tractatvs De Virtvte Fidei Divinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81031

Visual Library

TRACTATVS DE VIRTVTE FIDEI DIVINÆ.

DISPVTATIONES de VIRTVTE FIDEI DIVINÆ ad tres classes reduci possunt. Primam appellare possumus Scholasticam; quæ propria est Theologi Scholastici, & quæ (si quæ alia in tota Theologia) operâ, & ingenio Scholastici Doctoris indiget: complectitur enim quæstiones non solùm Scholæ proprias, sed quæ subtilitate, & difficultate nulli alteri Scholasticæ Theologiæ parti cedere videntur. Secunda classis Quæstionum Moralis est, quæ complectitur dubia moralia circa Fidei præcepta, & obligationes, & quæ satis latè patet, vtpotè quæ extenditur ad vitia etiam contraria infidelitatis internæ, atque etiam externæ, ad hæresim item, & alias infidelitatis species, & ad eorum criminum pœnas spirituales, corporales, & temporales, & tota ad praxim spectat. Tertia denique classis complecti potest controuersias cum hæreticis, quæ ad hanc materiam spectant; præsertim circa auctoritatem Romani Pontificis, & Concilij generalis in definiendis rebus nostræ fidei. Qua occasione arreptâ multi in hac materia Tractatum integrum inserunt de Romano Pontifice, & de Conciliis Generalibus & Prouincialibus, imò & de Scriptura Sacra, & aliis locis Catholicis, quibus fidei dogmata probari & confirmari solent. Ego ab hac vltima Quæstionum classe abstinendum ferè censui: tum quia illæ non nisi per occasionem ad hanc materiam exornandam adducuntur: quare S. Thomas de iis hoc loco ex professo non egit: tum quia Controuersistæ nostri temporis adeò feliciter, & copiosè præoccuparunt hoc argumentum, vt nihil ferè supersit addendum, ad quod si diuertere vellem, liber cresceret in molem immensam, nec sine fastidio, & horrore etiam forsitan legi, & euolui à Theologis Scholasticis facilè posset. Priores itaque duas Quæstionum classes more nostro exornandas suscepimus, in hoc potissimùm incumbentes, vt Veterum, atque Recentiorum sententiæ lectorem non lateant, & si quid iis addendum, vel facilius explicandum, & declarandum, aut firmioribus roborandum argumentis nobis occurreret, id totum Lectoris iudicio modestè pariter, ac libenter subiiceremus.

DISPVTATIO I.

De obiecto formali Fidei.

SECTIO I. *Supponuntur aliqua ad quæstionem, & aperitur punctus difficultatis.*

II. *Sententia resoluens fidem in lumen ipsius fidei, seu in auxilium diuinum.*

III. *Refertur & impugnatur secunda sententia reducens assensum adimperium voluntatis sine motiuo intrinseco.*

IV. *Impugnantur responsiones aliquorum Recentiorum ad superiora argumẽta.*

V. *Examinatur tertia sententia resoluens fidem partialiter in auctoritatem Ecclesiæ, vel proponentis.*

VI. *Proponitur verior sententia circa resolutionem vltimam fidei, & primum quomodo resoluatur in veracitatẽ Dei.*

VII. *Explicatur, quomodo fides resoluatur vltimò in reuelationem Dei, sistendo in ipsa.*

VIII. *Soluuntur aliæ obiectiones contra eandem sententiam.*

IX. *Vtrùm dari debeat, vel detur actus fidei acquisitæ quoties datur actus fidei supernaturalis.*

X. *In quo formaliter consistat actualis reuelatio Dei.*

XI. *Vtrùm sufficiat reuelatio priuata ad obiectum formale fidei.*

XII. *Vtrum necesse sit obiecta per fidem credenda proponi priùs per Ecclesiam.*

XIII. *Infertur ex dictis differentia inter habitum fidei, & habitum Theologiæ: vbi de distinctione fidei à prudentia infusa.*

NON est alia via ad cognoscẽdas quidditates alicuius actus vel habitus, nisi scias obiectum circa quod versatur: cùm ergo obiectum sit duplex, scilicet formale, & materiale, quærimus in primis de formali, quod est principale; postea Disputatione secundâ dicemus de materiali. Est autem hæc potissima Disputatio totius materiæ; tangit enim quæstionem illam difficillimam de Fidei resolutione; nam idem est resoluere fidei assensum ad sua principia, & assignare primum obiectum formale, cuivltimò nititur fidei assensus.

SECTIO PRIMA.

Supponuntur aliqua ad quæstionem, & aperitur punctus difficultatis.

1. *Obiectũ formale & materiale quid?*

SVppono primò, obiectum formale, & materiale in præsenti Disputatione esse illa, quorum vni assentimur propter aliud; sicut etiam in actibus voluntatis obiectum materiale est illud, quod amatur propter aliud. Obiectum verò formale est illud, propter quod aliud amamus, v.g. si amas medicinam propter sanitatem, medicina est obiectum materiale, sanitas est obiectum formale, quia quasi informat, & vestit medicinam, quæ secundùm se non moueret voluntatem; vestita tamẽ à bonitate sanitatis allicit ad sui amorem, sic etiam quando intellectus assentitur vni propter aliud; v.g. huic propositioni *homo est risibilis, quia est rationalis:* risibilitas est obiectum materiale: rationalitas verò est obiectum formale; quia risibilitas, cui secundum se non assentiret, quia in se, & ex propriis terminis non apparet, informatur tamen, & quasi induitur altera veritate clariori, & sic informata & vestita mouet intellectum ad sui assensum.

2. *Actus intellectus & voluntatis non omnes habẽt obiectũ materiale: habẽt tamen formale.*

Hinc infero primò, non omnes actus intellectus, & voluntatis habere obiectum materiale; omnes tamen habere obiectum formale. Prima pars patet experientia, nam actus amoris, quo amatur solus finis; sine ordine ad media non respicit aliquod obiectum materiale: item assensus primi principij non assentitur vni propter aliud.

Secunda verò pars probatur etiam, quia licèt non omnes actus intellectus, & voluntatis habeant obiectum formale taliter, quod propter illud ferantur in aliud; quod possumus dicere obiectum formale quasi positiuè; omnes tamen habent obiectum formale saltem negatiuè, id est, aliquod obiectum, in quod non ferantur propter aliud, sed præcisè propter se. Itaque primus amor ipsius finis habet finem pro obiecto formali, quatenus ille amor sistit in ipso fine amato, nec illum amat propter aliquod aliud. Item assensus primi principij habet veritatem principij pro obiecto formali, quatenus sistit in illa, nec illi assentitur propter aliam.

3. *Obiectum terminatiuum formale ferens in obiectum.*

Infero secundò, in actibus sensuum externorũ non inueniri hanc differentiam obiecti materialis & formalis: risus enim non tendit in vnum obiectum propter aliud in sensu explicato, nam licèt terminetur ad colorem, & lucem simul, nec possit terminari ad colorem, quin terminetur ad lucem; non tamen terminatur ad vnum propter aliud, nec infert esse colorem ex eo quod sit lux, nec cognoscit esse colorem, quia est lux, habendo *li quia* ex parte obiecti; nam hic modus cognoscendi vnum propter aliud, seu ex alio, habet discursum formalem, vel saltem virtualem, quod longissimè distat à cognitione sensuum exteriorum. Scio, apud aliquos Thomistas familiarem esse hunc modum loquendi, & dicendi obiectum formale potentiæ visiuæ esse colorem vt sic; obiectum verò materiale esse album, vel nigrum, &c. Cæterum contrarium latè docui in libro de anima vbi probaui potentiam visiuam, & eius actum æquè formaliter terminari ad album, ac ad coloratum in ratione obiecti: licèt in aliquo alio sensu possit color dici obiectum formale potentiæ visiuæ, quatenus potentia visiua specificatur per ordinem fortasse ad colorem in communi, & non per ordinem ad album in particulari. Cæterùm, quidquid sit de hoc, certum est, album non esse obiectum materiale visionis in sensu, quo nunc loquimur; cùm non feratur visio in albedinem propter colorem, non enim sequitur ex eo quod sit coloratum, quod sit album, nec color potest esse ratio assentiendi vel cognoscendi rationem albi.

4. *Assensus intellectus ad mediata, & immediata.*

Supponendum secundò, assensus nostri intellectus alios esse mediatos, alios immediatos. Mediatus est, quando res, cui assentimur, non constat ex ipsis terminis, infertur tamen formaliter, vel virtualiter ex alio principio, cui etiam assentimur: immediatus est, quando assentimur alicui veritati sistendo in ipsa, quia ipsa apparet ex apprehensione terminorum. Hæc est enim natura intellectus; & propensio, quam habet ad verum; vt nulli obiecto assentiatur, nisi quatenus inuenit veritatem illius in ipso, vel in alio, cui vltimò innititur, & in quo figit pedem (vt ita dicam) ita vt nullus sit assensus, qui non possit resolui vsque ad prima principia, quibus intellectus propter ipsa assentitur, & non propter aliud. Explicatur hæc doctrina optimo exemplo voluntatis, in qua similiter inueniuntur hæc duo genera actuũ: alij sunt mediati, quibus vnum amatur propter aliud, seu vt medium vtile ad aliud: alij sunt immediati, quibus amatur aliquid propter se: habet enim voluntas propensionem ad bonum: nec potest amare, nisi inueniat in obiecto mediato vel immediato bonitatem aliquam propter se amabilem, & in qua vltimò sistat. Nec inuenire poteris aliud genus actuum intellectus, vel voluntatis, qui non ferantur ad obiectum propter se, vel propter aliud.

5. *Difficultas huius controuersiæ.*

Hinc ergo nascitur difficultas huius controuersiæ: difficile enim est assignare, quid sit illud, in quo vltimò sistit assensus nostræ fidei, nam assensus,

sensus, quo credo Deum esse trinum & vnum; non assentit huic veritati vt primo principio; neque enim ipsa constat ex terminis: sed assentitur propter aliud, scilicet propter diuinam reuelationem, seu quia Deus reuelat. Rursus quod Deus reuelet hoc mysterium (si quidem non constat ex terminis) debet cognosci propter aliud; de hoc ergo quæritur, quid sit illud, propter quod iudico Deum hoc reuelare? Si dicas esse humanum testimonium, vel humanas rationes; ergo iam non sistit nostra fides in auctoritate diuina, sed in humana, vel in rationibus probabilibus. Si verò dicas vltimam rationem esse diuinum testimonium; ergo debes venire ad istum tanquam ad primum principium, & ex terminis notum: *Deus reuelat hoc mysterium:* quod tamen videtur absurdum. Hic est totus quæstionis nodus. Videamus nunc potissimas vias illum dissoluendi: omissis tamen multis, quæ iam prorsus antiquatæ omnem probabilitatis speciem perdiderunt.

SECTIO II.

Sententia resoluens fidem in lumen ipsius fidei, seu in auxilium diuinum.

6 Prima sententia docet, assensum fidei diuinæ cùm sit supernaturalis debere resolui in aliquid supernaturale, atque ideo in lumen ipsius fidei, quo Deus illuminat mentem nostram vt credamus. Auctores huius sententiæ non omnes eodem modo explicant: aliqui enim videntur intelligere nomine huius luminis ipsum habitum fidei infusum: ita videntur loqui Cano *lib.* 12. *de locis cap.* 13. *concl.* 2. *&* 3. Aragon *in præsenti q.* 1. *art.* 1. Bañes *ibi dub.* 1. *concl.* 6. *& ad* 3. quos pro hac parte affert Suarez *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 3. Et quidem in hoc sensu sententia illa facilè impugnatur, & meritò ab omnibus reiicitur, quia confundit resolutionem fidei in motiua, cum resolutione in causas efficientes. Certum enim est habitum infusum, vel eo deficiente, aliquid supplens eius efficientiam esse causam, cur eliciamus assensum supernaturalem. Nos tamen nunc non quærimus, quæ sint causæ vtcumque actus, fidei, sed quod sit obiectum seu motiuum formale, quod ex parte obiecti mouet ad credendum, quod non videmus. Quare sicut non respondetur ad mentem interrogantis, si petenti à te, cur voluetis Romam venire, diceres, quia habeo voluntatem: ipse enim non quærebat de causa efficiente, sed de motiuo volendi, quod fuit vel negotium expediendum, vel visitare loca sacra, &c sic interroganti, cur credas incarnationem, non respondes ad rem dicendo, quia habeo habitum infusum, vel qualitatem supplentem loco habitus: ipse enim non quærit de causa efficienti, sed de motiuo ex parte obiecti, quod est, vel ratio, vel auctoritas, vel ipsius obiecti veritas in se apparens.

7 Vnde sumitur ratio à priori, quia motiuum credendi, sicut motiuum amandi debet cognosci, & qui mouetur, potest de illo reddere rationē, saltem in confuso: alioquin male interrogaremus de ratione conclusionis, aut assensus, si posset respondens dicere, ego nescio, cur id credam esse verum, sed tamen credo verum esse. Cùm ergo fideles non cognoscant suum habitum infusum fidei, aliud motiuum habent propter quod credant mysteria, quod motiuum cognoscunt, de quo possunt reddere rationem: & de hoc motiuo nunc quærimus, in illud enim vltimò resoluitur fides, quia vltimò resolui nihil est aliud, nisi quod interroganti non sit vlterius progrediendum, cùm reddatur ei vltima ratio nos mouens, & ad quam nulla alia nos mouit, sed ipsa mouit ad aliud credendum. Alia argumenta congerunt contra hoc ipsum, quæ in hoc vnum recidunt, Suarez *dicta sect.* 3. Oninch *disp* 9. *de obiecto fidei dub.* 5. *num.* 62. Petrus Hurtado *disput.* 6. *de fide sect.* 6. *& disput.* 13. *sect.* 7. & alij.

Vltimò resolui quid sit

8 Obiicitur primò pro illa sententia, quia in id resoluitur fides, quod manifestat obiecta credenda: hæc autem à lumine fidei manifestantur, & idcircò fides appellari solet lumen, non quidem clarum sed sicut lumen lucernæ, prout dixit Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Neque obstat, esse habitum, & principium elicitiuum ipsius assensus: quia etiam lumen gloriæ est habitus elicitius visionis claræ Dei, & tamen appellatur lumen manifestans Deum, cui correspondet habitus fidei in via illuminans ad actus obscuros: quare sicut lumen corporeum manifestat visui colores, ita lumen fidei manifestat mysteria fidei, & per consequens in illud resoluitur assensus.

Obiectio 1.

Lumen est duplex. Alterum ex parte principij: Alterū ex parte obiecti.

Respondetur facilè, duplex esse lumen; alterum se tenet ex parte principij, alterum ex parte obiecti: illud primum non est illud, in quod resoluitur assensus tanquam in motiuum, sed tamquam in causam: eiusmodi est lumen naturale intellectus nostri, quod deseruit in genere causæ efficientis ad intelligenda obiecta, quo lumine quia carent bruta & infantes, non possunt illa intelligere, & in hoc genere est lumen gloriæ, & habitus infusus fidei, qui tenent se ex parte principij, & concurrunt ad suos actus, sed non mouent obiectiuè, cùm non cognoscantur, sed solùm manifestant in genere causæ efficientis, quatenus producunt actus manifestationis; sicut etiam ipsi oculi appellari solent lumina apud Latinos, quia videre faciunt, non tamen resoluitur notitia in illos. Lumen ergo, de quo inquirimus, est illud, quod obiectiuè manifestat, & quod appellatur medium cognitum, & de quo possumus reddere rationem, quod ab illo moueamur. Hoc autem in fide debet esse auctoritas dicentis, sicut in fide humana auctoritas, & testimonium narrantis illuminat nostrum intellectum, itaut interroganti, cur credas Petrum mortuum esse, cùm id non videris, respondeas, quia Paulus id mihi affirmauit, quem scio esse dignum fide. Exemplum autem luminis corporei non est ad rem: visus enim non mouetur à lumine ad veritatem coloris credendam, nec discurrit formaliter, aut virtualiter, sed lumen requiritur vel tanquam principium coëfficiens species colorum, vel tamquam conditio ad productionem visionis: quocumque autem modo id sit, & licet daretur, lumen esse medium, certum tamen est, non esse medium incognitum, sed cognitum ab oculo; habitus autem fidei est medium incognitum, & per consequens non potest intellectus in eo fundare suam credulitatem.

9 Sed contra obiicitur secundò, quia assensus fidei resoluitur in reuelationem Dei, sed Deus reuelat medio lumine fidei, ergo lumen fidei, seu

Obiectio 2.

habitus ipse est id, in quod resoluitur assensus, Respondetur, distinguendo minorem: Deus reuelat propriè, nego, reuelat impropriè concedo, fidei autem assensus resoluitur in reuelationem veram Dei, non in reuelationem impropriam. Reuelatio enim propria Dei est loquutio Dei, qui certè non loquitur, quatenus dat habitum fidei, sed quatenus dicit incarnationem, vel Trinitatem: sicut non dicitur Deus loqui nobis, quatenus dedit nobis intellectum, quo possimus ei credere, & cognoscere etiam alia obiecta. Et prout sic dici possit in aliquo sensu Deus manifestare, & aperire nobis hæc obiecta, quatenus abstulit impedimentum ex defectu potentiæ ad ea cognoscenda. Neque etiam qui Petrum surdum medicina aliqua à surditate liberauit, dicitur, prout sic ei loqui, licèt dicatur aliquo modo ei manifestasse voces omnes, quas priùs percipere non valebat. Sic ergo Deus dans intellectum, vel habitum fidei, dicitur dare nobis potentiam qua eius vocem audire, & credere possimus: non tamen dicitur loqui, quia loquutio est productio verborum ad exprimendam mentem loquentis, vt infrà videbimus, intellectus autem, vel habitus non est verbum Dei, quare eius productio non est vllo modo loquutio, vel reuelatio Dei.

Fidei assensus resoluitur in reuelationem veram Dei, non reuelationem impropriam.

10 *Obiectio 3.* Obiicitur tertiò, quia in id resoluitur assensus incarnationis, per quod fit credibile nobis hoc mysterium: per habitum autem fidei fit nobis credibile, sine quo, vel aliquo alio eius defectum supplente, credere non possemus, prout oportet: ergo in habitum resoluitur vltimò assensus incarnationis. Respondetur, per intellectum etiam fit credibile mysterium; non enim magis credi posset sine intellectu, quàm sine habitu; ergo eodem modo resolui deberet assensus in intellectum. Distinguenda ergo est illa maior: in id resolui debet assensus incarnationis, per quod fit credibile credibilitate proueniéte à potentia credendi, nego: credibilitate proueniéte àmotiuo credendi, & suadente eius veritatem, concedo. Obiectum enim denominatur credibile ab actu credendi possibili: actus autem denominatur possibilis à potétia, quæ potest illum producere; quæ potentia conflatur ex intellectu & habitu: hæc autem tota credibilitas non est, in quam resoluitur assensus, sed alia, quæ prouenit ex motiuo, prout vulgò dicere solemus, Tu fecisti credibile hoc, quod priùs non credebatur, adductis nimirùm rationibus, & motiuis suadentibus & persuadentibus: hoc autem modo mysterium incarnationis non fit credibile ab habitu, sed ab auctoritate, & reuelatione Dei, quæ sola nobis illud persuadet.

11 *Obiectio 4.* Obiicitur quartò, quia non repugnat, eundem habitum, qui est principium cognoscendi alia, posse concurrere ad sui cognitionem, provt lumine gloriæ ipsum etiam gloriæ lumen cognoscitur: ergo & lumen, seu habitus fidei potest esse principium cognoscendi ipsum. Respondetur, admittendo, posse ex fide cognosci dari iniustis habitũ fidei: de facto tamen nõ resoluitur assensus circa alia mysteria, aut circa ipsum habitum in eundem habitum, tamquam in motiuum credendi, cum ipse etiam habitus debeat credi propter aliud motiuum, nempe propter diuinam reuelationem, vt dictum est. Alia leuiora argumẽta videri possunt apud Suarez vbi suprà.

12 Hoc ergo primo sensu reiecto, alij magis apparenter sententiam illam defendunt dicentes, fidei assensum non resolui in habitum, sed in auxilium actuale, quo Deus prius illuminat mentem ad credenda mysteria fidei, saltem ex parte, in hanc sententiam inducere videtur Suarez *vbi suprà n.* 4. Molinam, quatenus 1. *part. q.* 1. *art.* 3. *disp.* 2. supponit, ad rationem formalem obiecti fidei non pertinere testimonium solum diuinum, sed vt dicit habitudinem ad ipsum lumen seu auxilium Dei. Alij tamen, vt Hurtado *disp.* 6. *sect.* 6. §. 37. merito Molin. in alio sensu intelligũt, quod solùm velit, ex testimonio solo Dei nõ prouenire, quod assensus sit supernaturalis, sed ex testimonio Dei, prout subest tali lumini, & auxilio supernaturali, sine quo potuisset idem obiectum terminare actum naturalem, quæ est alia longe diuersa sententia, & habet sensum valde probabilem, vt suppono ex materia de gratia. Cæterum sententiam hanc de resolutione fidei in auxilium actuale, probat, & explicat, ac tuetur P. Iacobus Granado *in præsenti tractatu* 1. *disput.* 5. *sect.* 5. *& duabus sequentib.* qui *num.* 32. idẽ dicit de aliis sensibus intellectualibus, quorum nullus est, qui vltimò resoluatur in ipsum obiectum sed resoluitur in modum, quo obiectum intellectui proponitur: Conclusio enim resolnitur in præmissas formales, quæ taliter proponunt obiectum, vt determinent ad assensum conclusionis; præmissæ verò seu principia resoluuntur in apprehensiones taliter proponentes obiectum, vt determinent ad assentiendum. Idem ergo de assensu fidei dicendum erit, resolui in cognitiones, seu apprehensiones præcedentes taliter proponentes testimonium diuinum, & veritatem obiecti reuelati, vt determinent ad certò, licèt obscurè iudicandum. Hæ autem apprehensiones præcedentes, cùm supernaturales sint sunt auxilium, & illustratio diuina, in quam resoluitur assensus fidei.

Fidei assensus non resoluitur in auxilium actuale Dei.

Contra hanc sententiam sic explicatam multa ex argumentis, quibus P. Suarez *dicta sect.* 3. & alij vtuntur, non habent vim. Quale est illud quod P. Suarez sæpè inculcat, quod habitus, vel actus fidei supponere debẽt suum obiectum adæquatum, quare non potest habere ipsum pro obiecto totali, vel partiali. Nam in hac sententia non resoluitur fides in ipsum habitum, vel actum fidei, sed in instinctum, seu auxilium, vel apprehensionem supernaturalem præcedentem, quę quidem non est assensus fidei, sed aliquid ab eo adæquatè condistinctum. Quare miror, Suarium *num.* 11. vsum esse hoc argumento, dicendo, auxilium provt recipitur in homine, non esse aliquid distinctum ab ipso actu, seu productione eius. Si enim loquatur de auxilio concomitanti seu de concursu actuali ad actum, verum est. Si autem de auxilio præuenienti sermo sit, est falsum, & quidem de hoc auxilio præuenienti loquuntur hi Auctores, quod dicunt esse instinctum Spiritus sancti, & apprehensionem supernaturalem præuenientem, quam constat distingui totaliter ab actu fidei, ad quem datur.

Similiter secundo nõ multum vrget in re ipsa illud aliud argumentum, quo vtitur idem Suarez *n.* 12. quod scilicet obiectum fidei formale non sit Deus vt auxilians, sed vt reuelans, neque Deus vt omnipotens, sed vt summè verax, quare non in auxilium, sed in reuelationem Dei resolui debet fides nostra. Ad hoc enim facile respondere possent hi Auctores, Deum vt reuelantem

complen

compleri per auxilium, seu apprehensionem præcedentem de reuelatione externa; quatenus per illam applicatur intellectui nostro auctoritas, & reuelatio Dei, quæ mouere non potest per se ipsam immediatè, sed quatenus applicatur intellectui credentis.

15 Denique tertio non videtur mihi magna vis facienda contra hoc Auctores in argumento illo, quo alij eam impugnabant, & quod insinuat idē Suarez *num.9. in fine*, quod scilicet modus ille dicendi ansam præbere potest hæreticis nostri tēporis ponentibus pro regula suæ fidei instinctum internum, quod est seminarium omnium errorum Hoc tamen, vt dixi, longè abesse videtur ab ea sententia: quia in re ipsa nihil ponit, quod non ponant omnes Catholici, qui certè præter reuelationem externam Dei, ponunt rursus notitiam internam, saltem apprehensiuam, illius reuelationis sine qua notitia assensus fidei fieri non posset: quare omnes fideles possunt dicere, se credidisse, quia habuerunt instinctum internum, seu inspirationem, & notitiam internam reuelationis Dei, nec per hoc conueniunt cum errore hæreticorum. Quod enim in hæreticis reprehenditur, non est, neque esse potest, quod sequantur instinctum internum, per quem vltimò proponuntur credenda; quem quidem instinctum Catholici etiam laudabiliter sequitur: sed hæretici ponūt illum instinctum internum pro regula fidei suæ independenti ab omni alia regula externa qua instinctus internus reguletur, ne cogātur reddere rationem suæ credulitatis. Catholicus autem, quamuis habeat pro regula proxima illum instinctum internum, sicut etiam omnis actus moralis bonus habet pro regula proxima dictamen internū conscientiæ: illud tamen dictamē regulatur à regula externa, & ideo quando Catholicus interrogatur, cur amplectatur hanc fidem, non respondet sicut hæriticus, quia ita mihi interior instinctus dictauit, sistendo ibi, sed potius quia conscientia mihi dictauit interius, esse obligationem credendi, quando reuelatio diuina proponitur cum talibus, & talibus notis, & regulis extrinsecis, de quibus, cùm extrinsecæ sint, reddere potest rationem, & tollitur periculum & seminarium errorem. Hi ergo Auctores non resoluunt fidem Catholicam in instinctum internum, vtcumque, sed in talem instinctum proponentem tales regulas externas, & obligationem idcirco acceptandi testimonium Dei taliter propositum.

16 Quare, vt de sententia illa iudicium proferam, fateor in illa aliqua cōtineri, quæ vera sunt, quædam non ita vera; absolutè tamen ad præcipuæ difficultatis punctum parum deseruire, quia difficultas resolutionis fidei, quæ magis vrget, adhuc tota integra, & insoluta manere videretur. Fateor ergo, in primis verissimum esse, vt dicebam, quod ad assensum fidei præter reuelationem externam Dei requiratur notitia interna, qua intellectui interius proponatur reuelatio Dei, & eius connexio cum reuelata, & credenda, & quidē qua proponatur non vtcumque sed taliter, vt possit prudenter mouere ad certò, & firmiter assentiendum. Nam mihi etiam proponuntur exteriùs omnes errores, & deliramenta Mahometi, & Lutheri, & concipio hæc omnia interius: non tamen ita vt possim prudenter eis assensus præbere. Siue ergo illa fit simplex apprehensio, siue alius actu, certum est, illum prærequiri; & quidem non solùm in eo, qui credit, sed etiam in eo, qui cùm posset proximè credere, non credidit, sed animo obstinato in suo errore permansit, quia ille etiam habuit auxilium sufficiens ad credendum & illi etiam exteriùs & interiùs proposita est veritas fidei sufficienter, vt eam amplecti deberet.

Quod vera in illa omnia

17 Vnde secundò verum etiam est, hanc notitiam internam præcedentem non requiri solùm in genere causæ efficientis, vt per modum causæ efficientis physicæ producat cum intellectu actum fidei, sed multò magis requiri quasi in genere causæ formalis, vt informando intellectum, eum formaliter disponat, & inclinet ad præstandum assensum absolutum. Nam quicquid sit, an hæ illustrationes, & inspirationes præuiæ concurrant efficienter physicè ad consensum, vel ad assensum, de quo est quæstio inter Theologos, & tractari solet in materia de gratia; certum est apud omnes, quod formaliter disponunt potentiam ad eorum actuum productionem. Quæ est quæstio philosophica, & tractari solet de cognitione finis, an concurrat in genere causæ efficientis ad eius amorem, an vero solùm in genere causæ formalis determinando formaliter vel inclinando ad amorem eliciendum. Quod idem etiam quæri solet de actu intentionis respectu electionis medij & de actu imperante respectu actu imperati: quos omnes actus siue concurrant etiam efficienter, siue non concurrant, certum est, concurrere formaliter disponendo, vel inclinando, & aliquando etiam necessitando potentiam ad alios actus.

18 Vnde tertiò verum etiam videtur, nec posse negari quod fidelis interrogatus, cur crediderit, possit aliquando sine vitio respondere, credidi, quia mihi proposita fuerunt interiùs obiecta cum tali connexione cum testimonio diuino, vt prudenter respui non possent: dum tamen reddat rationem illius connexionis non ex solo instinctu interno prout faciunt hæretici, sed ex regulis externis, quæ illi propositæ fuerint ad ostendendam credibilitatem obiecti. Ratio autem est, quia cum fidelis non solùm cognouerit reuelationem, & regulas sibi à prædicante propositas, sed etiam dictamen suum internum à quo proximè motus fuit ad volendum credere, potest hoc etiam reddere pro ratione suæ voluntatis. Sicut etiam, qui assentitur, conclusionis propter præmissas; interrogatus, cur assensum probauerit, potest dupliciter respondere. Primò reddendo pro ratione obiecta solum præmissarum, nimirum, ego affirmaui, Petrum esse risibilem, quia omnis homo est risibilis, & quia Petrus est homo: qua ratione satisfacit abundè interrogationi, & redit plenam rationem sui assensus. Secundo tamen potest aliter respondere, recurrendo ad præmissas formales, & dicendo, ego sensi, Petrum esse risibilem, quia habuit euadentiam de præmissis, & euidenter iudicaui, omnem hominem esse risibilem, & Petrum esse hominem: qua etiam ratione optime satisfacit interroganti. Smiliter ergo fidelis poterit respondere recurrendo ad notitiam formalem de motiuo obiectiuo, & illam reddere pro ratione non obiectiua, sed formali, & repræsentante rationem obiectiuam.

19 His ergo suppositis, & concessis in gratiam illius sententiæ, aliqua sunt, quæ non ita facilè placere mihi poterunt. Primum est, quod con-

Quæ non ita vera,

fundit motiuum formale cum obiectiuo : omnes enim concedunt, actus ipsos, quibus motiua obiectiua repræsentantur, & applicantur, mouere etiam in suo genere : v.g. ad medecinam eligendam mouet sanitas vt obiectum; mouet etiam cognitio sanitatis bonæ, & medicinæ vtilis, mouet denique amor sanitatis : sed tamen diuerso modo ; nam sanitas sola mouet vt finis, & eius solius gratia fiunt media, non gratia cognitionis, vel amoris finis : quare quando quærimus de motiuo simpliciter formalis, non est sermo de cognitione, vel applicatione obiecti, seu de motiuo præcisè, quod ex parte obiecti proponitur. Quare immeritò dicunt ij Auctores, fidem debere resolui vltimò in solum auxilium diuinum, seu instinctum illum internum : nam in genere, & progressu obiectiuo non resoluitur in illum instinctum, sed in auctoritatem, & testimonium diuinum.

Fides non resoluitur in solum auxilium diuinũ, sed in auctoritatem diuinam.

20 *Probatur 1. & explicatur.*

Probatur, & explicatur simul : quia illud est in quod vltimò resoluitur actus, in quo vltimò sistit ipsemet actus : loquendo enim de resolutione intrinseca, vt ita dicam, quam facit ipsemet actus, illud est vltimum, in quo vltimò sistit actus, nec vlteriùs progreditur, v.g. actus charitatis, quo amas creaturas propter Deum, attingit intrinsecè creaturas, & Deum; in creaturis autem non sistit, sed illas amat propter bonitatem Dei, ad cuius gloriam conducunt, in qua Dei bonitate vltimo sistit, nec illam amat propter aliam bonitatem, quam attingat. Bonitas ergo Dei est vltimum, in quod resoluitur intrinsecè ille amor : alioquin non esset actus virtutis theologicæ : nisi haberet pro obiecto formali intrinseco vltimo aliquid diuinum, sed resolueretur vlterius vltimò in solam propositionem, & apprehensionem bonitatis diuinæ quæ apprehensio non est diuina, sed merè creata. Similiter ergo assensus fidei, cùm sit actus virtutis theologicæ, debet habere motiuum, & obiectum formale intrinsecum vltimum aliquid diuinum, quod est veracitas Dei, & ideo est theologicus; quia loquendo de resolutione intrinseca, quam facit ipse actus, non progreditur vlteriùs, nec dicit, credo incarnationem, quia Deus est verax, & credo esse veracem, quia tali modo, & instinctu proponitur; neque enim assensus fidei habet pro motiuo, & obiecto intrinseco vltimo suæ resolutionis instinctum ipsum, sed solam veracitatem, & testimonium Dei : ergo hæc auctoritas diuina prout condistinguitur ab instinctu, quo proponitur, est vltimum in quo sistit intrinsecè assensus fidei. Nam quamuis fidelis postea possit redere pro ratione sui assensus ipsum etiam instinctum, quo tali modo proposita fuit auctoritas diuina, & connexio ipsius cum veritate reuelata : tunc tamen non explicat resolutionem solam intrinsecam, quæ est in assensu, sed resoluit ad causas extrinsecas, quam resolutionem actus fidei non attingebat intrinsecè.

21 *Probatur. 2.*

Vnde secundò probari potest hoc ipsum exemplo fidei humanæ, qua credimus Petrum esse mortuum, quia Ioannes verax id testatur; qui assensus non est reflexus, vel certè non debet necessario cognoscere reflexè cognitionem, qua cognosco, Ioannem hoc dixisse, sed solum cognoscit directe veracitatem Ioannis, & eius testificationem, propter quam credit mortẽ Petri. Quod idem est, in omni assensu conclusionis, qui licet resolui possit postea extrinsecè in præmissas formales tanquam in causas extrinsecas; intrinsecè tamen non attingit illas, sed sola obiecta principiorum in quibus sistit, & quæ habet pro motiuo formali intrinseco vltimo. Similiter ergo assensus fidei non resoluitur intrinsecè in cognitiones formales præcedentes, sed in testimonium, & veracitatem Dei, quæ secundum se habent connexionem cum veritate rei reuelatæ.

Confirmatur primò, quia in illud resoluitur vltimò, & sufficienter assensus fidei, quod habet connexionem cum veritate mysterij reuelati : hæc enim, quæ talem connexionem habent, possunt sufficienter mouere ad assensum conclusionis, sicut bonitas sanitatis habens connexionem cum tali medicina, vt cum causa necessaria sufficienter mouet ad eligendam medicinam : sed reuelatio, & veracitas Dei habent sufficientem connexionem cum veritate rei reuelatæ ergo illæ duæ possunt sufficienter mouere obiectiuè & vltimò ad assensum mysterij, sine eo quod mediare debeat aliud motiuum.

Confirmatur secundò, quia instinctus, seu apprehensio illa, non est propriè loquutio Dei, sed magis est auditio mea : sicut quando audio Petrum, auditio mea non est loquutio Petri; ego autem non credo, quia audio, sed quid Petrus testatur, & loquitur, cùm loquutio ipsa pro vt condistinguitur à mea auditione, habeat connexionem cum veritate rei testificatæ. Si ergo fideles credunt propter testimonium Dei, vt admittunt Theologi omnes, non credunt propter instinctum internum, qui nec totaliter, nec partialiter est loquutio Dei, sed propter testificationem Dei, quæ est obiectum auditionis meæ : alioquin non crederent, quia Deus dicit, sed solum quia ipsi audiunt, atque ideò testimonium Dei non esset obiectum formale, sed materiale, quod crederetur propter solam auditionem.

Vnde secundò displicet, quod illi Doctores dicunt debere resolui assensum fidei in illum instinctum supernaturalem, quia vt sit assensus supernaturalis, debet resolui in aliquid determinans ad actum supernaturalem, quod non est aliud, nisi instinctus ille supernaturalis præcedens, nam veracitas, & reuelatio Dei secundum se, si non proponantur illustratione supernaturali, non determinant ad assensum supernaturalem. Hoc, inquam, displicet, quia supernaturalitas auxilij præuenientis, non potest esse id, in quod resoluitur assensus fidei : nam licet fidelis percipiat illustrationem, & instinctum Dei præuenientem, & resolutione extrinseca possit in illud resoluere suam fidem, vt diximus; hoc tamen non potest dici de supernaturalitate illius illustrationis, cùm homo non percipiat, an illustratio illa sit supernaturalis : quare nullo modo potest etiam resolutione extrinseca resoluere suũ assensum ad illam supernaturalitatẽ : illud enim, in quod resoluitur, debet percipi à resoluente, cùm resoluere sit reddere rationem sui assensus : Cùm ergo fidelis non percipiat supernaturalitatem illius illustrationis præcedentis, non potest dicere, ego credidi incarnationem, quia instinctu, & illustratione supernaturali proposita mihi fuit auctoritas Dei connexa cum veritate incarnationis : non ergo potest supernaturalitas auxilij præuenientis deseruire vllo modo ad resoluendam fidem in illam, sed solum, vt Deus connaturaliter det concursum ad assensum super naturalem, propter propositionem supernaturalem præcedentem, quæ

quæ connaturaliter exigit concursum ad assensum eiusdem ordinis.

24 Tales diuina assensus an sint conclusio ex quasi primo principio

Similiter displicet tertiò quod ille Auctor dicit n. 33. quod scilicet assensus fidei diuinæ non sit conclusio, sed quasi primum principium, & ideo non possit reuocari ad præmissam aliquam ex qua deducatur, sed ad talem apprehensionem veritatis reuelatæ, & auctoritatis Dei reuelantis, quæ mentem determinet ad certò, licèt obscurè iudicandum. Hoc, inquam, licet verum sit de assensu fidei, prout versatur circa veracitatem, & testimonium Dei, quæ sunt principia ad credenda mysteria; non tamen est verum prout versatur circa mysteria reuelata: ad hæc enim non tendit, vt ad principia, sed vt ad conclusionem ex præmissis formaliter, vel virtualiter distinctis, vt postea videbimus: cùm enim credat incarnationem propter aliud, nempe propter auctoritatem Dei reuelantis, necesse est, quod non versetur circa incarnationem, tamquam circa primum principium, sed tanquam circa id, quod infertur ex aliis, siue id sit cum discursu forma, siue cum solo virtuali, de quo infra dicendum erit.

22

25 Hinc iam colligitur id, quod vltimo loco dicebam de prædicta sententia, nempe in ea remanere adhuc totam difficultatem principalem huius controuersiæ insolutam. Nam etiamsi daremus, assensum fidei resolui vltimò, non in testimonium Dei extrinsecum, sed in illustrationem, & instinctum intrinsecum, quod veracitas, & reuelatio Dei mihi proponitur, adhuc de ipsa illustratione, & instinctu remanet eadem difficultas: quomodo nimirum proponat ex parte obiecti Dei reuelationem verè existentem, an hoc proponat per modum primi principij, & notum ex terminis, an vt notum per aliud. Intellectus enim per se ideo assentitur obiecto, quia tali modo proponitur per apprehensiones: quare ideò assentitur euidenter, & immediatè primis principiis, quia eorum veritas in se ipsa clarè proponitur per apprehensionem præcedentem, & ideò assentitur mediatè, vel obscurè aliis obiectis, quia eorum veritas per apprehensionem non proponitur in se ipsa, & clarè, sed solùm in alio medio, & obscurè. Peto ergo si quidem fides assentitur non solùm mysterio reuelato, sed etiam ipsi reuelationi, & credit Deum reuelasse incarnationē quomodo veritas reuelationis proponatur per apprehensionem, seu instinctum præcedentem an proponatur per aliquod medium, & de hoc quæritur quale sit: an verò immediatè, & in se, & hoc videtur difficile, cùm non magis nos viderimus reuelationem Dei præteritam, quàm ipsam incarnationem, quare sicut veritas incarnationis apparet in alio, scilicet in testimonio Dei, sic ipsa reuelationis veritas deberet in aliquo alio apparere. Hæc est præcipua difficultas in hoc puncto, & hæc eodem modo remanet in illa sententia quę ad hoc dissoluendū nihil confert, vt vidimus.

26 Dissoluuntur quæ P. Granado affert pro sua sententia.

Vnde iā facilè dissoluūtur quæ P. Granado affert pro sua sententia, quæ ferè ex vocis æquiuocatione procedunt, nec probant, nisi id quod nemo negat, nempe necessitatem auxilij interni & gratiæ, ac illustrationis diuinæ præuenientis ad credendum Ad quod affert loca Scripturæ, & Patrum n. 29. & 30. scilicet Ioannis ep. 1. c. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Quod verum quidem est in omnibus fidelibus, qui habent testimonium Dei obiectiuè, in se, cùm illud credant. Et quidem hoc contra ipsum probaret, qui dicit non resolui fidem in reuelationē & testimonium Dei, sed in auxilium, & instinctum Dei intrinsecum; cùm tamen Ioannes dicat testimonium ipsum Dei esse intra nos; quare omnes debemus id intelligere de existentia obiectiua item ex illis verbis eiusdem Ioannis ibi c. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus*, quod verum etiā est, quatenus gratia Spiritus sancti proponit nobis cōgruè testimonium Dei propter quod credimus. Quod ipsum significant Beda ibi dicent, *Nisi Spiritus cordi adsit audientis, & nisi intus sit qui docet, otiosus est sermo doctoris*, & Augustinus lib. 15. de Ciuitat. cap. 6. dicens, *Etiamsi Deus ipse viens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, in nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini prædicatio veritatis.* & lib. de prædestinatione sanctorum c .. *Qui credunt*, inquit, *prædicatore forinsecus sonante, intus à Patre audiunt, atque discunt.* Quæ omnia, & plura similia solùm probant necessitatem gratiæ, & illustrationis internæ, quam nemo Catholicus negat; non tamen dicunt, resolui assensum fidei obiectiuè in gratiam illam internam, aut illam haberi ex parte obiecti pro medio obiectiuo ad assentiendum: in eodem sensu loquitur lib. 11. Confessionum c. 3. vbi de mundi creatione à Moyse narrata sic ait. *Scripsit hæc Moyses, scripsit, & abiit nec enim nunc ante me est, non si esset, tenerem eum, & per te obsecrarem, vt mihi ista penderet. Sed vnde scirem, an vera diceret. Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis veritas sine strepitu syllabarum diceret: verum dicit; & ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem: verum dicis.* Quibus verbis nihil aliud inculcatur, nisi necessitas illustrationis internæ, qua eadem, quæ extenùs dicuntur, vel leguntur, congruo modo apprehenduntur, ita tamen vt apprehensio sit solum medium incognitum, non medium obiectiuum, & cognitum, in quod ex parte obiecti resolui possit assensus. Quare obscurè satis, & non consequenter loquitur ille Auctor, dum relatis illis Augustini verbis n. 30. subiungit. *Hactenus sanctus Ecclesiæ Doctor ostendit, internam Dei loquutionem esse, quæ ad assentiendum rebus fidei mentem eius determinaret, nec ad vllam aliam rationem confugit.* Quare instinctum illum internum videtur agnoscere tanquam loquutionem veram Dei: quare si fides habet pro motiuo obiecto loquutionem Dei, posset illa loquutio interna Dei esse id, in quod ex parte obiecti resoluatur assensus. Aliunde verò numero 26. dicit, diuinam auctoritatem esse quidem vltimam rationem determinantem ex parte obiecti, præter illam tamen debere assignari aliam rationem formalem vltimò determinantem ex parte intellectus, quare videtur condistinguere omnino auctoritatem, & testimonium diuinum ab hac illustratione, ita vt hæc non sit loquutio Dei, nec medium obiectiuum. Quod idem confirmat n. 27. adductis verbis S. Thomæ in præsente quæst. 2. art. 9. ad 3. vbi ait: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum: inducitur enim auctoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus est interiori instinctu Dei inuitantis. Vnde non leuiter credit, cùm habeat sufficiens inductiuum ad credendum.* in quibus verbis ponderat, per auctoritatem diuinæ doctrinæ intelligi à S. Thoma totum, quod se tenet ex parte obiecti; vnde cùm ipsa diuina auctoritas proponatur, & se teneat

ex parte obiecti, illam quoque comprehendit. Vltra quod totum addit motionem internam quæ ipsammet auctoritatem diuinam ita proponit, vt moueat: quare videtur hic Auctor fateri, motionem illam internam non pertinere etiam partialiter ad auctoritatem, seu testimonium diuinum, cùm tamen *num.* 30. fateatur esse loquutionem internam Dei, quod quidem non est de mente S. Thomæ, qui motionem illam adæquatè distinguit à tota doctrina, & auctoritate diuina, solumque vult inducere ad credendum, quatenus Deus proponendo interiùs eandem reuelationem, mouet hominem ad præbendum assensum, quare illa inuitatio Dei interna non est noua loquutio Dei, nisi allegorica, quatenus Deus accommodat sua gratia aures internas mentis, vt melius percipiat vim, & veritatem diuini testimonij propositi.

27 Arguit deinde ratione, primò *sect.* 6. quia sola auctoritas diuina obscurè reuelans non est sufficiens ratio formalis determinans ad assensum fidei supernaturalem, quia quantumuis hæc proponatur, & omnia motiua credibilitatis; assensus non erit supernaturalis, nisi Deus illuminet illustratione supernaturali; ergo vltra diuinam auctoritatem, & reuelationem requiritur aliquid ex parte intellectus, quod illum determinet ad assensum supernaturalem, nempe illuminatio interna supernaturalis, atque ideo ad hanc erit vltimò recurrendum in resolutione fidei. Hoc tamen argumentum non minus probaret, fidem resolui debere in ipsum habitum fidei, vel aliquid aliud eius influxum supplens, cùm etiam sine hoc non possit fieri assensus fidei supernaturalis: vnde constat, ex hoc capite fidem non resolui in motiuum, sed in causam suæ supernaturalitatis; de qua resolutione nunc non agimus, nec petimus, cur assensus sit supernaturalis, sed quid moueat fidelem ad credendum tanquam vltimum motiuum ex parte obiecti.

28 Arguit secundò ibidem, quia ex duobus hominibus, quibus proponitur aliquid vt dictum à Deo, vnus credit, & alter non credit, ergo aliqua causa interior est in vno, quæ illum mouet, quam non habet alter, qui non determinatur vt credat, nempe talis apprehensio rei, quæ credenda proponitur, quæ tanquam ratio formalis determinat non minus, quàm apprehensiones terminorum determinant ad euidentem assensum primorum principiorum: Ad quod confirmandum adducit *num.* 35. *in fine* illud Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* per internam scilicet motionem quâ ad credendum inuitatur: & illud act. 16. vbi dicitur Dominus *aperuisse cor Lydiæ purpurariæ vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo*: quatenus scilicet modo dicto illustrata est mens illius, vt crederet.

Hoc argumentum longiori examine indigeret: continere enim videtur doctrinam talem, ex qua sequatur, eum, qui credit, habere priùs apprehensionem talem, quæ determinet ad credendum, sicut apprehensiones terminorum determinant intellectum ad assensum primi principij euidentis: quare assensus fidei non esset liber; sicut assensus primi principij euidentis non est liber. Rursus videtur ex doctrina huius argumenti sequi, eum qui non credit, non habere principium sufficiens proximum ad credendum, cum id proueniat ex defectu apprehensionis illius determinantis ad credendum; sine qua credi non potest, quia sine eo, in quod fidei assensus resolui debet, non potest credi. Vtrumque autem est apertè falsum, cum & ille, qui credit, liberè credat, & possit stantibus omnibus apprehensionibus præcedentibus, non credere, & è contra hæreticus liberè dissentiat, & possit sæpe potentia proxima velle credere, ac per consequens non deest illi id, in quod fidei assensus resolui deberet. Confundit enim hic Auctor gratiam congruam cum principio resolutionis fidei, & affert loca scripturæ, quæ probant necessitatem auxilij efficacis, sine quo credi non potest, impotentia solùm consequenti & non antecedenti, ad probandam necessitatem principij resolutionis fidei, cùm tamen ipse, & omnes fateri debeant, eum, etiam, qui culpabiliter non credit, habere sæpe omnia principia necessaria ad assensum, & per consequens id, in quod fides resolui deberet, sine quo credi non potest.

SECTIO III.

Refertur & impugnatur secunda sententia reducens assensum ad imperium voluntatis sine motiuo intrinseco.

PROpter hæc est secunda sententia communis, quæ docet rationem formalem vltimam fidei esse solam auctoritatem Dei reuelantis mysterium: itaque solum credimus, quia Deus reuelans est summa veritas. Auctores huius sententiæ diuiduntur inter se; nam alij dicunt summam Dei veritatem esse adæquatè rationem formalem assentiendi, reuelationem verò esse solum conditionem, & applicationem auctoritatis diuinæ; itaque credimus solùm quia Deus est summa veritas; licèt ad credendum requiratur applicari diuinam veritatem per reuelationem huic mysterio. Alij & magis consequenter dicunt, rationem formalem fidei conflari ex diuina veritate, & ex reuelatione tanquam ex rationibus partialibus: itaque credimus Trinitatem, quia Deus est summa veritas, & quia ipse Deus reuelauit mysterium Trinitatis, non enim est maior ratio cur prima veritas sit ratio formalis, quàm ipsa reuelatio; cum vtraque moueat ad assensum mysterij, & altera deficiente, non assentiret: quod infra latiùs probandum est *sect.* 7. Secunda sententia.

Contra hanc sententiam adhuc manet in suo robore difficultas, nam in primis adhuc possumus exigere vlteriorem rationem formalem illius assensus: si quidem dicis, te credere Trinitatem, quia Deus verax est, & quia Deus reuelauit: rogo an scias euidenter, Deum reuelasse; an vero ex fide? non quidem euidenter, patet; ergo solùm ex fide ergo ille assensus nititur etiam altera reuelatione; cum enim ex terminis non constet, Deum reuelasse, debet esse ille assensus mediatus; da ergo medium cui innitatur. Dicunt, illum esse assensum primi principij in rebus fidei; habereque habitum fidei vim eliciendi assensum non solùm circa conclusiones, sed etiam circa principia. Admitto libenter, eundem habitum infusum posse elicere diuersos actus circa conclusiones, & circa principia. Vrgeo tamen, qui fieri possit, vt ille assensus sit primum principium: cùm non constet ex terminis Deum hoc reuelasse; alioquin ex

si ex terminis constat vt quid præexigitur Ecclesiæ propositio; vt quid miracula, & aliæ congruentiæ ad præstandum assensum ex terminis manifestum? Pone hominem baptizatum, nutritum in syluis: propone illi Trinitatis mysterium, & diuinam reuelationem huius mysterij sine alia congruentia: sanè non assentietur, nec credet Deum reuelasse illud mysterium, ergo ideo, quia non habet sufficiens motiuum ex parte obiecti ad iudicandum Deum reuelasse: ergo habitus fidei non habet vim eliciendi assensum immediatum circa Dei reuelationem: alioquin ille homo habens habitum in baptismo infusum, eo ipso posset assentiri sine alio motiuo, vel ratione. Adde, si habitus fidei infusus, quia supernaturalis est habet vim eliciendi hunc assensum: *Deus hoc reuelat*: sine aliquo medio, vel ratione formali, licèt obiectum ipsum sit de se obscurum: cur non poterit idem habitus elicere assensum immediatum circa rem reuelatam, quo diceret: *Deus est trinus & vnus*, non vtendo aliquo medio, vel auctoritate ad assentiendum: cùm re vera intellectus rel ctus suæ naturæ tam videatur indigere medio ad illum priorem assensum, quo dicit *Deus reuelat*; quam ad istum, quo dicit: *Deus est trinus & vnus*.

31 Dicunt iterum, primum assensum circa reuelationem non indigere alio medio, quia ipsa reuelatio manifestat mysterium, & obiter manifestat se ipsam: itaque mysterio assentimur propter reuelationem; reuelationi verò propter se ipsam sicut lux illuminat colores: ipsa vero lux non indiget alio lumine, quo illuminetur, ita ferè cum aliis Suarez *disp.* 3. *sect.* 12. & *sequentibus* Hurtado *disp.* 15. & alij. Sed contra, quia exemplum lucis non est ad rem, lux enim non est ratio formalis, ex qua obiectiue inferatur hunc esse colorem album: visus namque æquè immediate terminatur ad colorem in ipso, sicut ad lumen; licet indigeat concursu luminis, vt possit terminari ad colorem: at verò intellectus non potest assentiri alicui obiecto, cuius veritas non cõstet ex terminis nisi colligendo per discursum formalem, vel virtualem vnam veritatem ex alia, quæ ex terminis constet. Peto igitur, si quidem quod Deus reuelat hoc mysterium, non constat ex terminis: vnde colligat intellectus hanc veritatem, vt ei assentiatur? Dicis, assentiri reuelationi propter ipsam reuelationem, ergo ipsa reuelatio manifestat se ipsam immediate cum sua veritate constante ex ipsis terminis: sicut aliud principium per se notum; nam cognitio immediata primi principij est illa, quæ assentitur obiecto propter ipsum, hoc est sine medio: illa autem cognitio assentitur reuelationi sine medio, ergo versatur circa reuelationẽ tanquam circa primum principium cognitum ex terminis. Consequens autem non videntur admittere hi auctores, quia non videtur magis nobis constare ex terminis hæc propositio *Deus reuelauit Trinitatem* quam illa *Deus est trinus, & vnus*: ergo reuelatio ipsa non est per se nota, sed per aliud per quod assentior reuelationi.

32 Respondent, reuelationi assentimur sine alio medio intrinseco, præcedentibus tamen motiuis extrinsecis; nempe propositione Ecclesiæ, miraculis, consensu doctorum, &c. Vocantur autem hæc omnia motiua extrinseca, seu conditiones, aut applicationes, quia non mouent immediatè intellectum ad assentiendum reuelationi, sed solùm mouent immediatè voluntatem vt prudenter imperet assensum immediatum circa ipsam reuelationem; itaque interroganti cur credo hanc esse Dei reuelationem? respondebo; intellectus quidem nullam habet rationem, quæ ipsum immediatè moueat ad assensum, voluntas tamen habuit plures rationes ad prudenter imperandum illum assensum, qui immediate assentiatur reuelationi sine alia ratione formali. Ita ferè Coninch cum aliis *disp.* 9. *n.* 72. & *sequentib.*

Sed contra; quia repugnat, hæc omnia motiua solùm mouere immediate voluntatem ad imperandum assensum: & non respici ab ipso intellectu tanquam rationes sui assensus: sicut si voluntas postquam medicina apparet vtilis ad sanitatem, imperaret actum amoris circa medicinam propter se ipsam, & non propter sanitatem. Sanè hoc ex terminis repugnat; quia repugnat amari medicinam propter se ipsam, nisi in ipsa appareat bonitas propter se amabilis, ergo similiter non sufficit voluntati repræsentari motiua ad assentiendum reuelationi, vt voluntas possit imperare assensum reuelationis in se ipsa, si non apparet ex parte obiecti veritas aliqua per se ipsam cognoscibilis, & non per aliud: ergo si vere illa veritas talis apparet, vt seclusis motiuis non possit intellectus ei assentiri in se ipsa, sed in alio; quantumuis accedant motiua, talis erit; nec voluntas poterit imperare assensum immediatum circa illam veritatem, sed solum mediatum propter illa motiua: quia non potest voluntas cogere intellectum ad operandum nisi circa obiectum sibi sufficienter propositum; sicut non potest cogere illum ad assentiendum falso vt falso. Dices, intellectum etiam respicere illa motiua, non tamen vt motiua intrinseca, sed vt conditiones. Sed contra, quia in ordine ad assensum intellectualem non potest distingui conditio à motiuo fomali; nam conditiones illæ etiam mouent suadendo vnam veritatem, & ita disponendo ad aliam: hoc autem solùm faciunt præmissæ, seu principia formalia.

Confirmatur, quia non potest voluntas cogere intellectum, vt iudicet sydera esse paria: ergo ideo, quia intellectus debet semper moueri à veritate obiecti apparenti, ergo vel apparenti mediatè vel immediate: ergo illud, per quod apparet, debet esse motiuum intrinsecum assentiendi; nihil enim aliud significamus per motiuum in præsenti, nisi illud, quod immediate suadet intellectui veritatem obiecti.

Motiuum in præsenti quid significet.

Propter hæc, est alia responsio, quam insinuant 33
aliqui viri docti nostri temporis, quod summa Dei veritas sit vltima, & adæquata ratio formalis huius assensus: roganti enim cur credas esse Deum Trinum & vnum? Respondes, quia Deus est summa veritas nec potest fallere, nec falli, & quia ipse ita reuelauit. Rursus si roget, cur credo, Deum id reuelare? Respondes, quia Deus est prima veritas: ad summam enim, & infinitam veracitatem Dei spectat, non solùm non mentiri, sed nec permittere, quod quispiã alius eius nomine aliquid ita proponat vt ex propotione, & modo proponendi meritò fidem faciat apud auditores, quod Dei nomine loquatur. Cùm ergo mysteria nostræ fidei cum tanta credibilitate, & proportione nobis ab ecclesia proponantur, vt merito possimus credere quod ex parte Dei proponuntur, ad infinitam veracitatem Dei pertinet

non

non permittere, quod hoc modo suo nomine proponatur aliquid falsum, sed solùm illud, quod re vera sit à se ipso reuelatum, ergo de primo ad vltimum credimus hanc esse reuelationem Dei, quia Deus est summe verax, ergo prima, & summa veritas Dei est adæquata ratio formalis vltima assensus nostræ fidei.

34 Hæc, licèt acutè sint excogitata, non videntur satis rem explicare. Primò, quia si assensus fidei niteretur in veritate illius conditionalis, quod mentiretur Deus aliquo modo, si permitteret, me hîc, & nunc decipi à proponente: planè assensus fidei niteretur in principio falso: nam etsi ego hîc & nunc deciperer à proponente fidei articulum, non esset hoc contra Dei veracitatem. Contingit enim sæpius, rusticum decipi à suo parocho proponente falsò Dei nomine fidei articulos: quæ deceptio non tribuitur vllo modo ipsi Deo volenti decipere, sed permitenti rusticum decipi. Rustico autem non apparet ex parte obiecti maior verisimilitudo, aut congruentia ad credendum, quod aliquid sit reuelatum à Deo quando non decipitur, quàm quando decipitur: in vtroque enim casu prudenter se gerit credēdo quæ proponuntur à suo parocho, quem habet loco Dei, & cui tenetur obedire: ergo sicut in casu, quo decipitur non est contra infinitam veracitatem Dei, quod parochus, cui rusticus tenetur obedire, decipiat illum; sic nec in casu, quo non decipitur, est vera illa conditionalis, quod si tunc etiam deciperetur, esset contra veracitatem Dei illa deceptio, non enim apparent illi plura motiua ex parte obiecti ad prudenter credendum in vno casu, quàm in alio.

Secundò displicet, quia iuxta hunc modum dicendi vel tollitur à fidei assensu omnis obscuritas, vel manet eadem difficultas. Inquiro enim si quidem credis, hanc esse diuinam reuelationē, quia Deus est infinitè verax an hoc complexum & hanc causalem iudicas per assensum mediatum vel per immediatum? si per mediatum, ergo veritatem huius causalis cognoscis per aliud medium, de quo rursus inquiram, quale sit, & sic in infinitum; si verò huic propositioni causali assentiris immediatè, & non per aliud; ergo hæc veritas causalis constat ex ipsis terminis; ergo assensus mysterij reuelati, qui infertur euidenter ex illa propositione causali non erit obscurus; posita enim hac propositione: *Deus reuelauit hoc mysterium, quia ipse est prima veritas*: euidenter sequitur mysterium reuelatum esse verum ergo si antecedens est ex terminis manifestum; consequens, quod ex illo euidenter infertur, non potest esse obscurum; oportet ergo explicare qualis sit ille assensus immediatus, & ex connexione terminorum, qui tamen non faciat euidentiam mysterij ex illo *euidenter* illati.

Tertiò displicet, quia licet demus, resolui partialiter fidem ex eo capite in veracitatem Dei, cæterum adhuc non erit illa ratio formalis adæquata: ego enim credo hanc esse Dei reuelationem, quia ad veracitatem Dei pertinet non permittere, quod res taliter proposita Dei nomine & cum talibus congruentiis sit falsa, & quia hîc & nunc video hunc articulum taliter proponi: ex hoc autem fit me non solùm moueri, quia ad veracitatem Dei pertinet non permittere, quod suo nomine proponatur cum talibus circunstantiis falsum; sed etiam quia video, hîc & nunc hoc obiectum cum talibus circūstantiis proponi, ergo motiua & argumenta etiam cum quibus proponitur fides, sunt ratio formalis saltem partialis mouens ad assensum fidei: ergo veracitas Dei non est ratio adæquata.

Ideo alij dicunt, ad credenda mysteria reuelata fide diuina prærequiri quidem reuelationem 35
mysterij à Deo factam, eamque esse rationem formalem credendi, non tamen vt creditā fide diuina, vel humana, quia ratio formalis credendi non debet esse credita, sed ratio formalis sub qua obiectum materiale fit credibile: neque enim fides tendit per modum discursus in mysterium reuelatum, sed simpliciter, atque eo ipso quod sufficienter proponitur vt reuelatum, potest fides illud credere, absque eo quod prius credat ipsam reuelationem, ita aliqui, quos tacito nomine refert Suarez *disp.3 sect. 12.num.5. & 6.* vbi hunc modum dicendi benè impugnat. Primò quia intelligible est, quod aliquid sit motiuum, & medium obiectiuum credendi aliud, & quod non debeat cognosci, & credi. Secundò ex fide humana, quæ non potest credere aliquid propter auctoritatem Augustini v. g. nisi credat Augustinum id dixisse. Tertiò, quia non potest fides diuina credere rem reuelatam propter auctoritatem Dei, nisi credat Deum esse veracem: ergo nec etiam nisi credat, Deum ita reuelare: tam enim credimus propter reuelationem, quàm propter veracitatem Dei, cùm vna sine altera non sufficiat, vt postea videbimus. Hæc argumenta optima sunt, & possunt confirmari primò exemplo voluntatis, quæ non potest eligere medium propter solam vtilitatem ad finem, quin amet etiam ipsum finem cuius bonitas est motiuum formale ad volendum medium: ergo nec potest intellectus credere vnam veritatem propter aliam quam non credit. Confirmatur secundò, quia intellectus non potest assentiri cōclusioni propter præmissas, quarum obiectis non assentitur: & hoc, quia veritas præmissarum est motiuum formale assentiendi conclusioni: cùm ergo reuelatio Dei sit vna præmissa formalis, vel virtualis, propter quàm assentimur mysterio reuelato, non possumus credere mysterium, si reuelationem non credimus. In his enim potissimum verum habet commune illud principium Aristotelicum *Propter vnumquodque tale, & illud magis*, quod verissimum est in medio volendi, vel assentiendi, vt omnes fatentur.

Vnde obiter expediri potest id, de quo aliqui 36
dubitant, an ad quemlibet assensum fidei requiratur actualis cognitio reuelationis diuinæ. Aliqui enim, quorum meminit Scotus *in 2. dist. 23. §. Aliter potest*, dicunt, requiri quidem, quod Deus reuelauerit, non tamen quod cognoscatur reuelatio. Quibus fauere videntur Gabr. *in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 1.* & Ochamus *quodlib. 3. quæst. 7.* Quam sententiam latè impugnat Petrus Hurtado *disp. 3.* & constat clare esse falsam ex dictis: quia credere Deo, non est materialiter iudicare id, quod Deus dicit, nisi cognoscamus Deum ea dicere: sicut non credimus Petro, quando casu credimus id, quod Petrus narrauit, ignorantes omnino ea fuisse à Petro narrata. Cùm ergo Scriptura, & Patres clament, nos per fidem credere Deo, & eius testimonium accipere, supponunt, non posse id fieri sine notitia diuini testimonij: item, quia si non esset necessaria cognitio reuelationis ad fidem, non appareret, ad quid esset necessaria ipsa reuelatio, cum possemus eadem obiecta

Fides à nouitate assensum à veritate actualis cognitio reuelationis in actu.

obiecta credere sine notitia, aut cognitatione reuelationis. Vnde constat, non minus requiri cognitionem veracitatis diuinæ, cùm assensus fidei non minùs sit propter Dei veracitatem, quàm propter eius testimonium, vt probat etiam idem Hurtado *vbi supra sect.* 3. in hoc enim puncto, quia res est clara, non oportet ampliùs immorari. Videamus nunc, quomodo aliqui Recentiores respondere conati sint nostris argumentis, vt defenderẽt, fidem sistere in ipsa reuelatione, quamuis eius veritas ex terminis non constaret.

SECTIO IV.

Impugnantur responsiones aliquorum Recentiorum ad superiora argumenta.

37 AD nostra argumenta respondent Recentiores aliqui recurrendo ad mysteria, & ad eleuationem, qua Deus eleuat nostrum intellectum, vt vltra omnem modum sibi connaturalem, & solitum operandi, aliter operetur in rebus fidei, & ad hoc infunditur fidei habitus, qui ex natura sua potest tendere in reuelationem taliter propositam, cuius existentia, licèt intellectui soli non proponatur sufficienter, vt possit in eam propter se ipsam tendere, (nam intellectus suis viribus relictus nunquam potest tendere nisi vel in conclusionem propter aliud, vel in principia, quæ constent vel euidenter, vel saltem probabiliter ex ipsis terminis apprehensis) intellectui tamen cum habitu infuso fidei sufficienter proponitur reuelatio, vt primum principium quod possit credere sistendo in ipsa, qui modus operandi non repugnat intellectui eleuato, nec potest assignari implicantia contradictionis: & aliúde non possumus aliter explicare, quomodo nostra fides resoluatur vltimo in reuelationem Dei sistendo in illa, quare licèt hoc ipsum difficilè percipiatur, credendum est.

38 Ego quidem odi hunc philosophandi, & theologizandi modum, vt propter quamlibet scholasticam difficultatem recurramus ad mysteria, quibus res nostræ fidei difficiles, incredibiles, imperceptibiles omnibus reddamus, dũ eis persuadere volumus, illa ipsa, quæ in se ipsis experiuntur, alia esse ab iis, quæ ipsi experiuntur. Omnes enim fideles experiuntur se credere, & operari circa res fidei, sicut circa alia obiecta, nec suum intellectum transferri ad alium modum operandi circa obiecta absque obiecto; modum, inquam, adeò diuersum, qualem nunquam in rebus aliis habuerant; sicut si voluntas eleuaretur ad amandum aliquid nondum propositum vt bonum: quod licèt daremus esse possibile, non fieret tamen absque eo quod homo aduerteret, & miraretur in se illum modũ amandi adeò diuersum ab eo, quem in rebus aliis amandis semper habuerat. Numquam autem fideles agnoscunt talem diuersitatem in suo intellectu, sed potiùs experiuntur, suum intellectum eodem modo procedere, & operari quærendo veritatem, & illam prosequendo, sicut in aliis obiectis. Vnde meritò S. Thomas *infra q.* 171. *art.* 2. *ad* 3. dixit, actus fidei, & alios similes, qui fiunt ab habitibus infusis, non esse *supernaturales secundum substantiam actus, sed solùm secundum modum.* Quibus verbis non voluit, ipsam entitatem actus non esse supernaturalem, sed solùm non esse talem, vt non possit viribus naturæ fieri alius similis in modo tendendi ad suum obiectum, sed potiùs seruare in omnibus naturam, & conditiones potentiæ intellectiuæ, vt eodem modo tendat intellectus per eos actus supernaturales ad obiecta sicut per naturales tendere solet ad alia obiecta. Munus ergo Theologi Doctoris hoc est, non quidem imaginari sibi naturas rerum, provt ipse sibi vult fingere ad dissoluenda argumenta, & persuadere tales esse contra id, quod omnes experiuntur; sed potiùs consulere experientiam ipsam & sensum fidelium, & ex iis inuestigare, qualis sit natura, & operatio talium habituũ: facilius enim est, quod ipse decipiatur in aliquo principio speculatiuo, quod sibi finxit, quam quod fideles omnes decipiantur, dum putant se tali modo & circa tale obiectum operari, cùm reuerà, alio longè diuerso modo, & circa aliud obiectum omnino diuersum operentur.

Potrò experientiam omnium fidelium contrariam esse illi modo explicandi, probatur primò 39 clarissimè, quia rusticus nullam prorsus diuersitatem in obiecto formali, aut in modo operandi experitur, quando credit articulum fidei verum, vel quando credit articulum falsum, vtrumque sibi à Parocho propositum: vtriusque enim assensum sibi per voluntatem imperat, & conatur eodem modo, atque eadem firmitate credere, nec vllum vestigium diuersitatis experitur in vtroque assensu. Cùm tamen iuxta illum modum opinandi intercedat tũc diuersitas plus quàm generica, non solùm in naturalitate & supernaturalitate actuum, sed etiam in ipso obiecto formali, & in modo tendendi ad aliud: nam circa articulum verum datur actus, quo creditur ille articulus propter reuelationem Dei sistendo in ipsa reuelatione, qui actus nullo modo tendit, aut respicit alia motiua, sed credit reuelationem tanquam primũ principium sufficienter propositum intellectui eleuato, exercendo modum quemdam tendendi insolitum ad primũ principium, quod in seipso nec euidenter, nec probabiliter apparet. At verò circa articulum falsum exercet actum solùm naturalem, quo credit articulum propter reuelationem, nõ sistendo in ipsa, sed credendo ipsam reuelationem propter testimonium Parochi, & alia motiua sibi proposita: cùm enim ille actus sit naturalis, non potest tendere in reuelationem sistendo in ipsa, quia hic modus tendendi est supra vires naturales intellectus, vt hi Theologi concedunt. Cùm ergo illi duo actus adeò sint diuersi, & adeò diuersa obiecta formalia respiciant; deberet aliquando fidelis posse in se ipso agnoscere hanc tantam diuersitatem, & tamen euidenter constat, nunquam ab aliquo potuisse talem diuersitatem agnosci.

Dicunt aliqui, assensum supernaturalem fidei, cùm sit supernaturalis, nõ cognosci vnquam ab 40 habente illum, sed solum cognosci alium actum naturalem concomitantem, qui cùm non habeat illum modum tendendi, nec sistat in ipsa reuelatione, sed resoluatur semper in motiua humana, hinc est, quod semper experiamur actus eiusdem rationis, quia semper experimur actus solum naturales, qui semper habent eundem modum tendendi, & idem obiectum formale.

Sed contra hoc est, quod supponitur in hac responsione actus fidei diuinæ, quos habemus nunquam à nobis cognosci, sed alios fidei humanæ, quod tamen falsum esse probabimus *infra* se-

ctione

Elione 9. Deinde ex hoc ipso argui potest falsitas illius sententiæ, quia ponit in actu fidei talem modum assentiendi, qualem nũquam aliquis expertus est in suo intellectu, sed semper modum contrarium. Quis ergo credat assensum fidei diuinæ talis esse naturæ, & in tale obiectum formale tendere, cuius cõtrarium omnes semper in se ipsis experti sunt? Certè hoc pueris nimis credulis persuadere vix poteris. Alioquin dicet alius quoties amamus proximum propter se ipsum, dari in nobis alium actum supernaturalem, quo amamus proximum propter Deum, quem tamen actum non cognoscimus, quia supernaturalis est. Item quoties amamus Deum, dari in nobis actus supernaturales nobis incognitos, quibus volumus obiecta omnium virtutum propter Deum; item quoties credimus fide diuina, dari in nobis scientiam infusam eorũdem obiectorum, vel fortasse etiam visionem claram Dei: hos tamen omnes actus non cognosci à nobis, quia supernaturales sunt. Si enim semel tollis de medio argumentũ à clarissima, & vniuersali experiẽtia deductum, poterit aliquis omnia figmenta cuilibet persuadere, dicendo, ea omnia occultari nobis propter eorum supernaturalitatem.

41 Vnde secundò impugnatur doctrina illa ex eadem experientia; quia si modus tendendi, quem omnes semper experiuntur in se ipsis, non est propter reuelationẽ sistendo in ipsa, sed resoluendo in alia motiua; rusticus homo, non curabit de imperando sibi alio modo tendendi in obiectum: illud enim solùm imperat, quod apprehendit possibile, & illud solum apprehendit possibile, quod experitur: numquam autem experitur per se illum alium modum credendi: deberet ergo accuratè admoneri, & edoceri de hoc à Parocho, vel catechista, quando proponuntur ei fidei veritates, vt conetur credere modo alio possibili sibi ignoto, quẽ numquã experietur, scilicet credendo reuelationem tanquam primum principium non constans ex terminis euidenter, aut probabiliter. Parochi autem neque hoc docent, neque, si vera est tua sententia, docere possunt cum nec ipsi talem modum credendi vnquam experti sint. Vnde ergo possunt miseri illi rustici diuinare talem modum credendi possibilem & necessarium ad recipiendam fidem diuinam; Fatendum ergo tibi erit, eos rusticos ferè omnes per totam vitam manere cum sola fide humana, quam solam sibi imperant, cùm non habuerint notitiam aliquam obligationis, aut possibilitatis illius alterius modi tendendi in obiectum formale, nec sine tali notitia potuerint sibi imperare eum modum, quem numquam in se expertus est aliquis in hac vita, Mihi sanè certius est, illam esse fidem diuinam, & supernaturalem, quam hi rustici habent, & quam in se experti, dicunt se esse fideles Christianos, quàm illam, quam hi Theologi sibi fingunt habitare in absconditis latebris nostri intellectus, quam nullus vnquam hominum, aut Angelorum viatorum in se ipso esse agnoscere potuerit.

42 Tertiò ex eodem capite arguitur, quia ille modus tendendi in reuelationem, quem de facto habet actus fidei diuinæ, non est talis, vt non possit reperiri in actu etiam naturali, ergo non est supra modum, quem intellectus seruat in aliis assensibus circa veritatem non notam ex terminis. Antecedens probatur, quia de facto assensus circa falsam conclusionem, quæ deducitur ex vno principio fidei, & altero falso, est actus naturalis, cum sit falsus; & tamen ille actus tendit non solum in obiectum conclusionis, sed etiam in obiecta præmissarum, vt ipsimet aduersarij fatentur, atque adeò debet tendere in idem obiectum materiale, & formale, in quod tendebat præmissa de fide, ergo ille actus conclusionis, quatenus saltem in obliquo assentitur obiecto fidei, assentitur propter idem motiuum, quod erat in assensu fidei, nam si haberet aliud motiuum diuersum, non posset hæc conclusio procedere ex illa præmissa; ergo actus naturalis potest retinere eundem modum assentiendi reuelationi, quem habebat actus fidei diuinæ.

Dices primò, quando conclusio est falsa propter aliam præmissam naturalem falsam, ex qua 43
oritur, tunc non procedere ex præmissa supernaturali fidei diuinæ, sed ex præmissa naturali, qua idem obiectum reuelatum creditum est propter reuelationem non sistendo in ipsa, sed resoluendo ad alia motiua humana, vt dictum est, quare actus conclusionis non debet respicere motiuum formale fidei, prout à fide diuina respicitur, sed prout respicitur ab illa fide naturali, qui modus attingibilis est ab actu naturali.

Sed contra, quia posita præmissa fidei diuinæ, non minùs potest intellectus ex illa, & ex præmissa naturali falsa deducere conclusionem, quàm ex alio actu naturali fidei humanæ. Videt enim intellectus ex obiecto fidei diuinæ, & obiecto præmissæ falsæ sequi per euidentem consequentiam talem conclusionem; & quidem non est eadem omnino conclusio, quæ deduci potest ex actu illo supernaturali fidei, & actu fidei naturali: nam cum non sit idem obiectum formale vtriusque per se, oportet quod etiam conclusio diuersa sit, saltem quoad obiectum formale: sicut ergo ex actu naturali fidei potest deduci conclusio, poterit etiam illa alia conclusio deduci ex illo alio actu supernaturali, cum euidenter appareat bonitas illationis. Finge enim in intellectu esse solum actum fidei supernaturalis cũ illo alio principio naturali falso, abq; alio actu naturali fidei, v.g. per actum supernaturalem fidei cognosci, omnes beatos videre Deum clarè, quia Deus summè verax ita reuelauit: rursus per actum naturalem credi Cæsarem Augustum esse beatum: tunc euidenter apparet, ex illis principiis sequi, Augustum Cæsarẽ videre clarè Deum: poterit ergo intellectus id deducere ex illis præmissis. Cur ergo non poterit, licèt detur alius actus naturalis circa primam præmissam? Conclusio enim, vt dixi, non est eadem, quæ ex præmissa supernaturali posset inferri, cum habeat diuersum obiectum formale.

Secundò itaque responderi posset magis iux- 44
ta mentem eorum Theologorum negando, posse vnquam esse actum supernaturalem, qui deducitur per discursum ex vna præmissa de fide: semper enim ille naturalis est, & ideo etiamsi verus sit, non procedit tamen à præmissa supernaturali fidei, sed semper ab illo alio concomitanti fidei naturali, qui versatur circa idem obiectum, licèt non sub eodem omnino motiuo vltimo: quare actus conclusionis, etiamsi verus sit non tamen habet illum modum tendendi ad reuelationem, sistendo in ipsa; qui modus solum reperitur in actu fidei supernaturali.

Hæc tamen responsio difficilior est, & eam impugnabimus *infra d. sect. 9.* Nunc autem breui-

ter

ter impugnatur, quia ex hac doctrina sequitur primò, ferè omnia bona opera, quæ ab homine Christiano fiunt, non esse meritoria præmij supernaturalis. Nam ij Theologi concedunt, ad opus meritorium requiri actum voluntatis supernaturalem, & hunc debere oriri ex cognitione supernaturali: quibus suppositis, probatur Sequela: nam bona opera vt in plurimum, & ferè semper non oriuntur immediatè ex fide, sed mediatè, v.g. ex fide scio eleemosynam placere Deo: cognosco rursus, hunc esse, vel apparere pauperem: infero, bonum esse dare eleemosynam huic homini hîc & nunc, qui certè non est actus fidei immediatus, vt constat, cùm non sit aliquid reuelatum de hoc homine: ex illo autem actu oritur immediatè voluntas dandi eleemosynam huic pauperi, qui solum oritur mediatè ex fide. Si ergo conclusio illa nullo modo oritur ex fide diuina, sed ex fide naturali, consequens est, vt eleemosyna non oriatur vllo modo ex fide diuina, & per consequens non sit meritoria, cum solùm oriatur ex cognitione naturali. Idem est, quando volumus adorare hanc hostiam, quæ voluntas oritur mediatè ex fide diuina dictante sub hostia consecrata esse corpus Christi dignum adoratione, & ex alia cognitione, qua iudico, hanc esse hostiam consecratam, ex quibus infertur, hanc hostiam esse dignam adoratione, quæ certè non est conclusio de fide; atque ideò voluntas adorandi hanc hostiam non est meritoria, si cognitio illa immediata non procedit vllo modo ex fide diuina, sed solum ex humana. Vides, quomodo ex ea doctrina corruunt magna ex parte merita hominis Christiani, quæ ferè omnino procedunt immediate ex cognitione practica deducta ex principiis fidei, & plerumque non sine longo discursu, & attenta meditatione, & cognitione.

Sequitur secundò ex illa doctrina, fidem diuinam, quam habemus, esse ferè otiosam, & inutilem in nobis. Nam licet dictet principia aliqua vniuersalia; illa tamen ferè nunquam mouent immediatè ad aliquid operandum: mediatè autem non possunt, quia ex illis principiis fide diuina creditis nō possumus inferre aliquid, quod nos mouet ad bene operandum: debemus ergo gratias illis actibus concomitantibus fidei naturalis, ex quibus deducimus cognitiones practicas, quæ nos dirigunt ad operandum in his, vel illis circunstantiis: fides enim diuina est cognitio quædam abstracta, & infœcunda, quæ illuminat solum speculatiuè circa ea principia vniuersalia, nullo autem modo circa principia practica in particulari. Vbi ergo est doctrina illa Scripturæ, & Sanctorum Patrum, qui fidem dicunt esse fontem, & originem totius vitæ spiritualis omnium meritorum, & bonorum operum. Non potest itaque negari, ex principiis illis fide diuina creditis deduci cognitiones, & conclusiones practicas, quibus postea immediatè dirigimur ad benè operandum.

44 *In principiis fide deductis cognitiones practicæ quibus dirigimur ad bene operandum.*

45 Quartò principaliter arguitur, quia si illi duo actus fidei diuinæ, & fidei naturalis habēt diuersa motiua formalia, oportet, quod voluntas imperet vtrumque distinctè, nec sufficiet imperare fidem in confuso, aut velle credere, vt vterque fiat: intellectus enim in eiusmodi actibus subordinatur omnino volūtati, cuius imperium præterire, aut excedere non potest. Vnde volūtas non debet solum imperare assensum, sed etiā assensum ex tali motiuo formali: si ergo voluntas imperat assensum Trinitatis propter reuelationē præteritā sistendo in illa, non potest ex vi huius imperij intellectus credere propter testimonium Parochi; hoc enim non esset obedire voluntati, sicut neque è contra, si solum imperaret assensum propter reuelationem, quæ infertur ex testimonio Parochi, posset ex vi huius imperij intellectus sistere in reuelatione: cùm ergo illi duo modi assentiendi sint diuersi, oportet, imperari vtrumque à voluntate, vt vterque fiat. Quare quando Parochus proponit articulum falsum non poterit rusticus imperans sibi assensum fidei, qualem habere solet circa articulum verum, elicere non hunc, sed alium assensum diuersum, tendentem in testimonium Parochi, quem assensum ipse non imperauit.

Respondent, voluntatē imperare quidem tūc 46
assensum fidei diuinæ sistentem in reuelatione, intellectum tamen, quia non potest illo modo credere articulum falsum, facere quod potest, credendo per assensum naturalem eo modo, quo potest, licèt non eo modo, quo imperatur. Sed contra, quia in primis hic certè est nouus obediendi modus, cùm non possis facere, quod præcipitur, facere saltem quod prohibetur, vt aliquid facias. Voluntas enim non solum imperat assensum propter reuelationem, sed prohibet progredi ad aliud vlterius motiuum, hoc enim est sistere in reuelatione, intellectus autem, quia non potest sistere, vt præcipitur, progreditur cōtra prohibitionem expressam: quis non videt, non posse intellectum ita resistere voluntati, vbi saltem ab euidentia obiecti non cogitur?

Secundò reiicitur responsio, quia licet id concederetur, casu, quo intellectus non posset exequi, quod iuberur & credere propter reuelationem sistēdo in ipsa, prout præcipitur, quod tunc posset credere propter reuelationem resoluendo illam vlteriùs in aliud motiuum: hoc tamen non deberet vllo modo concedi, quando id, quod præcipitur, potest eodem modo obseruari: quare quando proponitur verus articulus fidei, & voluntas imperat fidem propter reuelationem sistendo in ipsa; hoc solum poterit facere intellectus, & non illum alium assensum naturalem ex superabundantia, qui feratur in reuelationem non sistendo in ipsa. Quorsum enim imperato vno assensu, & prohibito altero, facere vtrūque? Sicut si diceres, quod imperante voluntate assensum circa aliquam veritatem propter reuelationem solam Dei, intellectus eo ipso debeat elicere duos assēsus, alterum propter reuelationem Dei, alterum propter auctoritatem Aristotelis. Hoc certè incredibiliter assereretur, quia non est connexio necessaria inter illa duo obiecta formalia. Sic ergo imperante voluntate assensum circa Dei reuelationem propter ipsam solam, cur debeat elici necessariò alter assensus circa reuelationem propter auctoritatem Parochi, qui non solum non præcipitur, sed expressè prohibetur à voluntate.

Quintò principaliter, & à prioti arguitur, 47
quia voluntas non potest cogere vllo modo intellectum ad assentiendum sine suo motiuo proprio, quod est veritas obiecti apparens, debet ergo verum illud apparere, vel in se clarè visum, vel certè ex apprehensione terminorum, qui ostendunt, vel clarè, vel saltem obscurè connexionem illam inter prædicatū & subiectum, vel denique

debet apparere illa veritas per aliud, quod sit cõnexum cum illa, & appareat in se vt suprà dicebamus. Hinc est, non posse volũtatem cogere intellectum, vt iudicet, astra esse paria, quia non apparet illa veritas, neque in se, neq; in aliquo medio. Hinc etiam est, nõ posse intellectum cogi, vt credat immediatè, Deum esse Trinum, quia illa veritas non apparet in se, atque ideò debet apparere per aliud, nempe per reuelationem, quæ habet connexionem cum illa. Cùm ergo reuelatio ipsa non appareat in se, neque ex apprehensione terminorum: Deus enim de se est indifferens ad reuelandum, & non reuelandum, non poterit voluntas cogere intellectum ad iudicandum, Deum reuelasse, nisi ostendatur illa reuelatio vel in se, vel certè in aliquo medio, quod arguat illam.

48 Respondent illi Recentiores, habitũ fidei non posse ex imperio voluntatis iudicare, Deum esse Trinum immediatè: posse tamen fieri à Deo alium habitũ, qui accedente imperio voluntatis, eliciat assensum immediatum, & obscurum circa Trinitatem, sicut hic habitus elicit assensum obscurum immediatum circa reuelationem, nulla enim est ratio differentiæ inter vtrumque obiectum.

Sed cõtrà, peto à te, an prærequirerentur tunc motiua credibilitatis, sicut nunc prærequirũtur? Respondebunt, ni fallor, consequenter affirmatiuè, ponunt enim illum habitũ similem habitui nostræ fidei in modo operandi, excepto quod nõ tenderet in reuelationem. Dicunt tamen illa motiua non exigi in ordine ad intellectum, sed ad voluntatem, ad hoc scilicet, vt voluntas prudenter possit imperare assensum circa Trinitatẽ: ipse verò intellectus postea eliciendo assensum nullo modo respicit, vel attendit ad motiua, sed solùm elicitur ex imperio voluntatis, quæ non posset imperare talem assensum, nisi ex motiuis proportionatis appareret credibile tale obiectum.

49 Sed contra hoc vrget adhuc difficultas: quia si motiua solùm sunt in ordine ad voluntatem, à qua sola postea determinatur intellectus absque vlla attentione ad motiua: ergo si per possibile, vel impossibile poneretur illa voluntas absque vllis motiuis præcedentibus, eodem modo determinaretur intellectus, & iudicaret Deum esse Trinum per assensum obscurum, nec apparente magis connexione inter extrema, quàm nunc appareat seclusa reuelatione.

Dices, repugnare casum, quia voluntas prærequisita ad determinandum illum habitum infusum debet esse bona, non potest autem imperari honestè, & prudenter ille assensus nisi præcedant motiua. Sed contra, quia in primis non apparet repugnantia in ordine saltem ad potentiam absolutam, quod voluntas naturalis imperaret, & determinaret sufficienter intellectum ad operandum per habitum supernaturalem: imo de facto per actum naturalem voluntatis imperantur actus virtutum supernaturalium. Quod si illa voluntas posset esse naturalis, cur non posset etiam voluntas non prudens determinare sufficienter intellectum ad illum assensum præstandum sine motiuis præcedentibus. Sed demus, debere esse illam voluntatem bonam, & supernaturalem: adhuc posset hæc haberi absque præcedentibus motiuis. Pone enim aliquem ex ignorantia inuincibili apprehendere honestum esse illum assensum nullis præcedentibus motiuis, & hoc vtile esse ad humilitatem consequendam, vel ad alium finem honestum: posset tunc ex affectu erga humilitatem, vel aliam honestatẽ velle illum assensum, & per consequens posset per voluntatem honestam, & meritoriam illum imperare. Cum ergo aliunde intellectus ex se non indigeret motiuis vllis cognitis ad assentiendum; eliceret tunc actum suum obscurum, quo iudicaret Deum esse Trinum, vel sidera esse paria, non apparente magis connexione inter sidera, & paria quàm nunc appareat. Consequens autem esse absurdum, & non solum supra, sed contra naturam intellectus, nemo non videt. Tunc enim intellectus nõ moueretur à veritate obiecti, quæ nulla magis appareret tunc, quam nunc appareat. Vnde meritò Augustinus dicit, illum modum credendi esse omninò impossibilem *lib. de spiritu & littera c. 34. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2.*

Dices, habitus supernaturalis, qualis esset ille, 50 non posset elicere assensum falsum; supponeret ergo necessariò veritatem sui obiecti, atque ideo semper operaretur circa verum. Sed contra, quia intellectui non sufficit, quod obiectum in se sit verum, vt possit tendere in illud; sed requiritur quod ex se appareat, & repræsentetur in actu primo vt verum, siue per præsentiam claram ad visionem, siue per connexionem terminorum apprehensam: alioquin, si non est hic modus operandi intellectus, non repugnabit etiam naturaliter, quod tendat ad obiectum verum, licèt non appareat ex se vt verum: imò si sufficeret, obiectum in se esse verum, sequeretur, quod saltem de potentia absoluta posset dari habitus intellectus, qui accedente imperio voluntatis eliceret assensum circa obiectum, quod ex se appareret vt falsum, dummodo re ipsa in se esset verum: Quod tamen nemo concedet. Fatendum itaque est, modum essentialem operandi nostri intellectus, non esse quod tendat ad id, quod in se est verum, sed ad id, quod apparet, vt verum: quamdiu autem non apparet vt verum, non potest voluntas etiam de potentia absoluta illum determinare ad assentiendum. Cùm ergo reuelatio non appareat in se magis vera, seclusis motiuis præcedentibus, quam sidera esse paria non poterit voluntas aliqua, seclusis illis motiuis, determinare ad credendam reuelationem, nec intellectus potent eam credere, non attendendo vllo modo ad ipsa motiua, sed debet etiam immediatè moueri ab illis, non quatenus præcisè sunt motiua humana, sed quatenus integrant motiuum diuinum reuelationis, & loquutionis mediatæ Dei, prout infrà explicabimus.

SECTIO V.

Examinatur tertia sententia resoluens fidem partialiter in auctoritatem Ecclesiæ, vel proponentis

TErtia sententia principalis, vt facilè dissoluat hunc nodum, & explicet fidei resolutionem sine difficultate, aut incredibilitate, dicit, nos credere mysteria reuelata propter auctoritatem Dei reuelantis: quia nempe Deus est verax, & Deus dicit. Porrò Deum esse summè veracem ex se ipso facilè creditur, neque ad hoc necessaria sũt miracula, vel alia motiua, nec infideles id negant. Deum autem reuelare hæc mysteria aliqui cognoscunt immediatè, licèt obscurè, quibus

bus nempe Deus ipse immediatè loquitur: alij verò ex populo fidelium, quibus Deus non loquitur immediatè, sed per alios, id cognoscunt etiam obscurè mediante Ecclesia proponente reuelationem Dei. Vtrique tamen credunt propter Dei auctoritatem: sicut quando Rex promittit præmium expuguantibus vrbem, idq; dicit Præfecto militum, mandans ei, vt suo nomine aliis proponat: omnes credunt Regi, & propter fidem Regiam: præfectus tamen cognoscit immediatè Regis testimonium; cæteri tamen solum mediatè, nempe mediante propositione Præfecti, qui Regis nomine proponit. Hanc sententiam indicare videtur Scotus *in* 3. *dist.* 23. *quæst. unica*, Durandus ibi *dist.* 24. *quæst.* 1. *num.* 8. & 9. & *dist.* 25. *quæst.* 3. Gabr. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. *circa finem*, Okamus *in* 3. *quæst.* 8. §. *quantum ad secundam difficultatem*, & §. *Sed dubium est, vtrum fides infusa*, Medina *lib.* 5. *de recta in Deum fide cap.* 11. & aliqui testantur, P. Gabrielem Vasquez multum in hanc sententiam inclinasse, de hoc tamen non mihi satis constat. Fauere etiam videtur Coninch. *disp.* 9. *de fide, dub.* 4. *n.* 31. licèt nec ipse clarè loquatur, & denique clariùs aliqui Recentiores Theologi eam sententiam approbare videntur.

12 Aliqui tamen ita recurrunt ad Ecclesiæ auctoritatem, ob quam credatur reuelatio Dei, vt videantur loqui de Ecclesia, non vt habente solùm auctoritatem humanam etiam grauissimam, sed vt habente infallibilitatem in proponendo ex assistentia Spiritus Sancti ei promissa, quare credimus Deum reuelasse incarnationem, quia Deus id reuelauit, Deum verò reuelasse credimus, quia Ecclesia, quæ est columna veritatis, & cui Deus assistit, id proponit. Ita videntur loqui Medina *vbi suprà*, & Bañes *in præsenti quæst.* 1. *art.* 1. *dub.* 4. Hæc tamen sententia hoc secundo modo explicata reiicitur communiter, quia dum fugit ab auctoritate humana ipsius Ecclesiæ, relinquit fidem sine vltima ratione formali, aut incidit in circulum vitiosum: possumus enim vlteriùs vrgere fidelem, vnde sciat, Ecclesiam habere infallibilem auctoritatem? Sanè hoc non est ex terminis nostris; ergo debet dicere, quia Deus reuelauit se assistere semper Ecclesiæ. Vrgebo iterum: vnde scis Deum reuelasse hanc assistentiam? respondebit; quia Ecclesia ita docet, quæ errare non potest. Ecce manifestum circulum, dum probas diuinam reuelationem ex auctoritate Ecclesiæ, & Ecclesiæ auctoritatem ex reuelatione diuina.

13 Dicunt non esse vitiosum hunc circulum, habemus enim illum modum assentiendi in aliis casibus: vt si Regius minister afferat Regis epistolam, qua Rex iubet haberi fidem ipsi nuncio. Tunc credimus epistolam esse regis, quia nuncius dicit: nuncio autem credimus, quia rex iubet ipsi credi. Sed contra, quia tunc non credimus litteras esse Regis præcisè, quia nuncius dicit sed quia independenter à nuncij testimonio, cognoscimus litteras manu Regis conscriptas, & sigillo regio signatas: ita vt fides vnius & alterius nullo modo mutuo dependeant. Alioquin si alia via non esset ad cognoscendum litteras esse regias, nisi ipsius nuncij testimonium, impossibile esset id credere propter auctoritatem nuncij vt Regia auctoritate firmatam, sed ad summum crederetur propter priuatam nuncij auctoritatem.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

Ratio à priori desumitur ex doctrina supra tradita, quæ est Aristotelis *in posterioribus*, & omnium Philosophorum: quod omnis assensus intellectus debet esse immediatus, vel reduci vltimò ad aliquem immediatum, cui vltimò innitatur: sicut omnis actus voluntatis tendit in finem seu in bonum propter se, vel propter aliud, quod aliud propter se ametur: quare sicut non posset amari medicina præcisè propter sanitatem, si sanitas præcisè amaretur propter medicinam: sic nec potest intellectus assentiri vni veritati propter aliam, si huic alteri solùm propter priorem assentiretur. Alioquin eadem propositio faceret fidem sibi ipsi, & esset antecedès, ex quo ipsamet mediatè inferretur: item eadem propositio esset certior se ipsa, quia quatenus antecedens alterius esset certior suo consequenti; omnis autem propositio debet esse certior, quàm ea, quæ ex ipsa infertur, vt cum Aristotele probaui *in lib. posteriorum*: rursus eademmet quatenus infertur ex suo consequenti esset incertior quàm suum consequens, atque ideo esset certior, & incertior se ipsa: quod repugnat, de quo dicemus iterum infrà *disp.* 3 *sect.* 3. interim autem videatur Suarez in præsenti *disp.* 2. *sect.* 4. *num.* 9. vbi hoc ipsum pro certo supponit. 54

Sententia ergo hæc ab aliis non eo sensu traditur, sed recurrunt mediatè saltem partialiter ad auctoritatem Ecclesiæ prout miraculis, martyriis, & aliis notis condecoratæ; cui Ecclesiæ credimus, Deum id reuelasse; postea verò propter Dei auctoritatem, & eius testimonium solum, vt propter motiuum immediatum, credimus Deo mysterium reuelatum. Vt autem constet, in quo sit punctus controuersiæ, cum hac sententia, notandum est primò, ab omnibus Catholicis extra controuersiam admitti, fidem nostram non niti ratione humana: quod tanquam certum de fide supponit cum aliis Suarez *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 3. *& seqq.* & constat ex Scriptura, & Patribus, vbi semper fides condistinguitur à persuasione rationis humanæ, nempe prout probatio per rationem condistinguitur à probatione ex auctoritate: nam vt infra videbimus agentes, an detur discursus in fide, non excluditur à fide omnis argumentatio, aut discursus, sed illa, quæ sumitur ex ratione, prout condistinguitur ab argumento ex mera auctoritate in quo sensu loquitur Paulus 1. ad Cor. dum dicit. *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, & cap. 10. *captiuantes intellectum in obsequium Christi*, & Matth. 11. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*; & cap. 10. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea parvulis.* & August. lib. 1 de Trinitate: *Fidelis*, inquit, *sum, credo quod nescio.* & serm. 20. de verbis Apostoli: *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* & tract. 40. in Ioann. *Credimus, vt cognoscamus, non cognoscimus, vt credamus.* & lib. 50. homiliarum hom. 31. *Arcana regni Dei prius quærunt credentes, vt fiant intelligentes*, & Damascenus lib. 4. cap. 12. *Fides est assensus ab omni curiositate dissitus.* & Nazian. orat. 34. *Fidem potius, quam rationem sequamur.* de quo videri etiam possunt Dionys. Basil. Gregor. magnus, Hilar. Irenæus, Hieron. Cyril. Chrysost. & Cyprian. quorum loca affert Suarez loco citato.

55 *Fides an re soluatur in auctoritatem Ecclesiæ prout miraculis martyriis, & aliis notis condecoratur.*

56 Secundò non est controuersia, quòd diuina auctoritas sit ratio formalis nostræ fidei: hoc enim omnes extra controuersiam concedunt: alioquin non esset fides diuina, nisi Deo crederemus: nec potest quis Deo credere, nisi moueatur ab auctoritate Dei testificantis. Vnde Scriptura & Patres passim assensum nostrum ad Deum referunt, Genes. 15. *Credidit Abraham Deo.* 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi, & certus sum.* 1. ad Thessal. c. 2. *Accepistis illud non vt verbum hominum, sed vt verè est verbum Dei.* 1. Ioan. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Ambros. lib. 2. Epistolarum, epist. 12. *Cui magis de Deo, quàm Deo credam?* & alij passim, de quo videri potest idem Suarez dicta *sect.* 1. *num.* 6. Hoc autem verificatur etiam in sententia supra relata; quia quamuis propositio Ecclesiæ partialiter ingrediatur ad probandam reuelationem Dei, res tamen reuelata non creditur soli Ecclesiæ, sed Deo, & propter auctoritatem Dei: sicut quando ego dico tibi talem doctrinam, vel sententiam haberi à S. Thoma tali loco: tu credis illam sententiam esse veram propter auctoritatem S. Thomæ, non propter meam, licèt mihi credas illam haberi apud S. Thomam. Tota ergo difficultas est an Ecclesia intret partialiter, vt propter eius propositionem credamus, non quidem veritatem rei reuelatæ, sed Deum illam reuelasse, provt hæc sententia contendit.

57 Quod probari videtur exemplo fidei, quam Regi adhibemus loquéti per suos Legatos: Deus enim non aliter agit cum hominibus per suos Prophetas, aut Apostolos, quàm Reges humani per suos Legatos. Ideo enim Apostoli proponentes fidei mysteria, dicebantur Legati: iuxta illud Paul. 2. Corinth. 5. *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Ergo sicut testimonium proprium Legati Regij intrat partialiter rationem formalem fidei humanæ; sic etiam testimoniũ humanum Ecclesiæ intrat partialiter rationem formalem fidei Christianæ: dicere enim testimonium Legati Regij esse solùm applicationem testimonij regij, nõ verò rationem formalem assensus; videtur esse ludere verbis; cùm tandem partialiter innitatur assensus auctoritate nuncij propter quam creditur Rex promisisse suum aduentum.

58 Confirmari potest primò, quia Christus Dominus talem fidem videbatur exigere ab hominibus, quæ non excluderet rationes humanas, sed illis etiam inniteretur. Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite:* vbi opera proponit, vt rationem, cui innitatur assensus fidei Item. cap. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis,* & alibi sæpe. Ergo noluit Christus nos credere diuinam reuelationem immediatè propter se ipsam, sed propter testimonia, & motiua, quæ id suadent: provt fecerant Samaritani Ioan. 4. *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia.*

Secundò confirmari potest; quia apud Scripturam, & Patres nũquam videtur constitui hoc discrimen inter fidem Christianam, & humanam, quod Christiana innitatur soli diuino testimonio. Vnde Iacobus Apostolus contra eos, qui putabant sola fide hominem iustificari cap. 2. sic ait: *Tu credis quoniam vnus est Deus; bene facis; & dæmones credunt, & contremiscunt:* quasi dicat, non multum est ad iustitiam id credere, nam etiã dæmones credunt: quod tamen argumentum leuius esset, si dæmones crederent propter motiua creata, propter miracula, & rationes; fideles autem crederent propter solum testimonium Dei: tunc enim respondere possent Apostolo, immerito comparas fidem nostram cum credulitate dæmonum: nos enim credimus soli Deo, Dæmones autem non credunt Deo, sed rationibus & miraculis: ergo Apostolus non supponebat assensum nostræ fidei inniti solùm in testimonio diuino. Quo etiã sensu videtur loqui Augustinus *lib. de fide, & operibus c.* 16. vbi ait, fidem sine operibus esse fidem dæmonum, non Christianorum, quod tamen dici non posset si haberet adeo diuersum motiuũ vnus assensus ab alio. Imò idem Augustin. videtur supponere, fidem inniti aliquo modo huic motiuo lib. de spiritu & littera c. 34. *Neque enim,* inquit, *anima rationalis credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit vocatio, vel suasio, cui credat.* non dixit *suasio qua moneat* sed cui credat, quasi indicet, eam etiam intrare rationem formalem; quod etiam dixit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur.*

Denique confirmari potest, quia quod ille assensus non habeat aliud vlterius medium assentiendi; videtur merè inductum à Recentioribus Theologis sine fundamento alicuius ponderis: quare cùm aliunde hæc doctrina adeò difficilem reddat materiam assensus, non videtur admittenda sine maiori examine. Quod autem non asseratur sufficiens fundamentum illius doctrinæ probari potest dissoluendo ea, quæ pro ipsa solent afferri.

Et in primis afferri solent plura testimonia scripturæ, vbi fides dicitur assensus propter Dei testimonium Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus* &c. Ioan. primo, *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit.* Ioan. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* & alia loca, quæ congerit Valentia in præsenti *disp.* 1. *q.* 1. *puncto primo* §. 4. Hæc tamen omnia non videtur excludere omnem aliam rationem formalem partialem, sed ad summum probant, auctoritatem Dei esse etiam rationem formalem vltimam, cui innitatur fides: quod non negant hi Auctores; nam licèt ego credam Deum reuelasse, quia Apostoli testificantur: tamen æterum mysterium ipsum Trinitatis, vel Incarnationis, non credo præcisè propter testimonium Apostolorum, sed immediatè, quia Deus dixit: vltimò verò, quia Deus est prima veritas, & quia testimonio Apostolorum, & Ecclesiæ constat Deum id reuelasse; ita vt ratio formalis proxima sit sola diuina veritas, & eius reuelatio: remota verò, & vltima partialiter sit testimonium ecclesiæ v. g. & Apostolorum; quia licèt testimonium humanum Apostolorum non sit sufficiens ad testificandum mysterium Trinitatis; est tamen sufficiens ad testificandum Deũ id reuelasse, sicut licet Theologus aliquis mediocriter doctus nõ habeat sufficientem auctoritatem ad persuadendam mihi aliquam opinionem; habet tamen sufficientem auctoritatem ad persuadendum mihi quod videat eam opinionem in sancto Thoma, & tunc assentior ego illi opinioni, non propter auctoritatem illius Theologi præcisè, sed propter auctoritatem sancti Thomæ, & propter eius testimonium proximè, remotè autem, & partialiter propter testi-

monium

monium illius Theologi dicentis, se vidisse eam apud S. Thomam.

60 Obiici item potest ex 1. Ioan. 5. *Qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Ergo credimus propter solum Dei testimonium: alioquin si crederemus etiam partialiter propter humanum testimonium: possemus dissentire mysteriis reuelatis ex ea parte, qua nitimur testimonio humano, quin censeremus mentiri Deum Respondeti tamen potest: reuera ita posse contingere: stat enim sæpe in hæretico dissensus fidei, & assensus euidens veracitati Dei: dicitur tamen ille mendacem facere Deum in actu exercito (vt ita dicam) non in actu signato, quia dissentiendo testimonio diuino, quod euidenti credibilitate sibi proponitur; arguitiuè potest conuinci, quod existimat Deum esse mendacem dissentiendo eius dictis.

61 Adducunt alij illud ex Paulo 2. ad Thessalon. 2. *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei: accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei.* Quo loco accipere verbum Dei, est credere innitendo non testimonio hominum, sed soli testimonio Dei, vt videtur intelligere ibi Commentator ille, qui inter opera Hieronymi illius nomen habet: dicens quod accipere vt verbum Dei, est illud accipere perinde, ac si Deus audiretur: hoc autem est credere propter solam Dei auctoritatem, ergo.

Accipere vt verbum Dei quid sit

Accipere vt verbum hominum quid sit

Respondeti potest, mysteria fidei accipi quidem à fidelibus non vt verbum hominum, sed vt solum verbum Dei. nam licèt ego credam Apostolis dicentibus Deum reuelasse mysterium Trinitatis; non tamen accipio mysterium Trinitatis vt verbum hominum: accipere enim vt verbum hominum est accipere illud vt habitum ab homine in sua mente, & explicatum exteriùs per verba: hoc autem modo non accipio mysterium Trinitatis, nam licèt homo proponens mihi reuelationem diuinam huius mysterij, non crederet illud mysterium, posset mihi proponere diuinam reuelationem: ipse enim non dicit mysterium ita se habere, sed solum quod Deus illud reuelauit. Duo ergo sunt, quæ ego credo; scilicet Deum illud reuelasse, & mysterium ita se habere. Primum accipio vt verbum hominum, quia illud solum immediatè asserunt mihi homines. Secundum verò solùm accipio vt verbum Dei, quia illud secundum non asserunt homines, neque quidquam refert quod id asserant, vel negent, dummodo asserant Deum id reuelasse, & ideò de ipso mysterio verum est quod non accipitur vt verbum hominum, sed vt verbum Dei. Sicut in casu posito, quo nuncius diceret, Regem promittere suum aduentum; sanè licèt Regem id dixisse accipiatur vt verbum ipsius nuntij id affirmantis: cæterùm aduentus Regis non accipitur vt verbum nuntij: imò contingere potest nuntium non credere Regem venturum; ergo id solùm accipitur, & creditur vt verbum Regis, id est, vt exprimens id quod Rex habet in sua mente: sic etiam in præsenti. Ex quo etiam patet, verum esse, quod accipitur, sicut si audiretur à Deo, vt dixit ille Commentator: nam etiam quando auditur aliquid à Rege (si benè attendimus) inueniuntur cum proportione illi duo assensus: *Rex est verax: Rex dicit hoc*: qui secundus assensus influit etiam per modum principij ad credendum id, quod Rex dicit, hîc autem secundus assensus non nititur testimonio Regis, sed est assensus immediatus genitus ex notitia sensuum, & tantum habens roboris ad suadendum, quantum fidimus non Regi, sed nostris sensibus: sic ergo quando audimus Deum per nuncium loquentem, accipimus verbum illud vt verbum Dei, cum hoc tamen stat alium assensum, quo iudicamus Deum loqui, non niti auctoritate Dei, sed sensuum quibus audimus, & nuntij per cuius os loquitur tunc Deus.

Adducunt etiam illud Pauli ad Hebr. 6 *Volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.* Vbi tota nostra fidei certitudo reduci videtur ad rationem formalem assentiendi, quæ est infallibilis, nempe reuelatio Dei, quod idem videtur significare idem Paulus 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi, & certus sum*, &c. Respõderi etiam potest, ibi non reduci infallibilitatem fidei ad testimonium Dei tanquam ad rationem totalem, sed vt ad partialem: sicut si Rex loquens per nuncium, iuraret etiam se venturum, dicere vtique possemus Regem iurasse, vt haberemus firmissimum solatium sperantes eius aduentum; sic etiam Deum supposita auctoritate nunciorum, per quos loquitur, quæ tanta est, vt faciat euidenter credibilem reuelationem, vt infra dicetur; voluit suum testimonium iureiurando confirmare, vt ex eo capite omnino præcluderetur nobis locus formidandi. 62 Hebr. 6.

Denique adducunt alij illud Ioan. 4. quod dicebant ad Samaritanã eius conciues: *Iam non credimus propter tuam loquelam: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Filius Dei.* Ex quo videtur colligi fidem, licèt priùs adiuuetur motiuis humanis, postea tamen elicere suum assensum independenter ab illis motiuis, & solum propter diuinum testimonium. Sed tamen hic locus parum vrget: nam illi homines solùm voluerunt ostendere mulieri, se iam non credere solùm ex illius relatione, sed propter signa, quæ ipsimet viderant, & propter verba, quæ audierant, vnde potius videntur referre assensum partialiter saltem in motiua, quæ viderant, & audierant. Omitto alia loca quæ affert Coninch in simili materia *disp. 9. dub. 3. num. 22.* quæ si attentè examinentur, magis loquuntur de Christo vt homine, quare potiùs retorqueri possent, cùm in testimoniũ Christi vt hominis referre videantur partialiter fidem. Quale est illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: & iterum: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Sanè enarrauit secundùm naturam humanam, vt constat. 63 Ioan. 4. Ioan. 1.

Secundò adducunt testimonia Patrum: quæ plura congerit Valentia *vbi suprà* §. 4. ij tamen solùm dicunt fidem nostram inniti auctoritate diuina, quod non negatur: an verò reuelatio Dei constet nobis auctoritate humana, non disputant. Solùm possent habere difficultatẽ verba Augustini tom 6. in lib. contra epist. fundamenti cap. 14 *Eos sequamur, qui nos inuitant priùs credere, quæ nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante, atque illuminante,* 64

te. Verùm ex hoc loco potiùs videtur colligi oppositum ; nam videtur ad minus concedere Augustinus, assensum fidei priùs firmari aliquo modo ab hominibus ; postea verò contingit sæpe quod ipsa fide instigante, tot rationes & congruentias inueniat intellectus per donũ & auxilium supernaturale, vt iam ferè ab humana propositione non pendeat ad suum assensum.

65 Tertiò arguunt ratione, in primis, quia fides nostra non est humana, sed diuina, ergo quia nititur solùm auctoritate diuina, & nullo modo humana. Respondetur facilè: esse diuinam multis de causis : scilicet, quia est præcipuè de Deo, vt videbimus disputatione sequenti ; item quia nititur præsertim auctoritate diuina ; item quia est ordinis diuini, & supernaturalis, in quo differt à fide acquisita, vt postea videbimus.

Fides nostra est diuina multis de causis.

Quartò obiiciunt, quia fides christiana est donum Dei, nec haberi potest viribus naturæ, vt volebat Pelagius, sed procedit ex Dei gratia; ergo non innititur prædicatione humana ; alioquin cũ hæc externa prædicatio naturaliter possit adhiberi, & ea posita naturaliter generetur species in audiẽte, naturaliter etiam posset generari assensus, qui in ea niteretur ; ergo si fides christiana naturaliter non habetur, sed ex dono Dei ; ideo est, quia præsupponit internam Dei illuminationem, cui innitatur, & non humanæ prædicationi. Ad hoc etiam facilè Respondetur non prouenire fidei supernaturalitatem ex motiuo quod habeat : nam circa idem motiuum potest forsitan versari assensus naturalis : prouenit ergo supernaturalitas ex natura ipsius assensus, qui in sua entitate habet proportionẽ cum fine supernaturali, de quo alibi. Adde assensum fidei licet partialiter niteretur prædicatione humana, potissimè tamen inniti auctoritate diuina, quod sufficeret ad supernaturalitatem assensus, si hæc ex motiuis prouenire deberet. Nec Augustinus aut Prosper contendentes fidem esse ex gratia Dei, probarunt hoc vnquam ex eo, quod niteretur in sola Dei auctoritate ; neque ex hoc capite redarguunt Cassianum, & Semipelagianos ; sed ex scriptura docente, fidem esse donum Dei ; & quia alias gratia non esset gratia cùm daretur propter opus liberi arbitrij : nunquam autem fuerũt soliciti reducere assensum fidei ad aliquod motiuum adæquatum diuinum vt constat ex lib. de prædestinatione Sanctorum, præsertim c. 6. & 8. & ex Prospero toto lib. contra Collatorem.

Fidei supernaturalitas. vnde prouenit?

66 Quintò obiiciunt, si assensus fidei niteretur partialiter auctoritate humana : ergo esset fallibilis: nam si est infallibilis, ideo est, quia habet pro obiecto formali auctoritatem diuinam infallibilem, ergo si respicit etiam humanam, quæ de se est fallibilis; fides etiam nostra erit fallibilis: non enim potest habere maiorem infallibilitatem, quàm motiuum in quo fundatur.

Hoc argumentum etiam in communi sententia videtur soluendum; nam licet assensus respiciat formaliter solam auctoritatẽ diuinam, adhuc esset fallibilis v g. si rusticus, cui Parochus proponit Patrem incarnatũ, assentiatur propter auctoritatem diuinam illi errori quem credit à Deo reuelatum : tunc planè ille assensus non respiceret formaliter auctoritatem humanam, sed diuinam, nam suppono, rusticum expresse dicere, se moueri, & assentiri solùm propter Deum, sicut quando credit vera fidei mysteria ; & tamen ille assensus est fallibilis, ergo etiam in communi sententia dicendum est, infallibilitatem fidei non prouenire solum ex eo, quod respiciat formaliter auctoritatem & reuelationem diuinam ; sed etiam ex eo quod talis reuelatio sit, re ipsa posita, nam licèt hoc non variet modum respiciendi obiectum formale, vt patet in misericordia, quæ eodem modo vult dare eleemosynam ad subleuandam miseriam fictam, sicut miseriam veram pauperis: cæterùm habitus infusus fidei christianæ postulat illam conditionem ex parte obiecti, vt possit prodire in actum, quod reuelatio sit posita re ipsa, vt infra videbimus.

Similiter ergo in hoc modo dicendi responderi posset infallibilitatem actus fidei non prouenire solùm ex eo, quod habeat pro obiecto formali adæquato auctoritatem, vel reuelationem Dei, sed ex eo, quod habeat illã pro obiecto formali saltem partiali, & quod postulet ex natura sua versari circa reuelationem re ipsâ positam & verè propositam : ita vt si aliquando contingat deceptio in modo proponendi, proponendo falsam pro vera, non possit fides elicere actum circa illud obiectum.

Dices: intellectus non potest assentiri conclusioni maiori certitudine, quàm principiis, propter quæ assentitur, ergo si mysterio Incarnationis assentitur propter testimonium hominum saltem partialiter ; non poterit firmiùs assentiri incarnationi, quàm hominum testimonio : huic autem non assentitur infallibiliter, & certò, quia videt esse fallibile: ergo nec incarnationi assentitur omninò certò, nisi assentiatur solùm propter diuinum testimonium infallibile. Respondeti posset concedendo primam consequentiam: negando tamen quod non assentiatur fidelis omninò certò reuelationi propositæ per humana motiua ; nam licèt ea motiua sint humana, sunt tamen talia, tantaque, vt possit voluntas prudenter imperare assensum sine formidine propter illa, iuxta illud vulgare dictum Richard. de S. Vict. 1 *de Trinit. cap.* 2. dicentis ad Deum : *Domine si error est, à te ipso decepti sumus :* & reddit statim rationem, non quidem, quia propter solam Dei auctoritatẽ credimus: sed *quia ipsa* (inquit) *tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possint.* Ecce Richardus ad ipsa signa externa reducit partialiter assensum sine formidine exhibitum, & ad motiua humana, quæ etiam in communi sententia, licèt non appellentur ratio formalis, sed motiua extrinseca ad assentiendum, mouent tamen sufficienter in suo genere ad imperandum prudenter assensum sine formidine, quia tanti ponderis sunt, vt licèt non reddant euidens obiectum reuelatum ; euidenter tamen suadent non esse prudenter formidandum de veritate illius obiecti, sed posse prudẽter credi sine formidine. Similiter ergo dici potest, ea motiua, licet non suadeant euidenter reuelationem factam esse, suadere tamen euidenter posse prudẽter credi propter ipsa motiua reuelationem factam esse omnimoda certitudine & adhæsione firma ex parte intellectus.

Vrgebis adhuc, motiua illa humana sæpè fallunt, vt patet in rustico, qui mouetur ex prædicatione Parochi, à quo sæpè fallitur, ergo non potest prudenter moueri ad credendum sine formidine propter illa motiua, sed propter solã reuelationem Dei, quæ non potest fallere. Respondeo, hoc etiam argumentum procedere in sententia communi ; in qua, licèt prædicatio non sit ratio

ratio formalis, est tamen motiuum reddens euidenter, & prudenter credibile mysterium sine formidine: restat ergo in præsenti eadem difficultas, quomodo motiuum illud, quod sæpè fallit rusticum, sit sufficiens, vt prudenter suadeat credi debere mysterium sine formidine? Cui difficultati fiet satis posteà cùm agemus de iudicio credibilitatis, quod prærequiritur ad fidem. Pronunc sufficit, quod doctrina tradita habeat locũ per se loquendo, quando motiua nostræ fidei sufficienter proponuntur: tunc enim nullo casu fallunt. An verò illa prædicatio Parochi sit sufficiens motiuum respectu rustici, vt ille pro suo captu prudenter iudicet, debere credi illud mysterium sine formidine, dicemus prædicto loco: est enim difficultas communis in omni sententia, vt dixi.

69 Sextò obiiciunt, quia fides christiana tota deperditur per hæresim contra vnum articulum: fides autem, quæ nititur auctoritate humana, non amittitur tota per hæresim contra vnum articulum, vt patet experientia: nam hæreticus errans in vno, firmiter retinet alios, ergo fides, quæ nititur auctoritate humana, non est christiana fides, sed alia longè diuersa. Hoc argumentum parum vrget: Responderi enim posset, ideò hæreticum errantem in vno non posse credere alia per fidem christianam, quia ratio formalis eadem est in omnibus, scilicet authoritas Dei, & talis vel talis propositio reuelationis per Ecclesiam, quæ reddat illam euidenter credibilem; cùm autem detur æqualis propositio Ecclesiæ circa reuelationem respectu omnium articulorum eo ipso quod amplectatur vnum articulum propter illam rationem formalem, tenetur amplecti omnes sub eadem ratione formali: hæreticus verò, licèt retineat aliquos articulos: non tamen retinet eos præcisè propter rationem formalem fidei, sed propter aliam rationem ex suo cerebro inuẽtam scilicet quia sibi videntur minùs rationi dissentanei, & magis conformes suo captiui; alioq; eos crederet propter propositionem Ecclesiæ, cur non credit alios propter eandem propositionem? de hoc tamen agemus ex professo *disp.* 17. vbi videbimus, an hæc doctrina in vniuersum vera sit; nam eadem est difficultas, etiamsi propositionem externam non dicas rationem formalem, sed merum motiuum.

70 Septimò obiiciunt, quia si fidei assensus niteretur partialiter testimonio hominum, ergo si homines contrarium docerent, deberet fidelis variare assensum: hoc autem est contra Paulum ad Galat. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cælo Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico*, &c. vbi videtur Paulus velle, Galatas ita adhærere mysteriis fidei propter solam Dei auctoritatem, vt licèt ipse Paulus, & omnes creaturæ, contrarium testificarentur, non recederent à fide. Cæterùm hoc argumentum nimium probat; nam pariter vrget contra sententiam communem, quę propositionem, & rationes creatas concedit esse motiua ad prudenter volendum credere; ergo deficientibus illis motiuis, deficeret prudens voluntas credendi, sine qua non potest elici fidei assensus, vt infrà videbimus. Hæc autem motiua non solùm exiguntur ad fidem primò generãdam sed etiam ad conseruandam, vt constat ex Augustino lib. contra Epist. fundamenti c. 4 *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia consensus omnium populorum; tenet me veritas miraculorum*, vbi apertè loquitur de conseruatione, seu de perseuerantia in fide, ad quam etiam exigit perseuerantiam motiuorum: idem apertè c. 5 *Infirmata Catholicorum auctoritate, iam nec Euangelio credere potero; quia per eos illi credideram.* Et ratio est manifesta, quia intellectus in conseruatione etiam actus fidei pendet à pia affectione voluntatis imperantis assensum: voluntas autem pendet à prudenti propositione eiusdem intellectus dictantis propter motiua illa, obiectum esse prudenter credibile, ergo de primo ad vltimum, ablatis motiuis humanis, non potest perseuerare fides, & per consequens fidelis non credit etiam extendendo suam voluntatem ad casum, quo motiua nõ ita se habuissent: quis enim dicat rusticum audientem à Parocho, verbum incarnatum, & credentem; paratum esse velle credere etiamsi parochus retractet suum dictum, & fateatur se deceptum, cùm oppositum doceat perpetua experientia?

71 Omnes ergo debemus obiectioni respondere & dicere, Paulum meritò reprehendere Galatas, qui leuitate animi à fide discesserant, quam ab ipso Paulo acceperant, tot tantisque motiuis, ac miraculis comprobatam, vt licèt ipse Paulus, vel Angelus Dei (quod impossibile esset) contrarium doceret, adhuc suppeterent sufficientissimè motiua ad persistendum in fide, nec hoc derogat firmæ adhæsioni, quia motiua, quæ regulariter antecedunt ad fidem, talia sunt, vt prudenter homo iudicet obiectum credibile sine formidine; quia nulla potest esse formido prudens, quod motiua illa possint variari, aut deficere. Quomodo autẽ rusticus habeat talia motiua, quẽ mouet Parochi dictum; pendet ex alia quæstione communi, quomodo rusticus habeat iudicium prudens credibilitatis, quam quæstionem iam remisimus ad suum locum, quia difficultas communis est omni sententiæ.

72 Octauo obiici potest, ex hac sententia sequi, fidem Christianam non esse virtutem Theologicã: si quidẽ habet pro obiecto formali aliquid creatum scilicet testimonium, & rationem humanã: virtus autem Theologica formaliter respicit aliquid diuinum, & per hoc differt ab aliis, quæ nõ sunt theologicæ. Respõdetur, ad virtutem Theologicam requiri quidem quod attingat formaliter Deum, & non solùm vt obiectum materiale, sed vt formale. Cæterum non requiritur, quod obiectum formale adæquatum sit diuinum: nam licet testimonia humana nõ sit ratio formalis fidie, adhuc debes fateri, reuelationem diuinã intrare rationem formalem; & tamen hæc reuelatio est aliquid creatum. Item licèt obiectum formale charitatis sit bonitas diuina; adhuc censeo, respicere formaliter bona creata, quæ charitas vult Deo, quia bona sunt, sicut homo vult sibi sanitatem, quia bona est, de quo aliàs. Pro nunc dico, fidem respicere formaliter primam veritatem diuinam, tanquam rationem formalem potissimam, quæ licet non sit totalis, non obest quominus fides dicatur pleno ore virtus Theologica.

Hæc pro illa sententia afferri possunt ad soluenda argumenta, quæ contra illam communiter fiunt: cuiuscumque tamen sententia illa fuerit, probanda nobis non est, Tum quia negari non potest, quod sit contra communem sensum Theologorum præsertim Recentiorũ, qui omnes eam reiiciunt; Tum etiam quia resoluendum fidem nostram saltem partialiter in auctoritatem

73 *Reprobatur illa sententia.*

humanum tanquam in motiuum vltimum, propter quod credimus Deum reuelasse incarnationem, necesse saltem est, quod fides nostra non sit adæquatè fides diuina, nec credat propter solum testimonium, & auctoritatem Dei, sed solum partialiter propter auctoritatem Dei, & partialiter propter auctoritatem humanam, cùm sola auctoritas, & testimonium Dei nobis non sufficiat ex parte motiui ad credendum, nisi concurrat simul partialiter ex parte motiui auctoritas humana. Quare ea, quæ credimus, non credimus solum propter Dei testimonium, nec fides sola diuina, seu debita Deo sufficit nobis ad credẽdum. Consequens autem non videtur admittendum; quia sicut de mysterio Eucharistiæ canit Ecclesia, sic etiam de mysteriis aliis dicere posset, quòd ad ea firmiter credenda, *sola fides sufficit*, nempe sola fides diuina, de qua ibi est sermo; vnde de omnibus mysteriis fidei dixit Augustinus lib. contra epist. fundamenti cap. 14. *quod ea credimus non hominibus, sed ipsi Deo animã nostram firmanti & illuminanti*, imò in iis etiam, quæ Christus ipse vt homo Apostolos suos docuerat, fidei assensus non nisi ad auctoritatem solius Dei refertur vltimo ab ipso Christo, Ioan. 12. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* & cap. 2. *Doctrina mea non est mea*, & Matth. 11. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.* Debemus ergo obiectum formale fidei diuinæ tale assignare, vt vltimò resoluatur fides in auctoritatem solam Dei reuelantis, & vt dicere possimus verè, nos credere soli Deo, & propter solam auctoritatem, & testimonium Dei: quod dicere non possemus, si deberet concurrere partialiter vt motiuum intrinsecum vltimum nostræ fidei auctoritas humana. Videamus ergo, quomodo resoluenda sit fides nostra in hoc solum motiuum diuinum, & in primis, quomodo resoluatur in veracitatem Dei, in quo non est tanta difficultas, & postea quomodo resoluatur etiam semper in testimonium diuinum, in quo est punctus difficultatis præcipuæ.

Ioan. 12. & 2. Matt. 11.

SECTIO VI.

Proponitur verior sententia circa resolutionem vltimam fidei, & primùm quomodo resoluatur in veracitatem Dei.

74

Assensus mediatus est discursiuus siue formaliter siue virtualiter.

ANtequam nostram sententiam aperiamus, obseruandum est primò ex *lib. de anima*, omnem assẽsum mediatum seu quo vni obiecto assentimur propter aliud, esse discursiuum siue formaliter, siue virtualiter. Discursus formalis appellatur, quando ex præmissis realiter distinctis infertur realiter actus conclusionis per realem illationem vnius ex alio: vt cum dico *Omnis homo est animal; Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Discursus verò virtualis est, quando vnico actu attingitur obiectum conclusionis & præmissarum, inferendo vnum ex alio, vt si vnico actu dicas: *Petrus est animal quia est homo* in vtroque autem casu assensus conclusionis habet pro ratione formali obiectum principij, siue realiter distincti, siue solùm virtualiter. An verò assensus conclusionis intrinsecè terminetur ad obiectum principiorum: an verò solùm extrinsecè ob ea determinetur. quæstio est quam tractaui etiam in lib. de anima: vbi docui assensum conclusionis semper terminari intrinsecè ad obiecta præmissarum, siue detur discursus virtualis, siue etiam formalis; nam sicut omnis electio medij attingit intrinsecè bonitatẽ finis, propter quem eligitur medium: ita omnis conclusio attingere etiam debet intrinsecè veritatem principij, propter quod assentitur obiecto conclusionis. Cæterùm in præsenti quæstione parum refert, vtro modo opineris in hac controuersia, nam in omni sententia debes dicere conclusionem respicere siue intrinsecè, siue extrinsecè veritatem principij, propter quam assentitur tanquam rationem formalem assentiendi.

Obseruandum secundò, in omni discursu siue formali, siue virtuali debere interuenire explicitè, vel implicitè duo principia, ex quibus infertur obiectum conclusionis; nam licèt in argumentatione vocali sæpius vtamur enthimemate; supplendo breuitatis causa vnam præmissam: cæterùm in argumentatione mẽtali, vbi intellectus ex veritate principiorum conuincitur, vel mouetur ad assentiendum conclusioni, necesse est interuenire vtramque præmissam saltem implicitè: quia omnis bona illatio fundatur in cõnexione medij cum vtrâq; extremitate, ergo debet præcognosci connexio medij cum duobus extremis, ante cognitionem connexionis extremorum inter se. Dixi tamen, hanc duplicem cognitionem interuenire saltem implicitè: quia quandoque contingit, principium aliquod ita esse per se notũ, vt magis videatur supponi ab intellectu, quàm exprimi, vt si dicas *maius est cubiculum quàm domus, quia est pars domus*: videtur sanè colligi conclusio ex vnico principio scilicet, quia cubiculum est pars: sed reuera suppletur aliud principium: *totum est maius sua parte*: quod quia est valde notum, continetur ibi valdè implicitè adeo vt vix videatur haberi notitia actualis illius; nam licèt reuera adsit actu aliqua notitia, est tamen adeo tenuis, vt vix possit percipi, nisi cum maxima reflexione.

In omni discursu debent interuenire duo principia.

Hinc infero, si quidem assensus fidei, quo credimus incarnationem, est assensus mediatus, & continet illationem, & discursum, vel formalem vel solùm virtualem (de quo infrà disputabimus) quando quærimus rationem formalem huius assensus; idem esse, ac inquirere principia obiectiua, ex quibus infertur per fidem mysterij incarnationis: nec posse nos inquirere, quæ sit ratio formalis huius assẽsus, quasi illa sit vnica, & simplex obiectiuè; sed debere inquirere, quæ sint rationes formales, seu præmissæ, ex quibus implicitè, vel explicitè infertur assensus incarnationis: quodcunque enim principium vnicum assignaueris, non erit sufficiens, per se ad inferendam incarnationem, nisi aliud principium subsumas: nam si dicas: *Deus est summa veritas*: non infers benè: *ergo verbum carnem assumpsit*: nisi subsumas: *Deus hoc reuelauit*. & è contra, licèt dicas: *Deus hoc reuelauit*: non infers benè ita esse, nisi supleatur alia cognitio, qua dicas: Deum esse summam veritatem, seu eius reuelationem esse infallibilem; vt notauit benè P. Vaquez 1. tom. in 1. part. disp. 5. num. 5. Videatur etiam Suarez in præsenti disp. 3. sect. 2.

76

Assensus mediatus non est formaliter nec virtualiter vnicus.

77

Assensus per quam disscursus.

His suppositis, facilè erit iam assignare rationem formalem obiectiuam fidei: nam si benè attendamus, assensus fidei fit per hunc discursũ siue formalem, siue virtualem (de quo infrà)

Reuelatio

Reuelatio diuina fallere non potest: Deus autem reuelauit verbum esse hominem; ergo verbum est homo: quæ omnia vnico actu possunt attingi si dicas: *Verbum est homo, quia Deus reuelauit, & reuelatio Dei infallibilis est.* Ecce vtrumque principium formale proximum, cui formaliter, vel virtualiter innititur fidei assensus. Restat nunc difficultas in examinando vtroque illo principio, an quodlibet illorum sit immediatum, & per se notum, an verò mediatum, & cui propter alia principia assentiamur, vt sic tandem veniamus ad prima principia, in quæ vltimo resoluitur fides assensus. In hac ergo sectione examinabimus naturam illius prioris propositionis: *reuelatio diuina fallere non potest*: in sectione verò sequenti examinabimus alteram: scilicet, *Deus hoc reuelauit*, vt sic per singulas partes seorsim fidei resolutio clarior fiat.

78 Illa igitur prior propositio, qua dicimus reuelationem diuinam esse infallibilem, æquiualet omnino huic. *Deus est summè verax*, seu *Deus est prima veritas* pro quo aduerte, nomine *primæ veritatis* in præsenti non intelligi primam veritatem in essendo, seu veritatem transcendentalem communem omnibus entibus, vt aliqui intellexerunt, sed primam veritatem in cognoscendo & in dicendo; scilicet perfectionem illam diuinæ sapientiæ, qua Deus habet à se non posse vlla ratione falli in cognitione obiecti & alteram perfectionem ex parte voluntatis, qua Deus habet non posse mentiri, nec dicere oppositum illius quod cognoscit: totum hoc includitur in illa propositione: *Deus est prima & summa veritas.*

79 Pro quo aduerte iterum varias referri Doctorum sententias in assignando hoc attributo diuino, quod respicit formaliter fides. Aliqui enim dicunt, esse supremum dominium Dei, ideoque nos credere Deo, quia Dominus est: quod P. Suarez *disp. 3. sect. 4. num. 3.* tribuit Guillelmo Patisiensi; sed reiicitur ab omnibus meritò: nam fides intellectualis, de qua nunc loquimur, & non de pia voluntate credendi, non habet pro motiuo, nisi id quod suadeat veritatem obiecti credendi: dominium autem Dei, licet suadeat bonitatem obediendi, & credendi, & ideò mouere possit voluntatem, non tamen suadet veritatem obiecti reuelati.

Alij ergo dicunt, motiuum esse primam Dei veritatem in cognoscendo, hoc est, summam Dei sapientiam, quam nihil latet, & quæ falli non potest. Alij è contra dicunt, esse veritatem Dei in loquendo, seu summam veracitatem Dei, qui mentiri non potest. Authores vtriusque partis vide apud Suarez *dict. sect. 4.* qui tamen *n. 7.* cum aliis optime docet, nomine primæ veritatis diuinæ, quâ fides habet pro motiuo, intelligi vtramque perfectionem Dei, tam quæ pertinet ad sapientiam, quæ falli non potest, quàm quæ pertinet ad veracitatem, qua non potest mentiri, aut decipere; altera enim sine altera non sufficeret, si aut Deus ipse decipi posset, aut decipere, quod docent etiam alij communiter, Coninch *disp. 9. dub. 3. num. 24.* Granado *tract. 1. disp. 2. num. 2. & 8.* Hurtadus *disp. 6. sect. 2. & 3.* & alij passim.

80 Dices primò, veracitas est virtus inclinans ad dicendum id, quod verum iudicamus: ergo veracitas sola diuina est sufficiens motiuum: qui enim credit Deum esse veracem, credit, quidquid Deus loquitur, esse iuxta iudicium diuinũ. ergo credit esse verum, cùm iudicium diuinum non possit assentiri falso. Respondetur, veracitatem sub concepta veracitatis connotare quidem assensum loquentis, non tamen explicare, an ille assensus sit infallibilis: Si autem velis motiuum fidei nostræ esse veracitatem Dei connotantem assensum Dei non potentis falli, iam explicas infinitam sapientiam Dei, & parum refert, quod explices in recto vel in obliquo: vtroque enim modo mouere poterit ad credendum obiectum reuelatum.

Dices secundò, veracitas ipsa Dei est obiectum reuelatum à Deo, & creditur propter motiuum fidei, ergo ipsa non est motiuum fidei. Ad hoc constabit postea, & explicabimus, quomodo ipsa veracitas possit mouere ad credendam veracitatem. Nunc aduerto, parum referre an æquè moueat veracitas, & sapientia infinita Dei ad assensum fidei, de quo Hurtadus *disp. 6. sect. 1. §. 15.* qui benè respondet vtramque Dei perfectionem æquè requiri, & æquè mouere ad credendum Deo, cùm altera deficiente æquè nutaret nostra fides.

81 Hoc ergo supposito, quæstio est, an assensus circa veritatem Dei in dicendo, & in cognoscendo, sit immediatus, vel mediatus, itaut debeat resolui in aliud motiuum. Quæstio autem potest esse duplex. Prima, an prima veritas debeat supponi credita per ipsam fidem, & per consequens debeat resolui in testimonium Dei dicẽtis, se esse primam veritatem. Secunda quæstio esse potest, an debeat saltem resolui in aliud medium per quod cognoscimus hanc perfectionẽ Dei, an verò immediatè, & ex ipsis terminis cognoscatur.

Assensus circa veritatem Dei in dicendo, & in cognoscendo an sit immediatus, vel mediatus.

Quoad primam quæstionem prima sententia est, primam Dei veritatem debere ante assensum fidei præsupponi cognitam per lumen naturæ. Pro hac sententia P. Suarez *disp. 3. sect. 6. num. 2.* affert Altisiodorensem *lib. 3 summæ tract. 3. c. 2. quæst. 1.* & fauet Caiet. *in cap. 11. epist. ad Hebr.* dicens, non esse necessarium credere per fidem Deum esse ad credenda alia de Deo, & hac *q. 1. art 1.* dicens, fideles non differre ab infidelibus in assentiendo vera esse, quæ Deus dicit, sed in assentiendo, quod hæc dicta sint à Deo. Fauet etiã P. Coninch *disp. 9 dub. 4 num. 42.* vbi id tandem videtur reducere ad notitiam, quam lumine naturæ habemus de Deo, his verbis. *Cùm itaque naturæ lumine nobis certò constet, Deum esse summe sapientem, & bonum, ita vt ipsius naturæ repugnet aut falli, aut fallere, meritò ei de se testanti se ita esse veracem, vt omnino implicet ipsum mentiri, credimus, & quidem assensu firmiori quouis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere*, &c. Fundamentum huius sententiæ est, quia assensus mysterij reuelati debet resolui, vt sæpè diximus, in aliqua principia, in quibus intellectus vltimò sistat, ne detur processus in infinitum: ergo qua parte resoluitur in auctoritatem, & veritatem Dei, debet hæc Dei summa auctoritas cognosci al unde, quàm ex reuelatione, alioquin hic ipse assensus resolui deberet rursus in veracitatem Dei dicentis, se esse veracem: debet ergo veracitas Dei aliunde cognosci, quàm per ipsam fidem, vt possit mouere ad credendum Deo.

82 Secunda sententia contraria docet, primam Dei veritatem prout mouet ad credenda mysteria, debere cognosci, & credi per ipsam fidem, & quia Deus reuelat suam veracitatem. Ita eum aliis,

aliis P. Suarez *dict. disput. 3 sect. 6. num. 4.* qui *n. 8.* fatetur, hoc esse magnum fidei mysterium, quod fides, licet non videat clare obiectum, neque res creditas, nihilominus non accipiat obiectum suum vt in illo per se nitatur tanquam cognitum per aliud lumen, sed sua virtute, & efficacia credat illud: quod variis modis explicare, & suadere conatur.

Ego existimo assensum illum de summa Dei auctoritate, qui ad credenda mysteria reuelata deseruit, debere quidem esse supernaturalem, & elicitum ab eodem habitu fidei infusæ, in quo cum secunda sententia conuenio: nego tamen debere, aut posse esse propter reuelationem talis obiecti, sed debere supremam Dei auctoritatem aliunde cognosci, vt possit ad credenda alia propter reuelationem mouere: in quo primæ sententiæ consentio, quod quidem vtrumque olim docui, & postea amplexus est P. Hurtado *disp. 7. sect. 6. §. 90.* licèt in aliquo à nobis dissenserit, vt postea dicam.

Prima Dei veritas debet aliunde cognosci, quàm ex sola reuelatione, vt possit ad aliorum articulorum assensum mouere.

Porrò primam Dei veritatem debere aliunde cognosci, quàm ex sola reuelatione, vt possit ad aliorum articulorum assensum mouere, ex eo probari videtur, quia alioquin incidimus in circulum inexplicabilem: nam si incarnationem credis, quia Deus est summè verax, & id reuelauit, & rursum Deum esse summè veracem credis, quia Deus id de se reuelauit, quæro, cur credas Deo dicenti, se esse summè veracem? Dicis, quia Deus est summè verax: Ecce Deo dicenti credis summam eius veracitatem, quia ipse est summè verax, & rursus hoc totum credis, quia Deus dicit, se esse summè veracem: quod quantumcunque explicetur, totum est ludere verbis, cùm nunquam reducatur assensus ad aliquem assensum immediatum alicuius obiecti, cui non propter aliud sed propter se ipsum assentiamur, quod tamen in omni assensu intellectuali necessarium esse suprà ostendimus.

83 Confirmatque potest; nam licet non esset reuelatum in particulari Deum esse primam veritatem, adhuc possent reuelari alia mysteria, & credi per fidem: imo ad assentiendum, quod Deus sit prima veritas parum iuuant miracula in confirmationem fidei patrata; hæc enim solùm testantur Deum reuelare mysteria fidei; non verò esse veracem: finge namque Deum esse mendacem; adhuc posset operari miracula ad captandam sibi fidem apud homines. Quod ergo Deus sit prima veritas, habetur independenter à reuelatione, sicut cognoscitur etiam Deum esse iustum, bonum, sanctum &c. quare, qui de hac veritate dubitaret, non posset ex vi miraculorum ad fidem allici, sed deberet prius ratione, vel alia via de suo errore conuinci, vt bene docuit Altisiodor. *dicto lib. 3. summæ tract. 3. c. 2. q. 1.* licet malè indicet illam esse debere cognitionem naturalem, & in hoc fortasse sensu dixit Caiet. *in præsentiar. 1.* fideles non differre per se ab infidelibus in assentiendo vera esse, quæ dicit Deus sed in hoc quod fideles credunt hæc esse dicta à Deo, quod infideles non credunt. Idem debent supponere omnes, qui negant posse simul esse scientiam & fidem de eodem obiecto; nam qui euidenter scit Deum esse veracem, non potest simul habere cognitionem obscuram de eadem veracitate Dei. Vnde S. Thom. *in præsenti q. 1. art. 5. ad 3.* apertè fatetur de iis, quæ præexiguntur ad credenda reuelata non esse propriè fidem apud omnes, & tamen simul potest ille Philosophus credere alia mysteria, ergo tunc non fundat fidem in veracitate Dei obscure cognita, sed in eadem euidenter cognita per eundem actum supernaturalem, quo credit mysterium reuelatum. Denique idem videtur supponere Coninch. *in præsenti disp. 9. n. 42.* vbi de assensu circa veracitatē Dei post tentatas alias vias sic cōcludit. *Cùm itaque naturæ lumen nobis certo constet Deum esse summè sapientem, & bonum, itaut ipsius naturæ repugnet, aut falli aut fallere, merito ei de se testanti, se ita esse veracem, vt omnino implicet ipsum mentiri credimus, & quidem assensu firmiore quouis alio, quem ob rationes naturales possumus elicere, quia fides est quauis scientia naturali certior.* in quibus verbis non videtur excludere notitiam, quam de veracitate Dei habemus, sed eam videtur postea eleuare per habitum fidei, vt certior, & firmior fiat.

Addo vlteriùs, hunc assensum circa summam Dei auctoritatem aliquando esse euidentem: multi enim de hoc obiecto euidentiam habent: quod etiam amplexus est Hurtado *dicta sect. 6.* An verò sit mediatus, quatenus saltem hanc Dei perfectionē colligit ex aliquo alio medio præter reuelationem. Aliqui dicunt, colligi ex deitate ex qua prouenit attributū infallibilitatis diuinæ in cognoscendo, & veracitas summa in loquendo, atque ideò deitatem esse vltimum, in quod ex hac parte resoluitur nostra fides tanquam in motiuum formale vltimum, credimus enim Deo, quia est summa veritas, & credimus esse summam veritatem, quia est Deus. ita Aureolus *apud Caprellum in 3. disp. 24. art. 2. circa finem.* Huius autem argumenti vim non effugiunt qui dicunt scientiam infinitam Dei non distingui ab eius essentia etiam ratione ratiocinata, vt bene obseruauit Hurtadus *disp. 6. sect. 4. n. 38.* quia saltem veracitas Dei, quæ pertinet ad voluntatem distinguitur ratione, atque etiam virtualiter ab essentia, & intellectione, quare iam motiuum vltimum fidei non erit auctoritas Dei quatenus includit veracitatem, sed sola deitas.

Respondet Suarez *disp. 3. sect. 4. n. 8.* deitatem, licèt re ipsa sit ratio, cur Deus sit prima veritas, hanc tamen rationem non considerari à fide: sicut licèt paries sit coloratus eo quod habeat mixtionem quatuor qualitatum, visus tamen fistit in ratione coloris, & non considerat mixtionem illam qualitarum. Hæc solutio non satisfacit, nec exemplum videtur satis ad rem, quia intellectus, vt vidimus, non potest assentiri alicui obiecto nisi vel immediatè ex connexione terminorum, vel mediatè propter aliud: ergo quando intellectus iudicat Deum esse summe veracem, vel hoc habet ex ipsis terminis, vel debet recurrere ad deitatem tanquam ad rationem propter quam iudicat Deum esse veracem: si ergo deitas à parte rei est ratio, cur Deus sit infinitè verax, illa etiam debet esse ratio assentiendi veracitati; intellectus enim non videt veracitatem in se, sed neque est connexio immediata inter terminos, quia per te Deitas est ratio coniungendi illos duos terminos à parte rei, ergo intellectus non potest illi propositioni assentire ex connexione immediata. Vnde apparet, exemplum visus & coloris non satisfacere; quia visus tendit immediatè in colorem, quare licet color habeat aliam causam sui, non oportet eam attingi à potentia visiua: at verò intellectus non videt veracitatem Dei in se, nec per

per te agnoscit connexionem immediatam inter ipsam & Deum, ergo debet agnoscere mediatam, & per consequens debet assentiri vltimò propter deitatem, quæ est ratio veracitatis.

Aliter respondet Hurtadus, qui relatis & impugnatis aliorum solutionibus, tandem *dict. sect.* 4 §. 41. *& sequentibus* dicit, assensum illum esse supernaturalem, & immediatum absque alio medio, aut motiuo, quod respiciat. Pro quo supponit id, quod dixerat *sect.* 3. intellectum nostrum, quando assentitur conclusioni alicui propter medium, vel præmissas, licet prima vice non possit assentiri, nisi mediatè propter præmissas; postea tamen relinqui ex hoc assensu in intellectu speciem repræsentantem immediate obiectum conclusionis, qua specie postea sine vlla prorsus memoria præmissarum, possit cognoscere obiectum conclusionis, & ei assentiri immediatè. Quamuis ergo intellectus prima vice assensum præbuerit, & deduxerit veracitatem Dei ex infinita eius perfectione, & deitate; postea tamen remanet iam species immediatè repræsentans ipsam veracitatem, itaut hac specie sine memoria discursus, aut medij præcedentis, possit intellectus iudicare, Deum esse summè veracem. Postea verò, quando eliciendus est actus fidei, Deus loco illius speciei naturalis infundit aliam supernaturalem repræsentantem veracitatem Dei eodem modo, quo repræsentabat species naturalis relicta ex primo discursu; qua specie vtitur habitus fidei ad eliciendum assensum supernaturalem immediatum circa veracitatem Dei similem assensui naturali, quem cum specie illa naturali potuisset elicere intellectus. Hæc est Hurtadi sententia, quam latiùs probauerat *sect.* 3 ad probandam fidem non cognoscere veracitatem Dei ex creaturis, licèt prima vice intellectus non potuerit illam cognoscere, nisi per discursum ex creaturis deductum, sicut nec ipsam Dei existentiam, vel cæteras Dei perfectiones quas tamen postea immediatè cognoscit per speciem ex primo discursu relictam.

87 Hæc doctrina difficilis semper mihi visa est, nec credo, obiectum illud, cuius veritatem non nisi per aliud medium assequi possumus, posse postea terminare assensum immediatũ, nisi eius veritas nobis meliùs in se ipsa appareat, vel per intuitionem, vel per meliorem penetrationem terminorum, quos prius non ita bene penetrabamus. Quod probari potest primo exemplo voluntatis, quod rem hanc optimè declarat, & deseruit ad soluenda argumenta illius Auctoris, vt postea videbimus. Nam obiectum illud, quod, quia in ipso non apparet bonitas absoluta, non possumus amare sistendo in ipso, sed amamus prima vice, & eligimus solùm vt medium vtile ad aliquem finem, quem amamus propter se; illud inquam, obiectum, quantumuis sæpius amemus, nunquam postea poterimus amare propter se, sed semper saltem implicitè amamus propter finem. Sic qui assuetus est sumere medicinam amaram propter sanitatem, quamuis postea non recordetur explicitè sanitatis, quãdo medicinam illam quærit, vel emit; semper tamen operatur ex illo desiderio sanitatis, quàm implicite, & in confuso amat, & à qua mouetur, cum non magis postea quam antea inueniat in medicina bonitatem absolutam, quam amet propter ipsam sistendo in illa. Sic operarius, qui eligit laborem diurnum propter mercedem ad sustentandam familiam, licet quando actu laborat, non videatur recordari familiæ sustentandæ, sed illius operis, in quo laborat: semper tamen habet implicitè, & in confuso finem illum primum præ oculis, cum illo secluso, non appareat in ipso labore bonitas propter se appetibilis: ideóque si ex charitate erga Deum, vel proximos laborem eligit, meretur continuò per totum diem, dum alium finem suo labori non apponit, quia semper operatur propter illum finem honestum, quam saltem in confuso præ oculis habet. Similiter ergo intellectus, qui non potest assentiri vnquam obiecto, nisi apparenti vt vero, non poterit ei assentiri, nisi appareat verum in se, vel in alio; alioquin vt sæpe diximus, posset ex imperio voluntatis credere, quod sidera sint paria, absque vllo fundamento. Cùm ergo obiectum conclusionis non appareat verum in se, & ex terminis, nec illi præstitus fuerit assensus, nisi quia eius veritas apparuit in medio; non potest postea intellectus ei aliter assentiri, nisi denuò eius veritas incipiat in se ipsa apparere.

Quod probare potest rursus secundò ad homi- 88
nem contra illum Auctorem: quia sicut auctoritas Dei ex specie semel relicta potest cognosci, & credi sine memoria sui motiui, & omnis conclusio sine memoria præmissarum; ita in eius sententia ex assensu primo circa Trinitatem propter auctoritatem Dei reuelantis relinquitur species Trinitatis, qua cognosci & credi possit Trinitas sine vlla memoria reuelationis, qui actus posteriores circa Trinitatem adhuc erunt veri actus fidei, sicut primus, vt tandem faretur idem Hurtadus *disp.* 8. *sect.* 4. & meritò, quia alioquin fere nunquam eliceremus actus fidei, si solus primus assensus, & non alij essent actus fidei. Ex hoc autem arguere possumus: quia omnes actus fidei circa mysteria reuelata debent habere motiuum fidei, nempe veracitatem Dei, sicut omnes actus charitatis debent habere motiuũ charitatis: alioquin actus illi non erunt Theologi, si non habent aliquod obiectum formale diuinum, quale non habebunt actus, quibus credimus mortem omnium filiorum Adæ, carnis resurrectionem, & alia similia, nisi tendant in veracitatem Dei, quæ est aliquid diuinum. Et quidem non bene audiret apud Theologos, qui diceret, fideles, quando communiter credunt hæc mysteria, non moueri ab auctoritate Dei ad ea credenda ex hoc enim videtur manifestè sequi, quod quando recitamus symbolum, vel facimus fidei professionem, credimus quidem hos articulos, sed non credimus Deo: non enim credit Petro, qui eius auctoritate, & testimonio non mouetur ad credẽdum id, quod dicit Petrus. Si ergo ad hos actus authoritas Dei solum concurrit extrinsece, & remotè, quatenus genuit speciem, quæ postea repræsentat hæc obiecta, non tamen innitendo in Dei auctoritate, non credimus nunc Deo, in exercitio horum actuum. Sicut ergo verissimè postea etiam credimus Deo, dum eandem fidem retinemus, & profitemur, neque id negari potest; sic fatendum est, quod postea etiam, & semper mouemur eodem motiuo diuinæ auctoritatis. Idem ergo dicendum est de assensu circa ipsam veracitatem Dei, si eum habuimus ex motiuo deitatis, nec postea magis apparet ex terminis veritas eiusdem veracitatis.

Denique ratio à priori est, quia vt sæpe dixi- 89
mus, intellectus ita propendet esse talitèr in verum, vt non possit etiam diuinitùs tendere per assen

assensum in obiectum, nisi appareat verum; nec potest apparere tale, nisi vel proponatur intuitiuè, vel ex connexione terminorum appareat veritas, vel saltem appareat connexio eius cum alio obiecto vero, quod appareat, vel intuitiuè, vel ex connexione terminorum. Trinitas autem nobis nec apparet intuitiuè, nec etiam ex connexione terminorum, vt constat: quare non possumus aliter ei assentiri, nisi eius veritas appareat connexa cum alio obiecto vero, & ideo indigemus auctoritate, & testimonio Dei, cum quo Trinitatis veritas connexionem habeat: ex eo autem, quod semel Trinitatem credideris propter auctoritatem Dei reuelantis, non magis apparet postea veritas Trinitatis, vel intuitiuè, vel ex connexione terminorum, quam antea, ergo non minus indiges postea connexione Trinitatis cum alio medio ad ei assentiendum, cùm secundùm se semper remaneat veritas illa æquè ignota, nisi per lumen aliud manifestetur, quale est lumen extrinsecum reuelationis diuinæ.

90 Multa affert Hurtadus ad persuadendam suam sententiam, quæ ex dictis facilè dissoluuntur: primò arguit ab experientia, qua doctrinam hanc se fatetur didicisse, experimur enim nos initio indigere discursu, meditatione, ponderatione motiuorum, regularum, argumentorum ad imbibendam nobis conclusionem, siue speculatiuam, siue etiam practicam: postea tamen facile ipsi conclusioni semel imbibitæ assentiri absque alio discursu, & hoc propter speciem sui, quam reliquit obiectum cõclusionis. Sic Mathematicus ad singulas demonstrationes denuò comparandas oportet, quod euoluat, & applicet multa, & abstrusa principia: postea verò centum conclusiones demonstratas applicat ad probandum aliquid aliud, absque eo quod meminerit principiorum omnium, quibus illas alias demonstrationes confecit. Sic grammaticus initio ad scribendum sine errore, passim & accuratè singulas applicat regulas, & præcepta: postea vero sine vlla præceptorum memoria, facilè & eleganter componit; & sic in aliis omnibus materiis. Similiter in rebus fidei experimur, nos sæpe de Trinitate, de Eucharistia, & aliis mysteriis cogitare, eaque firmiter credere, & actus religionis, charitatis, & aliarum virtutum exercere, absque vlla memoria actuali auctoritatis & reuelationis diuinæ. Vnde & ipsam auctoritatem diuinam credere possumus, & communiter credimus absque memoria motiui, & argumenti, quo eam ex infinita perfectione Dei colligimus: & tunc fit actus supernaturalis ab habitu fidei media specie repræsentãte immediate ipsam auctoritatem sine medio, quo prima vice indiguimus ad eam credendam. Hoc argumentum latè prosequitur, & inculcat prædictus Auctor *disp. 6. sect. 3.* & rursus *disp. 8. sect. 1. & 2.*

91 Hoc tamen totum eandem difficultatem habet in exemplo suprà adducto de amore finis, & medij: nam eadem experientia testatur initio difficilè eligi media aliqua præsertim difficilia, & non sine attentione, & meditatione necessitatis ad assequendum finem: postea verò in prosecutione sine memoria, vt apparet, ipsius finis, prosequi nos in exequutione medij, prout operarius prosequitur per totum diem in labore, & mercator in nauigatione periculosa, & diuturna, in quibus tamen casibus, licèt videamur nobis non habere præ oculis finem, fatendum est tamen semper adesse memoriam aliquam confusam, & tenuem ipsius finis, de quo dixi latius *disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 5.* præsertim *num. 87.* Iniuito igitur magis id dicendum est in intellectu: nam licèt posset vtcumque dici in prosequutione operis externi non interuenire actualem voluntatem confusam eiusdem finis, sed potentiam externam operari applicatam ab appetitu ex imaginatione, quæ applicata initio fuit à voluntate, vt ex aliquorum sententia explicuimus loco citato; in ipsis tamen operationibus intellectus, quibus assentimur obiectis, id dici non potest, cùm fieri non possit ex aliqua applicatione præcedente, quod intellectus actu assentiatur obiecto apparenti solùm vt falso, vel non apparenti vt vero, nec possit actu apparere verum nisi vel in se, vel in alio, cum quo habeat connexionem. Sicut ergo Musicus, quando actu cantat, vel pulsat fides citharæ, quantumcumque videatur distractus & nihil de illo cogitans, habet tamen confusam, & tenuem aliquam attentionem ad regulas artis; alioquin ars præsens non deseruiret iam ad musicam illam, sic fidelis in credendis mysteriis fidei, & quilibet alius in assensu conclusionis habet attentionem tenuem saltem & exilem ad motiua. Nec obstat, quod videatur eorum oblitus, habet enim semper memoriam cõfusam veritatis sibi propositę in obiecto, quod credit, vel iudicat, quare recordatur veritatis Eucharistiæ cognitæ in alio obiecto cognito in se, & quando credit veracitatem Dei non propter reuelationem ipsius, habet speciem confuse repræsentantem veritatem illam in se apparentem, sicut de actibus voluntatis dictum est.

Sed contra hanc solutionem arguit Secundo *disp. 3. §. 22.* quia memoria medij confusa non ducit in conclusionem singularem, non enim habet necessariam connexionem cum illa, & medium non potest ducere in conclusionem, nisi appareat connexio medij cum ipsa. Respondetur facilè, memoriam medij confusam non esse solius medij ad conclusionem in communi, sed ad hanc nempe ad Trinitatẽ in particulari, quam credimus propter mediũ confuse cognitũ habens connexionẽ cum veritate Trinitatis. Sicut operarius laborat propter finem confusè cognitum, habens tamen connexionem determinatam cum tali medio, & labore in particulari, quem operarius vult; imò sicut operarius laboras ex charitate, vt subueniat pauperibus, non operatur ita confuse ex illo fine, vt non recordetur, communiter loquendo motiui honesti in confuso, & apprehendat honestatem, & conscientiæ approbationem in labore illo: ita fideles, quoties mysteria Eucharistiæ v. g. vel Trinitatis credunt, non ita confusè id faciunt, communiter loquendo, vt non recordentur in confuso motiui diuini, ideo namque reuerenter credunt, & apprehendunt apprehensione tenui, ibi interuenire auctoritatem supra humanam nec posse sine irreuerentia eiusmodi obiecta negari, quod etiam totum experientia constat.

Vrget Hurtado *ibidem*, quia potius prius repetitur conclusio, quam medium confusum, ideo enim nobis persuademus, habuisse nos rationem aliquam, quia fixi sumus in conclusione, vnde ex conclusione venimus in memoriam medij non è contra. Respondeo aliud esse, per quid recordemur conclusionis, aliud propter quid ei assentiamur. Poterit quippe aliquando contingere, quod

od magis distinctè recordemur conclusionis, c am medij propter speciem magis distinctam, aut intensam; qua recordamur assensus præstiti tali conclusioni: hoc tamen non est assentiri nunc conclusioni, sed recordari illius, ex qua memoria excitatur, & refricatur species medij saltem confusa, propter quod medium confusè cognitum assentimur nunc iterum conclusioni. Sicut etiam operarius faciliùs recordatur operis, quod præ manibus habet, & quid in eo nunc agendum sit, & ex ipso opere recordatur finis, propter quem opus aggressus est: non tamen potest opus prosequi sine memoria, & amore confuso eiusdem finis, cùm nihil possit actu velle, quod in se bonitatem appetibilem propter se non habet, nisi propter aliud bonum quod sit propter se appetibile.

94 Arguit tertiò *ibidem* §. 23. quia prima cognitio obiecti potest gignere speciem sui obiecti ad alias cognitiones eiusdem obiecti: sic enim sensatio externa immittit ad phantasiá speciem sui obiecti, & phantasma producit in intellectu speciem sui obiecti, qua possit intellectus vti: ergo similiter assensus conclusionis habitus ex præmissis poterit gignere speciem sui obiecti, qua postea intellectus possit cognoscere obiectũ conclusionis sine præmissis. Respondeo, transeat totum, quod possit intellectus specie illa instructus recordari, & cognoscere obiectum conclusionis sine medio: nego tamen, quod possit ei sine medio assentiri: multa enim cognoscimus, quibus assentire non possumus ex defectu medij: nam ego cognosco quidem totum hoc obiectum, *sidera sunt paria*, sed non possum assentiri ex defectu medij sufficientis. Poterit ergo intellectus à specie conclusionis determinari ad cognoscendam conclusionẽ, & recordandum assensus præstiti: non tamen poterit assentiri, nisi eius obiectum proponatur vt verum, & cùm non appareat verum in se, & ex terminis, necesse est, quod appareat in alio, & per consequens requiritur memoria aliquia confusa medij ad assentiendum.

Intellectus nõ potest sine medio assentiri obiecto conclusionis.

95 Arguit quartò *ibidem*. §. 1. & 21. quia si assensus obiecti conclusionis semper deberet sistere in medio vltimo per se cognito, nulla esset distinctio scientiarum: omnes enim humanæ scientiæ oriuntur ex cognitione habita per sensum, quare Metaphysica, Physica, & aliæ omnes haberent idem obiectum formale, nempe accidentia sensibilia, quæ sola cognoscuntur per sensum, & ex quorũ notitia progredimur ad omnia alia inuestiganda: quare nulla scientia haberet pro obiecto primario substantiam, aut Deum, sed omnium scientiarum obiectum formale essent sola accidentia sensibilia. Fatendum ergo est, post primam cognitionem conclusionis relinqui species, quibus possimus cognoscere eius obiectum sistendo in ipso, & ideo dicimus, hanc propositionem, *homo est animal rationale*, esse immediatam, & ex ipsa alias demonstrari, quamuis ipsa etiam prima vice per aliquod medium demonstrata fuerit per accidentia.

96 Hoc argumentum tangit quæstionem Philosophicam de distinctione Scientiarum, de qua dixi in Philosophia, & ex ibi dictis breuiter nunc respondeo, in primis retorqueri posse argumentum, quia si obiectum formale est id, quod licèt prima vice per aliud demonstratur, postea tamen ex specie relicta cognoscitur iam solum sine suis præmissis, sequitur malè assignari obiecta formalia Scientiarum, in singulis enim tot erunt obiecta formalia; quot sunt obiecta omnium conclusionũ, cùm singula illa obiecta cognosci possint postea per se sine suis præmissis; quare Physica tot habebit obiecta formalia, quot sunt in ea conclusiones etiam de vltimis passionibus & effectis. Dico itaque, Scientias non debere semper differre inter se penes totum obiectum formale adæquatum; nam ex eadem propositione diuersæ scientiæ inferunt diuersas conclusiones ad suum finem deseruientes, v. g. ex eo quod homo sit risibilis animastica infert duas conclusiones philosophicas, Theologia verò ex eodem principio infert Christum esse risibilem. Item ex eo quod piper sit calidus virtualiter, Philosophia infert contrariari niui, in operando, Medicina verò ex eodem principio infert, esse vtile ad curandos morbos contractos ex nimio frigore. Imò ideo aliæ dicũtur scientiæ aliis subalternatę, quia vtuntur pro præmissis ad suas conclusiones propositionibus ab alia scientia probatis, & in eo sensu dicitur communiter, Medicum incipere, vbi desinit animasticus, quia nimirum assumit ad suas conclusiones probãdas, propositiones illas, quas supponit ab animastico probatas. Non ergo differunt scientiæ semper penes obiectum formale adæquatum, licèt plerumque differunt penes inadæquatum. Singulæ enim scientiæ subsumere sibi solẽt præmissas alias peculiares, quæ ab aliis scientiis non probantur. Sic Theologia vltra principium naturale assumit aliud principium reuelatum ad colligendam conclusionem Theologicam. Sic medicus vltra principiũ Physicum de temperamento talis herbæ, assumit morbum hunc ortum esse ex frigore nimio, vnde concludit curari debere applicata tali herba calida. Aliquæ etiam scientiæ assumunt principia aliqua, quæ per accidentia sensibilia cognita non probantur: v. g. *quodlibet est, vel non est. Nihil potest simul esse, & non esse. Totum est maius sua parte*, & alia similia. Quare principia ad demonstrationes Mathematicas non oportet communiter per accidentia sensibilia probari; sed ex ipsis terminis lumine naturæ manifesta sunt. Differentia tamẽ & distinctio Scientiarum; quæ communiter vt distinctæ traduntur, potissimè desumitur ex obiecto materiali principali, & adæquato attributionis, cuius perfectam, & exactam notitiam Scientia illa intendit: siue ad hoc diuersis omnino, siue aliquando eisdem principiis saltem partialiter vtatur, quibus aliæ Scientiæ vtuntur. Sic Medicina vna Scientia dicitur, quia tota est in danda notitia curandi hominis. Sic Philosophia moralis vna dicitur, quia tota est in regulis docendis ad dirigendos mores. Sic Physica vna dicitur, quia tota est in acquirenda notitia corporis naturalis. Sic Metaphysica dicitur vna, quia tota agit de ente in communi, vel immateriali, & vltra naturam physicam. Sic Astrologia, quæ tota est in inuestigandis motibus cælestibus, sic Logica, quæ tota est in dirigendis operationibus intellectus ad acquirendas Scientias, & sic de aliis, quæ licèt singulæ possent subdiuidi in alias, v. g. Physica in eam, quæ agit de corpore animato, & in eam, quæ agit de corpore communi, placuit tamen diuisionem facere in tot, & non plures scientias, assignando singulis limites, & iphæram latam, quæ tamen absque confusione ad certum tempus, & methodum reduci posset, in quo negari non potest arbitrium

Scientiæ non debent semper differre inter se penes totum obiectum formale adæquatũ.

prudentis locum habuisse. Cùm physicè loquendo non minus distingui possit pars, quæ tractat de corpore animato, à parte, quæ tractat de elementis, quàm Physica ipsa ab Astrologia. Non est enim idem simplex habitus quoad entitatem physicam, qui habet pro obiecto elementa, & qui speculatur essentiam, & proprietates animæ rationalis; sed singulæ scientiæ naturales coalescunt ex pluribus habitibus partialibus, vt suppono ex proœmio Logicæ. vbi de hoc fusius egi.

97 *Habitus intellectualis non est aliud nisi species bene coordinatæ, & dispositæ.*

Cùm autem habitus intellectualis in mea sententia non sit aliud, nisi species benè coordinatæ & dispositæ, hinc fit, habitus diuersarum scientiarum distinctos semper esse, cum singulæ scientiæ addant motiua aliqua diuersa saltem immediata, & ferè semper etiam remota. Quando verò duplex scientia haberet motiuum aliquod partiale vtrique commune, non est inconueniens, quod species illius motiui vtrique scientiæ posset eadem deseruire, & per consequens habitus quoad illam partem non esset distinctus: præcipua enim scientiarum distinctio, vt diximus, non desumitur ex distinctione adæquata totius motiui, sed ex distinctione obiecti attributionis, ad cuius notitiam comparandam ordinatur omnia, quæ in tali scientia traduntur: Aduerto denique ex hac doctrina non sequi quod omnes scientiæ habeant idem formale obiectum, nempe accidentia sensibilia: tum quia aliquando scientia fundatur in propositionibus ex terminis cognitis, vt diximus: neque enim præcepta Logicæ, v. g. fundantur in cognitionibus sensibilium accidentium: tum etiam quia scientiæ, quæ fundantur in experientia sensuum, & de quibus dici solet, quod experientia generat scientiam, fundantur tamen in cognitione experimẽtali diuersa diuersorum accidentium. Nam animastica fundatur in cognitione accidentium, & operationum vitalium, Medicina in cognitione effectuum diuersarum herbarum, vel rerum ad sanitatem vtilium, & sic de aliis: quæ accidentia cùm sint diuersa, possunt diuersas cognitiones & scientias fundare; Quando verò dicuntur propositiones per se notæ illæ, *homo est animal rationale, equus est animal hinnibile*, & similes, adducuntur quidem exempli gratia: vel quia proximè accedunt ad per se notas. Nam in rigore principia ratiocinandi, & hinniendi colliguntur ex ipsis operationibus, quas experimur, sicut ex calefactione, quam sentimus, colligimus ignem esse calefactiuum, sed tamen in vsum scholæ, illæ etiam propositiones dicuntur per se notæ, quia nulli hominum oportet eas probare, cùm à nemine negentur.

98 Arguit 5. *disp.* 8. *sect.* 1 §. 3. quia si ad singulos actus, quibus credimus mysteria, oporteret repetere actualem cognitionem motiui, & medij, oporteret, quoties adoramus Eucharistiam, dicere mente nostra: *Omne, quod Deus dicit, est verum, quia habet auctoritatem infinitam, & infallibilem; Deus autem dicit. Christum esse in Eucharistia, & adorandum esse: quare volo illam adorare.* Quod totum repetendum esset, quoties datur pauperi eleemosyna, quoties colitur festum, &c. quare omnia videtur esse contra experientiam. Hoc tamen argumentum totum procedit contra voluntatem etiam, in qua eadem repetitio motiuorum facienda esset: quoties citharedus, v. g. pulset citharam propter mercedem, in singulis motibus manus deberet dicere, volo mouere digitos in hanc partem, quia talis motus necessarius est, vt consonus fiat sonus, qui sonus necessarius est nunc ad satisfaciendum meo muneri, & obtinendam mercedem promissam, quæ merces vtilis est ad alendam meam familiam. Cùm enim voluntas nihil possit actu velle, nisi appareat bonum in se, vel vtile ad aliud, quod sit bonum in se, totum illud requiritur, vt voluntas inueniat bonum aliquod, in quo sistat, & propter quod velit hunc motum manus, in quo non apparet, nisi bonum vtile ad aliud, imò nec ipsa merces est bona, nisi vt vtilis ad aliud. Sicut ergo fateri debemus in iis actionibus repetitionem motiuorum, non explicitam, sed implicitam, confusam, tenuem, & imperceptibilem; sic non est mirum, si in singulis operibus bonis, quæ ex fide fiunt, adsit memoria implicita, & tenuis motiuorum fidei, propter quæ æstimatur bonum illud opus ad salutem æternam. Hæc quippe est virtus intellectus & voluntatis, vt vno actu breuissimo, & subtilissimo attingat compendiosè totam illam seriem motiuorum, quæ singula antea cogitata, & volita fuerant.

Hæc omnia dicta sunt ad impugnandum modum illum nouum, quo hic Auctor effugere voluit argumentum Aureoli probantis assensum veracitatis resolui vltimò in deitatem, ex qua perfectio illa Dei colligitur. Nunc ergo ex propria sententia dicimus, in primis non multum referre, quod assensus ille resoluatur vltimò in deitatem, vt in motiuum suadens Deum esse summè veracem: nõ enim ideo minus erit Theologicus, cum habeat pro obiecto formali vltimo ipsam naturam diuinam. Neque obstat, quod communiter dici soleat motiuum formale fidei esse Dei veracitatem, vel auctoritatem: communiter enim explicare solemus motiuum proximum, quandiu non interrogamur de vltimo sic quærenti, cur domo exeas? respondes, vt emam medicinam: quia illud est motiuum proximum, quamuis sanitas sit motiuum vltimum. Et in hac eadem fidei resolutione doctores communiter dicunt, assensum circa Incarnationem resolui in has duas propositiones, *omnis reuelatio Dei est verax*, seu *quidquid Deus dicit, est verum, & Deus dixit Incarnationem*: quarum propositionum prima non est vltimum motiuũ, sed debet resolui in illam aliam, *Deus est summa veritas*: alioquin non resolueretur fides in aliquod obiectum formale, & motiuum increatum, nam reuelationis Dei veritas non est aliquid increatum. Sic ergo licèt assignetur pro motiuo veracitas Dei, non tollit, quòd hæc resoluatur in ipsam naturam diuinam, tanquam in vltimum motiuum.

Addo tamen, posse defẽdi, quod ipsa veracitas Dei sit vltimum motiuum, in quod vltimo resoluitur, & in quo sistit assensus fidei. Pro quo aduerto dupliciter posse eam perfectionem affirmari de Deo: primò absolutè, dicendo, *Deus est summè verax*: & tunc transeat, id debere colligi ex alio medio, quia sicut existentiam ipsius Dei nõ possumus in hac vita cognoscere, & affirmare, nisi vel ex reuelatione, vel ex creaturis, ex quibus venimus in notitiam Creatoris; sic perfectiones Dei non videmur posse affirmare absolutè nisi per aliquod medium, vel reuelationis, vel alterius argumenti. Secundo modo possumus veracitatem Dei affirmare, non absolutè, sed sub conditione, hoc est, *si Deus loquitur, loquitur verè*; seu *si Deus est, est summè verax*. & hic assensus non videtur

videtur indigere alio medio, sed posse ex apprehensione terminorum fieri. Si enim penetrantur termini, quod scilicet Deus in suo conceptu sit ens primum summè perfectum, & cumulus perfectionum & simul apprehendatur, quod veracitas summa sit maxima perfectio naturæ intellectualis, statim ex terminis constat, si sit Deus; debere esse summè veracem, neque ad hoc affirmandum indigemus alio motiuo, vel medio. Hic autem assensus conditionalis videtur sufficere ad resolutionem assensus fidei: sequitur enim benè incarnationem esse veram, ex his duobus principiis: *si Deus loquitur, dicit verum, & Deus de facto loquitur, & dicit incarnationem factam.* Non possunt enim esse veræ illæ duæ propositiones, quin sit vera etiam incarnatio. Potest ergo veracitas Dei affirmata saltem sub conditione esse vltimum motiuum partiale, in quod resoluatur assensus fidei.

101 Vnde obiter soluitur aliud argumentum, quod fieri potest contra hanc resolutionem, quia veracitas Dei, sicut & Dei etiam existentia cognosci non potest immediatè, nec resolui vltrò in veracitatem Dei, sed in creaturas, quæ sunt medium affirmandi ipsam veracitatem. Ad quod argumentum Hurtadus *disp. 6. sect. 3.* respondet latè ex illa sua doctrina, concedendo, prima vice cognosci, & affirmari veracitatem Dei ex creaturis, postea tamen relicta specie, & infusa à Deo alia specie supernaturali obiecti illius conclusionis, posse affirmari idem obiectum conclusionis sine memoria præmissarum, & immediatè, & tunc deseruire ad fundandum assensum fidei circa incarnationem, vel Eucharistiam. Hæc tamen responsio impugnata à nobis est, & ex hoc ipso magis impugnari potest: impossibile enim est, vt veritas conclusionis quæ non nisi per medium apparuit, nec postea ex terminis apparet, sed solùm creditur per speciem relictam ex primo assensu genito ex præmissis, magis nunc credatur, & firmiùs quam ipsæ præmissæ, quæ eam intellectui manifestarunt. Nam licèt demus, quòd postquam audisti à Petro, Ioannem esse mortuum, & ideo & mortē ipsam credidisti, & filium Ioannis eius hæreditatem possidere mortuo patre, nunc tamē fieri non potest, quod per speciem relictā ex primo assensu magis credas filium Ioānis possidere hæreditatem, quàm eius patrem esse mortuū, vel magis credas Ioannem mortuum, quàm credideris, vel credas, Petrum id dixisse, eum aliunde id tibi non constet. Similiter ergo in præsenti, si admittis, fidelem credere veracitatem Dei specie relicta & fundata in argumento deducto ex creaturis nec aliunde obiectum illud ei constare, etiāsi postea credat sine memoria actuali medij; non tamē poterit magis id credere, quam credat, vel crediderit veritatem ipsius medij, & per consequens nō magis credit veracitatem Dei, quam existentiam creaturarum, & earum dependentiam à prima causa, quæ ipsum induxit ad credendum Deum esse veracem. Hoc autem concedi non potest, cùm firmius credamus Deum esse veracem, & mysteria fidei in ea veracitate fundata, quàm veritates illas philosophicas, quæ arguunt existentiam Dei, & diuinarum perfectionum. Non ergo euacuatur difficultas præsens ponendo postea assensum illum sine memoria medij præcedentis, cum adhuc non possit esse firmior quàm fierit, vel esset nunc assensus medij vnici, si iterum in memoriam rediret.

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuinæ.

Faciliùs ergo iuxta supradicta negamus, assensum illum veracitatis Dei, prout ad fundandam fidem requiritur, fundari in argumento ex creaturis deducto, sed potest aliunde haberi, quatenus ex terminis constat si Deus est, veracē esse, vel si Deus loquitur, vera loqui, vt explicuimus. 102 *Assensus veracitatis Dei prout ad fundandam fidē requiritur, nō fundatur in argumento ex creaturis deducto.*

Vt tamen melius explicetur assensus hic circa auctoritatem, & veracitatē Dei, examinare oportet difficultates aliquas, quæ ex dictis oriri possunt. Prima est, quia plures sūt fideles, præsertim rustici, qui non habent euidentiam de existentia Dei: hanc enim vix potest eximius Philosophus euidenter demonstrare: & tamen rusticus habet assensum fidei subratione formali fidei; ergo ratio formalis fidei non est veracitas Dei euidenter cognita. Respondeo, licèt nō habeat aliquis euidentiam de existentia Dei; mihi tamen satis verisimile esse rarò contingere, quod sit aliquis fidelis, qui independenter à diuina reuelatione non censeat Deum esse veracem saltem conditionaliter modo dicto; ad hoc autem non requiritur demonstratio, qua euidenter probetur Deum esse; sed conceptus simplex quo intelligitur, quid significetur per *ly Deus*: scilicet, ens quoddā summè bonum, & perfectum: quare verè nullus vnquam etiam reluctus suomet lumini dubitauit, quin si Deus loquatur, loquatur verum: alioquin si de hoc dubitaret; etiamsi postea crederet Deum aliquid reuelare, adhuc maneret cum formidine, ne fortè Deus mentiretur, & vellet ipsum decipere. Fateor hunc ipsum assensum non elici cum tanto fundaméto à rustico, quàm ab homine docto, qui penetrat magis necessariam connexionem inter Deum & primam veritatem: cæterùm fatendum etiam est, hominem rusticum cum minori fundamento assentiri quādoque firmiùs eidem obiecto; quia quo minorem habet capacitatem ad examinandum vim rationum, eò minus formidat ab oppositæ partis argumentis, & securiùs adhæret obiecto, & fundamenta, quæ respectu hominis docti non sufficerent ad eliciendum assensum sine formidine, sufficiunt homini rustico ad assentiendum obiecto omnino firmiter, & sine formidine. An verò ille assensus esset tunc euidens simpliciter, an solum ex parte subiecti non multum contendam: satis est, esse assensum verum & sine vlla formidine, vt in ipso possit fundari fides. 103 *Examinātur aliqua difficultates.*

Addo tamen, si aliquis velit illum assensum circa veracitatem Dei non esse clarum, sed obscurum, de hoc non multum esse contendendum: nam sicut circa reuelationem ipsam potest fieri assensus obscurus, & omnino certus ac sine formidine, ex imperio volūtatis, vt videbimus: sic facilius poterit intellectus assentiri veracitati Dei sine vlla formidine per assensum non clarum, cum maiora præcedant motiua ad iudicandum Deum esse veracem, quàm Deum reuelasse incarnationem, & per consequens faciliùs possit voluntas imperare intellectui illum assensum sine formidine circa veracitatem Dei. Ego tamen non video inconueniens in eo, quod in aliis saltem, ille assensus, prout terminatur ad veracitatem Dei non sit obscurus, sed clarus.

Secundo Obiicitur, quia assensus, quo fides credit Incarnationem, est certior omni assensu euidēti naturali; ergo assensus incarnationis non potest fundari etiā partialiter in assensu euidenti veracitatis Dei: probatur cōsequentia, quia conclusio non potest esse certior, quàm præmissa, cui 104 *Obiectio 2.*

innititur, sed è contra principium est certius conclusione. Respondeo, assensum incarnationis esse certiorem omni alio assensu euidenti, à quo non pendeat ipse assensus incarnationis, seu qui non eliciatur ab ipso habitu fidei, quæ maior certitudo consistit potissimum in eo quod oriatur ab habitu infuso, & in eo quod intellectus ex imperio voluntatis firmiùs adhæret illi obiecto quàm aliis, & ex modo adhærendi assentitur illi super omnia, vt dicemus *disp.* 3. non tamen habet ille assensus hanc maiorem certitudinem si comparetur cum assensu euidenti, in quo fundatur, & qui elicitur ab ipso habitu fidei; neque ex hoc sequitur dari aliquem assensum euidentem naturalem certiorem, quam assensum fidei; quia assensus ad veracitatem Dei, licèt sit euidēs, censeo tamen esse supernaturalem, & elicitum ab eodem habitu fidei; cùm enim idem ipse actus, quo credimus incarnationem, debeat attingere intrinsecè rationem formalem assentiendi, vt supra dixi, & supposui ex Philosophia; consequens est, vt illemet actus sit etiam assensus ipsius rationis formalis, & æquivaleat huic propositioni: *Verbum est homo, quia Deus est summè verax*: qui quidem actus, quatenus tendit ad asserendam veracitatem de Deo, non est semper obscurus, sed aliquando euidens; totus tamen est supernaturalis; totus elicitus ab habitu fidei, qui non potuit per se ordinari ad actum circa mysteria reuelata, quin simul haberet virtutem eliciendi assensum circa rationem formalem assentiendi, seu circa motiuum formale fidei, & denique totus ille actus elicitur ex imperio voluntatis inclinantis per piam affectionem ad adhærēdum toti illi obiecto super omnia obiecta. Quare licèt fides assentiatur magis mysterio reuelato, quàm aliis obiectis; non tamen magis, quàm veracitati diuinæ cognitæ immediatè per actum etiam supernaturalem elicitum ab eodem habitu fidei.

105 Dices: veracitas Dei sufficienter cognoscitur lumine naturæ: vt quid ergo debet cognosci per assensum elicitum ab ipso habitu fidei. Respondeo, fidem non posse per se elicere assensum circa obiectum materiale, quin assēsus ille versetur intrinsecè circa obiectum formale (vt dictū est) quare licèt obiectum formale partialiter cognosci possit lumine naturæ, necesse tamen fuit, quod idemmet obiectum terminare posset actum supernaturalem: eleuante habitu fidei ipsum lumen naturale, vt circa illud obiectum tanquam circa principiū fidei eliceret assensum firmiorem, nobiliorem, & certiorem ac perfectiorem ad fundandum assensum mysterij reuelati. Sicut etiam bonitas illationis, qua formaliter, vel virtualiter infertur veritas incarnationis v. g. ex veracitate, & reuelatione Dei, cognoscitur & quidem euidenter ex terminis; cognoscitur tamen per eundem habitum fidei, vt posteà videbimus, & per assensum etiam supernaturalem proportionatum summæ fidei certitudini. Sic ergo potest habitus fidei eleuare intellectum, vt circa ipsam veracitatem Dei eliciat assensum supernaturalē & perfectiorem ad fundandum assensum mysterij.

Veracitas Dei cur debeat cognosci per assensum elicitum ab habitu fidei.

106 Vrgebis adhuc, quomodo potest intellectus firmiùs assentiri illi obiecto, nempe veracitati Dei, quàm aliàs assentiretur, nisi accedat nouum motiuum ad assentiendum? Respondeo, hanc maiorem propensionem intellectus sæpe prouenire à voluntate inclinante intellectum ad assensum, vel dissensum firmiorem, vt agentes de ipso assensu obscuro fidei dicemus *infra disput.* 3.

Dices iterum, assensus elicitus ab habitu fidei est suapte natura obscurus: quia habitus ipse est obscurus, ergo assensus euidens nunquam elicitur à fide. Respondeo habitum fidei elicere ad minus duplicem assensum: alterum circa veracitatem; alterum circà mysterium creditum. Secundus est obscurus, vt postea videbimus; & ab obscuritate huius denominatur fides obscura, sicut ab hoc etiam assensu denominatur fides: prior enim assensus non tam est fidei quàm assensus principij fidei; à quo magis habet ille habitus esse habitus primi principij, quàm habitus fidei: neque nouum est, habitum supernaturalem accipere potissimam denominationem à præcipuo actu; vt de habitu spei, pœnitentiæ, & aliis solet communiter doceri.

Habitus fidei elicit duplicem assensum.

Petes, an possit aliquando habitus fidei elicere assensum immediatum circa veracitatem Dei seorsim antecedenter ad assensum mysterij crediti. Respondeo affirmatiuè: cùm enim possit elicere assensum vtriusque obiecti simul, formalis scilicet & materialis: non video cur non possit elicere assensum circa formale solùm, nam licèt non possit elicere assensum circa obiectum materiale seorsim propter dependentiam, quam habet materiale à formali; formale tamen quod non dependet à materiali, cur non poterit terminare seorsim aliquem assensum elicitum ab habitu fidei?

Habitus fidei an possit elicere assensum immediatum circa veracitatem Dei seorsim ad assensum mysterij crediti.

Sed contra obijcies Tertiò quia etiam fides simul cum principio alio philosophico potest concurrere ad actum conclusionis Theologicæ, qui licèt non sit actus propriè fidei, provt versatur circa ipsam conclusionem, sed actus Theologiæ; est tamen actus fidei prout versatur etiam circa veracitatem, & reuelationem Dei, & circa principium reuelatum, ex quo partialiter infertur illa conclusio: & tamen fides non potest seorsim elicere assensum circa principium philosophicum: quod attingit etiam intrinsecè ille actus: ergo ex eo quod fides possit elicere actum circa mysterium reuelatum propter veracitatem Dei, non infertur, quod possit seorsim tendere circa solam veracitatem Dei. Respondetur negando consequentiam: diuerso enim modo ordinatur fides ad assensum vnius, & alterius obiecti: nam ad assensum circa principium illud philosophicum ordinatur solùm per accidens, quatenus cum principio philosophico potest inferre conclusionem ex illo principio, & ex alio reuelato, quare non oportuit, quod fides haberet virtutem ex se, vt versaretur circa illud principium; circa quod solùm per accidens versatur propter concurrentiam cum alia concausa extranea fidei. At verò per se ordinatur ad assensum circa mysteria reuelata, qui per se & essentialiter debet semper respicere motiuum fidei, & per consequens per se ordinatur ad assensum circa veracitatem Dei, quare non apparet, cur non possit circa illam etiam seorsim versari, cùm illa etiam sit obiectum fidei per se. Exemplum autem esse potest in habitu charitatis, qui sicut potest per se versari circa creaturas propter Deum amatas, ita potest per se versari circa solum Deum, cuius bonitas est motiuum per se, & essentialiter amandi creaturas ex charitate. Non tamē potest versari seorsim circa motiuum formale temperantiæ, licèt aliquando simul cum temperantia possit concurrere ad actum aliquem supernaturalem

Obiectio.

ralem, quo velimus aliquod obiectum simul ex motiuo charitatis, & ex motiuo temperantiæ, vt infra videbimus *disp. 1. sect. 3.* quia nimirum circa motiuum temperantiæ versatur solùm per accidens propter coniunctionem cum virtute temperantiæ, à qua sola procedit ille actus formaliter, quatenus est actus temperantiæ. Idem ergo in præsenti de fide dicendum est.

108 Obiectio 4. Quartò Obiicit Suarez *in præsenti disputatione, 3. sect. 2. num. 7.* quia hęc veritas: *Deus non potest dicere falsum*, non est tam euidens ex terminis vt ab aliquibus negari non potuerit etiam doctis, & catholicis; aliqui enim, vt infra videbimus, docent Deum de potentia absoluta posse dicere falsum; ergo non potest in illa euidentia fundari certitudo fidei. Hoc argumentum instatur manifestè contra ipsum Suarez, quia siue veracitas Dei cognoscatur euidenter, siue obscurè; ille tamen, qui semel negat Deum esse infinitè veracem, non potest simul etiam actu obscuro credere infinitam veracitatem Dei, ergo non potest simul credere aliquod mysterium fidei propter infinitam veracitatem Dei, ergo non minùs in eius sententia amittere debet fidem, qui negat veracitatem Dei, quàm in nostra, & omnes debemus fateri, illos auctores negantes infinitam veracitatem Dei deficere in aliquo requisito ad verum assensum fidei habendum, si fides habet pro obiecto formali infinitam veracitatem Dei siue clarè siue obscurè cognitam, siue mediatè, siue immediatè creditam, saltem quandiu actu habebunt illum errorem contrarium, licèt propter inuincibilem ignorantiam non peccarent. Quare dici potest, quod non habebant actum fidei diuinæ, dum actu habebant illum aliun errorem in mente, vel quod habebant duo iudicia de obiectis cõtradictoriis, quæ quidem quando non sunt omnino clara, sed cum aliqua confusione, esse possunt, vt contingeret in rustico, si propter reuelationem fictam Dei, crederet Deum non esse summè veracem.

109 Obiectio 5. Quintò idem Suarez *n. 5.* obiicit S. Thomam *in præsenti quæ. 2. art. 4.* vbi docet, necessarium fuisse, reuelari nobis per fidem etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt, vt hæc ipsa certiùs crederemus. Respondeo, ibi S. Thomam agere de cæteris omnibus, quæ non sunt principia fidei, qualis est existentia, potentia, vniuersitas Dei, &c. ipsam autem veracitatem Dei conditionaliter saltem debemus aliunde cognoscere, quàm ex reuelatione, vt diximus, licèt non per actum naturalem, sed per actum supernaturalem elicitum ab eadem fide, vt fundamentum, & principium totius fidei.

110 Obiectio 6. Sextò obiici potest, quia ipsamet veracitas Dei creditur propter reuelationem: nam in Scriptura etiam reuelatur Deum esse infinitè veracem: ergo veracitas creditur propter aliud, non ergo resoluitur vltimò fides in ipsam veracitatem. Respondeo, tunc credi veracitatem non eodem modo, sed diuersò cognitam; alioquin enim syllogismus fidei esset in duobus solis terminis nempe, veracitate, & reuelatione, & conclusio esset eadem cum maiori præmissa, quæ omnia sunt absurda. Dicimus ergo, syllogismum esse in tribus terminis; quia conclusio credita non est eadem cum maiori. Syllogismus enim debet hoc modo formari. Quidquid Deus dicit, est verum, sed Deus dicit, quod quidquid Deus dicit est verum, ergo verum est, quod quidquid Deus dicit est verum: vbi illud *verum* quasi reflexè applicatum ad illud dictum Dei, est alius terminus: non enim requiritur, quod tres termini sint realiter distincti, sufficit distingui secũdùm modum concipiendi, quo pacto distinguũtur in præsenti verum reflexum à veritate directa, cui applicatur, quando dico verum est omne dictum Dei esse verum, atque ideo non creditur veracitas directa propter veracitatem, sed veracitas quasi reflexa propter veracitatem directè cognitam.

111 Obiectio 7. Septimò obiici potest, quia si fides potest credere seorsim veracitatem Dei actu supernaturali, & assensu super omnia, non resoluendo illum assensum in illam reuelationem: ergo ex actu illo potest moueri ad diligendum Deum super omnia propter perfectionem veracitatis, & per consequens poterit homo dilectione illa iustificari, antequam credat aliquid propter reuelationem, & per consequens absque eo quod aliquid credat Deo. Consequens autem videtur absurdum, quia ad iustificationem requiritur fides, fides autem non datur, proprie loquendo, nisi quando aliquid Deo credimus. Respondeo, negando vltimam sequelam, quod scilicet absque fide alicuius rei reuelatæ possit homo iustificari: quia vt infra videbimus agentes de fidei necessitate, ad minus requiritur fides Dei remuneratoris ad excitandã spem, sine qua est impossibile moraliter, quod homo moueatur efficaciter ad transeundum à statu peccati ad statum gratiæ: nõ ergo sufficit de facto assensus solus circa veracitatem Dei ad excitandum efficaciter actum dilectionis Dei super omnia, quo homo iustificetur. Sed neque etiam in homine iusto sufficit ille assensus circa veracitatem solùm ad dilectionem Dei super omnia: diximus enim, assensum illum primum esse solùm conditionatum, nempe si Deus loquitur, verum loquitur; non sufficit autem ad dilectionem absolutam Dei assensus, & cognitio solùm conditionata de eius perfectione.

112 Sed contra vrgebis, quia ex hac duplici propositione, *Si Deus est, est verax*, seu *si Deus loquitur, verum dicit, nec potest mentiri*, & rursus, *Deus de facto loquitur, & dicit Incarnationem*: quæ est altera præmissa fidei, sicut potest inferri, *ergo vera est Incarnatio*; ita etiam inferri potest, *ergo Deus de facto est verax, & non potest mentiri*: ex quo actu absoluto poterit iam homo moueri ad dilectionem Dei absolutam, cùm absolutè iam credat, Deum de facto non posse mentiri: & tamen etiam in hoc casu nihil credidit Deo, cùm obiectum conclusionis non crediderit, quia reuelatum est, sed quia sequitur bene ex illis duabus præmissis. Respondeo adhuc potest, nec etiam eo modo deduci posse conclusionem aptam ad eliciendum actum dilectionis Dei, prout oportet ad salutem, etiam in homine iam antea iustificato: quia ad conclusionem illam deducendam præcedere etiam debet cognitio bonitatis illationis, quæ non erit apta ad assensum conclusionis super omnia, nisi ipsi etiam bonitati illationis super omnia assentiamur, cum in ea etiam bonitate illationis fundetur conclusionis assensus, vt infra dicemus. Ad hoc autem requiritur pia affectio voluntatis, quæ imperet talem modum assentiendi super omnia: & quidem voluntas non potest prudenter imperare talem modum assentiendi super omnia, nisi ad credendum Deo, cui ob supremam auctoritatem debetur assensus super omnia in iis, quæ dicit, & per

consequens hic modus assentiendi super omnia debet reseruari in iis, quæ Deo creduntur. Cùm ergo bonitas illa illationis nõ credatur Deo, nec deseruiat ad credendum Deo, quia in conclusione illa nihil Deo creditur, non potest prudenter voluntas imperare assensum illum super omnia. Si autem voluntas imprudens sit, non erit supernaturalis, nec assensus subsequens erit supernaturalis, atque ideo non erit aptus ad hoc, vt sequatur ex ipso dilectio supernaturalis Dei. Denique quomodocumque imperetur assensus ille conclusionis, non erit supernaturalis, quia neque est assensus fidei nec deseruit ad generandum assensum fidei, & Deus noluit concurrere ad actus supernaturales intellectuales, nisi ad actus fidei, vel ad eos, qui prærequiruntur ad fidem, vt suppono ex materia de gratia; voluit enim fidem solam esse principium totius meriti in ordine ad salutem æternam.

113 *Cur non possimus credere super omnia ex terminis ipsis Deum esse omnipotentem cùm possimus credere eum esse veracem.*

Hinc autem obiter infero, cur possimus credere super omnia ex terminis ipsis veracitatem Dei, seu Deum esse summè veracem, & non possimus credere super omnia ex terminis, Deum esse omnipotentem, vel æternum, &c. cum non minus constet ex terminis vnum, quàm aliud. Dico enim, physicè loquendo, vtrumque credi posse super omnia ex terminis, accedente imperio voluntatis imperantis talem assensum super omnia: voluntas tamen non potest licitè imperare assensum ex terminis super omnia circa alia attributa, sed solùm circa veracitatem, & auctoritatem Dei, quia hic modus assentiendi super omnia reseruari debet, vt diximus, ad credendum Deo propter supremam eius auctoritatem, sicut dilectio super omnia reseruatur Deo propter infinitam eius bonitatem: quare sicut non possumus licitè amare super omnia aliquid præter Deum, ita non possumus licitè credere nobis, aut alteri aliquid super omnia, nisi soli Deo. Quia verò non possumus credere Deo super omnia id, quod dicit, nisi credamus etiam super omnia ipsum esse summè veracem, cum non possit magis credi conclusio, quàm motiuum formale, cui innititur, hinc est, esse eandem obligationem credendi super omnia veracitatem Dei, vt possimus pariter credere quod Deus dicit. Omnipotentia autem, æternitas, & alia attributa nõ sunt ratio formalis credendi Deo, ideo neque est obligatio ea obiecta credendi super omnia, nisi vt reuelata à Deo, neque etiam id licitum erit, quia tunc non crederemus Deo, nec ille assensus ordinaretur ad credendũ Deo, cui non credimus, quia æternus est formaliter, sed solùm quia est summa veritas in cognoscendo, & in dicendo.

SECTIO VII.

Explicatur, quomodo fides resoluatur vltimò in reuelationem Dei sistendo in ipsa.

114 *Assensus ille Deus ita dixit, an sit immediatus?*

DIximus, duplicem esse rationem formalem partialem, cui vltimò fides innititur, scilicet, *Deus est prima veritas, & Deus ita dixit.* Vidimus etiam, qualiter ille prior assensus sit immediatus, & independens à reuelatione. Nunc restat videre, an secundus assensus sit etiam immediatus, vel propter aliud mediũ. Videtur enim esse mediatus, cũ non constet ex terminis, Deum reuelasse incarnationem. Si autem mediatus est, videtur resolui in testimonium humanum, cùm non possit reduci, ad aliud testimonium diuinum sine processu in infinitum. Hic nodus nunc, qui maximus est, dissoluendus nobis restat.

Pro solutione suppono, reuelationem esse aliquo modo rationem formalem siue proximam, siue etiam vltimam; neque enim intelligo quod aliqui dicunt, scilicet, primam veritatem esse totam rationem formalem, reuelationem verò, non esse rationem formalem, sed solam applicationem, quatenus per illam applicatur diuina auctoritas huic articulo. Hoc (inquam) non intelligo, quia ego non minùs assentior mysterio Trinitatis, quia Deus reuelat, quàm quia Deus est prima veritas, nec minùs me mouet vnum, quàm aliud, sed vtrumque se habet per modum duplicis præmissæ formalis, vel virtualis ad credendam Trinitatem; quare non video, quomodo assignetur sufficiens discrimen inter vnam præmissam, & aliam, vt vna sit ratio formalis, alia verò solùm sit conditio: nisi velis frustra reddere difficilem (sicut sæpe fieri solet (& inintelligibilem doctrinam Theologicam. Quod si aliquando S. Thomas docet, primam veritatem esse obiectum formale totale fidei: intelligendus est secundum quod ipse docet *infrà quæst. 5. art. 3. in corp.* Obiectum formale esse primam veritatem *prout continetur in doctrina Ecclesiæ*: hoc est, prout adiunctam cum reuelatione actuali.

Dices, quando eligo medicinam ad salutem, verè eligo illam, quia vtilis est: & tamen ipsa vtilitas non est obiectum formale, nec etiam partiale electionis, sed tota ratio formalis est bonitas finis, ergo licèt credam Trinitatem, etiam quia Deus reuelat, adhuc reuelatio poterit non esse ratio formalis credendi. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod vtilitas medij, licèt aliquo modo sit ratio formalis immediata, & proxima; non est tamen vltima: nam ipsamet vtilitas amatur etiam non propter se (alioquin esset finis) sed propter bonitatem finis; ideo non est obiectum formale simpliciter; at verò reuelationem credimus non quidem quia Deus est prima veritas; nam licèt Deus non esset prima veritas posset loqui, & affirmare aliqua obiecta; credimus ergo dari reuelationem ipsam independenter ab eo quod credamus Deum esse infinitam veritatem; ergo prima veritas non est adæquata ratio formalis fidei, sed aliquid addendum est. Restat tamen difficultas, an reuelationem credamus propter aliud, an solum immediatè in se ipsa.

An reuelationem credamus mediatè, vel immediatè.

Vt igitur hæc difficultas, quæ maxima est in hac materia, dissoluatur, dicere possumus, assensum illum, quo credimus Deum hoc reuelasse, esse immediatum, & ex apprehensione terminorum, sicut solent esse assensus primorum principiorum: non tamen esse assensum euidentem, sed obscurum, licèt certum, & supernaturalem, elicitumque ab habitu fidei, tanquam primum etiam principium eiusdem fidei. Habet enim habitus fidei virtutem eliciendi assensum non solùm circa mysteria reuelata, quæ se habent sicut conclusiones, sed etiam circa principia ipsa, & sicut *sect. 6.* diximus elicere assensum circa veracitatem Dei, quæ est vnum principium fidei, quo mouetur ad credenda mysteria, sic etiam potest elicere

elicere assensum circa reuelationem ipsam, quæ est aliud principium ipsius fidei. Nam licèt, loquendo de habitibus acquisitis, diuersus sit habitus principiorum, & habitus conclusionis, vt communiter circumfertur: habitus tamen fidei, qui est infusus, & datur ad modum potentiæ, idemmet extenditur ad assensum principij, & ad assensum conclusionis. Quare habitus fidei elicit tres assensus distinctos realiter, vel virtualiter omnino diuersos. Primus est assensus immediatus aliquando euidens, quo iudicat Deum esse primam veritatem, de quo dixi *præcedenti sect. 4.* Secundus est assensus etiam immediatus semper obscurus, sed certus, quo iudicat, Deum reuelasse Trinitatem, v. g. de quo assensu nunc agimus. Tertius denique est, quo iudicat Deum esse Trinum, qui est obscurus, & mediatus, nempè innitens aliis duobus: & hic tertius appellatur potissimum actus fidei, licèt etiam secundus sit actus credendi, & ad quem potissimum indigemus pia affectione, nam si semel credimus, Deum reuelasse hoc, vel illud mysterium, facile erit credere ipsum mysterium.

Vel habitus elicit tres assensus distinctos realiter, vel virtualiter diuersos.

117 Hunc modum dicendi suadet mihi tum difficultas aliarum sententiarum, quam iam vidimus, & earum Auctores fatentur recurrentes ad mysteria, vt eas nobis persuadeant: tum præsertim exempli fidei humanæ, quam in omnibus, quoad fieri possit, imitari debet fides diuina, ablatis imperfectionibus. Quando ergo fide humana aliquid credimus propter auctoritatem Petri, qui id affirmat, & testatur; non minùs dicimur niti auctoritate, & testimonio Petri, ac resoluere fidem nostram in Petri testimonium, quàm in testimonium Dei, quando credimus fide diuina; quamuis enim firmior sit assensus fidei diuinæ, quàm humanæ; hoc tamen prouenit ex maiori auctoritate Dei, cui nitimur, quàm hominis: cæterum quo ad modum sistendi in auctoritate dicentis, eodem modo se habet intellectus in vtraque fide, vt constat experientia: nec aliud à nobis exigit Scriptura & Patres, nisi vt credamus propter testimonium Dei, sicut solemus credere propter hominis testimonium, addita solum maiori firmitate assensus, provt exigit maior auctoritas loquentis. Sic enim arguit Apostolus Ioannes ad exigendam fidem nostram epist. 1. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* & ipse Christus Ioan. 8. arguit similiter ex fide, quæ adhibetur duobus testibus, vt adhiberetur etiam fides Patri, & sibi testificantibus. *Et in lege vestra* (inquit) *scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Vnde si res fidei nostræ credamus propter testimonium Dei firmissimè, eodem modo, quo credimus fide humana propter testimonium Petri, addita maiori illa firmitate, nemo potest negare, quod fides nostra resoluatur sufficienter in auctoritatem, & testimonium Dei: nec enim vnquam à nobis exigitur, quod magis resoluatur fides nostra in testimonium Dei, quam fides humana in testimonium hominis, cui credimus, neque ad id asserendum est vllum probabilitatis vestigium, cùm verum sit in toto rigore, & proprietate, quod per fidem humanam credimus Petro, & ducimur eius auctoritate, ac testimonio, sicut verum est dicere hoc ipsum de fide diuina respectu testimonij diuini.

118 Videndum ergo est, quomodo se habeat fides humana in ordine ad testimonium hominis credendum, an, scilicet, resoluamus illud in aliud motiuum, an verò sistamus in illo. Quando v.g. credo Petro testâti Paulum obiisse, an tunc assensus, quo iudico, Petrum id testari, sit immediatus, an mediatus propter aliquod aliud motiuum. Et quidem negari non potest, plerumque esse assensum immediatum, & sæpè euidentem, aliquando obscurum, & ineuidentem. Quando enim audio eius vocem clarè, quam aliunde optimè agnosco, videtur esse assensus euidens euidentia physica, quo iudico, Petrum loqui: aliquando verò est minùs clarus, vt si audiam vocem Petri distantis, vel videam scripturam ipsius; possum enim in vtroque casu formidare, an verè sit vox, vel scriptura Petri: video tamen tantam proportionem, & similitudinem cum voce, & scriptura Petri, vt licèt non habeam claritatem, & euidentiam, probabilissimè tamen possim assentire, quod hæc sit vox, vel scriptura Petri. Similiter ergo vox Dei loquentis posset aliquando clarè, & euidèter audiri, & tunc assensus ille esset immediatus, & euidens de loquutione Dei. Plerumque tamen non ita clarè auditur, sed obscurè, præsertim quando Deus loquitur per nũcios, vel ministros; & tunc quidem, licèt obscurè, & ineuidenter, possumus tamen immediatè credere, illam esse vocem, seu nuncium, aut scripturam Dei: nam sicut quando Deus loquitur, & reuelat immediatè alicui aliquod obiectum, potest id facere per reuelationem ineuidenter cognitam, de qua possit homo dubitare, vel formidare, an sit vox Dei, vel illusio dæmonis: potest tamẽ ineuidenter credere, quod sit reuelatio Dei, sic potest id contingere in voce, & reuelatione mediata: potest enim homo formidare, an hoc sit nuncium Dei, an hic Propheta missus sit à Deo, & an Deus loquatur per ipsum: potest etiam homo ineuidenter iudicare, hanc esse vocem Dei loquentis mediate per istum nuncium: qui assensus esse potest immediatus, & in ipso potest fundari fides mysterij reuelati; quod magis constabit & explicabitur soluendo difficultates, quæ contra hunc dicendi modum fieri possunt.

Fides humana quomodo se habeat in ordine ad testimoniũ hominis credendum.

Igitur aduersùs hanc doctrinam primò obiici 119
potest, quia si ille assensus sit immediatè ex apprehẽsione terminorum, ergo est euidens, & clarus, ergo assensus etiam mysterij reuelati erit euidens, cum inferatur ex duobus principiis euidentibus. Respõdeo negando primã consequentiam; quia licèt ille assensus sit immediatus, & ex terminis, non est tamen euidens: quod non est nouũ, aut singulare in assẽsu fidei; intellectus enim lumine naturæ assentitur pluribus principiis ex apprehẽsione terminorũ, non quidem euidenter, sed solũ probabiliter, vt probaui in lib. posteriorum. Alioquin nullæ essent conclusiones probabiles, nisi darentur prima principia probabilia, ex quibus inferrentur. Dices, conclusionem probabilem posse inferri ex principiis euidentibus, esse tamen probabilem, quia ipsa consequentia, seu bonitas illationis non constat euidenter. Sed contra, ergo iam saltem concedis posse præcedere assensum solùm probabilem circa ipsam bonitatem illationis. De hoc ergo assensu præuio inquiro, an sit mediatus, vel immediatus? Si immediatus, ergo iam concedis aliquem assensum immediatum probabilem, qui fiat immediatè, ex apprehensione terminorum, quod contendimus. Si verò ille assensus sit mediatus, re-

Obiectio 1.

Assensus fidei an sit euidẽs

dit idem argumentum, an sit probabilis, quia infertur ex principiis probabilibus, an quia infertur per illationem, quæ solum cognoscatur probabiliter? & rursus de hac secunda cognitione inquiram, an sit probabilis immediata? & sic in infinitum, donec veniamus ad aliquam primam propositionem immediatam, cui intellectus probabiliter assentiatur.

120 Ratione enim à priori probatur, quia assensus immediatus est, qui generatur ex apprehensione connexionis inter extrema illius propositionis sine alio medio: potest autem contingere, quod apprehensio non ostendat clarè illam connexionem, sed cum formidine, & per consequens sufficiat ad generandum assensum cum formidine, licèt immediatum. Imo Aristoteles definiens opinionem, non egit de mediata, sed de immediata; quæ est primus fons, & radix totius probabilitatis. Sic enim dixit in Poster. c. 26. *Opinionem esse acceptionem immediatæ propositionis non necessariæ.* Et idem docet *primò Rhetoricorum, ad Theodectem cap. 2. & ad Alexandrum cap. 7. & 15.* nemo ergo negare potest, dari aliqua prima principia, quæ ex terminis cognoscuntur non euidenter, sed opinabiliter, vel obscurè, vt notauit etiam Iacobus Granado *in 1.2. in materia de actibus humanis tract. 12. disp. 4. n. 1. & 2.*

121 Sed contra hanc solutionem obiici potest Secundò, ergo ille assensus, quo fides credit ex ipsis terminis Deum reuelasse; non est certus, sed solùm probabilis; alioquin si esset certus, esset euidens, cùm sit ex terminis manifestus. Respondeo, negando consequentiam; bene enim stat, illum assensum esse certum, & tamen esse obscurum. Quod in omni sententia admittendum est: nam omnes concedere tenentur intellectum ad assentiendum certò rebus fidei indigere aliqua motione præuia ex parte voluntatis imperantis illum assensum, vt infra videbimus: secluſa autem hac motione voluntatis, licèt appareant motiua omnia, quæ dantur ad credendam reuelationem Dei; intellectus tamen sibi relictus solùm posset elicere assensum probabilem, quo iudicet Deum illud reuelasse; posset item iudicare euidenter, illa motiua esse tanti ponderis, vt licèt euidenter non ostendant, factam esse reuelationem, sufficiant tamen, vt voluntas prudentissimè possit imperare, assensum illum reuelationis obscurum, qui alias eliceretur cum formidine, elici sine formidine, & cũ adhæsione firma ex parte intellectus, neque enim nouum est, quod intellectus firmiùs adhæreat alicui obiecto ex determinationis voluntatis, quod infra latius explicandum est; nunc autem satis est supponere, quoad hoc difficultatem esse communem, & cui omnes respondere debent, assensum illum, quando aliàs à solo intellectu fieret alius actus probabilis, elici certum ex imperio voluntatis prudenter prohibentis formidinem. Hoc ergo supposito, addimus ex propria sententia, motiua illa, quæ præcedunt actum fidei sufficere ex se, vt intellectus ex illorum apprehensione eliceret assensum immediatum, quo probabiliter assentiretur huic principio: *Deus reuelauit Incarnationem*: sufficiunt item, vt intellectus iudicet reflexè ex apprehensione eorum, licèt non appareat euidenter reuelatio, apparere tamen euidenter credibilitatem reuelationis, id est, voluntatem posse prudentissimè imperare, quod ille assensus immediatus fiat sine vlla formidine.

Obiectio 2.

Assensus fidei an sit certus?

Quo supposito, voluntas per piam affectionem prohibet formidinem illius assensus; & tandem, adiuuante habitu fidei, elicitur ille assensus immediatus, quo ex apprehensione extremorum credimus sine euidentia, & sine formidine Deum reuelasse Incarnationem.

Adhuc tamen restat difficultas, & sit tertia obiectio; quomodo possit ille assensus esse immediatus: quia nullo modo constat ex terminis, Deum reuelare Incarnationem; sed hoc debet cognosci per aliud; nempe, quia Ecclesia id proponit, quia miracula confirmant, martyres testantur, &c. ergo non est assensus immediatus, sed mediatus.

Pro solutione aduerte, reuelationem Dei aliam esse immediatam, qua Deus immediatè aliquid reuelat, aliam esse mediatam, seu notitiam, quæ ad nos venit ex reuelatione immediata alius facta. Priorem reuelationem videntur exigere in singulis ad assensum fidei hæretici nostri temporis, dum dicunt, regulam fidei esse instinctum, & spiritum internum vniuscuiusque. Posteriorem nemo Catholicus negat; necessarium enim omnino est nobis ad credendum fide Christiana, quod mysterium nobis proponatur tanquam à Deo alicui immediatè reuelatum; & licèt Deus non loquatur nobis immediatè, loquitur tamen aliquo modo per os illorum, qui mysteria sibi reuelata proponunt, nam *multifariam, multisque modis* Deus loquitur, vt dixit Paulus. Nec nouum est appellare loquutionem Dei hanc loquutionem mediatam; sic enim appellatur sæpissimè in Scriptura, Psal. 44. hac de causa dixit Dauid, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Luc. 1. *Sicut loquutus est per os Sanctorum.* Act. 1. *Sicut prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid*, &c. Hinc omnes fideles dicuntur audire Deum. Ioann. 6. *Omnes, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*; & priùs dixerat: *erunt omnes docibiles Dei*, ideo etiam vocantur oues, Ioan. 10. *Oues mea, vocem meam audiunt*; quod si audiunt Deum, ergo Deus illis loquitur, non enim possumus audire nisi nobis loquentem. Loquitur autem, sicut expedit Deum loqui cum hominibus percipientibus obiecta per sensus materiales: nimirum taliter proponendo mysteria, talia miracula operando, vt non solùm auribus, sed visu etiam percipiamus vocem Dei loquentis nobiscum. Ideo enim Paulus *ad Hebr. 2.* miracula dixit esse quandam Dei loquutionem: *Contestante*, inquit, *Deo signis & portentis*: vbi Theodoretus ait, *Deum per miracula ferre prædicationis testimonium.* Sunt ergo miracula ipsa aliquo modo vox Dei, vnde Augustinus *epist. 49. quæst. 6.* absolutè dixit, *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Siue hanc velis appellare vocem, siue meliùs litteras, vel nutus, quibus nobis suos conceptus exprimit: quare sicut quando lego epistolam amici, immediatè ex visione Scripturæ, quam cognosco, iudicio amicum meum loqui, & licèt aliquando formidarem, an esset Scriptura eius; adhuc possem probabiliter id iudicare per assensum immediatè ortum ex apprehensione illorum characterum, quæ probabiliter ostendit esse characteres mei amici: sic etiam considerans miracula, & signa, quibus Deus mihi loquitur, licèt non videam clarè esse literas, vel vocem Dei, apparet tamen id obscurè, sed immediatè, & cum tanta proportione, vt prudenter imperet voluntas eum assensum immediatum elici absque vlla formidine.

Dices,

123 Dices, illum assensum esse mediatũ, quia præsupponit hunc discursum : *Omnis testificatio taliter facta est loquutio Dei : hæc est testificatio talis ; ergo hæc est loquutio Dei.* Respondeo negando antecedens : sicut enim quando audio Petrum : non discurro : *omnis vox talis est vox Dei, hæc est talis, ergo* ; sed comparo immediatè vocem, quam audio, cum idæa vocis Petri, quam habeo : & dico : *hæc est sicut illa*, seu *hæc est vox Petri sicut illa* ; sic etiam in præsenti, quando video proponi mihi mysterium Incarnationis vt reuelatum à Deo, & proponi cum tanta copia miraculorum, martyrum, doctorum, cũ tanta concordia sæculorum, conformitate cum ratione, &c comparo istam propositionem cum idæa, quam habeo de loquutione mediata Dei, & licèt non euidenter, iudico tamen ex terminis, *talis modus proponendi, est omnino modus dignus Deo*, quod iudicium potest esse immediatum, vt dixi, sicut quando video albedinem, iudico immediatè esse albedinem comparando illud obiectum cum specie, & idæa, quam habeo de albedine ; itaque licèt non omnes possimus credere propter reuelationẽ Dei nobis immediatè factam : omnes tamen possumus credere propter reuelationem mediatam : hoc est, quia nobis hæc doctrina ex parte Dei proponitur, seu quia est nuncium Dei, vel doctrina diuina : & quidem non minorem habet infallibilitatem hoc motiuum, quam reuelatio immediata Dei ; non enim est minùs impossibile, quod sit falsum id, quod verè nobis dicitur ex parte Dei, seu tanquam nuncium Dei, vel doctrina diuina : quàm quod sit falsum id, quod verè, & immediatè nobis reuelatur à Deo, quare non erit minùs infallibilis fides nostra ex parte motiui, si credat incarnationem, quia est doctrina Dei, seu quia nobis proponitur ex parte Dei, quàm si crederet ; quia Deus immediatè reuelat.

124 Hoc ergo supposito, ad obiectionem respondeo, non constare quidem ex terminis clare, & euidenter incarnationem ; constare tamen obscurè ; quia inter Ecclesiæ propositionem tot miraculis confirmatam, testificatam à martyribus. acceptatam à doctis, & probis, &c. ex vna parte, & inter loquutionem mediatam Dei ex alia, quæ sunt duo extrema illius propositionis, licèt non appareat euidenter, apparet tamen obscurè tanta connexio, vt ex ipsa connexione extremorum possit intellectus immediatè assentiri & accedente imperio voluntatis, possit etiam sine formidine dicere : *hæc est doctrina Dei*, seu *hoc proponitur ex parte Dei*. Itaque non assentitur intellectus, discurrendo, & inferendo vnum ex alio, & dicendo, *hæc est Dei reuelatio, quia Ecclesia auctoritate humana proponit, quia miracula confirmant*, &c. Sed considerat ex vna parte totam illam Ecclesiæ propositionem, martyrum testimonium, miracula, &c tanquam vnum extremum illius assensus, & ex alia parte doctrinam Dei, & comparat inter se sine vllo discursu hæc duo extrema, inter quæ inuenit tantam connexionem, vt ex ipsa apprehensione, & cooperatione extremorum sine alio discursu possit elicere assensum immediatum, quo dicat : *hæc est doctrina Dei*, seu, *hoc proponitur mihi ex parte Dei.*

125 Dices iterum, licet Deus loquatur mihi aliquo modo per os Ecclesiæ, per miracula, &c. ego tamen non audio Ecclesiam immediatè, nec video miracula, aut martyria, &c Sed hæc omnia audio à parentibus, vel lego in libris ; ergo si hæc omnia sunt loquutio mediata Dei, ego non audio immediatè eam loquutionem : ergo ego non possum immediatè iudicare, quod Deus mihi mediatè loquitur, sed ad summum credam, Deum mihi mediate loqui, quia id audio à parentibus, vel inuenio in libris, &c. Respondeo, sicut miracula, & martyria, &c. fuerunt aliquo modo voces, & nutus Dei, quibus loquebatur videntibus illa signa, & martyria, &c. Sic mihi parentes, magistri, libri, & tota hæc notitia de illis omnibus, quæ ad me immediatè peruenit, est aliquo modo os Dei, per quod mihi mediatè, & aliquo modo loqui dignatus est ; itaque quando per libros, & prædicatores, &c. proponitur mihi sufficienter doctrina fidei ; perinde est ac si Deus mecum ageret, & eam mihi loqueretur : habet enim, vt prædixi, Deus multiplex os, & multifariam loquitur : huic hoc modo, & huic alio modo : vterque autem potest sine discursu ex apprehensione illius modi, quo sibi proponuntur mysteria fidei, iudicare illam esse Dei doctrinam, seu illa sibi proponi ex parte Dei, qui eam aliquando reuelauit.

Martyria, & miracula sũt voces, & nutus Dei.

Deus habet multiplex os, & multifariam loquitur.

126 Vrgebis adhuc, quia hic modus concipiendi Deum nobis loqui, & proponere hæc mysteria per os eorum, qui nos docent ; videtur valde metaphysicus, & alienus à rusticis, & pueris, qui simpliciter credunt mysteria, quando docentur à parentibus, vel parocho ; nec tamen curant iudicare Deum sibi loqui, dum ea mysteria sibi proponuntur. Respondeo, si ad rusticos, & pueros attendamus, læpissimè etiam censebimus eos non credere propter reuelationem ; & auctoritatem Dei, parochus enim solùm dicit eis, Verbum incarnatum, Christum mortuum esse, &c. non dicit Deum hoc reuelasse, ergo ipsi non credunt propter reuelationem Dei illud mysterium, sed propter auctoritatem parochi, vel parentis ; & per consequens non faciunt actus fidei. Sed re vera, licet aliquando ita contingat huiusmodi personas elicere actus meræ fidei humanæ regulariter tamen eliciunt actus fidei diuinæ, quia licèt non concipiant explicite reuelationem Dei formalissime, concipiunt tamen confusè doctrinam illam quasi diuinam, & agnoscunt in ea aliquid supra humanum, & intelligunt ita doceri per fidem, concipientes nomine *fidei* aliquid numinis, & diuinitatis ; quod sufficit, vt confusè intelligant illam doctrinam non esse sicut alias, quæ oriuntur solùm ab hominibus ; quamuis non audierint, explicite eam doctrinam esse reuelatam à Deo, & credendam propter Dei reuelationem. Sic etiam dicere possumus huiusmodi personas, regulariter loquendo, quando audiunt proponi sibi ea mysteria, licèt non intelligant explicitè, Deum sibi loqui, concipere tamen confusè, eam doctrinam proponi sibi aliqua auctoritate plusquam humana, & parochum non loqui in propria solùm persona : quod à posteriori colligitur, quia si parocho proponenti Incarnationem rusticus dissentiret, negando id esse à Deo reuelatum, conciperet planè, se non solùm peccare contra auctoritatem, & fidem humanam parochi, sicut si dissentiret illi in aliis rebus humanis ; sed etiam contra altam auctoritatem superiorem, & ideo formidat rusticus negare esse doctrinam diuinam, quæ à parocho traditur, quia mirum existimat, verba parochi

Rustici non reuera credant propter auctoritatem Dei reuelantis.

rochi non sibi dici, vt solius parochi, sed habere aliquid plus in illa materia, quàm in aliis. Hoc ergo ipsum quod rusticus concipit confusè, & crasso modo, concipit Theologus magis explicitè, intelligendo illam propositionem externam mysterij esse propositionem ex parte ipsius Dei, qui aliquando reuelauit illa mysteria fidei: neque enim debemus expectare à rusticis, & pueris quod tam exactè, & explicitè concipiant rationem formalem fidei, sicut Theologi: & hoc quidem in omni sententia admittendum est.

127 *Obiectio vlt.* Obiicies vltimò principaliter contra conclusionem positam, quatenus dicimus ex terminis ipsis constare saltem obscurè visis miraculis, martyriis, &c. hanc esse doctrinam Dei, seu hoc proponi ex parte Dei: quia ponamus hominem, qui non sciat euidenter esse Deum, hic homo quantumuis videat miracula, & alia motiua quomodo cognoscet ex terminis, illam esse doctrinam, Dei si non scit esse aliquem Deum: cùm igitur iste homo credat postea esse Deum, quia ipse Deus per fidem id reuelat, non potest ad hunc articulum credendum præsupponi cum alio assensu immediato, quo ex terminis ipsis credat illam doctrinam sibi proponi ex parte Dei.

Respondeo, licet aliquis antecedenter ignoret esse Deum: audita tamen eius doctrina, eo modo quod credit illam esse doctrinam Dei, credit etiam esse Deum: sicut licèt ignores Petrum viuere, & esse Romæ, si repentè audias eius vocem eo ipso iudicas Petrum esse præsentem, & loqui, & eo ipso viuere; Similiter ergo qui videt miracula v.g. ex quorũapprehensione constat, licèt non euidenter, obscurè tamen illam esse doctrinam diuinam & plusquam humanam? eo ipso potest credere, esse aliquem Deum, cuius sit ea doctrina, quam audit, licèt aliunde nesciret, Deum existere.

128 *Rusticus vnde iudicet narrationem Parochi esse doctrinam Dei* Petes, quæ connexio tanta appareat rustico, vel puero in simplici narratione Parochi, vel parentis cum doctrina Dei, vt ex apprehensione terminorum iudicet, illam esse doctrinam Dei? Respondeo, hanc esse difficultatem communem in omni sententia; nam similiter rogabo ego, quæ motiua tanti ponderis adsint rustico, vel puero ignoranti miracula, mysteria, &c. vt ex simplici narratione parentis iudicet prudenter credenda sibi esse illa mysteria sine vlla hæsitatione? sane hæc eadem motiua, quæ tu dederis in hoc rustico, vel puero ad iudicandum prudenter esse credenda mysteria: hæc eadem dicam ego apparere huic rustico, vel puero, quæcumque illa sint, vt credat hanc esse doctrinam Dei saltem confuso modo: quæ autem hæc sint & an sint verè sufficientia ad illud iudicium; dicemus postea *disp.* 5. agentes de iudicio credibilitatis, quod præcedit ad actum fidei. Pro nunc satis sit dicere non esse difficilius, quod rusticus ex illis motiuis prodeat in assensum mediatũ quo propter illa iudicet mysteria esse credibilia, quàm quod ex eorum apprehensione prodeat in assensum immediatum, quo ex connexione extremorum iudicet illam esse doctrinam Dei; quem assensum licèt prius eliciat probabilem, & cum formidine, postea accedente pia affectione, & habitu fidei, elicit certum, & sine formidine, licet obscurum.

129 *Per istũ assensum, quo* Petes, an per istum assensum, quo iudico, Deũ reuelare hæc mysteria, seu hoc proponi ex parte Dei dicar scire, an credere reuelationem? Respondeo, dici potius credere, quia licet non assentiar propter Dei testimonium, quo hoc ipsum sit reuelatum, sed immediatè ex ipsis terminis vt dictum est; quia tamen assentior obscurè, & captiuando intellectum ad assentiendum sine formidine, ideo dicor credere reuelationem: est tamen hoc *credere*, valde diuersum ab illo, quo credo Incarnationem; quia illud prius est credere per modum primi principij, hoc autem posterius est credere per modum conclusionis, & propter aliud. Per hoc tamen non nego, quin postea ipsam reuelationem possim credere propter diuinum testimonium sicut alia fidei mysteria, quia etiam ipsa reuelatio sæpè reflexè reuelata est: nũc autem solùm agimus de illo assensu reuelationis, qui necessario præcedit ad omnem actum fidei, quo creditur aliquid propter ipsam reuelationem.

Ex dictis *in hac sect.* infero primò, hæc omnia motiua extrinseca, pro vt mihi hîc, & nunc proponuntur, esse partim rationem formalem fidei saltem partialem, partim verò esse conditionem. Sunt quidem ratio formalis, quia ex iis omnibus, vt mihi proponuntur, integratur hîc & nunc loquutio mediata Dei mihi facta, propter quam credo; nam licèt ego non credam incarnationem propter testimonium hominum considerando illud provt præcisè ab ipsis hominibus habet auctoritatem; cæterùm credo incarnationem propter idem materiale testimonium, hominum consideratum vt est signum, aut nutus saltem partialis, quo Deus mihi mediatè proponit mysterium incarnationis, & provt integrat hoc quod est hanc doctrinam proponi mihi ex parte Dei, sicut qui audit Prophetam aliquid proponentem, licet non credat propter verba Prophetæ, provt habent auctoritatem præcisè à Propheta; credit tamen propter illa verba, quatenus sunt verba Dei loquentis mediatè per os Prophetæ; sic etiam nos credimus partialiter propter propositionem Ecclesiæ, non provt sunt præcisè verba Ecclesiæ, & sistendo in eius auctoritate, sed provt sunt nuncium Dei, seu provtex illis verbis integratur hoc quod est mysteria proponi mihi mediatè ex parte Dei. Deinde hæc eadem motiua sunt conditio etiam ad assensum fidei; quatenus eorum cognitio generat prius iudicium prudentis credibilitatis mysteriorum, ex quo iudicio mouetur voluntas ad imperandum assensum fidei. Quare illa motiua habent duplicem influxum in fidei assensum: alterum immediatum, quatenus sunt ratio formalis partialis assentiendi mysteriis reuelatis modo dicto: alterum mediatum mouendo voluntatem, & media voluntate excitando ad actum fidei sine formidine eliciendum, & vt sic sunt conditio.

Infero secundò quomodo possint intelligi aliqua Scripturæ, & Patrum loca, quibus videtur nostra fides resolui in opera miraculosa, vel aliquid creatum, tanquam in rationem credendi. Ioann. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, &c. & cap. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis*, & cap. 4. *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia*, &c. Hæc enim omnia, & alia similia probant bene; opera ipsa, & alia motiua non esse omnino excludenda ab assensu fidei, & in eodẽ sensu Ambrosius *serm.* 15. *de epiphania* dixit, *fidem audiru, & visu comparari*, vbi de propositione doctrinæ, & de miraculis visis loquitur, & ira S. Thomas *quæst.* 2.

quæst. 2. art. 9. ad 3. agens de fidei motiuo, includit etiam miracula dicens: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum: inducitur enim auctoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, &c. Vnde non leuiter credit, cum habeat sufficiens inductiuum ad credendum.* In eodem etiam sensu Michaël Medina *lib. 5. de recta in Deum fide cap. 11. §. ergo in fidei.* dicit, eos qui audiebant Apostolos, debuisse credere, quia miraculis testabantur, eam doctrinam esse veram. Ratio autem est. Nam licèt non intrent hæc omnia tanquam motiua humana, nec suadeant auctoritate hominum; intrant tamen quatenus ex ipsis componitur, & conflatur reuelatio mediata Dei, seu hoc quod est proponi nobis ex parte Dei illud mysterium sicut apparatus, & comitatus, quo legatus Regius venit ad Pontificem, ostendit illum esse legatum regium; & quidem quando loquitur, ego iudico eum loqui ex parte sui Regis, non quidem propter auctoritatem famulorum, qui ipsum comitantur sistendo in ipsis, sed quia ex terminis mihi constat, orationem cum tanto apparatu, & talibus circumstantiis factam, esse orationem legati regij, & non priuati homnis. Sic etiam ex terminis non quidem euidenter, sed obscurè apparet, doctrinam, quæ mihi cum tantis miraculis, & cum tanto apparatu proponitur, proponi quidem non auctoritate priuata, sed diuina: itaque non credo hoc propter testimonium hominum proponentium, sed quia est legatio diuina, quam componunt etiam partialiter in ratione legationis ipsa miracula, & reliquus apparatus famulorum, & circumstantiarum, quæ integrant hanc propositionem, qua mihi proponitur mysterium credendum. Quam sententiam omnium clarissimè videtur tradidisse S. Thomas *in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad. 3.* cum enim opposuisset, quod actus fidei non sit credere Deo sed potius credere homini, hoc est nuncio Dei: respondet nos credere non homini vt homini sed quatenus in eo Deus loquitur, seu Deo in homine loquenti & in hoc etiam sensu videntur intelligendi auctores illi, qui assensum fidei resoluunt partialiter saltem in auctoritatem ecclesiæ, prout ecclesia gubernatur à Spiritu sancto, quo modo loquitur Bañes *in præs. quæst. 1. art. 1. dub. 4.* Medina, Aiala, Durand. Gabr. & Almainus, quos affert Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 10. n. 9.* quæ doctrina vera esse potest in sensu explicato quatenus scilicet auctoritas Ecclesiæ non consideratur præcisè vt humana sed vt componens, & integrans organum mediatum proportionatum per quod in his circumstantiis intelligitur Spiritus sanctus proponere mediate mysteria crededa.

SECTIO VIII.

Soluuntur aliæ obiectiones contra eamdem sententiam.

132 HAnc sententiam hoc modo explicatam, quam anno 1617. primò tradidi, impugnarunt postea aliqui, & primus P. Hurtadus in manuscriptis, his potissimum argumentis, quibus oportet primò breuiter satisfacere. Primò, quia hoc vt detur accedere ad errorem hæreticorum nostri temporis, qui resoluunt fidem christianam in reuelationes priuatas singulis factas. Respondeo, nihil nos habere commune cum illis: nos enim non exigimus ad credendum, reuelationem immediatam internam, vel spiritum priuatum, internum, sed solùm, quod doctrina credenda proponatur nobis ex parte Dei, quod quidem nullus Catholicus potest non exigere: resoluimus ergo fidem non in reuelationem priuatam singulis factam interius, sed in hoc, quod mysterium illud proponatur nobis ex parte Dei, quæ potest aliquo modo appellari reuelatio mediata, & loquutio Dei, vt explicuimus.

Hæc doctrina non exigit spiritum priuatum internum, qui est error hæreticorum.

Obiectio 1.

133 Secundò obiicit, quia si Deus loquitur fidelibus medio parocho proponente res fidei, ergo Deus assistit Parocho, ne possit fallere, sicut assistebat Prophetis, per quos Deus loquebatur: ergo parochus habet infallibilem auctoritatem in proponendo. Respondeo cum P. Suarez *in præsenti disp. quinta sect. prima, num. 4.* parochum non habere infallibilem auctoritatem permanenter, vel habitualiter, habere tamen illam actualem, quoties proponit cum sufficientibus motiuis credibilitatis; ad Dei enim prouidentiam spectat ne ille in iis, quæ tali modo proponit, decipiat auditores, differt tamen valde à Prophetis, quia ij præscindendo ab aliis circumstantiis peculiariter à Deo tanquam organum assumebantur, per quod loquebatur: Parocho autem secundùm se non tenetur Deus assistere peculiariter, sed solùm prout in iis circumstantiis, hoc est, in iis, quæ proponit cum talibus, & talibus motiuis credibilitatis, vel quando vere prouenit ex parte Dei.

Parochus proponens res fidei, quatenus habeat infallibilem auctoritatem.

Obiectio 2.

134 Tertiò obiicit; ego credo propter testimonium Dei, sed verba parochi non sunt testimonium Dei: ergo non intrant vllo modo ad componendum motiuum formale fidei. Respondeo, distinguendo maiorem, ego credo propter testimonium immediatum Dei secundum se solùm, nego; propter testimonium Dei mihi propositum concedo: tunc autem distinguo minorem: verba parochi non sunt testimonium Dei secundum se, concedo: non componunt hoc quod est testimonium Dei mihi propositum, nego: denique ad consequentiam dico, me non credere propter verba parochi vt parochi sistendo in eius auctoritate, sed propter testimonium Dei mihi propositum cum talibus circumstantiis, &c.

Obiectio 3.

135 Quartò obiicit; illa actio, qua Parochus proponit mysteria credenda, potest esse peccatum, ergo non fit peculiariter à Deo, ergo non loquitur Deus per illam mediatè, nec immediatè. Respondeo, Nuncium, seu Legatum Regis posse ex malo animo exequi iussa Regis, & loqui, quæ accepit à Rege; & tamen illud vere proponit ex parte Regis. Sic Parochus potest ex malo animo proponere, quæ accepit ab Ecclesia; quia Deus relinquit illum indifferentem ad proponendum, vel non proponendum, & ad proponendum ex malo, vel bono animo; & licet illa actio non fiat peculiariter à Deo; tamen vere proponit ex parte Dei, quia proponit, quæ vere accepit proponenda à Deo; vel ab Ecclesia: loquutio ergo mediata non debet esse à Deo peculiariter secundum omnes sui partes. Exemplum habes clarum in Sacerdote consecrante ex malo animo, cuius loquutio est mala, & tamen loquitur nomine Christi, & ex parte Christi, cuius personam repræsentat. Faciliùs poterit parochus proponere ex parte Dei mysteria credenda, quamuis ea proponat

ponat malo animo, & per actionem peccaminosam. Assistit tamen Deus peculiari prouidentia parocho sic loquenti, & proponenti cum sufficientibus motiuis mysteria, ad hoc vt non decipiat, vt dixi; sicut etiam Sacerdoti proferenti ritè verba consecrationis, licèt ex malo animo, assistit Deus peculiariter, vt verè loquatur, quia loquitur in nomine Christi.

136 Obiectio 5. Quintò Obiicit, quia posset parochus ex animo decipiendi proponere aliquem articulum verum, putans esse falsum; tunc certè non loqueretur ex parte Dei. Respondeo tunc non loqui ex parte Dei, sed neque auditores tunc eliciunt actũ fidei diuinæ supernaturalis circa illum articulum; sicut si falsò crederes aliquid esse definitum in aliquo Concilio, & ex hac falsa apprehensione velis illud credere de fide, non elicis actum supernatutalem, licèt id aliàs contineretur in Scriptura. Ratio est, quia licèt illud verè fuerit reuelatum à Deo, tibi tamen non est verè propositum ex parte Dei, sed apparenter; nemo autem potest credere fide diuina, quæ ipsi non sunt verè proposita ex parte Dei.

137 Dices, qui mihi dicit, Incarnationem credi in Ecclesia, potest me sufficienter mouere ad fidem Incarnationis, licèt ipse Incarnationem non credat; & tamen ille non proponit ex parte Dei, ergo possum ego credere id, quod mihi non proponitur ex parte Dei. Respondeo negando Minorem, proponere enim ex parte Dei quoad præsens attinet, non est credere Deo, vel credere ea, quæ proponuntur, sed solum quod notitia illa, quæ mihi per nuncium venit, orta sit, & deriuata ex prima reuelatione Dei, Deus enim reuelauit Incarnationem ex animo, vt mihi proponeretur, & vt notitia reuelatæ Incarnationis veniret ad me per hominum manus. Quotiescũque ergo illa prima reuelatio influit ad notitiam, quæ hîc, & nunc ad me venit, iam incarnatio proponitur mihi ex parte Dei. In casu autem posito ille nuncius vtitur verè notitia deriuata ex illa reuelatione; nempe notitia, quam habet Ecclesia: quod autem ipse non credat Incarnationem, se habet per accidens. Sicut si Legatus Regis dicat, Regem promisisse venire ad vrbem: quantumuis ipse Legatus non crederet Regem venturum; proponit tamen mihi sufficienter credendum aduentum Regis propter ipsius Regis auctoritatem. Sic etiam in præsenti proponitur mysterium Incarnationis, si tamen verè proponatur per notitiam deriuatam à prima reuelatione Dei.

138 Hæc obiecit, vt dixi, meæ sententiæ P. Hurtadus in manuscriptis: postea verò in tomo de fide à se typis edito eandem meam sententiam impugnat *disp.* 13. *sect.* 9. *& disput.* 14. *sect.* 1. §. 3 *& tribus sequentib.* repetitis aliquibus ex prædictis argumentis, & aliis omissis; sed præsertim inculcat, quod videatur hæc nostra sententia fauere hæreticis nostri temporis exigentibus reuelationem Dei singulis fidelibus factam ad credendum: quia quod nos exigamus reuelationem fidei per alios Dei nuntios, hæretici verò fieri à solo Deo, parum refert; nam licèt hæretici dicerent, non fieri sibi a Deo immediatè reuelationem, sed per Angelos, vel alios ministros Dei, sicut Moysi, & Prophetis fortasse Deus non loquebatur immediatè per se ipsum, sed per Angelos; adhuc idem periculum esset in ea doctrina.

139 Hoc tamen argumentum, vt ponderauit in simili P. Granado *tract.* 1. *de fide disp.* 5. *sect.* 6. *n.* 27, mirum est, quod à viris doctis proponatur cùm eodem modo sit ab omnibus soluendum. & quidem ipse Hurtadus debet ad illud respõdere, qui, licet dicat; propositionem ecclesiæ non esse motiuum formale intrinsecum, dicit tamen esse conditionem, sine qua non, à qua fidei assensus omnino dependet. Vnde *disp.* 3 5. §. 5. & alibi sæpe dicit, fidem hoc modo resolui, *credo, Deum esse Trinum, quia credo id eum reuelasse; credo autem propter eius reuelationem, quia credo, eum neque fallere posse, neque falli. Reuelationem verò ipsam credo, quia vel proponitur à tota ecclesia, vel miraculis, aut alio argumento confirmatur, quo redditur credibilis euidenter.* Vnde subdit, absolutè resolutionem fieri in auctoritatem humanam Ecclesiæ, vel miracula; vel alia argumenta euidentis credibilitatis; quia absolutè non possumus fide diuina reuelationem credere, nisi cum dependentia ab hac euidenti credibilitate: absoluta autem dependentia, etiam in ratione conditionis, spectat ad rationem causæ, eádemque ratione ad resolutionem obiectiuam. Hæc ille, ex quibus constat, idem argumentum contra ipsum retorqueri posse. Quod enim nos dicimus de resolutione in obiectum formale, ipse dicit de resolutione vera obiectiua in eádem motiua, quæ non vocat obiectum formale, sed conditionem essentialem ad assentiendum fide diuina. Hæretici autem parum curabunt de nomine obiecti formalis, vel conditionis essentialis ad resolutionem obiectiuam, dum ipsis licentia detur assignandi aliquid, siue appelletur reuelatio, siue propositio reuelationis (de hoc enim parum curabunt) in quod verè, & propriè resoluere possint suam fidem, tanquam in regulam vnicuique propriam, in quo Hurtadus durius loquitur quam uos, dum dicit, resoluit propriè fidem nostram in auctoritatem humanam Ecclesiæ, quod nos non concedimus, nec putamus concedendum: quia illam ipsam Ecclesiæ propositionem dicimus esse aliquid diuinum, nempe confians loquutionem mediatam Dei, quatenus Deus per Ecclesiam nobis credenda proponit, & Ecclesia proponit non suo nomine, sed ex parte Dei.

Re tamẽ vera nec ipse, nec nos fauemus Caluino, vel hæreticis modernis in aliquo, cum eorum error alius longe diuersus sit, vt bene explicat cum aliis P. Suarez *disp.* 4. *sect.* 1. qui totum eorum errorem in hoc dicit consistere, quod velint, *nihil ab homine credendum esse, nisi quod Deus illi immediatè proponit, & reuelat.* Vnde regulam credendorum nullam aliam ponunt, nisi priuatam inspirationem, seu illuminationem, quæ vnicuique interius fit: ad quem errorem vtuntur testimoniis scripturæ, ex quibus probent, Deum singulis immediatè loqui, & proponere: Hierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*: & postea, *non docebit vnusquisque proximum suum.* 1. Ioann. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus*, & iterum; *non necesse habetis, vt aliquis doceat vos.* Matth. 23. *Vnus est magister vester* Ioann. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis autem iudicat omnia.* Quæ loca non minus adducuntur ab hæreticis ad excludendum propositionem, & doctrinæ Ecclesiæ necessitatem quàm ad excludendum motiuum formale reuelationis per alios propositæ. Quare quicunque admittit necessitatem communem regulariter loquendo propositionis, vel doctrinæ extrinsecæ per

per homines factæ, per quos Deus docet, & proponat fidei doctrinam, contradicit hæreticis, & ponit necessitatem regulæ visibilis, ad quam sit recurrendum, & de cuius sufficientia, vel insufficientia hæretici possint conuinci, quam regulam visibilem & communem hæretici tollere volunt ad palliandos suos errores. Quod vero regula hæc visibilis sit solùm conditio essentialiter necessaria, vel intret ad conflandum motiuum fidei, hæretici non curant; imò magis auersabuntur, quod hæc regula visibilis intret ad componẽdum motiuum formale fidei, cùm ipsi omninò conentur facere fidem independentem à tali regula visibili. Quomodo ergo potest hæreticis modernis fauere, qui hanc regulam visibilem dicit adeò esse necessariam, vt non solum sit conditio extrinseca, sed intret partialiter ad conflandum ipsum motiuum intrinsecum fidei in iis, qui non immediatè à Deo ipso, sed ab Ecclesia doctrinam fidei accipiunt? Certè non videntur satis attendisse ad mentem, & medullam erroris Caluini, qui hoc obiiciunt.

141 Quia verò cætera argumenta, quæ P. Hurtadus contra nostram sententiam repetit, & inculcat, adducta etiam sunt ab aliis Recentioribus, qui nostram doctrinam latius impugnarunt, ne eadem sæpius repetamus, prosequemur referendo, & dissoluendo omnia, quæ & ab ipso, & ab aliis opposita sunt, qui multa alia argumenta addiderunt. Priùs tamen aduerto, ipsum Hurtadum tandem *disp. 13. sect. 9. §. 124.* veritate compulsum respondendo ad verba illa ex 2. ad Hebræos à nobis adducta, *contestante Deo signis, & portentis*, in quibus Deus dicitur per miracula nobis loqui dando auctoritatem prædicatori proponenti res fidei ex parte Dei, *in solutione ad 4.* ingenue concessisse, illam esse loquutionem Dei, & contestationem illam per signa, & portenta esse infallibilem ab auctore Deo; *qualis tamen* (inquit) *non est parochi propositio*. In quo iam videtur nobis consentire, dum videtur concedere, eum, qui propter miracula credit, moueri ab ipsis miraculis, tanquam à testimonio Dei, ita vt miracula non sint solùm conditio extrinseca, sed constent ipsam testificationem, & loquutionem mediatam Dei, & quidem infallibilem. Ex quo paulatim deduci potest, vt idem concedat de aliis motiuis credibilitatis, quæ non minùs conducunt ad obligationem credendi, quam miracula. Nam sicut videns miracula conuincitur ad agnoscendam credibilitatem doctrinæ propositæ à prædicatore; sic etiam qui agnoscit sanctitatem doctrinæ, & Ecclesiæ proponentis, martyrum fortitudinem, consensum doctorum, & proborum, & alia, non minùs conuincitur ad agnoscendam credibilitatem doctrinæ propositæ, & reuelationis Dei; sicut ergo miracula, quæ sunt cõditio, & motiuũ credibilitatis, possunt etiã esse obiectum formale, quatenus Deus per illas manifestat, mediante prædicatore doctrinã suam videntibus miracula, quæ faciunt fidem prædicatori, vt pro vero Dei nũtio habeatur, & acceptetur; sic etiã hæc alia ornamenta quæ in prædicatore & prædicatione agnoscuntur, licet sint conditiones, & motiua credibilitatis, poterunt eadem conflare motiuum formale, cùm non minus hæc ostendant doctrinam illam proponi à prædicatore ex parte Dei, quam miracula. Quod vero attinet ad propositionem Parochi, respondet benè P. Suarez *dict. disp. 5. sect 1. num. 4.* Si Parochus proponat articulum taliter, vt faciat eum sufficienter credibilem per fidem, & sit obligatio eum credendi tanquam dictum à Deo, Parochum etiam tunc habere infallibilem auctoritatem in eo, quod tunc dicit, quia licet illam non habeat ex se, neque ex infallibili Dei assistentia ei promissa; habet tamen illam ex omnibus requisitis ad propositionem fidei, cum qua est coniuncta talis prouidentia Dei, vt non permittat, sub eius auctoritate taliter proponi, quod re vera ab ipso reuelatum non est: nam hæc prouidentia necessaria est, vt homines possint certò credere Deo sic loquenti. Quod si aliquando contingat, aliquod falsum à Parocho proponi, quod videatur etiam sufficienter proponi, id prouenit ex ignorantia audientis, nam re ipsa non erat sufficienter propositum. Hæc omnia Suarez *ibi & n. 5.* quibus ostẽdit benè vnde proueniat auctoritas ita proponentis talis, vt in ea possit fundari nostra fides. Nunc videamus alia argumenta, quæ opponunt, & respondeamus ad singula.

142 Sextò igitur obiiciunt, quia si motiuum fidei in rustico est, quia Parochus proponit, vt nuncius Dei, petunt an Parochus constituatur Dei nuncius, antequam proponat illum articulum, vel per ipsam actualem propositionem? Non quidem ante; quia si hoc esset, non posset proponere aliquid falsum, quod tamen est contra experientiam; sed nec dici potest; quod constituatur nuncius Dei per ipsam actualem propositionem reuelationis veræ, nam si rusticus credit, quia parochus proponit vt nuncius Dei, quia proponit reuelationem veram à Deo olim factam: ergo credit vltimò, quia Deus olim reuelauit, atque ideo resoluit totam suam fidem in reuelationem præteritam Dei, & manet nobis eadem difficultas soluenda. Probatur vltima consequentia, quia Parochum proponere vt nuncium Dei, est proponere veram reuelationem Dei præteritam; proponere autem reuelationem veram Dei, includit illam fuisse reuelationem à Deo factam, ergo si creditur, quia Parochus est verus nuncius, creditur, quia illa reuelatio fuit verè olim facta à Deo. *Obiectio 6.*

143 Hoc idem argumentum proponunt aliis verbis circa ipsam reuelationem, vel loquutionem mediatam Dei, quam diximus esse motiuum formale nostræ fidei; quia homo non mouetur ad credendum propter reuelationem mediatam mysterij, nisi quatenus hæc est vera loquutio, & reuelatio mediata Dei, hoc est, quatenus Deus mediatè loquitur per hos nuncios, vel per hunc modum proponendi: sed hoc, quod est, hanc esse veram reuelationem, vel loquutionem mediatam Dei, includit partialiter reuelationem præteritam, & immediatam Dei, si enim olim Deus hæc non reuelasset, licet nunc Parochus ea proponeret, non esset hæc propositio loquutio, vel reuelatio mediata Dei; ergo de primo ad vltimum fidelis credit partialiter propter reuelationem præteritam Dei, & non propter solam propositionem, & motiua præsentia.

144 His suppositis arguunt vlteriùs: si motiuum formale nostræ fidei includit illa duo, scilicet reuelationem præteritam Dei, & propositionem, quæ nunc mihi proponitur, ex quibus duobus fit illud complexum, quod appellatur reuelatio, & loquutio mediata Dei; seu hoc proponit verè ex parte Dei: tunc quæri potest, an illa duo credantur immediate, an verò vnum immediatè,

& alterum mediatè? Si primum ergo reuelatio etiam præterita prout condistincta à propositione præsenti credi potest immediatè, & propter se; & per consequens non est opus recurrere ad aliquid aliud præsens, sed resoluere possumus vltimò fidem nostram in reuelationem præteritam, quam immediatè credamus, vt dicit sententia contraria quam impugnauimus. Si verò dicatur secundum, ergo vel credimus immediatè reuelationem solam præteritam, & propter illam credimus propositionem præsentem; & tunc redit idem argumentum, quod scilicet vltimò resoluatur in solam reuelationem præteritam, atque adeo incidimus in sententiam, quam impugnamus. Vel denique credimus immediatè solam propositionem præsentem, & propter illam credimus reuelationem præteriam: & tunc non habemus pro motiuo formali vltimo loquutionem, & reuelationem mediatam Dei; quia propositio mera præsens, prout non includit reuelationem præteritam Dei, non est loquutio, vel reuelatio mediata Dei, vt probatum est.

145 Hoc argumentum totum, quocumque modo explicetur, habet eandem difficultatem contra motiuum fidei humanæ, de qua quod dixeris, applicare debes ad motiuum fidei diuinæ, quæ (vt dixi) cum proportione versatur circa diuinum testimonium eo modo, quo fides humana versatur circa testimoniũ humanum: Quomodo ergo accipis epistolam patris, qui refert, Petrum obiisse, credis sanè fide humana mortem Petri propter auctoritatem, & testimonium Patris, cuius scripturam, & characteres agnoscis. Motiuum ergo formale præter patris veracitatem, est Patris testificatio: quæ quidem testificatio, si attentè consideretur, non continet solùm characteres secundum se, sed etiam actionem præteritam, qua Pater illos formauit; nam si iidem characteres ab alio formati essent, non fuissent testificatio Patris. Eodem ergo modo interrogate possumus; an credas propter Scripturam, provt comprehendit characteres, & actionem etiam præteritam, qua formati sunt à patre? alioquin non credis propter Scripturam, & testificationem patris. Rursus, si credis propter complexum ex characteribus, & actione præterita, interrogo, an vtramque partem illius complexi credas immediatè, an vnam propter alteram, nempe actionem præteritam propter characteres præsentes, quos vides? & tunc fit idem argumentum, quod scilicet non resoluatur fides tua in testimonium patris; nam characteres secundùm se vt condistincti ab actione præterita, non sunt testificatio patris.

146 Imò hoc idem argumentum fieri potest, quando credis patri non scribenti, sed ore proprio loquenti coram te; nam in ipsis etiam verbis possumus distinguere illa duo, scilicet sonum vocis, quem auribus percipis, & actionem, quà productus fuit à Patre: siue enim ea actio distinguatur ab ipso sono producto, certè auris non percipit, cuius sit illa actio, nam si Deus solùm produceret similem sonum, vel Dæmon fingeret vocem tui patris, non discerneres vtique vnam vocem ab alia: ergo sonus ipse provt condistinctus ab illa actione, non est testificatio, vel loquutio Patris. Credis ergo propter complexum ex sono, & ex actione, si credis propter testimonium patris: & tunc redit idem argumentum, quod scilicet non credis vtramque partem immediatè, sed vnam propter aliam, nempe actionem patris propter sonum, qui tibi indicat, esse productum à patre, vides, quoad hoc non esse differentiam inter fidem diuinam, & humanam, sed potiùs ex modo, quo credimus fide humana propter testimonium hominum, declarandam esse, vt dixi, quomodo cum proportione credamus fide diuina propter testimonium Dei.

Dices, fidem diuinam differre in hoc à fide humana; quod humana, quia est actus naturalis non potest resolui vltimo in testimonium loquentis, nec tendere in illud propter se, si sit ineuidens: & ideo oportet, quod ipsam testificationem credat propter aliquid aliud, at fides diuina, quia supernaturalis est, potest habere illum modum tendendi in testimonium Dei propter se sistendo in illo, licèt non appareat.

Sed contra hoc est; quia in primis falsum est, quod actu naturali non possimus tendere in testimonium humanum ineuidens, sistendo in ipso, nam ipsi aduersarij fatentur, posse nos, & de facto tendere per actus naturales in aliqua obiecta ineuidentia, vt in prima principia probabilia: sicut ergo possumus assentire aliis obiectis obscuris propter ipsa, & sistendo in illis; cur non poterimus assentire testimonio humano ineuidenti sistendo in ipso; non superat ergo hoc vires naturales intellectus, imò plerumque contingit, quod non solùm de re nobis dicta, sed de ipsa testificatione dubitemus, an aliquis teuera dixerit, vel non dixerit, & aliquando assentimur inuidenter quod dixerit; & propter illud testimonium assentimur etiam obiecto testificato. Deinde, quidquid de hoc sit, certum mihi est, quod non requiratur cum maiori proprietate, & rigore verificari, quod per fidem diuinam credimus Deo, & mouemur ab eius auctoritate, & testimonio quàm credamus per fidem humanam homini, & moueamur ab eius testimonio; nam in stricto, & communi modo loquendi omnium doctorum, & indoctorum, qui fide humana aliquid credit, dicitur mouere auctoritate, & testimonio dicentis, nec sancti Patres vnquam aliud à nobis exigunt, nisi vt credamus Deo, sicut credimus homini, addita tamen maiori firmitate in ipsa fide, & assensu. Videatur Augustinus *lib. de vtilitate credendi tom. 6.* qui totus est in probanda obligatione, & necessitate credendi res nostræ fidei, ex eo, quod in aliis materiis oportet credere parentibus, amicis, magistris, & famulis: multò ergo magis oportet credere in materia religionis. Non ergo vsurpant in alio sensu, aut significatione verbum *Credendi*; alioquin argumentum ineptum esset; nam si fides humana non sistit in testimonio dicentis sed in aliquo alio, fides autem diuina debet sistere in testimonio Dei, non arguitur bene à debito, & vtilitate fidei humanæ ad debitum fidei diuinæ: retorqueret enim Manichæus argumentum, imò vt credam amico, vel parenti, oportet recurrere ad aliquid aliud, & non sistere in eius testimonio; ergo & vt credam Deo, potero recurrere ad aliquid aliud, & non sistere vltimò in eius testimonio, vnde enim scio alium modum credendi à me exigi circa Deum, quàm circa homines, qui absque miraculo possibilis mihi non sit?

Confirmatur primò, & explicatur vlterius vis huius rationis; quia si modus tendendi in testimonium propter ipsum superat modum naturalem

lem operandi nostri intellectus ; pero in pura natura qualis obligatio esset credendi Deo aliquid intimanti, vel præcipienti ; deberet ne homo credere Deo sistendo in eius testimonio ? Respondent Recentiores, quod tunc solùm deberet credi Deo, sicut creditur homini, resoluendo scilicet fidem in alia motiua, & rationes, quæ ostenderent, Deum illud testificari : ex hoc autem sic arguo : ergo lumine naturæ, non constat nobis obligatio credendi de facto propter Dei testimonium sistendo in ipso : debet ergo hoc ipsum præceptum aliunde haberi ex Dei reuelatione, & fide credi. De hoc autem ipso primo actu fidei, quo creditur illa obligatio, redit difficultas : quia ante ipsum non potest præcedere alius actus fidei, sed solùm iudicium prudentiæ euidens de credibilitate, seu obligatione credendi ; ergo illa obligatio cognoscitur euidenter ; ergo non solùm ex reuelatione, & fide : alioquin nulla erit obligatio eliciendi illum primum actum fidei, & per consequens neque vllum alium sequentem. Fatendum ergo est, lumine naturæ cognosci (licet ille etiam assensus euidens fiat supernaturalis, vt infra videbimus) obligationem conandi elicere assensum fidei firmum propter Dei testimonium, eo modo, quo credere solemus propter testimonium hominum, addita, vt dixi, maiori firmitate, vt decet diuinam auctoritatem, cui creditur : alioquin non posset præcedere iudicium euidens prudentiæ de eiusmodi obligatione credendi.

149. Confirmatur secundo, quia si eiusmodi obligatio solum potest constare ex reuelatione speciali, qua Deus reuelauit, se velle eleuare hominem ad talem modum insolitum credendi, quem ab eo vult exigere ; non potest hoc debitum innotescere, nisi hæc ipsa reuelatio proponatur. Et tamen fideles incipiunt credere mysteria fidei, antequam illis proponatur illa specialis Dei reuelatio, vt constat experientia omnium : ergo fatendum est, vel ipsos non credere fide diuina toto illo tempore, vel (quod verum est) proposita sufficienter reuelatione Dei circa mysteria, eo ipso cognosci obligationem de iure naturæ conandi, seu imperandi assensum firmum circa illa obiecta propter Dei testificationem, eo modo, quo credimus hominibus doctis, vel grauibus, ablatis tamen imperfectionibus infirmitatis, formidinis, &c.

150 Hinc ergo, vt ad solutionem obiectionis redeamus, constat, eodem modo quoad hoc resoluendũ esse assensum fidei nostræ in testimonium Dei, quo resoluitur assensus fidei humanæ in testimonium hominis, patris, vel amici : in hoc autem ita credimus obitum Petri v.g. propter testimonium Ioannis, vt hoc ipsum testimonium credamus propter ipsum. Resoluendo autem testimonium illud in suas partes, quibus constat, nempe in characteres. v. g. quos videmus, aut sonum vocis, quem audimus, & actionem, qua characteres formati fuerunt à Ioanne, vel sonus ab eodem fuit productus ; dici posset, ita credi à nobis illud complexum, vt tamen non vtraque pars credatur æquè immediatè, nam actionem præteritam cognoscimus mediante charactere, vel sono, qui nobis indicat processionem suam à Ioanne. Hoc tamen non obstat, quominus dicamur verè credere propter testimonium Ioannis, nam characteres ipsi, vel vox, quam percipimus, quid aliud est, quam testificatio, & loquela Ioannis ? si ergo credimus propter characteres, aut voces verè, & propriè credimus propter testificationem Ioannis. Fatemur, non resolui fidem vltimò in testimonium Ioannis reduplicatiuè secundùm totum, quod inuoluit etiam in obliquo, nam vt sic inuoluit etiam actionem præteritam ; resoluitur tamen in totum illud, vt in motiuum, & tanquã in motiuum vltimũ resoluitur in testimonium Ioannis secundũ quod dicit in recto, scilicet in characteres, aut voces, quæ verè, & propriè sunt testimonium & loquela Ioannis, quæ seipsa manifestat, se esse loquelam Ioannis, quia se ipsa manifestat actionem præteritam, qua processit à Ioanne.

Similiter ergo fides diuina dici posset cum eodem rigore, & proprietate, quod resoluitur in testificationem Dei, nam licèt testificatio mediata Dei, vt talis est, inuoluat duo, scilicet propositionem, qua nunc à Parocho v. g. proponitur articulus cum his circunstantiis &c. & processionem qua hæc propositio processit à Deo media reuelatione præterita, & tota serie intermedia, & licèt assensus fidei non tendat æque vltimò ad illa omnia, vere tamen credimus illam testificationem Dei sistendo in ipsa, hoc est, non probando illam ex aliquo, quod sit extra ipsam, sed vltimò resoluẽdo in ipsam secundùm id, quod dicit in recto, scilicet in propositionem præsentem, quæ licet non probet euidenter reuelationem præteritam Dei, probat tamen eam cum tanta verisimilitudine, vt accedente pia affectione possit prudenter credi hanc propositionem esse ex parte Dei, seu procedere mediatè ex reuelatione præterita Dei : quare dum credimus mysterium reuelatum propter mediatam testificationem Dei, resoluimus vltimò partialiter in hanc propositionem præsentem, quæ verè est in recto testificatio mediata Dei, & quæ seipsa ostendit obscurè se esse talem, dum ostendit, se procedere ex reuelatione præterita Dei. Quando ergo dicimus, quod ex terminis ipsis incuidenter apparet hanc esse loquutionem mediatam Dei, seu hoc nobis proponi ex parte Dei ; nolumus dicere, quod omnes, & singulæ partes illius complexi constent, vel appareãt immediatè ex terminis : sed solũ dicimus, quod sicut testificatio hominis quoad id, quod dicit in recto, apparet immediatè, & probat id, quod dicit in obliquo : sic testificatio mediata Dei quoad id, quod dicit in recto apparet incuidẽter ex cõnexione terminorũ, quia hæc propositio parochi cũ talibus circumstantiis miraculorũ, motiuorũ, &c. ex ipsis terminis est talis, quæ probat, quod procedit à reuelatione præterita Dei ; quæ reuelatio præterita, licet ipsa nõ appareat immediate, ex terminis, apparet tamen immediate ex terminis, hanc præsentẽ propositionem esse talem, quæ probet reuelationem præteritam, atque adeò ex terminis apparet, hanc esse reuelationẽ mediatam, hoc est, esse talem, quæ se ipsa probet, quod procedit ex reuelatione præterita & immediata Dei, & tota propositio integra apparet ex terminis, quia non apparet ex alio præter ipsos terminos, qui componunt reuelationem mediatam.

Testificatio mediata Dei duo inuoluit.

151

152 Hæc autem doctrina non solum procedit in nobis qui credimus propter reuelationem mediatam, seu propter reuelationem præteritam nobis ab aliis propositam ; sed etiam in iis, qui crederent propter reuelationem immediatam Dei inuidentem v.g si Deus alicui immediate loqueretur, & reuelaret aliquid per voces materiales ab ipso Deo formatas : tunc enim crederet quidem

dem propter reuelationem immediatam Dei, nempe propter voces illas, quæ sunt reuelatio immediata Dei: illæ tamen voces ostenderent, ipsas formatas esse à Deo, actio verò Dei, qua illas produxit, & quæ complet illas voces in ratione testimonij diuini, non apparet immediatè in se, sed per voces ipsas, quæ possunt obscure, & ineuidenter ostendere illam actionem, seu processionem à Deo. Vnde quoad hoc non dicimus aliquid peculiare de reuelatione mediata: vtraque enim immediatè apparet in se ipsa quoad id, quod dicit in recto: in vtraque apparet immediatè, quod sit aliquid probans, quod procedat à Deo: in vtraque denique cognoscitur non immediatè sed mediatè id per quod completur in obliquo in ratione testimonij diuini, scilicet, actio Dei, qua mediatè vel immediatè processit à Deo.

153 *Parochus per propositionẽ actualem articuli veri constituitur nuncius Dei quoad illum articulum.*

Hinc iam responderi facile potest ad obiectionem suprà factam: dici enim potest, parochum per ipsam propositionem actualem talem articuli veri constitui nuncium Dei quoad illum articulum. Rusticus autem credens articulum; quia parochus illum taliter proponit vt nuncius Dei; credit quidem propter illud complexum ex propositione Parochi, & reuelatione Dei præterita, à qua hæc propositio completur in ratione reuelationis mediatæ: non tamen ita vt singulæ partes illius complexi credantur immediatè, sed vna propter aliam scilicet reuelatio præterita propter propositionem præsentem, quæ cum talibus circunstantiis facta probat ineuidenter, quod procedat à reuelatione præterita Dei, vt explicatum est.

154 *Reuelatio mediata vera est motiuum vltimum nostræ fidei secundùm partem quã dicit in recto, nõ secũdùm totum quod includit in obliquo.*

Eodem etiam modo respondendum est ad alteram instantiam ibi factam: scilicet, nos credere propter reuelationem mediatam veram; provt vera autem includit reuelationem immediatam præteritam. Respondetur facilè, motiuum esse reuelationem mediatam veram, non ita, vt sit motiuum vltimum secundum totum quod includit etiam in obliquo, sed secundùm vnam partem, quam dicit in recto, & quæ specificatiuè est reuelatio mediata vera, licèt illud, quod in obliquo inuoluit vt vera, non credatur propter se vltimo, sed propter id quod dicit in recto. Sicuti etiam dicimus, intellectum nostrum appetitu innato tendere ad cognitionem verã, per quam perficitur; & tamen non perficitur intellectus, per totum id, quod cognitio vera inuoluit in obliquo, nam cognitio provt vera includit partialiter denominationem extrinsecam prouenientem ab obiecto ita se habente. Sic ergo dicimus, motiuum vltimum fidei nostræ esse reuelationẽ mediatam veram, licèt non secundum singulas partes, quas inuoluit in obliquo reuelatio mediata vera, provt talis est.

155 *Parochi propositio prout condistincta à reuelatione præterita Dei denominatur testificatio mediata Dei.*

Dices: ergo resoluitur vltimò nostra fides in motiuum verè humanum, non in testimonium Dei: nam propositio articuli prout condistincta à reuelatione immediata præterita Dei, non est testimonium Dei, sed Parochi. v. g. si ergo fides resoluitur vltimò in illam, & non in reuelationem præteritam, consequens est, quod resoluatur in aliquid merè humanum.

Respondeo, negando sequelam: quia propositio Parochi, licet non denominetur à se ipsa sola testificatio Dei, ipsa tamen etiam prout condistincta à reuelatione præterita Dei, est, quæ denominatur testificatio mediata Dei, sicut propositio vera, licet non denominetur vera veritate formali à sola sua entitate, sed etiam ab obiecto: ipsa tamen sola prout condistincta ab obiecto est, quæ denominatur vera. Si ergo assensus fidei resolutur vltimò in propositionem articuli cum talibus circumstantiis, quæ sola est, quæ denominetur reuelatio mediata Dei, consequens est, quod resoluatur simpliciter & absolutè in reuelationem mediatam, & per consequens falsum est, quod resoluatur in motiuum merè humanum, nam reuelatio mediata Dei, non est motium merè humanum, sicut licèt fides humana resoluatur vltimò in characteres, qui videntur, vel in sonum vocis, qui auditur, qui quidem provt condistincti ab actione, qua procedunt à scribente, vel loquente, non denominantur à se ipsis essentialiter testimonii, vel loquela: nõ ideo dicemus, fidem humanam resolui in merum motiuum rationis, & non testimonium humanum: & licèt fides diuina quando Deus aliquid immediatè reuelaret, resolueretur in voces illas, quæ provt condistinctæ ab actione, qua fiunt à Deo, non denominantur à se ipsis essentialiter, testimonium Dei; non tamen ideo diceretur fides illa resolui in argumentum meræ rationis, & non in testimonium diuinum. Sic ergo loquendum omnino est de fide diuina, quæ habetur per reuelationem, & testificationem diuinam mediatam. Dices, ergo saltem non resoluitur vltimò fides in testimonium Dei reduplicatiue, vt testimonium Dei est, sed solùm specificatiuè in id, quod est testimonium Dei, quia propositio præsens parochi cum his motiuis, provt condistincta à reuelatione præterita non est reduplicatiuè, & adæquatè testimonium Dei. Respondeo, non resolui vltimò fidem in testimonium Dei provt reduplicatiuè est adæquatè tale; resolui tamen proximè in illud vt est adæquate & reduplicatiuè tale: vltimò verò in testimonium Dei specificatiuè & reduplicatiuè in aliquid illius, quod sufficit abundè, vt in toto rigore dicatur resolui in testimonium Dei propter ipsum, & sistere in ipso. Sic enim Theologi fatentur Christum Deum, & hominem adorari cultu latriæ, propriæ non respectiuæ, sed absolutæ, quia licèt eius humanitas non adoretur latria propter excellentiam propriam humanitatis, sed propter excellentiam diuinitatis: quia tamen illa etiã diuinitas est aliquid Christi, verum est, cultum illum non tendere ad aliud, sed sistere in ipso Christo, & totum illum cultum resolui, & fundari in ipso Christo, non quidem in singulis partibus vltimo, sed in vna, propter quam adoratur etiam altera. Sic verum erit, fidem resolui vltimo in testimonium Dei, licèt non resoluatur vltimò in singulas partes testimonij Dei, sed in alteram ex illis; hoc enim sufficit, vt verum sit non resolui in aliud, sed sistere in ipso testimonio Dei. Quam doctrinam, & responsionem in ea fundatam videtur breuiter tradidisse S. Thom. *in 3. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 3.* cùm enim obiecisset sibi, quod actus, quo fidelis discernitur ab infideli, non sit credere Deo, sed potiùs credere nuntio Dei, atque adeo magis esse credere homini, quàm Deo: respondet his verbis *Ad tertium dicendum, quod fidelis credat homini, non in quantum homo, sed in quantum Deus in eo loquitur, quod ex certis experimentis colligere potest: infidelis autem non credit Deo in homine loquenti.* Vbi non solum doctrina tota nostræ sententiæ continetur, sed etiam hæc vltima solutio nunc tradita: fatetur enim S. Doctor, nos ex

ex certis experimentis colligere, Deum in nuncio loqui, & ideo nos Deo propriſſimè credere.

157 Hoc itaque pacto ſufficienter ſoluitur argumentum illorum Recentiorum, concedendo reuelationem præteritam, vt condiſtinctam à propoſitione præſenti non cognoſci immediatè, ſed mediatè per alteram partem ejuſdem teſtificationis diuinæ: cæterum aliter, & melius fortaſſe poſſumus reſpondere, & negare, quod reuelatio præterita cognoſcatur mediatè, per illum aſſenſum, quo credo hoc mihi proponi ex parte Dei. Nam licèt reuelatio præterita ſeorſim, & ſecundùm ſe non poſſit à nobis credi immediatè: quatenus tamen eſt vnum extremum huius propoſitionis, poteſt affirmari abſque aliquo medio proprio, ſed ſolùm propter connexionem, quæ apparet inter extrema propoſitionis: illud enim quod affimatur de ſubiecto propter connexionem quæ apparet inter illud prædicatum, & ſubiectum, non dicitur affirmari mediatè, ſed immediatè, ſi quidem affirmatur ex apprehenſione, & connexione terminorum. Talis autem connexio apparet obſcurè inter hanc propoſitionem articuli cum talibus motiuis, (quod eſt ſubiectum) & inter hoc quod eſt proceſſiſſe à diuina reuelatione præterita, (quod eſt prædicatum) quare viſa hac propoſitione articuli cum talibus motiuis, & apprehenſo prædicato, ſcilicet, procedere à reuelatione præterita, apparet intellectui, non clarè, ſed obſcurè, connexio inter illa duo extrema, ratione cuius poteſt ſine alio argumento, aut medio proprio affirmare illud prædicatum de hoc ſubiecto. Nec ad hoc requiritur, quod appareat connexio neceſſaria: nam quando ego dico, *ſi Petrus petit librum, Ioannes dabit*. non apparet connexio neceſſaria: & tamen ego aſſentior, & quidem immediatè propter connexionem magnam quæ apparet inter extrema, ſic etiam propter connexionem, quæ apparet inter hoc, quod eſt proponi mihi hanc doctrinam tali modo, & hoc quod eſt, procedere à reuelatione præterita Dei, poſſum prædicare ex penetratione terminorum vnum de alio. Illud ergo prædicatum ſeorſim non poſſem immediatè affirmare dicendo: *Deus reuelauit hoc*: quia inter extrema illus propoſitionis, ſcilicet *Deum*, & *reuelaſſe hanc doctrinam*, non *apparet connexio*: *poſſum* tamen illud prædicatum affirmare de hac propoſitione doctrinæ quia inter hæc extrema, ſeu inter hanc talem propoſitionem doctrinæ, & proceſſionem à reuelatione præterita, apparet magna connexio, quæ niſi appareat non poteſt fieri prædicatio immediata.

158 Dices: ergo per illum aſſenſum credo, fuiſſe reuelationem præteritam, ergo vel in ſe vel in alio. Reſpondeo, me non credere ſeorſim, quòd fuerit reuelatio præterita, ſed quod fuerit cauſa huius propoſitionis præſentis doctrinæ: ad hoc autem non debet apparere connexio, vt dixi, inter reuelationem, & eius, exiſtentiam, ſed inter illam vt cauſantem, & inter hanc præſentem propoſitionem doctrinæ, quæ connexio poteſt apparere, licèt illa prior non appareat.

159 Dices iterum, ergo verè non credo immediatè exiſtentiam præteritam reuelationis, ſed per medium, ſcilicet, per doctrinam talem præſentem. Reſpondeo negando ſequelam, nam credere per medium propriè eſt affirmare vnum, quia affirmatur aliud, ad quod debet interuenire duplex affirmatio ſaltem virtualis: vnum autem extremum affirmationis non eſt medium ad affirmandum alterum de ipſo, ſed concurrit tanquam extremum, ſine quo non appareret connexio inter vtrumque, quæ requiritur ad affirmandum vnum de alio. Vno verbo diſtinguo; credo reuelationem præteritam in ſe, & independenter ab altero extremo, nego: credo independenter ab alio medio proprio, & ſolum propter connexionem inter extrema illius affirmationis, concedo: hoc autem non tollit aſſenſum immediatum, cùm adhuc ſit propter connexionem ſolam inter extrema eiuſdem aſſenſus.

Reuelatio præterita creditur independenter ab alio medio proprio, & ſolù propter connexionẽ inter extrema aſſenſus.

160 Confirmatur ſolutio: quia etiamſi diceremus, reuelationem præteritam credi, & concluſionem propter præſentem propoſitionem doctrinæ, vt præmiſſam: adhuc ad aſſenſum illius concluſionis requireretur cognitio bonitatis illationis, ſeu connexionis inter obiectum præmiſſæ, & obiectum concluſionis, quæ cognitio non eſſet mediata, cùm nõ eſſet concluſio; alioquin ad ipſam requireretur alia cognitio bonitatis illationis immediata, vel procederetur in infinitum: ſicut ergo illa cognitio connexionis inter obiectum præmiſſæ, & concluſionis poteſt eſſe immediata ex apprehenſione extremorum: cur non potero aſſentiri immediatè abſque alio argumento, vel medio, connexioni inter ipſam reuelationem præteritam, & propoſitionem præſentem, & dicere, hæc propoſitio doctrinæ taliter facta eſt aliquid procedens à reuelatione præterita Dei.

161 Septimò obiiciunt, quia ſi habitus fidei diuinæ elicit aſſenſum, quo immediatè credimus, hunc hominem proponere nobis hunc articulum ex parte Dei: ergo, qui negaret, hunc hominem proponere ex parte Dei, licèt concederet ipſum articulum, eſſet hæreticus, quia negaret id, ad quod credendum immediatè obligat fides. Reſpondetur, eandem difficultatem eſſe in contraria ſententia; ſi ruſticus proponente ſibi Parocho articulum aliquem, quem deberet credere; ipſe negaret, Deum illum reuelaſſe. Certum enim eſt, quod peccaret contra fidem, etiamſi articulus ille eſſet re ipſa falſus, & non fuiſſet à Deo reuelatus quia fides obligat tunc ruſticum ad credendum, Deum reuelaſſe, quod re ipſa non reuelauit. Sic in caſu argumenti peccaret contra fidem, quia hæc obligat ad accipiendum vt nuntium Dei id, quod aliquando non eſt nuntium Dei. Non tamen eſſet hæreticus; quia ad hæreſim non ſufficit peccare contra fidem, ſed oportet negare id, quod re ipſa vniuerſa Eccleſia credit: non credit autem vniuerſa Eccleſia, hunc parochum loqui ex parte Dei, licèt ruſticus per accidens id teneatur plerumque credere.

Obiectio 7.

Ad hæreſim non ſufficit peccare contra fidem, ſed oportet negare id quod vniuerſa Eccleſia credit.

Vrget Hurtadus *dicta diſput. 13. ſect. 9. §. 121.* 162 quia ſi homo prudens loquatur cum Parocho proponente ei myſteria fidei, cui homo prudens dicat, ego non credo, hanc propoſitionem tuam eſſe vllo modo reuelationem Dei, neque Deum mihi per te loqui, credo tamen te vera popopere, & credo reuelationem præteritam factam Prophetæ: hic certè catholicè crederet: ſic omnes credimus, & apertè negamus, illam propoſitionem Parochi eſſe reuelationem Dei, ergo non poſſumus credere propter propoſitionem illam parochi acceptatam, vt teſtimonium Dei. Quod dicit eſſe argumentum euidens, contra hanc ſen-

tentiam. Excessit tamen doctus Pater nimio affectu contra sententiam, quam impugnandam susceperat: argumentum enim hoc facilem, & in promptu habet ex dictis solutionem. Nam vel Parochus proponit mysterium sufficienter, vt obliget hominem illum prudentem ad credendum illud, vel non proponit sufficienter. Si non proponit sufficienter, certè homo prudens, qui insufficieniam cognoscit, non obligatur ad credendum, quod proponatur ex parte Dei, nec id, quod proponitur. Si verò proponat sufficienter ad obligandum, vt credatur, sicut in sententia eiusdem Auctoris, peccaret homo ille dicendo, ego credo mysterium, sed non credo proponi sufficienter ad credendum, imò non crederet fide diuina mysteria, cùm non crederet esse prudenter credibile: sic in nostra sententia peccaret dicendo, ego non credo, hoc mihi proponi ex parte Dei, in quo certè non videtur esse posse quoad hoc quæstio, nisi de nomine: nos enim per reuelationem mediatam, nihil aliud intelligimus, nisi quod proponatur ex parte Dei, seu per notitiam, quam proponens habet deriuatam à reuelatione præterita Dei, quod sufficere, vt Deus dicatur loqui mediatè, mox videbimus. Cum ergo, stantibus illis motiuis, negari non possit licitè, quod Parochus proponat ex parte Dei, seu proponat ex notitia, quam habet deriuatam à prima reuelatione Dei, alioquin nec posset obligari homo ille ad credendam reuelationem Dei præteritam; consequens est, vt loquendo de re ipsa; non possit etiam licitè negare, quod Deus loquatur mediatè ipsi per Parochum, quamuis possit licitè negare, illam debere appellari loquutionem Dei, quia hoc pertinet ad modum loquendi sub opinione positum. Addo denique si vellet obstinatè dicere, se nolle credere propter testimonium illud parochi sed solum propter reuelationem præteritam Dei, tunc in mea sententia non habiturum assensum fidei circa mysterium, imo nec assensum vllum: quia reuelationem præteritam secundùm se credere non potest, sine alio medio, nisi tanquam extremum loquutionis mediatæ modo explicato. Quando tamen fideles credunt, non excludunt propositionam Ecclesiæ sibi sufficienter factam, quia intellectus conatur credere eo modo, quo potest, & non potest credere sine motiuo completo sui assensus.

163 *Obiectio 8.* Octauo obiiciunt, quia non quoties Parochus proponit articulum fidei, proponit illum ex parte Dei, vel vt nuncius Dei: ergo non potest rusticus semper credere propter reuelationem mediatam Dei. Antecedens probatur, quia ad loquendum ex parte Dei non sufficit, Deum id reuelasse, & nunc à parocho dici quod olim Deus dixit: vltra hoc enim requiritur intentio loquendi ex parte Dei: alioquin enim quãdo Deus in scriptura refert mendacia, quæ dixit Dæmon, Deus loqueretur ex parte Dæmonis, & vt nuncius Dæmonis. Parochus ergo potest aliquando loqui solùm recitatiuè, referendo quid Deus olim reuelauerit, non intendendo loqui, vt nuncius Dei, ergo non est idem loqui ex parte Dei, ac referre aliquid, quod Deus olim reuelauit.

164 *Credere propter reuelationem mediatam Dei vt intelligendum.* Respondeo, quando dicimus, quod credimus propter reuelationem mediatam Dei, & quia nobis proponitur ex parte Dei, non loqui nos de nuncio, aut procuratore stricto, qui ex commissione Dei constitutus sit ad ita loquendum, nam licèt frequenter id ita sit, prout Apostoli, & prædicatores dicuntur legati Dei, & legatione fungi, quando proponuntur res nostræ fidei: non est tamen id necessarium, vt Deus dicatur per eos loqui: sufficit, quod Deus reuelauerit tale mysterium ea intentione, vt notitia illius per quamcumque viam ad nos perueniret. Sicut si aliquis coram multitudine aliquid diceret, eo animo, vt ea notitia veniret ad patrem suum absentem: tunc enim quicumque ea referret patri, licèt non haberet intentionem vllam loquendi nomine filij, vel vt nuncius illius, adhuc filius diceretur loqui patri suo per illum, tanquam per organum: nec in ipso organo requiritur ad hoc specialis intentio: potest enim aliquis vti psitaco, vel alio simili instrumento ad manifestandam alteri suam mentem: cùm ergo loqui nihil aliud sit, quam ordinare, & dirigere nostram mentem ad alium; non est cur non dicamus, Deum semper loqui nobis per illos, qui res nostræ fidei ab illo acceptas nobis proponunt. Deus enim primò reuelans illam veritatem, eo animo id fecit, vt posset aliqua via ad meam notitiam peruenire; ergo dum ita pernenit, Deus verè communicat mihi suam mentem per hoc instrumentum. Deus autem non dicitur in scriptura loqui ex parte Dæmonis, quia Dæmon non manifestauit Deo illa obiecta ea intentione, vt per ipsum veniret ad nos eorum notitia, vt constat. Et licèt dæmon habuisset eam intentionem non sufficit, nisi per internuncium hæc ipsa intentio Dæmonis mihi fieret manifesta: nam loqui mihi est manifestare mihi animum ordinantis ad me suam mentem. Porrò Deum ea intentione reuelasse primò doctrinam fidei, vt ab aliis ad alios peruenireti, constat ex Scriptura passim, Genes. 18. *Scio, quod præcepturus sit filiis suis.* Deuter. 10. *Eruntque verba hæc in corde tuo, & docebis ea filiis tuis.* Psalm. 77. *Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filij, qui nascentur, & exsurgent, & narrabunt filiis suis.* & Ideo Ioannes Baptista dicitur Ioannis 1. *Missus à Deo, vt omnes crederent per illum* & alibi sæpe. Ad quod ponderat bene Salmeron disp. 3. in epist. ad Rom. verba Pauli ibi. c. 10. *Quomodo credent, quem non audierunt?* ex quibus probat, nos audire verè Christum, quando prædicatorem Christi audimus, iuxta illa eiusdem Christi verba, *qui vos audit, me audit*, atque ideo tunc Christum nobis per prædicatorem loqui.

165 *Obiectio 9.* Sed contra obiiciunt nonò: quia is, cui proponuntur res fidei, non semper aduertit, quod proponens sit nuncius Dei, aut loquatur nomine Dei; sed solùm audit illam veritatem fuisse à Deo reuelatam; & hoc sufficit, vt credat: non ergo credit, quia nunc proponuntur ex parte Dei, sed propter solam reuelationem præteritam. Respondetur, negando antecedens, quod procedit ex falsa suppositione, quod scilicet nos loquamur de rigoroso, & stricto nuncio loquente nomine Dei cùm autem sermo sit de instrumento solùm, per quod sermo Dei, & eius notitia ad nos venit, dicimus, non posse fieri, quod aliquis concipiat Deum hoc reuelasse eo animo, vt omnibus communicetur eius notitia, & non concipiat, Deum per hoc instrumentum manifestare ipsi nunc suam mentem: cum illa duo non distinguantur inter se: hanc noritiam ortum habuisse ex Deo intendente, quod omnibus manifesteur; & Deum hac

hac via manifestare nobis suam mentem: ergo qui concipit vnum, concipit etiam alterum, nec id potest ignorare.

166 Dices, potest aliquis audire, quod Deus reuelauerit mysterium, & non concipere, nec aduertere, intendisse, quod eius notitia ad omnes veniret; vnde non conciperet Deum de facto nobis loqui per hæc instrumenta. Respondeo, si id contingeret, non posset homo ille credere per habitum fidei infusæ, quia hæc habet pro obiecto formali testificationem Dei: tunc autem fides non posset vltimo resolui in reuelationem Dei vllam: non enim in præteritam, & immediatam, quia illa non apparet in se, sed cognoscitur per aliquod medium, vt probauimus: sed nec etiam in mediatam, & præsentem, quia per te homo tunc non concipit, Deum loqui, & manifestare suam mentem per hæc instrumenta, ergo non restat testificatio Dei, in quam vt in motiuum formale vltimum rendat assensus fidei. Fieret ergo alius assensus habens pro obiecto formali vltimò testificationem humanam, & qui resolueretur in hominis testimonium; non verò fieret assensus fidei diuinæ, deficiente eius obiecto formali: de facto tamen casus ille vel nunquam, vel vix vnquam euenit: quia omnes, quibus proponuntur res nostræ fidei, audiunt illas tanquam ad se pertinentes, non vt ea, quæ aliis personis priuatim reuelata audiunt: de his enim parum curant, nec assensum, aut dissensum præbent, quia ad ipsos non pertinent, nec Deus ipsis loqui voluit per tales reuelationes: at verò circa res fidei non ita se habent, sed concipiunt obligationem positiuam credendi; Deo enim loquenti ille, cui loquitur, debet positiuum assensum. Vnde experimur, circa reuelationes priuatas aliquibus sanctis viris factas, quod audimus, nunquam nos ferri ad credendum, sicut circa ea, quæ proponuntur nobis vt pertinentia ad fidem; quia nimirum hæc concipimus dici nobis, atque ideò dum dicuntur, apparet iam testificatio, & loquutio mediata Dei, propter quam credamus: in illis verò aliis non concipimus dici nobis à Deo, sed dicta fuisse alicui personæ quam loquutionem præteritam credimus fide humana propter auctoritatem referentis illam: nec agnoscimus debitum positiuum credendi, hoc enim solum videtur esse in illo, cui Deus aliquid mediatè, vel immediatè dicit: quia ipsummet loqui, & dicere est implicitè exigere fidem eorum, quæ dicuntur; vnde non possumus absque irreuerentia non credere ea, quæ nobis ex parte Dei proponuntur, licèt circa ea, quæ nobis non proponuntur, sed referuntur aliis proposita, non exigatur positiuè eiusmodi assensus.

167 Non tamen nego, posse aliquando peccari contra fidem, negando id, quod Deus alteri reuelat reuelatione priuata, & absque animo loquendi aliis per illum. Quando enim Rex coram aliis aliquid dicit Petro, potest quidem solum Petrum alloqui (quia aliud est alios alloqui, aliud coram illis loqui) & potest coram omnibus loqui, sed non cum aliis: tunc autem alij, qui audiunt Regem loquentem, non possent sine Regis irreuerentia negare esse verum, quod Rex Petro dicit. Sic si Deus coram aliis aliquid Ioanni diceret, qui prudenter dubitare non possunt de reuelatione Dei cum Ioanne loquentis, peccarent grauiter contra fidem negando esse verum id, quod Deus Ioanni reuelat. Possent autem tunc ex fide credere id, quod Deus dicit Ioanni, si reuelatio illa prudenter esset credibilis: quia tunc verè assensus terminaretur ad obiectum formale fidei, nempe ad reuelationem Dei immediatè notam vel clarè, vel obscurè iis, qui credunt. Si tamen reuelatio non fieret coram illis, sed referretur antea facta, non posset elici assensus fidei circa illam, vel circa rem reuelatam, propter rationem traditam, quia tunc nulla fieret reuelatio mediata præsens audientibus, quibus Deus loqui nullo modo voluit, in quam resolueretur assensus; reuelatio autem præterita secùndum se non appareret, nisi per aliud medium humanum, nempe per testimonium referentis, quod neque est loquutio mediata Dei, nec illam integrat, aut componit, quare nullo modo resolui posset assensus ille in reuelationem Dei mediatam, vel immediatam sistendo in illa: credo tamen, quod si reuelatio illa ita proponeretur, vt non posset prudenter de illa dubitari, tali nempe pondere motiuorum, quali proponuntur res nostræ fidei, quando obligant ad assensum, possent peccare grauiter, qui adhuc negarent rem à Deo reuelatam: quia licèt non tenerentur ad positiuè assentiendū. eo quod Deus non loqueretur cum illis vllo modo, nec exigeret ab eis fidem; imò nec possent fide diuina assentiri, vt dixi, adhuc auctoritas testimonij diuini sufficienter propositi exigeret, ne alij positiue dissentirent, quia dissensus redundaret in contemptum, & irreuerentiam diuinæ auctoritatis. Sicut si Rex Petro aliquid dixisset, cæteri, qui non possent prudenter dubitare, quod Rex id dixisset, non possent, sine aliqua irreuerentia in Regem, negare adhuc esse verum id, quod Rex dixisse refertur Petro: quia Regia auctoritas, licèt non exigat fidem ab iis, ad quos non loquitur; exigit tamen, ne verum negetur id, quod prudenter dubitari non potest dictum esse à Rege.

Dices, adhuc sequi ex dictis, quod possit contra nos retorqueri argumentum, quo suprà vsi sumus contra sententiam contrariam; deberent enim omnes, præsertim rustici, instrui, & admoneri de hoc modo credendi propter reuelationem mediatam Dei, sicut nos diximus supra, quod debuissent instrui de debito credendi propter reuelationem præteritam sistendo in ipsa. Respondeo negando sequelam: ratio autem discriminis est clara: quia in sententia contraria ponitur modus assentiendi propter reuelationem præteritam sistendo in ipsa, quem modum assentiendi vlli obiecto præterito, quod in se non appareat, fatentur illi Theologi esse supra vires nostri intellectus; quare homo, qui nunquam talem assentiendi modum in se habuit, non poterit, nisi moneatur, diuinare ex se, quod sit possibilis, & quod possit illum habere in hac materia. At vero in nostra sententia non ponimus nouum modum assentiendi, qualem in aliis materiis homo non habeat, sed eundem, nam in aliis etiam materiis, vt vidimus, credimus fide humana propter testimonium Patris vel amici, non quidem omnino immediatum, sed mediatum, sistendo in ipso: quare intellectus eleuatus habitu fidei non extrahitur ad nouum modum assentiendi, sed obligatur ad eundem per actum supernaturalem, addita maiori adhæsione, & firmitate, prout decet supremam auctoritatem Dei, cui creditur. 168

Vrgebis, quia in aliis materiis intellectus solet vtroque modo credere: scilicet, vel resoluen- 169

do fidem humanam vltimò in testificationem mediatam hominis, vel resoluendo vltimò in alia motiua: v.g. credo, *Petrum obiisse, quia Paulus verax testatur, meum patrem id affirmasse*: vbi iam resoluitur vltimò in auctoritatem Pauli non in testimonium patris: ergo in rebus fidei aliquando assentiet vno, aliquando altero modo, nisi specialiter instruatur.

Respondeo, negando consequentiam. Ratio est, quia cùm res fidei nostræ proponantur, vt credendæ firmissimè, hoc est, vt postea videbimus, assensu super omnia: ratio dictat, eiusmodi assensum, & cultum supremum intellectualem, non esse tribuendum testimonio, vel auctoritati humanæ, sed diuinæ. Vnde sicut non tribuimus cultum latiæ creaturæ sistendo in eius excellentia, sed referendo ad excellentiam Dei, vt ad motiuum vltimum: sic non debemus tribuere cultum illum intellectualem supremum motiuo humano, vt tale est, sed prout idem est testimonio diuinum. Inde ergo voluntas, quoties prudenter imperat assensum firmissimum fidei, imperat etiam talem modum assentiendi propter auctoritatem Dei, tanquam propter vltimum motiuum, ne vlli auctoritati inferiori deferatur cultus ille; qui soli Deo reseruari debet.

170 *Obiectio 10.* Obiiciunt decimò, quia potest contingere, quod ipe Parochus, qui proponit veritatem fidei non habet euidentiam credibilitatis, atque ideo imprudenter agat proponendo illum articulum rustico: & tamen rusticus credit per verum assensum fidei, quia pro eius captu sufficienter propositus est ipsi ille articulus, & debet illum credere: non credit ergo propter reuelationem mediatam Dei, nam parochus tunc non se gerit, vt nuncius Dei, sed potiùs operatur contra debitum suum, & contra voluntatem Dei.

Respondetur facilè ex supradictis etiamsi Parochus putet esse falsum articulum, quem proponit, si tamen vere proponit, quod audiuit, & vult vti notitia illa, quã accepit, & quæ vere fuit deriuata à Dei reuelatione, hoc sufficit, vt rusticus accipiat etiam illam doctrinam à Deo media propositione parochi, cùm hæc propositio parochi procedat ex notitia data à Deo, qui illam dedit eo animo, vt ad omnes perueniret, hac vel illa via siue per credentes, siue etiam per incredulos. Aliud esset, si parochus non veretur notitia accepta, sed independenter ab illa, fingeret ipse, vel putans se fingere, proponeret verum articulum: tunc enim etiam si vere illum audisset; si tamen non recordaretur, vel non vellet vti eiusmodi notitia, non diceretur Deus per illum proponere, cùm nõ procederet ex Dei reuelatione præterita talis notitia data huic rustico, vt suprà explicuimus, atque ideo tunc rusticus non eliceret assensum supernaturalem fidei diuinæ: sicut nec crederet fide diuina, quando parochus proposuisset articulum falsum, v.g. quod Spiritus sanctus factus sit homo; tunc enim etiam si rusticus putans per errorem, quod parochus dixisset filium factum hominem, ex hoc errore memoriæ moueretur ad volendum id credere, adhuc non eliceret assensum fidei diuinæ, cùm ille articulus, licèt in se esset verus, non esset tamen illi vnquam propositus ad credendum, vt suppono.

171 *Obiectio 11.* Obiiciunt vndecimo, in nostra sententia fidem non habere certitudinem ex motiuo, quia cum propositio Parochi ingrediatur ipsum motiuum & illa sit fallibilis, ac sæpè fallat, non potest refundere infallibilitatem, & certitudinem in assensum. Respondetur, assensum fidei habere certitudinem, & infallibilitatem in primis à suo principio, quod cùm sit habitus supernaturalis, vel auxilium supplens pro habitu, exigit concursum Dei ad solos assensus veros. Deinde habet infallibilitatem ex obiecto formali saltem proximo, quod diximus, esse reuelationem Dei mediatam adæquate sumptam: hæc enim tam necessariam habet connexionem cum veritate rei reuelatæ, quam reuelatio immediata, cùm non minus repugnet, Deum decipere per alios, quam per se immediatè. Loquendo verò de propositione Parochi v.g. quæ provt componit reuelationem mediatam Dei, est etiam iuxta primam solutionem suprà positam in obiectione sexta, motiuum formale partiale vltimum, vt explicuimus: illa quidem licet secundùm se non habeat infallibilem connexionem cum veritate rei reuelatæ adhuc insistendo in illa prima solutione, dici posset, quod provt attingitur ab assensu fidei, habet infallibilitatem. Nam licèt Parochus possit proponere falsum: fides tamen exigit non concurrere ad suum assensum, nisi quando Parochus proponit reuelationem veram: & hoc sufficit ad infallibilitatem fidei. Nam etiam in sententia contraria non potest illam accipere fides ab obiecto secundùm se: quando enim Parochus proponit, Christum resurrexisse tertia die, reuelatio illa Dei, quæ apprehenditur à rustico, eadem prorsus apprehenderetur, licet parochus decipere tur, & Christus resurrexisset sexta die; quia reuelatio illa secundum se est indifferens, vt fuerit, vel non fuerit; quare si non fuisset posita, adhuc assensus rustici haberet idem ex parte obiecti pro motiuo formali; non prouenit ergo infallibilitas huius assensus præcisè ex tali obiecto formali, sed ex modo etiam attingendi illud, quatenus fides non potest habere pro motiuo reuelationem hanc, nisi reuerà ipsa reuelatio posita fuerit. Sic ergo dicimus nos, fidem non posse habere pro motiuo partiali propositionem Parochi, quæ componit reuelationem mediatam Dei, nisi quãdo reuera Parochus proponit veram reuelationé, quare licèt propositio Parochi secundùm se non habeat infallibilem connexionem cum veritate rei propositæ, habet tamen illam connexionem infallibilem, prout attingitur ab assensu fidei,

Dices, non bene retorqueri contra aduersarios hoc argumentum: quia reuelatio præterita Dei ipsa secundum se habet necessariam cõnexionem cum re reuelata, cùm non possit existere talis reuelatio, quin ponatur etiam obiectum reuelatum; at verò propositio Parochi non habet talem connexionem, cùm possit existere tota hæc propositio Parochi, absque eo quod obiectum quod proponit, sit verum. Maiorem ergo connexionem habet cum veritate motiuum formale in sententia contraria quam in nostra.

Sed contra, quia licèt reuelatio præterita existens habeat connexionem necessariam cum obiecto reuelato, quam non semper haber quælibet propositio Parochi existens; id tamen non facit, quod possit illud motiuum secundum se refundere maiorem certitudinem, & infallibilitatem in assensum; nam refundere infallibilitatem, & certitudinem in assensum, non est, quod non possit obiectum formale existere absque re reuelata: sed quod non possit assensus moueri ab illo obiecto formali, &

li, & decipi circa materiale; certitudo enim tenet se ex parte actus, & dicit necessariam connexionem ipsius assensus cum veritate, vt *infra* vidimus: motiuum ergo formale refundere certitudinem in assensum, est, quod non possit assensus habens tale motiuum formale decipi circa obiectum materiale, vt constat ex assensu demonstratiuo per principia necessaria. Hoc autem non habet assensus ex reuelatione præcise; nam posset tendere in eandem reuelationem omnino, & decipi, quando reuelatio non fuisset posita: adhuc enim reuelatio ex parte obiecti esset eadem numero; ergo quod attinet ad refundendam certitudinem in actum, non est, differentia in vtraque sententia: omnes enim debemus dicere, hanc non refundi à motiuo formali secundum se, sed prout attingitur à fide exigente non attingere tale motiuum, nisi quando re ipsa verum est; & habet connexionem cum obiecto materiali. Denique sicut in sententia contraria fides habet infallibilitatem ex motiuo formali vltimo, scilicet ex reuelatione præterita: sic in nostra habet infallibilitatem ex motiuo vel vltimo, vel saltem proximo, scilicet ex reuelatione mediata: parum autem refert ad infallibilitatem fidei, quod proueniat ex motiuo proximo, vel remoto: non minùs enim secura erit fidei certitudo, & infallibilitas, si oriatur ex motiuo proximo, quod est reuelatio mediata adæquate sumpta, & quæ non potest poni, quin ponatur veritas obiecti reuelati, & quam reuelationem mediatam verè positam esse, exigit essentialiter assensus fidei, quàm si oriretur ex reuelatione præterita, quam etiam verè positam esse, exigat essentialiter idem assensus fidei, prout supra explicatum est. Hæc iuxta illam primam solutionem dici possent, meliùs tamen; & clariùs respondetur iuxta secundam, assensum fidei habere in nostra sententia tantam infallibilitatem ex obiecto formali, quantam in sententia contraria; cùm enim obiectum formale sit reuelatio mediata adæquatè sumpta, & hæc non minùs sit infallibilis quam immediata, cùm non minùs repugnet Deum decipere per alios, quàm per se ipsum immediatè; consequens est, vt non minùs firma sit fides ex parte obiecti formalis in nostra sententia, quàm in sententia contraria.

Fides habet infallibilitatem ex motiuo formali vltimo, vel saltem proximo.

173. Obiectio.

Vrgebis adhuc duodecimo contra solutionem, quia motiuum formale fidei debet esse tale, vt fidelis cognoscat necessariam connexionem illius cum veritate rei reuelatæ: non potest autem rusticus cognoscere talem cõnexionem necessariam inter propositionem Parochi, & veritatem rei reuelatæ: alioquin esset iudicium falsum, quo credit articulum etiam verum: nam licet articulus sit verus, falsum tamen est, quod habeat eius veritas necessariam connexionem cum propositione Parochi: aliud ergo motiuum formale debet habere, de quo vere iudicet, quod habet necessariam connexionem cum veritate rei reuelatæ.

Respondetur, Rusticum etiam agnoscere connexionem necessariam inter motiuum saltem proximum, & veritatem rei reuelatæ, quia necesse est, data reuelatione mediata Dei adæquatè sumpta, dari veritatem in obiecto reuelato. Non tamen iudicat rusticus, necessariam connexionem inter reuelationem mediatam inadæquatè sumptam, hoc est, propositionem Parochi &c. & reuelationem præteritam Dei, nec id necessarium est ad eliciendum assensum fidei. Nam sicut in sententia contraria per fidei assensum, credimus certò Deum olim reuelasse; non tamen affirmamus, aut agnoscimus necessariam connexionem inter ipsa extrema, scilicet, inter Deum, & reuelationem; alioquin assensus esset falsus, cùm illa non sit necessaria, sed contingens; sed tamen suppositis motiuis credibilitatis, quæ ostendunt connexionem illam inter Deum, & reuelationem voluntas prudenter imperat assensum determinatum, & absque formidine ad connexionem inter Deum, & reuelationem: sic in nostra sententia quamuis non appareat necessaria connexio inter propositionem Parochi cum talibus circunstantiis, & inter loquutionem mediatam Dei; apparent tamen rustico tanta motiua ad illam connexionem credendam, vt pro eius captu voluntas prudenter imperet assensum determinatum ad connexionem illam.

Dices esse differentiam, quod scilicet in contraria sententia connexio illa non necessaria est inter extrema eiusdem propositionis, quæ immediatè coniungimus absque illatione vnius ex alio: in nostra autem sententia connexio hæc saltem iuxta primam ex duabus solutionibus assignatis supra ad sextam obiectionem, est per modum illationis, qua vnum infertur ex alio, scilicet, reuelatio præterita ex propositione præsenti cum talibus circumstantiis. Responderi posset, retenta illa prima solutione, ad propositum parum referre, quia neutra connexio aprehenditur vt necessaria. Vnde sicut intellectus in contraria sententia potest assentire firmissimè connexioni non necessariæ inter extrema, & firmius, quàm assentiatur connexioni necessariæ inter alia extrema: sic potest ex imperio piæ affectionis firmissimè credere connexionem inter propositionem talem Parochi &c. cum reuelatione præterita Dei, licèt eam connexionem non iudicet necessariam. Nec enim ad assentiendum vni propter aliud, requiritur, quod appareat semper necessaria connexio inter vnum & aliud, cum sæpe dentur consequentiæ probabiles, ita vt non solum consequens, sed ipsa consequentia, & illatio probabilis sit, quæ probabilitas aliquando prouenit ex ineuidentia, aliquando ex defectu necessitatis vt quando ex affectu Petri erga Ioannem audientes Ioannem petiisse librum à Petro, inferimus, quod impetrarit; sic ergo, etiam non apparente necessaria connexione, potest intellectus ex imperio piæ affectionis, ex tali propositione articuli cum talibus circumstantiis colligere reuelationem præteritam Dei: hoc tamen per assensum non probabilem, & formidolosum, sed absque vlla formidine, sicut non apparente necessaria connexione inter Deum, & reuelationem præteritam, potest in sententia contraria credere certò, & absque formidine Deum reuelasse. 174.

Ratio autem vtriusque eadem est, quia scilicet ad exhibendum cultum debitum Deo non prærequiritur, quod appareat necessaria illa connexio. Sic enim debemus adorare hanc hostiam, quæ nobis proponitur, licèt non appareat necessarium, quod hæc hostia sit consecrata; sufficit quòd non possimus prudenter dubitare de existẽtia Christi sub hac hostia, ad hoc vt debeamus absolutè ei exhibere supremum cultum latriæ, & maiorem omni alio, quem exhibemus aliis personis, quas euidenter agnoscimus, & scimus necessario esse tales. Sic ergo vt per intellectum debeamus exhibere Deo supremum cultum assensus firmi, non requiritur cognoscere necessariam 175.

conne

Assensus firmus fidei non requirit cognoscere necessariam cõnexionem inter Deum & reuelationẽ.

connexionem inter Deum, & reuelationem, aut inter reuelationem præteritam, & hanc propositionem loquutionis præteritæ: sufficit quòd non possit prudenter dubitari, aut formidari; tũc enim voluntas debet imperare supremum fidei cultum, vt intellectus firmius credat id, quod non potest prudenter dubitari, dici à Deo, quàm alia, in quibus agnoscit necessitatem, aut habet euidentiam. Sic etiam Pontifici summo, quando per nuncium aliquid affirmat, & non possumus prudenter dubitare, quod sit nuncius ipsius debemus maiorem fidem, quàm aliis, quos euidenter videmus contrarium affirmare, licet non videamus positiuè, quod necessarium omnino sit, Papam loqui per illum nuncium: sufficit enim ad debitam fidem adhibendam, non posse dubitare prudenter, quod ille loquatur ex parte Papæ. Similiter ergo rusticus, licèt non credat necessarium esse, quòd Parochus loquatur ex parte Dei, (in hoc enim iudicio ferè semper deciperetur) potest, & debet regulariter id credere firmiter, quia ipsi non apparet, quod possit prudenter de hoc dubitare, & id sufficit, vt debeat exhibere supremum cultum intellectualẽ fidei firmissimæ debitum Deo loquenti, & maiorem, quam aliis rationibus etiam demonstratiuis, in quibus agnoscit necessariam connexionem vnius cum alio.

176 Dicet aliquis, non videri contra reuerentiam debitam Deo, si quis non credat, hunc hominem loqui ex parte Dei: hoc enim non derogat diuinæ auctoritati; possum enim ego credere & confiteri, Deum esse summè veracem, licèt negem, hunc loqui ex parte Dei. Hoc argumentum procedit etiam contra sententiam contrariam: nam eodem modo non esset contra reuerentiam debitam Deo, si aliquis neget, Deum aliquod obiectum reuelasse; per hoc enim non derogat veracitati Dei, cùm paratus sit credere omnia, quæ Deus dixerit. Omnes ergo debemus respondere, auctoritatem diuinam in loquendo obligare nos ad debitam fidem dictis adhibendam: non possumus autem credere firmissimè, quæ Deus dicit, nisi credamus, Deum loqui. Cùm autem auctoritas Dei tendat ad captandam fidem apud homines, eo ipso obligat, vt non negemus animo obstinato, ipsum loqui, quando non est ratio ad prudenter de hoc dubitandum: sicut etiam Regi irreuerentia fieret, si ipsi aliquid affirmanti, aliquis non crederet eo prætextu, quod vel Rex non loqueretur, vel non seriò: qui enim hoc absque prudenti fundamento opponeret, eo ipso Regem debita fide defraudaret. Sic ergo, qui Deo per alium loquenti non crederet eo prætextu, quod illa non sint verba Dei, absque fundamento sufficienti ad prudenter dubitandum; eo ipso fraudaret Deum debita fide, atque ideo irreuerentiam inferret contra Dei auctoritatem fidem debitam ab hominibus exigentem.

177 Hæc vt dixi respondeti possent, retenta illa prima solutione; retenta tamen secunda, clarius, & melius conceditur non apparere aliquando necessariam connexionem inter extrema illius propositionis, qua rusticus credit Deum loqui sibi mediatè; hæc tamen necessaria connexio inter extrema illius propositionis non requiritur, sicut neque in sententia contraria apparet necessaria connexio, sed contingens inter extrema illius propositionis, *Deus reuelauit*; quare quoad hoc non est maior difficultas in vna sententia, quàm in alia.

Vltimò opponit nobis Hurtadus *disp.* 13. §. 120. quod per tot anfractus relabimur in difficultates sententiæ communis, quas fugere conati sumus, ideo enim fugimus sententiam contrariam, quia reuelatio præterita neque est nobis per se nota, neque ex aliis principiis euidentibus potest euidenter deduci. Sed neque in hac nostra sententia sunt principia euidentia, quibus cognoscamus reuelationem illam esse Dei: non est enim nobis euidens, Deum loqui nobis per hunc ministrum: ergo sicut in sententia communi indigemus aliquo principio manuducente ad existentiam reuelationis Isaiæ factæ; ita in hac indigemus alio principio manuducente ad persuadendum, quod hæc propositio mysterij est reuelatio mediata Dei. Sicut ergo debemus dicere, credi, hanc esse reuelationem mediatam Dei, per motiua humana, vt per conditiones, ita credi poterit existentia reuelationis Isaiæ per propositionem Ecclesiæ humanam vt per conditionem.

Hoc tamen argumentum non videtur bona fide propositum ab eo auctore, qui benè sciebat sententiam nostram, quam sæpe coram oppugnauerat, cùm publicè defenderetur, & nouerat, me non discedere à sententia contraria, eo quòd non sint motiua euidentia, quæ euidenter persuadeant, Deum reuelasse Isaiæ Incarnationem. In rebus enim fidei, nemo requirit euidentiam, & sciebat etiam nostram sententiam fundari in differentia clara ab illa alia, in qua neque euidenter, neque obscurè apparet ex se connexio inter terminos illius propositionis; *Deus reuelauit olim Incarnationem*, cùm æquè bene Deus potuerit non reuelasse: in nostra verò sententia apparet, non quidem euidenter, sed obscurè connexio inter terminos huius propositionis, *doctrina cum talibus motiuis, & circunstantiis proposita est doctrina diuina*. Et quidem hæc connexio inter terminos apparet cum tanta verisimilitudine, vt ausus fuerit dicere Richardus de Sancto Victore *lib. 1. de Trinitat. cap. 2.* si doctrina cum talibus motiuis proposita falsa esset, Deum ipsum nos decepisse. Vide, quanta ei connexio appareret inter doctrinam taliter propositam, & doctrinam diuinam.

Vrget tamen Hurtado, quia sicut visa propositione ministri, & motiuis, ac circunstantiis, quibus proponitur, nos ex terminis mouemur ad credendum, hoc proponi ex parte Dei, ita visa propositione Ecclesiæ nos possumus moueri ex terminis ipsis ad credendum Deum loquutum fuisse Isaiæ: quia quemadmodum existentia reuelationis præteritæ est nobis ignota, ita est nobis ignotum hanc esse reuelationem mediatam Dei. Hoc tamen non deberet dici, sed probari, si posset, & certe non posset; omnibus enim compertum est, Deum, & reuelationem præteritam secundum se nullam ostendere connexionem suadentem debere coniungi in assensu, sicut neque inter *Sidera*, & *paria* apparet clare, vel obscurè connexio. At vero inter doctrinam taliter propositam, & doctrinam diuinam maxima apparet connexio, & tanta vt prudenter saltem non possimus eam negare, vel de ea dubitare. Nunc iam ad alia progrediamur.

SECTIO XI.

SECTIO IX.

Vtrùm dari debeat, vel detur actus fidei acquisitæ, quoties datur actus fidei supernaturalis.

181 Volunt aliquid Recentiores, nunquam elici actum fidei infusæ supernaturalem absque aliquo alio assensu concomitanti fidei acquisitæ naturali simul elicito: quod in vniuersum docent de omnibus actibus supernaturalibus, semper elici simul cum illis alium actum naturalem, qui regulariter versatur circa idem obiectum formale, & materiale: actus tamen fidei acquisitæ non potest versari circa idem obiectum formale, quia non possumus viribus naturalibus credere propter reuelationem præteritam ineuidenter propositam sistendo in ipsa: quare assensus fidei acquisitæ, qui semper comitatur assensum fidei infusæ, debet habere aliud motiuum formale, scilicèt, motiua humana, propter quæ vltimò credimus per illum actum, Deum reuelasse, v.g. Incarnationem.

182 Mouentur ad hoc asserendum duplici potissimùm fundamento. Primum est, quia per actus omnium virtutũ generentur habitus, seu facilitas ad illud obiectum postea amplectendum, vt constat in homine fideli frequenter eliciente actus fidei, vel in diligente frequenter Deum, &c. hæc autem facilitas, seu habitus non potest generari ab actibus supernaturalibus, quia hi non generant habitus, sed generantur ab illis: actus enim non generant habitum, nisi ad similes actus eliciendos; vnde deberet esse habitus supernaturalis, quod fieri non potest, quia habitus supernaturales non sunt ad facile, sed ad simpliciter posse, habent enim se per modum potentiæ ad suos actus.

Secundum fundamentum est, quia si esset solus actus supernaturalis absque alio naturali, non posset à nobis cognosci, cum enim sit ens supernaturale, non posset intellectus absque aliquo lumine superiori illum percipere, atque adeo nec præsentem experiremur, nec præteriti recordaremur. Fatendum ergo est, interuenire simul alios actus naturales, quos experimur, & cognoscimus præsentes, & quorum postea recordamur.

Addunt tertiam rationem, quæ potest esse à priori quod scilicet potentia, cui sufficienter applicatur obiectum suum, non est, cur non operetur circa illud: volũtati autem proponitur obiectum honestum per cognitionem̃ supernaturalem fidei, & simul per cognitionem naturalem, ergo applicans se ad operandum circa obiectum propositum operatur vtroque modo, scilicet, vt potentia naturalis, & vt porentia eleuata ad actus supernaturales.

183 In hoc modo opinandi duo puncta continentur: primum est, dari semper cum actu supernaturali illum alium actum naturalem: quod quidem habet aliquos auctores, cum quibus sentit P. Iacobus Granado *in* 1.2. *controuersia* 4. *de habitu in communi disp.* 4. *n.*12 Alterum verò quod prædicta sententia addit, scilicet non percipi à nobis actus supernaturales, sed solos naturales singulare est, & contra mentem Theologorum omniũ, & Patrum. De primo puncto dixi *disp.* 20. *de Incarnatione sect.* 2. *n.*27. vbi illam sententiam reieci: & nunc iterum displicet. Primò, quia fundamentum illud desumptũ ex habitibus, & facilitate, quã experimur, retorqueri potest ad hominẽ: ipsi enim fatentur, actũ fidei infusæ, & actum fidei naturalem non versari circa idem obiectũ formale. Peto ergo an qui frequenter se exercet in actibus fidei infusæ intensissimis, & feruentissimis habeat post longum tempus facilitatem aliquam ad credendum propter testimonium Dei, maiorem quàm hæreticus, qui nunquam credidit propter testimonium Dei, sed propter motiua humana. Si habet, ergo actus supernaturales generarunt illam facilitatem: nam in eorum sententia actus naturales semper sistunt in motiuo humano. Si verò non habet vllam facilitatem, eodem modo negari poterit facilitas post alios actus supernaturales: non enim magis experimur facilitatem ad amandum Deum propter ipsum, & sistendo in ipso post actus amoris, quàm ad credendum Deo propter ipsius testimonium, & sistendo in ipso, & quidem cùm sit difficultas non exigua, vt aduersarij fatentur, in credenda reuelatione Dei præterita propter ipsam sistendo in illa; negari non potest, quod illa difficultas, quæcum que sit: exercitio, & vsu credẽdi decrescat, sicut difficultas quam habent alij actus: quidquid enim dixeris de facilitate ad credendum proper tale obiectum formale absque habitu, & quocumque modo eam explicueris; poteris idem dicere, & eodem modo explicare facilitatem quàm experimur ad alios actus. Quomodo autem generetur ea facilitas, & à quibus actibus, mox dicemus.

Secundò displicet, quia licet illi duo actus fidei versentur circa idem obiectum, non possint tamen fieri absque eo, quod voluntas imperet duos: sicut enim licèt omnes gradus intensionis in actu versentur circa idem obiectum, non potest fieri actus intensus, si voluntas imperat actum remissum: multo minùs poterunt fieri duo actus, si voluntas imperet vnum solum. 184

Vnde argui potest tertiò, quia si essent duo actus, duplò magis fatigaretur homo, quam si eliceret vnum, sicut magis defatigatur eliciens actũ intensum quàm remissum: hoc autem manifestè repugnat experientiæ; neque enim magis defatigamur eliciendo actum fidei, quam assensus scientificos. Rursus si essent duo actus, magis distraheretur virtus intellectus, aut voluntatis, quando operaretur circa eiusmodi materias virtutum quam circa alia obiecta, quia haberet duplo plures actus, atque adeo minùs posset attendere ad alia obiecta: quod tamen est etiam clarè contra experientiam. Adde, quod non solùm ex parte intellectus, sed etiam ex parte phantasiæ deberet duplicari defatigatio; nam propter dependentiam & connexionem intellectus nostri cum phantasia, singulis actibus nostri intellectus, saltem quando versantur circa diuersa obiecta, correspondet in phantasia alius actus: cùm ergo actus fidei diuinæ, & fidei acquisitæ habeant per te obiecta formalia diuersa, deberent illis correspondere actus, phantasiæ diuersi, qui duplò magis defatigarent & grauarent vires phantasiæ.

Non magis defatigamur eliciendo actum fidei, quàm assensus scientificos.

Quartò argui potest, quia si est necessaria connexio inter illos duos actus, eo quod (vt aduersarij dicunt) voluntate imperante assensum propter diuinum testimonium, virtus naturalis intellectus, elicit etiam assensum, quem potest circa diuinum testimonium non sistendo in ipso, sed in 185

in motiuo humano: ex hoc, inquam, se quitur quod assensus ille naturalis debeat etiam esse ex parte intellectus ita firmus, sicut est assensus fidei diuinæ: ideo enim per assensum fidei diuinæ intellectus assentitur firmissimè, & super omnia obiecta, quia voluntas piæ affectionis imperat eam firmitatē, & adhæsionem. Cùm ergo assensus ille naturalis proueniat ex eodem imperio voluntatis, quasi per redundantiam, quatenus intellectus virtute etiam naturali eo modo, quo potest, tendit in idem obiectum; oportet quod tendat æquè firmiter; quia non est, vnde, aut à quo limitetur in modo adhærendi firmiter, sed per vtrumque assensum adhærebit firmissimè eidem obiecto materiali, & per consequens per vtrumque adhærebit firmissimè obiecto formali, non potest enim firmiùs adhærere obiecto materiali, quam formali: vnde simul credet super omnia reuelationem Dei per actum supernaturalem & simul credet etiam super omnia testimonium humanum, & eius veracitatem per actum naturalem, in quo iam sibi contradiceret, credendo magis reuelationem præteritam, quàm omnia alia, & simul credendo per alium actum magis testimonium humanum, quam reuelationem præteritam cùm hanc credat propter illud.

186. Hinc iā ad secundum punctum veniendo illius sententiæ, quatenus docet solos actus naturales percipi à nobis, & non supernaturales: hoc, inquam, multò magis displicet. Nam ij Theologi concedunt, per solos actus supernaturales hominem mereri, ex quo fit, nos non percipere vnquam vllo modo, aut experiri in nobis eos actus, quibus Deo placemus, aut meremur aliquid in ordine ad salutem. Quæ doctrina non satis cohæret cum modo loquendi Scripturæ, & sanctorum Patrum, qui de iis affectibus, & de ea fide, dilectione, ac pœnitentia, quam experimur loquuntur, & dicunt, illam Deo placere, illam Deum placare, mereri vitam æternam &c. De voluntate enim bona, quam in corde suo expertus fuerat Dauid ædificandi templum Domini, loquitur *Psal.* 131. & repræsentat Deo ad obtinenda eius beneficia, dum ait. *Memento Domine Dauid*; & *omnis mansuetudinis eius, sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob, &c.* vbi certè de illa solùm voluntate loquitur, quam recordabatur se habuisse, & de illa subiicit remuneratam fuisse à Deo larga illa, & magnifica pollicitatione: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* De illa enim voluntate, quam in se expertus fuerat Dauid, dixit ei Deus (vt habetur 3. Reg. cap. 8.) *quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. Veruntamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus.* Vnde de voluntate etiam, quam in se experiebatur Salomon *eodem cap.* 8. *vers.* 28. & de oratione, quam in se percipiebat, loquitur, vt eius intuitu Deum moueat. *Respice ad orationem serui tui, & ad preces eius, audi hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie*, sicut & Dauid *Psal.* 26. repræsentat orationem suam præteritam, cuius recordabatur, vt ab ea moueatur Deus. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te. Tibi dixit cor meum. exquisiuit te facies mea.* Sic Ezechias repræsentabat Deo voluntates sua bonas præteritas, quas in se expertus fuerat, & quarum memoriam habebat, vt earum intuitu beneficia impetraret 4. Reg: 20. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Quod ipsum faciunt quotidie pij homines offerentes, & repræsentantes Deo bona desideria, quæ vnquam habuerunt, & quorum recordantur, vt eorum intuitu aliquid obtineant. Sic offerimus Deo orationem, in fine illius petentes, vt eam Deus acceptet ad præmium, & remunerationem. Dicere autem, quod non loquimur tunc de oratione, aut desideriis piis, quæ percipimus, & quorum recordamur, sed de aliis, quorum nec recordamur, nec ea vnquam percepimus alienum longè est ab omnium fidelium sensu, & mente. Quis enim fidelium credat actus pœnitentiæ, contritionis, dilectionis Dei feruentissimæ, quos S. Franciscus per totam vitam expertus est in se, inutiles fuisse ad salutem, & meritum, solúmque meruisse per alios actus occultos, qui nobis ignorantibus, in nobis fiunt, & quorum postea recordamur?

Adde, si ea doctrina vera esset, opera bona externa maxima ex parte non solum non essent meritoria, sed nec orirentur ex fide. Opera enim externa frequenter fiunt, vel certè continuantur ex applicatione præterita, qua voluimus illud opus facere, & quæ dicitur virtualiter perseuerare. v. g. Sacerdos ex intentione præterita, qua se applicuit ad celebrandum, etiamsi postea si distractus, prosequitur, & offert verum sacrificium, quod oritur ex intentione præterita virtualiter perseuerante: illa autem perseuerantia virtualis, vt alibi explicui, est volitio præsens confusa, & tenuis, qua volumus loqui, vel operari ad illum finem, quem iam priùs intendimus, & voluimus: per quem actum confusè volumus operationem præsentem ad illum effectum, quem prius nos intendisse recordamur. Vnde totum hoc præsens, quidquid est, oritur ex memoria confusa alicuius intentionis præteritæ. Si ergo non habemus memoriam vllam illius voluntatis supernaturalis ortæ ex fide, sed solùm alterius naturalis, quæ per te non oritur ex fide diuina, sed ex fide acquisita, & naturali, consequens est, vt oblatio præsens sacrificij vllo modo non oriatur ex fide, atque idcò nec denominatiuè sit meritoria. Quod idem procedit in Eleemosyna, in obsequio pauperibus, & infirmis exhibito, & aliis piis operibus, quæ saltem in continuatione nullo modo oriuntur ex fide, sed ex illa cognitione, & intentione naturali, cuius solius per se memoriam habemus: nam illa alia supernaturalis perinde se habet, ac si nunquam in nobis præcessisset.

Denique in materia nostra de actu fidei in particulari sunt duo alia inconuenientia. Primum est, quod tetigimus *supra sect.* 3. ad hominem, eo quod auctores illius sententiæ dicunt, actum fidei diuinæ habere aliud diuersum motiuum formale à motiuo fidei naturalis, quia illa tendit ad diuinum testimonium sistendo in ipso, hæc verò resoluit vlterius testimonium Dei in motiua humana. Vnde fit si à nobis non percipiuntur actus fidei diuinæ, quos habemus, sed soli actus fidei naturalis, numquam nos percepisse, nisi assensus qui tendunt ad testimonia humana: quare licet sæpe conati simus assentiri propter testimonium diuinum sistendo in ipso, experientia tamen comperimus nunquam id potuisse obtinere: nam licèt ille etiam assensus supernaturalis fiat, est tamen

men nobis omnino occultus, atque adeo perinde est ac si non esset: eodem enim modo experimur nos non illum habere, sicut experimur non habere alios actus, quos non habemus: negationem enim aliorum actuum solùm agnoscimus, ex eo, quod non percipiamus in nobis tales actus, sicut nec experimur assensum illum supernaturalem propter tale motiuum formale, magis quàm si reuera non esset. Vnde sicut, qui sæpe conatus est loqui, & expertus est, se non loqui, nec mouere linguam, aut labia, non conatur deinde id, quod experitur non fieri: sic qui per tot annos conatus est assentiri propter illud motiuum formale, & semper expertus est, se solùm assentiri propter aliud motiuum, nec habere se illum alium assensum, quem desiderabat; nisi insanire velit, cessabit ab eiusmodi conatu. Imò de facto, quia homines ab experientia ducuntur, non imperant sibi nisi assensus similes illis, quos experti sunt, & credere prout recordantur se credidisse: recordantur autem se nunquam credisse, nisi propter motiua humana iuxta hanc sententiam, ergo illum solum modum credendi sibi deinceps imperabunt.

189 Alterum inconueniens est, quia si solum assensum fidei naturalis percipimus, ergo solùm percipimus nos firmiter credere ea firmitate, cuius capax est assensus fidei acquisitæ, quæ per te resolumur in motiua humana, atque adeò non est capax eius firmitatis, quam habere debemus, cùm credimus Deo propter eius testimonium: non possumus ergo experiri in nobis fidem firmam, sed infirmam, & minorem, quàm eam, quam non experimur. Quomodo igitur audacter dicunt Patres, & dicimus etiam nos, quod firmissimè credimus mysteria nostræ fidei? possumus quidem dicere, quod velimus credere firmissimè; tamen experientia nos docet, numquam obtinere; semper enim experimur solum assensum infirmum loco illius firmissimi, quem volebamus habere. Si autem dicas, illum etiam assensum fidei naturalis fieri firmissimum propter connexionem, quam habet cum assensu fidei diuinæ, iam eo ipso derogas fidei diuinæ, per quam in actu exercito protestamur nos pluris facere auctoritatem, & testimonium Dei, & firmiùs ei credere, quàm omnibus prorsus motiuis, & auctoritati hominum sistendo in ipsis.

190 Nunc iam respondeamus breuiter ad tria illa fundamenta, quibus hi Theologi moti sunt ad ponendos omnes actus meritorios omnino occultos iis ipsis, qui eos habent. Primum argumentum erat, quia ex actibus fidei, & aliarum virtutum generantur habitus, qui tamen ex actibus supernaturalibus non possunt generari, ergo dantur simul alij actus naturales, ex quibus illi habitus generentur. Hoc argumentum iam suprà vidimus quomodo pariter contra ipsos retorqueatur: ad illud verò respondetur in mea sententia nullam esse difficultatem; dixi enim in libro de anima, habitus acquisitos esse species benè coordinatas & intensas, ac memoriam actuum præteritorum, quæ omnia reddunt potentiam magis promptam ad idem obiectum iterum amplectendum, vel credendum. Hæc autem facilitas non minus habetur per actus supernaturales, nam vtrorumque manet species, vt mox dicam. In sententia verò ponente habitus acquisitos, qui sint qualitates superadditæ diuersæ à speciebus, &c. consequentiùs procedunt, qui admittunt, ex actibus etiam supernaturalibus generari eiusmodi facilitatem, prout docet latè Arriaga *disput. 9. de anima sect. 1. subsect. 2.* in quam sententiam propensum se ostenderat Hurtado *disp. 16. de anima sect. 8.*

Habitus acquisitus quid sit.

Ad secundum argumentum, quo probabant, 191
non posse nos recordari actuum supernaturaliu̇, nec eos percipere, quando sunt, eo quod sint supernaturales, dixi latè *in tractatu de Deo*, vbi circa supernaturalitatem visionis Dei examinauimus hanc cognoscibilitatem entis supernaturalis, & dixi entia supernaturalia esse in duplici differentia: aliqua enim sunt supernaturalia simpliciter, vt gratia, habitus infusi, &c. alia sunt supernaturalia præsuppositiuè, qualis est cognitio euidens, qua Angelus scit aliquem hominem mortuum resurrexisse, quam cognitionem non potest vnquam habere nisi præsuppositio miraculo, scilicet, quod ille homo resurrexerit, quod viribus naturæ non potest fieri: posito tamen illo miraculo, viribus naturæ habet Angelus cognitionem euidentem, qua scit, illum hominem post mortem resurrexisse: quæ cognitio existere non potest, absque miraculo præsuppositio: illo autem posito, connaturaliter debetur Angelo concursus ad illam cognitionem, nec ad illam indiget habitu infuso, aut comprincipio aliquo supernaturali ex parte potentiæ, quia ipsi naturæ debetur. Sic ergo diximus, licèt homo non possit experiri suos actus supernaturales, nisi præsuppositio aliquo, quod superet vires naturæ, scilicet ipsis actibus, quos experitur; illis tamen actibus suppositis, debetur connaturaliter homini cognitio reflexa confusa, qua experiatur confusè illos, eo quod naturæ intellectuali debeatur cognitio suarum operationum, quæcunque illæ sint, propter grauissima inconuenientia, quæ sequerentur, si ipse homo nesciret, quid vellet, aut quid sciret. Hinc ergo est, quod ad eiusmodi actus reflexos non indigeat habitu infuso, quia non elicit eos per potentiã obedientialem, sed per virtutem naturalem, qua exigit talem cognitionem reflexam, non sicut posito lumine gloriæ debetur visio Dei, quia hæc non debetur naturæ, sed lumini: at verò cognitio reflexa proprij actus debetur ipsi naturæ, quæ quatenus intellectualis est, exigit, scire, quid velit, & quid nolit: non ergo superat exigentiam, aut vires naturæ illa cognitio, nisi præsuppositiuè, quatenus supponit aliquod excedens vires naturæ, quæ omnia latiùs explicui in prædicto loco. Vide etiam, quæ dixi; *disput. 20. de Incarnatione sectione 2. n. 27. & sequentibus*, vbi adduxi alias rationes ad probandum, quod non debeant fieri simul illi duo actus naturalis, & supernaturalis circa idem obiectum formale, & materiale.

Entia supernaturalia sũt in duplici differentia.

Ad actus reflexos homo non indiget habitu infuso.

Cognitio reflexa proprij actus debetur ipsi naturæ.

Hinc infertur decisio etiam illius quæstionis 192
vulgaris, vtrùm quando generatur assensus fidei Christianæ, necessariò prærequiratur aliquis assensus fidei acquisitæ, vt conditio, vel causa. Cui quæstioni Respondeo negatiuè: nam licèt prærequiratur assensus credibilitatis, vt postea videbimus, non tamen assensus ipsius mysterij: hic enim antecedenter ad piam affectionem, solùm posset esse probabilis, assensus autem probabilis non oritur necessariò positis motiuis, quia potest apparere aliqua ratio in contrarium, qua suspendatur intellectus, donec determinetur à voluntate, vt *infrà* videbimus.

An quando generatur assensus fidei Christianæ, necessariò prærequiratur assensus fidei acquisitæ vt conditio vel causa.

SECTIO X.

In quo formaliter consistat actualis reuelatio Dei.

193 *Quid sit hæc actualis reuelatio Dei propter quæ credimus.*

DIximus, obiectum formale partiale fidei esse reuelationem Dei: non erit abs re breuiter inquirere, quid sit hæc actualis reuelatio Dei, propter quam credimus. Suppono autem ex dictis, duplicem esse hanc reuelationem: alteram mediatam: alteram immediatam. Mediata est, qua Deus nobis nunc aliquo modo reuelat sua mysteria mediante prædicatione, & instructione aliorum hominum. Nam licèt hæc ipsa instructio sit respectu nostri aliqualis reuelatio Dei, (vt dixi *sect.* 7.) dicitur tamen mediata, quia vtitur Deus respectu nostri organo valdè mediato, quo aliquo modo loquatur nobis, nimirum loquutione, & doctrina aliorum hominum. Immediata verò est, qua Deus immediatè sine alio medio loquitur alicui, vt loquutus est Prophetis, & sanctis viris. De hac ergo immediata reuelatione, & loquutione Dei potest dubitari, in quo formaliter consistit: & postea ex ipsa facilè erit iudicare, quid dicendum sit de essentia reuelationis mediatæ.

194 *Loquutio & testificatio Dei an sit ipsa infusio interna habitus fidei. Prima sententia.*

Aliqui dicunt, loquutionem, & testificationem Dei, esse ipsam infusionem internam habitus fidei, Ita Canus *de locis Theologic. lib.* 2. *cap.* 8. *in solut.* 4. *argum.* §. *his vero tribus* Bañes *in præsenti* §. *decisio auctoris, conclusione* 6. Hoc tamen communiter reiicitur, & merito, quia ille, qui credit, habet pro motiuo ex parte obiecti reuelationem, & testificationem Dei ad credentum; non tamen habet pro obiecto ipsum habitum fidei, nec allicitur, aut mouetur obiectiuè ab ipso habitu, vt constat, non enim experimur habitum, nec habitus est obiectum, sed virtus ex parte potentiæ ad eliciendum assensum.

Fundamentum illius sententiæ.

Hæc sententia habet pro se fundamentum alicuius ponderis. Probant in primis ex illo 1. Ion. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*: ergo habet in se ipsam testificationem Dei, sed non habet in se nisi habitum, ergo ipse habitus est testificatio Dei. Respondetur, fideles habere in se testimonium Dei; hoc est rem testificatam siue vitam, & salutem à Deo promissam vt explicat noster Salmeron ibi *tom.* 14. *disp.* 31. vel aliter dici potest habere in se testimonium Dei, id est acceptare, & possidere obiectiuè per intellectum testimonium Dei, vt explicat Bellar. *tom.* 3. *lib.* 3. *de iustificatione c.* 9. *responsione ad* 13. *testimonium.*

195 Probant deinde ratione, quia sicut se habet naturale lumen intellectus circa prima principia, ita lumen fidei respectu credibilium: sed lumen naturale non solùm concurrit efficienter, sed etiam illuminat veritatem obiecti, vt videri possit, ergo similiter lumen fidei, &c. Respondetur, lumen naturale intellectus solùm concurrere efficienter ad actum: neque enim assentimur principiis propter ipsum lumen habendo illud ex parte obiecti. Similiter neque assentimur reuelatis propter habitum fidei, habendo illum ex parte obiecti. Alioquin primus actus fidei ericitus ab auxilio sine habitu haberet diuersum obiectum formale. Mitto alia leuiora argumenta, quæ facilè possunt dissolui.

P. Suarez *tom.* 1. *in.* 3. *part disp.* 27. *sect.* 2. §. *sed occurrit secunda difficultas*, docet in loquutione Dei ad extra, duos actus interuenire productos in intellectu audientis. Primus est directus, quo cognoscit mysterium reuelatum, v. g. Verbum Incarnatum esse. Secundus est, quo cognoscit illum primum actum esse loquutionem Dei, & vocem illius: penetrando naturam illius actus, qui entitatiuè est vox Dei, quare qui illum actum cognoscit, eo ipso scit eam esse Dei loquutionem. Hanc doctrinam existimo veram esse posse in aliquo casu, non tamen semper. Quare operæ pretium erit breuiter attingere aliqua circa loquutionem in communi, vt ex iis deducamus à priori naturam, & quidditatem loquutionis diuinæ. 196

In primis ergo notandum, de essentia loquutionis non solùm esse, quod per illam, qui loquitur, aperiat audienti rem dictam, sed etiam quod obiter manifestet conceptum internum, quem habet de illo obiecto. Probatur, quia plures sunt causæ naturales, quæ in nobis generant notitiam alicuius obiecti, & tamen non ideo loquuntur nobis proprie sed solùm metaphoricè, sicut cæli dicuntur loqui, & narrant gloriam Dei. item Angelus concurrens per modum obiecti cum intellectu alterius Angeli ad visionem suæ substantiæ, non loquitur per illam notitiam sui, quam in alio generat: & denique Deus potest sine concursu obiecti concurrere cum meo intellectu ad cognitionem aliquam, sicut modò concurrit ad cognitionem primorum principiorum cum speciebus; & tamen sicut per cognitionem primi principij modo de facto non loquitur Deus proprie, ita nec in illo casu loqueretur; quia nimirum non ordinatur illa cognitio ad manifestandum obiectum, prout in intellectu loquentis, sed obiectum secundùm se. Dixi *non ordinatur*, quia licèt ex cognitione alicuius obiecti possim arguitiuè colligere illud esse in mente diuina, non sufficit, vt dicatur Deus loqui: alioquin Deus loquitur mihi quæcunque euidenter cognosco, nam eo ipso possum colligere illa obiecta esse in mente diuina. Requiritur ergo ad loquutionem quod ordinetur per se, & immediatè ad manifestandam alicui mentem loquentis. Ex quo fit, vt non sit idem loqui alicui, & loqui coram alio: possum enim ego licitè loqui coram excommunicato, non tamen cum excommunicato, quod discrimen nascitur ex eo, quod verba illa non ordinentur à me, ad aperiendam illi, sed alteri, meam mentem. Vnde obiter infero, reuelationem latiùs patere, quàm loquutionem Dei: nam quæ homo cognosceret per scientiam infusam, aliquo modo diceretur scire per reuelationé: non tamen esset loquutio, quia Deus non ordinat illâ scientiam immediatè ad manifestandam suam mentem. At verò ad obiectum fidei requiritur loquutio Dei, quia fundatur in veracitate Dei: non est autem veracitas, nisi in loquutione: requiritur ergo ad actum fidei, quod Deus ipsi credenti, vel alteri loquutus fuerit mediatè, vel immediatè, dicimus tamen communiter reuelationem esse obiectum formale fidei, quia loquimur de reuelatione, non in tota sua latitudine, sed prout conuertitur cum testificatione.

Notandum secundò auditionem sæpe sæpiùs distingui à loquutione: auditio enim est perceptio, qua audiens percipit obiectum dictum, & quod illud obiectum sit in mente loquentis: Quare in rigore loquendo, contingere potest, quod

quod aliquis loquatur, & non audiatur; quia licèt communiter dicatur loquutionem esse manifestationem proprij conceptus, seu excitationem speciei in mente audientis: non debet intelligi de excitatione actuali in actu secundo, sed de causa proxima ad excitandum, nisi impediatur: quod licet pertineat ad quæstionem de nomine, an illa sit dicenda loquutio; debemus tamen obseruare communem modum loquendi: nam quando Sacerdos pœnitentem absoluit, verè loquitur cum illo; & tamen frequenter pœnitens non audit, & frequentiùs non intelligit quid dicat Sacerdos: ergo non est idem loqui, & audiri ab eo cum quo loquimur.

199 Hinc infero primò, pro materia de Angelis, iuxta sententiam probabiliorem, quæ docet Angelos inuicem loqui, quatenus ad nutum vnius Deus concurrit cum intellectu alterius ad cognoscendum id quod alter vult manifestare: dicendum esse loquutionem formaliter consistere in illo actu voluntatis, quo Angelus loquens ordinat obiectum ad alterum Angelum, auditionem verò esse perceptionem alterius Angeli; quare posset saltem miraculosè, vel fortè etiam pro arbitrio ipsius Angeli, cui fit loquutio, loquente Michaële cum Gabriele, Gabriel non audire: itaque loquutio Michaëlis est actus voluntatis, qui exprimitur per has voces (*fac hoc*): vel *ego tecum veniam ad te*; nam licèt communiter dicatur hos esse actus intellectus, siue intimantis, siue iudicantis, & loquentis de actibus voluntatis; probabilius tamen existimo esse actus voluntatis, alioquin non posset vnus Angelus alterum decipere, & mentiri, quia si loquutio esset iudiciũ quo Angelus loquens cognosceret actum propriæ voluntatis, sicut ipse non posset iudicare contra id, quod in se experitur, itavt non posset dicere alteri quod in mente non haberet: potest autem fallere, & falsò promittere: vt nos ipsi experimur, quando interiùs volumus cum Deo, vel Angelis loqui: possumus enim interiùs etiam dicere, *ego faciam, ego orabo, ieiunabo, &c.* & tamen non habere propositum implendi, præsertim si aliquis conciperet, Deum posse decipi per ignorantiam, frequenter posset huiusmodi loquutionem elicere; ergo illa loquutio non est iudicium affirmans volitionem præsentem; sed potiùs est volitio ordinans illud obiectum ad audientem, qui actus, licèt non sit amor, vel odium obiecti; est tamen quasi amor, quo volumus illud obiectum manifestari audienti vt cognitum à nobis. De hoc tamen latiùs in materia de Angelis.

200 Infero secundò, ex illis duobus actibus intellectus, quos ponebat Suarez *vbi supra*, quando loquitur Deus, quorum vnus sit cognitio obiecti, & aliter sit cognitio reflexa prioris, primum quidem esse completè loquutionem Dei, quia licèt per illum formaliter non cognoscam obiectum esse in mente diuina; ille tamen actus excitat sufficienter mentem audientis ad secundum actum, quo cognoscam illud obiectum esse in mente Dei. Loquutio autem vt supra dixi, non est, qua formaliter audio, vel cognosco rem, vt in mente loquentis, sed quæ excitat in me talem cognitionem, vt constat in loquutione humana externa. Aduerte tamen, illum primum actum, licèt sit loquutio, esse tamen simul saltem partialiter auditionem: cùm enim auditio (vt supra dixi) sit perceptio, qua audiens formaliter cognoscit obiectum dictum & quod obiectum sit in mente loquentis; hinc est, illum priorem actum esse partialiter auditionem, quia per illum formaliter cognoscitur obiectum dictum: itaque auditio integra completur ex illo primo actu, & ex secundo, quo cognosco, obiectum illud fuisse in mente Dei loquentis, loquutio vero sufficienter saluatur in priori cognitione.

201 Petes, quomodo per secundum actum possim cognoscere obiectum illud fuisse in mente Dei nisi videam intuitiue ipsum Deum. Respondeo, primam cognitionem posse esse talis naturæ, vt postulet non produci à Deo, nisi ex fine manifestandi suam mentem, & ordinandi illud obiectum ad alterum; quare, qui cognoscit naturam & entitatem illius actus, cognoscet etiam, productum esse à Deo ex tali intentione, & fine manifestandi suam mentem, sicut, qui cognoscit vocem externam, cognoscit etiam proferri ex fine manifestandi propriam mentem, quia ex placito hominum habent voces non proferri nisi cum hac intentione.

202 Ex dictis de loquutione, infertur Tertio quid dicendum sit de ipso verbo: cùm enim omnis loquutio inferat verbum; postquam diximus, quid sit formaliter ipsa loquutio, facile erit designare, in quo consistat formaliter verbum. Etenim loquendo de loquutione, non qua sibi, sed qua cum aliis aliquis loquitur (provt agimus in præsenti) verbum est id, quod à loquente producitur ad repræsentandum vtrumque, scilicet obiectum dictum, & quod obiectum sit in mente loquentis: vtrumque enim repræsentat instrumentaliter vox humana. Ex quo fit, verbum in loquutione Angelica non esse cognitionem Angeli loquentis, vel audientis; sed illum actum voluntatis, quo ordinat loquens obiectum ad alium: illa enim est vox Angelica, qua clamat Angelus, & quam nos etiam experimur, quando ad Deum, vel Angelum clamamus aliquid postulantes, vel narrantes: nam illa postulatio vel narratio non est assensus, vel iudicium (vt supra vidimus) cùm possit coniungi cum voluntate decipiendi, sed est ordinatio voluntatis dirigentis obiectum ad alterum: quod autem ille actus sit verbum, quo alteri loquimur, facilè probatur, quia habet se omnino sicut vox externa in ordine ad manifestandum obiectum, nec aliud poterit assignari quod sit verbum: non cognitio Angeli audientis, tum quia illa magis est auditio, & perceptio verbi quàm verbum: tum etiam quia etiamsi Angelus non audiret, adhuc præcederet loquutio (vt supra dixi) & per consequens Verbum: quia omnis loquutio est productio alicuius verbi. Deinde verbum non potest esse cognitio ipsius loquentis, quia potest contingere, quod loquẽs loquatur contra id quod cognoscit vt dictum est, & tamen producit verbum, licèt falsum illius obiecti: restat ergo, vt ille actus voluntatis, sit verbum, & vox vnius Angeli ad alium.

203 Denique ex dictis constat quid sit formaliter verbum Dei loquentis: nam si sermo sit de loquutione Dei ad intra; verbum est id, quod producit Pater æternus ad repræsentandum ipsi filio obiecta, quæ Pater habet in mente, quod verbum non est aliud, quàm ipse filius genitus de quo latè in materia de Trinitate. Si vero sermo sit de loquutione Dei ad extra, qua loquitur immediatè

mediatè cum Angelis, vel hominibus: hæc loquutio potest dupliciter esse. Primò itaut Deus formet aliquam vocem siue sensibilem, siue intellectualem in audiente, quæ quidem vox non sit cognitio, sed obiectum cognitionis, & in qua cognoscatur obiectum dictum, vt in mente diuina? & tunc hæc vox, quæcumque illa sit, erit verbum, sicut vox vnius hominis ad alium. Qualis autem sit natura illius vocis; non possumus perfectè explicare; non tamè apparet repugnantia in possibilitate talis qualitatis, quæ per modum obiecti repræsentet instrumentialiter rem dictam à Deo. Secundò potest Deus loqui efficiendo immediatè in mête audientis cognitionem directam ipsius obiecti dicti, ex intentione manifestandi suam mentem, & tunc illa prima cognitio directa producta in audiente erit propriè verbum Dei; quia illa formaliter repræsentat obiectum, & instrumentaliter repræsentat, quod illud obiectum sit in mente Dei loquentis, vt supra explicatum est.

204 Vltimò infertur, idem cum proportione dicendum esse de loquutione mediata, qua Deus mihi hîc, & nunc proponit mysteria fidei credenda: hæc enim loquutio est ipsa mysterij propositio mihi facta à prælatis, & magistris cum talibus circumstantiis, &c. hæc enim propositio talis mihi apparet, vt in ipsa tanquam in Dei voce mediata possim cognoscere, Deum esse auctorem huius doctrinæ, & Deum per hoc medium velle mihi suam mentem communicare: in quo consistit ratio loquutionis.

205 Hæc olim dixeram pro explicanda essentia loquutionis, quantum ad nostrum institutum sufficiebat. Postea hæc latiùs prosequutus est P. Hurtadus *disput.* 13. vbi de loquutione in communi, & de variis loquutionum generibus tractat, eandemque sententiam circa loquutionem Angelicam amplexus est, qui adiri potest: ego enim ab iis quæstionibus generalibus ex professo tractandis abstineo, quia non sunt huius loci: aliqua tamen breuiter obseruo ex iis, in quibus non placet doctrina Hurtadi in prædicto loco.

206 *An semper requiratur in loquente voluntas qua velit quòd audiens percipiat eius vocem & rem dictam.*

Primo itaque non placet, quod *dicta disp.* 13. *sect.* 1. §. 5. dicit requiri in loquente voluntatem, qua velit, quod audiens percipiat eius vocem, atque etiam rem dictam per ipsam vocem. Hoc, inquam, non approbo, si intelligatur vniuersaliter de omni loquutione, & non solùm de humana, nec cohæret cum iis, quæ idem Auctor nobiscum affirmat postea *sect.* 2. §. 65. vbi dicit, Angelum loqui cum alio Angelo per voluntatem, qua suum conceptum ad illum dirigit, hoc est, qua vult, secreta sua percipi ab audiente: qua voluntate existente, Deus infundit speciem Angelo audienti, vt percipiat voluntatem illam Angeli loquentis, quæ voluntas cognita ducit audientem in cognitionem rei, quam Angelus loquitur, sicut vox nostra ducit in cognitionem rei dictæ per vocem. Ex hac autem doctrina sequitur, non semper requiri in loquente voluntatem, qua velit suam vocem percipi, & cognosci ab audiête, sed sufficere, quod velit suum conceptum & mentem ab audiente percipi. Probatur, quia Angelus loquens per te solùm vult secreta sua percipi, non ergo vult quod percipiatur etiam vox: nam vox Angeli vel est ipsamet volitio, qua vult suum conceptum percipi ab audiente, vt ego opinor, & explicui in tractatu de Angelis; vel est ipse actus cognitionis, quo audiens percipit illam voluntatem, vt indicat Hurtadus *dicto* §. 65. dicent voluntatem loquentis esse eius linguam; cognitionem verò, qua audiens eam percipit, esse formalem loquutionem, & simul auditionem, in quo non immoror, quia fortasse hic Auctor non negat, volitionem ipsam esse vocem, & loquutionem instrumentalem iuxta id, quod latiùs explicuerat *sect.* 1. *subsect.* 8. siue ergo vox sit voluntas loquentis, siue cognitio audientis, non est necesse quod velit Angelus loquens, illam percipi ab audiente. Nam volitio loquentis non habet se ipsam pro obiecto, nec vult se ipsam percipi ab audiente, sed vult mentem suam, & conceptum de tali obiecto percipi ab audiente: qua voluntate posita, Deus infundit speciem audienti repræsentantem directè illam voluntatem, quæ cognita ducit in cognitionem conceptus, & mentis loquentis circa tale obiectum, siue vere siue aliquando falsò significatæ, quando loquens mentitur: non ergo necesse est velle, quod audiens cognoscat ipsam vocem. Si verò dicas, vocem esse ipsam cognitionem, qua audiens percipit voluntatem loquentis; procedit idem argumentum: nam Angelus loquens voluntate illa solum vult, quod audiens cognoscat suã mentem de tali obiecto, non verò vult, quod reflexè cognoscat illam suam cognitionem, qua percepit mentem loquentis. Nec id necessarium est ad finem loquentis; si enim audiens percipit directè voluntatem loquentis, & ex ea ducitur ad cognoscendam eius mentem circa tale obiectum, quam loquens voluit audienti constare, sufficienter audiens venit in notitiam mentis loquentis sine alia cognitione reflexa prioris cognitionis: non ergo necesse est quod loquens velit audientem cognoscere reflexè cognitionem directam: imò nec apparet possibile, quod voluntas illa, qua Angelus loquitur, terminetur ad illam cognitionem reflexam, vt ad obiectum volitum: quia si id requireretur, esset, vt Angelus audiens cognitione reflexa cognosceret, suam cognitionem directam fuisse ortam ex voluntate loquentis, atque ita cognosceret loquutionem sub ratione loquutionis: hoc autem non potest voluntas illa, qua Angelus loquitur, velle, nisi habeat se ipsam pro obiecto: non enim potest eadem voluntas velle, quod audiens sciat suam cognitionem directam ortam esse ab illa voluntate, nisi terminetur ad eandem voluntatem saltem in obliquo, quod difficile est, vt constat.

Neque obstant fundamenta, quibus ille auctor *dicto* §. 5. motus fuit ad id asserendum: fundantur enim in vocis æquiuocatione, vel in principio falso. Primò namque dicit, necessariam esse voluntatem loquentis, *qua velit percipi ab audiente*: quæ propositio æquiuoca est; si enim sensus sit, requiri, quod loquens velit percipi suam mentem ab audiente, vera est, si vero sensus sit, debere velle, quod vox ipsa & loquutio percipiatur ab audiente, falsa est: non est enim necesse id velle semper, vt aliquis loquatur. Secundò probat, quia loqui est significare ad placitum, ergo qui loquitur vult significare ad placitum, quia qui loquitur, vult loqui. Hoc tamen, si vniuersaliter intelligatur de omni loquutione falsum est: quia loquutio Angelica non significat ad placitum, sed naturaliter, vt suppono, & concedit etiam ille auctor. Falsum etiam est, omnem, qui loquitur, debere velle loqui: Angelus enim loquens, non est necesse, quod velit reflexè loqui, sed sufficit, quod velit

percipi

percipi suam mentem ab audiente qua voluntate eo ipso loquitur in actu excito, & percipitur, licèt possit etiam reflexè velle hanc voluntatem per aliam reflexam, per quam velit loqui, vt dixi in tractatu de Angelis. Ideo tamen dixi supra, hãc doctrinam non mihi probari, si intelligatur de omni loquutione præscindendo ab Angelica & humana. Si enim restringatur ad solam humanam quæ sit per voces sensibiles significantes ad placitum, verum puto, quod requiratur in loquẽte voluntas, qua velit voces ab audiente percipi. Non enim loquitur per hoc solùm, quod velit suam mentem ab audiente percipi, nisi apponat ad hunc finem medium aliquod, nempe voces, vel nutus instrumentaliter significantes suam mentem: cùm autem voces non sint vtiles ad eum finem, nisi ab audiente percipiantur, consequens est, vt volens voces ad manifestandam suam mentem, velit eas percipi ab audiente, alioquin non vellet eas, vt vtiles ad eum finem, atque ideo non vellet ex eo fine, sed casu, quod non sufficeret ad loquutionem humanam, quæ debet ordinari ad audientem ex ordinatione loquentis, Angelus autem non indiget alio medio: quia eo ipso, quod velit mentem suam ab audiente percipi, debetur audienti species huius voluntatis, qua in actu exercito ordinata fuit mens loquentis ad audientem.

208 Secundò obseruari velim, quod P. Hurtadus §.9 proposita sibi obiectione, quod loquens amphibologicè, & æquiuoce non vult ab audiente percipi; & tamen loquitur: respondit, fortasse aduertendum æquiuocatione absque mendatio, requiri voluntatem formalem loquentis, vt percipiatur ab audiente in vero sensu. Hoc tamen absolutè, & absque dubitatione affirmandum censeo. & docui olim in hac materia, dicam infe-riùs *disp.* 4 *sect.* 5. vbi de his æquiuocationibus sermo erit, an Deo, vel hominibus licitæ sint. Vbi videbimus, quomodo stet simul illæ duæ voluntates in loquente, altera, qua desiderat, audiendum non intelligere verum sensum, altera, qua vult proferre verba ad hoc, vt audiens possit verum sensum percipere: sine qua voluntate non loqueretur verum, cùm non proferret ea verba, ad significandum id, quod habet in mente sed contrarium.

209 Tertiò displicet, quod prædictus Auctor *eâdem disp.* 13. §. 26. & sequentibus latè probare contendit contra Vasquez, non requiri in loquente voluntatem formalem, qua velit suam cognitionem, seu iudicium de obiecto percipi ab audiẽte, sed sufficere voluntatem virtualem, qua præuidens, voces habere hunc effectum ducendi audientem ad notitiam mentis, cognitionis loquentis, velit proferre voces, licèt id non velit ex eo fine, sed solùm vt ducant audientem in cognitionem obiecti à se cogniti. Hoc, inquam, falsum existimo, quia loquutio essentialiter tendit ad communicandam scientiam, & notitiam propriam alteri: quare immediatè, & directè voces significant conceptum, & mentem loquentis, mediatè verò & consequenter res, quarum notitia dari intenditur: quare, qui dicit tibi, *Petrus est in foro*, immediatè significat suam mentem, quia iudicat, Petrum esse in foro, & consequenter dat tibi medium cognoscendi rem ipsam, nempe Petrum esse in foro. Cùm enim non possimus mentem ipsam nostram, & scientiam transferre in audientem, vtimur vocibus, quibus medius mentem nostram, & notitiam aliquo modo transferamus, de quo dixi in Logica, atque etiam *in tom. de pœnitentia disp.* 23 *sect.* 4. ideoque Pater æternus propriissimè loquitur Filio, & loquendo generat ipsum, quia communicat ei ipsam eandem scientiam rerum omnium, quam ipse habet; nos verò, quia eandem scientiam communicare non possumus, vtimur instrumento vocum, quibus manifestemus iudicium, & mentem nostram de rebus: cùm ergo loquutio ad hanc communicationem scientiæ ordinetur, repugnat aliquem velle formare voces ad finem loquutionis, quin velit audientem venire in notitiam scientiæ suæ: alioquin nõ vellet proferre voces ad vsum suum, ad quem sunt institutæ, sed ad alium, & per consequens non loqueretur.

Notitiam mentis nostræ vt notitiam nostrã in audientem transferamus.

210 Porrò loquutionem afferre ordinationem mentis propriæ ad audientem, nec sufficere intentionem manifestandi res ipsas, probari potest in primis; quia Deus non loquitur nobis propriè, quando producit in nobis speciem obiectorum, & eorum notitiam, siue id faciat, vt causa vniuersalis, siue etiam vt causa particularis, imò licèt immitteret alicui speciem erroris, Deus nec loqueretur, nec mentiretur, quia non id faceret ad manifestandam suam mentem. Vnde, quando Deus alicui dat scientiam infusam, vel species supernaturales & infusas multarum rerum, reuerà intendit, quod homo accipiat notitiam illorum obiectorum, tum quia qui vult formam in subiecto, vult effectum formalem; tum etiam, quia eo fine Deus infundit species illas, vel scientiam, vt homo sciat ea omnia obiecta. Non tamen loquitur Deus quia totum id ordinatur, vt homo sciat obiecta, non vt communicetur ei scientia Dei, neque species illæ habent ex se immediatè significare illam ordinationem scientiæ diuinæ ad accipientem species: in hoc ergo differt loquutio vt loquutio ab omnibus aliis actionibus, quibus generari potest scientia in alio; quia loquutio ordinatur immediatè ad communicationem scientiæ propriæ, & significat audienti immediatè hanc ordinationem.

Loquutio affert ordinationem mẽtis propriæ ad audientem.

211 Variæ responsiones ad hoc colligi possunt ex Hurtado, qui, vt verum fatear, satis obscurè loquitur in tota illa *sect.* 1 & vix potest eius sensus percipi. Primò ergo videtur respondere, Deum non loqui producendo species, vel cognitiones nostras, quia illa productio non procedit ex cognitione, quam Deus habet de obiectis, sed hæc cognitio concomitanter se habet ad productionem illarum specierum, vel cognitionum; loquutio verò debet procedere ex cognitione obiecti, quæ est in loquente; quam cognitionem aliquando videtur iudicare, quod debeat, esse iudicium, vt §. 20. & 23. aliquando quod solùm debeat esse apprehensio, vt §. 21. 22. & alibi. Hæc tamen responsio non satisfacit. Primò, quia sæpe in productione specierum, vel scientiæ, quam Deus producit in homine, se habet concomitanter, sed antecedenter, & vt causa cognitio, quam Deus habet de obiectis: quando, v. g. Deus infundit aliqui species, vel scientiam infusam supernaturalem de rebus futuris, qua homo eas vt futuras euidenter cognoscat, necesse est, quod priùs Deus sciat res illas esse futuras, alioquin non posset dare speciem supernaturalem illius, vt futuræ; & qui postea cognosceret reflexè illam speciem, vel scientiam infusam à Deo, eo ipso veniret in cognitionem scientiæ, quam Deus

habet de tali re statura, sine qua scientia, non posset infundere eam scientiam, & tamen tunc Deus non loquitur propriè, quamuis dici possit reuelare ea obiecta, latiùs enim patet reuelatio, quàm loquutio, vt suprà diximus, & fatetur idem Hurtado eadem disp. 13. §. 105.

212 Secundo, impugnatur eadem responsio, quia si loquutio debet procedere à loquente ex cognitione obiecti, & hoc significat ipsa loquutio; hoc debet intelligi, vel de apprehensione sola, vel etiam de assensu loquentis circa veritatem obiecti. Si ergo intelligitur de sola apprehensione obiecti, quæ debet præcedere in loquente; hoc non est proprium loquutionis: nam Deus etiam producens species, vel cognitiones nostras, antequam velit eas producere, debet cognoscere essentiam talium specierum, vel cognitionum, & per consequens earum obiecta, quæ essentialiter repræsentant: ecce productio illa procedit à Deo ex obiecti cognitione non concomitanti, sed antecedenti vt causa: & tamen Deus tunc non loquitur. Si vero dicas loquutionem debere procedere ex cognitione obiecti, qua loquens iudicet obiectum ita esse, vt per voces significatur: peto, an requiratur iudicium illud, vt causa, sine qua non potest fieri loquutio, an solùm vt obiectum, quod loquutio debet significare. Primum dici non potest, quia ille, qui mentitur, loquitur propriè, & loquutio illa non procedit à iudicio loquentis de existentia obiecti. Si vero dicas secundum, hoc est, quod intendimus, loquutionem habere hoc speciale, vt repræsentet iudicium loquentis de veritate obiecti dicti, quod iudicium, quando datur, loquutio est vera, quando non datur, est falsa, sed est propriè loquutio. Si autem iudicium illud est obiectum loquutionis, consequens est, vt loquens ordinet loquutionem ad manifestandum iudicium illud. Sicut enim non potest loqui, quin velit manifestare res, quia loquutio ordinatur ad illas per modum obiecti manifestandas, & qui vult loqui, vult vti signo, vt signo, & per consequens significare obiectum signi; sic non potest velle loqui, quin velit vti loquutione ad significandum iudicium proprium de re dicta, cùm iudicium illud significetur vt obiectum per loquutionem. Non enim potest significari solùm vt causa, cùm iudicium illud non sit causa requisita ad loquendum, sed sola apprehensio, cùm constet posse loqui, & de facto loqui eum etiam, qui non habet iudicium de veritate obiecti.

Loquutio repræsentat iudicium loquentis de veritate obiecti dicti.

213 Dices, iudicium illud esse causam requisitam, non vt quis loquatur, sed vt loquatur verè; vnde quia loquens obligationem habet loquendi verum, ex eius loquutione audientes colligunt præcedere in ipso iudicium de veritate obiecti, & hæc potest esse secunda responsio, quæ colligi videtur non clarè ex iis, quæ prædictus Auctor tradit §. 20. Hæc tamen responsio impugnari potest, quia ex hac ipsa obligatione loquendi iuxta iudicium de veritate obiecti colligitur, iudicium illud non solum esse causam, sed obiectum loquutionis. Si enim non esset obiectum, nec loquens per voces significat, se ita iudicare, non apparet, vnde sit obligatio conformandi verba cum mente. Nam hoc solùm, quod est voces significare res, non videtur eam obligationem afferre; potest enim aliquis sine peccato simulare vultum mœstum, vt tristitiam internam fingat, & licèt id faciat, vt alij putent eum mœstum esse, non mentitur, nec peccat, quia non interponit auctoritatem, & fidem suam: peccaret tamen, si verbis id testaretur; quia nimirum verba non solum significant rem ipsam, sed mentem loquentis, qui verbis interponit fidem & auctoritatem suam, fidem etiam ab auditoribus exigens, quare sicut fidelitas obligat ad conformanda facta verbis, quia promittens exigit spem ab eo, cui promittit, dans illi fidem promissionis; sic affirmans debet conformare verba menti, quia exigit ab audiente fidem, interponendo auctoritatem, & fidem suam. Non ergo solùm intendit, quod audiens veniat in cognitionem rei dictæ, sed etiam testem se adhibet affirmans id ita apud se verum existimari. Confirmari potest, quia veracitas obligat immediatè non quidem ad dicendam rem, sicut est à parte rei, sed provt est in mente loquentis: qui autem loquitur, & affirmat aliquid, eo ipso intendit significare, se cum veritate loqui, ergo vult significare conformitatem loquutionis cum mente sua, & per consequens intendit mentem suam cognosci ab audientibus, & eius conformitatem cum verbis prolatis.

Respondeti potest ex Hurtado §. 28. & 29. loquentem intendere quidem exprimere rem, provt est in mente: ad hoc tamen non requiri, quod faciat reflexionem supra suum iudicium, sed solùm attendere ad eius obiectum, nam si mentis obiectum est, *Petrum esse in foro*, & ego vocibus exprimo, Petrum esse in foro, eo ipso affirmo rem provt est in mente, quamuis nihil dicam de meo iudicio, nec reflexè illud cognoscam sed solùm eius obiectum, Et hæc potest esse tertia responsio, quam confirmat, quia qui affirmat id quod est à parte rei, affirmat rem, provt est in se: ergo qui affirmat id, quod iudicat, eo ipso affirmat rem, provt est in mente, absque alia intentione reflexa affirmandi conformitatem. Item pictor pingit faciem hominis, prout est in exemplari, quamuis non intendat depingere, vt eam cognoscit in exemplari reduplicatiue, sed solùm specificatiue id quod videt in exemplari. Quando etiam loquimur, volumus loqui, & loquimur provt volumus; non tamen cognoscimus reflexè conformitatem loquutionis cum voluntate loquendi. Possumus ergo loqui rem, provt est in mente, licèt non significemus reflexè, nec cognoscamus ipsam conformitatem verborum cum iudicio mentis.

Hoc tamen ex dictis impugnari potest primò retorquendo eadem exempla, nam qui vult affirmare rem, provt est à parte rei, debet attendere ad statum, quem habet à parte rei: ergo qui vult affirmare rem, provt est in mente debet attendere ad statum, quem habet in mente: esse autem in mente est terminare iudicium mentis, quæ est denominatio extrinseca proueniens à tali iudicio mentis: ergo debet reflectere supra ipsum iudicium mentis. Pictor item, cui impositum est, vt depingat faciem conformem exemplari, debet attendere ad picturam prout est in exemplari, alioquin non erit certus de conformitate, nisi videat in tabula ipsa exemplaris taliter esse: ergo si volumus describere ab exemplari nostræ mentis, debemus reflectere supra mentem nostram. Vnde secundo impugnatur à priori, quia loquens ex veracitate obligatur ad procurandam conformitatem verborum cum mente: non potest autem procurare conformitatem, nisi attendendo

ad

ad statum obiecti in mente, provt terminat actū iudicij: ergo non potest intendere hanc conformitatem sine reflexione, & comparatione significationis verborum cum expressione mentali eiusdem obiecti.

216. Hinc facile solui possunt, quæ Auctor ille affert ad probandum, non esse necesse, quod loquēs velit, ab audiente percipi eius iudicium de obiecto dicto: procedunt enim ex suppositione falsa. Primo arguit §. 25. & 26. quia non est ponenda ea voluntas sine necessitate: nulla est autem talis necessitas, quia voces non significant conceptus directè, sed res ipsas, & aliunde voluntas loquendi est solum voluntas manifestandi rem conceptam, quod fieri potest sine voluntate manifestandi cōceptum nostrum. Si enim amicum in periculo existentem moneas dicendo, *periculum imminet*: preteris habere pro fine solùm, quod amicus cognoscat periculum, quod quidem obtines, etiamsi non dicas ei, *ego cognosco te esse in periculo*, & licet non velis, vt ipse cognoscat te hoc cognoscere.

217. Respondetur ex dictis, falsò supponit, quod voces non significent directè conceptus, sed res. Falsò etiam supponitur, quod possit aliquis velle loqui, & non aduertere ad suos conceptus, nec velle, quod hi ab audiente cognoscantur. Loqui enim, vt diximus, non est solum significare rem aliquam; nam qui fingit mœstitiam vultus, vult significare mœstitiam in corde, & tamen non loquitur: quia loqui est significare iudicium de re ipsa, vt interposita sua auctoritate exigat fidem ab audiente. Vnde falsum etiam est, quod dicens amico, *periculum imminet*, solum velit, amicum periculum agnoscere. Fateor, id solùm intendi tanquam finem, ad quem assumitur medium loquutionis, vt in auctoritate, & iudicio monentis, tanquam in medio cognito amicus agnoscat periculum. Sicut si ad eundem finem loquens iuraret periculum esse; tunc certè non vult solùm quod amicus cognoscat periculum, sed ad hunc finem vult quòd agnoscat iusiurandum, quo Deus affertur in testem. Sic etiam sine iuramento affirmans, adducit se ipsum in testem, & in suo testimonio, vt in medio cognito vult ab amico agnosci periculum imminens. Aliud esset, si non loqueretur, sed aliter moneret, v.g. aperiendo fenestram vt in lumine videret amicus foueam, vel insidias paratas: tunc enim solùm intendit cognosci periculum in se, & non in suo testimonio, tanquam in medio.

218. Arguit secundò §. 30. quia prolatio vocis est sicut scriptio: possumus autem per scriptum loqui sine voluntate, quod percipiatur noster conceptus, nam si formes characteres exprimentes rem, provt eam concipis, absque voluntate, vt ab aliis legantur, adhuc, qui eos legerit, concipiet rem vt à te fuit concepta. Adde, si formasti characteres volens manifestare legenti rem scriptā, sine vlla tamen cognitione reflexa tui iudicij de hac rē: iam verè loqueris, quia voluisti manifestare rem, provt sentis, & ita eam scribis. Respondetur facilè, scribentem posse tripliciter se habere: primò, si nullo modo intendat, quod alij veniant in notitiam rei per scripturam, sed exercendi calami gratia scribi rem, quam sentit, & tunc nullo modo loquitur, cum nolit alicui quidquam significare. Secundo potuit intendere, quod alij in eam scripturam incidentes eam legant, & credant rem scriptam; non tamen id significat, se illis loqui, vel scribere, sed sibi, & ad sui memoriam: sicut si ad eundem finem secum in secreto voce loqueretur solus, vt alij cum obseruantes, crederent, quæ apud se dicit: & tunc etiam non loquitur aliis, sed fingit se sibi loqui, vt alij decipiantur; vt enim aliis loquatur, debet ad illos sermonem dirigere, vel scripturam in communi, vel in particulari. Sic, qui fingit se scribere Petro, vt Ioannes; interceptis literis, credat, & decipiatur, non est loquutus Ioanni, nec mentitus est, quia nemini loquutus est: iam enim aperuerat Petro literas esse fictas. Tertiò denique scribens potest velle loqui cum legentibus, quicumque illi sint: & tunc falsò supponitur, quod non velit eos agnoscere iudicium suum de re illa, si enim id non vult, non loquitur illis, vt constat ex supradictis.

219 Arguit tertio §. 31. quia si per possibile, vel impossibile verba quis faciat significantia obiectum, quale est in sua mente cum sola voluntate manifestandi obiectum illud, quin cognoscat cognitionem suam, vel velit eam manifestare, manifestabit audienti obiectum illud vt ab ipso fuit cognitum, ergo loquetur: & audiens verè à loquente didicit obiectum illud. Respondetur repugnare, quod velit aliquis aliis verba facere, vt eis manifestet obiectum, quin velit ab iis cognosci suum iudicium de re ipsa; medium enim non potest eligi ad finem, nisi quatenus vtile est: verba autem aliis facta non manifestant rem, nisi quatenus significant, loquentem eam testificari, & interponere suam auctoritatem: ergo eo ipso loquens vult suam fidem, & iudicium ab audientibus cognosci. Si autem per impossibile loqueretur sine hac voluntate, sequeretur vtrumque: loqueretur enim, & non loqueretur, sicut si ponas per impossibile loqui sine voluntate manifestandi rem, de qua loquitur.

220 Ex dictis infero, displicere mihi quartò in prædicto Auctore, quod dicit *eadem disp.* 13 §. 36. vbi distinguit loqui alicui, & loqui cum aliquo, vnde dicit, eum, qui coram aliis loquitur cum Petro, loqui etiam aliis, licèt non loquatur cum illis. Hoc, inquam, non placet, quia dicere coram aliis famulo, vt emat pisces, non est loqui aliis, sed soli famulo: nam loqui, vt sæpè diximus, est ordinare meam mentem ad alium: tunc autem dominus ad solum famulum mētem suam ordinat per verba: quæ licèt ab aliis intelligi possint, id non est ex ordinatione loquentis nec in rigore sermonis etiam vulgaris loquitur excommunicato, qui coram illo dicit aliis, vt eum vitent, quia excommunicatus est. Omitto alia, quæ ibidem miscet ille Auctor; quia ad propositum nostrum non pertinent, quale est illud, quod probat §. 38. nos non loqui propriè cum Deo per voces externas, imò addit § 41. nec per loquutionem mentalem, quod quidem maiori examine indigeret, sed pertinet propriè ad tractatum de oratione.

221 Illud tamen ex illo Auctore placet, quod notat *ibidem*, & probat *sect.* 4. loquutionem Dei externam, quando loquitur homini voce etiam sensibili, & ipsammet vocem sensibilem esse obiectum formale fidei, quia illamet vox est loquutio & reuelatio. Placet etiam quod dicit *sect.* 5. & *sect.* 6. §. 104. Deum communiter non loqui homini viatori, nisi vel vocibus. aut signis externis. vel saltem speciebus vocum aut signorum sensibilium impressis in phantasia, & producentibus actum phantasiæ, & apprehensionem intel-

Deus quomodo cōmuniter loquatur homini viatori.

lectus earundem vocum vel signorum, sicut si essent præsentes voces illæ, aut signa: illa enim alia loquutio Dei per puram intellectionem rerum insensibilium magis pertinent ad Angelos, vel anima separatas, licèt possit etiam aliquando Deus homini viatori modo illo loqui.

222 *Deus an possit alicui immediatè loqui, non imprimendo in eum cognitionem obiecti reuelati?*

Vt tamen ad nostrum institutum reuertamur circa reuelationem Dei immediatam, dixi, doctrinam illam Suarij initio adductam veram esse posse in aliquo casu, non tamen esse vniuersaliter veram. Nam in vniuersum loquendo, falsum est, Deum non posse alicui immediatè loqui, nisi imprimendo in eum cognitionem obiecti, quod loquitur. In primis enim si Deus per voces externa loquatur cum Propheta, provt loquutus est cum Moyse in rubo, Deus non loquitur imprimendo se solo immediatè Prophetæ cognitionem obiecti, quod loquitur, sed per voces, quæ significant, illud obiectum esse in mente Dei, & ordinari à Deo ad Propheram ad communicandam ei suam mentem. Deinde etiam si Deus non loquatur per voces externas, sed formando in phantasia imagines vel vocum, vel rerum; potest id facere, absque eo quod imprimat in mente Prophetæ iudicium rei reuelatæ: imò & licèt loquatur per reuelationes merè intellectuales, potest id facere: quia adhuc Propheta potest manere liber ad credendum obiectum sibi reuelatum, imò, & ad credendum, an illa sit reuelatio Dei, vel non: & de facto ita mansisse saltem communiter loquendo libros Prophetas, nec cognouisse euidenter illam esse reuelationem Dei docet idem Suarez *disp.8. de fide sect.5*. Vbi longè aliter reuelationem immediatam Dei explicat, quàm in dicto loco tertiæ partis, & meritò. Nam si Deus reuelans Prophetæ infunderet ei primo loco cognitionem obiecti reuelati, non remaneret locus fidei in Propheta circa mysterium illud; quia ex reuelatione euidenti non deducitur conclusio fidei, sed clara, vt videbimus *disp.2*. Quare reuelatio illa debet incipere ab apprehensione talis obiecti, vel vocum, aut signorum illud significantium, quæ tamen talis sit; vt Propheta illam in se ipso percipiens possit prudenter sibi imperare assensum obscurum, quod credat, illam esse loquutionem Dei, & ideo etiam credat verum esse obiectum reuelatum propter illud testimonium Dei. Sicut nos audientes vocem Petri, cognoscimus aliquando clarè, aliquando etiam quando à longè, & in obscuro loquitur, obscurè, illam, esse vocem Petri, & inde mouemur ad credendum verum esse quod dicit. Sic ergo vox, & loquutio Dei, vt relinquat locum fidei in Propheta, non debet esse iudicium de re ipsa reuelata impressa à Deo, sed assimilari debet loquutioni nostræ, quæ significat mentem loquentis & ducit in notitiam obiecti dicti à loquente.

223 Dixi tamen, posse aliquando veram esse illam doctrinam: non enim videtur repugnare, quod Deus loquens alicui det illi immediatè notitiam claram ipsius obiecti, quæ notitia talis sit, vt cognita reflexè ab audiente, cognoscat ordinatam esse ex se ad hoc, vt per illam Deus communicaret ei suam mentem, atque ideo erit propriè loquutio Dei: imò saltem, si non sit cognitio euidens valdè perfecta de obiecto reuelato, cum qua fortasse non potest esse fides de eodem obiecto (de quo dicemus disp. sequenti) posset deseruire ad fidem de obiecto reuelato: posset enim obscurè solùm cognosci ab habente illum actū, quod ille esset loquutio Dei, licèt euidenter cognoscat obiectum quare tunc credens illam esse loquutionem Dei, posset ab illa formaliter moueri ad fide credendum obiectum reuelatum, propter illud testimonium Dei, atque ideo firmius crederet obiectum reuelatum propter illud motiuū, quam ante assentiretur cognitione euidenti sibi impressa. Quamuis enim fides non possit credere obiectum reuelatum propter reuelationem claram: illa tamen non esset reuelatio clara, vt reuelatio, sed obscura, quia quamuis clarè manifestaret suum obiectum, non constaret clare, illam esse reuelationem Dei, sed obscurè, & sub ea ratione moueret ad fidem eiusdem obiecti.

Denique addo, posse è contra Deum loqui aliqui immediatè per loquutoinem, aut notitiam talem, qua audiens cognoscat euidenter, Deum ipsi loqui, non tamen cognoscat immediatè obiectum reuelatum, sed huius veritatem inferat ex reuelatione Dei euidenter nota. Sicut nobis euidenter constat communiter de loquutione Petri, quem audimus, non tamen cognoscimus immmediatè veritatem obiecti, quod loquitur, sed eam inferimus ex testimonio Petri. Sic posset solum cognosci euidenter reuelatio Dei testificantis tale obiectum, & tunc per discursum formalem, vel virtualem posset cognosci veritas obiecti reuelati: non tamen per fidem, quia veritas illa deducta ex reuelatione euidenter cognita, non crederetur provt sic obscurè, sed euidenter, vt videbimus *disp.2*.

SECTIO XI.

Vtrùm sufficiat reuelatio priuata ad obiectum formale fidei.

DIximus, reuelationem Dei esse obiectum formale partiale fidei: quærimus, an nomine *reuelationis Dei* intelligatur solum reuelatio publica & communis, an etiam priuata. Priuatam autem vocamus, quam aliquæ priuatæ personæ habent de rebus v.g. ad se pertinentibus & quę ab ecclesia non proponuntur omnibus fidelibus.

Prima sententia negat, pertinere ad obiectum fomale nostræ fidei priuatas reuelationes. Ita Caiet. *in præsenti quæst.5. art.3*. Sotus *lib.3. de natura & gratia c.11.* & *in Apolog. contra Cathar. c.5*. Canus *lib.12. de locis c.3*. Valentia *in præsenti disp.1. quæst.1. puncto 1. §.5. difficultate 5*. Bañes *in præsenti dub.3* & alij. Auctores huius sententiæ diuiduntur: nam alij dicunt ad obiectum fidei pertinere eas solùm reuelationes, quæ fiunt personis publicis; & quasi capitibus religionis: Alij discrimen reducunt ad res reuelatas, & dicunt, eas solùm reuelationes pertinere, quæ sunt de rebus ad pietatem, & bonum commune conducentibus, Alij denique eas omnes quæ ad Deum, & christianam doctrinam pertinent, non quæ de aliis rebus extraneis fierent. ita Loca *in præsenti disp.7*.

Secunda sententia communior iam docet, omnem reuelationem Dei sufficienter propositam pertinere ad obiectum formale nostræ fidei siue priuata sit, siue publicè ab ecclesia proposita nam licèt priuatam non teneantur fideles omnes communiter credere, tenetur tamen credere ille, cui sit, & sufficienter proponitur, eodem habitu fidei,

fidei, quo credit alia fidei mysteria. Hanc tenet Scotus *in 2. d. 23. quæst. vnica*, Vega *lib. 9. in Trid. cap. 3. & 8.* Cather. *in Apologia contra Sotum de certitudine gratiæ cap. vlt.* vbi vt testis oculatus testatur hanc sententiam quam P. Lainez Generalis nostræ Societatis contra Sotum acriter in Tridentin. probauit, communi Concilij approbatione fuisse susceptam: eandem tenet Corduba, Aragonius, B. Ilarm. Salmeron, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 10. num. 2.* Turrian. *in præsenti disp. 5 dub. 1.* Hurtado *disp. 8.* & alij, quos affert, & sequitur Coninch. *in præsenti disp. 9. num. 87.* & Granado *tract. 1. de fide disp. 6. num. 7.* quam etiam defendunt iam communiter nostri Recentiores. Et videtur insinuari *in Trident. sess. 6. cap. 12. & Can. 15.* vbi damnantur qui sibi infallibilem certitudinem de sua salute promittunt, nisi id ex speciali reuelatione dedicerint, quasi velint PP. suppositâ ea speciali reuelatione, posse id certa, & infallibili fide credi per eundem habitum, quo alia reuelata creduntur, quàm fuisse Patrum mentem, testatur Cather. *vbi supra*, qui eidem Concilio affuit.

227 Pro maiori tamen explicatione, possumus in alia dubia partiri hanc controuersiam. Primum itaque dubium esse potest, an Dei reuelatio priuata possit obligare sub peccato graui infidelitatis ad credendum obiectum sic reuelatum, antequam ab Ecclesia acceptetur. Ratio autem dubitandi desumi potest ex vsu fidelium, qui quandiu manent intra terminos reuelationis priuatæ, non existimant se obligatos ad credendum. In contrarium verò est, quia Prophetæ, & alij quibus Deus aliqua reuelabat, non poterant sine peccato non credere, etiam antequam ab vniuersa Ecclesia acceptarentur. Quod autem Deus reuelaret animo publicandi, & vt per ipsos fieret reuelatio publica & communis toti Ecclesiæ, non videtur augere gradum obligationis: nam quod Rex mihi aliquid secretò dicat, non minuit debitum credendi sicut nec augetur hoc debitum ex eo quod id mihi dicat, vt aliis communicem: in vtroque enim casu æquè facerem Regem mendacem ei non credendo. Si ergo Propheta tenebatur Deo credere quod sibi reuelabat populo communicandum, teneretur etiam si æquè reuelasset, sibi secretò retinendum.

228 In hoc puncto distinguendum videtur: possumus enim loqui vel de ipsomet, cui fit immediatè reuelatio, vel de aliis, ad quos postea eius notitia deriuatur. Loquendo ergo non de ipso, sed de aliis, credo, communiter loquendo, nunquam, aut rarissimè obligari ad credendum positiuè reuelationem, vel obiectum reuelatum, quamdiu manet intrà terminos reuelationis priuatæ, & non proponitur ab Ecclesia. Rationem huius insinuaui suprà: quia nimirum quandiu aliquis mihi nullo modo loquitur, nec mediatè, nec immediatè, non exigit à me fidem, sicut exigit, quando mihi loquitur, quare possum circa ea obiecta negatiuè me habere tanquam circa id, quod ad me non attinet. Quare quamuis aliquando tot concurrant motiua, vt non possim prudenter negare veritatem rei reuelatæ, imò aliquando etiam non possim dubitare per actum positiuum dicendo, dubito de veritate reuelationis, & rei reuelatæ; non tamen apparet obligatio credendi positiuè, cùm Deus nec mediatè, nec immediatè loquutus mihi fuerit. Vnde non est sermo nunc de reuelatione alicui immediatè facta ad hoc, vt id ex parte Dei alteri etiam priuatim nuntiaret: tunc enim occurrentibus motiuis sufficientibus, credere teneretur positiuè is etiam, ad quem mandatum, vel nuncium illud deferretur, quia iam tunc Deus saltem per nuncium loqueretur illi, & exigeret ab eo fidem. Nos ergo loquimur de iis solùm, ad quos reuelatio non pertinet, quia per illam Deus nec mediatè, nec immediatè cum iis loquitur.

229 *Is cui reuelatio priuata immediatè fit non raro meretur illâ, & obiectum reuelatum credere.*

Si verò loquamur de illo, cui reuelatio priuata immediatè fit, non videtur negari posse, quod aliquando, & non raro teneatur illam, & obiectum reuelatum credere. Ratio autem est suprà indicata, quia animus Dei publicandi reuelationem non videtur augere obligationem in eo, cui fit: Vel enim fit, & proponitur reuelatio cum sufficientibus motiuis, vt non possit prudenter de ea dubitari, vel non proponitur cum talibus motiuis. Si non adsint talia motiua, non est obligatio positiuè credendi, sed potest prudenter suspendi assensus, & dissensus; & quidem satis frequenter ita expedit facere propter periculum frequens illusionis diabolicæ, quod later. Si verò adsint motiua talia, vt non possit prudenter dubitari, debet positiuè credere, alioquin erit grauis irreuerentia in Deum, cui loquenti, & sufficienter suam loquutionem proponenti ad exigendam hominis fidem, illam non possumus negare. Et quidem cùm adsit motiuum diuinæ auctoritatis sufficienter propositæ, cui summus cultus intellectualis debetur, erit etiam obligatio assentiendi, non vtcumque, sed super omnia, sicut in rebus fidei debemus assentiri. Et quoad hoc, non videtur esse posse difficultas, loquendo de possibili, & ideo P. Suarez *dicta sect. 10. numero 2.* dixit Auctores primæ sententiæ fortasse non dissentire, nisi quoad modum loquendi. Cæterùm de re ipsa, non est dubium, quod possit reuelatio priuata proponi cum tantis credibilitatis motiuis ei, cui fit, cum quantis proponitur reuelatio publica. Imò posset euidenter proponi, itaut homo euidenter sciret, id reuelari ab ipso Deo, vt *infra* videbimus *disp. seqq.* Ergo absque illo etiam gradu euidentiæ, poterit proponi cum euidentia saltem credibilitatis obligante ad assensum firmum imperandum.

230 *An alij quibus ea reuelatio facta non fuit, & ad quos non pertinet, possint eam credere, & obiectum reuelatum.*

Ex hoc autem oritur secundum dubium, An alij quibus ea reuelatio facta non fuit, & ad quos non pertinet, possint, quando eis proponitur, & narratur, firmiter eam credere, & obiectum reuelatum. Nam P. Suarez *dicta sect. 10. num. 7.* solùm dixit, respectu aliorum raram esse hanc obligationem, non tamen impossibilem: vt colligitur ex *3. Reg. 20.* vbi quidam punitus est à Deo, quia non credidit particulari reuelationi cuiusdam Prophetæ. Cæterùm ibi Propheta intimauit præceptum Domini, cui alter obedire noluit, quare reuelatio illa ad ipsum etiam pertinebat. Quando ergo non pertinet ad alios, neque facta est, vt eis ex parte Dei proponeretur modo suprà explicato, credo quòd alij non possint ex motiuo fidei diuinæ, & per consequens neque ex eius habitu credere: quia tunc non potest resolui vltimò assensus in reuelationem mediatam, vel immediatam Dei, sed debet resolui in auctoritatem humanam referentis. Non potest enim resolui in reuelationem mediatam, quæ nulla est, cùm Deus nullum nuncium ad audientes miserit, nec eis aliquid loqui voluerit. Sed nec potest resolui vltimò in reuelationem immediatam præteritam, quia hæc non constat immediatè ex terminis etiam obscurè aliis

quibus

quibus narratur, sed solùm constat ex narratione referentis, quare in eius auctoritatem humanam resoluendus est vltimò assensus, & per consequens non habebit obiectum formale vltimum fidei diuinæ.

231 Vnde aliud esset si coram aliis Deus Petro aliquid reuelaret, reuelatione priuata loquens cum solo Petro, & concurrentibus talibus motiuis, vt Petrus obligaretur ad positiuè credendum. Tunc enim, si motiua æquè constarent circumstantibus, sicut ipsi Petro, credo, quod ij etiam possent firmiter, & ex motiuo fidei credere reuelationem & rem reuelatam : nam eo casu possent ij etiam resoluere fidem suam in reuelationem illam præsentem, sicut & ipse, cui Deus loquebatur, cum nõ minus reuelatio & motiua in se ipsis immediatè eis obiiciantur : quare sicut ij, coram quibus Rex loquitur soli Petro, possunt propter testimonium Regis credere, sicut & ipse Petrus, licèt Petrus solus obligetur positiuè ad credendum, à quo solo fides exigitur, quia ad eum solum dirigitur sermo Regius : sic ij, coram quibus Deus Petro soli loquitur, poterunt credere propter idem testimonium diuinum. Quamuis autem ij fortasse non obligentur positiuè ad assensum, obligantur tamen ad non dissentiendum, quia dissensus redundaret in magnam irreuerentiam diuini testimonij coram ipsis sufficienter exhibiti.

232 *Reuelationẽ priuatam an quis credat ex eodem habitu, quo creduntur reuelationes publicæ.*

Restat ergo tertium dubium, an qui debet credere reuelationem priuatam sufficienter propositam modo explicato, credat ex eodem habitu, quo creduntur reuelationes publicæ an ex habitu diuerso: in quo placet secunda sententia suprà relata, quòd scilicet eadem fides, & idem habitus extendatur, & ad reuelationes publicas, & ad priuatas sufficienter propositas. Quæ sententia probari solet primò, quia Angeli eandem fidem habuerũt quam nos habemus ; & tamen non crediderunt per reuelationem ab Ecclesia propositam, sed sibi peculiariter factam : Item Adamus ex priuata reuelatione credidit ; Noë ex priuata reuelatione credidit futurum diluuium ; Abraham nasciturum filium, &c. quam tamen fidem eamdem cum nostra facit Apostolus *ad Hebr.* 11. loquitur enim de fide, quæ est principium iustificationis. Item in Scriptura continentur plura reuelata, quæ ad priuatas personas spectant, vt canis Tobiæ, & alia huiusmodi, quæ tamen fide nostra creduntur, ergo nec ex parte rei reuelatæ, nec ex parte reuelationis publicæ, vel priuatæ limitatur obiectum nostræ fidei.

233 Secundò probatur communiter hæc sententia, quia ratio formalis, quæ mouet ad assensum fidei non est veracitas Dei in reuelationibus publicis, aut quia Deus verax est, quando loquitur publicè ; sed veracitas Dei vt sic : hæc autem ratio æquè applicari potest ad reuelationes priuatas ; ergo idem habitus poterit elicere assensum propter vtramque reuelationem. Confirmatur Primò, quia quòd reuelatio, quæ nunc est occulta, postea publica sit futura, non variat eam in ratione motiui ; non enim mouet, quia postea futura sit, vel non sit publica, ergo in vtroque casu motiuum manet eiusdem speciei in ratione motiui, & per consequens pertinet ad eundem habitum. Confirmatur Secundò quia eodem habitu credo Petro loquenti vocibus, vel nutibus, vel scripto, licet ipsæ loquutiones differant inter se Item eodem habitu credo Petro secretò, vel publicè loquenti, ergo eodem habitu possum etiam credere publicæ & priuatæ reuelationi Dei.

Hæc ratio sumpta ex vnitate obiecti formalis non videtur omnino efficax ; quia si in rigore loquamur, non est vnum & idem in specie obiectum formale adæquatum fidei : cùm enim supra dixerimus, obiectum formale fidei non esse solam primam veritatem, sed etiam actualem reuelationem, consequens est, vt toties differant obiecta formalia, quoties reuelationes ipsæ differunt inter se. Nec exemplum de fide humana, qua credimus Petro, aliquid probat ; quia habitus acquisitus, quo credo Petro non est aliud, quàm species motiuorum, quæ habeo ad credendum illi, vt docui in lib. de anima: hoc est, species veracitatis illius, & alia species, qua cognosco Petrum hîc & nunc loqui ; quæ quidem species diuersa est, quando Petrus loquitur lingua, vel scriptura, & per consequens ex hoc capite diuersus est saltem partialiter habitus, quo credo scribenti ; cùm sit diuersus assensus etiam formaliter, quo iudico vocem esse loquutionem Petri, & quo iudico scripturam esse loquutionem eiusdem : ergo si ex habitu acquisito ad infusum arguendum sit, potiùs ex hoc capite argueretur pluralitas saltem partialis habituum fidei pro diuersitate loquutionum Dei.

Dices, licèt ipsæ Dei loquutiones differant inter se ; non tamen mouent ad assensum fidei, secundùm quod differunt, sed vt conueniunt in ratione reuelationis : non enim assentior mysterio, quia Deus reuelat taliter, vel taliter, sed præcisè, quia reuelat : ergo ratio formalis omnium actuum fidei est vna, & eadem formaliter loquendo. Sed contra, quia in primis hæc reuelatio Dei non mouet ad credendam Trinitatem, v.g. vt reuelatio est præcisè, sed vt talis, scilicet, vt de tali obiecto, sed reuelationes ipsæ variantur in specie pro varietate specifica obiectorum, sicut & cognitiones ; ergo hæc reuelatio mouet secundùm quod talis est in specie. Deinde esto non moueret vt talis, sed vt reuelatio est ; adhuc negari non potest, quod assensus versetur circa ipsam, vt talem : diximus enim in superioribus, assensum fidei includere virtualiter tres assensus: primum, quo iudico, Deum esse primam veritatem. Secundùm, quo credo istam reuelationem Trinitatis, v.g. esse diuinam. Tertium, quo credo Trinitatem : loquendo ergo de illo secundo assensu, ille attingit formaliter hanc reuelationem vt talis est ; iudico enim istam in specie, & in indiuiduo esse reuelationem Dei, ergo ille assensus habet pro obiecto formali hanc reuelationem, vt talem ; ergo habitus fidei, à quo elicitur ille assensus habet plures reuelationes specie diuersas, pro vt tales, pro obiecto formali, si non motiuo, saltem terminatiuo, & de quo enunciat esse reuelationem ; ergo ex vnitate obiecti formalis non probatur efficaciter, quod idem habitus extendatur ad priuatas reuelationes, quàm doctrinam à me olim traditam postea approbatam inuenio apud Ripaldam *to.* 1. *de ente supernaturali disp.* 47. *num.* 6.

Existimo ergo, hanc sententiam meliùs probari auctoritate suprà posita, ex qua fit probabilis congruentia sumpta ex aliis habitibus infusis : nam licèt habitus acquisiti varientur pro varietate specifica obiectorum ; habitus tamen infusi, cùm non generentur ab actibus, sed dentur ad modum potentiæ, sapiunt naturam potentiæ, & extenduntur ad plura obiecta formalia, quod de habitu

habitu charitatis videtur manifestum, nam eodem habitu volumus Deo plura bona specie diuersa, quæ quidem non amantur materialiter, sed formaliter; non enim amantur vt media, sed vt fines; nam licèt solus Deus sit finis *cui* charitatis, bona tamen, quæ illi amantur sunt fines *qui*: quare sicut actus, quo mihi amo sanitatem, & actus quo mihi amo honorem, sunt specie diuersi, propter diuersa obiecta formalia, quæ habent, licèt idem sit finis *cui* vtriusque amoris: sic etiam actus quibus Deo amo diuersa bona, habent diuersa obiecta formalia, & tamen eliciuntur ab eodem habitu charitatis, licèt non sit idem habitus acquisitus, quo mihi amo sanitatem, & honorem. Potest ergo idem habitus infusus fidei extendi ad plura obiecta formalia diuersa, saltem partialiter, & per consequens ex hoc capite non repugnabit eundem habitum fidei extendi ad vtramque speciem reuelationum.

237 Dices: Vnde ergo distinguuntur habitus infusi inter se, si non distinguuntur pro distinctione obiecti formalis: aut cur non dicemus vnicum dari habitum infusum ad omnes actus supernaturales voluntatis, sicut datur vnica potentia naturalis ad omnes actus naturales; si quidem habitus supernaturales dantur ad modum potentiæ? Respondeo, probabile mihi esse potuisse Deum satis connaturaliter ad statum eleuationis supernaturalis infundere vnicum habitum simplicem supernaturalem ad omnes actus supernaturales intellectus, & alterum ad omnes actus supernaturales voluntatis, vt obiectio probat: de facto tamen voluisse infundere plures habitus, quia voluit eos esse separabiles inter se; voluit enim, fidem manere sine aliis, & spem etiam sine charitate; ex quo ad minus habemus, hos tres habitus distingui inter se iuxta Paulum 1. Corinth. 13. *Fides, spes, charitas, tria hæc*, &c. ex quo etiam colligimus de facto datos esse plures habitus infusos, non quidem pro pluralitate solùm vtcumque obiectorum formalium; nam quilibet ex his habitibus extenditur ad plura obiecta formalia, vt probatum est de habitu fidei, & de charitate; sed quorum singuli ferantur ad aliquam seriem obiectorum similium inter se. Quare sicut ad vnitatem scientiæ non exigimus vnicam rationem formalem obiectiuam simplicem, quæ respiciatur ab omnibus actibus illius scientiæ, sed aggregationem plurium obiectorum partialium similium inter se, vt tradi solet in procœmio Logicæ, & latiùs in lib. de anima. Sic etiam ad vnitatem habitus infusi non requiritur vnicum omnino obiectum formale, quod idem attingatur per omnes actus, sed aggregatio plurium obiectorum similium inter se. Alioquin si pro multitudine habituum acquisitorum, qui generari possunt, ponendi etiam essent habitus infusi, sanè essent penè infiniti: quod incredibile est. Quanta autem debeat esse hæc similitudo, & connexio inter obiecta, vt possint cadere sub eodem habitu infuso, non facilè determinari potest. Posset aliquis contendere, requiri vnitatem obiecti formalis saltem partialis: nam licèt charitas habeat diuersa obiecta formalia ex parte bonorum, quæ Deo volumus; habet tamen idem obiectum formale ex parte bonitatis Dei, cui amantur ea bona: & licèt fides habeat plura obiecta formalia ex parte reuelationum, habet tamen idem ex parte veracitatis Dei, propter quam assentitur. Hæc tamen regula fortasse non est vniuersalis, quia vnitas subiecti, cui aliquid volumus non sufficit ad vnitatem virtutis infusæ: alioquin temperantia & spes essent eadem virtus, quia finis cui amatur bonum temperantiæ, & beatitudo supernaturalis, est idem homo.

Melius ergo responderi fortasse potest, hanc 238
regulam determinatam, & certam non posse à priori assignari ad distinguendos habitus infusos, sed solùm posse à posteriori colligi ex distinctione fidei, spei, & charitatis, quas ex separabilitate, & ex Paulo vbi suprà scimus distingui, ex quarum distinctione probabiliter colligitur, differre alios habitus, inter quorum actus reperiatur tanta diuersitas: quanta reperitur inter actus harum trium virtutum. An verò hæc diuersitas sit inter actus iustitiæ, & religionis in particulari, arbitrio prudentis pensandum est. Sufficiat nunc aliquam regulam generalem assignare cum aliquo fundamento; non enim video, quod aliud probabile fundamentum habeamus ad distinguendos realiter habitus infusos virtutum moralium inter se.

Ex his tamen oritur quartum dubium, an quando 239
reuelatio priuata non obligat omnino ad credendum ponitur cum, cui fit, vel nos, coram quibus fit modo suprà explicato, quia nimirum non proponitur cum euidentia credibilitatis, prout frequenter contingere potest; qui tamen eam & eius obiectum credit, possit credere eodem habitu fidei infuso, quo credit res nostræ fidei. Videtur quidem ex vno capite, non posse habitum nostræ fidei ad eum assensum concurrere, quia assensus ille non potest prudenter fieri cum eadem firmitate in modo adhærendi, cum qua fiunt assensus nostræ fidei, ad quos præcedit pia affectio voluntatis, vt infrà videbimus, orta ex iudicio euidenti credibilitatis ostendente, non posse prudenter dubitari, vel formidari de reuelatione, aut re reuelata, quare voluntas prudenter imperat assensum omnino firmum, & super omnia, & cohibet omnem formidinem, quod non potest voluntas prudenter imperare, quando non præcedit euidentia credibilitatis; ergo tunc non potest prudenter elici assensus ita firmus, & per consequens non fiet ab habitu nostræ fidei, quæ firmissimè credit: nam si firmus esset, iam non prudenter fieret, & per consequens non esset actus virtutis infusæ.

Reuelatio priuata quãdo nõ obligat ad credendũ, an credatur eodem habitu infuso, quo res fidei?

Aliunde tamen videtur idem habitus sufficere 240
ad eas reuelationes credendas. Primò, quia si ad eas poneretur alius habitus diuersus, ille deberet esse virtutis Theologicæ, cùm haberet pro obiecto formali saltem partiali, & vltimo aliquid diuinum, nempe veracitatem Dei, propter quam crederentur ea obiecta, licèt non ita firmiter, eo quòd reuelatio non proponitur cum euidentia credibilitatis. Vnde præter tres habitus Theologicos cõmuniter assignatos ponendus esset quartus Theologis incognitus. Secundò, quia, quod actus illi non sint ita firmi in modo assentiendi, sicut alij, non videtur arguere, nec exigere habitum diuersum: nam in primis eadem fides, quam præstamus Petro, quando certò constat de eius testificatione, inclinat saltem partialiter ad credendum, licèt non ita firmiter, quando non ita clarè, sed probabiliter constat de testificatione ipsius. Deinde loquendo de habitibus infusis, non videtur quod ij alligentur solùm ad actus perfectissimos, & non possint etiam aliquando concurrere ad actus minùs perfectos, & firmos circa idem obiectum formale. Nam charitas non semper elicit actus æquè perfectos:

perfectos; aliquando enim diligit Deum super omnia, ita vt velit placere Deo in omnibus, etiam vbi non est obligatio præcepti, sed solum consilium maioris perfectionis & vbi interuenit maior Dei gloria: aliquando vero vult solùm placere Deo super omnia, vbi est præceptum, atque ideo non displicere Deo etiam leuiter; aliquando solùm vult placere Deo super omnia, vbi est obligatio præcepti grauis, & non displicere vnquam grauiter Deo, qui omnes actus eliciuntur certè ab eodem habitu charitatis, non obstante eorum inæqualitate in perfectione, & modo adhærendi: quia nimirum obiectum, & motiuum formale est idem, nempe bonitas infinita Dei. Vnde non apparet etiam, cur non possit charitas concurrere ad actum, quo quis doleret de peccato parricidij. v.g. propter grauissimã offensam Dei, quam continet, qui actus non videtur etiam implicite extendi ad omnia alia peccata mortalia, quorum grauitas non est tanta: nam sicut dolor de peccato mortali ex motiuo charitatis propter eius grauitatem displicentem grauiter Deo non extenditur implicite ad venialia, quæ non displicent grauiter Deo: ita dolor de parricidio propter grauissimam offensam Dei non videtur extendi ad alia peccata grauia, quæ non ita grauiter displicent Deo, de quo dixi *disp. 5. de pœnitentia sect. 6. num.* 82. Hoc autem ipsum clariùs apparet in aliis virtutibus infusis: nam actus misericordiæ, quo vult aliquis dare vnum aureum ad subleuandam miseriam pauperis, elicitur quidem à misericordia, licèt non extendatur etiam implicitè, & virtualiter ad dandos centum aureos, si necessarij sint ad subleuandum pauperem, non est ergo alligatus habitus misericordiæ solùm ad actus perfectiores, sed potest etiam idem concurrere ad actus minus perfectos: quod idem ostendi potest in actibus temperantiæ, iustitiæ & aliarum virtutum. Ideo ergo dici poterit de habitu fidei non alligari ad solos firmissimos, sed posse aliquando concurrere ad minus firmos, quando ij actus non habent imperfectionem positiuam, ob quam excludantur à ratione virtutis.

241 Mihi, vt verum fatear, hæc secunda pars magis placet; quia vnitas habitus maximè sumenda videtur ex vnitate obiecti formalis, quod idem omnino est in vtroque assensu, nempe veracitas, & reuelatio Dei, licèt reuelatio magis proponatur ad vnum assensum, quàm ad alterum, & ideo obligat ad assensum firmiorem: nec videtur alligandus vnus habitus ad actus solos eiusdem perfectionis, aut firmitatis circa idem obiectum formale. Aduerto tamen primò, sicut actus charitatis, quo homo solum auersaretur grauissimam offensam Dei, & non extenderetur ad omnem offensam grauem etiam virtualiter, non esset sufficiens dispositio ad iustificationem, quia non diligeret Deum super omnia, cùm non præferret legem Dei grauem in omni casu, sic etiam actum illum fidei minus firmum, non sufficere simpliciter ad denominandum hominem fidelem, nec ad iustificationem sine alia fide firma circa articulos fidei nostræ. Vnde rursus aduerto, obiectum illud, & reuelationem priuatam taliter creditam assensu minus firmo non dicendum simpliciter creditum ex fide. Quia sicut ille habitus non denominatur fides Catholica, nisi in ordine ad actus, quibus creduntur articuli crediti à tota Ecclesia, licèt extendatur etiam habitus ille ad reuelationes priuatas, vt mox dicemus: sic etiam ille habitus non dicitur fides diuina simpliciter, nisi in ordine ad assensus omnino firmos: quare per actus minùs firmos, etiamsi habeant idem obiectum formale, non dicuntur res credi ex fide, vel tanquam de fide, quia hic modus credendi significat solum assensum firmissimum, & omnino certum: per quod patet ad rationem dubitandi in contrarium propositam.

Nunc iam soluamus fundamenta primæ sententiæ. Primum est, ex Augustino, dicente, se non crediturum Euangelio, nisi Ecclesia id proponeret, & *in Enchyr. cap. 9.* fide tantùm credi, quæ ad religionem spectant. Et ex S. Thoma *infra quæst. 5. art. 3.* vbi docet obiectum formale fidei esse primam veritatem, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, & 1. part. quæst. 1. art. 8. *fides*, inquit, *nostra non innititur reuelationi factæ aliquibus Doctoribus, vel Sanctis, sed solum reuelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt.* Respondetur, Augustinum meritò non crediturum Euangelio, nisi Ecclesia proponeret; quia ipse non habuerat priuatam Euangelij reuelationem: si tamen eam haberet, crederet vtique Euangelio propter illam reuelationem. Item meritò docet, fide credi, quæ ad religionem spectant, quia quæ ad scientias merè naturales attinent non reuelantur, cùm non spectent ad finem supernaturalem. Ad Sanctum Thomam dicimus, loqui de obiecto fidei regulariter, & communiter loquendo, & eodem sensu negat inniti nostram fidem priuatis Sanctorum reuelationibus, quia Ecclesia nunquam illas proponit, & secluſa Ecclesiæ propositione non possunt regulariter nobis constare sufficienter ad eliciendum fidei assensum. Quare meritò Apostoli & Prophetæ dicuntur fundamenta nostræ fidei in multis Scripturæ locis, quæ affert pro se Valentia *vbi supra*; non tamen probant, nisi de lege ordinaria, iuxta quam fatemur, fidei Christianæ mysteria non constare per priuatas reuelationes.

Secundò obiiciunt, quia fides nostra est Catholica, hoc est, vniuersalis, ergo non innititur priuatis, sed publicis reuelationibus: alioquin non esset Catholica, sed fides priuata, cùm non omnes obligaret, sed aliquos. Respondetur eundem habitum fidei denominari fidem Catholicam, quatenus elicit assensum circa communes reuelationes; non tamen obstat, eundem habitum posse elicere assensum circa reuelationes priuatas, & sic non denominari fidem Catholicam.

Tertiò obiiciunt, quia qui non credit priuatæ reuelationi, non est hæreticus, nec fidem amittit: ergo fides non inclinat ad assentiendum huic reuelationi.

Respondeo, prædictum esse quidem infidelem non tamen hæreticum, quia ad hæresim exigitur, contumacia contra Ecclesiæ propositionem: existimo tamen quod amitteret habitum fidei, (quod aliqui recentiores videntur negare,) quia fides non solùm hæresi, sed quouis infidelitatis peccato mortali deperditur, vt docet Tridentinum *sect. 6. cap. 15.*

Tertiò obiici potest, quia cui priuatim aliquid reuelatur, cognoscit clarè, hoc sibi à Deo reuelari: ergo non potest habere assensum obscurum de re reuelata, qualis debet esse omnis assensus elicitus ab habitu fidei circa obiecta reuelata. Ad hoc argumentum, quod facilè solui potuisset, difficile satis respondit P. Coninch.

disp.

*disp.9.dub.6.num.*91. assensum circa rem reuelatam tunc inniti reuelatione, quæ de facto est euidens credenti, non tamen ea inniti, quatenus euidens est, siue itavt ipsa euidentia ingrediatur rationem obiecti formalis, quia iam assensus fidei non esset certior illa euidentia, & consequenter non esset vera fides diuina, quæ omnem naturalem euidentiam debet superare. Sed euidentia illa habet se solùm per modum proponentis obiectum, sicut definitio Ecclesiæ, aut lectio Scripturæ sacræ. Scio enim euidenter hoc ibi contineri, quando Euangeliu m lego, & scio etiam euidenter orbem totum consentire, quod id à Christo sit traditum, saltem euidentia morali; & tamen fides mea non nititur illa, euidentia, sed immediatè reuelatione Dei.

245 Hæc tamen responsio, & doctrina difficilis est & ad obiectionis solutionem nullo modo necessaria, difficilis quidem, quia ex ea fieret, nullam conclusionem esse euidentem, quamuis ex principiis euidenter cognitis deducatur: nũquam enim euidentia est motiuum formale obiectiuum, cùm euidentia non sit prædicatum ex parte obiecti, sed ex parte actus cognoscentis clarè obiectum; actus autem non sunt obiectum motiuum, sed applicant, & repræsentãt obiectum præmissarum; quod quia clarè proponunt præmissæ euidẽtes, eò præcisè inferunt conclusionem euidenter, quia faciunt clarè apparere eius obiectum in obiecto præmissarum clarè proposito. Si ergo reuelatio Dei, cui nititur assensus rei reuelatæ, clarè proponit reuelationem, non potest non influere euidentiam in obiectum reuelatum; cùm ad hoc non sit necessarium moueri ab ipsa euidentia reflexè cognita. Vnde constat ratio à priori, quia cùm obscuritas sit negatio claritatis, non potest obscurè credi conclusio, nisi quando eius obiectum non apparet clarè in se, neque in alio. Eo autem ipso, quod præmissarum obiectum, & eius connexio cum obiecto præmissarum apparet clarè, & euidenter, iam in ipsis apparet clare obiectum conclusionis, cùm hic sit effectus formalis illius euidentiæ præmissarum & bonitatis illationis, ergo non potest obiectum conclusionis credi obscurè.

246 Nec exempla adducta quidquam probant: distinguendum enim est inter obiectum, & inter euidentiam, qua obiectum cognoscitur. Et quidem obiectum illud, quod est principium, cui innititur conclusio, quodcunque illud sit, & siue obscurè, siue clarè cognoscatur, debet semper æquè vel magis credi, quam ipsa euidentia, vel claritas formalis, qua principia cognoscuntur, nam euidentia, vel claritas non cognoscitur, sicut nec ipsa præmissa formalis, cum qua identificatur. Quando ergo reuelatio priuata euidenter cognosceretur, non posset quidem magis credi res reuelata quàm reuelatio; posset tamen intellectus firmiùs credere rem reuelatam, quàm credat se habuisse euidentiam de reuelatione, quia euidentia, seu cognitio euidens de reuelatione non est principium obiectiuum, vel obiectum formale, propter quod credatur res reuelata. Non est autem absurdum, quod non magis credat rem reuelatam, quàm reuelationem euidenter cognosci: quia, vt supra indicauimus agentes de assensu circa veracitatem Dei, & infra agentes de certitudine fidei dicemus, assensus fidei debet esse firmior omni assensu euidenti, à quo ipse non pendet tanquam à præmissa: secus si ab eo dependeat vt à præmissa: tunc enim præmissa etiam illa debet esse firmior omni alio assensu euidenti; & hoc ex imperio voluntatis, vt possit deseruire ad assensum fidei firmissimum: de hoc tamen infra dicendum est. Hinc ad exempla illa facilè respondetur; euidentiam physicam, qua cognosco & lego talem propositionem contineri in libro Euangelij, & euidentia etiam moralis, qua video, hoc recipi à tota Ecclesia, non esse principium obiectiuum, cui innititur fides articuli. Continentia autem ipsa huius articuli in Euangelio, & consensus Ecclesiæ, quem video, si ipsa se habent ex parte principij obiectiui, & complent, vel integrant reuelationem mediatam Dei, propter quam formaliter ego credo iuxta supra dicta, debent vtique à me credi æquè, vel magis quàm res reuelata, vt possim firmiter assentiri rei reuelatæ, sicut ob eandem rationem debeo veracitatem Dei mihi euidenter notam firmiùs credere, quam alia obiecta euidentia, vt suprà diximus *loco citato*. Secus verò dicendum, si continentia illa, quam lego in libro Euangelij, vel consensus Euangelij, non compleat, vel integret reuelationem mediatam Dei, propter quam credo.

SECTIO XII.

Vtrum necesse sit obiecta per fidem credenda proponi prius per Ecclesiam.

247 PVncto præcedenti annexa est hæc difficultas, an scilicet possint credi per fidem christianam obiecta nostræ fidei, antequam per Ecclesiam, vel eius nomine alicui proponantur.

Obiecta per fidem credenda an debeãt proponi prius per Ecclesiã.

Suppono primò, non prærequiri ad credendum audire res fidei ab Ecclesia, vt habente antecedenter auctoritatem infallibilem in proponendo ex assistentia Spiritus sancti, & cognoscere in Ecclesia hanc auctoritatem propter assistentiam Spiritus sancti ita eam gubernantis, vt nunquam possit proponere aliquid falsum: probatur facile, quia hoc ipsum creditur fide diuina, quæ docet in Ecclesia esse huiusmodi auctoritatem, ergo ante ipsius fidei assensum non potest requiri cognitio huius infallibilis auctoritatis: & experientia docet, non omnes pueros, vel adultos, qui de nouo ad fidem accedunt concipere in Ecclesia hanc infallibilem auctoritatem, & assistentiam Spiritus sancti, antequam vllum alium articulum credant. Credunt etenim articulos eo ordine, quo proponuntur; hunc autem articulum auctoritatis Ecclesiæ contingit credi, postquam alios plures crediderũt. Solùm ergo potest ad summum prærequiri cognoscere res fidei proponi ab Ecclesia, concipiendo in Ecclesia secundum se auctoritatem maximam, humanam, quæ reperitur in vniuersa fidelium Congregatione. quod à fortiori constabit infra ex prima Conclusione:

Non prærequiritur ad credendum concipere in Ecclesia infallibilem auctoritatem, & assistentiã Spiritus sancti.

248 Dices, si ab Ecclesia præscindamus auctoritatem infallibilem diuinam; manebit solùm in ea auctoritas fallibilis, ergo meritò possumus cogitare, quod aliquando fallitur, & per consequens formidare ne in propositione etiam huius articuli decipiatur, ergo vt consideratur cum hac sola auctoritate, non potest mouere ad certam fidem. Respondeo, licèt non sit euidentis, auctoritatem Ecclesiæ secundum se esse infallibilem, esse tamen

euidens, auctoritatem illam talem esse tantis motiuis vestitam, vt prudenter possim hîc & nunc velle assentiri sine formidine propter auctoritatem Dei, rebus ab Ecclesia propositis. Sicut etiam licèt auctoritas Parochi non sit infallibilis, euidens tamen est, posse rusticum hîc & nunc velle prudenter Deo credere sine formidine, ea quæ à Parocho proponuntur.

249 Vrgebis adhuc, ergo, sicut de auctoritate parochi possum simpliciter dicere esse fallibilem, sic etiam de auctoritate humana quam habet Ecclesia.

Respondeo negando consequentiam, quia auctoritas Parochi solùm reddit obiectum euidenter credibile rustico idiotæ, qui propter incapacitatem potest prudenter velle cohibere formidinem, si quam habet de auctoritate Parochi, non verò homini docto, qui prudenter potest dubitare de deceptione illius Parochi. At verò propositio Ecclesiæ tot tantisque argumentis, & motiuis instructa talis est, vt licèt non reddat euidens obiectum; euidens tamen sit etiam hominem doctum posse prudenter cohibere formidinem, si quam posset habere de deceptione Ecclesiæ: quare licèt habeat motiua contraria, quæ ex se possent saltem imprudenter generare formidinem, & actum quo diceres: *Forsitan Ecclesia decipitur, vel potest in hoc decipi.* Cæterùm motiua credibilitatis sufficiunt euidenter ad hoc quod voluntas prudentissimè cohibeat illam formidinem: quare licèt appareat quasi radicaliter fallibilitas Ecclesiæ, quatenus (vt dixi) apparent motiua, cum quibus imprudenter posses dicere, Ecclesiam posse falli, non tamen apparet fallibilitas Ecclesiæ formaliter, quia voluntas propter motiua contraria prudenter cohibet illud iudicium; & imperat assensum certum, quo dicas: Ecclesia nec fallitur in hoc, nec hîc & nunc falli potest.

250 *Non hic agitur de propositione immediata Ecclesiæ, sed de mediata.*

Suppono secundò, non esse quæstionem, an requiratur propositio immediata ipsius Ecclesiæ facta singulis fidelibus: huiusmodi enim propositio rarò contingit casu, quo omnes prælati in aliquo Concilio Congregati, vel ipse Pontifex immediatè aliquem doceret: quæstio ergo solùm procedit de propositione Ecclesiæ mediata, quæ communis est: omnes enim regulariter audiunt mysteria fidei à doctore, vel prædicatore proponente ea nomine Ecclesiæ, & vt res, quæ ab Ecclesia traduntur. Quærimus ergo, an ad prudenter credendum requiratur, quod obiectum propo natur nomine Ecclesiæ saltem mediatè; an verò possit credi, licèt ille, qui audit, nullo modo concipiat eam esse Ecclesiæ doctrinam, neque eius auctoritatem prægnoscat.

Aliqui negant, posse credi sine Ecclesiæ propositione Dur. *in 3. dist. 25. quæst. 3.* Mich. de Medina *lib. 5. de recta in Deum fide*, & alij. Pro qua sententia videtur facere Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 3. vbi habet illud vulgare dictum: *Non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoueret, & infirmata Catholicorum auctoritate Euangelio credere non potero.*

251 *Ecclesiæ propositio non est conditio ex natura rei requisita ad credendū sed sufficit interdū propositio hominis priuati.*

Dico tamen primò, Ecclesiæ propositionem non esse conditionem ex natura rei requisitam ad credendum, sed sufficere interdum propositionem hominis priuati proponentis obiectum cum debitis circumstantiis, vt reddatur prudenter credibile: Hæc est communis inter Recentiores, & supponitur à Valentia *quæst. 1. punct. 1. §. 6.* vbi propositionem Ecclesiæ solùm postulat secundùm legem ordinariam, & non ex natura rei. Eandem supponit Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 10. numero 8.* & clariùs Canus, Vega, Turrianus, & alij, quos affert, & sequitur Hurtado *disp. 14. sect. 10.* & videtur sequi ex sect. præcedenti, quia si reuelatio priuata potest credi firmiter absque propositione Ecclesiæ, à fortiori reuelatio publica poterit credi, si sufficientibus motiuis proponatur.

Probatur Conclusio primò, quia in primis in lege naturæ plures credebãt ex sola doctrina parentum sine alia Ecclesiæ propositione: deinde in lege scripta plures crediderunt Moysi, & aliis Prophetis, antequam eorum prophetiæ ab Ecclesia reciperentur, & proponerentur; quia scilicet vitæ sanctitate, & rerum conuenientia, & aliis de causis obiectum reddebatur prudenter credibile, præsertim cùm viderent aliqua, ex iis, quæ Prophetæ prædicebant, quotidie impleri, quod notauit Rupertus in prologo in Oseam, & Hieronym. *Isaiæ cap. 37. & Amos 7.* dum docent Prophetas fidem populi conciliasse ex certo rerum euentu, quia non solùm Christi aduentum post longum tempus futurum, sed etiam alia, quæ statim complerentur, prædicebant. Denique in lege Euangelica *act. 3. & 4.* B. Petrus miraculo facto testatus est, se illud fecisse in nomine Christi, cuius virtutem prædicabat, & nulla facta mentione auctoritatis Ecclesiæ. vel suæ conuertit quinque millia hominum: qui sane prudenter moti sunt, licèt non conciperent Ecclesiæ auctoritatem.

Secundò à priori probatur: quia Ecclesiæ auctoritas solùm desideratur vt motiuum expellens prudenter formidinem ad credendum: potest autem hoc motiuum sufficienter compensari per miracula, vel alia motiua, quæ interueniant in prædicatione alicuius, ergo licèt audiens non recordetur auctoritatis ecclesiæ, neque illam cognouerit, poterit prudenter credere.

Dico tamen secundò regulariter, & iuxta communem modum, semper interuenire debere aliquam Ecclesiæ Propositionem. Hanc intendit Augustinus *vbi supra* & S. Thom. *infra q. 5. art. 3.* dum ait, *Obiectum fidei esse primam veritatem, quatenus continetur in doctrina Ecclesiæ.* Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hierosolym. Ambros. Augustinus adducti à Valentia *vbi supra*, qui latè probat hanc assertionem Potest autem breuiter ostendi ex suprædictis, quia qui immediatè proponunt fidei obiecta, non proponunt ea, vt sibi immediatè reuelata, sed vt accepta ab Ecclesia, & vt ex mente illius magnæ communitatis: alioquin si solum, quis proponeret per propriam auctoritatem, sicut priuatus doctor non faceret tantam fidem, indigeretque maioribus longè motiuis, quàm nunc, quia nunc solùm testatur, se ab ecclesia accepisse hanc doctrinam; ergo vt de facto obiectum fidei redditur communiter prudenter credibile, necesse est, quod audiatur à proponente vt testante Ecclesiæ auctoritatem, à qua illud accepit. Nec obstat, aliquos rudiores non ita explicitè concipere Ecclesiæ auctoritatem; quia saltem in confuso concipiunt doctrinam illam non esse ex mente, & inuentione parentis, vel parochi, sed acceptam ab aliqua auctoritate superiori, & vniuersaliori, à qua mediatè dimanat, cum qua confusione omnes etiam rudissimi concipiunt communiter Ecclesiam.

Obiectes

254 Obiicies tamen primò, quia hoc quod est, doctrinam istam tradi ab Ecclesia, testatur iste immediatus magister per priuatam auctoritatem, quam habet; ergo sicut ista priuata auctoritas sufficit, vt audiens moueatur ad credendum hanc esse Ecclesiæ doctrinam; sic etiam eadem priuata auctoritas sufficeret ad credendum hoc obiectum fuisse olim reuelatum, licet nec implicitè conciperet ibi auctoritatem Ecclesiæ id docentis. Respondetur, negando consequentiam: non sufficit æqualiter priuata auctoritas ad omnia persuadenda: sufficit quidem ad persuadendum se hoc ab Ecclesia accepisse, quia hoc potest ipse certò scire, & testari; non tamen sufficit ad persuadendum olim fuisse hoc obiectum reuelati cum ipse reuelationem non habuerit, nisi asserat se hoc accepisse ab aliquo dignissimo teste, qualis est Ecclesia, à qua testatur se illud accepisse.

255 Secundò obicies contra primam conclusionem; si non requiritur ex natura rei Ecclesiæ propositio ad credendum, ergo hæreticus, qui negat vnum articulum, vel Ecclesiæ auctoritatem, potest adhuc per fidem alia credere: potest enim adhuc secluſa Ecclesiæ auctoritate habere alia motiua, quæ sufficienter illa reddant credibilia. Respondeo, illum, qui sufficienter cognoscit auctoritatem, quam Ecclesia habet, vt sit regula in rebus fidei, & tamen eam cõtemnit, non posse prudẽter alium articulum credere; quia deberet priùs prudenter inquirere an recipiatur vel recipiatur ab Ecclesia ille articulus; quod tamen hæreticus non inquirit. An vero ille, qui ignorat auctoritatẽ Ecclesiæ, possit adhuc credere vnum articulum, pro cuius credibilitate habet euidentia motiua, & dissentiri alteri, pro cuius etiam credibilitatem habet alia euidentia motiua diuersa, est grauis difficultas, quam ex professo tractaturi sumus suo loco *disp.* 17. vbi videbimus, an possit manere fides aliorum in eo qui negat vnum articulum. Nunc sufficiat aduertere, fidem quoad hoc se habere instar charitatis, quæ non potest diligere perfectè Deum circa vnum obiectum, quin virtualiter velit implere omnia præcepta. Sic etiam fides non potest credere Deo in vno articulo, quin implicitè credat quidquid sufficienter constiterit dictum esse à Deo. Rationem autem à priori reddere conabimur dicto loco.

256 Tertio Obiices: ille, qui ignorat Ecclesiæ auctoritatem proponentis res fidei, vel ignorat aliquid proponi ab Ecclesia, non est hæreticus, licet alicui articulo dissentiatur; hæresis enim est pertinacia contra Ecclesiæ doctrinam, & tamen ille potest habere motiua cum euidẽtia sufficienti ad credendum, ergo potest esse infidelis, si non credat, & per consequens poterit amittere fidem sine hæresi. Respondeo, concedendo totum: fides enim, non solum hæresi, sed quolibet peccato proprio infidelitatis deperditur iuxta Tridentinum *sess. 6. cap.* 15. de quo aliàs dicendum erit *dicta disput.* 17.

SECTIO XIII.

Infertur ex dictis differentia inter habitum fidei, & habitum Theologiæ: vbi de distinctione fidei à prudentia infusa.

257 EX dictis circa obiectum formale fidei resolui potest quæstio illa, an & quomodo ex parte obiecti formalis differant actus fidei, & conclusiones Theologicæ, sub quo tamẽ titulo claritatis gratia multas quæstiones distinguere possumus prima quomodo fides, & Theologia differant ex parte obiecti. Secunda, An habitus fidei concurrat vel solus, vel simul cum aliis ad assensum conclusionis Theologicæ, an verò detur alius habitus distinctus Theologiæ. Tertia, Qualis sit hic habitus, an supernaturalis, vel naturalis, an simplex, vel multiplex. Quarta, An habitus Theologiæ distingui debeat ab habitu prudentiæ infusæ. Quæ omnia seorsim examinanda nunc sunt.

Prima ergo quæstio proposita de obiecto formali Theologiæ, & eius differentia ab obiecto fidei, diuidi rursus potest in alias. Prima est, an conclusio deducta ex vna propositione de fide, & alia euidenter nota ex principiis naturæ sit actus fidei, vel Theologiæ. Secunda, quid dicendum de conclusione deducta ex duabus præmissis de fide. Tertia, quid dicendum de conclusione particulari deducta ex præmissa vniuersali de fide v.g. *Omnes posteri Adæ in ipso peccauerunt; Petrus est vnus illis, ergo Petrus in Adam peccauit.*

§. I.

De conclusione deducta ex vna de Fide, & altera euidenti naturali.

258 *An conclusio deducta ex vna de fide, & altera euidenti naturali, sit actus fidei?*

QVod attinet ad primum dubium, multi dicunt, conclusionem illam esse de fide: ita Cano *lib. 6. de locis cap. vlt. ad* 10. Vega *lib. 9. in Trid. cap.* 39. Vasquez 1. *parte disp.* 5. *cap.* 3. & eam videntur supponere, qui Theologiam non distinguunt à fide infusa, vt Sotus *in* 3. *dist.* 35. Ocham. *in prologo q.* 3. *principali litera. G.* & alij, vnde, licèt hæc propositio, *Christus est risibilis*, non sit immediatè reuelata, est tamen mediatè quatenus est reuelatum, quod sit homo, & ad fidei assensum sufficit virtualis reuelatio: neque enim minus repugnat infallibili veritati Dei esse falsum id, quod est necessariò connexum cum obiecto expressè reuelato, quam esse falsum id, quod immediatè reuelatur, cum vtrumque derogaret veracitati diuinæ, & in vtroque casu Deus falsitatis argueretur.

Alij communiter negant, illam conclusionem esse de fide, ita Gregorius, Maior, Gabr. Capreolus, Caiet. & alij, quos affert, & sequitur Suarez *disp.* 3. *sect.* 11. *n.* 3. Valentia & Corduba, quos affert idem Suarez *n.* 7. Molina 1. *parte quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 1. & 2. & latè Petrus Hurtado *disp* 12. *sect.* 1. quibus fauet S. Thomas 1. *parte quæst.* 1. *art.* 1. & super Boëtium de Trinit. *q.* 2. *art.* 2. *ad.* 4. & in prologo sententiarum *art.* 3. *quæstiunc. prima.*

259 *Non hic agitur de cõclusione cuius obiectum cõtineatur formaliter in præmissa reuelata, sed tantum virtualiter.*

Suppono primò, non esse sermonem de conclusione, cuius obiectum contineatur formaliter, quamuis confusè in præmissa reuelata, qualis est et, *Christus est animal rationale*, quæ conclusio continetur in illa reuelata, *Christus est homo*, formaliter quidem, sed minùs clarè. Item in eadem propositione *Christus est homo*, continetur formaliter hæc; *Christus habet animam rationalem*. De his enim postea dicemus: nunc autem solùm loquimur de conclusione, cuius obiectum non continetur formaliter in obiecto præmissæ reuelatæ; qualis est operatio humana, quæ non continetur formaliter in humanitate reuelata

sed solum virtualiter, & tanquam in causa necessaria. Vnde non placet Hurtado, qui *dicta disp.12.sect.1.§.16.& sect 2.§ 23* supponit, conclusionem illam, *Christus est risibilis*, de qua controuertitur, intelligi de risibilitate radicaliter sumpta, & in hoc sensu dicit obiectum illud non pertinere ad fidem, licèt *disp.10.* & *eadem disp. 12.*concedat pertinere ad fidem illam conclusionem, *Christus est rationalis*; in quo non videtur mihi satis cõsequenter procedere: quia tam identificatur realiter radix risibilitatis cum humanitate reuelata, quam rationalitas. Si ergo sufficit ad fidem, quod obiectum illud sit reuelatum, quamuis non distinctè, sed confusè, sufficit etiam, vt radix risibilitatis pertineat ad obiectum fidei. De hoc tamen postea dicemus: nunc aduerto melius explicuisse statum quæstionis Suarium, *vbi suprà num.5.*dicentem, reuelationem virtualem differre à confusa eo quod confusa reuelat licèt confusè omnia contenta in re reuelata formaliter. Virtualis verò est de iis, *quæ non continentur vllo modo formaliter in re reuelata, sed tantum in radice, vt in exemplo de risibilitate, & similibus.* Vbi benè explicuit, obiectum illius conclusionis, *Christus est risibilis*, non esse ipsam radicem risibilitatis sed risibilitatem, quæ sola continetur in humanitate reuelata tanquam in radice; nam radix risibilitatis non continetur certè in humanitate tanquam in radice, cum humanitas non sit radix radicis risibilitatis, sed sit ipsamet radix risibilitatis & *num.12.* addit, ideò hæc non esse æquè certa cum reuelatis, quia possunt de potentia absoluta à reuelatis separari quod quidem de radice risibilitatis verum non est. Dubium ergo præsens non procedit de risibili radicaliter, vt intellexit Hurtado, sed de risibili formaliter, vt explicuit benè Suarez.

260 Suppono secundo dupliciter posse præmissam naturalem cum præmissa reuelata deseruire ad assensum conclusionis illius v. g. *Christus est risibilis.* Primò, quatenus per discursum fit assensus conclusionis innitens duplici præmissa, & in hoc sensu aliquis ex Auctoribus primæ sententiæ fatentur, assensum illum non esse ex fide, vt de Patre Vasquez notauit Suarez *n.7.* & idem concessuros esse Canum, & Vegam, dicit idem Vasquez *loco citato.* Secundò deseruire intelligitur præmissa naturalis, solùm tanquam proponens & explicans per discursum Theologicum, quid contineatur virtualiter in propositione reuelata, vt apparente continentia vnius obiecti in alio, possit postea intellectus assentiri obiecto contento virtualiter, non propter præmissas, vel per discursum ex illis, sed propter reuelationem solam, in qua continetur. Hunc autem modum dicunt, Vasquez, & alij sufficere, vt fides assentiatur obiecto conclusionis, tanquam obiecto de fide: Suarez verò negat, & Hurtado *disp.12.§.9.*

261 *Assensus circa proprietatem non reuelatam formaliter non est de fide.* His suppositis, placet mihi in hoc puncto secunda sententia, & dico, assensum illum circa proprietatem non reuelatam formaliter, sed solum in causa, & in virtute, quæ reuelata est, non esse de fide, siue fiat per discursum ex præmissa etiam naturali, siue præmissa illa assumatur solum ad explicandum, quid contineatur virtualiter in reuelatione formali facta. Probatque potest breuiter, quia non potest esse de fide id, quod non creditur, quia reuelatum, & testificatum est à Deo. Sed obiectum eiusmodi conclusionis non dicitur à Deo, sed aliud, ex quo partialiter hoc aliud infertur: ergo non potest hoc credi ex fide, cùm non participet rationem formalem, & motiuum proprium fidei. Quantumcunque enim explicetur reuelatio, & obiectum reuelatum, nunquam inuenietur dictum à Deo obiectum conclusionis, imò nec aliquid, quod solùm possit mouere ad illud credendum. Non ergo mouetur intellectus à solo testimonio Dei, sed simul ab illo principio naturali, quod nisi verum crederetur, non crederetur obiectum conclusionis: ergo motiuum fidei non sufficit ad credendum obiectum conclusionis, & per consequens non creditur de fide, quia conclusio sequitur debiliorem partem motiui, cum non possit magis credi conclusio, quam motiuum, & in nostro casu motiuum saltem quoad vnam partem non credatur ex fide.

Obiicies primò, omnia illa pertinent ad fidem, quæ creduntur propter motiuum testimonij Diuini, siue mediatè, siue immediatè, sicut omnia amantur ex charitate; quæ amantur propter Deum siue mediatè siue immediatè: sed risibilitas Christi creditur mediatè saltè propter testimonium diuinum: credimus enim Christum esse risibilem, quia est homo, & credimus esse hominem, quia reuelatũ est à Deo: ergo vltimò resoluitur assensus ille in testimonium diuinum, & per consequens testimonium diuinum est motiuum formale, nam illud solum est motiuum formale propriè loquendo, in quod vltimò resoluitur assensus. Respondetur, negari non posse, quod motiuum fidei, seu testificatio Dei sit motiuum formale partiale credendi risibilitatem; id enim probat argumentum propositum, non tamen est motiuum formale totale, cùm non possit resolui assensus risibilitatis adæquatè, & vltimo in solum testimonium Dei, sed in illud etiam alterum principium, quod omnis homo sit risibilis: quare licèt risibilitas credatur partialiter propter testimonium Dei, non tamen creditur de fide: quia illa sola dicuntur credi ex fide, quæ credimus Deo ea testificantia: risibilitatem autem nõ ita credimus cùm Deus illam non testetur, sed quia Deus testatur Christum esse hominem, & quia omnis homo est risibilis: quare assensus ille est mixtus ex motiuo fidei, & alio motiuo naturali, quod non sufficit ad faciendum assensum fidei, sed alium, qui nec sit fidei, nec scientificus quoad obiectum materiale sed alterius speciei mixtæ, qui appellatur Theologicus, qui quidem est obscurus, & ineuidens respectu conclusionis propter ineuidentiam vnius præmissæ reuelatæ: & aliunde non habet firmitatem propriam fidei respectu eiusdem conclusionis propter alterum principium naturale, quod non credimus ex auctoritate diuina, sed lumine solo rationis naturalis, quod non credimus ita firmiter sicut res fidei. Vnde apparet discrimen clarum à charitate, & eius exemplo: quia in iis obiectis mediatis, quæ propter Deum volumus, totum & vnicum motiuum vltimum est sola bonitas Dei, propter quam volumus omnia media, & non propter aliud. Conclusio autẽ Theologica non resoluitur vltimò in solam Dei auctoritatem, quæ sola non sufficeret sine alio principio, quod non credimus propter Dei testimonium. An verò assensus ille sit supernaturalis, & an habitus fidei ad illum immediatè concurrant, dicemus postea

Obiicitur secundò, quia ad infinitam veracitatem Dei spectat, vt sint vera ea etiam, quæ sunt

connexa

connexa cum iis, quæ Deus testificatur. Si enim aliquid in is falsum esset, falsitatis etiam & mendacij conuinceretur Deus, cùm non posset veritas rei testificatæ subsistere cum falsitate consequentis: ergo auctoritas Dei est motiuum sufficiens ad credenda hæc alia, quæ necessariò consequuntur. Respondetur, ad veritatem Dei spectare, vt ea obiecta mediata non sint falsa ex eo capite, quatenus pendent ab illa, non tamen ex illa alia parte, qua dependent ab alio principio; ex eo enim quod essent falsa ex illo alio principio, nihil tequeretur contra veritatem Dei. Ex suppositione tamen, quod illud aliud principium sit verum, pertinet ad veracitatem Dei. quod non sint falsa. Quia vero illa suppositio, & eius veritas nõ pendent à veracitate Dei, hinc est, quod non pendet adæquatè veritas conclusionis à veracitate Dei. Quoniam tamen de facto supponitur illud aliud principium esse verum, hinc de facto argueretur Deus mendax, si conclusio sit falsa: hoc verò non argueretur ex sola falsitate conclusionis, sed etiam ex veritate alterius principij: vnde de primo ad vltimum, nec veritas conclusionis pendet à sola veracitate Dei, nec est necessaria propter solam veracitatem Dei, sed propter illam, & propter illud aliud principium, quod supponitur verum: quare nunquam refunditur totaliter veritas conclusionis in solam veracitatem Dei, & eius testimonium, vt in motiuum sufficiens, prout refundi deberet, vt crederetur ex fide.

264. *In alijs fidei mysterijs simulatur similis ratio ac in simulato.*

Aliis verbis proponi solet idem argumentum: quia nimirum ad fidem spectat, quidquid sequitur per se reuelationem, sed risibilitas Christi sequitur per se reuelationem de eius humanitate cùm sequatur per se humanitatem reuelatam; ergo risibilitas Christi spectat ad fidem. Respondetur negando maiorem, quæ dupliciter intelligi potest, & in vtroque sensu est falsa; nam si intelligatur de ipsa reuelatione formali, est falsa; quia reuelationem formalem sequitur per se, cùm sit accidens creatum, quod inhæreat subiecto: & tamen inhærentia hæc reuelationis in subiecto non spectat ad fidem. Si verò intelligatur de obiecto reuelationis (prout intelligi debet) est etiam falsa: quia passiones consequentes rem reuelatam non pertinent ed eandem fidem. Ratio à priori ex dictis est, quia non potest credi de fide, nisi id quod creditur propter solam connexionem cum auctoritate Dei testantis: passiones autem rei reuelatæ, eo ipso quod credantur propter connexionem per se cum re reuelata, iam non creduntur propter solam connexionem cum auctoritate Dei testantis, sed etiam propter connexionem cum re reuelata sistendo partialiter in hac connexione, quare non possunt credi ex fide. Paulò aliter respondet Hurtado *disp.* 12. §. 10. sed fortasse re ipsa in idem recipit.

265 *Obiectio 3.*

Obiicitur tertiò, quia homo sine risibili est chymæra; ergo, qui negat risibile de Christo, negat verum hominem, & per consequens negat fidem, quod Christus sit verus homo. Hoc argumento nimium se torquet P. Hurtado *disput.* 12. §. 14. *& sequentib.* & difficilè respondet. Potest autem facilè responderi, hominem sine radice risibilitatis esse chymæram: neque hoc negari de Christo à negante esse risibilem, sed potius affirmari, dum asserit esse hominem: tunc enim conceptu confuso concipit omnia prædicata realiter identificata cum vero homine, & ideò altera propositio est falsa, qua negat hominem esse risibilem, quia de homine vero concepto ex parte subiecti cum radice risibilitatis in confuso negat explicitè risibilitatem in actu secundo, in quo solo errat, quod tamen non est formaliter reuelatum.

266 *Obiectio 4.*

Obiiciuntur quartò plura exempla propositionum de fide, quæ solùm virtualiter reuelatæ sunt, & non formaliter, v.g. *Deus est infinitus; Deus est incorporeus; Pater distinguitur realiter à Filio. In Christo sunt duæ voluntates, Totus Christus est sub singulis speciebus Eucharistiæ*; & aliæ similes. Respondetur, propositiones illas esse formaliter reuelatas, licèt aliquæ non ita explicitè: hoc tamen parum refert; quia reuelatio potest esse formalis, & tamen non omnino distincta, & explicita; quæ quomodo sufficiat ad assensum fidei, constabit ex punctis sequentibus, vbi etiam videbimus de illis propositionibus, quæ inferuntur ex duabus formaliter reuelatis, & de particularibus contentis in vniuersali reuelata, vt hunc infantem esse in gratia Dei, quando constat esse ritè baptizatum; te esse sine gratia, quando scis euidenter te esse in effectu peccati mortalis & aliis similibus.

267 *Obiectio 5. An haberetur vt hæreticus qui negaret Christum esse risibilem.*

Obiicitur quintò, quia negans Christum esse risibilem haberetur vt hæreticus: ergo pertinet ad fidem illud affimare. Respondetur, illum præsumi hæreticum, quia non præsumitur negare principium euidens naturale, quod homo sit risibilis sed principium obscurum reuelatum, quod Deus sit homo. Si tamen ipse non negaret, Christum esse hominem, sed solùm negaret, hominem esse risibilem, non esset verè hæreticus coram Deo. Ita cum aliis Suarez *vbi supra num.* 12. Addit bene Hurtado *disp.* 12. §. 27. neque etiam in foro externo puniendum vt hæreticum, si esset homo rudis, qui facile errare posset in principio euidenti Philosophico.

268 *Obiectio 6.*

Obiici potest sextò, quia fides potest concurrere simul cum scientia ad eundem assensum: v. g. possum eodem actu credere animam esse immortalem & propter motiuum fidei, & propter demonstrationem Philosophicam, vt videbimus *disput. sequenti*: ergo ex eo, quod concurrat altera præmissa, quæ non sit ex fide, non tollitur, quod conclusio credatur est fide. Respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens: si aliæ præmissæ scientificæ non concurrant ad supplendum defectum motiui fidei, quod se solo mouere non poterat, sed ad maiorem abundantiam concedo: secus si concurrant propter indigentiam, quia motiuum fidei solum non sufficeret, vt contingit in casu nostro. Differentiæ ratio est clara; quia in primo casu obiectum conclusionis est reuelatum, atque ideo fides potest illud credere propter suum motiuum. In secundo autem casu non est reuelatum, nec credi potest præcisè; quia est reuelatum, sed propter illud complexum, quia reuelatum est, Christum esse hominem, & aliunde constat, hominem esse risibilem, quod complexum non est motiuum fidei sed complectitur motiuum tanquam aliquid ex se non sufficiens ad credendam risibilitatem.

269 *Conclusio deducta ex vna reuelata, & altera euidenti scientifica, si definiatur ab Ecclesia, an debeat credi ex fide.*

Dubitabis, an si Ecclesia definiat conclusionem illam deductam ex vna reuelata, & altera euidenti scientifica, possit iam, & debeat credi ex fide. Negauit Molina 1. *part. quæst.* 1. *art.* 2. *disput.* 1. *&* 2. sed dixit, manere adhuc sub certitudine Theologica: quia Ecclesia non potest facere, quod sit de fide, neque enim habere nouas reuelationes, aut faciat noua dogmata, sed

solùm habet assistentiam Spiritus sancti, vt non erret, quando explicat, quid fuerit antea reuelatum, aut quid sequatur ex reuelatis. Suarez tamen *vbi supra numer.* 11 affirmat, quia iam illa propositio non solùm virtualiter, sed formaliter, & immediatè est testificata à Deo per Ecclesiam, per quam Deus nos docet, & de qua verificatur illud Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* & quia definitiones Conciliorum non minùs fide creduntur, quam verba sacræ Scripturæ, & ideo Gregor. Magnus *lib.1. epist. cap.* 24. propè finem dixit, quatuor prima Concilia generalia habenda esse, sicut quatuor Euangelia. Vnde Ecclesia in Conciliis absolutè definit sua dogmata, & negantibus dicit anathema vt hæreticis.

270 Vtramque sententiam aliquomodo conciliare debemus. Existimo itaque cum secunda sententia, ea, quæ ab Ecclesia definiuntur, posse, & debere credi de fide. Quod vltra argumenta à Suario adducta confirmat omnium praxis, & vsus, quo in solemni fidei professione emittenda, vbi fidem nostram protestamur, profitemur nos credere omnia à sacris Conciliis definita verbis illis: *cætera item omnia à sacri Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor*; vbi non aliter fidem illorum definitionum profitemur, quàm aliorum articulorum fidei, qui in eadem formula continentur. Addo tamen cum prima sententia, Ecclesiam non habere nouam reuelationem Dei ad hæc definienda, nec per hoc Deum reuelare de nouo aliquid, quod iam antea non reuelasset saltem in confuso, sed nobis iam nunc constare magis distinctè, vel determinatè, quid sit illud quod antea magis confusè continebatur in reuelatione diuina. Hic enim videtur esse sensus communis Theologorum, quos affert Coninch. *disp.* 12. *num.* 68. quando dicunt, articulos non crescere numero, nec aliquid posse ab Ecclesia fieri de fide, quod iam priùs non esset à Deo reuelatum siue in Scriptura, siue reuelatione Apostolis, vel aliis facta, & ad nos per traditionem, vel aliter transmissa. Vnde differentiam agnoscunt inter doctrinam Concilij, & Scripturam Canonicam: nam Scriptor Canonicus scribit, quæ priùs reuelata non fuerant: Ecclesia autem in Conciliis solùm euoluit reuelationes antea factas, & earum sensum verum proponit infallibiliter propter assistentiam Spiritus sancti.

271 *Aliquid potest esse de fide in ratione obiecti, quod non sit adhuc de fide quoad obligationem.* Quod vt explicetur, & probetur, aduertendum est id, quod benè notauit Coninch. cum aliis *dicta disp.* 12. *dub.* 6. aliquid posse esse de fide in ratione obiecti, quod tamen adhuc non sit de fide quoad obligationem: potest enim esse iam reuelatum à Deo: quia tamen nondum proposita est sufficienter reuelatio quoad omnia obiecta in ea contenta, distinctè non obligantur fideles ad illa obiecta determinatè credenda; quando tamen incipit sufficienter proponi, & euolui distinctè reuelatio illa, itavt in particulari appareat, de quibus obiectis loquutus fuerit Deus, iam tunc incipit illud obiectum in particulari esse de fide quoad obligationem, licèt non reueletur nunc, nec Deus nunc loquatur, sed solùm appareat nunc, de quo obiecto loquutus fuerit Deus. Possumus autem hoc declarare in fide etiam humana: si enim Rex prævidens, Petrum cras venturum ad Ioannem, dicat Ioanni, cum, qui cras ad te veniet cum tali veste, & acturus de tali negotio, &c. fac gubernatorem ciuitatis, quia dignus est, & aptissimus: postera die, adueniente Petro, iam Ioannes incipit credere, eum dignum esse, & de eo loquutum Regem, quod quidem antea non sciebat: non quod tunc Rex loquatur, quando Petrus aduenit, fortasse enim Rex amplius non cogitauit; sed quia tunc aduenienti Petro, incipit apparere in particulari, & distinctè obiectum, de quo Rex confusè loquutus fuerat, atque ideo Ioannes incipit habere obligationem credendi Petri dignitatem, & sufficientiam ex fide Regis, quam prius credere non debebat, licèt iam Rex loquutus fuisset: idem contingit in fide diuina: sic enim dixit Deus ad Samuelem primo Reg. 9. *Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum*, &c. Præuiderat enim Deus, illa hora venturum Saulem; & de illo loquebatur; & licèt die etiam crastina iterum Deus, veniente Saule, loquutus fuerit Samueli: *ecce vir, quem dixeram tibi, iste, dominabitur populo meo*: atque adeo etiam tunc actu reuelauerit, adhuc licèt tunc nihil loquutus fuisset, inciperet tunc Samuël cognoscere distinctè, de quo antea Deus reuelasset, & deberet iam credere, Saulem esse electum à Deo ad regnum, propter reuelationem hesternam Dei, quod heri credere non debebat, licèt iam obiectum illud esset reuelatum, & de Saule loquutus fuisset Deus.

Hoc supposito, constat iam, quomodo definitio ecclesiæ faciat, quod debeat de nouo credi ex fide, quod antea non debebat credi, licèt Deus de nouo nihil immediatè reuelauerit: quod quidem facilè intelligitur quando Ecclesiæ definitio tendit solum ad declarandum verum sensum scripturæ, vel reuelationis præteritæ: habet enim Ecclesia assistentiam spiritus sancti, vt non erret in declarando vero sensu scripturæ sacræ, & reuelationis diuinæ, non quia Deus reuelet de nouo Ecclesiæ illum verum sensum, sed quia assistit ei, ne decipiatur in intelligendo vero sensu, in quod reuelatio facta fuit à Deo: atque ideo fideles incipiunt tunc obligari ad credendam rem reuelatam determinatè propter reuelationem præteritam explicitè propositam, quæ priùs non ita explicitè proponebatur. Sicut si Rex mandatum dedisset coram duobus, quorum alter altero melius mentem, & sensum Regis percepisset; postea tamen, quando hic mandatum aliis referret, & intimaret in vero eius sensu, & subditi obedirent, non id facerent propter nouum mandatum Regis, quod antea non esset, sed propter idem mandatum bene explicatum, & propositum. Sic fideles incipiunt obligari absque noua reuelatione immediata Dei, propter reuelationem præteritam bene, & fideliter ab Ecclesia, propositam, & explicatam. Loquutus autem semper sum de noua reuelatione immediata Dei quam dico non ibi interuenire, non nego enim intercedere nouam reuelationem mediatam Dei, quæ compleat motiuum formale fidei: hæc enim semper interuenit, quoties nobis proponitur sufficienter ex parte Dei eius reuelatio præterita, siue hæc fuerit antea explicita, sine non fueritque reuelatio mediata, cùm concedatur à nobis, quando prædicator proponit sufficienter doctrinam fidei, à fortiori dabitur, quando Ecclesia tota in Concilio legitimo eam proponit.

Difficultas maior esse potest, quando Ecclesia non

Si quid Ecclesia definit aliquid ex principio reuelato, deducit aliquid de nouo definit.

non solùm explicat verum sensum scripturæ aut traditionis, qui est modus communis, quo Ecclesia aliquid definit, & obligat de nouo ad credendum id, quod antea non erat obligatio credendi: sed etiam ex principio reuelato, deducit aliquid, quod de nouo definit, & obligat ad credendum. Hoc autem potest dupliciter fieri; primò, si ex duabus præmissis reuelatis aliquam conclusionem deducat, & eam definiat. Secundò, quando ex vno principio reuelato, & altero non reuelato aliquid deducit, & definit v.g. si definiret, Christum esse risibilem, deducendo hoc ex humanitate Christi reuelata, & ex eo, quod omnis homo sit risibilis. In primo itaque casu facilè etiam intelligitur, quomodo conclusio noua definita sit de fide, supponendo id, quod §. sequenti cum communi sententia dicemus, conclusionem, quæ ex duplici præmissa reuelata infertur, esse de fide; quia cùm obiectum conclusionis sit idem realiter cum obiecto præmissarũ; reuelato obiecto vtriusque præmissæ reuelatum fuit realiter obiectum conclusionis, licèt minùs explicitè: Ecclesia autem sua definitione explicat illam continentiam, qua idem obiectum continetur realiter per identitatem in obiecto vtriusque præmissæ antea reuelato.

Dat ex vno principio reuelato & altero non reuelato aliquid definit & definit.

274 In secundo autem casu, quando obiectum conclusionis solùm continetur virtualiter in obiecto præmissæ reuelatæ, prout risibilitas continetur in humanitate tanquam in causa, potest esse difficultas; quia obiectum illud videtur, quod antea non esset reuelatum formaliter etiam confusè, sed solùm eius causa; ergo vt credatur postea de fide, necesse erit quòd reueletur à Deo de nouo, & hoc fiet per ipsam Ecclesiæ definitionem vt volebat Suarez. Cæterum adhuc in eo casu nego, interuenire tunc nouam reuelationem Dei immediatam, qua Deus Ecclesiæ definienti, vel fidelibus media Ecclesia reuelet de nouo obiectum illud antea à se non reuelatum. Admitto tamen cum Suario, obiectum etiam illud ab Ecclesia definitum posse, & debere credi de fide. Quod probari, & explicari potest ex doctrina tradita; nam ante illam definitionem Ecclesiæ, iam obiectum hoc erat implicitè, & confusè à Deo reuelatum, & accedente Ecclesiæ definitione, incipit apparere explicitè, quomodo hoc obiectum non solùm in causa, sed in se ipso, & formaliter contineretur in reuelatione præterita.

275 Probari autem hoc potest, quia ideo de nouo incipiunt fideles obligari ad assentiendum huic propositioni definitæ, quia Ecclesia, *quæ est columna & firmamentum veritatis*, teste Paulo 1. *ad Corinth.* 3. & cui Spiritus sanctus assistit, non potest errare in doctrina fidei explicanda, vel iis, quæ ex fide deducuntur. Hanc autem Ecclesiæ infallibilitatem in proponendo dupliciter potuit Deus antea reuelare. Primò dicendo, ego assistam Ecclesiæ, & omnia, quæ ipsa proponet in talibus materiis vera erunt. Secundò potuit Deus non testificari res ipsas, sed solùm assistentiam suam, vt non permitteret Ecclesiam decipi proponendo aliquid falsum, ex qua Dei assistentia reuelata nos inferimus, hoc obiectum ab Ecclesia propositum esse verum; non quia Deus hoc obiectum determinatè reuelauerit sed quia eius veritas sequitur ex assistentia Dei reuelata. Sequitur autem non ex vna propositione reuelata, & altera non reuelata, sed ex duabus reuelatis, nempe ex his, *non potest esse falsum id, quod proponit & definit Ecclesia assistente illi Spiritu sancto, ne erret*, & rursus *Spiritus sanctus assistit Ecclesiæ definienti Christum esse risibilem.* Harum propositionum prima est de fide, vt constat, quia de fide est, prouidentiam Dei deficere non posse, atque adeò neque etiam prouidentiam Dei assistentis Ecclesiæ, ne erret, posse deficere à suo fine. Secunda etiam propositio est de fide, quia de fide est, *vt* suppono, Ecclesiam regi à Spiritu sancto, eiusque infallibilem assistentiam habere, ne doceat errores, quæ propositio est vniuersalis & cõprehendit omnes casus particulares, atque adeò hunc etiam, quo Ecclesia definiret Christum esse risibilem, vnde eo ipso, quod Ecclesia id proponeret, & definiret, iam illa propositio esset de fide; non propter reuelationem nouam, sed quia eo ipso constaret, hanc propositionem contentam fuisse ab initio in illis propositionibus vniuersalibus à Deo antea reuelatis. Porrò, propositionem, quæ sequitur ex duabus reuelatis, esse etiam de fide, videndũ est in punctis sequentibus. Hoc itaque modo conciliatis illis sententiis, earum argumenta cessant; fatemur enim cum Suario, posita definitione Ecclesiæ fore hæreticum, qui propositionem definitam negaret? quia iam illa esset de fide. Fatemur etiam cum aliis, Ecclesiam non definire de fide propositionem, quæ iam antea reuelata non fuerit à Deo, scilicet in particulari, vel in generali, definitio autem Ecclesiæ facit, quod hæc propositio contenta fuerit in ea reuelatione præterita Dei, & vt id nobis constet, atque ideo incipiat obligatio credendi eam determinate, cum antea non esset obligatio, quia nobis non constabat fuisse contentam in ea reuelatione vniuersali præterita.

276 *Ecclesia cui debeat examen & diligentiam adhibere in definiendis rebus fidei.*

Dices, si Ecclesia habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, vt non erret in iis, quæ definit, & proponit credenda de fide, superflua est inquisitio, & diligentia, qua ante definitionem scrutatur Scripturas sacras, & traditiones, ad videndum an id, quod vult proponere, sit reuelatum à Deo: nam posita definitione Ecclesiæ, statim constabit rem illa fuisse à Deo reuelatam, saltem reuelatione illa communi, & vniuersali modo explicato.

Aliqui dicunt, siue diligentia, & consultatio præmittatur, siue non præmittatur, Pontificem summum v.g. errare non posse in definitione; peccare tamen posse, si debitam diligentiam non adhibeat. ita P. Valentia *quæst.* 1. *puncto* 7. §. 4. *obiect.* 6. Alij dicunt, eo ipso, quod Deus assistat Pontifici, ne decipiatur, assistere etiam vt debitam diligentiam adhibeat, & ex certitudine illius 1. inferri certitudinem istius secundi. ita Canus *lib.* 5. *de locis cap.* 5. *ad* 2. & Bañes *in breui Comment. dub.* 2. *ad* 3. quos affert & sequitur Granado *tractatu* 7. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 13. qui addit, proposita illa conditionali, *Si Pontifex aliquid definiret absque debito examine*, respondendum esse, quod sequeretur vtrumque, scilicet quod posset, & quod non posset errare.

277 Aliter fortasse explicari hoc potest. Et in primis aliquid potest constitui de fide per vniuersæ Ecclesiæ consensum, quando omnes fideles conspirant in aliquo dogmate firmiter credendo, cum quo vnanimi consensu non potest stare falsitas, & deceptio, quia Deus assistit Ecclesiæ, ne tota decipiatur: & tunc certum est, in singulis fidelibus præcedere iudicium prudentiæ de fundamento sufficienti ad illud credendum, nec esse possi-

bile moraliter, quod omnes fideles sine examine, & sufficienti fundamento iuxta suam capacitatem præmisso illud susceperint. Quando verò Pontifex, vel Concilium vniuersale cum approbatione eiusdem Pontificis aliquid proponit, & definit, licèt non possit falsum dogma proponere; præmittendum tamen est examen, & inquisitio sufficiens. Primò, ne definitio limites concessos excedat: neque enim data est potestas, & infallibilitas hæc in qualibet materia, sed in iis, quæ ad fidem spectant, vel eam concernunt, vel etiam in iis, quæ pertinent ad mores christianos. Oportet ergo examinare prius, an sit materia pertinens ad sensum Scripturæ, vel fidei intelligendum, vel an sit materia extranea, quæ ad iudicium Ecclesiæ non spectat. Secundo præmittitur examen, quia si Pontifex summus, vel solus, vel cum Concilio tentaret definire aliquod dogma falsum, pertineret ad prouidentiam Dei, si aliter non impeditur eius conatus, tollere eum è vita, ad vitandam Ecclesiæ deceptionem. Meritò ergo, & prudenter præmittitur examen, ne temerè intenta definitione, Deus mediis acerbioribus eam impediat. Tertiò, denique & vniuersaliter debet examen, & diligentia adhiberi: quia Dei assistentia promissa non abstulit à Pontifice obligationem, quam de iure naturæ habebat examinandi prudenter, quæ proponit Ecclesiæ. Sicut Deus confirmans aliquem in gratia, non aufert ab eo obligationem seruandi præcepta, & diligentiam adhibendi ad cognitionem obligationum, & ad vitanda pericula peccandi. Quia licèt confirmatio in gratia afferat prouidentiam, & assistentiam Dei, vt ille non peccet mortaliter, & (vt aliqui volunt) ne moraliter possit peccare; ad eandem prouidentiam Dei spectat, quod homo ille satisfaciat toti suæ obligationi, quam secluſa tali confirmatione, haberet, nec confirmatio tollit obligationem, quæ aliàs esset. Ita Petrus & eius successores confirmati sunt in fide saltem docenda, & tradenda, vt colligitur ex verbis Christi Luc. 22. *Simon, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Hæc autem confirmatio non tollit obligationem examinandi, quæ proponenda sunt; nam sicut est obligatio naturalis examinandi, quæ credimus, an sint sufficienter proposita, & ideo confirmatio alicuius in fide interna, non tollit hanc obligationem examinis præcedentis; sic est obligatio naturali examinandi, quæ aliis credenda proponimus, & ideo confirmatio in fide externa proponenda non aufert præcedentis examinis obligationem, sed solum affert prouidentiam Dei, vt non proponatur à Pontifice, nisi præcedente debito examine, vel saltem nisi præcedente ex parte ipsius obiecti sufficienti fundamento, quia vel in reuelatione præterita continebatur, vel ex illa saltem adiuncta præmissa alia vera deducebatur. Et hæc sufficiant quoad primum punctum de conclusione deducta ex vna reuelata, & altera euidenti naturali.

§. II.

De conclusione deducta ex duabus reuelatis, an sit de fide.

278 *Conclusio deducta ex duabus præmissis de fide, an sit de fide.*

SEcunda quæstio erat de conclusione, quæ sequitur ex duabus præmissis de fide, an sit de fide, vel solum Theologica. Exemplum esse potest in hac conclusione: *Omnes Apostoli acceperunt Spiritum sanctum; Matthæus fuit vnus ex Apostolis, ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum.* Singulæ præmissæ sunt reuelatæ, ex illis conclusio euidenter infertur. Prima sententia negat conclusionem esse actum fidei, sed dicit, esse conclusionem Theologicam, nisi ipsa etiam reuelata sit. Ita Molina 1. *part. quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 2. Valentia *in præsenti quæst.* 1. *puncto* 1. §. *in contrarium*, & §. *quod si queras, & tom.* 1. *disp.* 1. §. 1. *puncto* 1. Suarez *disp.* 6 *sect.* 4. Lorca *disp.* 6. Turrianus *disp.* 1. *dub.* 3. & alij. Secunda dicit, conclusionem illam esse de fide. Pro qua Hurtado *disp.* 10 *sect.* 1. §. 2. qui eam sequitur, affert Aureolum, Vegam, Canum, Patrem Vasquez, Scotum, & Ochamum & §. 42. in eandem sententiam affert Nazianzenum *orat.* 37. quæ est 5. *de Theologia* vbi S. Doctor ostendit, diuinitatem Spiritus sancti constare contra hæreticos ex Scriptura, quia ex ea euidenter colligitur. In hoc puncto distinguenda omnino videntur duo, quæ cùm sint valdè diuersa; immeritò P. Hurtadus ea confundit §. 14. *& sequentibus*, & rursus *disp.* 12. §. 6. Aliud enim est quærere; an obiectum illius conclusionis sit de fide, & possit terminare assensum fidei: aliud verò, an assensus ille genetatus per discursum formalem, vel virtualem ex duplici præmissa reuelata sit assensus fidei, prout terminatur ad obiectum conclusionis, an solum assensus Theologicus. Qui duo sensus, vt dixi, sunt valde diuersi: nam in genere loquendo, non repugnat, quod obiectum aliquod, quod aliunde in se est reuelatum, & potest terminare assensum fidei, & est de fide, possit tamen, provt subest alicui alteri medio, aut motiuo, non terminare assensum fidei, sed alium inferiorem, vt constat in animæ immortalitate, quæ licet sit de fide, provt tamen subest medio scientifico demonstrationis Philosophicæ, non terminat assensum fidei, sed alium inferiorem, naturalem, & scientificum. Et quidem Auctores primæ sententiæ non negant, obiectum illud posse terminare assensum fidei in vllo casu, sed solùm agunt de illo, provt terminat assensum genitum per discursum ex duplici præmissa de fide, & Suarez *disp.* 3. *sect.* 12. *num.* 6. clarè distinxit illos duos sensus, & expresse concedit, obiectum idem quod potest deduci ex duabus reuelatis, posse aliquando terminare assensum fidei, solúmque negat assensum deductum per discursum ex illis duabus præmissis reuelatis esse de fide.

Hoc ergo supposito, dico primò, obiectum illius conclusionis deductæ ex duplici præmissa reuelata, specificatiuè loquendo esse de fide, & posse credi assensu fidei: in hoc conuenio cum Auctoribus secundæ sententiæ, quorum fundamenta nihil aliud probant, idque non negat Suarez, vt vidimus. Probari autem potest, quia totum illud obiectum est de fide, quod inuenitur reuelatum à Deo; sed obiectum conclusionis legitimè deductæ ex duabus reuelatis est etiam à Deo reuelatum, ergo totum illud obiectum est de fide. Maior, & consequentia sunt claræ: minor probatur: quia omnis conclusio in tantum bene infertur ex suis præmissis, in quantum eius obiectum identificatur cum obiecto præmissarum: fundatur enim tota vis syllogistica in illis duobus principiis, *dici de omnis*, *dici de nullo*, vt supponoexLogica, & ideo intellectus post assensum præmissarum, cogitur assentiri conclusioni, quia eius obiectum est idem cum eo, quod iam

est

est admissum in præmissis, & ideo negari non potest nisi negata vna ex præmissis: neque enim continetur obiectum conclusionis in obiectum præmissarum, tanquam in causa, sed tanquam in aliquo, cum quo habet realem identitatem. v.g. in exemplo posito, Matthæum accepisse spiritum sanctum, idem realiter est, saltem inadæquatè, & vt pars, cum hoc, quod est omnes Apostolos, quorum vnus erat Matthæus, accepisse Spiritum sanctum: ergo qui reuelat Apostolos omnes accepisse Spiritum sanctum, & Matthæum fuisse Apostolum, reuelat, ipsum accepisse Spiritum sanctum: non potest enim aliquis affirmare totum, quin affimet partes, ex quibus intrinsece constat illud totum propter identitatem realem partium cum toto

280 Hoc eodem argumento vtitur Suarez *dicta disp. 3, sect. 12. n. 6.* & confirmat illud bene, quia in Deo reuelante non est cognitio confusa, sed distincta: ergo quando reuelat aliquam propositionem vniuersalem manifestat iudicium, quo cognoscit omnia particularia distinctè quæ sunt sub illa vniuersali: loquebatur ergo immediatè de Matthæo, & aliis Apostolis, quos distinctè cognoscebat illa cognitione, & iudicio, quod voluit manifestare per reuelationem: ergo reuelatio immediatè cadit super omnes illos in particulari, & per consequens, Matthæum accepisse Spiritum sanctum, est aliquid immediatè reuelatum à Deo, licet reuelatione, quæ respectu nostri confusa est, & indiget explicatione, vt appareat quod sit eius obiectum immediatum.

281 Obiicitur primò, quia confusio, quæ se reuelet ex parte ipsius reuelationis vniuersalis, sufficit, vt obiectum conclusionis non sit propriè reuelatum; quia licèt sit à parte rei idem realiter cum obiecto præmissarum reuelato, non tamen cognoscitur ex vi præcisè reuelationis explicitè, vt tale est in particulari, sed ad eius cognitionem explicitam necessarius est discursus, quod sufficit vt in ratione obiecti formaliter non sit idem cum obiecto reuelato, atque ideo non possit de illo explicitè esse assensus fidei, nunquam enim potest ei obiecto præstari assensus nisi prævio discursu, quo appareat contineri in obiecto reuelato; quando autem assensus sit propter discursum, & illationem ex obiectis reuelatis, non assentimur propriè de fide illi obiecto, vt dicemus conclusione sequenti. Hoc esse potest præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ, pro cuius solutione aduertendum est, dupliciter posse nos assentiri illi propositioni *Deus reuelauit, Matthæum accepisse Spiritum sanctum.* Primò inferendo illam ex duabus propositionibus per hunc discursum, Deus reuelauit, omnes Apostolos accepisse Spiritum sanctum, & Matthæus erat vnus ex illis, quia Deus id reuelauit, ergo Deus reuelauit Matthæum accepisse Spiritum sanctum: & tunc propositio illa vt deducta ex illis præmissis, fatemur, quod non deseruit ad assensum fidei, quo credamus, Matthæum accepisse Spiritum sanctum, quia non infertur hic vltimus assensus ex reuelatione talis obiecti sistendo in ipsa, sed ex reuelatione talis obiecti, vt deducta ex alia propositione reuelata: quod non sufficit ad generandum proprium assensum de fide vt dicemus conclusione sequenti.

682 Secundò tamen possumus dicere Deum reuelasse, Matthæum accepisse Spiritum sanctum, & hoc absque discursu, sed per propositionem immediatam non illatam, ex alio obiecto reuelato, quod probare possumus in primis aliis multis exemplis, quia alioquin nulla propositio posset esse nobis immediatè de fide diuina, vel etiam humana. Quando enim Petrus tibi affirmat, se venturum Romam, & tu credis, quia ipse dicit, potest idem argumentum fieri de assensu, quo credis, id Petrum dicere; qui sanè videtur haberi etiam per discursum: ideo enim credis, Petrum id dicere, quia voces illæ, *ego veniam Romam*, impositæ sunt ab hominibus ad id significandum; vnde infers, Petrum his vocibus vtentem loqui de tali obiecto, ergo ille assensus fundatur in notitia de significatione vocum, quam ex præceptis Grammaticæ didicisti. Item quando Petrus præsente Paulo, & Antonio, dicit tibi, hi duo fuerunt mecum heri in prandio, & tu credis Paulum pransum esse cum Petro, quia Petrus id dicit, fieri potest idem argumentum, nam Petrum loqui de Paulo, videris credere per discursum ex eo, quod Petrus designauit illos duos præsentes, & Paulus esset vnus ex illis: quare in neutro casu credis præcisè fide humana, Paulum pransum esse apud Petrum, sed resoluis assensum in alia etiam principia, nempe quia voces illæ impositæ sunt ad id significandum, vel quia Paulus erat præsens, quando Petrus loquutus fuit. Vnde idem argumentum fieri etiam potest in aliis obiectis, quæ Deus in particulari reuelauit, v.g. quando credis Christi resurrectionem, quia Deus eam reuelauit, videtur discursus intercedere ad credendum, Deum id reuelasse, quia nimirum aliunde scis, has voces, *Christus resurrexit*, impositas est ab hominibus ad loquendum de tali obiecto, quod quidem non scis ex fide diuina, sed ex vsu hominum, & præceptis Grammaticæ; ergo in hanc etiam notitiam resoluis partialiter assensum tuum de reuelatione à Deo facta. Item non poterimus immediatè credere reuelationem Dei de præcepto Christi facto Petro non manifestandi eius transfigurationem ante resurrectionem, quia Euangelium non dicit Christum dixisse Petro, sed dixisse præsentibus discipulis; aliunde autem constat ex verbis eiusdem Euangelij vnum ex præsentibus fuisse Petrum: ergo ex vtraque reuelatione per discursum inferimus Christum præcepisse Petro, & sic in aliis passim, quæ tamen omnes fatemur esse reuelationem immediatam, & immediatè credi.

Et quidem negari non debet, quod ego possim 283
credere fide humana Petrum venturum in hanc vrbem absque alio discursu (licèt hic possit etiam interuenire, si velim) quo resoluam meam credulitatem tanquam in præmissam, & principium formale in significationem vocum, vel præcepta grammaticæ, & idem est de fide diuina, qua credo obiecta à Deo reuelata per voces latinas. Ratio autem vtrobique est, quia non est necessarius discursus, nec illatio vnius ex alio ad assensum circa ea, quæ immediatè vsu, & experientia percipimus provt reuera percipimus significationem vocum communium: quare absque discursu possum credere, quod Petrus v.g. loquitur mihi per voces significantes, seu significare solitas apud homines, eius aduentum in hanc vrbem: nam totũ hoc cognosco immediatè, nempe Petrum vti illis vocibus & voces illas apud homines vsurpari ad significandum tale obiectum. Quod idem est de assensu, quo credo ex parte Dei proponi in scriptura sacra tale, vel tale obiectum, cùm legam verba

verba illa, quæ immediatè scio apud homines vsurpari ad loquendum de tali obiecto. Idem etiam est, quando credo Paulum pransum esse apud Petrum, quia Petrus id dixit, quando Paulo præsente dixit mihi, *hic mecum pransus est*. Nam licèt possit tunc etiam interuenire discursus ad credendum, Petrum de Paulo loqui: possum tamen sine alio discursu id credere: quia sicut immediatè cognosco, Petrum vti voce vsurpari solita ad loquendum de prandio, ita immediatè cognosco, ipsum vti voce vsurpari solita ad loquendum de Paulo: nam vox illa, *hic*, præsente Paulo, idem est, ac vox *Paulus*, & in eadem significatione vsurpatur ab hominibus: cùm ergo immediatè percipiam, Petrum vti voce illa, *hic* præsente Paulo, percipio etiam immediatè ipsum vti voce vsurpari solita in his circumstantiis ad loquendum de Paulo, quare absque alio discursu possum resoluere assensum circa prandium Pauli in verba illa talibus circumstantiis prolata, quæ ego percipio.

284 Hinc ergo in casu nostro de fide diuina dici potest, non debere interuenire discursum ad credendum Christum resurrexisse qui fundetur tanquam in principio in significatione vocum: quia immediatè cognosco has voces contineri in scriptura, & quidem voces vsurpari solitas ad loquendum de resurrectione, quod totum absque discursu cognoso, & per consequens absque discursu cognosco proponi mihi in scriptura voces quibus significari solet resurrectio. Similiter reuelationem de Spiritu sancto à Matthæo accepto immediatè cognoscit absque discursu, qui immediatè cognoscit, Deum reuelare Spiritum sanctum ab omnibus Apostolis susceptum, & Matthæum fuisse vnum ex illis. Nam qui eodem tempore diceret totum hoc complexum, nempe omnes Apostoli acceperunt Spritum sanctum, & Matthæus fuit vnus ex Apostolis, diceret æquialenter, Matthæum accepisse Spiritum sanctum: ergo idem erit licet in diuersis temporibus id dicat: nam possum ego simul concipere vtramque reuelationem, licèt diuersis temporibus factæ sint. Constat verò apud homines idem esse dicere, *Matthæus accepit Spiritum sanctum*, ac dicere, *omnes Apostoli, quorum vnus erat Matthæus illum acceperunt*; Cùm ergo inueniatur Deum vtrumque immediatè reuelasse, inuenitur etiam reuelasse immediatè, quod Matthæus acceperit Spiritum sanctum: quare assensus, quo credo Deum hoc reuelasse, non debet necessariò inferri per discursum ex illis duabus reuelationibus seorsim factis, sed possum æque immediatè huic reuelationi assentiri, cum ea etiam in vtroque illo loco simul sumpto immediatè contineatur.

285 *Obiectio 2.* Vnde iam faciliùs soluuntur alia argumenta, quæ fieri solent contra hanc conclusionem. Secundò ergo obiici solet, quia illa conclusio est Theologica, cùm inferatur ex reuelatis, ergo non est assensus fidei, quia fides, & Theologia distinguuntur. Respondetur facile, illam conclusionem vt deductam ex reuelatis esse Theologicam, & vt sic non credi ex fide, vt dicemus conclusione sequenti: idem tamen obiectum materiale posse credi per fidem, non vt deductum ex præmissis reuelatis, sed vt immediatè etiam reuelatum, vt supra explicuimus.

Obiectio 3. Tertiò Obiicitur, quia in naturalibus habitus principiorum, & habitus scientificus distinguuntur, ergo non est idem habitus ad credenda reuelata, & ad conclusionem, quæ ex reuelatis infertur. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, transeat consequens, quando conclusio ex reuelatis creditur propter reuelata vt propter principia. Secus verò erit, quando idem obiectum creditur etiam vt principium immediatè reuelatum à Deo: ad hoc enim debet extendi habitus fidei diuinæ, qui ex omnium sententia extenditur ad omnia immediatè reuelata à Deo.

Quartò Obiicitur, quia Christum esse risibilem est conclusio Theologica, nec creditur immediatè per fidem, quia deducitur ex humanitate reuelata, quamuis risibile pro radice sit idem realiter cum humanitate: ergo identitas obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum non facit, quod idem obiectum possit per fidem credi. Hoc argumentum facessit magnum negotium Patri Hurtado *dicta disp.* 10. *num.* 19. *& sequent.* Sed nobis nulla infertur difficultas, qui paulò ante diximus, conclusionem illam, quæ non potest per fidem credi, non esse de risibilitate radicali, sed de formali; quæ supponitur esse passio distincta ab humanitate. Omitto alia leuiora argumenta, quæ videri possunt apud Hurtado *dicta disp.* 10. & ex dictis facilè solui possunt.

His suppositis, sit iam secunda conclusio; quando conclusio illata ex duabus reuelatis creditur solum propter illas, non creditur de fide, sed solum est conclusio Theologica. Hæc est iuxta sensum primæ sententiæ supra relatæ, eam tamen ex professo impugnat Hurtado *loco citato*, & rationes etiam, quibus probari solet ab eis auctoribus, quas omitto, quia ferè omnes sunt parum efficaces. Ratio, quæ me mouet, hæc est, quia ea, quæ per fidem credimus, Deo credimus, & ideo credimus super omnia, quia diuinæ auctoritati supremus cultus intellectualis debetur, vt dicemus infra agentes de fidei certitudine: ea, autem, quæ credimus, quia sequuntur ex reuelatis, non credimus soli Deo, mouemur enim non solum à diuina auctoritate reuelante præmissas, sed etiã à connexione obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, quam connexionem non cognoscimus nec credimus quia Deus eam reuelauit, sed lumine intellectuali ex terminis nobis appareret, atque ideo ad credendum obiectum conclusionis partim mouemur à testimonio diuino, partim à connexione vnius obiecti cum alio; non ergo possumus credere per fidem obiectum conclusionis, cum illud non credamus soli Deo, nec diuinum testimonium solum nos moueat ad illud credendum, sed ille assensus est inferioris ordinis, & minus perfectus, cùm debeamus illum modum superiorem assentiendi reseruare ad omnia obiecta, quæ Deo credimus.

Contra hanc rationem non procedunt argumenta, quæ communiter fieri solent ab authoribus secundæ sententiæ, solùm enim probant, obiectum illud posse credi per fidem, quia immediatè reuelatum est à Deo, quod nos cõclusione prima concessimus. Alia tamen argumenta congerit specialiter Hurtado *vbi suprà sect.* 1. contra hanc conclusionem, & rationem, quæ oportet dissoluere, & ex quorum solutione meliùs huius rationis vis intelligitur. Primò ergo §. 4. *& sequentibus* arguit: quia habitus infusus extenditur ad omne obiectum materiale, quod cognoscitur dependenter à suo obiecto formali vt constat etiam in habitibus voluntatis; nam charitas extenditur ad omnia obiecta materialia, & remota quæ saltem mediatè amantur propter Deum, vt in propter Deum amas proximum, & ideo proximo

procu

procurat bonum, & ad hoc eligis media; omnia hæc, & media etiam remota eligis per actum charitatis, quia omnia illa amas vltimò propter Deum, qui est vltimum obiectum formale illius amoris, quod idem contingit in misericordia, & aliis virtutibus: ergo similiter conclusiones omnes etiam mediatæ, quæ creduntur propter testimonium diuinum, pertinent ad fidem: nam obiecta præmissarum, licèt sint obiectum formale proximum illius assensus: non sunt tamen in rigore obiectum formale, sed materiale; cùm non sistat intellectus vltimò in illis, sed illa credas propter aliud, sicut, qui ex charitate Dei amat proximum, & ideo dat ei pecunias ad subleuandam eius indigentiam, licet videatur habere pro obiecto formali proximo bonum ipsius proximi; illud tamen non est in rigore obiectum formale, quia non sistit vltimo voluntas in illo, sed illud amat propter Deum, & ideo omnia illa sunt obiectum materiale charitatis; ergo eodem modo fides extendi debet ad omnia obiecta materialia etiam remota, quæ mediatè, vel immediatè propter idem fidei motiuum creduntur, & in illud vltimò resoluuntur.

289 Respondetur, habitũ extendi ad omnia obiecta materialia, quæ attinguntur sub eodem omnino motiuo, secus autem, si motiuũ varietur, præsertim si variatio illa refundat diuersum modum tendendi, provt contingit in casu nostro, in quo intellectus mouetur ad assentiendum conclusioni, non solum ex testimonio Dei, sed etiam ex connexione obiecti conclusionis cum obiectis præmissarum, ad quam connexionem credendam nullo modo mouet testimonium Dei: & ex hoc prouenit, quod intellectus non credat obiectum conclusionis eo modo, & firmitate, qua credit res fidei, quas credit soli Deo, sed mouetur etiam à connexione vnius obiecti cum aliis, quam connexionem non credit Deo: quare non est mirum, quod assensus ille provt terminatur ad obiectum conclusionis non sit fidei, cùm degeneret notabiliter ab assensu fidei, quo credimus soli Deo, quæ dicit, & ideo super omnia. Exemplum autem charitatis, & aliarum virtutum voluntatis non est simile: quia omnes illi actus voluntatis, qui versantur circa alia obiecta materialiter etiam remota, non habent vllum aliud motiuum, in quo etiam partialiter sistant, nisi solùm Deum: nam licèt amentur media remota propter vtilitatem, seu propter connexionem quam habent cum fine: illamet tamen vtilitas, & connexio non amatur propter se, nec sistitur in illa, sed propter bonitatem Dei: quare in iis omnibus actibus nulla est varietas ex parte motiui formalis. At verò in actibus intellectus non ita se habet: nã conclusiones mediatæ deductæ ex prioribus conclusionibus non retinent idem omnino obiectum formale omnino inuariatum, sed additur semper connexio obiecti conclusionis cum obiectis præmissarum, cuius connexionis veritas non creditur propter veritatem præmissarum, nam licet præmissæ essent falsæ, consequentia esset bona, & cõnexio esset vera, sed cognoscitur in se, & in illa sistit intellectus, ab eaque partialiter mouetur intellectus ad assentiendum obiecto conclusionis.

290 Contra hanc solutionem, & differentiam, quam olim ad hoc propositum explicui, aliqua opponit Hurtado, ex quo obiici potest secundò, quia connexio obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum non distinguitur realiter à connexione extremorum cum medio: connexio autem extremorum cum medio cognoscitur per præmissas reuelatas: ergo continentia etiam obiecti conclusionis cognoscitur per easdem præmissas, atque ideo non est necessaria alia cognitio illationis, seu continentiæ obiecti conclusionis in obiecto præmissarum, quæ moueat ad assentiendum conclusioni, & per consequẽs motiuum formale præmissarum erit motiuum formale adæquatum ad assensum conclusionis.

Hoc argumentum supponit quæstionem illam, an vltra assensum præmissarum requiratur cognitio illationis ad assensum conclusionis, de qua dixi in Logica; & inferiùs aliqua attingemus: est enim quæstio Logica, in qua dixi cum communi sententia, requiri eiusmodi cognitionem, vt constat experientia: multi enim assentiuntur præmissi, & negant consequentiam, quam deberent omnino concedere, quia non attendunt ad bonitatem illationis, seu ad continentiam obiecti conclusionis in obiecto præmissarum concesso. Nec refert, quod obiectum conclusionis non distinguatur adæquatè ab obiecto vtriusque præmissæ simul sumptæ, sed saltem partialiter cum illo realiter identificetur. Hoc enim probaret etiam, illam non esse veram conclusionem, quia conclusio semper creditur propter aliud vt constat ex definitione syllogismi: non autem intelligitur *propter aliud* realiter sed *propter aliud* secundum modum concipiendi. Nam idem obiectum cognitum per cognitionem confusam non mouet, & cognitum posteà explicitè, mouet: sic etiam in assensu secundæ operationis per compositionem debet obiici explicitè identitas inter extrema, quæ licèt non distinguatur realiter ab ipsis extremis, non assentiremur, nisi explicitè obiiceretur, vt dixi *disp. 1. de pœnit. sect. 2.* Ratio autem est, quia sicut non potest mouere ad amandum bonitas, de qua non possumus reddere rationem, ita nec ad assentiendum veritas de qua non possumus reddere rationem: cognitio autem confusa non sufficit, vt possimus reddere rationem de bonitate, aut veritate confuse cognita, ergo necessaria est cognitio explicita continentiæ vnius veritatis in alia, vt propter veritatem primam concessam assentiamur secundæ Hoc autem est, quod explicatur per particulam *ergo*, positam in conclusione, nempe connexio vnius veritatis obiectiuæ cum alia, & non sola connexio formalis ipsius assensus conclusionis cum assensu formali præmissarum, vt supponit Hurtado §. 30. neque enim requiritur cognitio reflexa de præmissis formalibus, aut de conclusione formali, sed de connexione inter obiecta conclusionis & præmissarum, quæ non est cognitio reflexa, sed directa. Sicut neque in iudicio per compositionem requiritur cognitio reflexa apprehensionũ extremorum, sed directa de identitate inter ipsa extrema obiectiua.

291

Sed contra obiicitur tertiò, ex eodem Auctore. §. 31. quia hinc sequitur neque esse actum fidei ipsum assensum circa obiectum reuelatum, v.g. circa Incarnationem: quia hic assensus etiam est propter veracitatem, & reuelationem Dei, tanquam propter motiuum, & præmissas formales, vel virtuales, quare requiritur etiam cognitio bonitatis illationis, quæ bonitas, seu connexio veritatis Incarnationis cum veracitate & reuelatione Dei mouet partialiter ad assensum Incarnationis, & per consequens non credimus

292 Obiectio 3.

Incarna

Incarnationem propter solam auctoritatem Dei, quæ sola est motiuum formale fidei, sed etiam propter illationem obiectiuam seu continentiam vnius obiecti in alio, quæ continentia non creditur propter auctoritatē Dei, sed constat ex terminis, atque ideo motiuum illius assensus, non erit solum motiuum formale fidei.

293 Ad hoc tamen facilè respondetur negando sequelam: incarnatio enim creditur propter solum motiuum formale fidei, quod quidem in rigore loquendo, non complectitur solam veracitatem, & testimoniū Dei secundùm se, & in abstracto, sed vt continentem connexionem cum veritate obiecti reuelati; sicut motiuum formale in assensu cuiuslibet conclusionis non est sola veritas præmissarum, sed illa, vt connexa cum veritate conclusionis. Quare, quando dicimus, solùm auctoritatem Dei esse motiuum formale fidei, illa particula exclusiua *solum*, non excludit concomitantia essentialia, sine quibus explicitè cognitis non potest mouere auctoritas Dei, sed excludit omnia alia peregrina, quæ non requiruntur, vt auctoritas Dei moueat; & includit connexionem vnius obiecti cum alio, quæ licèt realiter non distinguatur realiter adæquatè ab obiectis præmissarum debet tamen explicitè cognosci, vt obiectum præmissarum mouere possit ad assensum conclusionis. Nec obstat, quod hæc connexio non cognoscatur explicitè, aut credatur propter auctoritatem Dei: adhuc enim verum est, soli Deo non credere Incarnationem, nam per illam exclusiuam *soli*, non excludimus id quod requiritur ex parte obiecti essentialiter, vt Deo credamus, sed explicamus, non interuenire quidquam aliud ex parte motiui, nisi id solum, quod requiritur essentialiter, vt alicui soli credamus, in quo tamen includitur connexio auctoritatis diuinæ cum veritate obiecti reuelatis, cuius connexionis cognitio explicita inuoluitur essentialiter, quando dicimus Incarnationem credi soli Deo, seu propter solam Dei auctoritatem, quia illud *propter*, significat connexionem, quæ mouet, alioquin non crederetur vnum propter aliud. Quamuis autem connexio illa auctoritatis diuinæ cum veritate reuelata non credatur Deo, prout explicitè cognita, credimus tamen illam, etiam super omnia, quia hoc necessarium est ad credendum super omnia id, quod Deus dicit; neque enim possumus magis credere obiectum reuelatum, quam eius connexionem cum reuelatione, in qua connexione partialiter fundatur ille assensus. Quare sicut credimus etiam super omnia, Deum esse summè veracem, quamuis hoc non credamus Deo in primo illo assensu, qui est principium fidei, sed assentiamur ex terminis; sed tamen absque formidine, super omnia, quia id necessarium est ad credendum Deo super omnia id, quod reuelat; ita propter eamdem rationem debemus credere firmissimè connexionem auctoritatis Dei cum obiecto reuelato, quia id necessarium omnino est ad credendum firmissimè Deo id, quod reuelat.

Assensus fidei fundatur partialiter in connexione obiecti reuelati cum reuelatione.

294 Hoc autem suo modo locum etiam habet in voluntate, cum differentia tamen suprà explicata: nam si res attentè consideretur, quando eligitur medicina propter sanitatem, solam, non est sola bonitas sanitatis, quæ mouet, sed etiam vtilitas medicinæ ad sanitatem; nisi enim medicina vtilis esset, non moueret bonitas sanitatis ad eam eligendam; diaitur tamen eligi propter solam sanitatem, quia eo ipso, quod dicimus eligi propter sanitatem, significamus simul eligi propter vtilitatem medicinæ, & propter connexionem, quam habet cum sanitate; differentia tamen est, vt dixi, quia vtilitas ipsa medicinæ, & connexio cum sanitate, quæ voluntatem allicit, amatur etiam à voluntate non propter se, sed propter sanitatem in cuius sola bonitate vltimo sistit amor, & ideo connexio medicinæ cum sanitate, seu vtilitas, non integrat vllo modo motiuum formale vltimum: at in casu nostro connexio obiecti conclusionis cum obiecto præmissæ reuelatæ, ex qua infertur, ita mouet intellectum, vt ipsa non credatur propter auctoritatem Dei, sed propter se ipsam. Item connexio auctoritatis diuinæ cum veritate rei reuelatæ ita mouet ad assensum rei reuelatæ, vt ipsa connexio non credatur Deo nec propter reuelationem Dei testificantis illam connexionem, sed quia in se ipsa apparet.

Differentia ergo inter conclusionem illatam ex reuelatis, & mysterium reuelatum illatum ex veritate, & testimonio Dei, cur hæc pertineat ad assensum fidei, & non illa, licèt vtrobique moueatur intellectus ex bonitate illationis seu est, quos bonitas illationis mysterij reuelati ex veracitate, & testimonio Dei pertinet intrinsecè, & essentialiter ad motiuum formale fidei, quæ cùm credatur Deo, & propter eius auctoritatem, debet essentialiter moueri ab illatione mysterij, ex auctoritate Dei. At vero bonitas illationis obiecti conclusionis ex mysteriis reuelatis non pertinet intrinsecè, & essentialiter ad motiuum formale fidei, sed est motiuum peregrinum fidei, & extra totum motiuum proprium fidei, nec ordinatur ad credendum præcisè Deo, sed ad credeuda ea quæ inferuntur ex creditis Deo; quare alterato ex parte motiuo proprio fidei, non est cur fides debeat extendi ad assensum obiecti conclusionis, sicut ad assensum rerum fidei. An verò, & quomodo concurrat partialiter ad assensum illius cōclusionis, quatenus ibi etiam continetur assensus præmissarum reuelatarum, dicemus postea: nunc enim solùm dicemus, per illum assensum non credi obiectum conclusionis tanquam obiecta alia, quæ de fide creduntur.

Aduerte tamen nos sæpe dixisse, connexionem illam, seu continentiam obiecti conclusionis in obiectis præmissarum, vel bonitatem illationis esse partialiter motiuum formale illius assensus: quod quidem dictum est in latiori significatione motiui formalis, vt comprehendit omnia, quæ ex parte obiecti vtcumque mouent ad assensum. Scio enim, strictè loquendo bonitatem illationis non solere appellari motiuum formale, sed quasi applicationem motiui formalis condistinctum à motiuo, quod solùm videtur esse obiectum præmissarum. Sicut etiam in composito physico sola materia, & forma dicuntur partes, vnio verò, licèt pertineat intrinsecè, & essentialiter ad compositum, illudque integrat, non solet appellari pars, sed vinculum partium sic bonitas illationis, seu connexio vnius obiecti cum aliis, non solet appellari motiuum formale sed connexio, & colligatio motiui formalis cum obiecto materiali. Hæc tamen est quæstio de vocibus: nam in re ipsa non minus intrinsecè, & essentialiter intra vnio, quam partes ad compositionem compositi, nec minus intrinsecè, & essentialiter intra illatio, seu connexio vnius obiecti cum alio ad integrandum motiuum, quam ipsa obiecta præmissarum. Cæterum sicut vnio

non

non solet appellari componens *vt quod*, sed *vt quo*, quia est id, quo partes componunt; ita illatio, seu connexio potest dici mouere non *vt quod*, sed *vt quo*, quia est id, quo præmissæ obiectiuæ applicantur, & vniuntur, vt moueant ad assensum conclusionis, sufficit tamen eius variatio essentialis ad variandum, & alterandum specie motiuum, præsertim quando refundit diuersitatem notabilem in modum assentiendi, vt contingit in casu nostro.

297 Vltimo loco affert Hurtado §.42. Verba Gregorij Nazianzeni de quibus suprà diximus, quæ quidem, si aliquid probant, solùm probant nostram primam conclusionem, quod scilicet id, quod sequitur ex expresse reuelatis, possit fide credi; non tamen probant credi de fide per illum eundem assensum, quo creditur tale obiectum, quatenus præcisè per discursū deducitur ex præmissis reuelatis: & hæc de hoc puncto sufficiant.

§. III.

Virùm reuelatio vniuersalis sufficiat ad assensum fidei circa obiectum singulare.

298 *Conclusio partem tenens dedicta ex parte negans vniuersali de fide, an sit de fide.*

EXemplum esse potest, de fide est, omnes paruulos ritè baptizatos esse in gratia & saluari, si decedant, quæritur, an qui scit se hunc paruulum ritè baptizasse, possit de fide credere eius sanctificationem. Item de fide est, peccato mortali amitti gratiam, quæritur, an qui scit, se actu esse in affectu peccati mortalis, possit de fide credere, se carere gratia habituali sanctificante. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi est, quia hæc etiam conclusio deducitur ex vna præmissa reuelata, nempe ex illa propositione vniuersali, & ex altera particulari non reuelata, nempe ex conscientia proprij peccati actualis: quare iuxta doctrinam traditam §.1. videtur dicendum, quod conclusio non sit de fide, sicut ibi diximus ob eandem rationem non pertinere ad fidem risibilitatem Christi, & alias similes conclusiones, sed esse solùm Theologicas. Quare pro sententia negante illum esse actum fidei afferri possunt illi omnes, quos affert Suarez *disp.3.sect.11. num.3.* negantes esse assensum fidei, qui deducitur ex vno principio reuelato, & altero euidente.

Communis tamen sententia concedit, obiectum illud particulare contentum in vniuersali reuelata pertinere ad fidem, quam tenent Cano, Vega, Valentia, & alij, quos affert & sequitur Suarez *ibi num.2. & 5.* & alij, quos addit, & sequitur Hurtado latè eam sententiam probans *disp.11. sect.11.* quia, qui affirmat propositionem vniuersalem, affirmat omnia singularia ibi contenta; ergo Deus reuelans omnes homines baptizatos sine obice accipere gratiam, reuelauit etiam ibi hunc infantem baptizatum accipere gratiam, & per consequens id pertinebit ad fidem quæ ex se extenditur ad omnia, quæ à Deo reuelata sunt.

299 *Refunditur eam dissentiens.* Ego iuxta suprà dicta, §. *præcedenti* distinguendum existimo: nam si loquamur de assensu illo, prout deducto ex præmissa reuelata vniuersali, & particulari aliunde nota, dicendum est, illum non esse assensum fidei, provt terminatur ad obiectum conclusionis, sed solùm Theologicum, in quo conuenit etiam Suarez *vbi suprà numero 5. & 6.*

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuinæ.

& hoc probant à fortiori argumenta adducta in simili *suprà §. præcedenti.* Si enim assensus conclusionis illatæ ex duabus præmissis de fide non est assensus fidei, quia habet aliud obiectum formale partialiter diuersum nempe bonitatem illationis, à fortiori idem dicendum erit de assensu conclusionis illatæ ex vna solùm præmissa de fide, & altera euidenti naturali; quo casu variatur motiuum formale, non solùm ex parte bonitatis illationis, sed etiam ex parte vnius præmissæ, quæ non est de fide, & in qua etiam vltimò sistit intellectus.

Loquendo tamen de obiecto illius conclusio- 300
nis particularis, dicendum videtur cum secunda sententia, posse actum fidei terminari ad illud non per discursum ex vniuersali reuelata, sed immediatè propter diuinum testimonium tanquam ad aliquod immediatè, & formaliter reuelatum à Deo. Probari solet, quia quando aliquid reuelatur à Deo, reuelatur eius essentia physica, & metaphysica, licèt non ita distinctè, quia essentia non distinguitur à re reuelata; vnde Deus reuelans Christum esse hominem, reuelat eo ipso habere corpus, & animam, nam reuelans definitum, reuelat definitionem, & è contra, cùm non distinguantur: ergo, qui reuelat vniuersalem, reuelat ibi omnia singularia, quæ sunt quasi partes componentes illam collectionem vniuersalem: ergo Deus reuelans omnes infantes baptizatos iustificari, reuelat ibi, hunc, & illum, & illum infantem baptizatum iustificari, nam collectio omnium baptizandorum reuelata componitur intrinsecè ex hoc, & illo, & aliis baptizandis. Confirmatur ab aliis, quia Sacerdos sciens se debita intentione baptizasse hunc infantem aqua naturali ex mari tunc hausta, non potest sine hæresi negare, hunc infantem iustificatum fuisse: nam hoc negando contradicit Deo reuelanti omnes infantes ritè baptizatos iustificari. Sunt enim propositiones contrariæ, *Omnes infantes ritè baptizati iustificantur, & hic infans ritè baptizatus non est iustificatus.* Illa quippe est propositio contraria ex qua sequitur contradictoria, vt dicitur in Summulis: ex illa autem secunda propositione sequitur, *ergo aliquis infans ritè baptizatus non iustificatur*, quæ est contradictoria primæ.

Hoc tamen argumentum cum sua confirma- 301
tione videtur potiùs retorqueri posse: quia in primis negans hunc puerum esse iustificatum, non videtur esse hæreticus: nam hæreticus ille solus est, qui negat id, quod tota Ecclesia Catholica credit: non credit autem, vt docet Ecclesia, hunc infantem esse iustificatum, nisi ad summum sub conditione, si validè baptizatus est: quod enim baptizatus sit, vel quod aqua illa fuerit naturalis, vel quod minister habuerit intentionem non credit, aut docet Ecclesia, ergo non discederet à sensu, & fide Ecclesiæ, qui illam propositionem negaret absolutè, negando scilicet se baptizasse talem infantem, aut debitam intentionem habuisse, aut adhibuisse aquam naturalem. Vnde videtur, quod nec ipsemet sit infidelis negando illam propositionem: potest enim adhuc concedere totum, quod fides docet, nempe infantes ritè baptizatos iustificari, sed tamen ex falsa apprehensione contendere, baptismum illum non fuisse validum, quia aqua, v. g. non erat naturalis, sed quod Dæmon supposuerit occultè aquam artificialem loco naturalis,

quod licèt falsum sit, non videtur esse contra fidem, cùm non constet ex fide, Dæmonem id non fecisse. Solùm ergo erit ad summum de fide, hunc infantem iustificatum fuisse, si verè & validè baptizatus fuit.

302 *Aliud est propositionem aliquam secundum se esse de fide, aliud verò esse notiu de fide.*

Aliter tamen possumus explicare vim illius rationis, & probare hanc sententiam. Supponendo in primis, aliud esse, propositionem aliquam secundùm se esse de fide, aliud verò esse nobis de fide. Ad primum enim sufficit, quod sit verè à Deo reuelata; ad secundum verò requiritur, quod reuelationis sensus, & significatio nobis sufficienter constet, quantumcumque enim reuelata sit à Deo, non debemus, nec possumus de fide ei assentiri, nisi reuelationis sensus nobis sufficienter proponatur. Exemplum esse potest in Scriptura, & reuelatione illa, qua coram Baltassare Rege scripta fuerunt in pariete verba illa, *Mane, Thecel, Phares:* quibus significabatur, numerasse Deum regnum Baltassaris, & compleuisse illud: quare posita scriptura illa, iam veritas hæc reuelata erat à Deo, & ideo Daniel, vbi primum scripturam illam legit, debebat ex fide obiectum illud credere, tanquam à Deo reuelatum. Rex tamen, antequam à Daniele explicaretur, de quo obiecto loqueretur Deus, non debebat, nec poterat veritatem illam de fide credere. Erat ergo iam veritas illa secundùm se de fide; Regi tamen, & aliis nondum erat de fide. Eodem modo de facto multæ sunt veritates in scriptura reuelatæ, quas tamen in particulari, & distinctè non debemus, nec possumus de fide credere, quia scripturæ sensus nondum nobis est sufficienter propositus, nec ab Ecclesia declaratus; postquam autem Ecclesia sensum verum scripturæ declarat, & proponit nobis, incipiunt obiecta illa etiam in particulari esse nobis de fide, quæ tamen iam antea reuelatæ fuerant, atque ideo poterant de fide credi ab eo, qui sensum scripturæ verum intelligebat, & cui sensus ille sufficienter fuerat propositus.

303 *Voces non significant eodè modo omnibus mentem loquentis, sed iuxta audientium captum.*

Suppono secundò, voces easdem non significare eodem modo omnibus mentem loquentis, sed iuxta audientium captum, aliis magis, aliis minùs distinctè, v. g. cognoscis benè Petrum filium Ioannis, Paulus verò, qui eum benè etiam cognouit, dicit tibi coram aliis, Ioannis filium obiisse; tunc distinctè cognoscis illum, de quo Paulus testatur obiisse, & cognoscis magis distinctè mentem loquentis, qui Petrum distinctè concepit, & de illo determinatè affirmauit obiisse: alij verò præsentes, qui Petrum non nouerant, non concipiunt distinctè, sed confusè de quo loquatur, nec distinctè intelligunt mentem loquentis, sed solùm confusè concipiunt, ipsum de aliquo distinctè cogitasse, & eius obitum explicare voluisse. Ecce eadem vox tibi magis distinctè significat mentem loquentis, quàm aliis propter captum diuersum, & notitiam meliorem, quam habes de significatione explicita illius vocis. Eodem modo, si Deus hodie reueleť, Petrum crastina die deuorandum à leone, hæc reuelatio magis distinctè significat Angelo mentem Dei, quàm homini, quia Angelus magis distinctè, & quidditatiuè cognoscit essentiam, & prædicata leonis, & scit, Deum de illo leone habenre talia prædicata distinctè intellexisse; homo verò, qui confusè cognoscit essentiam leonis, cognoscit solùm confusè Deum loquutum de essentia, quæ radix est talium accidentium, distinctè cognita, quam tamen non distinctè cognoscit. Philosophus etiam, qui meliùs naturam leonis cognouit, magis distinctè venit in notitiam mentis Dei, quàm rusticus, qui non ita benè leonis naturam cognoscit, propter eandem rationem, & sic in aliis. Imò hinc etiam fit, voces aliquando meliùs significare obiectum audienti, quàm ipsimet loquenti, & magis distinctè significare eidem audienti loquentis mentem, quàm ab ipso loquente cognoscatur, v.g. si aliquis, qui Petrum Ioannis filium non cognoscebat, sed solùm sciebat esse filium Ioannis, dicat tibi, Ioannis filium obiisse; tu qui Petrum eundem sat benè cognoscebas, meliùs, & magis distinctè concipis, de quo loquatur, quàm ipsemet, qui loquitur, quia meliùs cognoscis rem per illas voces significatam, quàm ipse loquens cognoscat. Similiter, si homo dicat Angelo, se velle Romam venire, meliùs, & magis distinctè concipit Romam Angelus audiens, qui non confusè, sed distinctè eam concipit, quàm homo loquens. Item meliùs & magis distinctè cognoscit Angelus voluntatem eundi Romam, & iudicium de eodem aduentu, quam voluntatem & iudicium proprium homo vult significare, quàm ipsemet homo loquens, qui solùm confusè, & imperfectè proprios actus voluntatis, & intellectus percipit non distinguens, an sint qualitates reales, vel modales, materiales, vel immateriales, &c. Si ergo voces possunt meliùs significare audienti res ipsas, & mentem loquentis, quàm ab ipsomet loquente cognoscuntur; non est mirum, quod eadem vox meliùs, & magis distinctè possit significare, & res & mentem loquentis vni audienti, vel legenti, quàm alteri propter meliorem captum vnius quàm alterius.

Ex his ergo probare iam possumus conclusionem nostram: quia certum est, Deum reuelantem omnes paruulos ritè baptizãdos fore iustificãdos, non cognouisse confuse paruulos illos, de quibus loquebatur, sed distinctè, & explicitè hũc, & illũ, & omnes, & singulos in particulari: homo tamen audiens illam vocem non cognoscit eos, nisi confusè, & ideo nec cognoscit distinctè mentem Dei, sed confusè scit Deum aliquos distinctè cognoscere, & de illis, quos distinctè cognoscebat, loquutum fuisse. Vnde, si homo haberet aliunde scientiam infusam de omnibus & singulis paruulis ritè baptizandis, audiens postea à Deo, omnes baptizandos fore iustificandos, distinctè cognosceret, de quibus loqueretur Deus, & per consequens deberet credere fide diuina, hunc paruulum fore iustificandum, quia cognosceret, de hoc in particulari loquutum esse Deum. Sicut si coram cæco, & aliis diceres, tibi à Rege datos duos illos libros, quos manu habes, alij distinctè cognoscerent, de quibus libris loquaris & crederent propter merum testimonium tuum, illum & illum librum in particulari datum tibi à Rege. Cæcus autem, qui libros non videt, solùm posset credere in confuso te accepisse à Rege duos libros, quos manu habes, quicumque illi sint, vnde si postea vnum ex illis inueniret; non posset dicere, aut credere illum librum fuisse tibi à Rege datum, quia non scit, an de eo in particulari loquutus fueris. Si tamen perseuerante tein eadem asseueratione, cæcus visum reciperet, & videret libros illos, de quibus loqueris, iam tunc posset, non solùm in genere, sed in particulari de singulis libris credere datos tibi à Rege propter

tuum

tuum testimonium, quod tamen antea credere non poterat de illis in particulari. Hoc ergo modo quando Deus distinctè cognoscès omnes paruulos baptizandos, de illis omnibus reuelat iustificandos fore à peccato, tenemur id credere saltem in confuso: si autem nobis constet in particulari, de quibus loquutus sit Deus, iam de illis etiam in particulari idem debemus credere: cum ergo in prædicto casu constet tibi, hunc paruulum comprehensum fuisse illa loquutione Dei, atque adeò illum fuisse distinctè in mente Dei, quando vniuersaliter loquutus fuit; iam poterit de hoc in particulari id credere, cùm constet tibi Deum huius etiam paruuli iustificationem reuelasse, & de illo loquutum fuisse. Quamuis ergo obiectum illud in particulari non esset de fide nobis, quia non constabat, an de illo loquutus esset Deus, nec etiam nunc sit de fide aliis, quibus non constat de baptismo illius paruuli, sicut constare potest ipsi baptizanti, sed solum esset de fide secundum se quatenus iam erat reuelatum à Deo, postquam tamen baptizanti constat de baptismo ritè collato, iam incipit ei esse de fide, quia ei iam constat, Deum de hoc paruulo loquutum fuisse.

305 Obiicies primò voces non significant, nisi iuxta hominum impositionem; homines autem qui non cognoscunt distinctè sed confusè particularia, non videntur imposuisse has voces confusas, nisi ad significandum confusè; ergo Deus loquens per illas voces non potest loqui, aut reuelare distinctè de hoc paruulo, & per consequens non potest id fide credi, cum Deus nunquam de hoc paruulo in particulari id reuelauerit. Respondeo in primis vocem posse institui ad significandum distinctè ab eo, qui solum habebat cognitionem confusam, vt constat in hac voce, *hic homo*, quæ ex institutione habet, vt possit significare distinctè eum, de quo loquimur, licèt qui vocem illam instituerunt, de nullo homine particulari distinctè tunc cogitarent, sed solum in confuso de singulis, quibus significandis applicaretur. Deinde falsum est, voces imponi determinatè ad significandum confusè; alioquin non possemus vti iis vocibus ad loquendum cum Deo, aut Angelis, in quibus non potest esse cognitio confusa. Imponuntur ergo ex intentione imponentis ad significandum vel confusè, vel distinctè iuxta captum audientis; hoc est, ad excitandam in audiente speciem de illo obiecto, & cognitionem, quam ipse habere potest, si confusam, confusam; si distinctam, distinctam; Quare sicut hæc vox, *hic homo*, imponitur ad excitãdam speciem, quam audiens habet de hoc homine, quæ aliquando erit distincta, aliquando confusa; sic hæc vox *omnes paruuli baptizandi*, imponitur ad excitandam speciem audientis quę aliquando erit confusa, aliquando distincta saltem de aliquibus, per quam cognoscat illos in particulari, de quibus Deus loquitur.

306 Obiicies secundò, quia iam id totum videtur haberi per discursum, quatenus cognoscimus, Deum loqui de omnibus paruulis baptizaris, quicumque illi sint, & aliunde scimus, hunc paruulum esse baptizatum, vnde inferimus, de hoc loqui Deum; quare assensus ille non erit fidei, sed conclusio Theologica. Respondetur, posse quidem id credi per discursum, & tunc conclusionem non credi de fide, vt diximus: potest tamen etiam sine discursu tali, sed immediatè credi, Deum de hoc paruulo loquutum fuisse; sicut enim quando Paulo præsente, dicit tibi Petrus, *hic homo mihi carus est*, absq; discursu cognoscis Petrum testari amorem suum erga Paulum, quatenus cognoscis etiam absque discursu eum. Paulo præsente vsurpare voces solitas vsurpari ad testandum amorem erga præsentem, quod est idem ac videre, eum testari exterius amorem suum erga Paulum præsentem: sic etiam si præsentibus tribus, vel quatuor, diceret, *hi homines mihi cari sunt*; cognoscere posses absque discursu, eum testari amorem suum erga singulos illorum propter eandem rationem. Similiter ergo Deus dicens, *Omnes paruuli baptizati mihi cari sunt*, videns hunc paruulum baptizatum, poteris absque discursu cognoscere, Deum de hoc paruulo testari sibi carum esse. Quod enim cari designentur per pronomen *hi omnes*, vel per vocem illam, *baptizati*, parum refert ad propositum, cùm æquè cognoscas, hunc paruulum esse baptizatum, vt supponimus, ac illum hominem esse præsentem Paulo loquenti.

307 Obiicies tertiò, non constare adhuc Deum loquutum esse de hoc paruulo sufficienter ad id de fide credendum: non constat enim hoc, nisi quatenus constat hunc paruulum fuisse ritè baptizatum: hoc autem non ita certò constat, cum fieri potuisset, quod Dæmonis opera, loco aquæ naturalis suppositа fuerit aqua non naturalis, vel etiam posset fieri, quod hic qui homo apparet, & infans, non sit verus homo, sed corpus phantasticum, Dæmonis opera confictum ad eludendos oculos; non ergo constat, de hoc indiuiduo Deum loquutum fuisse, & per consequens non potest fide credi, hunc paruulum esse iustificatum.

Hoc argumentum pariter probaret, non posse fide credi id, quod Deus reuelatione non solum vniuersali, sed in singulari reuelat. v. g. Quando Deus dixit, *hic est filius meus dilectus, ipsum audite*: potuissent enim Apostoli formidare, an ibi esset alius, qui ab ipsis non videretur, sed tantum à Moyse, & Elia, & de illo verba illa dicta esse, vel etiam an dæmonis opera voces illæ formatæ essent, & sic de aliis. Quare omnes respondere debemus, & facilè ex supradictis responderi potest, sicut ad obligationem credendi fide diuina quod Deus dicit, non requiritur euidentia de testimonio Dei, obscurè enim credimus fide ipsa, Deum id dicere, cohibentes ex imperio, & pia affectione voluntatis formidinem, quæ aliunde suboriri posset: ita ad credendum fide diuina, Deum de aliquo obiecto in particulari loquutũ, non requiri euidentiam metaphysicam, quod de illo loquatur, itaut nec prudẽter, nec imprudenter possimus de hoc formidare. Cur enim plus requiratur ad credendum, Deum de aliquo loqui, quàm ad credendum Deum loqui; ita quando non possumus prudenter formidare, an Deus de aliquo obiecto loquutus fuerit, debemus ex eodem imperio voluntatis cohibere formidinem, & certò credere, Deum de illo obiecto loquutum fuisse. An verò ad id sufficiat moralis euidentia de continentia huius singularis in vniuersali reuelata, & quid, si solùm sit probabilitas, dicemus postea §. 4. Nunc addo, conclusionem nostram posse verificari etiam independenter ab hoc argumento, & eius solutione: quia quando homo actu peccata non potest vllo modo dubitare, quod peccet, saltem in aliquibus casibus, in quibus ex malitia, & cum magna aduertentia peccat; quare omnino ei constat, se comprehensum in reue-

latione vniuersali, quod omnis mortaliter peccans priuetur vel careat gratia Dei sanctificante.

308 *Non solum sub conditione, sed absolutè possumus de hoc infante baptizato credere esse iustificatum.*

Hinc infero primò, in prædicto casu non solùm posse per fidem credi hunc paruulum iustificatum sub conditione, si ritè baptizatus est, vel si homo verus est, sed etiam absolutè. Hoc est contra aliquos, quos tacito nomine refert Hurtadus *dicta disp.* 11. §. 22. dicentes, non credi fide diuina, hoc indiuiduum esse conceptum in peccato originali, sed solùm sub conditione, si homo est. Quos ipse ibi impugnat, quia ille assensus conditionatus non esset actus fidei; nam fides credit absolutè reuelationem existere, & ideo credit mysterium reuelatum: tunc autem non crederetur existere reuelationem de peccato illius indiuidui; dicere enim *ego credo, si est homo*, est dicere, *dubito de reuelatione peccati huius indiuidui*, dubitans verò de reuelatione non credit eam esse, sed dicit tã *verax est Deus, vt ego crederem, quidquid ille diceret*, qui actus solùm credit veracitatem Dei, non verò reuelationem. Hoc tamen argumentum parùm vrget, quia Deus potest reuelare reuelatione absoluta aliquod obiectũ conditionatum, vt constat ex mille Scripturæ locis, in quibus continentur reuelationes conditionatæ, hoc est, de obiecto conditionato, circa quas reuelationes, & obiecta conditionata reuelata possunt exerci veri & proprij actus fidei, vt constat: ergo si Deus reuelauit omnia indiuidua humana esse concepta in peccato, posset per fidem credi hoc indiuiduum esse conceptũ in peccato, si est humanum, & hoc propter illam reuelationem Dei, quæ de quolibet indiuiduo id dicit, si est humanum.

Deus potest reuelare reuelatione absolutâ aliquod obiectũ conditionatum.

309 Melius ergo probatur illatio ex dictis, quia cum constet sufficienter, hoc indiuiduum esse humanum, & ritè baptizatum, non possumus prudenter formidare, aut dubitare, quod Deus loquens absolutè de omnibus infantibus baptizatis loquutus fuerit absolutè de hoc, ergo non solùm sub conditione, sed absolutè possumus de hoc singulari credere esse iustificatum. Sicut si Petrus habens tres filios dicat, *omnes mei tres filij mortui sunt.* ergo qui noueram benè eius filios, possum propter ipsius testimonium credere, singulos in particulari obiisse, non solum sub conditione, si erant eius filij, sed absolutè, quia constat mihi prudenter de singulis quos ego noueram loquutum ipsum fuisse. Similiter ergo possum credere absolutè, Deum loquutum de hoc infante, sicut etiam quando constat de reuelatione Dei, itavt non possim prudenter de ea formidare non credo sub conditione rem reuelatam, si Deus eam reuelat; sic ergo quando possum prudenter formidare, quod Deus de hoc infante loquutus non fuerit, possum & debeo credere absolutè, de hoc loquutum fuisse, atque ideo ipsum esse iustificatum, & non solùm sub conditione, si Deus de hoc loquutus est; eadem enim est ratio in vtroque casu.

310 *Baptizans licèt debeat credere ex fide infantem à se baptizatum esse iustificatum: Aliis tamen id non est ex fide.*

Infero secundò, licet ipsimet baptizanti, qui scit se rite baptizasse, & veram materiam, & formam adhibuisse, de fide sit, hunc infantem esse iustificatum; aliis tamen id non esse de fide, nec debere, aut posse id fide diuina credere: quia aliis non ita constat, Deum de hoc loquutum fuisse, vt prudenter non possint formidare. Sciunt enim benè aliquando contingere, quod minister fingat baptismum sine intentione debita, quare non ita proponitur eis, Deum de hoc absolutè loquutum fuisse, vt non possint formidare saltem prudenter, & dicere, fortasse non est hic ex illis, quia prudenter formidari potest, an concurrerint requisita ad verum baptismum, cùm in casu simili, & cum eisdem fundamentis ego aliàs deceptus fuerim. De hoc tamen, & qualis certitudo requiratur circa applicationem reuelationis diuinæ vniuersalis ad hoc indiuiduum dicemus §§. sequentibus.

§. IV.

Vtrùm reuelatio vniuersalis sufficiat ad credenda singularia nota certitudine morali, vel notitia probabili

EX dictis §. præcedenti oritur hoc dubium, an quando Deus reuelat propositionem vniuersalem, & mihi, non quidem certitudine metaphysica, aut physica, sed morali constat, hoc indiuiduum comprehendi sub illa vniuersali, possim credere fide diuina, Deum de hoc loquutum, & rem reuelatam de illo verificari. Euidentiam moralem quoad hoc propositum minus benè explicat P. Hurtado *dicta disp.* 11. *sect.* 3. §. 24. dicens, tunc dari quando ratio assentiendi talis est, vt nulla sit probabilitas partis oppositæ, seu quando prudentes non possunt de re illa dubitare. Vtraque tamen explicatio diminuta est, & in rigore loquendo falsa; quod ad hominem probatur, quia ipsemet *sect.* 4. fatetur non esse de fide Christum esse sub hac hostia, neque id esse euidens moraliter: & tamen fundamenta ad id credendum communiter talia sunt, vt nulla sit probabilitas partis oppositæ, nec prudenter possimus de hoc dubitare. Alioquin, si esset probabile oppositum, vel saltem dubium, an hæc hostia sit consecrata, posset licitè iterum consecrari sub conditione; quod idem in baptismo huius pueri dicendum esset: deberet enim baptizari, iterum sub conditione, si probabile esset non fuisse validum baptismum, vel si saltem esset verum dubium de eius baptismo; quod tamen nemo concedet licere de facto, nisi sit ratio peculiaris dubitandi de aliquo. Ecce ergo in iis casibus non est probabilitas partis oppositæ, neque etiam est verum dubium prudens, & tamen non est euidentia moralis, nec valor huius sacramenti in particulari est de fide.

311 Euidentia moralis quid.

Euidentia ergo, seu certitudo moralis tunc inuenitur, quando de re aliqua non possumus prudenter non solùm dubitare, sed nec etiam formidare. Exemplum est in hoc quod est, fuisse Iulium Cæsarem, fuisse Annibalem. &c Nam licet physicè non sit repugnantia, quod Historici omnes mentiti fuerint; moraliter tamen id repugnat, atque ideò assentimur, nec possumus prudenter formidare, ne fortè decipiamur, idem est de aliis historiis humanis, quæ nullo contradicente ab omnibus creduntur; idem de imperio Sinensi, quod non vidimus, & tamen ex relatione multorum absque vlla formidine credimus, & sic de aliis.

312 Ratio quando assensus vniuersalis sufficiat ad credenda singularia certitudine morali.

Hoc ergo supposito, dicimus, quando est certum, seu euidens moraliter, hoc indiuiduum comprehensum fuisse sub propositione vniuersali à Deo reuelata id sufficere, vt illud de fide credere possimus, & debeamus. Ita tenet cũ aliis Hurtado

rado *vbi supra* §. 25. vbi affert Suarium, & Bellarminum, quatenus in eo videntur fundare fidem de auctoritate Concilij Tridentini, quia morali certitudine constat, esse legitimè congregatum, atque adeò habuit assistentiam Spiritus sancti promissam cõciliis omnibus legitimè congregatis, & approbatis. Probari autem potest facilè ex supradictis, quia si Deus alicui sufficienter reuelaret, se velle destruere omnes vrbes Syriæ hoc anno propter peccata incolarum, credere posset de fide, Deum velle destruere Hierosolymam, quam tamen non vidit, sed certitudine morali scit esse vrbem illius prouinciæ. Ratio autem à priori est supra assignata, quia sicut ad credendum fide diuina, sufficit ita constare de reuelatione Dei, vt prudenter non possimus formidare, ne forte non sit Dei reuelatio: ita ad credendum eadem fide hoc obiectum, sufficit ita constare, Deum loquutum fuisse de hoc obiecto, vt non possimus de hoc prudenter formidare. Cùm ergo in casu nostro ob moralem certitudinem non possimus prudenter dubitare, aut formidare, an hoc indiuiduum contineatur in propositione vniuersali reuelata, & per consequens, an de hoc obiecto loquutus sit Deus, consequens est, vt fide diuina possimus credere hoc obiectum, & Deum de illo loquutum fuisse.

314 *Conciliorum auctoritas quomodo possit esse de fide.*

Confirmatur, quia hoc modo explicatur, cur, aut quomodo possit esse de fide authoritas, v.g. Concilij Tridentini, quæ nisi de fide cõstaret, non apparet quomodo possint de fide credi, quæ in eo Concilio definita sunt. Recurrendum ergo est ad propositionem vniuersalem reuelatam, quod Cõcilio legitimo assistat Spiritus sanctus, aliũde verò certitudine morali constat; Concilium Tridentinum legitimè congregatum, & approbatum esse, conuocante summo Pontifice, & illud approbante, conuenientibus ex Catholica Ecclesia Episcopis, & Prælatis per se, vel per alios, &c. de quibus nemo prudenter dubitat, aut formidat: quare constat nobis sufficienter de hoc Concilio loquutum fuisse Deum in promissione vniuersali reuelata, vt breuiter notauit Suarez *dicta sect.* 11. *n.* 6. Quomodo autem constet nobis certitudine morali, hoc Concilium coactum esse ex Episcopis Ecclesiæ Catholicæ, explicat latè idem Hurtado §. 30. & sequentibus & facilè constat, quia nec possumus prudenter formidare, an fides, quam profitemur, sit Catholica, alioquin in vniuersa nostra fide formidare possumus; nec possumus etiam prudenter formidare, an hæc eadem sit fides illorum, qui ad Concilium conuenerunt, & suarum prouinciarum, cùm omnes eam profiteantur & suis omnibus actionibus eam perpetuò testentur: quare non possumus prudenter formidare circa hoc quod Concilium illud à Catholicæ religionis Prælatis coactum sit.

315 *Obiectio.*

Obiici potest contra hanc conclusionem, quia si sufficit certitudo moralis circa hoc indiuiduum ad hoc, vt possit fide credi, illud contineri sub vniuersali reuelata, videtur sequi, quod possimus de fide credere, hunc infantem, quem nos baptizauimus, esse iustificatum: videtur enim esse moralis certitudo de eius legitimo baptismo: alioquin possemus licitè illum iterum saltem sub conditione baptizare. Quod idem argumentum fieri potest de consecratione huius hostiæ, & de Christo sub illa contento: quia alioquin non possemus Christum sub illa absolutè adorare, sed solum sub conditione si consecrata sit: quia sicut non possumus credere fide diuina obiectum de quo possumus prudenter formidare, an sit à Deo reuelatum, ne supremum illum cultum intellectualem credendi super omnia exhibeamus circa obiectum, de quo non sit moralis certitudo, quod sit reuelatum; sic non videmur posse exhibere supremum cultum latriæ hostiæ, de qua non sit moralis certitudo, quod Christum contineat: denique, si non sit certum certitudine humana, & morali, hunc Sacerdotem esse legitimè ordinatum, videtur esse obligatio iterum ordinem suscipiendi sub conditione, ne exponatur periculo valor Sacramentorum, quæ aliis ministrabit. Si ergo circa hæc omnia habetur moralis certitudo humana, hæc etiam omnia possunt fide diuina credi, quod tamen communiter non conceditur.

316 *Certitudo moralis & humana varie accipitur.*

Omissis aliis solutionibus, quas impugnare non libet, & ex dictis facilè impugnari possunt, aduerto certitudinem moralem, & humanam, variè solere à doctoribus accipi, & vsurpari in diuersis materiis. Nam in primis apud Iuristas illud solet appellari moraliter, & humano modo certum quod duobus, vel tribus testibus omni exceptione maioribus in iudicio legitimè probatur. Imo quando non agitur de præiudicio alterius, dici solet, quod faciat fidem, & certitudinem humanam testimonium vnius testis fide digni, qui testatur, v.g. de puero baptizato, vel de Ecclesia consecrata. Sicut in eodem sensu dicitur certa consecratio huius hostiæ certitudine morali, & humana, de qua constat ex testimonio Sacerdotis consecrantis cuius sacerdotium à nemine reuocatur in dubium. Nos tamen claritatis gratia possumus duos gradus moralis certitudinis distinguere. Primus est certitudinis, quam describimus, nempe quæ excludit omnem prudentem formidinem, & hæc est propria certitudo moralis. Secundus est certitudinis minùs propriæ, quæ non excludit formidinem prudentem, sed solùm dubitationem prudentem, de illo obiecto, vel iudicium probabile prudens de obiecto contrario, quæ etiam aliquando appellari solet certitudo moralis humana, quatenus certa condistinguuntur à dubiis: Eodem enim modo incerta aliquando dicuntur, quæ sunt dubia: aliquando verò ea solum, quæ firma sunt, & non sinunt intellectum non solùm deflectere in partem contrariam, sed nec etiam vacillare per aliquam formidinem, sed constantem & firmum eum retinent.

317 *Assensus certus quis sit. Necessitas connexionis Metaphysica. Physica. Moralis.*

Dixi autem secundam illam certitudinem moralem esse impropriam: quia cùm certitudo cognitionis significet necessariam cõnexionem assensus cum veritate obiecti, vt videbimus *infrà* agẽtes de fidei certitudine ille est assensus certus qui non potest à veritate deficere: hæc autẽ necessitas aliquando est metaphysica, & facit certitudinem metaphysicam: aliquando est solùm physica & facit certitudinem physicam: aliquando verò est necessitas solùm moralis non excludens potentiam physicam ad falsitatem, & hæc facit certitudinem moralem, quando scilicet, quamuis physicè possit subesse falsitas, moraliter tamen non potest, quæ impotentia moralis semper habet suum actum, itavt potentia physica contraria nunquam reducatur ad actum secundum propter summam eius difficultatem. Certitudo autem moralis minùs propria non affert tam necessariam connexionem cum veritate, nam licèt

rarò, aliquando tamen contingit de facto falsitas: & quo rarius contingit falsitas, eò magis accedit ad certitudinem moralem, sicut è contra, quo sæpius falsitas subest, eò minus participat de certitudine morali. Vnde in illa etiam possumus varios gradus distinguere, iuxta plus, vel minus periculi falsitatis: & ideo certitudo moralis, quam duo testes faciunt in iudicio, est valdè impropria: sæpius enim deprehenduntur postea falsum ex calumnia dixisse: appellatur tamen certitudo moralis iudicialis, nempe quæ sufficit, vt iudex in sententia ferenda non possit prudenter dubitare, nisi adsint motiua aliqua, quæ testium fidem suspectam reddere possint in his circumstantiis. Magis accedit ad certitudinem moralem, quæ habetur de hostia consecrata, quia rarius contingit falsitas in hac materia, quàm in testibus iudicialibus: rarò enim aliquis fingit sacerdotium, vel ordinatio irrita inuenitur; quando inter Catholicos ordinatus est. Aliquando tamen id contingit. Rarius denique in baptismo deprehenditur falsitas testificantis aliquem esse baptizatum cùm non sit, saltem inter Catholicos, & ideo magis hęc accedit ad certitudinem moralem; nulla tamen ex his est certitudo moralis rigorosa, quæ nunquam inuenitur cum falsitate, licèt sit cum potentia physica ad illam.

318 *Obiectionis solutio.* Ex his ergo cōstat iam solutio argumenti propositi negando sequelam: in exemplis enim adductis non inuenitur certitudo moralis rigorosa, & propria, sed alia imperfecta non excludēs prudentem formidinem de veritate obiecti, prout prærequireretur ad imperandum assensum fidei circa illa obiecta. Si autem petatur ratio, cur maior, & magis propria certitudo moralis prærequiratur ad operandum in materia fidei, quam in aliis, reddi potest breuiter ex iis, quæ inferius dicemus agentes de euidentia credibilitatis prærequisita ad assensum fidei. Quia nimirum assensus fidei ex imperio voluntatis, & piæ affectionis elicitur talis, & tam firmus, vt excludat omnem prorsus formidinem circa suum obiectum: non posset autem voluntas prudenter imperare talem assensum excludentē omnem formidinem quando circa obiectum illud posset intellectus prudēter formidare; imprudenter enim prohiberetur formidare, vbi prudenter formidare posset: ergo vt voluntas possit prudenter imperare assensum talem excludentem omnem formidinem, debet obiectum proponi tale, vt de eo non possit prudenter formidari Quod in aliis exēplis adductis non inuenitur: qui enim adorat hostiam consecratam, non prohibetur formidare, & dicere, fortasse non est consecrata, sicut aliàs in circumstantiis similibus accidit: quod idem est circa baptismum, ordinationem, & alia, circa quæ non debemus prohibere omnem formidinem, nec formido sola sine dubio obligat, vel sufficit ad reiteranda hæc Sacramenta etiam sub conditione.

319 *Cur dubium solum, & non formido sufficiat ad reiteranda Sacramēta Baptismi, Ordinis, &c.* Cur autem dubium solum, & non formido noceat ad practicè operandum in exemplis adductis, singillatim explicare possumus. Et in primis de iudice proferente sententiam ex testimonio duorum testium, licèt non habeat certitudinem moralem perfectam, ratio reddi potest: quia cum iudicia ad bonum commune ordinentur, id solum, attendendum est, quod ad eum finem magis conducit. Certum est autem, melius esse ad bonum commune, quod ea probatio habeatur vt sufficiens, quàm vt delicta maneant impunita, vel bona fortunæ à propriis dominis auferantur. Cùm enim ferè numquam obtineri posset certitudo moralis omninò perfecta de delicto commisso, vel de vero iure circa bona fortunæ, expediens fuit ad mala grauiora vitanda acceptare eiusmodi probationem pro plena, & humana certitudine, quæ licèt aliquando falsitati subiaceat, minus tamen malum, & rarius inde sequitur, quàm si perfecta certitudo exigeretur. Illa tamē solum est, vt diximus, certitudo quædam humana iudicialis, id est quanta in iudice desideratur, vt habeat rem pro certa in ordine ad sententiam proferendam.

De hostia verò consecrata, cur adoretur absolutè, non obstante formidine, quæ esse potest de eius consecratione valida, ratio esse potest, quia nemo sine sufficienti fundamento priuandus est cultu sibi debito; id enim in maius ipsius detrimentum cederet, si numquam aliquis honorandus esset, nisi ab iis, qui nec formidare possunt, an honor debeatur: hinc enim fieret, vt non nisi rarissimè honorarentur, atque adeò maiori ex parte honore sibi debito fraudarentur; sufficit ergo ad debitum colendi Christum in Eucharistia, iudicium illud prudens excludens omnem prudentem dubitationem, licèt nōn omnem formidinem: si enim id non sufficerēt, nunquam Christus in Eucharistia coleretur. Sicut ergo patet tenetur prouidere suis filiis, eosque diligit, & bonum illis procurat, licèt prudenter formidare possit, ne fortè sint sui, sed alieni, quod frequentius contingit, quam deceptio in cōsecratione hostiæ, & idem est in aliis præceptis: sic est obligano Christum in Eucharistia colendi: cur autem non sit adorandus ibi communiter sub conditione, sed absolutè, quando non est peculiaris ratio dubitandi, dixi *disp.37.de Incarnatione sect.4.*

Quod verò attinet ad obligationem, vel etiam licentiam repetendi Baptismum, vel ordinationem sub conditione propter formidinem illam, quæ communiter esse potest, non est certè talis obligatio, nec vtilis esset, cum postquam sæpius repeteretur, manēre semper posset formido, atque ideo perseueraret eadem obligatio. Rationem autem reddidi *disp.7.de Pœnitentia sect.13.n.169. & sequentib.* quia præcepta positiua non obligant ad exquisitam, & Metaphysicam diligentiam, essent enim intolerabilia, sed ad humanam, & moralem. Vnde nec præceptum contritionis obligat ad reiterandum iterum, & sæpius actum contritionis, licèt semper formidare quis possit, an veram contritionem habuerit. Non est ergo obligatio reiterandi eiusmodi sacramenta sub conditione propter solam illam formidinem communem, quandiu non possumus de eorum valore prudenter dubitare: quod multò magis procedit in consecratione hostiæ, cùm minus periculum sit, etiāsi de facto hæc hostia consecrata verè non fuisset, quam si baptismus vel ordinatio Sacerdotis ob aliquem defectum occultum, vero valore caruissent. Adde, non solum non esse obligationem, sed nec posse licitè reiterari eiusmodi sacramenta ob solam illam generalem formidinem, quia id cederet in eorumdem sacramentorum irreuerentiam; quæ cùm sint actiones sacratissimæ, non debent fieri sine spe conferendi suum effectum, quam spem habere non potest, qui baptizat infantem v.g. iam baptizatum, & de cuius baptismi valore nemo prudenter dubitare potest. Multò autem plus præponderat, ne actiones illæ sacrosanctæ ridiculæ fiant, dum quotidie idem homo rebaptizaretur,

zaretur, vel ordinaretur sub conditione, quàm quod maneat formido illa absque dubitatione tamen prudenti, præsertim cùm etiam post reiterationem sacramenti repetitam adhuc formido ablata non esset. Quæ quidem formido non sufficit ad reddendum valorem dubium, nec ad fundandam probabilitatem de inualiditate sacramenti: nam licèt probabile, imò certum moraliter sit in genere loquendo, aliquos in tanta multitudine baptizari inualidè, & aliquas hostias proponi adorandas, quæ non sunt consecratæ, id tamen nõ sufficit, vt probabile sit, aut dubium, an hæc hostia non sit consecrata, vel hic infans non sit validè baptizatus, vt notaui *disput. 16. de Pœnitentia sect. 15. num 608.* sicut licet in genere certum sit, aliquos mori subitò, non est tamen periculum mortale de hoc homine in particulari, qui bene omnino valet, quod hac nocte morietur subitò, & ideò non tenetur confiteri, licèt sit in statu peccati; sicut etiam non est dubia res, quæ hic & nunc per tres testes fide dignos probata est, licèt aliquando in iis casibus falsitas reperiatur. Ex quibus iam patet discrimen inter illa omnia exempla, in quibus formido remanens non nocet ad praxim, & inter actum fidei, qui quoniam ex sua essentia debet omnem formidinem expellere, non potest prudenter imperari, quoties formidare aliquis prudenter possit, & ideò prærequiritur certitudo moralis propria, quod Deus de hoc singulari in vniuersali reuelata loquutus fuerit.

322 Hinc iam inferre possumus, quid dicendum sit ad secundam partem dubij propositi in titulo huius §. quando probabile est, Deum loquutum fuisse de hoc singulari in vniuersali reuelata, an possimus hoc obiectum de fide credere. Videtur enim posse, nam sæpe Theologi quærunt de aliquibus conclusionibus, an sint de fide & alij probabiliter affirmant, alij probabiliter negant: illi autem, qui affirmant, absolutè docent, illud esse de fide, & per consequens posse, & debere per fidem credi: & tamen probabile solùm est, quod Deus illud obiectum reuelauerit, cùm aliorum sententia probabilis etiam sit, quæ negat, illud obiectum pertinere ad fidem, vel esse à Deo reuelatum; ergo supponunt, posse pertinere ad fidem id, cuius reuelatio solùm probabiliter constat.

323 Cæterùm iuxta supradicta distinguendum est: aliud enim est, illud obiectum secundùm se, & in abstracto esse de fide & esse à Deo reuelatum; aliud verò esse nobis de fide, seu posse, aut debere à nobis per fidem credi. Illud primum solùm affirmant qui dicunt tale obiectum esse de fide, vel esse reuelatum à Deo: cùm enim omne reuelatum à Deo pertineat ad obiectum materiale fidei, sicut probabile est obiectum illud reuelatũ esse à Deo, ita probabile etiam est, pertinere ad fidem. Quia tamen, vt aliquid possit à nobis hic, & nunc per fidem credi, necesse est, quod de reuelatione non possimus prudenter formidare, prout possumus formidare prudenter, quoties probabile est, non esse à Deo reuelarum; hinc etiam est, eos, qui probabiliter docent, aliquid esse de fide, solùm loqui *per se*, & quantum est ex parte obiecti reuelati; non tamen negant, quod supposita proposita probabilitate sententiæ contrariæ, & per accidens, fides hîc & nunc non possit extendi ad illud obiectum, quia per accidens propter probabilitatem contrariam non potest prudenter prohiberi omnis formido circa talem reuelationem. Sicut etiã quando disputant de obligatione aliorum præceptorum, & aliqui probabiliter affirmant obligationem, v.g. restituendi in aliquo casu, & alij probabiliter negant; illi, qui affirmant, intelliguntur solùm posse loquendo, & quantum est ex parte obiecti, non tamen volunt, quod etiam supposita probabilitate sententiæ contrariæ, sit obligatio restituendi, hoc enim esset manifestè falsum, & iam eorum sententia non esset probabilis, sed fatentur, quod licet per se loquendo esset talis obligatio per accidens tamen propter probabilitatem contrariæ sententiæ, cessat hîc & nunc obligatio restituendi. Similiter ergo intelliguntur, quando probabiliter affirmant, aliquid esse de fide, vt non velint, quod saltem per accidens propter probabilitatem contrariam, non debeat impediri assensus fidei circa tale obiectum, cùm non possit prudenter cohiberi, tunc omnis formido circa talem reuelationem.

Porrò non posse tale obiectum per fidem credi, colligi videtur omnino ex Tridentino *sess. 6. c. 9.* vbi negatur posse aliquem de fide credere, se esse in statu gratiæ, his verbis. *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; sic quilibet dum se ipsum, suamque infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Ex quibus verbis colligi videtur, non sufficere probabilitatem reuelationis vniuersalis applicare ad aliquod singulare, vt illud singulare fide credi possit: negati enim non potest, aliquos iustos habere posse, communiter loquendo, probabilitatem magnam de sua gratia, & quod Sacramenta cum debita dispositione susceperint: & tamen ij, sine speciali reuelatione, non possunt credere de fide, se esse in statu gratiæ, sed possunt, & debent prudenter formidare de suo statu, ergo reuelatio vniuersalis, quod omnes verè contriti, & confessi accipiant gratiam, non sufficit, vt stante sola probabilitate de propria contritione, & dispositione debita, possit aliquis fide credere, se comprehensum fuisse reuelatione illa vniuersali. Vbi simul vides, quomodo Concilium ex eo, quod quilibet prudenter formidare potest circa propriam iustificationem, inferat, eam non posse fide diuina credi; quæ est ratio à nobis adducta.

324 *Nemo potest de fide credere se esse in statu gratiæ.*

§. V.

Infertur ex dictis, quomodo sit de fide hunc esse verum, & legitimum Papam.

325 QVæstio hæc licèt grauis sit, & latè soleat ab aliquibus disputari: quia tamen fere tota eius resolutio pendet ex doctrina proximè tradita non videtur ad alium locum differenda, sed definienda hîc obiter ex dictis. Procedit autem de Pontifice indubitato, & vt tali ab Ecclesia recepto: quandiu enim dubitatur cum fundamento de validitate electionis, certum est, non esse de fide quod hic homo sit verus Papa. Pro sententia ergo negante, id esse de fide afferuntur à P. Suario *disp. 10. de fide sect. 5. n. 2.* Turrecremata, Albertinus, Caietanus, Bañes. Cano, Vega, Corduba, Castro, & alij. Quia nimirum Deus nunquam reuelauit, hunc hominem esse verum Papam, neque videtur esse de fide, quod sit baptizatus,

Sententia negans.

zatus, prout deberet esse, vt sit capax Pontificatus, nec denique de eius valida electione haberi potest moralis certitudo magis, quàm de valido baptismo aliorum hominum, vel de consecratione valida huius hostiæ, quæ idcirco diximus §. præcedenti non esse de fide.

326 *Sententia affirmans.* Contrariam sententiam docent nostri Doctores Recentiores communiter. Suarez *disp. 5. de fide sect. 8. n. 12.* & latius *dicta disp. 10. sect. 5.* Salmeron, Valentia, & Albertinus ex nostra Societate in suis Corollariis, quos affert idem Suarez *dicta sect. 8. num. 12.* & latiùs Hurtado *disp. 37. per totam*: quam ego etiam sententiam veram existimo: & supponi videtur in decreto Martini Quinti, quod factum fuit in Concilio Constantiensi, vbi ab Hæreticis, qui reconliationem petebant, exigitur, vt inter alia, quorum fidem profiteri debent, dicant, se credere, Papam canonicè electum nempe N. qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso, esse successorem Petri, & habere supremam potestatem in Ecclesia.

327 Ratione etiam, aliis argumentis omissis, quæ afferri solent, probari breuiter potest ex supradictis, quia hoc etiam obiectum singulare contineri videtur in vniuersalibus propositionibus à Deo reuelatis: nam ex Dei reuelatione constat, Ecclesiam non posse decipi in credendo vniuersaliter aliquo errore, cùm sit *Columna & firmamentum veritatis.* 1. ad Timoth. 2. in qua Ecclesiæ vniuersalis infallibilitate non minùs contineri videtur quod non possit Ecclesia errare in agnoscenda vera regula visibili suæ fidei, quàm in rebus aliis credendis per fidem: plus enim Ecclesiæ noceret error circa ipsam regulam veritatis, & fidei, quàm circa alia obiecta particularia, cum esset error in ipso fidei fundamento, cum ergo regula visibilis, quam Ecclesia in sua fide sequitur, & sequi omnino debet, sit eius visibile caput, nempe summus Pontifex, cuius doctrinam, & definitiones amplecti debet, non potest Ecclesia decipi acceptando pro Pontifice, & regula fidei eum qui verè non esset Pontifex nec fidei regula, sed Pseudopapa, & homo priuatus.

Ecclesia non potest decipi acceptando pro Pontifice eum qui non est verè Pontifex.

328 Confirmatur primò, quia debemus fide credere omnia definita in Concilio Tridentino, v. g. & in aliis Conciliis generalibus legitimis: ergo debemus fide credere, illud esse legitimum Concilium; sicut quia debemus fide credere omnia contenta in Euangelio Marci, debemus etiam fide credere illud esse verum & Canonicum Euangelium, si enim possemus prudenter dubitare, vel formidare de legitimitate Concilij, possemus etiã dubitare, vel formidare de eius definitionibus. Cùm ergo valor Concilij dependeat ex consensu, & approbatione veri summi Pontificis, sine qua non habet auctoritatem infallibilem, consequens est, vt eadem fide credi debeat verus Pontifex, à quo Concilium legitimam habet auctoritatem, & valorem.

329 Confirmatur secundò, & explicatur, quia sicut debemus fide credere, quæ Pontifex Summus ab Ecclesia vniuersali receptus definit, & proponit, ita debemus credere absque formidine, eum esse verum Pontificem: nam vel possumus prudenter de hoc formidare, vel non possumus: si possumus, ergo non possumus credere fide diuina, quæ ipse definit: nam quoties possumus prudenter formidare de auctoritate Pontificis definientis, nõ possumus ab eius definitione moueri prudenter ad cohibendam omnem formidinem circa rem definitam. Si verò non possumus prudenter formidare circa validitatem Pontificatus; ergo possumus fide diuina credere, hunc esse verum Pontificem: nam vt vidimus §. *præcedenti*, quoties non possumus prudenter formidare, an hoc individuum contineatur in vniuersali reuelata, possumus fide diuina credere, quod Deus de illo loquutus fuerit: cùm ergo de fide sit, omnes Petri successores esse veros summos Pontifices, & aliunde non possimus prudenter formidare, an hic homo legitimè electus sit in Petri successorem; consequens est, vt fide etiam credere possimus, hunc esse verum Pontificem, & de hoc etiam Christum loquutum, quando summis Pontificibus suam auctoritatem & infallibilem assistentiam promisit. Responsiones aliquas his argumentis ab aliquibus allatas, & earum impugnationes videre poteris apud Hurtadum loco citato.

Hinc autem ad argumenta primæ sententiæ facilè responderi potest. Dicimus enim, reuelatum esse à Deo, hunc numero hominem, sanctissimum scilicet Dominum nostrum Vrbanum Octauum esse summum Pontificem, reuelatione vniuersali, qua reuelauit, Ecclesiam non erraturam; ibi enim continetur, non errare in agnoscendo hoc individuo pro vero capite, & regula visibili fidei catholicæ: in quo grauiùs, & periculosiùs erraret, quàm circa aliquod obiectum fidei particulare, quod non esset fundamentum aliorum, sicut regula visibilis est fundamentum doctrinæ fidei, & Ecclesiæ, quæ ideo super Petrum, & eius successores fundata dicitur. Eo autem ipso, quod reuelatum sit, hunc esse verum Pontificem, reuelatur etiam eum esse baptizatum, saltem implicitè. Si enim velis, baptismum includi tanquam partem in veritate Pontificatus, erit etiam de fide, ipse baptismus, quia immediatè reuelatus erit, licèt confusè tanquam pars in suo toto. Si autem velis, baptismum ipsum non includi formaliter in veritate Pontificatus, sed præterquiri essentialiter, tanquam dispositionem necessariam, vt Deus conferat potestatem Pontificiam huic homini, tunc erit magis implicitè reuelatus, quia sequitur ex duabus de fide, nempe quod Pontifex debeat esse baptizatus, & quod hic sit verus Pontifex: quare cum §. 2. diximus, obiectum conclusionis, quæ infertur ex duabus reuelatis, posse etiam credi immediatè de fide absque discursu ex reuelatis, consequenter dicendum est, baptismum huius hominis Pontificis ab Ecclesia acceptari esse de fide. Non tamen probo, quod dixit Hurtado *disp. 11. sect. 2. §. 21.* debere nos de fide credere, Christum esse in hostia à Pontifice consecrata, quia constat esse ritè consecratam. Hoc tamen non video, in qua reuelatione vniuersali contineatur etiam implicitè, aut cur non posset Pontifex absoluere, ordinare, aut consecrare sine debita intentione, cùm inde nullus error in doctrina, aut fide redundet in Ecclesiam. Alioquin nec posset contingere, quod ex inualiditate materiæ inualidè aliquando consecraret; quod tamen nostro tempore euenisse audiuimus, vt cuidam Pontifici solemniter in Basilica sancti Petri ipso Apostoli festo celebranti aqua pro vino, errore ministrorum, data fuerit ad consecrandum calicem, quem Pontifex inculpabiliter populo adorandum proposuit: tunc enim nihil definit, aut docet, sed gerit se sicut alij Sacerdotes se gerunt in eleuatione Eucharistiæ. Denique ad id, quod vltimo loco dicebatur, quod non esset mo-

rali

ralis certitudo de valore electionis huius Pontificis magis quàm de baptismo alterius paruuli, vel consecratione alicuius hostiæ in particulari, constat id falsum esse: quia sicut non possumus prudenter formidare de legitimitate huius Concilij cuius auctoritate credimus dogmata ibi definita; ita non possumus prudenter formidare de vero Pontifice, à quo Concilium ipsum legitimitatem & auctoritatem participat, ad quam formidinem cohibendam conducunt omnia illa, quæ faciunt, ne possimus prudenter formidare de assistentia Dei erga Ecclesiam suam, ne decipiatur: quæ non conducunt, nec concurrunt, vt non possimus formidare de baptismo huius paruuli, vel de consecratione huius hostiæ, vt dictum est.

§. VI.

An habitus fidei, vel solus, vel cum alijs, concurrat immediatè ad assensum conclusionis Theologicæ.

331 HVc vsque diximus de actibus, & de differētia ex parte obiecti inter actus fidei (& assensus Theologicos: nūc facilius erit dicere de habitu, an habitus Theologiæ distinguatur adæquatè, vel inadæquatè ab habitu fidei. In quo diuisi sunt Auctores; aliqui enim absolutè dicunt, habitū Theologiæ non distingui ab habitu fidei: ita Scotus, & Ochamus, quos affert Hurtado *disp.* 10. *sect.* 1. §. 2. & alij, quos tacito nomine refert Coninch. *disp.* 4. *de supernaturalitate actuum dub.* 6. *n.* 119. Et *num.* 104. affert Aureolum *q.* 1. *prologi*, *ar.* 2. §. *In processu verò* 2. & probari potest, quia non debent sine necessitate multiplicari habitus, quæ nulla est addēdi habitum Theologiæ distinctum, ad assensus Theologicos: nam vel conclusio illa infertur ex vtraque præmissa reuelata, & tunc eius obiectum pertinet ad fidem, vt suprà vidimus, & sufficit habitus fidei, nam quilibet habitus extenditur ad omnia obiecta materialia, quæ possunt attingi propter suum obiectum formale, v.g. charitas sufficit ad omnia obiecta materialia, quæcunque sint, quæ propter Deum amantur, & habitus misericordiæ sufficit ad omnia media, quæ eligi possunt ad subleuandum proximum, quæ sunt quasi quædam conclusiones, quas voluntas infert ex intentione finis: ergo similiter habitus attingens veritatem principiorum, propter quæ assentimur conclusioni, sufficiet ad assensum cuiuslibet conclusionis ex illis præmissis illatæ: cùm ergo conclusio Theologica in eo casu deducatur ex solis præmissis reuelatis, quibus fides assentitur, habitus idem fidei sufficiet ad assensum eiusdem conclusionis quæcunque sit.

Sententia non distinguens habitū fidei ab habitu Theologiæ.

332 Si verò conclusio Theologica infertur ex vna præmissa reuelata, & altera naturali, sufficiet etiam habitus fidei cum habitu naturali, qui versatur circa præmissam illam naturalem ad eliciendum assensum circa conclusionem, v.g. si ex vna præmissa de fide, & altera pertinente ad medicinam infertur conclusio Theologica, habitus fidei, & habitus Medicinæ sufficient ad assensum illius conclusionis. Nam sicut habitus fidei sufficit, quando vtraque præmissa pertinet ad fidem: ita habitus fidei, & Medicinæ simul sufficient, quando altera præmissa pertinet ad fidem; & altera ad Medicinam. Vterque enim habitus simul attingit sufficienter totum obiectum formale, quod mouet ad assensum illius conclusionis, atque ideo non erit necessarius alius tertius habitus superadditus. Sicut quādo eligeretur aliquod medium propter finem charitatis, & propter finem temperantiæ, non est necessarius alius tertius habitus virtutis ad eligendum medium propter motiuum vtriusque virtutis, sed sufficient habitus charitatis, & habitus temperantiæ concurrentes simul ad electionem illius medij.

333 Alij tamen communiter ponūt habitum Theologiæ distinctum ab habitu fidei. Quam sententiam videtur supponere S. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 1. & 2. & pro eadem afferuntur Gregorius, Maior, Gabriel, Capreolus, Caietanus, & alij, quos affert Suarez *in præsenti disp.* 3. *sect.* 11. *num.* 3. & eandem tenet Coninch. *vbi suprà n.* 119. & alij quos affert Hurtado *disp.* 12. *sect.* 1. §. 4. & probari potest ex suprà dictis, quia diuersum est obiectum formale fidei, & Theologiæ, saltem ex parte, & diuersitas illa refundit valde diuersum modum assentiendi, cùm assensus Theologicus non credat obiectum suum soli Deo, atque ideo nec summa firmitate, & supra omnia, sicut credit fides: non est ergo idem, sed diuersus habitus fidei, & Theologiæ. Arguit etiam Coninch. *loco citato*, quia ex oppositā sententia sequitur, qui maiorem fidem haberet, esse etiam maiorem Theologum, quod est manifestè contra experientiam. Hoc tamen argumentum probaret etiam, habitum ipsum fidei debere multiplicari pro multitudine veritatum, quas credimus, quia alioquin qui maiorem fidem haberet, plures veritates reuelatas per fidem cognosceret; quod tamen est etiam contra experientiam: plura enim reuelata cognoscit Theologus, & credit explicitè per fidem, quàm rusticus, licèt hic plerumque maiorem fidem habeat, quàm Theologus. Vtrobique ergo dici debet, habitum solùm non sufficere sine speciebus obiectorum; quare licèt fides sit maior in rustico, quàm in Theologo; pauciora tamen, & minùs distinctè cognoscit propter defectum specierum, quas plures, & meliores habet Theologus. Sic ergo propter eumdem defectum specierum habitus Theologicus, qui idem esset cum habitu fidei, non operaretur assensus Theologicos, licèt esset habitus maior, quàm in Theologo: imò appellatio Theologi non tribuitur habenti solùm habitum infusum, nisi habeat etiam species ad operandum circa obiecta Theologiæ: sicut nec apellatur temperans, aut misericors in communi appellatione infans, aut etiam adultus, licèt cum habitu gratiæ habeat etiam habitus infusos harum virtutum, quarum tamen actus nunquam exercuit.

Sententia ponens habitū Theologiæ distinctum ab habitu fidei.

334 Meliùs argui posset pro hac sententia ex prudentia infusa, quam Theologi communiter ponunt virtutem distinctam à fide, cum eam numerent inter virtutes morales, & fidē inter Theologicas, seu Theologales: & tamen actus prudentiæ infusæ nihil aliud videntur esse, quàm conclusiones practicæ deductæ ex principiis fidei. Suppono enim ex infra dicendis cum communi Theologorum, actus supernaturales virtutum, quibus meremur vitam æternam, procedere debere ex fide, tanquam ex prima radice, & fonte totius meriti supernaturalis; quod non aliter fit, nisi quatenus fides deseruit saltem mediatè ad proponendum vel honestatem obiecti, vel motiuum, quod practicè applicatur postea ad hoc opus in particulari per prudentiam, quæ ex eo, v. g. quod fides

docet

docet, bonam esse misericordiam, & eius opera adiuncta cognitione naturali de circumstantiis indiuidualibus, quæ faciunt, hoc esse opus misericordiæ, infert, bonum esse hoc operari: vel certè, quia bonum est operari id, quod apparet exteriùs esse opus misericordiæ, quàm fides approbat, & commendat, & hoc opus exteriùs apparet misericordiæ, infert, bonum esse hoc operari: quæ est conclusio Theologica, cùm procedat ex vna saltem præmissa de fide per discursum: cùm ergo hic actus pertineat ad prudentiam infusam, quæ ponitur distincta virtus à fide, consequens est, vt Theologiæ etiam habitus distinguatur à fide, cùm eadem sit ratio de illo, ac de habitu prudentiæ.

Tertia sententia.

Alij denique distinguunt, & dicunt, quando conclusio deducitur ex duabus reuelatis, concurrere solùm habitum fidei; quando verò ex altera reuelata, & altera vel Philosophica, vel peregrina, dari habitum Theologiæ distinctum, ita Hurtado *disp.* 10. *sect.* 2. §. 37. Quod consequenter docet ad sententiam suam, quam suprà retulimus, & impugnauimus, quâ docet, conclusionem deductam ex duplici præmissa reuelata non esse assensum Theologicum, sed credi de fide, sicut alios articulos fidei.

335

Theologia distinguitur inadæquatè ab habitu fidei, vt includens ab incluso.

Ego aliter distinguendum puto, & dicendum, Theologiam distingui inadæquatè ab habitu fidei, vt includens ab incluso: quæ enim concurrunt ad assensum conclusionis Theologicæ includunt habitum fidei, & addunt aliquid aliud: quare vtraque sententia, & distinguens, & non distinguens Theologicum habitum ab habitu fidei in aliquo sensu vera est. Pro cuius explicatione ex dictis in superioribus obseruandum erit quale sit obiectum assensus cõclusionis Theologicæ; in eo enim inuenitur & obiectum formale & materiale; & quidem obiectum materiale, v.g. risibilitas Christi non est reuelata. Rursus obiectum formale proximum est humanitas Christi, cuius assensus vltimò resoluitur in auctoritatem Dei reuelantis: est etiam connexio risibilitatis cum natura humana, cuius assensus resoluitur in principia Philosophica, vel experientiam. Denique diximus, pertinere etiam aliquo modo ad integrandum motiuum formale bonitatem ipsam illationis, seu continentiam obiecti conclusionis in obiectis præmissarum, quæ non creditur propter reuelationem, sed apparet ex terminis, & in seipsa. Diximus etiam in superioribus, assensum conclusionis intrinsecè terminari ad obiecta præmissarum saltem in confuso, nec posse tendere in obiectum solum materiale, quin tendat simul in motiuum, cùm in ipso obiecto materiali secundùm se non possit inuenire veritatem, in qua vltimò sistat.

336

Vnde constat, assensum conclusionis Theologicæ versari intrinsecè & circa obiectum materiale proximum, quod est humanitas Christi, v.g. & connexio risibilis cum homine, & rursus circa obiectum formale vltimum, nempe veracitatem Dei, & reuelationem de humanitate Christi, & motiuum etiam illud quodcumque sit, propter quod tenemus omnem hominem esse risibilem, & denique circa bonitatem illationis, seu continentiam obiecti conclusionis in obiectis præmissarum. Quo supposito, probare iam possumus priorem partem nostræ sententiæ, nempe habitum fidei concurrere ad assensum illius conclusionis: (quod semper intelligo, quando conclusio vera est, non quando esset falsa) quia nimirum habitus fidei potest concurrere ad omnes, & singulos actus, qui versantur intrinsecè circa eius obiectum formale: sed assensus illius conclusionis est simul saltem indirectè assensus obiecti formalis, & credit Christum esse hominem propter auctoritatem Dei; ergo saltem ex ea parte poterit habitus fidei concurrere ad eiusmodi assensum. Sicut in exemplo suprà adducto, si eodem actu eligimus medium propter motiuum charitatis & temperantiæ, poterit habitus charitatis simul cum habitu temperantiæ concurrere ad illum actum, quatenus versatur circa obiectum ipsius charitatis. Quod in vniuersum *infrà* probandum est *disputatione sequenti*, vbi dicemus, posse nos eodem actu credere obiectum propter motiuum adæquatum fidei, & propter medium etiam scientificum: poterit ergo habitus fidei concurrere ad assensum conclusionis, quatenus saltem actus ille versatur circa obiectum formale fidei, & circa humanitatem Christi reuelatam, respectu cuius ille etiam actus est propriè assensus fidei; ergo prout sic debet elici ab habitu fidei. Probatur consequentia; quia prout ille assensus versatur circa humanitatem Christi, propter quam assentitur risibilitati, non est assensus Theologicus, quia non infert humanitatem Christi ex aliis principiis reuelatis, sed ex sola veracitate, & reuelatione Dei: ergo prout sic est verè assensus fidei, cùm credat humanitatem Christi firmissimè, & super omnia propter motiuum fidei; ergo ex hoc capite poterit partialiter procedere ab habitu fidei, qui potest concurrere ad omnes actus, in quibus reperitur assensus obiecti reuelati propter veracitatem, & reuelationem Dei.

Habitus fidei concurrit ad assensum conclusionis Theologicæ. Probatur.

Secunda verò pars, nempe requiri aliud principium concurrens ad illum assensum, probatur, quia ille idem actus non versatur solùm circa obiectum formale & materiale fidei, sed etiam circa aliud obiectum, quod non pertinet ad fidem; Nam vel illa conclusio deducitur ex vna solum præmissa reuelata, & altera non reuelata, vel procedit ex duabus præmissis reuelatis. In primo casu constat ex dictis, actum illum versari circa aliud obiectum formale non pertinens ad fidem, nempe circa obiectum præmissæ non reuelatæ, quod etiã attingitur intrinsecè ab assensu conclusionis, vt diximus, & illud obiectum neque est reuelatum, nec creditur mediatè, vel immediatè propter reuelationem, sed vel ex terminis, vel ex principiis Philosophicis, aut Medicis, &c. Ergo prout sic nec pertinet ad fidem, sed ad alium habitum diuersum, & per consequens assensus etiam obiecti conclusionis, quatenus innititur illi alteri principio peregrino, non potest pendere ab habitu fidei solo; sed concurrente alio principio proportionato. In secundo autem casu, quando conclusio infertur ex duplici præmissa reuelata, adhuc indiget alio principio præter fidem: quia, vt vidimus §. 2. motiuum formale vltimum non est solum obiectum præmissarum, sed integratur etiam ex bonitate illationis, seu continentia obiecti conclusionis in obiecto præmissarum, quæ illatio & continentia nisi cognosceretur, non moueretur sufficienter intellectus ad assentiendum conclusioni propter illas præmissas per verum discursum, vt suppono ex ibi dictis. Hæc autem continentia non est obiectum fidei, cùm neque sit veracitas, & reuelatio Dei, quod est obiectum formale fidei, neque sit aliquid reuelatum à Deo, nec credatur propter reuelationem, sed cognoscatur

tut ex terminis in se ipsa, vel per alia argumenta, quæ non pendent à reuelatione: ergo saltem ex hoc capite requiritur aliud principium præter fidem ad assensum illius conclusionis Theologicæ. An verò illud aliud principium debeat esse aliquid supernaturale, videbimus §. *sequenti*: nunc enim solùm dicimus, fidem non concurre vt causam adæquatam, quia obiectum adæquatum illius assensus non pertinet ad solam fidem: quare habitus Theologiæ non erit aliquid simplex, sed complexum ex habitu fidei, & alio habitu influente ratione illius alterius obiecti. An verò sufficiat vnus alius habitus simplex, qui simul cum fide concurrat ad omnes conclusiones Theologicas, vel requirantur plures habitus pro varietate obiectorum Theologicorum; videbimus etiam §. *sequenti*.

338 *Soluntur argumenta.* Argumenta verò adducta pro prima & secunda sententia supra relata, quatenus contra nostram procedunt, facilè ex dictis solui possunt. Et in primis ad fundamentum primæ sententiæ, dicimus, habitum solum fidei, non sufficere ad assensum Theologicum quia præter obiectum formale fidei datur aliquid aliud non pertinens ad fidem, quod partialiter mouet formaliter ad illum assensum, nempe vel aliud principium non reuelatum, vel saltem bonitas illationis ex principiis reuelatis, quæ tamen non est reuelata: ergo requiritur aliud principium concurrens ad assensum, quatenus versatur etiam circa hoc aliud obiectum. An verò hoc principium debeat esse alius habitus infusus, an sufficiat ipse habitus naturalis, vel intellectus cum speciebus, dicemus §. sequenti. Exemplum autem de habitibus voluntatis non est simile vt ostendimus §. secundò quia actus electionis nullum aliud motiuum formale, etiam partiale, habet præter motiuum intentionis, assensus autem conclusionis Theologicæ habet aliud motiuum saltem partiale.

339 Fundamentum secundæ sententiæ probat quidem, fidem solam non sufficere, atque adeò Theologiæ habitum aliquid aliud includere; non tamen probat, habitum Theologiæ distingui adæquatè ab habitu fidei. Nam sicut obiectum assensus Theologici non differt adæquatè ab obiecto fidei, sed illud includit, & addit aliquid aliud, sic dicendum videtur de habitu, ex ea enim parte, quà assensus Theologicus respicit obiectum fidei, non indiget alio principio, sed solum quatenus respicit illud aliud obiectum, quod non pertinet ad fidem; quod tamen non est obiectum adæquatum assensus Theologici, vt vidimus. Denique ad instantiam, quæ afferebatur de prudentia infusa, constabit ex §. 8. vbi videbimus, an prudentia infusa distinguatur adæquatè ab habitu fidei, atque etiam ab habitu Theologiæ.

340 *An quando conclusio Theologica infertur ex vna præmissa reuelata, & altera non reuelata, requiratur præter habitum fidei duplex habitus.* Quæri potest, an quando conclusio Theologica infertur ex vna præmissa reuelata, & altera non reuelata, requiratur præter habitum fidei duplex habitus, alter ad illũ assensum, quatenus versatur circa præmissam non reuelatam, alter ad eundem, quatenus versatur etiam circa illationẽ: hæc enim etiam videntur obiecta valdè diuersa. Respondeo, si sermo sit de habitu acquisito, & naturali, facilè concedi posse, requiri duplicem; quia cùm habitus acquisiti in mea sententia non sint, nisi species intellectuales bene coordinatæ, & dispositæ, vt dixi in Philosophia, & alibi ex professo dicemus; non dubium, quod diuersa species concurrat ad cognoscendum principium nõ reuelatum, & diuersa ad cognoscẽdam bonitatem illationis. Loquendo verò de habitu infuso, postea §. *sequenti* videbimus, an is requiratur vltra habitum fidei. Ex suppositione autem quod requiratur, posset aliquis dicere, requiri duplicem habitum infusum. Quia habitus infusus fidei, licèt attingat obiectum formale, & materiale vtriusque præmissæ reuelatæ, adhuc non sufficit ad attingendam illationem conclusionis ex illis præmissis reuelatis, sed requiritur ad hoc alius habitus infusus: ergo eodem modo habitus infusus, qui attingeret obiectum præmissæ non reuelatę in conclusione Theologica, non sufficeret ad attingendam illationem conclusionis ex eadem præmissa non reuelata, sed ad hoc ponendus esset alius habitus infusus.

341 Probabilius tamen videtur, non requiri duos, sed sufficere vnum habitum infusum ad vtrumque. Ad quod retorqueri potest argumentum ex eodem habitu fidei, qui simul attingit veracitatem, & reuelationem Dei, quæ sunt præmissæ formales, vel virtuales ad rem reuelatam credendam; & tamen idem habitus attingit bonitatem illationis rei reuelatæ ex veracitate, & reuelatione Dei: ergo idem etiam habitus infusus, qui attingit præmissam non reuelatam poterit simul cum habitu fidei attingente præmissam reuelatam attingere illationem conclusionis Theologicæ ex præmissis. Vnde ad exemplum in contrarium adductum ex eodem habitu fidei, qui non potest solus sine alio habitu attingere illationem conclusionis ex duabus præmissis reuelatis, responderi potest, differentiam esse, quia ideo habitus fidei solus non potest illationem illam attingere, vt diximus, §. 2. quia illatio illa, est extra finem ad quem datur, & ordinatur habitus fidei, qui datur ad credendum Deo soli, illatio autem illa ordinatur ad conclusionem, quam non credimus soli Deo prout deductam per illum discursum, & ideo diximus, habitum fidei solum sufficere ad illationem mysterij reuelati ex veracitate, & reuelatione Dei, quia hæc illatio ordinatur ad credendum Deo mysterium reuelatum, imò includitur essentialiter in hoc, quod est Deo credere, & in quolibet assensu fidei diuinæ ad quem per se, & essentialiter datur habitus fidei. Quæ ratio applicari potest ad habitum Theologiæ, qui prout condistinctus ab habitu fidei, si infusus est, ordinatur ex sua natura, & essentia ad credenda, quæ ex vno vel pluribus principiis reuelatis inferuntur: cùm ergo in hoc assensu Theologico includatur essentialiter illatio conclusionis ex suis principiis, consequens est, vt habitus infusus qui ad hunc finem infunditur credendi eiusmodi conclusiones, habeat etiam vim attingendi illationem conclusionis Theologicæ ex suis principiis, quam illationem essentialiter includit credere conclusionem propter principia reuelata, vel sola, vel cum aliis, ad quam credulitatem ordinatur essentialiter habitus Theologiæ.

Habitus fidei datur ad credendum Deo soli.

342 Vrgebis tamen ex eodem exemplo habitus fidei, quia hic in tantum attingere potest ipse solus illationem mysterij reuelati ex veracitate, & reuelatione Dei, in quantum idem habitus per se etiam attingit easdem præmissas, nempe veracitatem, & reuelationem Dei; habitus verò ille infusus, qui additur fidei ad assensum conclusionis Theologicæ, non attingit per se præmissam, vel præmissas reuelatas; has enim prout includuntur in conclusione Theologica, attingit formaliter.

maliter habitus fidei, & ideo diximus habitum fidei debere cõcurrere etiam immediatè ad assensum conclusionis Theologicæ, quatenus ille assensus est etiam assensus præmissæ reuelatæ; ergo licèt habitus ille alius Theologicus per se attingat alteram præmissam non reuelatam, & illationem conclusionis, provt ex illa præmissa partialiter infertur; non poterit per se attingere illationem conclusionis ex præmissa reuelata, ad quam attingendam habitus ille non datur. Aliunde cùm habitus fidei non attingat per se illationem conclusionis ex præmissa reuelata, quia hæc illatio est extra finem fidei, oportebit dare alium habitum, qui ordinetur ad attingendam hanc illationem, præter habitum, qui attingit præmissam non reuelatam.

343 Responderi tamen potest ex dictis negando necessitatem multiplicandi alium habitum ex hoc capite, quia totum hoc continetur intra finem illius habitus Theologici, qui si infusus est, non infunditur certè ad hoc præcisè, vt assentiamur præmissæ non reuelatæ, sed ad credenda, quę inferuntur totaliter, vel partialiter ex reuelatis & quia ad hoc necesse est attingere præmissam non reuelatam, ideo datur etiam vt illam attingat, & propter illam credatur conclusio: cùm vero ad hunc finem necesse etiam sit attingere conclusionis illationem ex vtraque præmissa, ad hunc etiam finem debuit ordinari. Itaque sicut habitus fidei datur ad credendum soli Deo, & ideo per se potest attingere totum, quod includit assensus mysterij reuelati propter auctoritatem Dei, atque adeo per se attingit, & præmissas, nempe veritatem, & reuelationem Dei, & illationem etiam mysterij ex illis: sic ille alius habitus Theologicus datur ad credenda, quæ inferuntur ex reuelatis, & vt concurrens simul cum habitu fidei, attingat per se totum id, quod non potest per se attingere habitus fidei, & vt in ordine ad illum finem suppleat totum, quod deficit habitui fidei. Si ergo habitus fidei per se non posset attingere illationem conclusionis ex reuelatis, ad hoc etiam extenditur per se ille alius habitus, cùm hæc etiam attingentia contineatur intra finem ad quem infunditur, & hæc attingentia necessaria sit essentialiter ad assensum conclusionis propter præmissam reuelatam. Quæ omnia dicta sunt sub conditione, si habitus ille sit infusus, de quo nunc absolutè dicendum est.

Habitus Theologicus ad quid datur.

§. VII.

Qualis sit hic habitus Theologiæ, an naturalis, vel supernaturalis, an vnus, vel multiplex.

344 Diximus, habitum Theologiæ includere habitum fidei, & addere aliquid aliud: quâ ergo parte includit habitum fidei, non est dubiũ, quod sit supernaturalis, supponimus enim ex infradicendis, fidem esse habitũm supernaturalem, & infusum, quare saltem ex ea parte non manet vera & propria Theologia in hæretico, in quo non manet habitus fidei, nec habet assensus proprios Theologicos, sed alios similes imperfectos, de quo dicemus *infrà*, vbi etiam videbimus, an maneat in hæretico, vel etiam in peccatore ille alius habitus infusus, si quis est, qui cum habitu fidei complet habitum integrum Theologiæ. Nunc ergo quæstio est, an præter habitum fidei Theologia includat alium habitum infusum supernaturalem, an verò solùm habitum acquisitum, & naturalem.

Prima sententia in vniuersum dicit, habitum Theologiæ esse supernaturalem. Hanc tenent ij, quos tacito nomine citat Turrianus *disp. 44. de fide dub. 2. paulò ante finem*, quibus fauent Molina *1. p. q. 1. art. 2. disp. 1.* & Fonseca *6. Metaph. cap. 1. quæst. 6. sect. 8.* qui dicunt assensum conclusionis Theologicæ esse supernaturalem, & habitum illi correspondentem esse etiam supernaturalem, quem tamen dicunt non esse infusum, sed acquisitum: in quo inconsequentiæ eos arguit Suar *disp. 3. sect. 11. num. 8.* Absolutè autem habitum illum esse supernaturalem in substantia, docet etiam Herœus *quodlib. 5. quæst. 19.* quem & alios affert Coninch, *dicta disp. 4. de actibus supernaturalibus dub. 6. n. 104.* Prima sententia.

Secunda sententia absolutè dicit, habitum Theologiæ esse acquisitum, & naturalẽ. Ita Vasq. *1. p. disp. 1. n. 9.* Turrianus *loco citato*, Coninch. *vbi supra num. 118.* Hurtado etiam *disp. 12. sect. 1.* Licèt §. 17. quæstionem hanc indecisam reliquerit, sed tamen §. 4. approbasse videtur eos, qui habitum Theologiæ acquisitum esse dicebant. Denique idem tenet P. Granado *1. p. in proœmialibus Theologiæ disp. 5 sect. 4.* & Suarez *dicta sect. 11. n. 8.* & alij multi. Secunda sententia.

Pro resolutione suppono ex *Tract. de gratia* habitus infusos in statu viæ dari à Deo vt per actus proportionatos operemur, & promereamur beatitudinem supernaturalem, ad quam sumus ordinati, & mereamur etiam de congruo iustificationem per gratiam iustificantem, & de condigno eiusdem gratiæ augmentum, quæ est semen gloriæ supernaturalis: quare non sunt alij habitus infusi concedendi præter eos, qui ad hunc finem deseruire possunt, quales sunt habitus virtutum Theologicarum, & moralium per quarum actus mereri possumus: in intellectu autem ponitur habitus infusus fidei, qui deseruit ad actus fidei; constat enim fidem esse habitum infusum ad credendum Deo, & actus fidei esse supernaturales, imò esse principium omnium actuũ supernaturalium voluntatis; ponitur etiam in intellectu habitus prudentiæ infusæ, cuius actus fundantur etiam in fide, & deseruiunt ad prædictos actus voluntatis supernaturales eliciendos; est enim connaturale, vt volitionem supernaturalem præcedat cognitio etiam eiusdem ordinis, & supernaturalis; cùm appetitus elicitus oriatur ex cognitione sibi proportionata, sicut potentia appetitiua debetur principio cognoscitiuo eiusdem ordinis. 345

Hoc supposito dico, licèt omnes assensus conclusionis propriè Theologicæ sint supernaturales, non tamen ad omnes requiri habitum infusum distinctum ab habitu fidei, sed ad aliquos. Prima pars huius assertionis constat ex supradictis §. *præcedenti*, vbi diximus, eiusmodi assensum conclusionis Theologicæ esse propriè actum fidei, quatenus versatur circa obiectum præmissæ reuelatæ, & illud credit propter auctoritatem diuinam, atque ideo debere hoc saltem titulo concurrere habitum fidei ad illum assensum, & per consequens assensus ille supernaturalis erit saltem quatenus versatur circa obiectum fidei, quod debito modo credit. Non tamen erit supernaturalis, quando non procedit ab habitu fidei, 346 Assertio.

eo

eo quod non seruat debitum motiuum; vel modum credendi, vt contingit in hæretico: vel quando ratione præmissæ alterius falsæ, vel ex alio capite conclusio est falsa, tunc enim non concurreret habitus fidei ad illum assensum, sed fiet assensus naturalis: quod idem erit, quando in assensu illo fuerit alia imperfectio, cui repugnet supernaturalitas intrinseca, quoad substantiam.

348 Conclusiones non deducti possunt ex principio reuelato, aliæ possunt deseruire ad bene operandum, aliæ non. Nunc iam explico, & probo secundam & tertiam partem eiusdem assertionis. Pro quo aduerto conclusiones, quæ deduci possunt, ex principio reuelato, aliquas posse deseruire ad bene operandum, & excitare affectum bonum, & meritorium in voluntate; alias verò inutiles esse ad hunc finem, v. g. si ex propositione reuelata in Scriptura, quod Salomon habebat multos equos, & ex alia præmissa Philosophica, quod omnis equus est hinnibilis, inferatur, equos Salomonis fuisse hinnibiles; hæc certè conclusio, licèt Theologica sit, nihil deseruit ad actum voluntatis meritorium, cum nihil proponat, honestè amandum, nec aliquod obiectum, circa quod excitetur affectus pius, & honestus voluntatis. Aliæ tamè sunt conclusiones Theologicæ vtiles ad eum finem, v. g. si ex vniuersali reuelata, quod bonum est, subuenire indigenti, vel corrigere peccantem, videns hîc, & nunc proximum indigentem, vel peccantem inferas per discursum, bonum esse hîc, & nunc ei subuenire, vel eum corrigere; conclusionis illius assensus vtilis est ad voluntatem bonam proximo subueniendi, eumve corrigendi. Item si ex vniuersali reuelata, quod omnia mala pœnæ veniant ex prouidentia Dei, aliquis per discursum inferat, hoc malum venire ex Dei prouidentia, hic assensus mouet ad illud patienter sustinendum, & sic de aliis. Quâ differentia suppositâ, dicimus, primum genus conclusionis non indigere alio habitu infuso concurrente præter fidem, secundum verò genus indigere; saltem si vltimo & proximè moueat ad pium affectum.

349 Conclusiones ex principio reuelato vtiles ad bene operandum non indigent habitu infuso præter fidem. Ratio differentiæ sumitur ex proximè dictis, quia nimirum præter actus fidei, ad eos solos actus cognoscendi, debemus dare principium supernaturale, qui conducunt ad salutem proponendo obiectum voluntatis pium, & meritoriæ: illa autem conclusio, quatenus versatur circa hinnibilitatem, v.g. equorum Salomonis, nullum tale obiectum voluntati proponit, ergo ad illum assensum, quatenus præcisè affirmat talem hinnibilitatem, eamque infert ex præmissis, non est ponendus habitus infusus, qui in eam specialiter influat. Dixi, *quatenus præcisè versatur circa hinnibilitatem & eam infert*, quia quatenus ille assensus terminatur ad obiectum reuelatum, & ad motiuum fidei, petit formaliter principium supernaturale, cùm sub ea ratione sit propriè actus fidei, & iam sub ea ratione habet suum principium supernaturale, nempe habitum fidei, qui ad illum immediatè concurrit, vt diximus. Cæterùm, quatenus versatur circa hinnibilitatem omnis equi, & circa hinnibilitatem equorum Salomonis: non indiget principio supernaturali, cùm sub ea ratione versetur circa obiectum prophanum, & impertinens ad effectum voluntatis pium, & meritorium.

350 Conclusiones ex principio reuelato vtiles ad bene operandum indigent habitu infuso. Aliter dicendum est, de conclusionibus Theologicis, quæ versantur circa obiectum pium, & proponunt aliquid immediatè conducens ad actum honestum: ij enim actus videntur exigere habitum infusum etiam sub ea ratione; & hunc credo esse habitum prudentiæ infusæ, media quâ habitus fidei deseruit communiter ad actus meritorios virtutum moralium. Nam horum obiecta in particulari non proponuntur communiter per solam fidem, sed accedente prudentia, quæ dictat hîc, & nunc esse dandam eleemosynam, v. g. audiendam Missam, vel hoc aliud obiectum amplectendum, quia eleemosyna, vel Missæ auditio, v. g. est laudabilis ex doctrina fidei, & hîc & nunc non occurrit circumstantia impediens illam honestatem, &c. Fœnim voluntas hæc etiâ provt formaliter versatur circa tale obiectum in particulari, procedit ab habitu infuso misericordiæ, vel religionis, &c. & sub ea etiam ratione est meritoria; imò eius laudabilitas intrinseca non est, quia respiciat obiectum fidei, nam voluntas non dicit, volo dare eleemosynam, quia Deus dicit eleemosynam esse opus bonum; quia testimonium Dei, & fides non est obiectum illius voluntatis, sed extrinsecè proponit honestatem obiecti, quam solam honestatem attingit intrinsecè actus voluntatis. & dicit volo dare eleemosynam propter honestatem eleemosynæ; quare laudabilitas hùius voluntatis sumitur formaliter ex honestate obiectiua eleemosynæ, non ex honestate fidei; oportet ergo, vt formaliter, quatenus versatur circa talem honestatem, sit supernaturalis, & sub ea ratione exigat principium supernaturale, cum supernaturalitas ad hoc potissimum detur, vt actus meritorius, & eius laudabilitas sit proportionata cum præmio supernaturali. Si ergo fides solùm dicit, amplectendum obiectũ. honestum, & aliunde prudentia dictat, hoc opus in his circumstantiis habere honestatem, oportet vt conclusio, non solum quatenus ex fide dicit, honestum in communi esse amplectendum, sed etiam formaliter quatenus dicit, & dictat honestatem huius operis in particulari, sit supernaturalis, vt proportionetur volitioni bonæ, quæ est etiam supernaturalis formaliter, & meritoria, quatenus mouetur ab honestate particulari huius operis; sicut enim ad volitionem supernaturalem prærequiritur naturaliter cognitio supernaturalis eiusdem ordinis; sic ad volitionem, quæ est formaliter supernaturalis, provt attingit tale obiectum prærequiritur connaturaliter cognitio eiusdem ordinis, & supernaturalis proponens tale obiectum; nam eadem est ratio, & constat ex dictis, quia si potentia appetitiua supponit potentiam cognoscitiuam eiusdem ordinis, & hîc actus voluntatis oritur ab habitu infuso etiam provt versatur circa talem honestatem, qui habitus est quasi potentia appetitiua supernaturalis, oportet vt supponat potentiam cognoscitiuam supernaturalem in ordine ad eandem honestatem particularem, qui est habitus infusus iudicans de tali honestate particulari. Alioquin fieret volitio supernaturalis formaliter, provt versatur circa talem honestatem, quæ non procederet ex cognitione supernaturali formaliter de tali honestate, & non seruaretur debita proportio inter cognitionem, & volitionem. Quæ omnia confirmantur ex communi sensu Theologorum, ponentium in intellectu habitum prudẽtiæ infusæ, & supernaturalem, cuius quidem actus iudicant de honestate practica obiecti in particulari, & fundantur, vel semper, vel communiter, in aliquo principio reuelato: & tamen non oriuntur à sola fide, sed præter fidem ponitur alius habi-

operandum indigent habitu infuso.

tus infusus ad conclusionem practicam fundatam in aliquo fidei principio : contra quem habitum prudentiæ infusę fieri possunt argumenta omnia, quæ communiter fiunt contra habitum Theologiæ supernaturalem. Aduerte tamen, me semper loquutum fuisse de actibus illis, & assensibus Theologicis, qui possunt vltimo & proximè mouere ad effectum pium. Sunt enim aliqui, qui nō proximè, sed remotè mouere possunt, eo quod post illos requiratur aliud iudicium practicum prudentiæ, in quibus non procedit argumentum factum, vt debeant habere aliud principium infusum præter habitum fidei, cum sufficiat iudicium vltimum supernaturale provt terminatur ad talem honestatem virtutis. Nos ergo hoc principium infusum solùm exigimus ad actus, qui vltimo, & proximè mouere possunt ad effectum pium, & meritorium.

351 Obiectio 1. Primò ergo obiicit Suarez *dicta sect. 11. n.8.* quia assensus ille Theologicus nō habet certitudinem supernaturalem, cum non excedat certitudinem præmissæ naturalis, nec habeat obiectum supernaturale, quia medium illud mixtum ex medio fidei, & scientiæ, humanum est, & naturale, & fundatur in naturali lumine, & in viribus naturalibus. Hæc tamen omnia æquè procedunt contra actum prudentiæ infusæ, vt constat ex dictis : imò procedunt etiam contra iudicium prudens de euidentia credibilitatis, quod præcedit voluntatem credendi ; quod tamen iudicium ex veriori sententia est supernaturale, & exigit habitum supernaturalem, & non procedit ex habitu fidei, nec habet pro motiuo formali reuelationem, aut veracitatem Dei, sed proponit honestatem, & obligationem credendi, quæ honestas, & obligatio naturæ lumine cognoscitur, & cognosceretur etiam in natura pura. Non ergo requiritur supernaturalitas ex parte obiecti, vt actus sit supernaturalis, vt suppono ex materia de gratia, sed circa idem obiectum potest eleuari intellectus à principio supernaturali, vt faciat actum supernaturalem. Nec requiritur etiam, quod ille actus sit certior, aut firmior in modo assentiendi, quàm sint alij actus naturales, licet ex parte principij habeat magis necessariam certitudinem propter repugnantiam actus supernaturalis cum falsitate. Sicut ergo iudicium euidens de credibilitate non est æquè firmum cum assensu fidei, & tamen est supernaturale, quod idem est de actibus prudētiæ infusæ circa alias materias morales: ita conclusio Theologica, licèt non habeat certitudinem fidei circa obiectum conclusionis, & licèt nō assentiamur firmiùs ei obiecto, quàm per præmissam naturalem assentiamur eius obiecto, poterit esse supernaturalis : vbi nota, assensum conclusionis, licèt non possit esse clarior respectu cōclusionis, quàm sint præmissæ, nec etiam possit esse firmior ex parte intellectus ; posse tamen ex parte sui principij supernaturalis habere nouum titulum maioris repugnantiæ cum falsitate, atque in hoc sensu habere maiorem certitudinem, quam aliquam ex præmissis. Quod enim dicitur, conclusionem sequi debiliorem partem, intelligitur quoad charitatem, & quoad modum assentiendi firmiter, vel non firmiter, quia non potest nobis magis constare obiectum aliquod, quàm constet medium vnicum, propter quod constat ; nec possumus magis adhærere conclusioni quàm medio vnico propter quod adhæremus. Potest tamen aliunde nobilior esse ille assensus propter aliquod principium nobilius, quod habet, quàm habeant eius præmissæ.

Secundo obiiciunt, quia assensus Theologicus generat habitum acquisitum, ergo non exigit infusum. Hoc etiam argumentum potest fieri contra actus prudentiæ infusæ, & contra actus omnium virtutum infusarum, quarum exercitio cōstat acquiri maiorem facilitatem: vnde constat experientia aliquem iustum habentem magis intensum habitum charitatis, & per consequens etiam habitum prudentiæ infusæ, esse minus prudentem in suis actionibus, quàm alium habentem minus intensos habitus infusos. Quia nimirum facilitas illa, quam vocamus habitum acquisitum non prouenit formaliter ab habitu infuso, sed à speciebus melius ordinatis, quæ melior conditio specierum partim acquiritur exercitio plurium actuum, partim doctrina, studio, perscrutatione obiectorum, & ideo licèt adsit in quolibet iusto principium sufficiens infusum ad assensus Theologicos; non tamen appellatur Theologus ex defectu specierum, quæ necessariæ sunt ad illos assensus, ex quarum augmento, & meliori ordinatione appellatur melior Theologus, quia facilius & magis distinctè potest elicere actus circa plures conclusiones Theologicas.

Tertiò obiicitur, quia sequeretur, hunc habitum Theologiæ infundi à Deo de nouo homini peccatori, quando de nouo comparat doctrinam Theologicam. Ita Coninch. *dicto dub 6. numero* 118. Respondetur facilè negando sequelam : si enim peccator ille retinuerat fidem, retinuit etiam habitum Theologiæ, saltem qua parte Theologia includir, vt diximus, habitum fidei Quoad illum verò alium habitum infusum, qui concurrit etiam ad aliquam conclusionem practicam modo explicato, an maneat in peccatore simul cum fide, dicendum est sicut de prudentia infusa, & pendet ex vnitate, vel multiplicitate illius habitus, de quo statim dicemus. Nunc solum dicimus, si habitus ille manet in peccatore, non tamen posse operari deficientibus speciebus, quas si denuo acquirit peccator studio Theologiæ, operari poterit cum habitu præexistente, absque eo quod infundatur à Deo de nouo. Si verò habitus ille non manet in peccatore cum fide, non infunditur etiam à Deo, licèt peccator studeat Theologię, sed sicut proposito obiecto, Deus supplet auxilio actuali defectum habitus ad actus aliarum virtutum, si non manent earum habitus; ita supplebit auxilio actuali defectum habitus Theologici, quando requireretur ad assensus conclusionis practicæ, quæ debeat esse vndequaque supernaturalis modo explicato.

Quartò obiicitur, quia tale auxilium non est necessarium vlla ratione ad salutem, & gratia non datur nisi in ordine ad nostram salutem, ergo non datur auxilium ad talem assensum Theologicum. Ita arguit idem Coninch. *n.* 113. Respondetur, iam nos ostendisse, quomodo ad aliquos assensus Theologicos, quibus proponitur vltimò obiectum voluntatis honestæ, & piæ, requiratur habitus infusus, vel auxilium pro habitu supplens, quia hoc necessarium est ad salutem, vt actus supernaturales voluntatis connaturali modo exerceantur supponentes cognitionem eiusdem ordinis respectu eiusdem obiecti honesti.

Quintò obiici potest, quia hic habitus infusus distinctus à fide erit virtus Theologica, cum eliciat

eliciat assensus conclusionis Theologicæ, qui vltimo resoluuntur in veracitatem increatam Dei tanquam in obiectum formale saltem partiale; vnde vltra tres virtutes Theologicas erit etiam hæc quarta, quæ à Theologis non agnoscitur. Respondetur idem argumentum fieri posse contra habitum prudentiæ infusæ, cuius actus partialiter resoluuntur frequenter in doctrinam fidei, quam ad casus particulares applicat; & tamen prudentia infusa non numeratur inter virtutes Theologicas, sed est vna ex quatuor moralibus. Negandum ergo est, hunc alium habitum, vt condistinctum à fide esse virtutem Theologicam: illi enim soli habitus sunt virtutes Theologicæ, quæ per se ordinantur ad Deum tanquam ad obiectum formale: quamuis autem conclusio Theologica respiciat etiam veracitatem diuinam tanquam obiectum formale vltimum partiale, & ex ea parte sit actus virtutis Theologicæ: id tamen competit ei actui, provt procedit etiam ab habitu fidei, & provt est etiam actus fidei, vt diximus quatenus attingit etiam obiectum reuelatum, & illud credit propter auctoritatem diuinam. Quatenus verò procedit ab illo alio habitu distincto à fide, non habet attingere veracitatem Dei; sed obiectum alterius præmissæ naturalis, vel illationem conclusionis ex præmissis, quæ quidem non sunt formaliter loquendo obiecta virtutis Theologicæ. Fatemur ergo Theologiam complete sumptam includere virtutem Theologicam quatenus includit etiam fidem iuxta supradicta: non tamen addit aliam virtutem Theologicam supra fidem: quia habitus ille infusus, quem addit, non ordinatur, nec exigitur, vt actus attingat veracitatem Dei, sed vt attingat alia obiecta diuersa, quæ non spectant ad fidem.

316 Sextò obiici posset, quia si habitus ille infusus potest elicere assensum Theologicæ cõclusionis propter præmissas, qui attingat etiã præmissas obiectiuas, ergo poterit seorsim elicere assensus circa singulas præmissas, qui etiam sit assensus supernaturalis. Consequens autem ex se apparet absurdum; quia alioquin possemus circa singulas propositiones saltem pertinentes ad praxim elicere assensus supernaturales, v.g. ad iudicandũ Petrum esse pauperem, esse peccatorem, &c. quia ex illis propositionibus adiuncta alia præmissa de fide, possumus inferre, honestum esse illi subuenire, illum corrigere, &c. Sequela autem probari potest exemplo habitus fidei, qui quoniam potest credere obiectum reuelatum propter veracitatem, & reuelationem Dei, potest etiam seorsim elicere assensum circa veracitatem, vel circa reuelationem Dei.

317 Respondeti tamen potest negando sequelam, & assignando differentiam huius habitus infusi ab habitu fidei, vt ab vno ad alterum argui non possit; & [in primis quoad præmissam reuelatam non est difficultas: quia hic habitus non supplet defectum fidei, quoad assensum illius præmissæ; imò in ipsa etiam conclusione assensus provt versatur circa præmissam reuelatam, prouenit formaliter ab habitu fidei, & non ab illo alio habitu. Difficultas tota esse posset de assẽsu alterius præmissæ naturalis, & hunc etiam dicimus non posse fieri ab illo habitu extra ipsam conclusionem, & in hoc differre ab habitu fidei. Ratio autem differentiæ potest ex dictis esse duplex. Prima quod fides non est habitus alteri subordinatus, sed operatiuus per se sine vllo alio; quare simul potest cum obiecto materiali, vel etiam seorsim ab illo tendere in suum obiectum formale, sicut charitas potest amare creaturas propter Deum, & amare etiam Deum solum sine creaturis. At verò hic alter habitus est subordinatus, & subalternatus fidei, & datur solùm ad supplendum id, quod deest habitui fidei in ordine ad assensum conclusionis Theologicæ; quare nec potest assentiri vlli conclusioni nisi quando infertur ex præmissa de fide, nec potest assentiri vlli principio naturali, nisi quatenus ex illo infertur conclusio Theologica; quia ex natura sua est habitus solùm subalternatus & completiuus fidei ad conclusiones Theologicas. Secũda etiam ex hoc ipso ratio differentiæ esse potest, quia supernaturalitas huius habitus ei competit ratione fidei, vt possit fides practicè deseruire ad actus meritorios per actus intellectus supernaturales, qui versentur circa cõclusiones practicas deductas ex fide. Vnde diximus, duas cõditiones requiri ad supernaturalitatem eorũ actuũ; alteram quod versentur circa doctrinam fidei saltem partialiter; alteram quod proponant practicè voluntati obiectum ad actũ pium, & meritorium. Vtraque autem hæc conditio deesset in illo assensu præmissæ naturalis seorsim elicito: nam in primis assensus ille secundùm se nullo modo tenderet in doctrinam fidei, sed in propositionem prophanam aliunde habitam, vnde iam darentur actus supernaturales, quorum obiectum nullo modo concerneret fidẽ. Deinde neque ille assensus proponeret obiectum honestum practicè amabile à voluntate: quia licèt ex illa præmissa, adiuncta alia de fide posset inferri honestas alicuius obiecti, in quod posset ferri voluntas honesta: illa tamen præmissa secundum se non concluderet honestatẽ, vel certè proximè non concluderet motiuum amabile per actum meritorium supernaturalem, quia suppono omnes actus volũtatis meritorios debere ex lege Dei procedere à fide. Frustra ergo daretur habitus infusus ad eliciendum seorsim assensum supernaturalem circa illam præmissam, qui assensus inutilis esset ad meritum. Sufficit ergo, quod possit elicere assensum supernaturalem circa conclusionem, & ibi etiam circa præmissam naturalem, circa quod etiam versatur assensus conclusionis, vt diximus: nam ille assensus vltimus est, qui practicè proponit honestatem obiecti in particulari, vt possit voluntas illud piè, & meritoriè amplecti.

Habitus infusus an concurrat etiam quando infertur conclusio ex vna præmissa de fide, & altera naturali probabili.

Petes, an habitus ille infusus concurrat etiam, quãdo infertur conclusio ex vna præmissa de fide & altera naturali probabili. De hoc dicemus infra agentes, an fidei habitus possit per accidens cõcurrere ad assensum falsum, vbi videbimus etiã an possit concurrere ad assensum probabilem. Si enim fides non concurrit ad illam conclusionem, neque etiam ille alter habitus infusus concurret, qui vt diximus, non operatur, nisi concurrente etiam fide.

358 Nunc iam restat secundum dubium propositum in titulo huius §. de vnitate scilicet, vel multiplicitate huius habitus iufusi, an vnicus extendatur ad omnes assensus conclusionis Theogicæ, an verò sint plures habitus pro varietate materiarum; Cùm autem dixerimus, non concurrere, nisi ad conclusiones Theologicas, quæ versantur circa obiectum honestè & meritoriè amabile, vel odibile, solum potest esse difficultas an ad obiecta omnium virtutum infusarum moralium sufficiat

An ad obtecta omnium virtutum infusarum moralium sufficiat vnus habitus infusus intellectualis.

sufficiat vnus habitus infusus intellectualis, qui cum fide proponat earum obiectum, an verò ponendi sint multi.

359 Et quidem ex hactenus dictis videtur consequenter dicendum, hunc habitum non esse vnicum, & simplicem, sed aggregatum ex multis & diuersis; quia cùm actus hi practici versentur circa honestates omnium virtutum moralium, vt tales honestates sunt, & de illis practicè iudicent, consequens est, vt differant essentialiter iuxta diuersitatem honestatis, circa quam versantur. Quod probari potest primò exemplo prudentiæ acquisitæ, quæ propter eandem rationem, & quia eius actus versantur circa varia, & diuersa obiecta, in veriori sententia ponitur multiplex habitus prudentiæ, non vnus simplex. vt docent Scotus *in* 3. *dist.* 36. *quæst. vnica*, §. *Quintum ergo*, Gabriel *quæst. vnica art.* 1. *notabili* 5. Ochamus *in* 3. *q.* 12. *& quodlib.* 4. *q.* 1. *art.* 1. Almainus 3. *moral. cap.* 7. & sequitur Lessius *lib.* 1. *de virtutib. moralib. c.* 2. *dub.* 1. *num.* 6. & *dub.* 2. ergo idem cum proportione dicendum est de prudentia infusa. Secundò hoc ipsum probari potest, quia virtutes morales infusæ, quæ pertinent ad voluntatem, non sunt vnus habitus simplex, sed plures, quia versantur circa diuersas honestates: ergo sicut habitus iustitiæ infusæ, v. g. distinguitur ab habitu temperantiæ infusæ propter diuersam honestatem obiectiuam, quam respicit, idem dicendum est de prudentia, quæ versatur circa honestatem iustitiæ, distingui à prudentia, quæ versatur circa honestatem temperantiæ propter diuersitatem honestatis, circa quam versantur. Propter quæ fortasse prudentiam infusam complecti plures habitus, fatetur Granado *in* 1. 2. *controuers.* 5. *tract.* 1. *disp.* 11. *num.* 22.

360 Ego de prudentia acquisita facilè concedo complecti plures habitus iuxta multiplicitatem virtutum, quas dirigit: de prudentia tamen infusa aliter dicendum puto: Fateor quidem, habitum prudentiæ infusæ, à quo oritur iudicium euidens credibilitatis dictans honestatem, & obligationem credendi obiecta fidei proposita propter diuinam auctoritatem, distingui ab habitu prudentiæ infusæ dictante honestatem aliarum virtutum: quia ille prior habitus habet obiectum formale omninò diuersum, cùm non fundetur in fide, neque in eius obiecto formali, sed actus ille præcedat omnem assensum fidei, cuius obiecti honestas cognoscitur in se ipsa independenter à testimonio Dei, cui per illum actum nullo modo credimus, sed iudicatur de honestate credendi, & acceptandi diuinum testimonium: at verò prudentia infusa dirigens alias virtutes, supponit fidem, & non elicit vllum actum, qui non innitatur partialiter & principaliter in testimonio, & veracitate diuina, & iudicat de honestate obiecti practicè amplectendi propter auctoritatem Dei testificantis, vt fatetur cum aliis Lessius *dicto lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 15. & 16. & *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 2. quare omnes eius actus habent idem obiectum formale, principale saltem partiale, nempè diuinam veracitatem, & reuelationem, omnes enim eius actus dictant, hoc obiectum hic, & nunc esse amplectendum, vel fugiendum, quia honestum, vel turpe est, quæ honestas, vel turpitudo constat partim ex testimonio diuino, partim ex circumstantiis præsentibus.

Prudentia acquisita cõplectitur plures habitus.

Quid dicendum de prudentia infusa.

361 Quo supposito, probatur conclusio nostra, nempè habitum infusum vnicum, & simplicem esse, qui idem eliciat actus circa honestates aliarum virtutum, præter honestatem ipsius fidei, de qua diximus: quia nimirum habitus infusi non sunt multiplicandi, sicut habitus acquisiti: non enim generantur ab actibus, sed dantur ad modum potentiæ, & habent sphæram multò maiorem, quàm habitus acquisiti. Quam sphæram, eiusque latitudinem, & limitationem non possumus aliundè cognoscere, nisi ex comparatione ad eas tres virtutes Theologicas, fidem, spem, & charitatem, quas scimus esse distinctas, & aliundè scimus ex communi consensu Theologorum, fidem esse vnicum habitum, à quo omnes fidei actus eliciuntur. Ex quo exemplo habitus fidei arguere possumus ad vnitatem huius alterius habitus infusi, de quo nunc loquimur. Nam actus fidei comparati ad inuicem differunt etiam specie inter se ratione obiecti formalis saltem partialis; quamuis enim veracitas Dei, quæ ab omnibus fidei actibus circa mysteria credita formaliter attingitur, sit eadem, & ex hac parte omnes illi assensus conueniant in eodem obiecto formali: reuelatio tamen Dei, quæ formaliter etiam attingitur ab omnibus iis assensibus tanquam obiectum etiam formale partiale, non est vna, & eadem, nec numero, nec specie. Differt enim specie reuelatio Dei circa Trinitatem, & reuelatio circa incarnationem ratione obiecti reuelati, quod licèt respectu fidei sit obiectum materiale, respectu tamen ipsius reuelationis non videtur obiectum materiale, sed formale, cum reuelatio ipsa non tendat in illud propter aliud, sed sistat in illo. Reuelatio etiam scripta differt à reuelatione vocali essentialiter in sua entitate Physica, vt constat: & fides tendit ad singulas reuelationes provt tales sunt, & non tendit in reuelationem talem propter aliud, nec propter veracitatem Dei, neque enim credit Deum reuelare, quia verax est, vt supra vidimus, sed credit reuelationem propter ipsam, & sistit in illa. Et tamen non obstante hac diuersitate reuelationum, vnicus fidei habitus extenditur ad omnes illas, quia omnes assensus mysterij reuelati conueniunt in alio obiecto formali magis principali, nempe in veracitate Dei. Imo licet assensus circa reuelationem seorsim, & assensus circa veracitatem Dei seorsim non conueniant in vllo obiecto formali etiam partiali, cum obiectum vnius sit sola veracitas Dei, & obiectum alterius sit sola reuelatio Dei, adhuc vterque assensus elici potest ab eodem habitu fidei, vt supra diximus, quia vterque fit in ordine ad eundem finem credendi Deo mysterium reuelatum propter veracitatem & reuelationem Dei, quod sufficit, vt vterque assensus in eodem habitu infuso possit coniungi.

Ex hoc ergo exemplo habitus fidei desumitur argumentum ad dicendum, hunc etiam habitum infusum ad conclusiones practicas de honestate obiecti ex doctrina fidei deductas esse vnicum, & simplicem: quia licet conclusiones illæ deducantur ex præmissa naturali diuersa circa circumstantias particulares, propter quas partialiter creditur honestas obiecti huius in particulari; omnes tamen conueniunt in eodem obiecto formali principali partiali vltimo, nempe in diuina auctoritate; ergo sicut idem habitus fidei extenditur ad assensus omnium mysteriorum, licèt reuelationes sint diuersæ, quia nimirum omnes conueniunt

ueniunt in alio obiecto principali partiali, nempe in veracitate Dei; sic etiam hic aliter habitus infusus poterit extendi ad omnes eiusmodi conclusiones practicas deductas ex fide, quæ licèt differant in alio obiecto formali, partiali naturali; conueniunt tamen omnes in diuina auctoritate, quæ est etiam obiectum formale partiale vltimum, & magis principale. Item sicut habitus fidei elicit actus circa veracitatem seorsim, & reuelationem seorsim, quia vniuntur illa obiecta formalia diuersa in ordine ad eundem finem credendi, mysterium reuelatum propter vtrumque: ita à fortiori poterit hic alius habitus infusus elicere actus diuersos circa honestates diuersas prouenientes ex circumstantiis diuersis, quæ tamen omnes patrialiter cognoscantur propter eandem Dei auctoritatem: omnes enim illi assensus ordinantur ad eundem finem credendi, & proponendi honestatem ex doctrina fidei. Nec obstat, quod hic habitus infusus non detur, vt diximus, vt concurrat ad eas conclusiones formaliter, quatenus attingunt diuinam auctoritatem, sub qua ratione procedunt formaliter ab habitu fidei, vnde non videtur hic habitus ordinari ad eas conclusiones quatenus conueniunt in eodem obiecto formali, sed potius quatenus differunt ex parte alterius obiecti formalis naturalis diuersi. Respondetur enim, licèt in ratione effectus, vt ita dicam, non intendat hic habitus conuenientiam illam in eodem obiecto formali, nec ordinetur ad illam formaliter producendam: intendere tamé illam in ratione finis: datur enim hic habitus infusus, vt diximus, ad supplendum defectum fidei in ordine ad eas conclusiones practicas deducendas, & vt possint illæ omnes ex doctrina fidei adiunctis aliis principiis elici cum propotione ad actus voluntatis supernaturales, & meritorios, qui oriantur ex fidei doctrina: quare cum hic habitus ex natura sua subordinetur fidei, & eam adiuuet ad suam doctrinam vlterius protrahendã per varias conclusiones practicas, consequens est, vt ordinetur ad eum finem, vt fiant conclusiones variæ ex doctrina fidei fundatæ in eadem auctoritate Dei. Cùm ergo omnes illæ honestates diuersæ attingantur in ordine ad hunc eundem finem promouendi vlterius fidei doctrinam; hæc vnitas finis sufficiet, vt illæ variæ conclusiones possent procedere ab eodem habitu infuso, sicut ab eodem habitu fidei fiunt assensus circa veracitatem, & circa reuelationem Dei seorsim, quia ordinantur ad eumdem fine m credendi Deo.

363 *Respondetur ad argumẽta in diuersa sententia.*

Vndeiam ad fundamenta contrariæ sententiæ facilè respondeti potest. Ad primum negamus consequentiam à prudẽtia acquisita ad infusam, propter maiorem sphæram habituum infusorum quàm acquisitorum. Ad secundum ab exemplo habituum infusorum virtutum voluntatis, negamus etiam consequentiam, est enim differentia quoad hoc inter voluntatem, & intellectum. Nã virtutes infusæ voluntatis singulæ attingunt honestatem solam sui obiecti formalis, nec conueniunt in eodem obiecto formali partiali. Nam licét intellectus proponat honestatem virtutis cognitam ex diuino testimonio, & attingat ipsum diuinum testimonium, vt obiectum formale partiale: voluntas tamen non attingit per suum actum diuinum testimonium, sed solam honestatem virtutis propositam, non enim quærit motiuum veritatis, sed bonitatis. Actus autem virtutis non fit bonus à diuino testimonio, sed à propria honestate, quæ intellectui constat ex testimonio Dei. Voluntas verò solum attingit intrinsecè bonitatem, quæ ad ipsam spectat, non probationem illus, de qua ipsa non curat, sed intellectus. Cùm ergo virtutes voluntatis sint adæquatè diuersæ penes suum obiectum formale, non mirum, quod exigantur habitus diuersi infusi pro singulis, qui tamen non exiguntur in intellectu, in quo actus maiorem habent vnitatem & conuenientiam in obiecto formali, saltem partiali, diuinæ auctoritatis. Quod omnes fateri debent, cùm eadem fides in intellectu sufficiat ad proponendum obiectum spei, & charitatis, quæ tamé in voluntate exigunt habitus diuersos, quia habent obiecta diuersa, prout attinguntur à voluntate, quæ tamen idem habitus fidei in intellectu attingit sub eodem motiuo formali diuinæ auctoritatis.

Hinc obiter inferre possumus id, quod supra petebatur: an hic habitus infusus ad Conclusiones Theologicas practicas maneat in hæretico, vel in peccatore. Dicimus enim in primis non manere in hæretico; quia cùm hic habitus subordinetur fidei, ne possit operari, nisi concurrente fide cum illo, vt sæpe diximus; ablata fide, inutilis esset, & otiosus, quare aufertur, sicut & de habitu etiam piæ affectionis, & de habitu infuso ad iudiciũ credibilitatis dicemus inferius suo loco.

364 *An habitus infusus ad cõclusiones, Theologicas practicas, maneat in hæretico?*

In peccatore autem catholico manet habitus piæ affectionis, & habitus prudentiæ infusæ ad iudicium cuidens credibilitatis, sicut manet habitus fidei, ad cuius actus illi etiam habitus necessarij sunt. De illo autem alio habitu infuso, qui proponit cum fide honestatem particularem aliarum virtutum moralium, dubitari potest, quia videtur ex vna parte debere manere in peccatore Catholico, in quo manet fides, cui hic habitus subordinatur, & subalternatur deducens cõclusiones ex fide, & sine quo fides sola non potest deducere suas cõclusiones per assensus vndequaque supernaturales, vt diximus. Ex alio autem capite videtur non debere manere; quia iuxta communem sententiam non manent virtutes morales infusæ, quæ pertinent ad voluntatem, quarum obiecta deberent proponi per hunc habitum: nõ est ergo, cur maneat habitus ille in intellectu sine habitibus sibi correspondentibus in voluntate. Nec obstat, quod maneat fides, cui hic habitus subordinatur: quia illæ etiam aliæ virtutes morales infusæ voluntatis subordinantur suo modo fidei, quæ non solum charitati, sed illis etiam virtutibus sua obiecta proponit; & tamen manente fide ob peculiarem rationem (de qua infrà agendo de fide informi) non manent charitas, neque etiam aliæ virtutes morales iuxta communem sententiam, quia in illis non procedit ratio, quæ facit, quod perseueret fides. Ego itaque credo, hoc totum pendere ex illa alia quæstione, an habitus infusi virtutum moralium maneant in peccatore, an verò destruantur omnes simul cum charitate. Si enim illæ aliæ virtutes manent, idẽ dicendum erit de habitu hoc infuso, qui simul cum fide proponit eis honestatem suorum obiectorum. Si verò illæ aliæ virtutes infusæ in voluntate non maneant, verius videtur, quod nec hic habitus maneat in intellectu propter rationes secundo loco adductas, quæ maiorem vim habere videntur. An verò illæ aliæ virtutes morales manent, pertinet ad 1. 2. *in tract. de virtutib.* Nunc solùm aduerto, in hæretico, licèt den

365

tur conclusiones aliquæ similes Theologicis nõ esse propriè Theologicas, nec procedere ab hoc habitu infuso, sed ab acquisito, quia non procedunt ex præmissis reuelatis per veram fidem infusam creditis, sed creditis per fidem naturalem imperfectem, & acquisitam. In peccatore autem Catholico, si quas habet conclusiones supernaturales ex vera fide deductas, & deseruientes ad actus supernaturales aliarum virtutum illæ procedunt ex auxilio actuali supplente vicem huius habitus infusi. Si enim virtutes morales infusæ in illo non manent, & tamen datur auxilium actuale supplens earum defectum ad eiusmodi actus supernaturales misericordiæ, temperantiæ, & alios; sic etiam dabitur auxilium in intellectu supplens vicem habitus prudentiæ infusæ, cùm eadem sit ratio quod ad hoc supplendi defectum habitus infusi intellectualis, & defectum habituum infusorum voluntatis. Aduerto tamen, nos in his, quæ diximus, & dicturi sumus §. *sequenti*, agere solùm de prudentia infusa in ordine ad iudicium practicum, quod habetur per modum conclusionis. An verò habeat aliquando aliud iudicium immediatum, & an sit ab eodem habitu, dicemus *infrà disp.* 11. *sect.* 1.

Aduertendum.

§. VIII.

Infertur ex dictis distinctio prudentiæ infusæ à fide; vbi etiam quomodo distinguatur prophetia à fide.

366 *Prudẽtia infusa distinguitur à fide tanquam includens ab incluso.*

EX suprædictis facilè iam explicabitur distinctio prudentiæ infusæ à Theologia, & à fide. Nã à fide distinguitur tanquã includẽs ab incluso; cũ actus prudentiæ infusæ procedat ex reuelatis, quibus in ipsomet assensu prudentiæ infusæ assentitur fides, & ideò principium adæquatum illius assensus constat ex habitu fidei, & alio habitu infuso dato ad supplendum defectum fidei in ordine ad obiectum adæquatum illius actus, vt supra explicatum est.

Prudentia infusa vt distinguatur à Theologia,

Si verò prudentia infusa comparetur cum Theologia, habent se tanquam excedens, & excessum. Multos enim actus habet Theologia, quæ non pertinent ad prudentiam infusam: multos etiam habet prudentia infusa, qui non pertinent ad Theologiam propriè dictam: denique aliqui sunt actus, qui pertinent ad vtramque, & quoad illos non distinguitur prudentia infusa à Theologia. Prima pars probatur ex dictis: quia veritates speculatiuæ deductæ ex fide, quæ non spectant ad piam, & rectam operationem, non pertinent ad prudentiam infusam, quæ solùm operatur, quando assensu supernaturali deducto ex fide proponitur voluntati practicè obiectum honestè amplectendum, vel fugiendum, & tamen illi assensus pertinent ad Theologiam, cùm deducantur ex principiis reuelatis: ergo plures actus pertinent ad Theologiam, qui non pertinent ad prudentiam infusam.

367

Secunda etiam pars, quod plures actus pertineant ad prudentiam infusam, qui non pertinent ad Theologiam propriè dictam, probari potest: quia nomine Theologiæ intelligimus disciplinã illam, & scientiam, quæ tradit, & probat conclusiones ex obiectis reuelatis, quæ licèt non sit scientia in omni rigore, eo quod non habeat euidentiam de suis obiectis, cùm probet illa ex vna saltem præmissa reuelata, & obscura: imitatur tamen alias scientias, quoad modum probandi conclusiones, & quoad cæteras conditiones: quare sicut aliæ scientiæ non sunt de indiuiduis, sed de rationibus vniuersalibus, nam Philosophia non tractat, an Petrus sit risibilis, sed an homo sit risibilis: sic Theologia non descendit ad casus particulares in indiuiduo circa materias morales, sed tradit regulas vniuersales deductas ex principiis fidei. Prudentiæ verò munus est considerare in indiuiduo, an hîc, & nunc, in his circumstantiis obiectum sit honestum iuxta regulas vniuersales deductas ex doctrina fidei, & hi sunt, vt plurimum actus prudentiæ infusæ; qui tamen non pertinent ad Theologiam propriè dictam], vt indicat etiam Lessius *dicto lib. 1. de prudentia cap. 1. dub. 2. num. 16.* dixi *ad Theologiam propriè dictam*, nempè provt hoc nomen applicatum est cuidam peculiari disciplinæ, quæ in scholis à Theologis scholasticis vel moralibus tradi solet. Si verò *Theologiæ* nomen in latiori significatione vsurpetur; potest comprehendere quaslibet conclusiones, quæ ex duplici, vel altera præmissa reuelata inferri possunt, & aliquando nomen illud ita à Theologis vsurpatur, & in ea significatione omnes illæ conclusiones practicæ etiam circa casus indiuiduales pertinebunt ad Theologiam,

Demque tertia pars assertionis nostræ, nempe quod aliqui sint assensus pertinentes ad Theologiam, & ad prudentiam infusam, & quoad illos non distinguatur prudentia infusa à Theologia, probari potest; quia licèt communiter actus voluntatis honesti, & meritorij versentur circa opera singularia, & in indiuiduo: non tamen repugnat aliquos eiusmodi actus meritorios fieri circa rationes vniuersales, & earum honestatem, qualis à Theologia ex principiis reuelatis proponitur. Quando enim Theologia proponit honestatem, atque excellentiam operum misericordiæ erga proximos ex fidei doctrina probatam, hic assensus ad Theologiam propriè spectat, cum ex principiis reuelatis probari possit, & voluntas ex illo assensu vniuersali moueri possit, vt afficiatur erga misericordiam, vel eleemosynam à Theologo, vel concionatore adeò commendatam, & ex doctrina fidei probatam, & concipiat desiderium applicandi se seriò ad eiusmodi opera, quando occurrat occasio; qui actus pius est, & meritorius, & sic de aliis similibus; & tamen elicietur ab illo habitu infuso, qui datur ad concurrendum cum fide in ordine ad Cõclusiones Theologicas, quæ proponunt proximè obiectum honestum sufficienter ad excitandum affectum pium & meritorium. Quod si quis nolit, eum actum esse dicendum prudentiæ, quia non versatur circa circumstantias particulares, erit quæstio de nomine: in re tamen procedet ab illo habitu infuso, cuius munus vniuersale est concurrere cum fide, & adiuuare illam in ordine ad conclusiones practicas deseruientes proximè ad actus voluntatis meritorios, atque adeò habitus ille, quoad eos actus nõ distinguetur à Theologia, quatenus ad Theologiam etiam pertinet illa conclusio: nam Theologia, vt diximus, non est simplex habitus, sed complectitur & habitus acquisitos, qui soli cum fide concurrunt ad plures conclusiones, & habitum etiam illum infusum, qui cum eadem fide concurrit ad alias. Sed reuera prudentia iuxta definitionem Augustini lib. 1.

lib. 1. de lib. arb. cap. 13. *Est rerum appetendarum, & fugiendarum scientia*, & lib. 83. quæstionum, quæst. 30. dixit, *esse rerum bonarum & malarum, & neutrarum scientiam.* Vbi non limitatur prudentia ad sola obiecta indiuidualia, & singularia, sed extenditur ad omnem cognitionem dirigentem rectam operationem, & communiter dicitur prudenter feciſſe, qui decreuit ad eleemosynas, vel miſericordiæ opera ſe applicare, etiam antequam occaſio occurreret aliquid in particulari operandi. Pertinet ergo actus ille & ad prudentiam infuſam, atque etiam ad Theologiam.

369 *Prophetia vt diſtinguatur à fide.*

Reſtat dicere de diſtinctione Prophetiæ à fide: de quo, & de iis, quæ ad prophetiam pertinent, latè Suarez *in præſenti diſp. & ſect. 3. & ſequentibus* qui *dicta ſect. 3. num. 10.* dicit, obiectum formale prophetiæ eſſe auctoritatem Dei aliquid Prophetæ reuelantis, & *ſect. 4. num. 1.* actus prophetiæ eſſe cognitionem ſupernaturalem fundatam in diuina reuelatione, à qua procedit prædictio, qua propheta manifeſtat aliis rem ſibi à Deo reuelatam; & *ſect. 5. num. 3.* dicit, hanc cognitionem, quam Propheræ habent de rebus non eſſe ſemper euidentem, ſed frequenter obſcuram, atque adeo non diſtingui eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter à cognitione fidei, quatenus ſcilicet peculiari modo fit reuelatio prophetæ ad aliorum vtilitatem: aliquando tamen credibile eſſe, quod cognitio euidens Prophetis communicetur, quod probat *num. 5. & 6.* & denique *ſect. 6. num. 4.* concludit, principium ſupernaturale requiſitum in Propheta ad eliciendum ſuum actum, ex parte non diſtingui ab habitu fidei, qui ſicut ad alios aſſenſus obiectorum propter Dei reuelationem, ſic etiam concurrere poteſt ad aſſenſum, quo Propheta credit rem illam propter reuelationem inceidentem ſibi factam: licèt quoad alios actus, quos Propheta habet peculiares audiendi Deum, requiriturr aliud principium diuerſum, quod non permanet in Propheta habitualiter, ſed datur occurrente occaſione.

370 P. Hurtado de prophetia agit *diſp. 28.* Et §. 5. ſupponit, Prophetam (loquendo de prophetia propria, & perfecta) cognoſcere euidenter ſigna, quibus Deus ei loquitur, & ſignificatum illorum ſignorum, quod etiam ſupponit §. 11. An verò habitus fidei ſufficiat ex parte principij ad actus Prophetæ, ſatis obſcurè loquitur: nam §. octauo, dicit, cognitionem Propheticam ſolum differre à noſtro aſſenſu fidei: quatenus nos habemus pro obiecto formali non ſolùm ſigna, quibus Deus loquutus fuit cum propheta, ſed etiam ipſum aſſenſum Propheræ, per quem dicit compleri reuelationem formalem Dei: at verò aſſenſus Propheræ non habet ſe ipſum pro obiecto formali, ſed ſola ſigna, quibus Deus ei loquitur, quæ ſigna dicit non eſſe reuelationem formalem, ſed ſolum inſtrumentalen. Quod diſcrimen dicit, ſufficere ad diſtinguendum actum Prophetæ à noſtro aſſenſu ſpecie quaſi Phyſica, non tamen morali, atque ideo non ſpectare ad diuerſos habitus, niſi ex modo tendendi clarè & obſcurè. Poſtea tamen *ſection. tertia*, §. 18. loquitur de qualitate illa, qua efficienter producitur cognitio clara reuelationis diuinæ exiſtentis, & ex auctoritate diuina deprehenditur veritas eiuſdem reuelationis, §. 24. concludit, eos actus prophetæ fieri de facto per auxilium extrinſecum Dei, & non per habitum: quare ſupponit habitum fidei non ſufficere ex parte principij ad eiuſmodi actus, qui tamen connaturaliter exigerent aliquem habitum infuſum, à quo procederent, vt ipſe faretur §. 23. Quare magis credo, ipſum non putare, quod hi actus poſſint procedere ab habitu fidei; quia quamuis ex parte obiecti formalis non eſſet repugnantia, repugnat tamen ex parte charitatis, quam habet hic actus, & quam non habet actus fidei, & ideo fortaſſe §. 8. addidit verba illa, *niſi ex modo tendendi clarè & obſcurè.*

371 *Prophetia latè & ſtrictè accipitur.*

Ex dictis tamen claritatis gratia, diſtinguendum exiſtimo de Prophetia, quæ poteſt latius accipi pro prædictione futurorum, provt fundata in reuelatione Dei latè ſumpta, vel poteſt accipi ſtrictè pro prædictione fundata in reuelatione ſtrictè ſumpta. Diximus enim ſupra, aliquando reuelationem ſumi latè, provt comprehendit etiam ſcientiam alicui à Deo infuſam; aliquando verò ſumi ſtrictè, provt conuertitur cum loquutione Dei manifeſtantis, & teſtificantis aliquid. Nam Deus infundendo ſcientiam alicui, non loquitur propriè, nec teſtatur illa obiecta: ſufficeret autem ſcientia illa, vt qui eam accipit, poſſet ex vi illius prædicere futura, vel occulta, atque adeo in aliquo ſenſu vocaretur Propheta. Communiter tamen hoc nomen à Theologis applicatur iis, qui ex reuelatione ſibi peculiariter facta Dei teſtificantis, & reuelantis aliquid, illud prædicit, ita enim loquitur S. Thom. *infrà quæſt. 131. art. 6* dum air, *Prophetia eſt quædam cognitio intellectui Prophetæ impreſſa ex reuelatione diuina per modum cuiuſdam doctrinæ.* Vbi nomine *doctrinæ* ſatis exprimitur loquutio, & teſtificatio Dei; nemo enim docet, niſi voce, vel ſcripto, aut aliter loquens. Vnde prædictionem Prophetæ certam eſſe, quia fundatur in auctoritate Dei tradunt communiter Theologi, vt probat Suarez *loco ſupra citato ſect. 3. num. 10.* & colligitur ex ſcriptura paſſim dicente, Deum loqui per Prophetas, & in Prophetis, qui ideò frequenter præmittebant verba illa, *Hæc dicit Dominus, Verbum Domini, quod factum eſt ad me: factum eſt verbum Domini*; & ſimilia.

372 *Sententia Auctoris.*

Quo ſuppoſito, ſi ſermo eſſet de prophetia latè ſumpta fundata in ſcientia infuſa abſque teſtificatione Dei, conſtat clarè, illam diſtingui à fide, quæ fundatur in auctoritate Dei reuelantis; & teſtificantis: illa autem non fundaretur in teſtificatione Dei, ſed in ſcientia infuſa de tali obiecto: imò licèt habens illam ſcientiam reflexè illam cognoſcens, ex illa, & ex eius ſupernaturalitate, & infallibilitate inferret per diſcurſum veritatem rei manifeſtatæ per talem ſcientiam; hic aſſenſus non eſſet actus fidei, quia non haberet pro obiecto formali teſtimonium Dei, ſed infallibilitatem ſcientiæ infuſæ, & eius ſupernaturalitatem, vt benè notauit Hurtado *dicta diſp. 28. §. 12.*

373

Loquendo verò de prophetia ſtrictè ſumpta, quæ ſupponit reuelationem Dei loquentis Prophetæ, & teſtificantis tale obiectum, videndum, eſt, qui actus in Propheta reperiantur. Nam in primis habet actum, quo videt, ac cognoſcit ſigna, quibus ei Deus loquitur; deinde actum, quo iudicat illam eſſe loquutionem Dei: denique actum, quo propter diuinam auctoritatem credit obiectum, quod Deus illi dicit: nam de

actione externa, qua prædicit rem illam aliis non est magna difficultas, cùm illa in sua entitate sit naturalis, & possit imperari à voluntate bona, vel etiam mala, sicut consecratio Eucharistiæ, vel aliæ actiones etiam sacræ, de primo ergo actu, quo percipit signa quibus Deus ei loquitur, distinguendum videtur: si enim per illum actum non solùm percipit signa, sed euidenter iudicat illa signa esse à Deo, videtur esse supernaturalis; nam sicut actus obscurus, quo de facto iudicamus, Deum reuelare mysteria fidei, est supernaturalis, & procedit à fide, sic de illo iudicio dicendum videtur, cùm in eo etiam fundetur assensus rei reuelatæ. Quare ad illum actum requiritur principium supernaturale ex parte potentiæ, quod quidē distingui videtur ab habitu fidei, qui, vt postea videbimus, est obscurus saltē respectu rei reuelatę, propter ineuidentiā reuelationis Prophetæ autem habens euidentiam de loquutione Dei, haberet etiam euidentiam rei reuelatæ saltem in attestante, quę non potest esse ab habitu fidei, quia est vera euidentia, vt videbimus *disp. sequenti.*

374 Si verò Propheta percipiat quidem signa illa, quibus Deus loquitur, non tamen cognoscat euidenter, esse loquutionem Dei; loquendo de illo primo actu, quo percipit signa, & non de secundo actu, quo postea iudicat, & credit, Deum loqui per illa signa, non video sufficiēs fundamentum, aut necessitatem, vt ille actus sit supernaturalis in substantia, & quod non sufficiat, si sit supernaturalis saltem quoad modum. Quia in primis de facto in nobis, licèt assensus, quo credimus, Deum reuelare mysteria fidei, sit supernaturalis; cognitio tamen præcedens, qua percipimus reuelationem, Dei mediatam, quæ fit nobis per Ecclesiam, vel Scripturam, vel etiam per Propheram prædicantem & proponentem, non videtur supernaturalis quoad substantiam: imò in reuelatione eaiam immediata, cognitio, qua per visum Rex Baltassar percipiebat reuelationem Dei scriptam in pariete, & cognitio etiam, quæ in eius intellectu fiebat de tali scriptura, non videtur, quod fuerit supernaturalis quo ad substantiam, sed naturalis ex speciebus talis obiecti sensibilis. Item cognitio, qua Moyses visu percipiebat rubi ardorem sine combustione, & intellectio illi correspondens, non videtur supernaturalis quo ad substantiam. Quod idem est, quando Deus per Angelos loquitur, & reuelat alicui; nam auditio, qua B. Virgo, vel Zacharias percipiebant voces formatas ab Angelo Gabriele, & intellectio illi sensationi correspondens, non apparet, cur debuerit esse supernaturalis quoad substantiam. Vnde licèt, Deus immediate loqueretur sine signo sensibili externo per representationem imaginum, aut vocum in phantasia, idem dicendum videtur; cùm Angelus etiam possit, & Dæmon formare in phantasia tales imagines per applicationem specierum, & illa obiecta sensibilia sint, & perceptibilia à sensu interno. Denique licèt Deus loqueretur immediatè in intellectu absque interuentu phantasiæ, non apparet, cur eiusmodi loquutio petat supernaturalitatem quoad substantiam, cùm Deus etiam, vt Auctor naturæ possit loqui Angelis, & animabus separatis, eisque aliquid præcipere; quæ loquutio in eo statu puræ naturæ non esset supernaturalis: ergo licèt Deus animæ coniunctæ corpori eodem modo loquatur, poterit ea loquutio esse solùm supernaturalis, quoad modum, quatenus in eo statu non debetur animæ vnitæ, corpori, quare ad eam loquutionem præcisè percipiendam, non apparet necessitas principij supernaturalis, sed concursus Dei cum potentia naturali ad percipiendam eam loquutionem, qui fortasse concursus in iis circumstantiis non deberetur.

Doctores ergo supponentes actum Prophetiæ 375
esse supernaturalem quo ad substantiam, & exigi principium supernaturale, videntur potissimum loqui de actu, quo Propheta non solùm percipit voces, seu signa, quibus Deus loquitur, sed percipit, & cognoscit, Deum per illa signa loqui, qui est potissimus Prophetæ actus: ideò enim supponunt cognitionem Propheticam debere esse certam de Deo reuelante, vt probat Suarez *sect. 4. num. 4.* quia alioquin non posset propheta certò credere, vel prædicere obiectum reuelatum, nisi certò crederet, Deum esse reuelantem: loquuntur ergo de actu iudicij, quo ex euidenti credibilitate signorum sibi à Deo propositorum iudicat certò, & infallibiliter Deum sibi loqui: ex quo assensu postea credit certò rem reuelatam. Vtrumque tamen absque euidentia: sicut & B. Virgo ex loquutione Angeli, cuius voces percipiebat, habuit euidentem credibilitatem, quod illa esset reuelatio Dei: non tamen habuit euidentiam de hoc: alioquin non ita meruisset, nec commendata fuisset eius fides ab Elisabetha dicente, *beata quæ credidisti.* nam euidentia cogeret ad credendam reuelationem, & rem reuelatam, & beati sunt illi, qui non viderunt, & crediderunt.

Hoc ergo supposito consequens videtur, quod 376
iudicium illud Prophetæ, quo iudicat, Deum sibi loqui, & quo propter loquutionem Dei credit rem reuelatam, esse supernaturale in substantia, sicut in nobis etiam est, quando credimus propter reuelationem mediatè ad nos perductam, atque adeo exigere principium aliquod supernaturale ex parte potentiæ. Hoc autem principium, quando iudiciū illud nō est euidens, non videtur distinctum ab habitu fidei, quem habemus, vt concessit bene Suarez *sect. 6. num. 4.* quia cùm habitus fidei extendatur ad credendam omnem reuelationem obscuram, atque etiam ad priuatam, multò magis extendetur ad eam credendam, quæ fit ipsi Prophetæ, quæ magis participat de reuelatione non priuata, cum fiat in vtilitatem aliorum.

Solùm posset esse difficultas, quia si non po- 377
nitur in Propheta aliud principium supernaturale ad suos actus præter habitum fidei, non videtur verum quod indicat S. Thom. *quæst. 171. art. 2.* & sequuntur alij plures, quod Prophetiæ donum non datur communiter per modum habitus, & permanenter, sed solum transeunter: quare supponere videtur, esse qualitatem aliquam supplentem loco habitus infusi, quæ detur occurrente occasione, & postea auferatur: quare Hurtado *dicta disp. 28. §. 24.* dicit, prophetiam fieri per auxilium extrinsecum Dei supplentem defectum habitus. Respondeo tamen, prophetiæ donum non esse permanens, quia vltra habitum ad cognitionem propheticam requiruntur species, quę non semper dantur, sed quando Deus loquitur, & ideo non est in potestate Prophetæ propheta- Prophe-
re quoties voluerit, vt dixit Suarez *sect. 6. num. 9.* ta non
sicut nos, licet habeamus habitum fidei, non pos- po-
sumus credere, nisi vel à Deo immediatè, vel ab test.
aliis proponantur obiecta credenda: & sicut habens

bens aures expeditas non potest audire, nisi alij loquantur.

378 Vnde obiter infertur, licèt in Propheta ineuidenter cognoscente Deum sibi loqui, præcedat iudicium euidens credibilitatis & pia affectio voluntatis ad credendum Deum loqui, & verum esse, quod loquitur, ad hos etiam actus sufficere ptudentiam infusam, quæ in nobis elicit iudicium credibilitatis & habitum etiam piæ affectionis communem; quia nos etiam habemus iudicium illud euidens, quare ratione euidentiæ non requiritur in Propheta alius habitus ad iudicium illud; & habitus noster piæ affectionis voluntatem elicit imperantem assensum obscurum circa diuinam reuelationem, provt imperat etiam sibi Propheta in prædicto casu.

DISPVTATIO II.

De obscuritate fidei, & de eius compossibilitate cum euidentia.

SECTIO I. *Vtrùm reuelatio clara possit esse obiectum formale fidei.*

II. *Vtrùm fides possit esse de obiecto aliunde clarè cognito.*

III. *An idem assensus fidei possit tendere circa obiectum reuelatum per aliud medium scientificum vel probabile.*

HOc etiam pertinet ad obiectum formale fidei explicandum, non quidem quoad entitatem obiecti ipsius, sed quoad conditionem requisitam, vt possit intellectum mouere ad assensum fidei. Oportebit autem priùs videre de obscuritate requisita ex parte reuelationis: postea de obscuritate requisita in ipso obiecto materiali; an scilicet debeat vndequaque esse obscurum, itavt aliunde etiam debeat non esse euidenter notum.

SECTIO I.

Vtrùm reuelatio clara possit esse obiectum formale fidei.

1 Reuelatio clara quid sit.

REuelationem claram appello eam, quam euidenter cognoscimus esse reuelationem Dei: suppono autem fieri posse quod sciam euidenter aliquam esse reuelationem Dei absque eo quod videam Deum clarè in se ipso, vt dixi *sup. sect.* 7. quod aduersùs Bañes *in præsenti art.* 5. *circa finem & infra quæst.* 5. *art.* 1. *post. vltimam conclusionem*, qui id negauit, docet communis sententia, Caiet. *in præsenti art.* 4. *& infra quæst.* 171. *artic.* 5. Dur. *in* 3. *distinct.* 23. *quæst.* 9. Carthus. & Bassolis *quæst.* 1. *prologi*, Aragon *infra quæst.* 5. *art.* 1. Alphonsus Mendoza *in quodlib. quæst.* 3. *scholast.* videatur Suarez *tom.* 1. *in* 3. *par. disp.* 27. *sect.* 2. §. *sed occurrit*, *& in præsenti disput.* 3. *sect.* 8. Vbi affert plures alios, Vasq. 2. *tom an primam par. disp.* 135. *num.* 6. *& 7.* Valentia *in præsenti disp.* 1. *quæst.* 5. *puncto* 1. Salas 1. *tom. in* 1. 2. *tract.* 2. *disput.* 6. *sect.* 7. Et probatur facilè, quia potest Angelus, v.g. cognoscere supernaturaliter entitatem, & quidditatem actus fidei, ergo potest cognoscere euidenter supernaturalitatem actus fidei, ergo potest cognoscere euidenter, quod habet pro obiecto veram reuelationem Dei, & per consequens euidenter scit existentiam reuelationis; nam sicut viribus naturæ cognoscit Angelus entitatem lapidis, v.g. ordinem, quem lapis habet ad Deum; ita ex eleuatione potest intueri entitatem actus supernaturalis, & habitudinem intrinsecam, quã ille actus habet ad Deum verè reuelantem. Item potest Deus producere aliquam qualitatem, vel actionem, siue vitalem, siue non vitalem, in mente Angeli, quæ per suam entitatem sit vox, & loquutio Dei, (vt diximus in superioribus;) quare qui cognosceret quidditatiuè illam qualitatem, vel actionem, cognosceret clarè illam esse loquutionem, & reuelationem Dei, absque eo quod videret ipsum Deum.

2 Dices: vnus Angelus non potest cognoscere clarè loquutionem alterius, quin eo ipso videat voluntatem Angeli volentis manifestare suum conceptum, ergo nec potest cognoscere clarè loquutionem Dei, quin videat voluntatem, qua Deus vult manifestare suum conceptum, & per consequens quin videat substantiam Dei, quæ distinguitur ab eius voluntate.

Angeli loquutio & vox qu sit.

Respondeo, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod loquutio, & vox Angeli est formaliter actus voluntatis ordinantis obiectum ad alium Angelum, vt explicui *in tract. de Angelis* nec potest formare ad extra aliquam vocem, qua loquatur cum aliis Angelis, quare cum vox Angeli loquentis debeat percipi ab audiẽte, debet videri eius volitio. At verò Deus potest formare vocẽ extra se, qua loquatur, & quæ exprimat eius mentẽ, quare potest loquutio videri, quin videatur volitio Dei, licet ex visione loquutionis cognoscatur abstractiuè talis voluntas increata Dei.

3 Dices primò, ipse actus fidei est cognitio obscura reuelationis Dei, ergo licet euidenter, & intuitiuè cognoscatur ipse actus fidei, non potest manifestare euidenter reuelationem Dei, cuius ipse est essentialiter cognitio, & manifestatio obscura. Respondeo, actum fidei esse obscurum in genere causæ formalis, esse verò clarum in ratione medij cogniti: hoc est, ipsum actum fidei per suam naturam esse talem, vt subiecto, seu intellectui, cui inhæret non tribuat alium effectum formalem, nisi obscurè intelligentis: cum hoc tamen stat, quod per suam entitatem supernaturalem exigat essentialiter non produci, nisi quando præcedit vera reuelatio Dei: quare, qui intuetur eius entitatem, videt hunc ordinem essentialem, & ideo tanquam in medio cognito potest euidenter cognoscere, dari reuelationem Dei. Sicut etiam nostra cognitio naturalis de Deo per media probabilia obscurè nobis manifestat in genere causæ formalis existentiam Dei. Angelus tamen perfectè comprehendens illum meũ actũ, & ordinem quem habet ad Deum, vt ad suam essentiam naturalem, euidenter cognoscit in eo actu, tanquam in medio cognito Deum existere, qui est causa illius actus.

4 Dices secundò, si reuelatio Dei vt talis cognosceretur euidenter, & quidditatiuè, sequeretur, quod cognosceretur quidditatiuè, etiam Deus reuelans

uelans: Consequens autem est absurdum; suppono enim per cognitionem abstractiuam non posse Deum quidditatiuè cognosci. Respondetur negando sequelam: cognosceretur quidem euidenter Deus, & Deus existens, cùm non possit loqui, nisi existat; non tamen cognosceretur quidditatiuè: quia cognitio quidditatiua non est quæcumque cognitio euidens, sed quæ habetur immediatè per speciem ipsius obiecti directam, vel per ipsum obiectum concurrens immediatè absque vlla specie, vel certè quando cognoscitur obiectum in communi, vel in alio obiecto, in quo eminenter, vel æquiualenter adæquatè continetur. Cognitio autem causæ per effectum, licèt sit euidens, non est tamen cognitio quidditatiua causæ: sic enim Angelus cognoscit in creaturis euidenter ordinem ad Deum, quem etiam Deum cognoscit euidenter, non tamen quidditatiuè, sed imperfectiori cognitione, quia non continetur Deus in creatura. Sic etiam, qui audit vocem Petri, licèt sciat euidenter illam esse vocem Petri, & per consequens sciat euidenter, euidentia saltem physica, Petrum existere, & adesse; non tamen cognoscit quidditatiuè Petrum, quia Petrus non continetur in sua voce: quod totum suppono ex tractatu de Deo, vbi latiùs explicui differentiam propriam cognitionis quidditatiuæ, & quid addat supra cognitionem euidentem.

Deus reuelãs non cognoscitur quidditatiuè.

5 Sed contra vrgeois tertiò, quia si solùm cognoscitur euidenter vox, & loquutio Dei, non videtur per hoc cognosci Deus non solum quidditatiuè, sed nec etiam euidenter; nam, qui audit vocem Petri, non ideo cognoscit euidenter, Petrum loqui, nisi simul videat ipsum Petrum: ergo nec qui audit vocem Dei, poterit euidenter scire, Deum loqui, nisi videat ipsum Deum. Respondetur, esse latum discrimen: nos enim quando audimus vocem, non cognoscimus ita distinctè ipsam vocem, & loquutionem, vt percipiamus distinctè ordinem intrinsecum, quem habet ad suam causam: ideo ex voce, vel loquutione cognita non ducimur euidenter semper ad cognitionẽ loquentis, nisi illum videamus. At verò nos loquimur de eo, qui perfectè cognosceret, & penetraret quidditatẽ & entitatẽ vocis & loquutionis Dei; quę cũ intrinsecè dicat ordinem ad Deum loquẽtem, & producentem illam per modum auctoris specialis, non posset nõ cognoscere euidẽter Deũ esse, qui loquitur; imò & nos ipsi aliquãdo ex eo, quod aliunde perspectam & notam habeamus vocem Petri propter frequentem commũnicationem cum illo, etiamsi in loco obscuro eius vocem audiamus, euidenter cognoscimus, Petrum esse, qui loquitur, euidentia saltem morali, vel Physica etiam imperfecta: quanto magis, si clarè penetraremus prædicata intrinseca, & quidditatiua ipsius loquutionis? Et certè, loquendo saltem de possibili, negari non potest, quod possit esse loquutio aliqua Dei, quæ per suam entitatem intrinsecam dicat ordinem necessarium, & essentialem ad Deum, vt loquentem per ipsam: quare licèt non omnis loquutio, aut vox Dei, hoc habeat intrinsecum, sed ex sua entitate indifferẽs sit, vt producatur à Deo ex intentione manifestãdi suam mentem: id tamen sufficeret, vt posset aliquando audiens cognoscere euidenter vocem, & reuelationem Dei vt reuelationem Dei, absque eo quod intuitiuè videret Deum.

6 Hoc ergo supposito, quæstio est, an Angelus, vel homo, cui Deus reuelat aliquod obiectum per claram reuelationem, hoc est, quam euidenter scit esse reuelationem Dei, eliciat actum fidei circa tale obiectum reuelatum ex vi illius reuelationis. Hæc quæstio potest partim esse de nomine, & partim de re: nam vel potest dubitari, an habitus fidei, quem habemus, habeat vim eliciendi assensum propter reuelationem etiam claram; & hæc est quæstio de re: vel potest etiam dubitari, an ille assensus elicitus ab isto vel alio habitu supernaturali dicendus esset actus fidei, vel scientiæ, & hæc est quæstio de nomine; nam certum est illum assensum esse propter diuinum testimonium, certum etiam mihi est, illum assensum esse clarum, & euidentem, vt postea probabo: solùmque manet quæstio, vtrum actus fidei dicantur omnes, quibus assentimur propter Dei testimonium, an solum illi, quibus assentimur propter reuelationem obscuram, in quo est quæstio de nomine, & parum refert, vtro modo loquaris, dum tamen constet de re ipsa.

Difficultas ergo prima est, an noster fidei habitus alligatus sit ad solos assensus propter obscurã reuelationem, an possit etiam versari circa clarã. 7

Prima sententia affirmat, nostrum habitum ex se ad vtramque posse extendi, quia actus nostræ fidei est assensus rei reuelatæ, propter diuinum testimonium, ergo vbicumque inueniatur hæc ratio assentiendi, reperitur ratio formalis nostræ fidei, & per consequens poterit elici assensus ab eodem habitu.

Communis tamen, & verior sententia negat. Secunda. S. Thom. *in præsenti art.* 4. *& 6. & quæstione* 4. *art.* 1. & alij communiter quos refert, & sequitur Suarez *in præsenti disp.* 3. *sect.* 8. Probatur breuiter, quia assensus genitus ex clara reuelatione, non posset nõ esse assensus euidens obiecti reuelati; assensus autem, ad quem ordinatur nostra fides, est assensus ineuidens, & obscurus, ergo nostra fides non posset elicere talem assensum, sed necessarius esset alius habitus clarus, & scientificus supernaturalis. Maior probatur, quia assensus ille infertur per bonam consequentiam ex duplici præmissa euidenti, scilicet, *quod Deus reuelat est verum: & Deus reuelat Incarnationem*, v.g. vtraque enim propositio est euidens vt suppono, loquimur enim in casu saltem, quo aliquis etiam sciat euidenter Deum non posse mentiri; ergo conclusio, quæ immediatè infertur ex illis est etiam euidens. Minor verò, scilicet quod actus nostræ fidei debeat esse ineuidens & obscurus, probatur ex communi consensu Theologorum, item ex scriptura, quæ nostram fidem vbique appellat cognitionem obscuram, ad Hebr. 11. *fides est argumentum non apparentium.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc in ænigmate* 2. Petr. 1. dicitur *lucerna lucens in caliginoso loco*: & alibi sæpe appellatur notitia ex auditu, quia nimirum obscurior est quam ex visu Iob. 42. *auditu auris audiui te.* Ps. 47. *Sicut audiuimus, sic vidimus.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis.* ad Rom. 10. & alibi passim. Denique ideo sancti Patres fidem appellare solent ignorantiam. Hilar. 8. de Trinitate; *Non habet venam, sed præmium ignorare quod credas.* Irenæus *lib.* 2. *cap.* 48. *Melius est nihil scire, & credere Deo.* Clemens *lib.* 3. *c.* 2. August. *contra epist. fundamenti c.* 4. *&* 12. *de Genesi ad literam cap.* 31. & *lib.* 83. *quæst. quæst.* 49. *& tract.* 41. *in Ioan.* Greg. *homilia* 26. *in Euang. & alij passim.*

Confirmatur primò, quia si idem habitus sufficit 8

ficit ad assentiendum reuelationi claræ; non esset cur habitus fidei destrueretur in Beatis: non enim pugnant cum statu beatifico plures reuelationes claræ aliquorum obiectorum; ergo ad eliciendum assensum circa illas posset manere habitus nostræ fidei: consequens autem est contra Theologos id communiter negantes, vt videbimus *infra disp.* 17.

Nomine fidei quid intellexerint Patres.

Confirmatur secundò, ex loquutionibus sanctorum Patrum, qui vniuersaliter, & semper nomine *fidei* intellexerunt assensum intellectualem liberum: vt constat ex Bernardo lib. 5. de consideratione cap. 6. *Fides*, inquit, *est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis.* Augustinus tract. 26. in Ioan. *multa* (inquit) *potest homo facere non volens, credere autem non potest; nisi volens.* & alij plures quos afferemus *infra disp.* 10. *sect.* 1. & 2. vbi de libertate fidei agendum est. Assensus autem euidens non est liber, nisi ad summum in causa, quatenus homo se liberè applicat ad cogitandum de motiuis, quæ cognita necessitant; sua euidentia intellectum ad assensum: quæ libertas reperiri etiam potest in demonstrationibus Metaphysicis, aut Mathematicis: ergo fatendum est, assensum illum ex euidentia in attestante ortum non comprehendi à Patribus nomine *fidei*. Quod Theologi etiam omnes confirmant, dum in fide libertatem, & obscuritatem exigunt contra Holcoth. *in* 1. *quæst.* 1. dicentem assensum solùm articulorum sine voluntate faciendi, quod fides docet, non esse liberum: de quo videri interim potest Hurtado *infra disp.* 45.

9 Contra rationem præcipuam, qua probauimus nostram sententiam ex eo, quod ille assensus esset clarus, & euidens, opinatur P. Vasquez 1. *p. dicta disp.* 135. *cap.* 3. vbi docet assensum genitum ex reuelatione clara non esse euidentem, quia licèt inferatur ex principio euidenti; non tamen ex principio intrinseco seu habente necessariam connexionem ex natura rei cum obiecto conclusionis, sed ex principio merè extrinseco, qualis est reuelatio: quare innuere videtur illum assensum non excludi à vera ratione fidei. Consentiunt Lorca *in præsenti disp.* 16. *n.* 18. & *in* 3. *partem disp.* 50. *à n.* 6. & Turrianus *in præsenti disp.* 9. *dub.* 3. §. *sed communior.*

Ego fateor, numquam percipere potui vim huius rationis, quia si principium intrinsecum sit solùm illud quod est intrinsecum in re ipsa, vt essentia vel passio, certum est non requiri huiusmodi principium ad euidentiam conclusionis; nam plures demonstrationes à priori fiunt per causam efficientem, quæ est extrinseca suo effectui. Si verò per principium intrinsecum solùm significetur aliquod medium habens connexionem cum obiecto conclusionis per aliquam habitudinem intrinsecam, tunc negandum est, non inueniri huiusmodi principium intrinsecum in hac demonstratione. *Omnis reuelatio Dei est vera, Deus reuelat Incarnationem, ergo hæc etiam est vera, seu Incarnatio est vera.* hæc enim est demonstratio à posteriori, & quasi ex effectu: quasi diceres: *omnis reuelatio Dei intrinsecè, & ex natura sua supponit existentiam obiecti, non quidem, vt causam, sed vt conditionem prærequisitam: sicut operatio ignis supponit approximationem localem; sed datur reuelatio Incarnationis, ergo supponit intrinsecè, & necessario veritatem Incarnationis vt conditionem*; quare sicut ex vehementi operatione ignis euidenter cognoscimus eius applicationem per demonstrationem à posteriori, sic etiam per similem demonstrationem colligimus veritatem Incarnationis ex reuelatione clara propter intrinsecam, & necessariam habitudinem, quam reuelatio habet ad suum obiectum quasi ad causam: non enim requiritur ad omnem demonstrationem, quod fiat per propriam causam, vel per proprium effectum, sed sufficit fieri per aliquid, quod se habeat per modum causæ, vel per modum effectus, vt constat ex approximatione ignis, quam euidenter cognoscimus ex vehementi operatione, vt dictum est.

10 *Euidentia intellectualis in quo consistat.*

Confirmatur primò, quia euidentia intellectualis, prout condistinguitur ab ineuidentia, nō potest in alio consistere, nisi in hoc, quod intellectus conuincatur ad obiecto ipso, & necessitetur ad assentiendum, in quo sensu intelligi debent Valentia *in præsenti disp.* 1. *quæst.* 5. *puncto* 1. dicens, euidentiam esse necessitatem assentiendi obiecto, & Hurtado *in præsenti disp.* 25. *sect.* 1. §. 6. dicens, euidentiam supra certitudinem in communi addere, quod intellectus non habeat potentiam proximam ad dissensum. Quæ vt vera sint, debent explicari: non enim quæcumque necessitas antecedens ad assensum facit euidentiam; quia potest Deus necessitare, & determinare intellectum ad assensum probabilem, vel obscurum; & de facto voluntas per piam affectionem, & imperium efficax determinat, & necessitat intellectum ad assensum fidei obscurum, imò proposito motiuo probabili solùm pro vna parte, & non pro altera necessitatur fortasse intellectus ad assentiendum probabiliter, saltem si non impediatur à voluntate. Nec etiam consistit euidentia in necessitate antecedenti, & in actu primo, vt indicat Hurtado *vbi supra* §. 5. nam absque vlla specie obiecti determinante, potest Deus immediatè se ipso concurrere cum intellectu ad cognitionem euidentem de aliquo obiecto, absque eo quod præcedat aliquid necessitans in actu primo, neque in intellectu, neque etiam fortasse extra illum: nam si voluntas libera Dei compleri debet per actionem extrinsecam, poterit voluntas illa Dei esse merè concomitans, & compleri per ipsum actum assensus. Si verò velis, quod voluntas libera Dei non compleatur per actionem extrinsecam, sed sit aliquid adæquatè intrinsecum Deo, iam tunc præcedet in Deo in actu primo aliquod necessitans ad assensum, nempè voluntas Dei: hoc tamen totum præcedit etiam in actu primo, quando Deus determinaret, & necessitaret intellectum ad assensum ineuidentem: quare non potest conceptus euidentiæ consistere in hac necessitate antecedenti; sed debet explicari per necessitatem illam, quæ prouenit ex eo, quod intellectus ab ipso obiecto conuincatur, ad eius veritatem non negandam. Quæ necessitas, & eius differentia ab omni alia necessitate explicari potest per hoc: quod omnis alia necessitas ad assensum, siue proueniat à voluntatis imperio, siue à Deo, siue ab inaduertentia ad alia motiua contraria, talis est, vt licèt in sensu composito non possit cum ea necessitate coniungi dissensus; potest tamen postea, perseuerante memoria illius assensus præteriti, & motiuorum ad assentiendum intellectus dissentire, vel non assentire, cessante imperio voluntatis, & Deo non determinante, vel apparentibus motiuis pro altera parte;

vnde

vnde apparet, intellectum non fuisse conuictum ab obiecto, alioquin perseuerante memoria obiecti conuincentis, non posset intellectus eius veritatem negare. Quando autem assensus est euidens, non solùm repugnat in sensu composito cum eo assensu coniungere dissensum (hoc enim etiam repugnat cum assensu probabili) sed repugnat etiam stante memoria illius assensus præteriti, vel motiuorum, quæ ex parte obiecti mouebant, dissentire: alioquin si potest dissentire, signum est, quod assensus præteritus non fuit euidés, nec intellectus conuictus fuit præcisè ab obiecto, sed quod fuit determinatus, vel à volũtate. vel ab alio principio extrinseco, vel ab inaduertentia ad motiua contraria, &c. Hoc ergo supposito, constat, in casu nostro reperiri totum, quod requiritur ad euidentiam circa conclusionem deductam ex reuelatione Dei euidenti: quia cognita euidenter reuelatione, & cognita etiam necessaria connexione reuelationis cum veritate rei reuelatæ, intellectus ab ipso obiecto conuincitur, & necessitatur ad assensum conclusionis, siue necessitate quoad exercitium, siue saltem quoad speciem, itavt non solùm non possit cum assensu conclusionis coniungere dissensum, sed nec etiam possit postea dissentire conclusioni stantibus eisdem præmissis, neque etiam non stantibus, si maneat saltem memoria assensus præteriti, vel motiuorum, quæ ex parte intellectus mouebant ad assensum conclusionis; & hoc quantumuis proponantur de nouo alia motiua contraria: hæc enim omnia superantur à motiuis prioribus, alioquin non fuerunt motiua euidentia, sed obscura.

11 Confirmatur secundò, quia posito assensu euidenti vtriusque præmissæ, & notitia euidenti de bonitate illationis, veritas conclusionis non potest manere simpliciter obscura: nam licèt non appareat veritas conclusionis in se ipsa, sed in alio, nempe in veritate principiorum: hoc non sufficit ad obscuritatem; alioquin omnis scientia esset obscura, cum omnes conclusiones scientificæ per demonstrationes, siue à priori, siue à posteriori, non appareant in se ipsis, sed in mediis demonstratiuis, quæ tamen ideo dicuntur media demonstratiua, quia demonstrant conclusiones, & faciunt illam clarè videri, non in se ipsa immediatè, sed in ipso medio, quod sufficit, vt conclusio non relinquatur obscura, cùm iam appareat in claro lumine præmissarum. Hoc autem contingit in casu nostro, cùm vtraque præmissa sit euidens, vt suppono, & appareat etiam clarè illatio, seu connexio conclusionis, & veritatis reuelatæ cum præmissis: non ergo manet obscura, vel ineuidens conclusio. Alioquin intellectus, secluso saltem imperio voluntatis, vel compellente etiam voluntate, & imperante dissensum, posset dissentire conclusioni, etiam posito assensu vtriusque præmissæ: veritas enim non manifesta non cogit intellectum ad sui assensum: consequens autem est impossibile, quia non potest intellectus dissentire obiecto, quod videt euidenter contineri necessariò in obiectis, quibus euidenter assentitur, hoc enim esset assentiri simul obiectis contradictoriis. Denique sicut ex vero non potest sequi nisi verum, sic ex euidentibus non potest necessario sequi nisi aliquid euidens; quia sicut, si ex vero sequeretur falsum, cogeretur intellectus ad asserenda duo contradictoria; ita si ex euidentibus sequeretur necessariò aliquid ineuidens, cogeretur intellectus ad fatendum præmissas non esse euidentes: quia vel cogeretur ad formidandum de veritate præmissarum, si formidat de veritate conclusionis, sine qua præmissæ non possunt esse veræ; vel saltem cogeretur ad fatendum, non esse euidentes præmissas, cùm non sit euidenter verum id, sine quo præmissæ non possunt esse veræ. Ad quod cogitur intellectus hoc syllogismo; *euidens est, omnem reuelationem Dei esse veram: sed euidens est, hanc esse reuelationem Dei, ergo euidens est, eam esse veram, & per consequens obiectum reuelatum esse verum.* Cuius syllogismi efficaciam licèt eneruare contendat Hurtadus *vbi suprasect. 5. §. 23.* re tamen vera efficax est, quia reduci potest ad formam legitimam hoc modo: *quotiescumque constat euidenter quod aliqua sit reuelatio Dei, constat euidenter eam habere prædicata essentialia reuelationis diuinæ: sed constat euidenter hanc esse reuelationem Dei, ergo constat euidenter, eam habere prædicata essentialia reuelationis diuinæ.* Cùm ergo euidens sit, veritatem esse prædicatum essentiale reuelationis diuinæ, euidens erit, hanc reuelationem esse veram, & per consequens eius obiectum esse verum, cùm veritas nihil aliud sit, nisi conformitas reuelationis cum obiecto reuelato. Non potest ergo negari, quod euidentia in attestante generat euidentiam veram, & propriam mysterij reuelati.

Obiicit Vasquez primò, quia Philosophus habens demonstrationem alicuius cõclusionis, si postea obliuiscitur medij demonstrationis, & solum recordatur se habuisse euidentiã illius, non ideo dicetur nunc cognoscere euidenter illam conclusionem, quia solum cognoscit illam per medium extrinsecum, scilicet per memoriam confusam prioris euidentiæ, ergo similiter, &c. Respondeo, negando antecedens, quia in casu posito, supposito quod maneat memoria euidens medij demonstratiui, licèt non cognoscatur veritas conclusionis in medio directo, sed reflexo: illud tamen medium, nempe memoria euidens prioris euidentiæ, habet intrinsecam & necessariam connexionem saltem mediatam cum veritate conclusionis, quod sufficit ad euidentiam conclusionis. Obiect.

Contra eandem conclusionem obiiciunt secundo Auctores contrariæ sententiæ, quia Angelus in primo instanti habuit fidem, & tamen habuit euidentiam reuelationis sciebat enim illam non esse nisi à Deo, ergo reuelatio clara cadit sub obiecto formali fidei. Respondeo in primis non esse omnino certum Angelum habuisse rigorosam fidem, & non magis alienam cognitionẽ supernaturalem superiorem, quod de omnibus Angelis concedunt aliqui cum Durando *in 3. dist. 23. q. 3.* cuius sententiam immeritò damnant aliqui, quia Alex. *3. p. q. 80. membr. 2.* & *in summa de virtutibus collat. 35. art. 2.* & Bonauentura *in 3. d. 23. ar. 2. quæst. 3.* dicunt, Angelos omnes ante lapsum habuisse cognitionem altiorem fide. Item Hugo de sancto Victore *primo de sacramentis parte 6. cap. 14* dicit, primum parentem non habuisse fidem, sed altiorem cognitionem, quod idem de primo parente ante lapsum docent Richard. *dist. 23. art. 6. q. 3.* & Gab. *q. 2. in fine.* Nec pro opposita sententia est ratio omnino concludens. Cæterum quicquid sit de hoc de quo *infra disp. 17.* Respondeo, esto Angeli omnes habuerint fidem, negando minorem; scilicet, habuisse euidentiam reuelationis,

reuelationis, quia potuit Angelus formidare ne fortè daretur aliqua creatura superior sibi ignota, quam Deus tunc illi occultabat, & cui permittebat ob aliquos fines eum decipere, quod fieri potuit impediente Deo, ne Angelus cognosceret supernaturalitatem reuelationis, & quidditatem illius: ex quo poterat aliquo modo formidare, an esset à Deo, vel ab alio; quod etiam concessit Hurtado *disp.* 27. §. 13.

14 Obiiciunt Tertiò. Quia Moyses, Apostoli, Virgoque Deipara sciebant euidenter ex miraculis, quæ per ipsos, vel in ipsis fiebant, se veram doctrinam prædicare, cum in eius confirmationem fierent illa miracula; & tamen habebant fidem: ergo.

obiectio 3.

Ex miracula faciunt euidentiam in attestante doctrinæ illius, in cuius confirmationē fiunt.

Hac occasione tractat Hurtado *disp. 26. per totam*, an miracula faciant euidentiam in attestante doctrinæ illius, in cuius confirmationem fiunt, provt concedit Turtianus cum aliis *disp. 9. cap. 1.* qui tamen dicunt, hanc non repugnare cum fide, quia non est propria euidentia, sed per medium extrinsecum. Communis tamen sententia negat talem euidentiam ex miraculis, Bañes *quæst. 1. art. 5. & quæst. 5. art. 2.* Valentia *disp. 1. quæst. 5. puncto 1.* Lorca, & alij, quos affert, & sequitur Hurtado *disp. 26. sect. 3.* qui id probat quia vt cognoscatur euidenter, Deum per miraculum reuelare, oporteret cognoscere euidenter, Deum velle miraculum ad confirmationem reuelationis: hanc autem Dei intentionem non manifestat euidenter ipsum miraculum, cùm potuerit Deus illud ex alio fine operari. Potuit v. g. suscitare Lazarum mortuum, non ad testificandam Christi diuinitatem, sed ex misericordia erga eius sorores, quæ fratris vitam desiderabant, & petebant, vel ad ostendendam suam omnipotentiam vel ad alios fines: ergo licèt constet euidenter miraculum ipsum, non potest euidenter ostendi veritas, in cuius testificationem miraculum fieri videtur.

15 Hæc responsio tãgit quęstionem aliam, an Deus possit cum aliquo concurrere ad vera miracula, quibus ipse vti velit ad persuadendum, & confirmandum, aliquid falsum, in qua affirmatiuam partem tuetur Hurtado *vbi supra sect. 4. §. 9. & sequentibus*, eamque probat multis argumentis, quæ eo non citato, desumpsit ex Suario *2. tom. in 3. part. disp. 31. sect. 2. post. 3. conclusionem.* Potest enim Deus alicui dare donum sanitatis miraculorè conferendæ: quo dono potest homo postea abuti ad confirmandam doctrinam falsam, quam persuadere intendit. Sic etiam sacerdos, licèt conuersio Eucharistica sensibiliter fieret, & appareret, potuisset potestate sacerdotali semel accepta abuti, & dicere, se in confirmationem falsi dogmatis, quod prædicat, velle operari conuersionem illam miraculosam panis in corpus Christi, quo casu adhuc Deus concurreret ad conuersionem miraculosam, non quidem eadem intentione sacerdotis, sed alia, nempe verificandi potestatem traditam, & Sacramentorum institutionem.

An Deus possit cum aliquo concurrere ad vera miracula, quibus ipse vti velit ad persuadendum aliquid falsum.

16 Secundò, quia suscitatio Lazari fuit verum, & euidens miraculum factum à Christo in confirmationem, & testimonium suæ diuinitatis, & quamuis Iudæi non possent dubitare de veritate miraculi; cùm vidissent Lazarum verè mortuum, & postea viderent, eum viuere, comedere, ambulare, &c. dubitabant tamen, licèt culpabiliter, de diuinitate Christi: poterat quippe miraculum illud factum esse à Deo ex alio fine, nempè propter preces sororum Lazari, & ex misericordia erga illas. Vnde August. *tract. 50. in Ioan. propè finem* euidentiam miraculi illius aperte fatetur: *quia tantum miraculum*, (inquit) *tanta erat euidentia diffamatum, tanta manifestatione declaratum, vt non possent vel occultare, quod factum est, vel negare.* Et tamen licèt Iudæi certò crederent, Lazarum non apparenter, sed verè resurrexisse, alioquin non procurarent illum interficere, provt decreuerant, vt constat ex illis verbis Ioan. 12. *cogitauerunt, vt & Lazarum interficerent*: adhuc tamen non credebant Christi diuinitatem, vt constat ex illis verbis eiusdem Ioannis ibi: *cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Non ergo putabant repugnare, quod ad verum miraculum concurreret Deus cum homine probare volente aliquid falsum.

Hæc autem probare videntur non solum in ordine ad alios, qui miracula vident, sed etiam ad eum, qui miraculum operatur, quod nec ipse quidem conuincatur euidenter ad credendam veritatem, in cuius confirmationem, & testificationē voluit miraculum operari: adhuc enim potuit Deus non ob illum, sed ob aliuꝰ finē ad ipsum miraculum concurrere: Quia si v. g. sacerdos celebrans petit à Deo suscitationem mortui præsentis in testificationem, quod ipse verè sit sacerdos; adhuc contingere potuit, quod eodem tempore alij pro suscitatione eiusdem mortui orarent, quorum precibus Deus motus mortuum suscitauerit: non ergo potest sacerdos ex mortui suscitatione à se petita, & fortasse imperata ad securitatem, & testimonium sui sacerdotij, colligere euidenter se esse verè sacerdotem. Quod idem in aliis casibus contingere potest, itaut sẽper manere possit dubitandi ansa impediens euidentiam, non quidem ipsius miraculi, sed rei per miraculum comprobatæ. 17

Addit Suarez, potuisse Deum ob alium finem decreuisse eras tali hora edere tale miraculum, idque posse alicui reuelare, qui postea ex sua malitia vti poterit ea notitia ad confirmandam aliquã falsitatem, quam vt persuadeat, dicat, tali hora in eius veritatis testimonium tale miraculum patrandum. Tunc Deus miraculum illud iam antea decretum faciet; non quidem ad confirmandam illam falsitatem, sed propter finem antea intentum. Non ergo facit euidentiam rei testificatæ euidentia miraculi, quod in eius confirmationem ab aliquo offertur. 18

Miraculi euidentia non facit euidentiam rei testificatæ.

Propter hæc argumenta Hurtado *vbi supra* fatetur, non repugnare, quod Deus concurrat in aliquo casu ad miraculum quod petitur in confirmationem alicuius falsitatis. Ratio autem vniuersalis esse potest, quia sicut Deus vt auctor naturæ potest offerre suum concursum naturalem causæ secundæ, & dare illi virtutem operandi effectus naturales, licèt præuideat, causam secundam abusuram virtute illa, & concursu ad malum, nec per hoc Deus dicitur auctor, vel causa actus mali, quia effectus ille ponitur præter Dei intentionem, qui ex se intendebat actum bonũ; itaut Auctor supernaturalis poterit dare agenti creato virtutem, & concursum suum offerre, & præparare ad opera supernaturalia, licèt præuideat causam secundam abusuram ea virtute, & concursu ad finem prauum, nec per hoc tribuetur Deo abusus ille, cùm Deus illum non intenderit, sed vsum bonum. Deus enim non dat virtutem 19

tutem operandi miracula ad confirmandam falsam doctrinam, sed ad confirmandam veram, vel ad alios fines bonos: agens autem creatum abutitur illa potestate ad finem prauum. Quare hanc etiam sententiam docere videntur Durand, *quæst. 1. prologi num. 47.* Bañes *in præsenti quæst. 5. art. 1. ad 1. principale*, versic. *Quod si quis iterum*, & Michael de Medina *lib. 5. de recta in Deum fide cap. 7.*

20 Alij tamen non audent id absolutè concedere, saltem in iis circumstantiis, in quibus non potest aliunde constare miraculum, provt procedit à Deo, non fieti ad confirmandam illam doctrinam falsam, sed ad alium finem bonum diuersum: quia hoc esset planè Deum testificari aliquod falsum, ita concludit tandem Suarez *illa sect. 2. §. Hæc argumenta.* Et Granado *in præsenti disp. 8. num. 10. & sequentibus.* Quia miracula vera sunt quasi sigillum diuinum, quo Deus confirmat, & sigillat diuina auctoritate doctrinam illam, vt cum Toleto notauit idem Granado *ibi num. 4.* Sicut ergo Rex scienter confirmans sigillo suo Regio scripturam sui ministri continentem mendacia, videretur particeps mendacij, & deceptionis, medio quippe sigillo suo testificatur, & confirmat contentum in ea scriptura: ita Deus miraculis veris confirmans doctrinam aliquam falsam particeps esset falsitatis, & deceptionis, quod Deo repugnat. Confirmarique potest ex modo loquendi scripturæ, in qua miracula appellari solent testificationes Dei ad Hebr. 2. *Contestante Deo signis & portentis.* Marc. vlt. *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis,* & ideo Christus Ioan. 10. de operibus suis dicebat: *ipsa testimonium perhibent de me, operibus credite:* & alia similia alibi passim reperiuntur.

Miracula sunt quasi sigillum diuinum.

21 Hæc tamen ratio videri potest minùs sufficiens, imo posse retorqueri: quia Rex tradens sigillum suum alicui ministro, imò & suum etiam chirographum, vel subscriptionem, vt ipse postea epistolas opportuno tempore scribat, quas anticipata subscriptione Rex iam subscripsit, & sigillo suo signari voluit, ab omnibusque recipi tanquam suas; non tamen ideo particeps erit mendacij, licet minister postea abutens subscriptione, & sigillo Regio, falsa aliqua præter Regis intentionem scribat: imò licet Rex præuideret, ministrum abuti posse sigillo, & subscriptione, & fortasse abusurum ad aliquid falsum Regis nomine scribendum, non ideo Rex diceretur mentiri, vel decipere, nisi solum permissiuè, cum id totum Rex non intenderit: idem ergo de Deo dici posset, licet præuideat aliquem potestate accepta ad miracula patranda abusurum ad suadendam doctrinam falsam, & diuina auctoritate sigillandam.

22 Adhuc tamen non videtur recedendum ab hac communi sententia cum ea limitatione. Pro cuius explicatione aduerto, regulariter loquendo, neque etiam ipsius miraculi euidẽtiam ab hominibus haberi. Multa enim possunt Dæmonis opera fieri, quæ secundum apparentiam miracula etiam appareant: qualia fuerunt, quæ à Magis in præsentia Regis Pharaonis facta fuerunt, & quæ Deo etiam permittente, Antichristus, dæmonis etiam interuentu, operabitur ad decipiendos, si fieri etiam posset, electos, & ad persuadendum se esse verum Christum; vnde fortasse etiam mortuos secundum apparentiam suscitabit: facilè enim potest Dæmon hominis mortui corpus assumere, illudque mouere, & in eo loqui, aliisque humanas operationes exercere, itaut homo ille resurrexisse videatur. Vnde in rigore loquendo miracula etiam, quæ Christus faciebat, non videntur talia, vt omnimodam euidentiam afferrent de veritate miraculi, cùm conuersio etiam aquæ in vinum potuisset à Dæmone fingi, ablata inde aqua, & allato repentè vino ex alio loco, quod magi etiam aliquando nostris temporibus fecerunt: quod idem in panis & piscium multiplicatione, aliisque similibus fieri potuisset. Quin, imo nec ipsa eadem opera mirabilia, quæ Beatissima Virgo in se experiebatur, videbantur eam cogere ad omnimodam euidentiam; cùm in rigore loquendo etiam absque coitu viri potuisset fortasse Dæmon semen humanum aliunde transferre in eius vterum, vt conciperet, provt aliqui Philosophi & Medici possibile fatentur. Vnde liceret miracula illa in illis circumstantiis facerent proculdubio maximam euidentiam credibilitatis, nec sine manifesto peccato negari possent; non tamen cogebant omninò intellectum, sed adhuc relinquebatur locus libertati fidei, & ideo ipsamet Dei para laudatur, & commendatur ob fidem exhibitam in verbis illis, *Beata, quæ credidisti*, &c.

Neque ipsius miraculi euidentia, regulariter loquendo, ab hominibus habetur.

Vnde neque etiam Apostoli, aut prædicatores 23
Euangelici, qui in confirmationem fidei, quam prædicabant, miracula à Deo petebant, & diuina etiam virtute operabantur, cogebantur ab ipsis miraculis ad omnimodam euidentiam de eorum veritate, quæ fidem liberam excluderet. Potuissent quippe saltem imprudenter, & culpabiliter dubitare, an Dæmon ipse ad eos decipiendos opera illa mirabilia fingeret, totamque illam illusionem suspicari Dæmonis esse ad errorem suum magis confirmandum: quot enim miracula perfidus Iudas in suo Apostolatu patrauit, quibus non obstantibus fidem veritatis Christianæ sceleratissimè abiecit? Quod idem reliquis Apostolis potuisset accidere, & per consequens non habebant omnimodam euidentiam veritatis, cui etiam volentes resistere non potuissent. Denique licèt verum sit, & concedatur, Deum non posse concurrere ad verum miraculum, quod in confirmationem falsi dogmatis offeratur; hoc tamen ipsum non est euidens, cùm tot Theologi contrarium sentiant, vt vidimus: quare ex hoc etiam capite, saltem per principia extrinseca, dubitari posset saltem imprudenter, an miracula, esto vera essent, fierent à Deo ad confirmandam doctrinam illam, an verò ad alium finem diuersum occultum.

Loquendo verò de re ipsa, placet mihi, quod 24
Deus non possit in iis circumstantiis ad verum miraculum concurrere, nisi per se loquendo, constare possit, Deum ob alium finem id facere, & non ad confirmandam doctrinam falsam in cuius testificationem à ministro prauo offertur, & fit. Ad quod vrgere possumus exemplum illud de sigillo, quod quidem Princeps non potest hic & nunc apponere, quando scit contineri in scriptura ipsa aliquam falsitatem à ministro scriptam. In quo etiam differentia aliqua inuenitur inter Deum, & Principem creatum: hic enim licèt possit aliquando sigillum suum, & subscriptionem etiam ministro alicui confidere, quamuis præuideat posse subsequi, & fortasse sequuturum abusum illius sigilli, & subscriptionis, qua minister sit abusurus ad aliquam falsitatem confirmandam: Deus tamen id facere non potest. Quia sicut

sicut Princeps, si in ipso actu sigillandi, aut subscribendi aduerteret falsitatem contentam, non posset sigillare, aut subscribere, sed deberet sigillum repetere, ne cooperaretur ad deceptionem, & mendacium: sic Deus ad idem teneretur. Vnde cùm Deus non solùm antecedenter, sed in ipsomet actu sigillandi, & operandi miraculum videat semper falsitatem doctrinæ, ad quam confirmandam miraculi sigillum apponitur, non videtur posse tunc cooperari posse ad malitiam ministri, quin particeps sit deceptionis, & falsitatis. Non enim antea solùm subscripsit, vel sigillum dedit, sed tunc subscribit, & sigillat. Quare sicut Princeps, licèt antea se obligasset ad sigillanda, vel subscribenda, quæ minister scripserit, si tamen postea aduerteret falsitatē in scriptura sigillanda, vel subscribenda, non teneretur, imo nec posset fidem seruare, sed deberet à subscriptione, vel sigillatione abstinere: sic Deus, licèt per impossibile antea se obligasset ad miracula operanda, quoties Petrus vellet; non tamen deberet, nec posset id exequi, quando in iis circumstantiis miraculum esset, per se loquendo, signum testificationis diuinæ, quia miraculum differt in hoc à sigillo Regio, quod supponat necessariò scientiam Dei de veritate, vel falsitate doctrinæ in cuius confirmationem exhibetur, quòd non habet sigillum Regium, cùm potuerit voluntate antecedente à Rege dari ignorante, quid in scriptura postea sigillanda continendum esset. Non posset tamen Deus id antecedenter promittere, nisi præuideat, non sequuturum abusum, quia Deus non potest deficere suæ promissioni. Vnde apparet aliud discrimen quod Rex in rigore loquendo non loquatur, nec aliquid affirmet tunc quādo eius sigillum apponitur ex commissione, vel mandato generali antecedenti, quo sigillum alicui commisit. Ille enim solus loquitur in rigore, qui affirmat se aliquid cognoscere, & scire, verum esse tunc, quando loquitur, quia loquutio tendit ad manifestandam, & communicandam scientiam præsentem ipsius loquentis: quare cùm sigillum Regium ab alio appositum non significet nunc Regem scire id verum esse; non loquitur formaliter Rex per sigillum ita appositum, sed solùm potuit Rex antecedenter præcipere subditis obedientiam, & fidem iis scripturis præstandam, sicut si ipse loqueretur. Si autem sigillum aliquod esset ita essentialiter Regi affixum, vt non posset, nisi à Rege ipso scripturæ conscio apponi; iam tunc Rex per sigillum loqueretur, quia sigillū illud significaret sufficienter scientiam, quam Rex habebat, & communicare intendebat tunc, quando sigillum apposuit. Talia autem sunt miracula vera à Deo in eiusmodi circumstantiis patrata: quæ cum non possint, nisi à Deo fieri, & quidem à Deo conscio doctrinæ, quæ tali miraculo sigillatur: eo ipso ostendunt, Deum per eiusmodi miracula, & sigilla loqui, & manifestare mentem suam. Hinc enim est, quod Deus teneatur assistere summo Pontifici, ne aliquod falsum dogma Ecclesiæ proponat. quia supposita Christi promissione, iam Deus per Pontificem censetur proponere, & ideo non potest etiam ex alio fine permittere, quod Pontifex ex cathedra falsum dogma proponat: quia cum iam ex Dei institutione propositio illa Pontificis, sit quasi eiusdem Dei subscriptio, & ipse Deus sciat optimè veritatem, vel falsitatem doctrinæ, quæ suo nomine proponitur, non potest permittere, quod falsa doctrina suo nomine & subscriptione proponatur, quia particeps fieret deceptionis & falsitatis.

Hinc iam ad argumenta suprà posita respondeti potest. Ad primum dupliciter posse Deum dare potestatem illam generalem. Primò, itavt constet, vel constare possit, quo fine, vel quando Deus illam dederit; quo casu, si postea homo potestate illa abutatur ad alium finem comprobandi aliquid falsum, vel alterius finis prauí, facilè etiam constare poterit, Deum non operari hîc & nunc miraculum ad finem illum prauum, sed propter alios fines, quos intendit in prima illa generali concessione. Vt si Deus in præmium eleemosynæ alicui concederet, vt quoties vellet, inueniret in crumena duos aureos, & postea vt meretricem postea sibi accerseret, illique solueret, abuteretur beneficio illo diuino, miraculum non fieret à Deo ad finem illum turpem, sed in præmium eleemosynæ. Idem est de potestate consecrandi, & conuertendi panem in corpus Christi, quæ conuersio licèt sensibiliter fieret, adhuc fieret quando Sacerdos consecrare vellet ad finem prauum, vel ad comprobandum errorem, quia aliunde constare posset, miraculum non fieri à Deo propter illum finem prauum, sed propter veritatem institutionis Sacramenti sustinendam, ideò sæpe dixi, non posse fieri miraculum à Deo in iis circumstantiis, quando per se loquendo, non potest colligi aliunde, quod fiat à Deo propter alium finem. Quod autem aliquis ex priuata ignorantia id nesciret, & ideo putaret, miraculum fieri à Deo ad comprobandum hunc errorem, id videtur esse per accidens, nec imputabitur Deo illa deceptio, sed ignorantiæ eius, qui decipitur, eo quod ignoret id, quod iam Deus sufficienter manifestauerat circa intentionem suam in eo miraculo. 25 *Respondetur ad argumenta suprà posita.*

Potest autem hæc distinctio explicari, & confirmari ex deceptione etiam, quæ ex vocibus ipsis prouenire diuersimodè potest. Ad hoc enim vt aliquis per voces non decipiat, sufficit, & requiritur, quod eas proferat in eo sensu, quem in iis circumstantiis per se loquendo, significare possunt. Vnde si interrogāte aliquo, an sis filius Pauli, qui re vera est tuus pater, tu respondeas, *non sum*, credo, quod non excuseris à mendacio, & deceptione ex eo, quod non habeas intentionem proferendi eas voces ad respondendum, sed ad probandam vocem, & exercendam linguam Latinam, vel aliquid simile. Nam in iis circumstantiis voces illæ, per se loquendo, significant determinatè intentionem respondendi. Aliud esset, si in iis circunstantiis possent etiam habere aliam significationem, licèt interrogans priuato errore eam ignoraret: tunc enim deceptio non tribueretur respondenti, sed ignorantiæ priuatæ ipsius interrogantis, vel aliorum, qui non attenderunt ad illum alium sensum, quem voces in iis circumstantiis poterant significare. Sic dicendum videtur de miraculis veris, quæ quidem in aliquibus circumstantiis determinatè significant auctoritatem diuinam contestantem, & confirmantem doctrinam illam: & tunc nō potest Deus illa operari, nisi in confirmationem doctrinæ veræ: alioquin enim deciperet, vtendo signis, quæ determinata sunt ex se ad significandam talem contestationem. Secus verò esset, quādo ob diuersas circumstantias possent aliud significare, licèt aliquis, vel aliqui ob priuatam ignorantiam de- 26

ciperentur, cuius deceptionis Deus non esset auctor, nisi permissiuè; non tamen Deus decipe-
ret, cùm non vteretur signis determinatè id significantibus in iis circumstantiis.

27 Ad secundum argumentum ex suscitatione Lazari responderi potest, licèt ij, qui eum viderant mortuum, & posteà viderunt viuum euidentiam aliquam potuerint habere saltem moralem de veritate miraculi: Pharisæos tamen, & eos, qui cogitauerunt Lazarum postea interficere, non habuisse eam euidentiam, cùm ipsi non viderint Lazarum mortuum, sed solùm fide humana, & fama id acceperint. Vnde licèt prudenter dubitare non possent; poterant tamen saltem imprudenter & ex deprauato in Christum affectu dubitare, ne fortè tota illa fuisset mortis fictio, conuentione priùs cum Lazari sororibus facta ad ostentandum resurrectionis miraculum. Quinimo neque ij omnes, qui miraculo affuerunt, eius veritatem crediderunt, vt indicat Ioannes Euangelista, & notauit Maldonatus in eum locum; quod mirum non est, cùm, neque ij omnes Lazarum mortuum vidissent, sed morte audita, venissent ex Hierosolyma ad sorores consolandas. Vtrique autem poterant saltem imprudenter, & ex deprauato affectu dubitare de veritate miraculi, & an fuisset solum præstigium Dæmonis fingentis mortem apparentem in Lazaro, & hebetantis eius sensus ac impedientis eius actiones vitales illo tempore, vt postea apparenti resurrectione confirmaretur prædicatio falsa Christi. Quod verò Augustinus dixit miraculum illud fuisse *tanta euidentia diffamatum*, non est necesse, quod intelligatur de euidentia propria circa veritatem miraculi, imo videtur repugnare, quod per famam solam generaretur euidentia, cùm tota illa notitia reducenda esset ad fidem humanam narrantium, & publicantium id, quod factum fuerat, sed potest intelligi de euidentia circa famam ipsam, de qua fama, & attestatione euidenter constabat, nec negari poterat; vel certe de euidentia quadam morali circa factum ipsum; cùm negari non posset factum illud, quod tot testes fide digni de visu testabantur. Adhuc tamen dubitari poterat saltem imprudenter, an factum illud contineret verum miraculum diuinum, an solùm præstigium dæmonis, vel apparentiam humano artificio compositam.

Non omnes qui miraculo suscitationis Lazari affuerunt, eius veritatem crediderunt.

28 Ad exempla verò ibi adducta de sacerdote petente resurrectionem mortui præsentis in testificationem sui veri sacerdotij, quando eadem resurrectio petebatur alibi ab aliis in confirmationem veræ fidei, & de illo, qui ex Dei reuelatione sciret miraculum eras à Deo operandum ex alio fine, & ipse idem miraculum offerret in confirmationem erroris, quem suadere intendebat: ad hæc, inquam, & similia dicendum est ex doctrina supra tradita, Deum non posse illa mitacula operari in iis circumstantiis, in quibus sciri non posset, Deum ex alio fine ea operari. Ad hoc enim veracitas obligat vt diximus, vt non solùm non exhibeamus signa ad significandum falsum, sed neque etiam ad aliud verum significandum quando ipsa ex se in his circumstantiis determinata sunt, per se loquendo, & non solum per accidens ob ignorantiam priuatam alterius, ad significandum illud falsum. Vnde interrogatus à Petro de aliquo falso, non poteris affirmatiuè respondere, quando ea responsio, per se loquẽdo, determinatè significat, te Petro respondere, etsi eodem tempore alius occultè te interrogaret de aliquo vero, cui tu respondere intendis, & non Petro, quando illa occulta interrogatio ab aliis omnibus ignoratur, & ideo tua responsio externa non potest accipi, nisi vt directa ad Petrum. Quia intentio sola non variat significationem determinatam externam, quam voces, vel signa de se habent, & ideo non sufficit ad excusandum à falsitate, & mendacio, cuius malitia consistit in vsu vocum, vel signorum externorum habentium determinatam significationem externam contra id, quod verum est. Sic ergo Deus non potest exhibere verum miraculum, quando illud in iis circumstantiis determinatè significat contestationem vel confirmationem alicuius falsitatis. Vnde nec potuit Deus reuelare illud miraculum futurum præuidens circumstantias, in quibus debebat determinatè significare confirmationem alicuius falsitatis, quia nec poterat in iis circumstantiis illud operari.

Ad rationem verò, & exemplum virtutis, & 29
concursus naturalis, quem Deus dare potest agenti creato; etiamsi præuideat ipsum abusurum eiusmodi virtute, & concursu ad opus malum, nec per hoc Deus dicitur auctor mali, eo quod sit præter eius intentionem: responderi etiam potest ex dictis, discrimen esse: quia per opus illud naturale malum, ad quod Deus, vt auctor naturalis concurrit, non censetur Deus loqui, aut testificari aliquod falsum per vera miracula, quæ ex communi hominum sensu à natura ipsa inito censentur specialia signa, & sigilla, quibus Deus specialiter voluntatem, & mentem suam manifestat. Si tamen aliunde constaret, Deum alicui virtutem, & concursum generalem dedisse ad patranda miracula, sicut nunc constat virtutem, & concursum generalem datum ad opera naturalia; iam tunc miracula illa non censerentur signa testificationis diuinæ, sicut nec nunc opera naturalia, quare eo casu non tribueretur Deo testificatio falsitatis, ad quam homo miraculo abuteretur. Nos tamen non loquimur de illo casu, sed quando, per se loquendo, in his circumstantiis miraculum censetur procedere à Deo testificante doctrinam, in cuius confirmationem editur.

Denique ad exemplum Regis tradentis sigil- 30
lum suum, vel subscriptionem alicui ministro, quem præuidet posse eis abuti, & fortasse abusurum ad testificandum Regia auctoritate aliquid falsum, cuius tamen falsæ testificationis Rex non est actor, quia contra eius intentionem fit; iam diximus supra, differentiam esse, quod Rex postea quando sigillum imprimitur, vel subscriptio applicatur, non aduertit, ibi esse aliquid falsum. Si enim id aduerteret, teneretur id impedire, alioquin falsitas ei tribueretur: Deus verò postea quando miraculum operatur, & quasi sigillum imprimit, scit falsitatem doctrinæ, quæ sigillo illo speciali confirmatur, atque adeo non posset à deceptionis vitio excusari in iis circumstantiis, 31
in quibus, vt diximus, miraculum per se, & determinatè significat testificationem diuinam.

Quæri potest primò, an de facto Propheta aliquis, vel alius habuerit euidentiam in attestante de rebus nostræ fidei, quæ nobis solùm per fidem obscuram proponuntur. De hoc agit Suarez *disp. 3. sect. 8. num. 10. & sequentibus*: qui ferè in vniuersum negat. Et quidem non appareret fundamentum sufficiens ad id de aliquo affir-

mandum

mandum: nam illi etiam, qui magis familiariter, & excellentiori modo à Deo illuminati sunt circa res nostræ fidei, supponuntur per fidem credidisse ea mysteria, vt constat de Abrahamo, cuius fides laudatur apud Paulum ad Hebr. 11. vbi idem dicitur de Iacob prædicente suis filiis, quæ ventura erant; item de Moyse. Non habuerunt ergo scientiam, & euidentiam de rebus sibi reuelatis: alioquin parum laudanda esset eorum fides: *beati enim qui non viderunt, & crediderunt.* Nec esset ita efficax exemplum Abrahæ quem idem Paulus ad Rom. 4. proponit nobis tanquam exéplar credentium. Quod idem de Isaac, Dauid, & aliis propheris testatur Paulus dicto cap. 11. Quinimo ipsa Beatissima virgo de conceptione Verbi diuini non videtur habuisse euidentiam, sed fidem, & hanc obscuram, & liberam, atque adeo dignam encomio illo, *beata, quæ credidisti*, quæ verba non bene intelligerentur, si Beatissima virgo euidentia præcedente cogeretur ad assensum præstandum. Quicquid ergo sit, an aliquando, & in aliquo raro casu aliquis euidentiam etiam in attestante habuerit; regulariter tamen non est fundamentum ad id asserendum, neque id videtur expedire iuxta communem prouidentiam Dei volentis, quod fides ipsa sit meritoria, & libera in viatoribus, licèt ob peculiares conditiones reuelationis priuatæ, appellari fuerint Prophetæ videntes, non quod euidentiam habuerint rerum, quas prædicebant, sed ob eximium lumen fidei, & prophetiæ, quo peculiariter eis futura, & abscondita reuelabantur, vt cum aliis explicat Suarez *ibi num.* 13.

32 *An fuerit euidentia fidelibus de reuelatione diuina, & non de veracitate Dei, assensus vt reuelatus esset sine assensu fidei.*

Quæri potest secundò, An si aliquis euidentiam haberet de reuelatione diuina, non tamen de veracitate, & infallibilitate Dei, assensus rei reuelatæ esset tunc assensus fidei. Certum est autem non esse euidentem & clarum, cùm inniteretur vni saltem principio obscurè cognito, nempe veracitati diuinæ; ex hoc autem sequi videtur, quod possit esse assensus fidei, cùm habeat obscuritatem requisitam ad actum fidei: præsertim cùm fides humana exerceatur etiam quando constat clarè de loquutione Petri, cui credimus, de cuius tamen veracitate euidentiam non habemus, & ex eo capite assensus circa rem creditam adhuc remanet obscurus: idem ergo dicendum videtur de fide diuina, qua Deo reuelanti creditur.

33 Suarez *disp. 3. sect. 8. num. 22. & sequentibus* in primis difficile putat, quod possit aliquis habere euidentiam de reuelatione, quod sit reuelatio diuina, & non habeat etiam euidentiam de veracitate Dei. Sed tamen dato illo casu, quo esset euidentia Dei reuelantis, non tamen Dei veracis, dicit illum assensum fidei non fundari per se in euidentia reuelationis, quia fidelis ita credit, quæ à Deo dicuntur, vt paratus sit ad credendum, licèt non constet euidenter de reuelatione, si tamen sit euidentia credibilitatis. Quod ergo hîc & nunc euidenter constet reuelatio per accidens se habet ad illum assensum fidei, qui per se non fundatur in illa euidentia, sed in reuelatione, neque illa euidens cognitio reuelationis ad assensum fidei deseruit, nisi sub generali ratione, quatenus sufficienter proponit obiectum reuelatum.

34 Hæc responsio, & distinctio difficilis est Primò quia, in rigore loquendo assensus fidei circa obiectum reuelatum non fundatur in euidentia præmissæ formalis, sed in obiecto præmissæ: neque enim dicit, credo Incarnationem, quia euidens est, Deum id reuelare, sed quia Deus id reuelat: nam euidentia non tenet se ex parte obiecti cogniti, sed ex parte cognitionis, cum qua realiter identificatur: non ergo concurrit euidentia principij, aut mouet *vt quod*, sed *vt quo*, sicut dici solet de cognitione finis, quæ cognitio non cognoscitur, nec mouet, nisi, *vt quo*, seu vt conditio, & applicatio obiecti, quod solùm mouet *vt quod*. Nunquam ergo fundari potest assensus circa obiectum reuelatum in euidentia reuelationis, propriè loquendo. Eo autem modo, quo cognitio deseruit applicando obiectum, tota deseruit cum tota sua euidentia, quod à posteriori colligitur, quia sicut visio clara Dei necessitat ad eius amorem, quia proponit obiectum tali modo, & cum tali euidentia & claritate; sic etiam cognitio euidens vtriusque præmissæ determinat, & necessitat ad assensum conclusionis, quia tali modo proponit obiecta præmissarum; nec est in potestate nostra limitare influxum, & efficaciam talis cognitionis: vt influat solùm sub ratione generica, & non sub ratione specifica, cum sub vtraque informet intellectum, nec aliter moueat eo modo, quo mouet *vt quo*, nisi informando, & proponendo, ac repræsentando obiectum. Vnde secundò arguere possumus, quia si ponita tali repræsentatione euidenti, posset intellectus moueri ab ea solùm sub ratione generica, quatenus est repræsentatio, & non sub ratione specifica, quatenus repræsentatio euidens est, sequeretur, quod etiam si vtraque euidenter cognosceretur, nempe & veracitas Dei, & eius reuelatio, adhuc ex vtraque illa præmissa posset procedere assensus fidei circa obiectum reuelatum, nimirum si intellectus moueretur ab illis præmissis solùm sub ratione generica, quatenus sunt cognitiones veracitatis, & reuelationis diuinæ, & non quatenus sunt cognitiones euidentes. Consequens autem non concedit, sed negat expresse ipse Suarez *eadem sect. 8. num. 20.* quia ex præmissis euidentibus non posset deduci conclusio ineuidens, qualis debet esse actus fidei: ergo nec quando vna sola præmissa de reuelatione est euidens poterit mouere ad actum fidei circa obiectum reuelatum, solùm sub ratione generica, quin moueat secundùm totum gradum quem habet talis repræsentationis euidentis.

Ideo alij, quos tacito nomine refert idem Suarez *ibi n. 16.* fatentur, eo casu, quo sola reuelatio diuina cognosceretur euidenter, & veracitas obscurè, assensum circa obiectum reuelatum esse verum actum fidei, cùm iam haberet obscuritatem ab vno principio obscuro. Alij tamen melius dicunt, illum quidem fore assensum fidei, non tamen eiusdem rationis, cum fide nostra, sed diuersæ. Ita breuiter, & obiter dixit Granado *in præsenti tract. 2. disp. 5. num. 9.* Vnde consequenter dicendum videtur, assensum illum non posse fieri saltem adæquatè ab habitu fidei, quem de facto habemus. Potrò illum assensum futurum esse fidei, probari videtur argumentis adductis: quia esset obscurus, nec obstaret claritas reuelationis, sicut neque etiam obstat claritas de loquutione Petri, vt assensus, quo ei testificanti credimus, sit verè fides humana erga Petrum. 35

Quod verò assensus ille non esset similis actibus fidei, quos de facto habemus, nec posset adæquatè procedere ab habitu fidei, qui de facto infundi 36

funditur, probari potest; quia habitus fidei qui de facto datur, habet ordinem essentialem ad assensus solùm obscuros circa res reuelatas, vt supra vidimus, & per consequens exigit, quod motiuum credendi sit obscurum: alioquin res ipsa reuelata euidenter innotesceret. Non videtur autem, quod habitus fidei nostræ exigat obscuritatem in motiuo solùm in confuso, & sub disiunctione, nimirùm, quod obscurè cognoscatur vel reuelatio Dei, vel eius veracitas, itaut alterutra obscuritas sufficiat ad actum nostræ fidei. Nam si hoc esset, iam haberet ex se virtutem ad assensus claros eliciendos circa veracitatem Dei, atque etiam circa reuelationem Dei, & per consequens posset ex vtroque assensu procedere ad assensum conclusionis circa rem ipsam reuelatam. Non enim apparet, si semel hic habitus habet ex se virtutem ad eliciendum assensum clarum circa reuelationem, quomodo ex eo, quod veracitas Dei euidenter cognoscatur, impediatur ab eliciendo assensu euidenti circa reuelationem clarè propositam, quem assensum aliàs posset de se elicere. Cùm ergo aliundè non videatur negari posse, quod de facto multi fideles moueantur à veracitate Dei non obscurè, sed euidenter cognita, vt vidimus *disp. 1. sect. 6.* & per consequens habitum nostræ fidei habere de facto virtutem ad eliciendos assensus euidentes circa veracitatem Dei; melius & magis consequenter dicemus, obscuritatem necessariam nostræ fidei debere prouenire saltem ex obscuritate circa illud aliud principium nempè circa reuelationem, circa quam non potest vnquam elicere assensum clarum, & ideo nec potest circa rem reuelatam assensum clarum ex diuinæ auctoritatis motiuo elicere. Nec oportuit ad eum assensum clarum virtutem huic habitui inesse, qui de facto eliciendus non erat, communiter saltem loquendo, cùm Deus fideles omnes in ænigmate, & fide obscura voluerit ambulare, & per fidem obscuram ad iustitiam prouehi.

37 Si tamen aliquandò extra regulam communem Deus alicui reuelationem claram & euidentem de aliquo peculiari obiecto communicet; quæri potest, à quo habitu, vel principio eliciatur assensus eo casu. Ad quod ex dictis responderi potest, tunc concurrere quidem posse habitum ipsum fidei, quem de facto habemus; non tamen adæquatè, & solum, sed simul cum alio comprincipio. Cum enim diximus, habitum fidei nostræ de facto non habere virtutem ad eliciendum assensum euidentem circa reuelationem, consequens est, vt ad eum actum euidentem circa reuelationem, requiratur aliud comprincipium, habitus verò fidei poterit ex se concurrere ad assensum circa veracitatem, & rursus ipse habitus fidei cum illo alio comprincipio superaddito poterunt elicere assensum circa rem reuelatam, singulæ vt causæ partiales, quæ singulæ requiruntur ratione vnius præmissæ, & ideò concurrunt partialiter ad assensum conclusionis, quæ pendet ab vtraque illa præmissa, & inuoluit assensum implicitum vtriusque.

38 *Assensus ortus ex reuelatione clarè cognita an sufficeret ad meritum bonorum operũ quæ ex illa cognitione procederent.*

Petes, an assensus ortus ex illa reuelatione clarè cognita sufficeret ad meritum bonorum operum, quę ex illa cognitione procederent. Respondeo, si talis assensus daretur, consequenter id concedendum esse: quia sicut si alicui viatori daretur transeunter visio clara Dei, & licèt amor Dei ex illa visione ortus esset actus necessarius, & ideò non esset meritorius, alij boni liberi, qui ex eadem visione Dei procederent, possent esse supernaturales, & meritorij; sic actus boni procedentes ex reuelatione Dei clara cognita per actum supernaturalem, possent esse supernaturales, & per consequens nihil illis deesset, vt possent esse meritorij. Posset tamen idem homo habere saltem circa alia obiecta alios actus fidei procedentes ex reuelatione obscura, & initium iustificationis semper esset ex fide procedente ex reuelatione obscura, vt verificaretur etiam in illo regula vniuersalis, quod initium omnis iustificationis adulti sit fides, & quod sine fide impossibile sit placere Deo: quæ vera sunt de fide etiam obscura ex parte reuelationis.

Quæri potest tertiò an fideles de facto, licèt non habeant euidentiam metaphysicam de reuelatione diuina, & veritate obiecti reuelati; habeant tamen euidentiam moralem. P. Granado *in præsenti tract. 2. disp. 4. num. 2.* affirmat dari in fidelibus eiusmodi euidentiam moralem, quia multò firmiora sunt motiua nostræ credulitatis in rebus fidei, quàm illa, quæ, secluſa diuina reuelatione, suadent esse Romam iis, qui Romam non viderunt: ergo sicut ij etiam habent euidentiam moralem de existentia Romæ, licèt non videant repugnantiam Metaphysicam in ∞, quod non sit, & quod omnes id testificantes deceperint, ita concedenda erit moralis euidentia fidelibus de rebus fidei ex motiuis credibilitatis quæ plura, & maiora sunt: cui fauere videtur S. Thom. *in præsenti quæst. 5. art. 2.* dum dicit, *Eos, qui viderent suscitari mortuum in confirmationem alicuius veritatis, manifestè cogniturros esse, illam doctrinam esse à Deo.* Et *3. part. quæst. 47. art. 5. in corpore* dicens, *Iudæos vidisse euidentia signa diuinitatis in Christo.* quæ ad minus intelligi debent de euidentia morali.

Hic modus dicendi videtur mihi singularis, & in rigore falsus, si non sit quæstio de vocibus, & nomen *euidentiæ moralis* latius extendatur, quàm communiter in aliis materiis accipi solet. Proque suppono id, quod supra dixi, euidentiam, & claritatem in cognitione tunc interuenire, quando intellectus conuincitur ab ipso obiecto taliter proposito ad assensum: quò autem euidentia maior est, eò magis intellectus conuincitur, & cogitur ad assentiendum, & quò minor est, minus cogitur, vnde quando est omnimoda, & perfectissima euidentia, omnino conuincitur, & nullo modo dubitare potest. Quare euidentia Metaphysica est, quando clarè apparet, rem nullo modo posse aliter se habere, v. g. duo, & duo esse quatuor; nihil posse simul esse, & non esse, & alia similia. Euidentia autem physica est, quando constat clarè, rem, licèt metaphysicè possit aliter se habere; non tamen physicè, seu attenta virtute causarum physicarum & naturalium. v. g. ignem applicatum subiecto capaci calefacere, sub accidentibus panis dari panis substantiam, & similia. Denique euidentia moralis dicitur, quando licèt metaphysicè non repugnet contrarium, neque etiam physicè, hoc est, attenta virtute causarum naturalium, apparet tamen clarè talis, & tanta difficultas, vt ratione illius nunquam contrarium ponatur, vel ponendum credatur in aliquo casu. Et ideo dicimus esse euidentiam moralem apud nos de existentia regionis Indicæ, quam nunquam vidimus, quia licèt attenta virtute causarum naturalium, non repugnet physicè, quod

quod omnes, qui nobis testificati sunt de India mentiri voluerint; hoc tamen ipsum est adeo difficile, vt non credamus id vnquam euenturum, vt tot, tamque diuersi testes conuenerint ad volendum nos decipere, & cum tanta vniformitate, & constantia nobis eadem diuersis etiam temporibus, & locis testificentur absque vlla discrepantia, & idcirco dicimus, nos habere moralem euidentiam, & plusquam fidem humanam de Indica regione, quod sufficit, vt intellectus conuincatur: nec possit, nisi per summam dementiam & obstinationem dissentire.

41 Hoc supposito, probari facilè potest, non haberi communiter à fidelibus moralem euidentiam de rebus nostræ fidei, aut de diuina reuelatione; quia experientia constat, facilius posse aliquem imprudèter, si velit, dubitare de rebus fidei, quàm de existentia Indicæ regionis; cùm plures sint, qui de facto à fide semel suscepta deficiant, nemo autem, qui Indiæ existentiam neget. Quamuis enim fideles, dum fideles sunt, parati sint ad negandam potius Indiam, quàm fidem: hoc tamen prouenit ex pia affectione, & imperio voluntatis captiuantis intellectum in obsequium fidei, non verò præcisè ex obiecto conuincente, & cogente intellectum ad assensum. Cessante quippe imperio voluntatis & affectione pia, intellectus sibi relictus faciliùs posset dubitare de fidei rebus, quàm de existentia Indiæ. Obiectum ergo, quantum est de se, minùs conuincit, & ligat intellectum ad res fidei, quàm ad existentiam Indiæ, & per consequens non est eadem euidentia de illis, quæ est de India, & licèt, vt infrà videbimus, firmiùs & certiùs assentiamur illis, quàm Indiæ; clariùs tamen Indiæ assentimur, quàm rebus fidei.

42 Oritur autem hæc maior euidentia de India, quàm de rebus fidei, non quidem ex eo quod fundamenta nostræ fidei minora sint; sunt enim multò maiora, cùm sint veracitas, & testificatio diuina; sed ex eo, quod minùs clarè nobis proponuntur, quàm fundamenta ad credendam existentiam Indiæ. Nam ad conuincendum intellectum, & determinandum ad assensum non solùm deseruit pondus ipsius motiui, sed etiam maior claritas, qua proponitur, quæ magis impedit dubium, & formidinem de obiecto, quàm pondus solùm motiui absque ea claritate cogniti. Quare licèt auctoritas diuina æquè clarè cognita magis determinaret ex se, & cõuinceret intellectum, quàm motiua humana, quæ habet ad credendam Indiam: de facto tamen, secluſa pia affectione, & imperio voluntatis, minùs cogit, quia non æquè clarè, sed magis obscurè apparet, quàm appareant illa alia motiua, & ideò, secluso imperio voluntatis, posset facilè intellectus dissentire, provt de facto dissentiunt hæretici, quibus proposita sufficienter sunt motiua credibilitatis nostræ fidei; cum eadem experientia ostendat, neminem negare Indiam humana solùm auctoritate probatam. Quare meritò Coninch. *disp.* 11. *de fide dub.* 1. *num.* 44. dixit, eos, qui Romam nunquam viderunt, non tamen habere propriè fidem de existentia Romæ, sed euidentiam quandam, nec tam Romam credere, quàm scire, atque adeò hanc euidentiam moralem ex motiuis humanis genitam posse stare cum fide diuina eiusdem obiecti, licèt hic Auctor non admittat posse consistere fidem humanã cum fide diuina de eodem obiecto.

43 Vnde iam constat responsio ad rationem contrariæ sententiæ; dicimus enim, licèt fundamentum secundùm se maius sit ad credendas res nostræ fidei, quàm ad credendam Indiam; id non sufficere ad euidentiam moralem, quando illud maius fundamentum minùs clarè proponitur; vtrumque enim requiritur ad generandam euidentiam. Quod probari potest retorquendo idem argumentum; nam maius etiam est fundamentum, quod habemus ad credendas res nostræ fidei, & multò firmiùs, quàm quod habemus ad conclusionem euidentem euidentia physica. Ideò enim Petrus appellauit firmiorem Propheticum sermonem, quàm notitiam ex visu corporeo comparatam: & tamen assensus fidei non habet euidentiam physicam, quàm habet assensus conclusionis in demonstratione physica: quia scilicet maius illud, & firmius fundamentum in fide, non proponitur clarè, sicut in demonstratione, sine qua claritate non cogitur, nec determinatur intellectus, nisi accedat voluntatis imperium. Similiter ergo dicimus, fundamentum ad credendam Indiam minus esse in se, quàm fundamenta fidei nostræ; proponi tamen clariùs, & ideo gignere moralem euidentiam, quam non gignunt in nobis fundamenta fidei, quia non ita clarè proponuntur.

Vrgebis adhuc, quia tunc videtur dari moralis 44
euidentia, quando aliquis de veritate obiecti non potest prudenter dubitare vel formidare, & multò minùs eam negare: minus autem prudenter potest aliquis negare veritatem nostræ fidei, aut de ea dubitare, quàm de veritate Indiæ: ergo non minùs habet euidentiam moralem de rebus nostræ fidei, quàm de India. Respondeo, maiorem claritatem, vel euidentiam non consistere in eo, quod non possimus prudenter de obiecto dubitare, vel illud negare: certum enim est, minùs posse nos prudenter dubitare de rebus fidei, quàm de iis, de quibus habemus euidentiam physicam, cùm quilibet fidelis potiùs negare debeat, quæ sensibus percipit, quàm quæ fides credenda proponit: & tamen maior est euidentia de iis, quam de obiectis per fidem creditis, vt constat. Non ergo arguitur maior, vel æqualis euidentia ex eo, quod possimus minùs prudenter dubitare de hoc obiecto, quàm de aliis euidentibus. Ratio autem est, quia prudentia, cui opponitur imprudentia, si propriè, & in sensu rigoroso accipiatur, est virtus moralis intellectualis proximè morum directrix, seu est virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus, quid honestum sit, quid turpe, vt cum aliis definit, & docet Lessius *lib.* 1. *de prudentia cap* 1. *dub.* 1. *num.* 1. vnde *num.* 8. infert, obiectum prudentiæ esse actionem honestam in singulari: ex quo etiam fit, vt quò plùs aliqua actio deuiat ab honestate, & obligatione; eò magis imprudenter fiat: quare, si cum minori etiam claritate, & euidentia est maior obligatio non dissentiendi alicui obiecto, vel non dubitandi de illo, provt contingit in obiectis fidei propter auctoritatem Dei testificantis, vt infra videbimus agentes de firmitate, & certitudine fidei; tunc etiam magis imprudenter dubitabitur, & minùs prudenter negabitur propter maiorem oppositionem cum regula prudentiæ dictantis maiorem turpitudinem, & inhonestatem in eiusmodi dissensu, vel dubitatione. Non ergo arguitur benè euidentia moralis ex eo, quod non possit aliquid prudenter negari, vel reuocari in dubium, cùm hoc argumentum sit à disparatis,

nempè ab obligatione credendi, quod est obiectum prudentiæ, ad necessitatem, vel quasi necessitatem prouenientem ab obiecto taliter apparente, quod est proprium euidentiæ.

45 *An id quod est moraliter euidens ita appareat, vt non possit nisi imprudenter negari, vel reuocari in dubium?*

An verò id, quod est moraliter euidens, ita appareat, vt non possit, nisi imprudenter negari, vel reuocari in dubium: dico, in primis aliquando nec prudenter, nec imprudèter posse negari; quia, licèt non appareat fundamentum euidens euidentia physica ad assentiendum, nullum tamen apparet fundamentum ad dissentiendum, & negandum positiuè, sine quo fundamento intellectus non potest elicere positiuum dissensum. Quare fortassè de facto non potest regulariter homo dicere, & credere, non dari Indicas regiones, quia non habet fundamentum ad id dicendum, licèt non habeat euidentiam physicam de India. Aliquando verò habere potest aliquale fundamentum ad id negandum, licet nimis infirmum, & quòd non tollat euidentiam moralem contrariam, & poterit fortassè ex imperio saltem voluntatis id negare. Sicut etiam poterit ex imperio eiusdem voluntatis dubitare, eo quod possibile sit omnes de India testificantes decipere voluisse. An verò in iis casibus imprudenter operetur negando, vel dubitando positiuè de obiecto moraliter euidenti: aliquando quidem imprudenter id fiet. quando scilicet spectat ad regulas morum materia, de qua agitur; in qua materia ad prudentiam strictè sumptam pertinet examinare, & proponere veram honestatem, & conuenientiam obiecti. Quando verò materia talis non esset, ille talis negans, vel dubitans magis diceretur stultus, vel insipiens, quàm imprudens: semper tamen magis imprudenter dubitabitur, vel dissensus præstabitur in rebus fidei insufficienter propositis, quia hoc magis erit contra regulas prudentiæ proponentis obligationem assentiendi firmiter, licèt absque necessitate proueniente ex parte obiecti, qualis communiter reperiri solet, vbi datur euidentia physica, vel moralis.

46 *Explicantur duo loca S. Thomæ.*

Restat explicare duo loca S. Thomæ adducta pro contraria sententia. Ad *primum ex quæst. 5. art. 2.* vbi S. Doctor dicit, eum, qui videret, mortuum suscitari à Propheta in confirmationem rei futuræ, quàm prædiceret, conuincendum fore manifestè ad cognoscendum, quod prædictio illa esset à Deo. Respondetur, ibi non esse sermonem de vera euidentia rei, sed de euidentia credibilitatis, vt constat ex verbis antecedentibus, in quibus S. Thomas supponit, debere intercedere imperiũ voluntatis. Sic enim ait: *Respondeo, dicendum, quod sicut supradictum est, intellectus credentis assentit rei creditæ: non quia ipsam videat, vel secundùm se, vel per resolutionem ad proxima principia per se visa, sed quia conuincitur per auctoritatem diuinam assentire his, quæ non videt,* (ecce excludit euidentiam etiam à præmissis) *& propter imperium voluntatis mouentis intellectum, & obedientis Deo. Quod autem voluntas moueat intellectum ad assentiendum, potest contingere ex duobus. Vno modo ex ordine voluntatis ad bonum: & sic credere est actus laudabilis. Alio modo, quia intellectus conuincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quæ dicuntur; licèt non conuincatur per euidentiam rei; sicut si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc signo conuinceretur intellectus videntis, vt cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur: licèt illud futurum, quod prædicitur, in se euidens non esset, vnde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Ex quibus verbis constat, S. Thomam requirere voluntatem in vtroque illo modo credendi, quem distinxit ab habente euidentiam rei in se, vel in præmissis euidentibus. Videatur Bañes in illo art. 2. in dubitatione circa secundam conclusionem, vbi docet, & probat, in Dæmone, de quo ibi agit S. Thomas, non requiri imperium voluntatis ad credenda mysteria nostræ fidei; esse tamen tantam vim motiuorum, vt licèt non faciant Dæmoni euidentiam physicam, impossibile tamen moraliter sit ei resistere tali ponderi motiuorum, & ideò dicitur habere euidentiam moralem de veritate nostræ fidei. Vnde S. Thomas ibi in responsione ad primum non dixit absolutè Dæmonem conuinci, sed fidem eius esse *quodammodò coactam ex signorum euidentia*, quibus verbis indicat, non esse omnimodam coactionem, sed aliquam libertatem cum impotentia morali ad dissentiendum: & in eodem sensu *in 3. sent. dist. 23. q. 3. art. 3.* dixit, quod Dæmones non omninò liberè assentiuntur rebus fidei, quas credunt; quia nimirùm habent necessitatem moralem ad volendum credere propter vehementiam motiuorum, licèt habeant potentiam physicam ad non assentiendum; & in eo denique sensu intelligi debet idem S. Thom. quando *quæst. 14. de veritate art. 9. ad 4.* dixit, Dæmones non voluntate, sed necessitate credere; intelligit enim nomine *necessitatis*, coactionem, sicut, qui metu mortis proiicit merces, dicitur necessitate coactus id facere, licèt reuera non sine voluntatis imperio id faciat.

De homine autem, qui videt mortuum suscitari à Propheta in confirmationem veritatis, quam prædicit, non puto communiter habere euidentiam etiam moralem diuini testimonij, vt dixi in superioribus, & constat experientia, cùm multi ex Iudæis, qui ea miracula Christi videbant adhuc non crederent. Vnde quando S. Thom. dixit *loco citato*, conuinci tunc intellectum, vt cognoscat manifestè hoc dici à Deo, & quando *3. p. dicta quæst. 47. art. 5.* (qui erat secundus locus S. Thomæ in contrarium adductus) dixit, Principes Iudæorum, & homines maiores, & sapientes *vidisse euidentia signa diuinitatis ipsius*, intelligi debet de euidentia credibilitatis, non tamen de euidentia etiam morali, qua euidens esset signa illa fieri à Deo in confirmationem diuinitatis Christi. Alioquin non potuissent potentia saltem morali dissentire, prout de facto dissentiebant, & negabant Christi diuinitatem. Vnde Paulus de eisdem dixit: *quod si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Manifestè tamen conuincebantur euidentia signorum quæ euidenter probabant eos nullam habere excusationem, vt non crederent; ad credendum tamen necessarium eis erat voluntatis imperium, & pia affectio, sine qua poterant adhuc saltem imprudenter dubitare, & negare, prout de facto negabant.

Vt ergo iam ad propositum nostræ quæstionis, vnde digressi sumus, reuertamur, constat ex omnibus supradictis, fidem nostram exigere essentialiter obscuritatem aliquam in assensu, quatenus oritur ex motiuo eiusdem fidei. Contra quod adhuc obiici potest, quia etsi constet mihi clarè de loquutione Petri, adhuc possum elicere actum fidei humanæ circa obiectum dictum; ergo etsi constet clarè de loquutione Dei, possum elicere

elicere actum obscurum fidei circa obiectum dictum. Respondeo, negando consequentiam, quia euidentia testimonij Petri, non tollit obscuritatem circa obiectum dictum : non enim apparet clara connexio infallibilis illius testimonij cum veritate obiecti, & ideo relinquitur assensus obscurus : at verò inter testimonium diuinum clarè cognitum, & veritatem obiecti, apparet clarè, & euidenter necessaria connexio.

49 *Obscuritas quomodo se habeat respectu fidei.*

Restat tamen difficultas, quomodo se habeat obscuritas respectu fidei ? an vt ratio formalis obiectiua, an alio modo ? Aliqui dicunt pertinere ad obiectum formale, quod non solùm est reuelatio vt sic, sed talis reuelatio, scilicet obscura : quare assensus innitens reuelationi claræ, & assensus innitens reuelationi obscuræ differunt penes diuersa obiecta formalia, quæ respiciunt. Ego existimo in primis, obscuritatem, formaliter loquendo, non esse rationem formalem assentiendi ; ratio enim formalis est, quæ mouet ad assensum, obscuritas autem non mouet ; immo magis retardat ; non enim assentior ego, quia reuelatio est obscura, sed quia reuelatio est. Deinde existimo, obscuritatem non esse aliquid tenens se ex parte obiecti, sed ex parte ipsius assensus ; quare non tam est diuersitas in obiecto, quàm in modo tendendi ipsius actus ad suum obiectum : quod ipsa experientia testatur : videmus enim, proposito aliquo principio duobus hominibus, alterum, qui perspicax est, & acutus, cognoscere clarè veritatem obiecti, & connexionem terminorum inter se ; alterum, qui tardus est, & hebes, cognoscere idem obiectum ex apprehensione etiam terminorum, obscurè tamen, vel saltem minùs clarè : quæ diuersitas tenet se radicaliter ex parte minoris luminis intellectualis ; formaliter verò ex parte actus obscurioris, à quo denominatur obiectum obscurum, sicut ab assensu euidenti, certo, & claro, denominatur obiectum euidens, certum, & clarum : quia res in se ipsis nec habent claritatem, nec obscuritatem nec certitudinem, aut incertitudinem.

50 *Infertur.*

Hinc infero, nostrum habitum fidei inuenire quidem in reuelatione clara totam rationem formalem assentiendi, quam habet, scilicet testimonium & veritatem Dei. Cæterùm impediri ab eliciendo assensu circa illam propter natiuam limitationem, qua ex natura sua adstringitur ad tale genus actuum ; scilicet ad obscuros solùm, nec habet virtutem ad claros etiam circa idem obiectum formale reuelationis diuinæ : quæ limitatio colligitur ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum suprà adducto. Quare cùm S. Thomas *in præsenti art. 6.* dixit, *rationem formalem rei credibilis esse non visum*, non loquitur de ratione formali obiectiua, sed de ratione formali, quæ denominatiuè conuenit obiecto ab ipso actu fidei, quam notanter appellauit *rationem formalem ex parte nostri*, quasi subiectiuam, non obiectiuam ; quæ quidem potest dici ratio formalis, in quantum pertinet ad diuersitatem specificam fidei, fides enim non solùm specificatur ab obiecto formali, sed etiam ab intrinseco modo tendendi in ipsum obiectum ; scilicet cum obscuritate.

Habitus fidei non impediatur ab eliciendo assensu circa reuelationem claram.

SECTIO II.

Vtrùm fides esse possit de obiecto aliundè clarè cognito : vbi vtrum possit esse cum opinione.

51

DIximus, actum fidei essentialiter esse obscurum : nunc inquirimus pro complemento eiusdem dubij, an adeo sit claritas contra rationem fidei, vt repugnet fides circa obiectum aliunde clarè cognitum : vbi etiam obiter videbimus, an repugnent assensus fidei, & assensus probabilis, seu opinio circa idem obiectum.

Habitus fidei non repugnat cum habitu scientifico.

Suppono primò, non esse quæstionem de habitibus comparatis inter se : certum enim est, habitum fidei non repugnare cum habitu scientifico, imò nec cum habitu erroris : tum quia habitus supernaturales non contrariantur habitibus naturalibus : tum etiam, quia habitus solùm se habet vt principium suorum actuum : principia autem actuum contrariorum non debent esse contraria ; nam idem intellectus, & eadem voluntas est principium actuum contrariorum, scilicet assensus & dissensus ; amoris & odij ex quo etiam fit, non repugnare habitum fidei cum assensu scientifico, neque è contra habitum scientificum cum assensu fidei, sicut non repugnat actus amoris cum principio actus odij.

Nec cum assensu scientifico.

52

Videatur Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 9. n. 4. & sequentibus*, vbi contra Capreolum dicentem amitti fidem habitualem circa eorum articulos, circa quos aliquis acquirit demonstrationem, & assensum scientificum, probat id esse falsum ab experientia, qua constat etiam comparata Philosophia ab aliquo fideli, non minùs firmiter posse ipsum profiteri fidem earum veritatum, quæ firmitas maior non prouenit à ratione Philosophica, sed à fide, cuius assensus debet habere maiorem illam firmitatem, vt infra videbimus. Ratio etiam est clara, quia habitus infusus fidei est indiuisibilis, & vnus ad assensus omnium articulorum : quare non posset ex parte deperdi, & ex parte retineri : cùm ergo maneat saltem ad alios articulos credendos, non potuit perdi fides habitualis circa hos, qui aliunde euidenter iam sciuntur. Quod idem est, quando priùs erat habitus scientificus, & postea aduenit fides ; eadem enim experientia constat, non perdi habitum scientificum de iis obiectis, quæ etiam per fidem probantur.

53

Contra hoc tamen opponi potest primò, quia ex eo quod actus virtutis, & vitij opponantur, fit, quod habitus etiam opponantur, nec possit esse aliquis simul temperans, & intemperans habitualiter ; mansuetus, & iracundus, castus, & lasciuus, &c. Ergo sufficit oppositio inter actus, vt neq; eorũ habitus possint ex natura rei esse simul. Ad hoc argumentum, omissis aliis solutionibus, quę videri possunt apud Hurtadũ *in præsenti disp. 29. sect. 1.* Respondeo, distinguendo : nam potest fermo esse de habitibus infusis, vel de acquisitis. De infusis itaque certum videtur, quod non opponantur cum habitibus vitiosis : nam peccator qui habitus vitiosos diuturno peccandi vsu comparauit, & postea cum attritione confitetur, & iustificatur, accipit cum gratia sanctificante habitus infusos virtutum moralium ; & tamen experientia

perientia constat, non expelli statim habitus vitiosos: immò adhuc difficultatem non exiguam sentiri prouenientem ab eiusmodi habitibus: non ergo repugnant esse simul cum habitibus infusis. Vnde è contra, si præcedunt habitus infusi in homine iusto, & postea paulatim acquiritur habitus vitiosus per peccata venialia, constat etiam, non ideo expelli habitus infusos. Adueniente autem peccato mortali, expellitur quidem habitus charitatis, & iuxta communem sententiam expelluntur quoque alij infusi virtutum moralium: non tamen propter repugnantiam habituum inter se, cùm postea recuperata gratia, redeant habitus infusi, non expulso habitu vitioso; sed expelluntur propter connexionem, quam habent cum gratia, quæ expellitur per peccatum mortale actuale, cum quo alij etiam habitus infusi habent repugnantiam mediatam.

54 Loquendo verò de habitibus acquisitis contrariis, in mea sententia nulla est repugnantia inter eorum entitates physicas: nam ij habitus, vt dixi in Philosophia, tam qui pertinent ad facilitatem intellectus, quàm qui pertinent ad facilitatem voluntatis, sunt solùm species coordinatæ intensæ, vel tale, quæ facilè & promptè repræsentant motiua ad assensum, vel consensum, vel etiam ad dissensum: quæ species non habent inter se oppositionem physicam quoad entitatem. nam postquam aliquis habet species, vt apprehensiones motiuorum pro vna parte, potest denuò accipere speciem intensam motiui pro parte contraria, nec ideo amittit species priores, vel obliuiscitur illorum motiuorum. Dicuntur tamen expelli, vel remitti priores habitus, non quidem quoad entitatem, sed quoad denominationem: quia licèt maneant priores species; non tamen facilitant, nec inclinant sicut priùs; quatenus propositis iam motiuis contrariis, debilitatur vis priorum motiuorum; nec possunt ita vehementer mouere in præsentia noui motiui contrarij, quod antea vel latebat, vel non ita attentè ponderatum, & examinatum fuerat. Vnde priores habitus non facilitant potentiam, sicut antea, & quia eorum actiuitas manet refracta, dicuntur non manere, vel saltem remitti quoad denominationem habitus, vel facilitatis, quamuis remaneant quoad totam suam entitatem intrinsecam: quæ omnia suppono ex Philosophia, & ex iis constat, non argui bene ex hoc exemplo repugnantiam inter habitum scientiæ & fidei infusæ, præsertim cum habitus infusi non dent facilitatem sicut acquisiti, sed habeant se ad modum potentiæ, vt dixi eodem loco, vnde multò minùs repugnant cum acquisitis contrariis, quàm ipsi habitu acquisiti inter se: quia licèt non posset esse simul facilitas ad actus contrarios: potest tamen esse potentia ad vnum actum cum facilitate ad actus contrarios.

55 Obiectio 2. Sed contra hoc arguitur secundò, quia habitus fidei oppositionem habet cum quolibet errore contra fidem, quod prouenire videtur ex eo, quod actus fidei non possit stare simul cum actu erroris, ex quo fit vt nec fidei habitus manere possit cum actu erroris; si ergo non potest etiam actus fidei esse simul cum actu scientifico circa idem obiectum, hoc sufficiet, vt nec habitus fidei manere possit cum eo actu. Respondetur, oppositionem habitus fidei infusæ cum actu erroris non esse physicam cum entitate erroris, nam si actus idem erroris non esset culpabilis, non expelleretur actus fidei, & è contra expelleretur; etiamsi error re vera non esset contra obiectum reuelatum, sed ex conscientia erronea putantis esse reuelatum, circa quod obiectum procul dubio non potuisset fides infusa elicere suum actum: non ergo est illa repugnantia physica prouenies ex tali obiecto, sed est quasi moralis, hoc est fundata in culpa infidelitatis, quæ expellit gratiam, & disponit sufficienter, & condignè ad ablationem etiam habitus fidei, vt dicemus *infra disp.* 16. agentes de conseruatione fidei. Cùm ergo hæc oppositio quasi moralis non sit inter actus scientiæ & habitum fidei, non debet hic expelli propter illos.

Obiici potest tertiò, ex visione beatifica, & 56 lumine gloriæ, quæ expellunt habitum fidei in- Obiectio 3. fusæ, eo quòd cum illis non potest fides exercere suos actus; ergo si fides non potest exercere suum actum cum actu scientifico eiusdem obiecti, hoc etiam sufficiet, vt habitus fidei manere non possit adueniente scientia de eisdem obiectis. Respondetur, negando consequentiam, habitus enim fidei perditur in patria, eo quòd maneat semper otiosus, quia ratione status beatifici, & perfecti, cui repugnat actus obscurus, numquam posset elicere suum actum, qui essentialiter debet esse obscurus saltem circa diuinam reuelationem, vt supra diximus; Quare, cùm habitus infusus non detur, nec conseruetur, nisi in ordine ad operandum; cessante omninò, & in perpetuum hoc fine, & hoc per se loquendo, & ratione status intrinseci, non potest connaturaliter conseruari ampliùs talis habitus. Ratio autem à priori est, quia habitus infusi, vel promanant à gratia, vel dantur, & conseruantur à Deo ad exigentiam eiusdem gratiæ, cui debentur potentiæ ad actus intellectus, & voluntatis, qui sint proportionati filio Dei adoptiuo. Cùm autem eadem gratia extra viam, & in termino beatitudinis exigat ex natura sua perpetuitatem, & inamissibilitatem, illius status, & per consequens exigat, quod habitus fidei nunquam ampliùs operetur; impossibile est, quod eadem gratia exigat adhuc habitum fidei, quem solùm exigebat ad operandum. Cessante autem hac exigentia gratiæ, imò posita exigentia eiusdem gratiæ contraria, non potest Deus conseruare adhuc habitum fidei, quem solùm conseruabat ob exigentiam gratiæ, & idcò ex natura rei sequitur eius destructio, quòd non procedit adueniente scientia, cùm adhuc gratia exigat conseruari habitum fidei, qui deseruire in primis potest adhuc ad assensus circa alios articulos, & deinde etiam circa hos ipsos, si quando medium scientificum memoriæ non occurrat, & denique etiam in præsentia medij scientifici, vt firmiùs, & certiùs per fidem credantur, vt posteà videbimus.

Confirmatur responsio hæc; quia si habitus 57 fidei in patria auferretur solùm propter repugnantiam, quam eius actus haberent cum visione clara eorumdem obiectorum, non debuisset omninò auferri: neque enim Beatus videret de facto omnia obiecta in verbo quare respectu eorum, quæ non videt, potuisset habere fidem. Ratio ergo, cur fidei habitus omninò auferatur, debet esse magis vniuersalis, nempè, quia ratione status perfectissimi repugnat actus obscurus, atque ideò fides semper otiosa, quia si quæ alia manifestanda sunt Beato vltra ea, quæ videt in verbo, id totum debet fieri per reuelationem claram, qualis decet Beatum.

Hæc

Hæc autem ratio non procedit in casu nostro, in quo fides non maneret otiosa: ergo licet actus fidei, & scientiæ circa idem obiectum non possent esse simul, non ideò habitus fidei destrueretur in via, sicut aufertur in patria.

58 *Assensus Theologicus non repugnat assensui fidei circa idem obiectum.*

Suppono secundò, Assensum Theologicum non repugnare cum assensu fidei, circa idem obiectum, quia licèt assensus Theologicus deducatur per euidentem consequentiam ex suis principiis; habet tamen obscuritatem ea parte, qua pendet à principio fidei, & ideo non est simpliciter clarus, nec quidem scientificus, sed obscurus & certus. Difficultas ergo præsens est solùm de assensu claro, & scientifico, an pugnet cum assensu fidei.

Prima sententia.

Prima sententia affirmat omnino repugnare; quam tenere videtur S. Thom. *in præsenti*, Capreolus, Caietanus, & Thomistæ communiter, Scotus, & Richardus relati à nostro Valentia *in præsenti disp.* 1. *puncto* 4. *quæst.* 1. §. 2. *in principio*, Molina, Comel. & alij plures, quos affert Suarez *disp.* 3. *sect.* 9. *n.* 1. qui loquuntur de actu fidei, & cognitione scientifica, idem tamen dicerent de actu fidei, & opinione.

Secunda sententia.

Secunda sententia negat repugnare. Hanc tenent Alex. Alens. Albertus Magnus, Altisiodorensis, Bonauentura, Dur. Gabr. quos refert, & sequitur idem Valentia *vbi sup.* eandem tenet Cathetin. *in c.* 11. *epist. ad Hebr.* & Salmeron *ibid. disp.* 21. vterque eisdem verbis, & rationibus eam probans, & plures Recentiores, qui tamen rursus diuiduntur: nam aliqui hanc sententiam in vniuersum docent de omni cognitione euidenti: alij verò dicunt, cognitionem euidentem abstractiuam non repugnare cum fidei assensu; intuitiuam verò omnino repugnare.

59 *Nō repugnat fidei assensui cum omni cognitione euidenti eiusdem obiecti.*

Dico primò. Non repugnat fidei assensus cum omni cognitione euidenti eiusdem obiecti Huic non repugnat fortasse S. Thom. nam *quæst.* 5. *art.* 1. in corpore videtur docere, solum repugnare fidem cum scientia perfecta, qualis habetur in patria, non cum naturali, qualis fuit in Angelis simul cum fide; & *ad secundam* dicit, omnem cognitionem naturalem nostram habere obscuritatem, & tenebras sufficientes ad obscuritatem fidei saluandam. Hanc etiam tenent Suarez *vbi suprà num.* 7. Hurtado *disp.* 30. *sect.* 2. Coninch. *disp.* 11. *dub.* 15. & alij cōmuniter. Probatur primò ex scriptura, in qua proponuntur fide credēda ab omnibus aliqua, quæ à multis euidenter sciuntur; qualis est Dei existentia, & plura eius attributa. Ad Hebr. 11. *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est*, item ibidem dicitur, fide credi mundi creationem: *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, &c. & denique in symbolo fatemur omnes docti, & indocti, quod credamus Deum esse omnipotentem, & vnum, &c. vbi Patres de omnibus dicunt habere fidem illorum obiectorum, quorum verba vide apud Valentiam *vbi sup.*

57 *Vt doctus possit habere eumdem actum fidei.*

Probatur secundò, quia ad contitionem debet præcedere cognitio fidei de bonitate Dei, malitia peccati, &c. quæ omnia à viro docto possunt euidenter sciri; ergo potest habere vtrumque assensum in intellectu: alioquin deterioris conditionis esset doctus, quàm indoctus; nam circa hæc obiecta rusticus exercet actus fidei supernaturales, & meritorios; doctus verò solùm haberet naturales, & sine merito.

60

Variè respondent aduersarij. Dicunt primò, posse elici ab homine docto assensum fidei in absentia assensus scientifici, à quo potest abstinere homo doctus, vt fides possit habere locum. Sed contra, quia si actus fidei pugnat cum euidentia actuali, pariter videtur pugnare cum memoria euidentiæ: nam sicut quando actu video Petrum, non possum credere propter dictū alterius, quod video Petrum, vt postea dicemus, sic nec postea possum credere me vidisse Petrum propter dictū alterius: statim enim excitatur in memoria species euidenter repræsentans me illum vidisse, ergo similiter in homine docto excitatur species euidēs obiecti sciti impediens fidem; ergo numquam nisi in casu aliquo raro, habere posset fidem illorum obiectorum. Videatur Coninch. *vbi sup. n.* 25. *Varia responsiones aduersariorum.*

Respondent alij, Philosophum habentem scientiam de existentia Dei, & aliis articulis non debere eos fide credere, nec Paulum necessarium esse dixisse fidem strictam horum articulorum, sed solùm assensum certum, prout abstrahit ab assensu fidei, & scientiæ. Hanc tamen responsionem reiiciunt alij Theologi communiter, & meritò. Videatur Suarez *disp.* 3. *sect.* 9. *num.* 5. Nec dubitari potest Paulum de fide propria loquutum fuisse, quam vt dispositionem necessariam ad iustificationem exigit: in hoc enim sensu prædicta Pauli verba explicuit Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* his verbis. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.* Hæc certè non est scientia, quæ neque est ex auditu; neque ad eius assensum liberè mouemur; sed conuincimur, & necessitamur ab euidentia obiecti. De hac autem fidei credulitate explicat statim Tridentinum verba Pauli dicens: *de hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Non potest ergo negari etiam in Philosopho necessitas fidei de his articulis, præsertim cum firmius debeat credere hos eosdem articulos, quam antea per scientiam assentiretur; quæ maior firmitas non prouenit formaliter à scientia, quæ antea erat, sed à pia affectione voluntatis, quæ ob reuerentiam diuini testimonij interuenientis, eiusmodi firmitatem imperat. Debet ergo diuina auctoritas mouere ad ipsum assensum: alioquin nec posset voluntatem mouere ad firmiorem assensum imperandum. 61

Respondent alij, fidem necessariam esse de existentia Dei, non vt auctoris naturalis, sed vt auctoris supernaturalis, quare hic articulus semper restat fide sola credendus etiam à Philosopho, qui scientiam habet de Deo auctore naturali. Ita Canus *lib.* 12. *de locis Theolog. c.* 4. Hæc tamen responsio reiicitur primò ex ipsis verbis Pauli, qui duo proposuit fide diuina necessario credenda ante iustificationem, scilicet, & Deum esse, & esse remuneratorem: qui autem solum dicit, Deum esse, nihil adhuc dicit de remuneratione supernaturali: ergo non minus ille prior articulus pertinet ad fidem necessariam, quàm posterior: nec sine aperta violentia dici potest sensum priorum verborum esse, Deum esse Auctorem supernaturalem. 62 *Duo hæc necessariò de fide credenda, scilicet Deum esse, & esse remuneratorem.*

Secundò impugnatur, quia illa sanè cognitio exigitur supernaturalis, & ex adiutorio, & inspiratione Spiritus sancti, atque adeo ex dono fidei, qua proponitur Deus diligendus charitate infusa. Charitas autem infusa non diligit Deum, quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia solùm est auctor effectuum supernaturalium, sed quia est summum bonum, & infinitè perfectus: & quidem non esset infinitè perfectus, si non esset etiam auctor rerum naturalium, non enim esset omnipotens, si solùm posset producere effectus supernaturales; nec potest negari, quod charitas possit Deum diligere propter perfectionem omnipotentiæ, propter infinitam sapientiam, æternitatem, immensitatem, & alias perfectiones; ergo hæ etiam perfectiones, & earum existentia credi possunt per fidem à quolibet fideli etiam docto.

63 Tertiò: Hoc ipsum probari posset, quia Philosophus ille habens euidentiam de infinita perfectione Dei, & per consequens de summa Dei veracitate, & infallibilitate non potest credere per fidem Deum vt Auctorem supernaturalem, quin per eandem fidem credat etiam veracitatem, & infallibilitatem Dei: neque enim potest fides credere Deum auctorem supernaturalem propter diuinam auctoritatem, quin eadem fides credat, Deum esse summè veracem, si quidem veracitas Dei est motiuum formale saltem partiale ad credenda alia: ergo non obstante euidentia de veracitate Dei ex aliis principiis euidentibus, potest eadem veracitas credi rursus per fidem, alioquin nullus alius articulus credi posset per fidem ab eo Philosopho, si quidem quilibet assensus fidei circa quemcumque articulum est simul assensus circa Dei veracitatem. Hoc argumentum insinuare videtur Hurtado *disp. 3 sect. 2. subsect. 1. §. 5.*

64 Sed reuera non est argumentum efficax, quia responderi potest, eum, qui habet euidentiam de veracitate Dei, non credere postea alios articulos fidei, propter veracitatem Dei obscurè cognitam, sed propter illam cognitam clarè, assentiu tamen supernaturali procedente ab eodem habitu fidei, vt diximus *supra disp. 1. sect. 6.* vbi aduertimus, non repugnare, quod in aliquibus de facto resoluatur fides mysterij reuelati in veracitatem Dei clarè cognitam, assensu tamen supernaturali, & super omnia, præcedente pia affectione voluntatis, quæ facit vt intellectus assentiatur, non quidem obscurè, sed euidenter, firmiùs tamen & super omnia, eidem veracitati Dei clarè cognitæ, in quam resolui possit partialiter fides aliorum articulorum, quæ suam obscuritatem participaret ab altero motiuo partiali, nempe à testimonio diuino obscurè cognito; quare ex hoc capite non argueretur, posse esse simul scientiam, & fidem de eodem obiecto.

65 Quartò: Probari meliùs potest, quia si non posset Philosophus de iis etiã articulis fidem habere, deterioris esset conditionis, quàm rusticus, qui ea omnia per fidem crederet, cuius actus nobilior est, & firmior, quàm sit conclusio illa scientifica naturalis, quam Philosophus habet. Nec enim ex consortio habitus fidei potest demonstratio illa, vel conclusio Philosophica melior, aut certior fieri, nisi ab ipsa etiam fide dependeat, nec potest à fide dependere, nisi motiuum fidei aliquo modo moueat, & influat, nempe testimonium Dei: quod si mouet hoc est, quod intendimus, posse scilicet aliquem moueri à testimonio obscuro Dei ad credendum etiam id, de quo aliunde habet demonstrationem scientificam.

Nec etiam satisfacit, quod alij respondent Philosophum non esse peioris conditionis, quia licèt actu non credat per fidem ea obiecta, est tamen de se paratus ad ea per fidem credenda, quoties medium scientificum deerit, vel si deesset. Hoc, inquam, non satisfacit, quia illa promptitudo non est credere, sed voluntas solùm conditionata credendi; quare actu sicut non habet fidem eorum articulorum, ita nec habet certitudinem, & firmitatem propriam fidei, sed aliam certitudinem minorem, quæ solùm potest competere actui naturali scientifico.

Vltimò denique principaliter conclusio probatur, quia non apparet vndè repugnent inter se illi duo assensus. Dicunt, repugnare, eo quod assensus euidens affert secum claritatem, fides verò obscuritatem: claritas autem & obscuritas repugnant. Sed contra, quia obscuritas fidei non comparatur ad lumen scientiæ, sicut priuatio ad formam; sed sicut imperfectum ad perfectum, seu sicut modica lux ad magnam: nam licèt fides dicatur obscura respectu euidentiæ; vere tamen est lux, vt insinuauit Petrus loquens de testimonio prophetico: *Cui bene* (inquit) *facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*, quare sicut lux modica non repugnat cum luce magna, sic nec fides cum scientia.

Dices: euidentia, & ineuidentia repugnant: fides autem est ineuidens, ergo repugnat cum cognitione euidenti. Respondeo euidentiam, & ineuidentiam in ordine ad idem obiectum, & motiuum formale repugnare: non tamen in ordine ad idem obiectum materiale, quod per vnum medium cognoscatur euidenter, & per alterum medium ineuidenter. Alia argumenta postea soluentur.

Dico secundò: Aliquæ sunt cognitiones euidentes, cum quibus videtur repugnare assensus fidei, ita Vasquez *3. parte disp. 53. num. 5. & disp. 62. num. 33.* Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 9. num. 19.* Coninch *in præsenti disp. 11. dub. 1.* & alij recentiores. Hanc conclusionem probat mihi sola experientia, quam negare non possum dum enim actu video solem, quantumuis mihi aliquis dicat diem esse, & quantumuis coner assentiri propter testimonium dicentis, non possum, sed solùm iudico diem esse, quia id video. Ratio autem à priori huius repugnantiæ, licèt plures afferantur, nulla videtur conuincere. P. Coninch. *vbi supra* hanc rationem affert, quod scilicet nullum agens potest producere formam in subiecto, quod iam ante est actuatum ab aliqua forma, quæ formaliter vel eminenter continet omnem perfectionem illius formæ, quam illud agens potest naturaliter producere. Ideò enim calidum vt duo non potest agere in calidum vt quatuor. Cum ergo intellectus informatus visione Dei v.g contineat iam eminenter omnem perfectionem assensus fidei in gradu excellentiori, non poterit intellectus producere rursus in se actum fidei. Hæc tamè ratio difficilis est, quia etiã visio clara Dei continet eminenter omnem perfectionem, quam habet cognitio abstractiua Dei; & tamen beatus videns Deum potest simul cognoscere Deum euidenter cognitione abstractiua in creaturis, quomodo sine dubio eum cognoscunt Angeli. Item cognitio intuitiua intellectualis, qua videtur albedo v.g independenter à sensibus, est perfectior & clarior cognitione illa, quæ fit independenter à sensibus, & tamen Christus, qui habebat cognitionem intellectualem perfectissimam de albedine, habebat etiam cognitionem intellectualem eiusdem albedinis generatam per sensum, quę est imperfectior; ergo non est verum in vniuersum, quod intellectus

ctus non potest acquirere secundam cognitionem, quando habet aliam, quæ contineat eminenter perfectionem secundæ. Ad exemplum verò de calido facilè respondetur, repugnantiam ibi prouenire ex eo quod non possint esse duo gradus similes in eodem subiecto; cùm autem iam sit vnus gradus secundus caloris, non potest produci alius secundus: quintum autem non potest producere calidum, vt duo: quia suppono esse heterogeneos. Alij aliter respondebùt iuxta sua principia philosophica: nemo tamen negabit posse aliquam cognitionem minus perfectam, esse simul cum alia perfecta, quæ continet eminenter perfectionem illius.

69 Quod rursus confirmari potest retorquendo idem exemplum, & argumentum; quia licet agens creatum non possit naturaliter producere formam in subiecto, in quo inuenit iam eius perfectionem antea productam; si tamen eam non inueniat productam, poterit vtique producere: quando ergo in subiecto præsupponitur iam assensus fidei à fide productus, & aduenit de nouo principium cognitionis euidentis, non apparet, vnde intellectus hoc principio instructus impediatur à producendo actu euidenti, cum non inueniat in subiecto alium actum continentem perfectionem actus euidentis, sed obscurum. Sicut agens potens producere calorem intensum non impeditur à productione sui effectus ex eo, quod inueniat iam in subiecto calorem remissum; ergo licèt intellectus habens priùs cognitionem euidentem non posset postea elicere assensum fidei; non tamen apparet, cur habens prius assensum fidei non possit postea addere cognitionem euidentem. Sic enim de facto intellectus habens simplicem apprehensionem de obiecto potest pro posteriori naturæ elicere actum iudicij circa idem obiectum, qui actus continet eminenter totam perfectionem simplicis apprehensionis.

70 Vnde iterùm probari potest, si simul tempore, & natura applicentur motiua fidei, & principium cognitionis euidentis, nihil impedire, ne fides etiam simul eliciat suum actum: quia si simul etiam tempore, & natura applicentur ligno frigido duo agentia, quorum alterum potest producere calorem remissum, & alterum calorem intensum non apparet, cur primum agens non possit aliquid caloris producere in ligno, quod adhuc non inuenit calidum: similiter ergo motiua fidei poterunt causare assensum aliquem; cùm nondum inueniant aliundè assensum perfectiorem antea productum in intellectu; vel certè ex hoc præcisè capite assignato repugnantia non probatur.

71 Ideò alij hanc repugnantiam probant ex superfluitate, quia cùm assensus ille perfectè clarus, & euidens contineat totam perfectionem assensus fidei, neque hic magis firmet intellectum in eo obiecto, quàm esset iam firmus ex assensu clarissimo, non videtur Deus connaturaliter concurrere ad secundum assensum, ita Suarez *dicta sectione 9. num. 19.* Vnde infert *num. 22. & 23.* hanc repugnantiam non esse essentialem, nec in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed solum in ordine ad potentiam ordinariam. Hæc tamen ratio non videtur etiam satisfacere: quia visio etiam clara Dei continet eminenter totam perfectionem cognitionis abstractiuæ eiusdem Dei, atque adeò hæc videretur esse superflua in præsentia visionis claræ: & tamen de facto Beati habent aliunde abstractiuam cognitionem Dei in creaturis, tamquam in medio cognito, vt fatetur idem Suarez *n. 23.* qui numquam reddit rationem differentiæ, cur magis assensus fidei impediatur propter superfluitatem, quàm cognitio euidens abstractiua in præsentia visionis intuitiuæ clarissimæ. His ergo rationibus omissis

72 Dici aliter posset, hanc esse naturam intellectus & hanc habere inclinationem ad veritatem, vt sicut voluntas solum potest desiderare bonum absens, & solùm potest eligere media in ordine ad consequutionem boni, quod aliqua ratione sit absens, non verò ad bonũ plenè possessum provt possessum est; quia illud medium hîc & nũc esset inutile & impertinẽs, cùm nullũ bonũ afferret de nouo, quod iam non plenè haberetur: sic etiã intellectus, dũ veritas absens est, inquirit illam, dũ verò habetur & clarè videtur, quiescit in ea: quare si plenè & perfectè videatur, non potest vti aliquo medio ad illam acquirendam; quia illud medium hîc & nunc impertinens est ad consequutionem veritatis.

73 *Non omnis cognitio euidens excludit assensum fidei.* Hinc infero primò, non omnem cognitionem euidentem excludere assensum fidei diuinæ; quia licet cognitio euidens abstractiua de existentia Dei clarior sit, quam assensus fidei, ceterum adhuc veritas illa non plenè possidetur cùm nondum videatur, & assensus fidei certior est, & securior, quippe qui innititur medio magis infallibili scilicet auctoritate diuina: quare intellectus etiã instructus medio demonstratiuo, ad cognoscendum abstractiuè existentiam Dei vtiliter vtitur medio fidei ad eandem veritatem magis cognoscendam, quia per hoc medium securius, & certius consequitur illam veritatem, quàm per demonstratiuum solùm; quare hæc veritas aliqua ratione manet absens, & expetibilis ab intellectu adhuc post medium scientificum. At verò post visionem beatam nihil præstaret fides; quia visio non solum est clarior, sed etiam certior quàm fides, vel saltem æquè certa; & per consequens fides non redderet intellectum Beati magis certum, quàm sola visio, per quam plenè possidetur finis vltimo intentus ab intellectu in clara visione obiecti.

74 *Nec omnis cognitio intuitiua.* Infero secundò: Non omnem cognitionem intuitiuam excludere assensum fidei diuinæ: nam cognitio intuitiua orta ex visione corporea obiecti compatitur secum fidem eiusdem obiecti: quia illa cognitio, licet habeat euidentiam physicam, fortasse tamen subditur deceptioni; tum quia sensus sæpe sunt occasio decipiendi intellectum propter talem, vel talem, modum, quo immutantur à speciebus: tum etiam quia saltem de potentia absoluta potest dari talis sensatio in absentia obiecti: quare adhuc existente tali cognitione intuitiua, potest intellectus vtiliter moueri à medio fidei, vt securius & certius quiescat in cognitione illius veritatis, At vero si cognitio intuitiua, talis sit, vt omne excludat periculum & formidinem, non apparet ad quid moueretur vtiliter intellectus à medio fidei.

75 Dices; anima Christi Domini cognoscebat intuitiuè per scientiam Beatam, & per infusam omnia entia creata; & tamen habuit scientiam acquisitam terminatam ad plura ex eisdem obiectis, quæ cognoscebat sæpe per discursum inferendo vnum ex alio, quæ scientia non dabat certiorem, aut securiorem assequutionem eiusdem veritatis; ergo licet fides non det securiorem cog-

nitionem eiusdem veritatis', posset tamen dari in intellectu cum visione intuitiua etiam perfectissima. Respondeo scientiam acquisitam Christi Domini posse considerari ivt terminatam ad prima principia in se ipsis euidēter, & sine discursu; & vt terminatam ad conclusiones deductas per discursum. Si primo modo cunsideretur, illa scientia non repugnat cum scientia infusa eiusdem veritatis, quia vtraque est immediata possessio finis intenti, cùm vtraque sit plena cognitio illius veritatis in se ipsa, quod non repugnat: num licèt repugnet intellectum vti aliquo medio ad cognoscendam aliquam veritatem, quam iam plenè, & clarè cognoscit in se ipsa, eo quod cognitio discursiua & arguitiua sit in defectum & absentiam cognitionis rei in se ipsa, sicut voluntas non eligit media, nisi in absentia finis: non tamē repugnat, intellectum tendere sine discursu per duplicem cognitionem immediatam, & claram in eandem veritatem; quia neutra prærequirit defectum alterius, sed vtraque tendit immediatè ad possidendum obiectum; sicut posset esse duplex gaudium de eodē obiecto in voluntate, non tamen gaudium simul & desiderium, seu intentio eiusdem obiecti. Si verò sciētia acquisita Christi consideretur secundo modo, provt terminatur ad conclusiones; fateor', difficile mihi esse quomodo naturaliter non repugnet cum visione clara eorumdem obiectorum: experientia enim docet, sicut non possumus moueri à testimonio extrinseco ad credendum obiectum, quod actu videmus: sic nec à discursu: v. g. cum video radium solis in cubiculo; non vtor ad iudicandum quod sit lux, discursu aliquo, scilicet, *quando sol oritur, producit lucem: sed iam ortus est sol, ergo produxit lucem in meo cubiculo, ergo ibi datur lux.* Quis poterit hoc argumento moueri ad assentiendum quod sit lux, quam ipsis oculis actu videt? sanè possum ego iudicare illo argumento conuinci, quod sit lux: at vero iudicare esse lucem propter illud medium non possum. Ratio autem videtur esse eadem, quia scilicet huiusmodi argumenta sunt media, quibus intellectus vtitur ad inquirendam veritatem, quam plenè non possidet: quare respectu veritatis, quam plenè, & perfectè possidet per claram visionem, non videtur posse vti aliquo medio ad eam inquirendam. Dicendum ergo videtur ad obiectionem, vel Christum Dominum per scientiam acquisitam iudicasse solùm de principiis, & de illatione, & consequentia vnius ex alio, quam quidem illationem non cognoscebat per aliud medium, sed ex terminis in se ipsa. Vel si volueris, iudicasse etiam de veritate ipsius consequentis propter communem sententiam dicentē habuisse scientiam acquisitam de iis omnibus obiectis, debebis concedere id factum fuisse miraculosè, eadem enim loca quæ probauerint, Christum habuisse huiusmodi scientiam, probabunt etiam Deum miraculosè concurrisse dispensando in repugnantia, quam huiusmodi assensus habebant, sicut voluit etiam cōiungi in Christo alios actus naturaliter incompossibiles. Quod tamen difficultate non caret, vt dixi *disp.* 21. *de Incarnat. n.* 32. & statim videbimus, an possit de potentia absoluta coniungi assensus mediatus, & visio clara eiusdem obiecti.

Scientia acquisita Christi potest considerari dupliciter.

76 Infero tertiò assensum fidei non impedire assensum scientificum eiusdem obiecti, nec vnum assensum scientificum per vnum medium demōstratiuum impedire alium per aliud medium demonstratiuum; quia cùm per huiusmodi assensus nondum habeat intellectus plenam, & claram cognitionem veritatis in se ipsa; adhuc post singulos consideratur illa veritas aliqua ratione abstans, & potest magis, ac magis per alia media inquiri. An verò assensus demonstratiuus compatiatur secum assensum opinionis: postea dicemus.

Assensus fidei non impedit

Infero quartò. Non bene arguere aliquos ad probandum posse esse de facto assensum fidei cum assensu euidenti ex eo, quod non obstante euidentia obiecti reuelati per aliud medium, possumus tamen credere per fidem vtrumque principium fidei, nempè Deum esse summè veracem, & reuelare, v. g. animæ immortalitatem, de qua quidem reuelatione non habemus euidentiam: posito autem assensu vtriusque præmissæ, non possumus cohibere assensum cōclusionis propter obiectum præmissarum, ergo necessario sequitur assensus eiusdem immortalitatis propter motiuū fidei. Ita arguit Hurtado *dicta disp.* 30 *sect.* 2. *subsectione* 1. *per totam.*. Hoc tamen argumentum, vt dixi, non est efficax: & quidem probaret etiam, quod non obstante visione clara Dei, posset esse fides de eodem obiecto clarè viso, si reuelaretur, quià tunc etiam cognoscceretur vtrumque principium formale fidei, nempè veracitas, & reuelatio Dei, atque ideo non posset cohiberi assensus conclusionis propter illas præmissas. Quare fatendum est, assensum vtriusque præmissæ non determinare intellectum ad assensum conclusionis, nisi quando intellectus capax est assentiendi propter medium, non verò, quando est incapax, ex eo quod aliunde iam plenè, & clarissimè possideat obiectum conclusionis immediatè in se ipso: tunc enim cognoscet quidem clarè, conclusionem illam sequi euidenter ex talibus præmissis; non tamen assentietur conclusioni propter præmissas. Quod quidem ad hominem confirmari potest, quia ipse Hurtado §. 15. fatetur, non posse nos fide humana credere id, quod per demonstrationem euidenter aliunde scimus: quo casu fateri debet, quod etiamsi ego tunc credam Petrum esse veracem, & videam eius testificationem de tali obiecto, non possum assentiri propter eius auctoritatem, quia euidentia eiusdem obiecti reddit incapacem intellectum assentiendi propter auctoritatem humanam. Eodem ergo modo dicere possent aduersarij: posito etiam assensu circa vtrumque principium formale fidei, non necessitari intellectum ad assensum conclusionis propter præmissas, quibus iam assentiretur, & hoc propter incapacitatem prouenientem ex perfectissima euidentia eiusdem obiecti clarissimè & immediatè visi.

Quod rursus confirmari potest, quia ex hoc eodem capite prouenire videtur, quod Deus licet perfectissimè cognoscat, & comprehendat præmissarum veritatem, & earum vim ad inferendam conclusionem, non tamen possit assentiri obiecto conclusionis propter præmissas etiam euidentes, alioquin daretur in Deo discursus, vel formalis, vel saltem virtualis; quæ esset imperfectio: hoc autem non aliunde prouenit, nisi quia Deus cognoscens perfectissimè ipsum obiectum conclusionis immediatè in se ipso, non potest vti alio medio obiectiuo ad inuestigandum illud idem obiectum ex alio argumento; quia nimirum ille modus cognoscendi ex alio argumento indicat, & supponit imperfectionem, & indigentiam medij

ad

ad acquirendam aliquam veritatem.' Hinc etiam Theologi communiter dicunt, Angelos nō posse discurrere saltem circa ea obiecta, quæ immediatè, & quidditatiuè vnico intuitu cognoscunt: quia circa ea obiecta non indigent aliis argumentis: ergo stat benè cognosci vtramque præmissam, non solum obscurè, sed etiam euidenter, & intellectum non debere; immò nec posse assentiri conclusioni propter præmissas, quia deest capacitas ad talem assensum ob euidentiam plenam de eodem obiecto conclusionis aliunde habitam immediatè: illud ergo argumentum in genere loquendo non est efficax ad probandam possibilitatem fidei cum euidentia eiusdem obiecti reuelati.

79. *Aliud est cognoscere in alio, aliud cognoscere ex alio.*

Dixi, videntem perfectissimè obiectum non posse vti medio aliquo, ex quo iterùm illud cognoscat; non tamen dixi, non posse illud cognoscere rursus in aliquo medio: aliud enim est cognoscere illud *in alio*, aliud cognoscere *ex alio*. Hoc secundum connotat imperfectionem, non verò illud primum: quare Angeli Beati videntes clarè Deum, adhuc cognoscunt eundem Deum abstractiuè in creaturis tanquam in medio: cùm enim comprehendunt leonem, v. g. cognoscunt ordinem, quem dicit ad Deum, & per consequēs cognoscunt Deum in creatura. Imo ipse Deus, qui perfectissimè se intuetur, & directè comprehendit, cognoscit tamen se indirectè in creaturis, cognoscendo ordinem creaturæ ad se ipsum, vt dixi *in prima parte in tract. de scientia Dei:* non tamen cognoscit se ex creaturis: nam cognoscere ex alio est assentiri vni propter aliud, cui assentitur, quare intellectus vtitur medio, & argumento, quasi scipione, & baculo, cui innitatur assensus, quod denotat imperfectionem, & indigentiam: cognoscere autem in alio non habet imperfectionem, non enim arguit intellectus in eo assensu, nec assentitur vni propter aliud, sed immediatè, & indiuisibiliter cognoscit creaturam, v.g. habere ordinem ad Deum; dicitur tamen Deus cognosci tunc mediatè in creatura, tanquam in medio, quia non cognoscitur directè, sed indirectè, & in obliquo, non verò quia mediet etiam ratione nostra cognitio creaturæ, cùm non possit concipi cognitio distincta creaturæ, quin ea ipsa sit cognitio creatoris saltem in obliquo, qui modus cognoscendi nullam dicit imperfectionem.

80. *Assensus fidei non repugnat cum visione sensitiua & materiali eiusdem obiecti.*

Infero quintò, non repugnare assensum fidei diuinæ cum visione sensitiua, & materiali eiusdem obiecti. In hoc conuenit Suarez *disp.* 3. *sect.* 9. *n.* 24. Ratio autem est, quia per visionem sensitiuam non plenè possidetur obiectum propter fallibilitatem, cui sensuum cognitio exposita est, tum quia sensus falli possunt, & fallere, partim propter sensuum imbecillitatem, partim propter specierum refractionem, quæ possunt aliter obiectum facere apparere, quam reuera sit: tum etiam, quia vel Dæmonis opera, vel etiam ipsius Dei possunt apparere nobis quæ non sunt: vnde multò firmius, & certiùs credimus diuina fide, quam sensuum experimento, & firmius etiam Apostoli ipsi fide crediderunt veram Christi resurrectionem, quàm si solis sensibus credidissent, vt notauit Suarez *loco citato*.

81. *An possint diuinitus conungi in eodem intellectu visio perfectissima, & fides actualis de eodem.*

Inferò sextò, quid dicendum sit, loquendo de potentia Dei absoluta, an possint diuinitus conungi in eodem intellectu visio perfectissima, & plena, ac immediata obiecti, & fides actualis de eodem. Affirmant Suarez *dicta sect.* 3. *num.* 23. Coninch *loco citato num.* 11. & 14. Hurtado *disp.* 30. §. 4. Granado *in præsenti tract.* 2. *disp.* 7. *sect. vltima num.* 25. quia tota repugnantia, quæ datur, non est essentialis, sed iuxta connaturales vires intellectus nostri. Alij tamen id negant fieri posse, ita docet P. Luisius Turrianus *in præsenti disp.* 8. *dub.* 5. & alij: quod etiam mihi magis placet, vt dixi etiam *disp.* 21. *de Incarnatione sect.* 3. *n.* 32. quia repugnantia inter hos actus non est solùm ex defectu virtutis in causa efficienti, quā Deus supplere posset, sed ex repugnantia inter formas, eo quod altera impediat conditionem essentialiter requisitam ad obiectum alterius. Sicut enim plena possessio boni impedit desiderium illius, & electionem mediorum, quibus idem bonum procuretur; ita plenissima possessio veri in se ipso immediate impedit vsum medij ad idem verum comparandum. Constat autem, non esse solam naturalem, sed essentialem repugnantiam, vt desideremus, vel petamus, vel media adhibeamus ad procurandum id, quod iam aliundè plenè possidemus; quare fatendum est, eam esse conditionem essentialem ex parte obiecti ad eiusmodi actus voluntatis, sicut repugnat etiam è contra essentialiter gaudere de bono, quod non præcognoscatur possessum. Similiter ergo repugnantia intellectus, vt vratur medio aliquo ad assequendam veritatem, si quæ est, videtur essentialis, & non solum connaturalis; quia si repugnantia aliqua est vtendi medio, & motiuo ad eam veritatem cognoscendam, non potest alia esse, nisi quod medium, & motiuum illud non habet vim mouendi ad assensum, nisi quando intellectus indiget ex eo, quod aliunde non possideat obiectum. Vnde quando non est talis indigentia, medium illud non est motiuum sufficiens; repugnat autem essentialiter, quod intellectus sine motiuo sufficienti moueatur ad aliquem assensum: quia sicut voluntas non potest etiam diuinitus moueri ad amorem, desiderium, vel gaudium nisi proposito motiuo sufficienti ad eos actus; ita nec intellectus potest moueri ad assensum sine motiuo sufficienti ad tale genus assensus: non est ergo hæc repugnantia ex defectu virtutis solùm in genere causæ efficientis, sed ex defectu motiui, quem defectum Deus supplere non potest, eo quod tales actus propter suum modum tendendi essentialem, petūt etiam essentialiter tale genus motiui ex parte intellectus.

82

Dices, potest, qui habet rem vno titulo, velle eam alio titulo habere, & ad hoc ipsum eligere media, ergo & intellectus poterit assequi veritatē aliquam per medium, licèt eam iam absque medio plenè possideat. Respondeo, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: quia in casu antecedentis voluntas non intendit solum illud bonum, quod iam possidet, sed aliquid aliud, quod nondum habebat, nempe habere illud duplici titulo, quod quidem est aliquid per se expetibile, & ad quod possunt eligi media, si tamen voluntas de hac tituli duplicitate nihil curaret, non posset eligere denuò media, nisi fortè ad maiorem securitatem, vt si fortè primus titulus deficeret, maneret secundus, intellectus autem solùm habet pro fine veritatem conclusionis, neque enim curat de hoc, quod est habere veritatem conclusionis, per præmissas, sed solum de veritate conclusionis, ad quam solam vtitur præmissis: quare quoties hoc medium non affert

maiorem claritatem, vel certitudinem, vel securitatem, vel quid simile, non videtur posse intellectus vti eo medio ad solam veritatem, quam iam plenè, & immediatè possidet.

83 Dices iterum, cum visione intuitiua perfectissima de Deo, quam habent Angeli beati, stat cognitio alia abstractiua, qua ijdem Angeli cognoscunt Deum in creaturis: cur ergo non poterit stare etiam cum visione alia cognitio eiusdem obiecti per fidem? Hoc argumento vtitur Suarez *vbi supra num.* 23. sed certè, si quid probat, probaret etiam contra ipsum, quod neque esset repugnantia naturalis inter duas illas cognitiones, sicuti neque est inter visionem intuitiuam, & cognitionem abstractiuam eiusdem obiecti. Omnes ergo debemus respondere, maiorem esse repugnantiam actus fidei, quam cognitionis abstractiuæ cum visione intuitiua. Rationem autem iam indicauimus: quia nimirum cognitio illa abstractiua non vtitur medio, quasi motiuo ad assensum alterius obiecti, sed immediatè cognoscit, creaturam esse opus Dei, qui non est duplex assensus etiam virtualiter, sed vnicus, quo indiuisibiliter, & immediate cognoscitur ordo creaturæ ad Deum; qui ordo non potest immediatè, & directè cognosci, quin eo ipso indirectè, & in obliquo attingatur Deus, qui est terminus ipsius ordinis. Aliud est, quido vnum cognoscitur propter motiuum assentiendi, cui innitatur credulitas, & assensus: qui assentiendi modus denotat indigentiam, & imperfectionem intellectus, indigentis alieno quasi baculo ad firmandũ assensum obiecti proposiri, quod propriis quasi pedibus, & directo lumine indagare non potest, atque adeo ab alio quasi accipere & audire cogitur, quod plenè non videt.

Cur maior sit repugnantia actus fidei quam cognitionis abstractiuæ cum visione intuitiua.

84 Dices, præmissæ sunt media ad conclusionem & conclusio ipsa potius est finis: si ergo exemplum voluntatis probat, debere potius probare contra assensus præmissarum, quam contra assensum conclusionis positis præmissis: sicut voluntas possidens bonum non impeditur in ordine ad bonum, quod possidet; sed ne adhibeat media: similiter ergo intellectus possidens verum magis deberet impediri, ne adhiberet præmissas, quæ sunt media ad idem verum, quàm ne assentiretur conclusioni, quæ est finis.

Ad hoc facilè, responderi potest, exemplum voluntatis esse aptum, si bene & formaliter applicetur. Nos enim non diximus, voluntatem, quæ possidet bonum, non posse adhibere materialiter ea, quæ aliàs esse possent media ad eum finem assequendum. Potest enim homo iustus certus de sua iustificatione iam habita elicere adhuc actum contritionis, qui ex se esset medium efficax ad iustificationem ponendam, si eam non inuenisset positam. Diximus tamen non posse tunc voluntatem eligere ea media formaliter, vt per illa quærat finem solum, quem iam perfectè possidet, sic etiam intellectus possidens plenè veritatem obiecti, potest assentiri præmissis, quæ ex se sufficerent ad assensum conclusionis, si non inuenirent plenè possessum eius obiectum; non tamen potest per illa media quærere, & procurare obiectum conclusionis, quod iam plenè aliunde possidet. Tunc autem intellectus videtur quærere obiectum conclusionis per præmissas, quando propter eas, & iis innixus tendit ad veritatem conclusionis. Assentiri enim præcisè præmissis non est quærere obiectum conclusionis, sed consequi notitiam principiorum: vti autem ea notitia ad comparandam veritatem conclusionis, hoc videtur esse vti præmissis tanquam mediis, & per illas procurare notitiam conclusionis ad quod in sensu formali adduximus exemplum voluntatis.

Hinc rursus infero septimò non repugnare 85
etiam naturaliter assensum non solum fidei diuinæ, sed etiam fidei humanæ, & à fortiori assensum per demonstrationem scientificam, cum cognitione intuitiua imperfecta eiusdem obiecti. Et in primis de assensu fidei diuinæ id constat ex dictis: quia licèt aliquis oculis videat vel alio sensu percipiat aliquod obiectum; quia tamen cognitio illa sensitiua propter suam imperfectionem exposita est periculo alicuius falsitatis, potest cum illa esse etiam assensus fidei, qui licèt obscurior sit, addit tamen maiorem certitudinem, & firmitatem, cùm firmius credamus per fidem, quàm soli sensuum experientiæ, quare vtilis, & expetibilis est intellectui talis assensus, etiam stante cognitione illa sensitiua. Sic credimus fide, mortales esse omnes homines, & aliquando moriturros, licèt plures videamus de facto mori, & Apostoli fide credebant Christi resurrectionem, licèt eum propriis oculis viuum vidissent. Vnde poterit etiam ob eandem rationem esse cum cognitione intuitiua imperfecta alius assensus per demonstrationem genitus: sic enim quando videt Petrum, & simul audis eius vocem tibi notam, adhuc ex voce audita magis confirmaris: quia nimirum difficilius est decipi visum & auditum simul, quàm solum visum, quare ex voce tibi nota infers, & iudicas illum esse Petrum, & te non decipi in eius visione: ideo enim Christus Apostolis dicebat, *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet*: vt scilicet ex tactu confirmarentur ad assentiendum obiecto, quod oculis videbant quidem, sed adhuc formidabant, an oculi deciperentur: denique hinc etiam fit, vt adeo imperfecta possit esse visio, vt non repugnet credi simul idem obiectum ex fide humana, sic enim contingit, aliquem confirmari ex testimonio socij testificantis se idem vidisse, ad credendum idem, quod ipse etiam vidit: difficilius enim est decipi duos, quam vnum in eo, quod videtur sibi videre; quod multo magis procedit, si ob proprij visus imbecillitatem non satis sibi fidat.

Vnde ea regula potest in vniuersum statui, vt 86
tunc solum moueri possit intellectus à medio ad assensum conclusionis, cuius obiectum aliunde immediatè, vel intuitiuè cognoscit, quando cognitio immediata non aufert omninò indigentiam, cui indigentiæ aliquo modo saltem ex parte occurri possit per assensum genitum ex illo medio: si enim hæc cognitio per medium non deseruit ad tollendam, vel minuendam indigentiam illam; nec tunc poterit intellectus à medio moueri. Hinc est, quod communiter loquendo, circa ea, quæ clarè intuemur, non moueamur à testimonio alterius hominis ad ea credenda; nisi quando minus fidimus nostræ experientiæ, & quando magis confirmamur ex aliorum consensu: alioquin si magis fido meæ experientiæ, quam fidei alienæ, & negata mea experientia statim negarem fidem aliis, iam nullum emolumentum videtur capere intellectus ex illo motiuo, à quo non magis confirmatur in assensu huius veritatis. Aliquando tamen possum fidei alienæ motiuo iuuari propter aliquod peculiare periculum, quod concipio, circa deceptionem à pro-

prio

prio sensu, ad quod iuuat consortium sensus alterius, qui non ita facilè decipietur, quod totum ex particularibus circumstantiis dependet.

87 *Non repugnat assensus mediatus scientificus prioris naturæ cum visione intuitiua &c.*

Infero octauò, non repugnare assensum mediatum scientificum, vel etiam fidei in priori naturæ cùm visione intuitiua, & perfecta eiusdem obiecti comparata pro posteriori naturæ. Posset enim Deus in præmium actus fidei dare gloriam, & visionem beatificam alicui pro signo posteriori, saltem de potentia absoluta. Sicut posset etiam desideranti & petenti gloriam, & visionem pro priori naturæ concedere eam pro signo posteriori; quo casu essent simul tempore desiderium, & possessio perfecta rei desideratæ; & de facto Christus Dominus petebat ea, quæ pro posteriori naturæ videbat sibi à Deo concessa intuitu eiusdem petitionis, & dependenter ab ea. Sicut autem eo casu desiderium non exigit absolutam & realem carentiam rei desideratæ, sed sufficit, quod pro eo signo, & independenter ab eo desiderio non habeatur, & possideatur aliunde id, quod desideratur: ita in casu nostro ad fidem, vel assensum mediatum non requiritur carentia realis visionis, & possessionis immediatæ eiusdem veritatis, sed sufficit, quod pro eo signo, & independenter à tali assensu mediato non sit aliundè visio, & possessio perfecta, & immediata eiusdem veritatis, vt intellectus possit moueri ab eo motiuo, & vti eo medio ad assequendam talem veritatem, licèt postea pro posteriori naturæ adueniat visio, & possessio perfecta. Dixi saltem *de potentia absoluta* id fieri posse, quia connaturaliter loquendo non posset fortasse esse simul tempore actus fidei cum visione clara Dei; quatenus visio illa, cum sit beatitudo essentialis, eo ipso repugnat formaliter cum omni actu obscuro, sicut & cum aliis imperfectionibus, quæ non decent statum beatificum: quare nec posset esse beatitudo simul tempore cum peccabilitate, quæ est miseria, atque ideo visio Dei ex natura sua debet præuenire, & impedire potentiam peccandi; & licèt de potentia absoluta posset Deus pro posteriori naturæ dare alicui visionem beatificam in præmium actus boni eliciti pro priori naturæ cum libertate, & potentia ad peccandum; id tamen non fieret iuxta naturam ipsius visionis, quæ quatenus beatitudo est, habet incompossibilitatem naturalem cum peccabilitate, & cum actu intrinsecè imperfecto, & indecenti, qualis est assensus obscurus, qui etiam propter suam intrinsecam imperfectionem non potuit esse in Christo. Hæc tamen repugnantia, vt dixi, non est essentialis, nec in ordine ad potentiam Dei absolutam.

88 *Non posse dari naturaliter talem euidentiam de aliquo obiecto, quæ impediat assensum fidei.*

Infero nonò, non esse fortasse in vniuersum verum id, quod dixit P. Coninch *dicta disp.* 11. *dub.* 1. *num.* 40. in fine, non posse dari naturaliter talem euidentiam de aliquo obiecto, quæ impediat assensum fidei circa idem obiectum, eo quod omnis naturalis euidentia sit imperfecta, & minus certificet intellectum, quàm fides. Hoc tamen difficile est: quia imprimis euidentia, qua Angelus cognoscit, & intuetur se existere, videtur esse talis, & tam clara euidentia, vt nec possit vlla ratione prudenter, vel etiam imprudenter formidare, nec posset credere oppositum, licèt per impossibile cum sufficientibus motiuis proponeretur ex reuelatione credendum: quia non posset obligari ad impossibile, nec ad credendum, vt verum id, quod tanta claritate Angelo constabat esse falsum. Vnde aliquis fortasse dicęret, nec hominem sanæ mentis credere posse, se non existere (de quo redibit sermo infra agendo de certitudine fidei, & de eius excessu supra omnem certitudinem naturalem) & per consequens, nec posse merè per fidem credere, se existere, propter maximam euidentiam, quam de hoc obiecto habet. Nam licèt possit aliquo modo formidare, an ipse verè sit homo, vel anima separata, & de aliis similibus, & in eo sensu dixerit Augustinus aliquando, se faciliùs dubitaturum, an viueret, quàm de rebus fidei; non tamen videtur posse vllo modo formidare, an ipse sit, quidquid re ipsa sit. De hoc tamen dicemus loco citato. Nunc solum dicimus, non esse vniuersaliter verum, quod non possit dari euidentia naturalis ita certificans de suo obiecto, vt non relinquat locum fidei circa ipsum.

89 *An fides possit esse cum opinione?*

Infero decimò obiter, quid dicendum sit ad dubium illud, an cum assensu fidei possit esse simul assensus opinionis, seu probabilis ex alio medio circa idem obiectum fide creditum. Negat ferè auctores primæ sententiæ, quia fides affert secum certitudinem; opinio incertitudinem, seu formidinem; certitudo autem & incertitudo non possunt coniungi; quod videtur expressum esse apud Aristotelem *in poster. c.* 26.

Assensus fidei certus & assensus ex ratione probabili non repugnant circa idem obiectum materiale.

Dico tamen vltimo, probabilius esse, non repugnare hos duos assensus circa idem obiectum materiale. Hanc tenet Valentia *vbi supra*, qui affert pro se Bonauenturam & Durandum, & est communis apud plures Recentiores, & probatur quia quotidie plures cõclusiõnes pluribus argumentis confirmamus; quorum aliqua sunt demonstrationes, alia verò solum probabilia, & tandem propter illa omnia argumenta cõclusioni assentimur; ergo habemus assensum scientificum conclusionis per medium euidens, & assẽsum probabilem per aliud medium probabile. Cur ergo similiter non stabit assensus fidei certus, & assensus ex ratione probabili obiecti alicuius? sic probamus quamplures conclusiones Theologicas imprimis certò ex scriptura, deinde probabiliter ex ratione aliqua, vel congruentia. Ratio autem sumitur ex supradictis, quia adhuc post fidei assensum intellectus non acquirit plenè, & perfectè illam veritatem per vltimam eius possessionem, quare adhuc potest considerari vt absens, & vt expetibilis per alia omnia media, quæ quouis modo possint ad eam conducere. Et confirmatur quia mysteria fidei, priusquam credantur fide diuina, creduntur fide humana propter motiua, quæ non euidenter, sed probabilissimè ea suadent: qui assensus fidei humanæ tantum abest, quod destruatur adueniente fide diuina, vt multi existiment, numquam fidem diuinam elicere suum assensum, quin fides humana comitetur etiam assentiendo eidem obiecto.

90

Nec obstat fundamentum contrariæ sententiæ. Respondetur enim, assensum probabilem secundùm suam substantiam manere posse cum assensu fidei: non verò manere actualem, & formalem formidinem: assensus namque probabilis secundùm suam substantiam non est formido formalis, sed radicalis, scilicet talis assensus ex quo nasci posset formido, si non impediretur per certitudinẽ alterius assensus scientifici, vel fidei præsentis: manet ergo assensus probabilis, & incertus, quantum est de se, quia vel procedit per medium non habens connexionem infallibilem cum veritate, vel taliter apparet, vt intellectus

non assentiatur omnino firmiter obiecto propter illud medium, quia non apparet clarè eius veritas per illud: ex qua infirmitate assensus nasceretur formido, nisi adesset alius assensus firmior circa idem obiectum: quod autem detur vnus assensus firmus, & alius infirmus circa idem obiectum per diuersa media, non videtur repugnare. Maior difficultas esse potest, an possit idem assensus numero esse certus, & probabilis, fidei, & opinionis respectu eiusdem obiecti, de quo dicemus sectione sequenti.

91 *Assensus fidei humanæ an possit simul esse cum assensu fidei diuinæ circa idem obiectum materiale?*

Petes primò, An idem licendum sit de assensu fidei humanæ, an possit simul esse cum assensu fidei diuinæ, circa idem obiectū materiale. Aliqui differentiam inueniunt quoad hoc inter assensū probabilem opinatiuum, & assensum fidei humanæ concedentes illum, non verò hunc esse posse cum assensu fidei diuinæ. Ita indicat Hurt. *dicta disp.* 30. *de fide* §. 2. & 15. Alij tamen meliùs nullū quoad hoc discrimen agnoscunt inter fidem humanam & opinionem. Vterque enim de se est assensus obscurus, & solum probabilis; nec videtur referre, quod vnus sit per medium extrinsecum, & alter per medium intrinsecum; sicut nec hoc facit differre assensum fidei cum euidentia in attestante ab assensu scientifico per demonstrationē. Et quidē aliquando infirmior est assensus opinatiuus fundatus in ratione probabili, quam sit assensus fundatus in auctoritate magnorum doctorum: sicut ergo cum fide diuina potest stare assensus ex ratione probabili, poterit etiam stare assensus fundatus in auctoritate humana: vterque tamen sine actuali formidine propter assensum concomitantem fidei diuinæ à quo formido quælibet actualis circa illud obiectū excluditur.

92 *Assensus opinionis probabilis, vel fidei humanæ an possit stare simul cum assensu euidenti de eodem obiecto per aliud mediū?*

Petes secundò, An possit etiam stare simul assensus opinionis probabilis, vel fidei humanæ cum assensu euidenti, vel scientifico de eodem obiecto per aliud medium. Alij negant, alij affirmant. Ego iuxtā supradicta distinguendum puto. Et quidem, quando adest notitia immediata, & euidens ita perfecta, vt intellectus plenè possideat obiectum, consequenter dicendum est, non posse intellectum moueri à medio rationis probabilis, vel auctoritatis humanæ ad idem credendum. Quod à fortiori, & cum proportione probant rationes adductæ ad negandum, posse assensum fidei diuinæ stare cum cognitione euidenti immediata, & perfectissima eiusdem obiecti; secus esset, quando intellectus non possideret plenè obiectum illud, atque ideo posset aliqualiter iuuari ad melius illud possidendum ex consortio medij alterius probabilis, vel fidei humanæ.

93 *Intellectus, si haberæ euidentiam de aliquo obiecto per medium scientificum, an tunc posset moueri à medio alio probabili circa ídem obiectū.*

Difficultas maior esse posset, quando intellectus haberet euidentiam de aliquo obiecto, non tamen per notitiam immediatam, sed per mediatam, & innixam aliquo medio scientifico, an tūc posset moueri etiam à medio alio probabili, vel fidei humanæ ad credendum idem obiectum. Videtur enim consequenter in eo casu id affirmandum: quia cùm intellectus non possideat immediatè veritatem illam, sed debeat quærere eam per media aliqua; non apparet, cur non possit vti simul pluribus mediis, quorum aliqua appareant certo efficacia, & alia non appareant ita certò efficacia, sed solum probabiliter. Aliunde videtur eadem experientia probari, quod in præsentia motiui euidentis non moueat aliud motiuum probabile: si enim ex radio solis, quem in cubiculo vides, arguis euidenter ortum esse solem in cœlo, non moueris à testificatione alicuius ad credendum ortum esse solem, ad quod iam medio euidenti conuinceris. Quod idem videtur in voluntate procedere, quæ non solùm quando possidet iam bonum aliquod, sed etiam quando habet in sua plena potestate medium facile ad id assequendum, non videtur posse eligere medium aliud incertum ad eundem finem, vt si possis facilè manu propria cibum ad os applicare, non petis ab alio, vt eum cibum ori tuo applicet, præsertim si dubites de petitionis efficacia; & multò minus eligis eiusmodi media in certa, quando simul vis vti medio alio, de cuius efficacia, & certitudine non dubitas, nec formidas. Cùm ergo intellectus vtitur medio euidenti, & causante certissimam obiecti notitiam, non videtur posse simul vti medio incerto solum ad notitiam eiusdem obiecti assequendam.

Vides, vtrimque esse difficultatem, in qua tamen ego magis propendeo, vt putem rationem 94
peculiarem esse quoad hoc magis in voluntate, quàm in intellectu. Nam in voluntate, fateor quidem, circa bonum, quod nondum plenè possidet, posse simul cum medio vno certo eligere aliud minùs certum, quando nimirum securius obtineri potest finis per vtrumque medium, quàm per alterum tantùm, & ideò vtrumque eligitur, vt si forte casu aliquo inopinato primum non sit efficax, maneat spes assequendi per alterum medium, vel etiam quando apprehenditur aliquid boni in hoc, quod est consequi rem illam duplici titulò, vel in eo, quod pendeat à pluribus causis, quæ omnes, & singulæ habeant aliquem influxum in boni assequutionem: in iis enim & similibus casibus non solum intenditur bonum illud, sed etiam illud aliud bonum obtinendi pluribus titulis, vel cum dependētia à pluribus causis, &c. Quando verò solùm intenderetur possessio simplex boni, & hæc æquè bene, certò & secura habenda proponitur per vnicum medium, ac per plura, posset aliquis dicere, non apparere, quomodo ex solo motiuo, & desiderio illius boni eligatur secūdum medium, quod nullo modo auget securitatem, & spem assequendi finem intentum. Potest quidem aliquis velle satisfacere iterum pro peccato sibi iam plenè dimisso, nempè vt nouum titulum ponat ad extinguendum debitum semel contractum; cæterùm si non moueatur ex bono secundi tituli, sed solùm ex mero desiderio, quod peccatum non sit, posset aliquis contendere, non posse voluntatem moueri ad ponendum aliud medium ad finem, qui per aliud medium, quod adhibetur, videtur omnino certo, & plenè obtinendus. Quod argumentum, si quid probat, videtur etiam probare, non solùm non posse eligi aliud medium minus certum, quando medium omnino certum eligitur, sed neque etiam posse eligi duo media certa, quando vtrumque non reddit magis securam, aut certam assequutionem finis, quā alterum solū. Quamuis neque hoc ipsum difficultate careat, quia id totum videtur eligi posse ex desiderio finis, quod cognoscitur vtile ad eum finem: medium autem non definit esse vtile ex eo præcisè, quod non sit necessarium ad finem: vtile enim est omne illud, quod conducere potest ad finem cùm ergo vtrumque illud medium si re ipsa adhibeatur, possit influere, & causare acquisitionem finis; manet adhuc quodlibet medium vtile, licèt,

licèt non sit vtrumque simul necessarium; & per consequens poterit voluntas absolutè velle vtrúque medium propter vtilitatem, quam vnum quoque retinet etiam in præsentia alterius.

95 *Intellectus quidquid vtrumlibet medium possideat immediatè & per se in scipso, tamen plures argumenta vti ad eam indagandam.*

Sed quidquid sit de voluntate, dixi esse specialem rationem in intellectu, itaut licèt propter illam rationem negetur voluntas posse eligere alterum medium adhibito vno omnino certo ad finem; intellectus tamen, quando veritatem objecti non possidet immediatè, & plenè in se ipsa, possit pluribus mediis, & argumentis vti ad eam indagandam. Alioquin si proponerentur duo argumenta æquè euidentia ad conclusionem aliquam perfectè demonstrandam, non posset intellectus ab vtroque argumento, & medio moueri ad assensum conclusionis, siue per vnum, siue etiam per plures actus, quia vnum illorum esset superfluum: quod quidem incredibile est, imò cùm intellectus non sit potentia libera, nec esset maior ratio de vno, quàm de alio, neutro medio moueretur sed ab ipsamet copia factus inops non posset conclusioni assentiri propter argumẽtorum copiam, quibus demonstratur. Fatendum ergo videtur, posse intellectum tunc vtroque medio vti ad assensum conclusionis, licèt alterum solum sufficeret ad eam demonstrandam.

96 *Cur hic possit intellectus non autem voluntas vtroque vti simul?*

Ratio autem ea esse videtur ex dictis, quod dum intellectus veritatem immediatè non possidet, sed indiget medio aliquo ad eam assequendam, nunquam per medium etiam demonstrationis perfectissimæ eiusmodi veritatem plenè assequitur, & possidet, sed minus perfectè, & per anfractus argumentorum; quare quodcumque lumen adueniat alterius demõstrationis, vel argumenti semper magis illuminatur circa eandẽ veritatem conclusionis, & magis eam possidet. In quo differt, vt dixi, intellectus à voluntate, quia voluntas ita quærit finem per media; vt ramen posito medio, possideat postea plenè, & perfectè, ac immediatè ipsum etiam finem intentum, nempè sanitatem, beneuolentiam, pecunias, &c. nec magis plenè, aut immediatè possidetur, vel acquiritur ex eo, quod plura media adhibita sint, cùm semper sit eadem possessio finis, quæ acquiritur. Intellectus vero, quando vtitur medio ad acquirendam veritatem absconditam, non possidet postea eandem veritatem conclusionis immediatè, & in se ipsa, sed semper mediatè, & ex alio: quare ex multiplicatione mediorum melioratur illa possessio veritatis conclusionis, & fit variatio non solùm in mediis, sed etiam in ipsa possessione veritatis conclusionis: quare ad hanc meliorem possessionem obiecti numquam est superflua, sed semper aliquo modo necessaria adhibitio diuersi medij; diuersi inquam, id est talis, quod non fundetur in illo alio medio: quia tunc iam nihil adderet luminis supra primum medium, cùm totum lumen secundi medij esset participatum à primo.

97

Nec obstat experientia in contrarium adducta de eo, qui ex radio Solis, quem in cubiculo videt, arguit euidenter ortum solis in cœlo, & ideo, non mouetur à testimonio alterius testificantis ortum solis, vt id credat etiam per motiuum fidei humanæ. Respondeti enim potest, intellectum se solo, & sine imperio voluntatis non determinari à motiuo fidei humanæ, imo nec fidei diuinæ, ad credendam conclusionem propter illud motiuum, imò nec ad assensum præmissarum. Voluntas autem regulariter non imperat intellectui talem assensum fidei humanæ, vel ex motiuo probabili, nisi in defectum motiui euidentis: quia cùm assensus probabilis, vel fidei humanæ expolitus sit de se periculo fallibilitatis saltem quoad obiectum formale, non vult homo eiusmodi periculum subire sine necessitate, atque ideo non vult recurrere ad eiusmodi probationes, nisi in defectum probationis euidentis. Hæc tamen repugnantia non videtur esse talis, & tanta, vt non possit etiam tunc voluntas imperare, si velit, assensum ex motiuo fidei humanæ, quod reuera aliquod aliud lumen affert, licèt tenue, ad illuminandum obiectum conclusionis, cuius veritas adhuc non possidetur plenè ab intellectu, atque ita aliquando vt complaceat amico, poterit propter eius etiam testimonium intellectus credere ex imperio voluntatis, id, quod ex argumento euidenti aliunde mediatè credit.

98 *Soluuntur argumenta sententiæ principali contraria.*

Restat nunc respondere ad argumenta contra nostram sententiam principalem. Primò ad probandum, fidem non compati secum aliquem assẽsum euidentem eiusdem obiecti, afferuntur plura Scripturæ, & Patrum testimonia, quale est illud Pauli ad Hebr. 11. *Fides est argumentum non apparentium* & alia similia, quibus dicitur, fidem esse de obiecto non scito. Patrum loca multa congerit Valentia *vbi supra*: ij enim partim super prædicta Pauli verba, partim super illa Christi ad Thomam, *quia vidisti me Thoma, credidisti*: sæpe docent, fidem non esse vbi videtur, quod creditur. Respondeo in primis, concedendo fidem esse de obiecto non viso, quia licèt non repugnet cum scientia abstractiua, repugnat tamen cum intuitione perfecta, vt vidimus. Secundò dicitur fides rerum, quæ non sciuntur, quia mysteria nostræ fidei regulariter, & communiter non sciuntur, licèt vnus vel alius doctus habeat aliquam euidentiam de vno vel de alio articulo in particulari. Rursus fides est de obiecto non scito formaliter per ipsam fidem: & in hoc sensu PP. sæpe dicunt, non debere, queri experientiam rerum, quas credimus, ne excidamus à fide, loquuntur enim de experientia, cui innitatur assensus, quatenus aliqui curiosi experientiam desiderabant: hæc enim iam non esset fides, vt colligunt ex illis verbis Christi, *quia vidisti me Thoma credidisti*; vbi sermo est de assensu fundato in ipsa experientia sensuum: credere ergo quia videmus, non est fides; credere tamen quando scimus, potest benè esse fides, & hanc scientiam concomitantem PP. non reprehendunt, sed illam cui innitatur fides, & sine qua homo non credat propter præcisam reuelationem Dei, iuxta quem sensum illiguntur facilè Greg. *homil. 26. in Euangel & lib. 4. dialog. cap. 5. vel* 11. Chrysostom. *in verba citata Pauli hom.* 21. Anselmus *ibi.* Augustinus *tract. 40. & 79. in Ioan. & in Enchir. cap.* 8. & alij PP. qui eodem modo loquuntur. Denique verba illa: *argumentum non apparentium*, non continent definitionem fidei quasi excluiuam, vt sensus sit, fides est argumentum solùm *verum non apparentium*, sed habent sensum ampliatiuum; hoc est, fides est argumentum rerum etiam non apparentium, sicut in verbis præcedentibus: *fides est sperandarum substantia rerum*, non est sensus, quod fides solum se extendat ad obiecta, quæ sperantur, hoc enim est falsum: sic in verbis sequentibus, sensus non est, quod fides solùm probet res non apparentes, vt notauit optimè noster Cornelius in eum locum

& constat ex cõrextu, quia Paulus solùm vult probare necessitatem fidei ad credenda, quæ non videntur, sed sperantur: hoc tamen non excludit fidei vtilitatem ad alia credenda, de quo vide etiam Coninch. *in præsenti disp. 11. n. 32. & sequentib.* nõ est ergo illa definitio, quæ cõpetat singulis actibus fidei, sed virtuti fidei, quam describit per efficaciam ad sperandas res futuras, & ad credenda ea etiam, quæ non videntur; sicut si diceres charitas est amor inimicorum etiam propter Deum, nõ coarctas charitatem ad diligendos solos inimicos, sed explicas eius efficaciam.

99 Obiectio 2. Secundo obiiciunt, quia fides est meritoria, & laudabilis: credere autem quod videtur, non habet meritum iuxta illud Christi. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, & iuxta illud Greg. hom. 26. in Euangelia. *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ergo fides non est de rebus scitis. Respondeo, fidem etiam respectu obiecti aliunde sciti esse liberam, & obscuram, ac proinde meritoriam, quia licèt obiectum ipsum euidenter constet: non tamen diuina reuelatio, vt supra dictum est. Fateor tamen, esse minoris meriti fidem in prædicto casu propter minorẽ difficultatem obiecti, quod etiam fortasse voluit Gregorius. Christus autem loquitur, vt dixi, de assensu non concomitante, sed dependente à visione, qui latè appellatur *credere*; & hic assensus, quatenus terminabatur præcisè ad credendum quod videbatur, non mirum si non esset meritorius. Sed contra vrgent, quia Patres ex illis verbis Christi, *Quia vidisti me Thoma, credidisti, &c.* inferunt Thomam aliud vidisse, & aliud credidisse, quia credere non poterat id quod videbat. Ita August. *dicto tract. 79. in Ioann.* & Gregor. *hom. 26. in Euangelia*, Toletus *in illud cap. 2. Ioannis annotat. 28.* Salmeron *tom. 11. tract. 27.* & Maldonatus *in eundem locum Ioannis.* Hoc autem argumentum, seu responsum inutile esset, si posset stare fides cum visione intuitiua, cum facilius potuissent respondere, potuisse simul Thomam credere propter reuelationem, licèt idem obiectum sensuum simul experimento sciret.

100 Ad hoc tamen ex dictis responderi potest, responsum horũ Patrum fuisse aptum in proposita materia. Christus enim non dixerat, *quod vidisti Thoma, credidisti*; sed *quia vidisti me Thoma, credidisti.* Vnde oriebatur difficultas, quia si assensus fundabatur in visione, non poterat esse fides. Ad quod dubium potuissent quidem respondere, provt alij respondent verbum illud, *credidisti*, non accipi in significatione stricta provt significat solum assensum propter auctoritatem testificantis, sed in latiori significatione, provt extenditur ad omnem assensum intellectualem. Voluerunt tamen ostendere, quomodo posset etiam retineri in significatione stricta, & significare assensum fidei, qui haberet pro motiuo formali auctoritatem, & reuelationem Dei: quare illud, *quia vidisti*, noluerunt esse motiuum formale, sed occasionem, seu motiuum extrinsecum. Non enim vidit Thomas diuinitatem, quam tamen credidit: visio tamen humanitatis rediuiuæ mouit ad credendam reuelationem, qua idem Christus testatus fuerat suam diuinitatem: sicut visio etiam miraculorum mouet ad credenda mysteria fidei, quæ non videntur. Quare sicut verum est dicere alicui, quia vidisti miracula, credidisti incarnationem, vel Trinitatem, ita verè dictum est, *quia vidisti me Thoma*, scilicet viuentem, *credidisti*, nempe me esse Deum. In vtroque enim casu id, quod creditur, non videtur, nec creditur, quia videtur; & in vtroque etiam casu vnum creditur, quia aliud videtur: nunquam autem negant, posse propter auctoritatem Dei credi idem, quod aliunde videtur, sed solùm, posse credi actu fidei ex eo motiuo, quia videtur: nam motiuum intrinsecum fidei debet esse testificatio Dei obscurè cognita.

Addo, sicut Patres illi ad ostendendam differentiam inter id. quod Thomas credidit fide, & id, quod ex visu iudicabat, apposuerunt exemplum in diuinitate, & humanitate Christi, ita potuisse etiam apponere exemplum in specie externa Christi, quam solam sensibus percipiebat Thomas, & in veritate resurrectionis substantialis, quam fide credidit. Nam, vt obseruauit Suarez *dicta sectione 9. num. 24.* species illa externa non fuerat reuelata, sed sensibus percipiebatur; vera autem Christi resurrectio fide credita fuit à Thoma, & cæteris Apostolis, non quidem quia visa, vel certè non solùm, quia ex ipsa specie comprobabatur, sed multò firmius, quia à Christo prædicta, & reuelata ab ipso Deo fuerat. concurrebat tamen aliquo modo visio illa speciei externæ ad fidem resurrectionis: alioquin non fuisset verè dictum, *quia vidisti, credidisti*, nam licèt resurrectio, vel etiam diuinitas Christi crederetur propter reuelationem: visio tamen speciei externæ erat motiuum extrinsecum partiale credibilitatis: imò in nostra sententia conflabat partialiter reuelationem vltimam; quia sicut per alia miracula testabatur Christus, & comprobabat suam diuinitatem, atque adeò miracula ipsa complebant partialiter reuelationem diuinitatis; ita per ostẽsionem sensibilem speciei suæ testabatur, & confirmabat suam veram resurrectionem, atque ea de causa dicebat, *palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*; quare ipsa species sensibilis ostensa integrare poterat attestationem, & reuelationem veræ resurrectionis: ipsa tamen species externa non credebatur, sed videbatur, resurrectio autem credebatur propter reuelationem, quæ partialiter includebat visionem sensibilem speciei externæ, & ideo verissimè dictum est Thomæ, *quia vidisti me Thoma, credidisti*, non quidem idem omnino quod vidisti, sed aliquid aliud.

Vnde obiter aduerto, verbis sequentibus, *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, non significasse Christum, assensum Thomæ, eo quod fundaretur in visione aliquo modo non fuisse fidẽ, sed solum significasse ex hoc capite excellentionem fuisse, vel futuram fidem eorum, qui non desiderata propria visione illius speciei externæ, credunt Christi resurrectionem per alios sibi sufficienter propositam; sicut ob eandem causam reprehendit etiam vndecim Apostolos, *quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*, & duos alios discipulos in via non adhibentes fidem mulieribus resurrectionem Christi annunciantibus obiurgauit verbis illis, *ô stulti, & tardi corde ad credendum, &c.* Quia nimirum præcedente prædicatione Christi de sua resurrectione futura tertia die, sufficienter proponebatur credendæ resurrectio per testes illius, & ideò meritò exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis, eo quod sine maioribus motiuis non credidissent. In vtroque autem casu credebatur propter reuelationem, quæ complebatur vltimò, vel per aliorum testificationem,

nem, vel per visionem propriam illius speciei externæ, sicut etiam complebatur per miracula visa, & nunc completur etiam partialiter per miracula audita, & sufficienter proposita, vt in superioribus latè explicatum est.

103 Tertiò obiiciunt, quia minus luminosum coram magis luminoso non illuminat, v.g. stella coram Sole, ergo nec fides coram euidentia. Respondeo, stellam verè illuminare partialiter etiam coram Sole quoad aliquem gradum, vt dixi in philosophia; non tamen apparet, eo quod totum spatium proximum cœli habet à Sole æqualem lucem, & ideo non possumus visu discernere stellam à reliquo cœlo.

Quartò obiiciunt, quia spes non potest esse cum visione; nam quod quis videt, quid sperat; ergo nec fides. Respondeo in primis concedendo totum de visione, cum qua non potest esse fides vt supra dixi. Deinde concesso antecedenti, possit negari consequentia; quia spes essentialiter respicit bonum absens, vt absens; nã erigit se cõtra difficultates, quæ concurrunt in consequutione illius boni: fides verò essentialiter solum respicit reuelationem obscuram: potest autem esse reuelatio obscura de obiecto aliunde clarè sciro. Imo ex ipsa spe magis potest confirmari nostra sententia; nam sicut spes non datur cum visione obiecti præsentis, bene tamen cum cognitione etiam euidenti boni futuri, qualem cognitionem fortasse habent animæ in purgatorio: sic fides, licèt dari non possit cum visione, bene tamen cum cognitione abstractiua euidenti. Sed reuera argumentum à spe ad fidem non est firmum, quia valde diuersa est vtriusque natura, vt videbimus infra agentes de virtute spei.

104 Quintò Obiiciunt; quia assensus fidei debet esse liber: quando autem obiectum euidenter constat, non assentitur liberè intellectus, sed ex necessitate, ergo non erit assensus fidei. Ad hoc facilè respondetur ex dictis; actum fidei semper esse liberum, quia licet aliunde necessitetur intellectus ad assentiendum illi obiecto, numquam tamen necessitatur ad credendum illud ex motiuo reuelationis diuinæ, quod sufficit, vt actus fidei liber sit, non quidem in se, sed in causa, nempe in voluntate imperante, siue sit voluntas imperans solùm assensum ad veracitatem, & reuelationem, quo assensu stante, necessitetur intellectus ad credendum obiectum reuelatum propter diuinam auctoritatem, siue requiratur etiam voluntas alia imperans alium assensum præter assensum præmissarũ, de quo dicemus *infra* agentes de voluntate piæ affectionis requisita ad actum fidei.

SECTIO III.

An idem assensus fidei possit tendere circa obiectum reuelatum per aliud medium scientificum vel probabile.

105 VIdimus *sectione præcedenti*, posse coniungi assensum fidei cum cognitione euidenti saltem abstractiua eiusdem obiecti: inquirimus modo, an proposito vtroque motiuo ad assentiendum, scilicet reuelatione diuina, & medio demõstratiuo, possit intellectus vnico actu assentiri propter vtrumque motiuum, quod etiam de motiuo probabili eodem modo dubitari potest, an coniungi possit cum motiuo fidei in eodem numero actu. Supponendum autem est, non esse dubium, quod intellectus vnico actu possit attingere duplex motiuum partiale, quando ex vtroque conflatur medium necessarium ad assentiendum conclusioni, prout de facto conflatur ex duplici præmissa obiectiua, neque enim potest vno actu assentiri conclusioni propter vnam præmissam, & altero actu assentiri conclusioni propter alteram præmissam simul; quia vna præmissa sola non est medium, nec motiuum sufficiens ad assentiendum conclusioni. Vnde fides eodem actu debet assentiri obiecto reuelato propter veracitatem Dei, & propter reuelationem; quia singulæ seorsim non possunt mouere ad fidem obiecti reuelati. Sic etiã assensus Theologicus eodem actu attingit principium reuelatum, & alterum etiam principium non reuelatum, quia singula seorsim non mouent ad assensum conclusionis Theologicæ. Non procedit ergo quæstio in hoc sensu, sed quando sunt duo motiua completa in suo ordine, singula continentia duas præmissas, v. g. si sit argumentum Philosophicum demonstrans immortalitatem animæ rationalis, & rursus proponatur sufficienter eadem immortalitas animæ reuelata à Deo summè veraci; an possimus vnico actu assentiri Immortalitati animæ, & propter medium Philosophicum demonstratiuum, & propter reuelationem & veracitatem Dei, qui assensus, prout innititur medio Philosophico, sit scientificus, & prout innititur diuino testimonio, sit actus fidei,

Intellectus vnico actu potest attingere duplex motiuum partiale.

Duplex sensus quæstionis.

106 Supponendum secundò illa duo motiua in sensu posteriori proposita adhuc posse dupliciter mouere intellectum ad assensum conclusionis. Primò, itavt singula moueant solùm partialiter nec intellectus propter singula seorsim adæquatè assentiatur conclusioni; sæpe enim contingit, vt quod singula argumenta seorsim non persuadent omnia, tamen multiplicata, & collecta conuincant; vnde dici communiter solet, *singula, quæ non prosunt, simul collecta iuuant*. Secundò possunt ita mouere, vt singula ex parte sua adæquatè moueant: non quidem ita, vt ablato vno ex illis motiuis, manere posset idem assensus; hoc enim est impossibile, cùm non possit esse idem actus, ablato aliquo obiecto, quod de facto per talem actum intrinsecè attingitur; & in hoc sensu singula sunt motiua partialia solùm, quatenus ab omnibus totaliter, & a singulis partialiter dependet, hic numero assensus, qui sine illis omnibus esse non posset: dici tamen possunt in alio sensu singula esse motiua totalia, quatenus à singulis ita sufficienter mouetur, & persuadetur intellectus, vt ex modo assentiendi ostendat, se propter omnia, & propter singula assentiri cõclusioni, cum independentia vnius motiui ab alio, itavt cessante vno ex iis motiuis, adhuc assentiretur conclusioni propter alterum motiuum remanens, licèt non eodem actu, quo nunc assentitur, vt dictum est. Hoc autem ipsum, quod est attingere motiua cum independẽtia vnius motiui ab alio, & quasi motiua adæquata, & sufficientia ex parte motiui, est modus quidam tendendi diuersus intrinsecus, & essentialis tali actui, quo intellectus non solum attingit motiua, sed explicat gradum motionis singulorum, & quantum singulis, motiuis deferat iuxta singulorum dignitatem & pondus.

Duo motiua in sensu posteriori proposita possunt dupliciter mouere intellectum ad assensum conclusionis.

Potest autem totus hic modus diuersus attingendi 107

gendi intellectualia motiua explicati, & probari exemplo voluntatis, quæ similiter aliquando vult obiectum propter plura motiua, non totaliter propter singula, sed partialiter; aliquando verò propter singula totaliter, v.g. religiosus vitat peccatum contra castitatem propter præceptum sextum decalogi commune omnibus, & propter votum proprium à se emissum: quæ tamen motiua singula mouent totaliter, ita vt altero deficiente, adhuc propter alterum remanens seruaret castitatem, & ita afficitur voluntas ad vtrumque motiuum, vt ipsomet affectu explicet dignitatem, & pondus singulorum, & independentiam vnius ab alio. E contra verò Medicus audiens, esse in aliquo oppido multos ægrotos, & occasionem magni lucri, vult illuc ire, non propter singulos sensim, itavt si quilibet illorum ægrotaret, adhuc iret, sed propter omnes simul, vel saltem propter maiorem partem illorum, itavt cessante maiori ex parte motiuo, illo, non iret. Quæ differentia explicari etiam potest in voluntate diuina, & in voluntate humana Christi circa redemptionem hominum: Deus enim ita voluit incarnationem, & passionem Filij diuini propter redemptionem hominum, vt si non totum genus humanum periisset, sed vnus solus homo peccasset, propter illum solum non fuisset facta incarnatio ex vi præsentis decreti, quia non mota fuit diuina voluntas à remediis singulorum, tanquam à motiuis totalibus, vt explicui *disp. 7. de Incarnatione sect. 5.* At verò humanitas Christi ita se obtulit pro redemptione hominum, vt pro singulis etiam seorsim paratus esset mori, & ideo singuli debeant ei gratias, tanquam si pro vno solo mortuus esset, vt dixi eodem loco. Similiter ergo intellectus potest habere diuersum modum tendendi ad plura motiua, itavt aliquando non moueatur à singulis seorsim, sed à collectione plurium; aliquando verò approbet singula, & moueatur ab illis seorsim cum independentia vnius ab alio. Quæstio ergo præsens non procedit in primo casu, quando intellectus assentiretur propter vtrumque motiuum simul, propter singula autem solùm partialiter, sed quando eodem actu assentiretur obiecto materiali propter vtrumque motiuum, & propter singula totaliter, ostendens se credere conclusionem manente altero ex illis motiuis, & altero deficiente.

108 *Proponitur obiter quæstiuncula, & expeditur.*

Vt tamen hoc obiter expediamus, petet fortasse aliquis, si intellectus primo modo vnico actu assentiretur propter motiuum fidei, & propter motiuum scientificum, non propter singula totaliter, nec cum independentia vnius ab alio, sed propter vtrumque simul, an ille assensus esset verè actus fidei? Respondeo, eandem quæstionem fieri posse de actu voluntatis, quo aliquis ex motiuo charitatis erga Deum, & ex motiuo misericordiæ, vel alio motiuo indifferenti subueniret pauperi, itaut non moueretur à singulis motiuis seorsim, & totaliter, sed ab vtroque simul per modum vnius, an ille esset actus charitatis: in quo duplex potest esse quæstio; prima, an illi actus dicendi essent simpliciter actus fidei, vel charitatis propter ordinem illum ad motiuum fidei, vel charitatis, vt ad motiuum saltem partiale. Secunda quæstio esse potest, an propter illam attingentiam partialem actus illi eliciendi essent ab habitibus infusis fidei, vel charitatis.

109 Et quod attinet ad primam quæstionem, puto, illos actus non esse dicendos simpliciter, & absolutè actus fidei diuinæ, vel charitatis. Nam hæc denominatio non tribuitur, nisi actibus perfectis, qui constituunt hominem simpliciter, & absolutè fidelem, vel amicum Dei, ad quod illi actus non sufficerent. Qui enim iter ageret recreationis causa, & simul propter bonum Petri, ita tamen vt non moueatur totaliter à bono Petri, nec ex eo solo motiuo iter ageret, non est simpliciter, & absolutè amicus, sed semiamicus, quatenus à bono amici semimouetur. Similiter ergo, qui non mouetur à solo motiuo charitatis erga Deum ad dandam eleemosynam, nec ex eo solo motiuo eam daret, non est simpliciter, & absolutè amicus, sed semiamicus Dei quod non sufficit ad iustificationem, nisi aliunde Deum diligat super omnia. Nec videtur dubium, quod non esset sufficienter dispositus ad iustificationem, qui relinqueret peccata, & doleret de illis, partim propter detrimentum bonorum temporalium, quod ei asferunt, partim propter Deum, ita tamen vt cessante motiuo priori non relinqueret peccata solum propter Deum: non est ergo ille actus simpliciter charitatis, & contritionis, sed imperfectè, & solùm ex dimidia parte. Idem ergo dicendum est de assensu intellectuali rei reuelatæ, partim propter testimonium diuinum, & partim propter rationem Philosophicam; itaut secluſa ratione Philosophica, non crederetur obiectum propter solum testimonium diuinum: neque enim tunc etiam homo crederet Deo simpliciter, & absolutè, sed semicrederet; nec reuereretur debito modo diuinam auctoritatem, qui secluſa alia ratione Philosophica testificationem Dei non acceptaret, nec acceptat, nisi vt confirmatam, & associatam argumentis aliunde petitis.

Maior posset esse difficultas circa alteram quæstionem propositam, an eiusmodi actus habentes pro motiuo solùm partiali diuinum testimonium, vel bonitatem Dei, elicerentur ab habitibus infusis fidei, vel charitatis. Hoc tamen pendet ab alia quæstione magis vniuersali, an habitus virtutum infusarum eliciant solum actus perfectos in genere talis virtutis, an verò deseruiant etiam ad actus imperfectos in eo genere, v.g. an habitus charitatis eliciat solùm actus, quibus amatur Deus super omnia, an alios etiam actus minus perfectos, quibus amatur idem Deus propter suam bonitatem infinitam, licèt nec explicitè, nec implicitè ametur Deus tunc super omnia, de hoc tamen diximus *sup. disp. 1. sect. 11.* & dicemus iterum *infra disp. 17. sect. 5.* agentes de subiecto fidei, vbi videndum erit, an assensus, quo propter diuinum testimonium creditur aliquis articulus, non tamen super omnia, sit supernaturalis, & elici possit ab habitu infuso fidei diuinæ.

His suppositis, quæstio præsens est, an vnico assensu assentiri possimus mysterio reuelato, tum propter motiuum diuini testimonij, tum etiam propter medium Philosophicum, vel quodlibet aliud demonstratiuum, propter singula totaliter, & ita vt altero ex illis motiuis cessante, adhuc ex vi alterius motiui remanentis retineretur assensus conclusionis, non quidem eodem actu, sed alio diuerso, qui respiceret vnicum solum motiuum.

Negant Suarez *in præsenti disp. 3. sect. 9. num. 10. & sequentibus*, Turrianus *disp. 12. dubio 1.* Granado *in præsenti tract. 2. disp. 7. n. 2.* Quamuis autem Turrianus pro hac sententia afferat Gregorium,

gorium, & Henricum, immerito tamen, vt notauit Hurtado *in præsenti disp.* 31. §.10. eam tamen docent etiam alij Recentiores, quorum fundamenta postea examinabimus. Mihi tamen iam diù olim probabilior visa est pars affirmatiua, quam docui in lib. de anima, & in hac materia ante viginti octo annos, & nunc iterum amplectenda videtur cum Durando *quæst. prima prologi num.*3. Aragonio *art.*5. Ochamo *quodlib.*3 *q.*7. Gabr. *in* 3. *distinct.*23. *quæst.*2. Capreolo *distinct.* 25.*quæst.vnica art.*3.*ad* 3.& 4.*arg.* Palud. *dist.*24. *quæst.*3.*art.*3. Molina 1.*parte quæst.*1.*art.*1. *disp.*1. Fonseca 6.*Metaph.cap.*1. *quæst.*1. *sect.*5. *littera F.* Valentia *in præsenti qnæst.*1.*puncto* 4.§.2. ante solutionem argumentorum: refertur etiam Victoria *in præsenti in manuscriptis huius materiæ dub.*3. & fauent Conimbr.*primo poster.cap.*25. *q.*2.*art.*4. & plures graues,ac docti Recentiores, & latè probat Hurtado *dicta disp.* 31. & 32. & Ripalda *tom.*1.*de ente supernaturali disp.*47. *num.*14.*& sequentibus.*

Sententia affirmatiua probatur.

112 Probatur primò, quia non repugnat eodem actu respicere duplex obiectum formale; ergo nec assentiri propter motiuum fidei,& opinionis, vel scientiæ. Consequentia constabit dissoluendo peculiarem repugnantiam quæ hic inueniri potest: nunc probatur antecedens in primis, quia omnis actus conclusionis respicit intrinsecè obiectum vtriusque præmissæ, vt dixi in superioribus, & docui *in lib. de anima*, ergo sicut idem numero actus conclusionis assentitur suo obiecto propter motiuum vtriusque præmissæ, sic etiam eodem actu potero assentiri propter motiuum fidei, & scientiæ. Deinde eidem conclusioni assentior vnico actu propter diuersas rationes: audito enim præceptore probante suam sententiam mille rationibus; tandem in fine horæ conuictus illis,assentior sententiæ: & sanè non est credibile tunc elici simul tot assensus quot sunt rationes adductæ in discursu lectionis, sed vnicum assensum, quo propter illas omnes simul assentior illi sententiæ.

113 Secundò Probatur à simili voluntatis quæ vnico actu potest eligere idem medium propter diuersos fines, v. g. suadente mihi Petro religionem, vt vtilem ad placendum Deo, ad vitanda peccata,ad quietè viuendum,ad litterarum studia ad moriendũ securius,ad abundantius gloriæ præmium, & ad alia innumera bona: acquiesco tandem, & eligo religionem propter illas omnes vtilitates, quis credat, tot esse actus distinctos, quot fuerunt bona proposita, propter quæ, & ad quæ est vtilis religio? Sanè hoc est contra omnẽ experientiam. Confirmatur, quia contingit aliquem teneri ad castitatem præcepto naturali, & voto, & alio præcepto positiuo, & occurrente tentatione vnico actu resistit, ne violet illa omnia præcepta, quæ quidem sunt motiua specie diuersa.

114 Tertiò Deo reuelante idem mysterium per tres vel quatuor reuelationes, possum vnico assensu credere mysterium propter omnes illas reuelationes, & tamen singulæ sunt diuersa numero motiua formalia sufficientia, ergo sicut eodem numero actu possum assentiri propter motiua numero diuersa;sic etiam eodem assensu in specie possum assentiri propter motiua specie diuersa. Consequentia videtur bona: Antecedens verò constat experientia: nam plures veritates, quas fide credimus,reuelatæ sunt per plures reuelationes,v.g. per plures scriptores sacros: propter quas omnes reuelationes simul assentior absque eo quod eliciam totidem assensus.

Confirmatur primò, quia iudicium mentale hypotheticum, quo ego iudico Petrum esse Romæ, & esse doctum, habet duo obiecta specie diuersa,vt constat, nempe præsentiam Petri Romæ, & eius doctrinam, quorum singula potuissent terminare singulos actus seorsim,& tamen potest intellectus vnico actu vtrumque obiectum complecti, qui actus differat specie à duobus actibus, qui singuli terminarentur seorsim ad singula illa obiecta; cur ergo non poterit intellectus vnico etiam actu complecti duo obiecta formalia, seu motiua specie diuersa,ad quæ seorsim potuisset duobus actibus tendere.

Confirmatur secundò exemplo specierum moralium, quæ licet sint diuersæ, & possint seorsim reperiri; potest tamen dari vnus actus, qui participet duas malitias alioquin specie diuersas, seu vnam tertiam pertinentem ad vitia specie diuersa; qualis est voluntas furandi propter incontinentiam, & luxuriam; quod quidem peccatum complectitur turpitudinem iniustitiæ, & incontinentiæ, quæ singulæ potuissent specificare duo peccata specie diuersa: ergo idem fieri potest in virtutibus, & idem etiam in actibus intellectus, cum nulla assignetur sufficiens repugnantia, vt constabit ex solutione argumentorum.

115 Obiiciunt primò,quia habitus non potest elicere actũ,nisi sub proprio obiecto formali; neque actus potest extendi ad aliud obiectum formale quàm habitus; habitus enim non producit nisi actus similes iis, à quibus genitus est; ergo habitus scientificus non potest immediatè cõcurrere ad actum habentem aliud motiuum diuersum. Respondeo distinguendo Antecedens: si habitus concurrat vt causa totalis, concedo; si concurrat vt partialis concurrente simul alio habitu diuerso nego: exemplum habes in semine animalis, quod habet etiam virtutem limitatam ad producendam prolem similem in specie illi, cuius semen est: & tamen si adiungatur cum semine alterius speciei, concurrit ad prolem diuersam, vt patet in semine equi concurrente ad generationem muli & aliis huiusmodi. *Obiectio 1.*

116 Sed contra ex hoc ipso exemplo obiiciunt aliqui secundò, quia ex coniunctione duorum animalium diuersæ speciei non generatur animal habens perfectionem vtriusque, sed aliquod medium minus perfectum, qualis est mulus, qui degenerat à perfectione equi, ergo similiter ex coniunctione illius duplicis principij non generatur actus, qui habeat perfectionem scientiæ & fidei: nã effectus æquiuocus non potest esse perfectior suis causis. Respondeo negando consequẽtiam. Ratio discriminis est, quod in priori casu deest vna causa requisita ad generandum equum ad cuius productionem requiritur duplex parẽs, equus, & equa, & cum loco vnius subrogetur asinus,non mirum,quod effectus non habeat perfectionem equi: at verò ad generandum perfectum actum fidei, sufficit habitus & motiuum fidei,quod vtrumque datur in nostro casu, & vltra hæc adiunguntur motiua & principia scientifica, non ergo mirum,quod effectus habeat perfectionem fidei, & scientiæ ex superabundantia causarum; Dices, ergo effectus est perfectior suis causis,Respondeo,est perfectior singulis, trãseat; vtraque,nego,nulla enim est perfectio in effectu, *Obiectio 2.*

quæ

quæ non sit in complexo ex vtraque causa. Sed contra vrget Suarez *in præsenti, disp. 3. sect. 9. numero* 14. quia effectus esset excellentior vtraque causa simul; nam haberet perfectionem scientiæ & fidei simpliciori modo, & sine distinctione vnius ab alia, quæ perfectio non reperiretur in vtraque causa simul; nam causæ continerent illas perfectiones sine simplicitate, sed cum distinctione reali inter illas. Respondeo, hoc argumentum retorqueri in visione beata, quæ habet vitalitatem, & supernaturalitatem simplicissimo modo identificatam in ℞, & tamen procedit à duabus causis, scilicet à lumine gloriæ, & ab intellectu naturali, in quibus vitalitas & supernaturalitas non inueniuntur cum illa simplicitate: quod idem inueniri potest in aliis actibus supernaturalibus: omnes ergo debemus respondere, illas duas causas, licèt superentur ab effectu in modo habendi illas perfectiones cum maiori simplicitate: superare tamen ipsum effectum in aliis, nempe in modo continendi illas perfectius, hoc est, eminenter, seu cum virtute producendi illas, ratione cuius perfectionis sunt causæ æquiuocæ, & superant simpliciter, & absolutè suum effectum: hoc ergo, quod de principiis visionis beatæ debemus omnes dicere: dici potest etiam de principiis illius actus, qui sit simul fides, & scientia.

117 *Obiectio 3.* Obiiciunt Tertiò, quia duæ differentiæ diuidentes, & oppositę non possunt coniungi in eandem speciem, nam quæuis earum est adæquatum constitutiuum suæ speciei diuersæ: sed actus fidei, & actus scientiæ habent differentias oppositas, ergo non potest vtraque differentia coniungi in vnum actum indiuisibilem. Respondeo, hoc argumentum habere mille instantias contra se; nam actio etiam specificatur ab agente in communi sententia, atque ideo actio ignis est diuersa specie ab actione solis. Et tamen potest dari vna actio, quæ eadem procedat ab igne, & sole concurrentibus simul ad producendum aliquem ignem: quæ quidem actio erit simul actio ignis, & solis. Item in syllogismo cognitio vnius præmissæ differt specie à cognitione alterius præmissæ pro diuersitate specifica obiecti; & tamen actus conclusionis intrinsecè terminatur ad obiectum vtriusque præmissæ simul, & participat aliquid vtriusque. Item Angelus potest per vnam cognitionem cognoscere leonem, & per aliam equum, quæ duæ species differunt pro diuersitate obiectorum; & tamen potest idē Angelus elicere tertiam cognitionem terminatam ad leonem, & equum; quia vterque continetur sub vna specie impressa Angelica (vt suppono) per quam repræsentari possunt plura obiecta vel omnia simul, vel singula seorsim pro arbitrio ipsius Angeli. Item periurium est diuersa species peccati ab iniustitia: & tamen potest dari vnum peccatum habens malitiam periurij, & iniustitiæ. Denique sicut cognitiones differūt specie pro varietate specifica motiuorum; sic etiam accipiunt talem, vel talem indiuiduationem ab obiectis materialibus: nam assensus fidei, quo credo incarnationem, differt saltem materialiter ab assensu, quo credo resurrectionē per ordinē, quem vterque habet ad suum obiectum materiale: & tamen potest dari tertius assensus terminatus per vnicam simplicem indiuiduationē ad vtrumque obiectum materiale: possum etiam vnico actu voluntatis velle dare prandium Petro, licet possem etiam singulas partes prandij per singulos actus velle, scilicet panem, carnem, vinum, &c. sic ergo licet motiuum fidei seorsim possit terminare actum fidei, & tribuere illi suam speciem, & motiuum scientiæ similiter: ceterum potest etiam vtrumque motiuum simul terminare eundē actum, & tribuere illi vnicam differentiam specificam, quæ differat specie à singulis seorsim, & sit alia tertia respiciens vtrumque motiuum, sicut actio ignis & solis habet aliam tertiam speciem actionis diuersam ab actione solis seorsim, & ab actione ignis seorsim. Itaque non coniunguntur in illo assensu duæ differentiæ specificæ oppositę, sed vnica simplex habens ordinem intrinsecum ad obiectum formale vtriusque differentiæ oppositæ.

Dices, ergo ille actus non est in specie actus fidei, sed in alia specie diuersa, ergo non est actus fidei, sicut non esset homo, qui non haberet differentiam specificam hominis. Respondeo, prædictum assensum esse verè actum fidei, non quidem eiusdem speciei cum aliis, sed diuersæ: neque enim *actus fidei* significat vnam speciem atomam, quæ comprehendat omnes actus fidei, sed speciem subalternam; de cuius ratione solum est, quod sit assensus propter reuelationem obscuram Dei, siue solum illam respiciat, siue etiam aliud diuersum motiuum: *homo* verò significat vnam speciem atomam. Fateor tamen, posse esse tertiam speciem habentem proprietates hominis, & equi, saltem illas, quæ non opponerentur inter se: quæ nec esset homo, neque equus, sed aliud animal.

Obiiciunt quartò, assensus ille esset obscurus & clarus, euidens & ineuidens. Item si aspicerer motiuum probabile, esset certus, & incertus, quæ omnia repugnant. Respondeo, illum esse obscurum respectu reuelationis, quam nullo modo clarè, sed obscure repræsentat: at vero respectu rei reuelatæ absolutè esse clarum: licèt enim dici posset non tendere clarè in rem reuelatam sub motiuo reuelationis; non tamen debet dici absolutè tendere obscurè; quia obscuritas simpliciter non solùm significat præcisionem, sed realem carentiam claritatis, quam carentiam ille assensus non habet: non est autem de ratione actus fidei quod absolute sit obscurus respectu rei reuelatæ, sed quod non repræsentet eam clarè ex vi reuelationis. Quod idem de euidentia cum proportione dicendum est. Denique si haberet simul motiuum probabile, non ideò deberet dici simpliciter incertus respectu cōclusionis, quia incertitudo simpliciter dicit carentiam realem certitudinis: bene tamen diceretur probabilis, quia probabilitas solùm dicit respectum ad medium taliter excitans ad assensum, vt ex modo assentiendi per tale medium non tolleretur formido, nisi aliunde daretur certitudo per aliud medium. An verò possit simul tendere ad motiuum probabile, dicemus postea.

Dices: consideremus assensum illum prout præcisè terminatur ad obiectum reuelatum ex vi reuelationis: provt sic tendit ne ad obiectum reuelatum clarè, an obscurè; euidenter, an ineuidenter: Respondeo, realiter loquendo, illum assensum esse clarum & euidentem rei reuelatæ: præscindendo autem vnam formalitatem solam illius provt petitur in obiectione, dicendum est provt sic nec tendere clarè, nec obscure, nec euidenter, nec ineuidenter, quia claritas, & obscuritas

ritas sunt differentiæ oppositę, quarum vna debet conuenire actui à parte rei, non tamen debet conuenire actui sub quauis præcisione, & consideratione nostra.

121 Obiicies quintò. Quia si idem actus posset respicere obiecta propria aliorum diuersorum actuum, sequeretur quod possent fieri infinitæ definitiones eiusdem rei, quod videtur esse contra Aristotelem, quem affert Suarez *disp.* 15. *Metaphys. sect.* 11. *à num.* 19. probatur sequela, quia si esset vna cognitio infinitorum obiectorum specie diuersorum, posset ille actus ita definiri, est cognitio equi, & aliorum, vel ita, est cognitio leonis, & aliorum, &c. & sic in infinitum, assignando semper diuersa genera iuxta diuersam conuenientiam cum aliis diuersis actibus, quorum obiecta respiceret illa cognitio; sicut in casu nostro posset definiri ille vnicus assensus ita; est assensus scientificus habens simul rationem assensus fidei: vel ita: est assensus fidei habens simul rationem assensus scientifici: nam æquè esset sub genere scientiæ, & sub genere fidei, quare æquè benè posset per vtrumque genus definiri.

122 Respondeo, in primis definitiones illas fore vitiosas: nam bona definitio, debet pro genere habere id, quod apud nos saltem est magis commune: ideo enim nunc in definitione hominis ponimus *animal* pro genere, quia nota sunt nobis plurima animalia, cum quibus conuenit homo in vita sensibili: quare si de facto non esset productum aliud animal, neque aliud corpus, neque alia substantia præter hominem, & Angelum, melius definiretur homo dicendo, *homo est intellectiuum corporeum*; quia tunc apud nos magis communis esset ratio intellectiui, quàm corporei. Cùm ergo cognitio equi non magis latè pateat, quàm cognitio leonis, cùm vtraque possit totidem aliis competere: perperam, & vitiosè poneretur pro genere quælibet illarum, sed deberet dici, est cognitio quædam habens pro obiecto infinitas species rerum talium, &c. sic etiam assensus, de quo loquimur, non benè definiretur illo modo, cùm æque latè pateat ratio assensus scientifici, & ratio assensus fidei: sed deberet definiri ita: est assensus quidam habens simul motiuum scientificum, & fidei diuinæ. Loquendo autem de definitionibus imperfectis & vitiosis, non est absurdum, quod possent infinitæ eiusmodi definitiones fieri de tali cognitione infinitarum rerum: neque hoc est contra Aristotelem, qui in illo loco non negat simpliciter infinita prædicata ratione nostra distinguibilia in eadem entitate, sed solùm infinita prædicata subordinata; quorum singula sint sub aliis: at in illo casu prædicata eiusmodi non essent inuicem subordinata, sed dispărata inter se, cùm singula possent sine aliis reperiri in rebus aliis.

123 Obiicies sextò, quia non potest saltem connaturaliter, & fortasse nec de potentia absoluta, idem effectus dependere à duplici causa adæquata, ergo nec idem assensus potest pendere à duobus motiuis totalibus, & adæquatis. Respondetur, illa duo motiua in casu nostro non esse singula adæquata respectu huius assensus, quia tunc solùm dantur duæ causæ adæquatæ eiusdem effectus, quando ablata vna illarum, maneret idem effectus ex vi concursus, quo dependet ab altera: hic autem assensus ablato vno ex his motiuis, non posset vllo modo esse cum altero solo, vt diximus. Dicuntur verò motiua totalia solùm, quatenus ita approbantur ab intellectu, vt manente altero solùm ex illis, fieret alius assensus circa eandem conclusionem propter illud solum motiuum, quod remaneret, vt supra explicatum est.

Obiicies septimò, quia non potest produci aliquod animal, quod idem sit leo, & equus: non minùs autem differunt specie actus scientiæ, & actus fidei, quàm leo & equus; ergo non potest fieri vnus actus, qui simul sit scientia & fides eiusdem obiecti. Respondetur, duas species completas cum omnibus suis prædicatis positiuis non posse vnquam inueniri identificatas in aliqua tertia specie; posse tamen coniungi in aliqua tertia specie omnia prædicata positiua illarum duarum, quæ non dicunt repugnantiam ad inuicem. Vnde non potest idem assensus habere omnia prædicata positiua, quæ reperiuntur in actu solùm scientifico, & in actu solùm fidei: quia actus solùm scientificus constituitur in sua specie atoma, non per esse scientificum, sed per talem modum participandi rationem scientifici cum tali limitatione, vt inferat essentialiter negationem fidei in eodem actu, quæ repugnantia fundatur in ipsa entitate positiua talis actus: reliqua autem prædicata, quæ non fundant hanc repugnantiam possunt reperiri in actu fidei. Idem cum proportione dicendum de leone, & equo; quorum ea prædicata poterunt in vna tertia specie animalis coniungi, quæ non fundant specialem repugnantiam: sic enim videmus aliqua prædicata equi, & aliqua asini coniungi in mulo. Sunt autem pleraque prædicata in leone, & equo, quæ fundant specialem repugnantiam: nam ferocia leonis, & mansuetudo natiua equi coniungi non possunt: sicut neque etiam voracitas carnium, quæ est in leone, & horror illius cibi, qui est in equo, & alia eiusmodi: & in vniuersum omnia prædicata, & proprietates, quæ oriuntur ex tali temperamento primarum qualitatum: cum enim non possit idem animal exigere temperamenta diuersa, & contraria primarum qualitatum, consequens est, vt omnes proprietates leonis, quæ ad tale temperamentum sequuntur, non possint reperiri cum proprietatibus equi, quæ consequuntur ad eius proprium temperamentum, quod est diuersum à temperamento leonis, vt constat. Ob eandem rationem prædicata positiua albedinis, & nigredinis non possunt simul conuenire in qualitatem tertiam, neque etiam caloris, & frigoris, quia habent ad inuicem manifestam repugnantiam, & contrarietatem, qua se inuicem expellunt ab eodem etiam subiecto, quantò, magis repugnabunt identitati? At verò prædicata communia scientiæ, & fidei, præscindendo à limitatione positiua solius scientiæ, aut solius fidei, non habent vllam repugnantiam ad inuicem, quæ impediat, ne reperiantur identificata in aliqua tertia specie. 124 *Obiectio 7.*

Sed contra obiiciunt octauò, quia etiam in intellectu repugnat tertia species actus, quæ simul sit simplex apprehensio, & iudicium; vel etiam affirmatiuo, & negatio; quia hæ omnes sunt species actuum, vel genera diuersa; ergo nec poterit esse tertia species actuum, qui simul sint fides, & scientia. Respondetur, quidquid est perfectionis in apprehensione circa representationem obiecti, reperiri etiam in iudicio, non tamen reperiri imperfectionem, quæ significatur nomine *simplicis apprehensionis*, quę est limitatio positiua intrinseca talis actus, qua determinatur ad sistendum 125 *Obiectio 8.*

intra limites apprehensionis, nihil affirmando, vel negando de obiecto: quod prædicatum apertè repugnat, quod sit in actu iudicij, quod non sistit in apprehensione sola, & ideo non mirum, quod non possit esse tertia species, quæ habeat perfectionem iudicij, & illam etiam imperfectionem simplicis apprehensionis. Repugnantia item inter affirmationem, & negationem clarissima est, cùm neque esse possint simul in eodem intellectu, multò minùs in eodem actu. Cuius rationem reddidi in Philosophia ex eo, quod intellectus non potest affirmare id, quod sibi proponitur vt omnino falsum: cùm autem esse & non esse simul idem obiectum sit omnino falsum, & impossibile; hinc est, vt nec de potentia absoluta possit intellectus etiam per duos actus affirmare distinctè simul, & negare idem obiectum; quia eo ipso iudicaret, idem simul esse, & non esse: quæ ratio multò magis vrget in ordine ad eundem actum, qui simul affirmaret, & negaret idem obiectum; quod esset dicere idem simul esse, & non esse. Quæ rationes non procedunt in eodem actu, quo affirmetur simul idem obiectum ex motiuo fidei, & ex motiuo scientifico.

126 Obiiciunt nonò, habitus proportionantur cum
Obiectio 9. actibus in modo tendendi ad obiecta; ergo sicut datur vnus actus tendens ad vtrumque motiuum formale, ita posset dari vnus habitus tendens ad eadem motiua, ergo ille assensus non procederet ab habitu fidei, à quo fiunt cæteri actus fidei, sed ab alio habitu peculiari, qui etiam esset virtus theologica vltra tres habitus theologicos, qui communiter admittuntur.

Respondeo, si sermo sit de habitibus acquisitis, facilè concederem, per actus naturales habentes plura motiua posse generari habitum, seu facilitatem operandi circa illa omnia motiua. Hæc enim facilitas ferè non est nisi species impressa benè dispositа ad repræsentandum simile obiectum (vt dixi in Philosophia) quæ species facilè gignitur ex specie expressa repræsentante eadem obiecta. Si verò sermo sit de habitibus infusis, cùm isti non generentur per actus, sed habeant se ad modum potentiæ, quantumuis actus habeat plura motiua, non relinquent habitum supernaturalem ad similes actus iterum eliciendos; sed illi actus fient ab habitu fidei immediatè, concurrente simul intellectu, & præmissa naturali ad illum actum, provt versatur circa aliud motiuum naturale. Nec oportuit, ab initio dari alium habitum supernaturalem ordinatum ex se ad huiusmodi actum cum isto duplici motiuo: tum quia combinationes, quas intellectus, & voluntas possunt facere ex diuersis motiuis, innumeræ sunt, & innumeri essent dandi habitus supernaturales; tum etiam quia non erant necessarij; sufficit enim ad hunc actum mixtum coniunctio habitus fidei cum principiis naturalibus, vt generetur ex vtroque principio actus sapiens naturam vtriusque.

127 Aliter hanc nostram sententiam oppugnant alij Recentiores, qui concedunt quidem de potentia absoluta Dei non repugnare eiusmodi actum, qui simul sit fidei & scientiæ; negant tamen de lege ordinaria, & de facto posse dari. Quod probant hoc argumento, quia, si daretur, esset supernaturalis, hoc autem repugnat, nam habitus naturalis scientificus non potest concurrere ad actum supernaturalem, nisi eleuetur ab aliquo alio comprincipio, nempè ab habitu fidei: sed habitus fidei non potest eleuare habitum naturalem ad actum illum, ergo habitus scientificus non potest conuenire. Minor probatur, qia habitus fidei non potest eleuare ad operandum supernaturaliter circa aliud obiectum, quod non sit obiectum formale, vel materiale fidei, quale non est obiectum scientificum, ergo actus ille provt scientificus, esset quidem supernaturalis, & non procederet ab aliquo principio supernaturali, in cuius virtute contineretur.

Hoc argumentum multum probat: nam probaret etiam nullam conclusionem Theologicam esse posse supernaturalem; debet enim concurrere cum præmissa de fide alia cognitio naturalis, quæ debet etiam eleuari ab habitu fidei, vel alio comprincipio ad illam conclusionem supernaturalem eliciendam: cùm ergo Conclusio Theologica versetur circa aliquod aliud obiectum præter obiectum fidei, non poterit fides concurrere, aut eleuare præmissam naturalem ad illum effectum producendum. Consequens autem esse falsum, ostendi in superioribus; sequeretur enim cognitionem illam, quæ immediatè dirigit ad operandum honestè, debere esse semper naturalem: nunquam enim aut vix vnquam dirigere posset immediatè actus meræ fidei, sed debet semper dirigere mediatè per conclusionem aliquam practicam dictantem hîc & nunc bonum esse taliter operari, quia fides docet pauperem subleuandum, & iste apparet sufficienter pauper: quia fides docet, Christum esse adorandum; & est moraliter certum, quod hæc hostia sit consecrata, & contineat Christum, &c. qui actus nisi sint supernaturales, voluntas honesta, quæ consequitur, non erit supernaturalis in sententia horum Theologorum.

Ad argumentum ergo Respondetur, in primis assensum illum esse supernaturalem totum, quia cum sit indiuisibilis, & procedat ab habitu infuso, totus est talis, vt non possit fieri viribus naturæ solis, quod sufficit ad supernaturalitatem: vnde consequenter dicendum est, habitum scientificum eleuari ab habitu fidei ad illum actum producendum, nam sicut habitus fidei potest eleuare species naturales, vt concurrant ad actum supernaturalem; sic potest eleuare aliud comprincipium naturale, vt concurrat cum habitu ipso fidei ad actum vtrique communem. Illud autem, quod assumitur, quod scilicet habitus fidei non possit eleuare comprincipium naturale ad actum circa obiectum, quod non sit fidei, est omnino falsum: nam licet fides sola non possit versari nisi circa suum proprium obiectum: fides tamen cum alio comprincipio potest operari partialiter circa alia obiecta non sua. Quod quidem multipliciter ostendi, & probari potest. Primò ad hominem, quia ij Theologi admittunt, posse dari aliquem actum, qui idem sit scientiæ & fidei humanæ, & assentiatur conclusioni propter vtrumque motiuum, in illo ergo actu fieri potest idem argumentum: ille enim actus est verè scientificus, & provt etiam versatur circa obiectum fidei, est perfectior, quàm posset à sola fida humana fieri; quare debet fides humana eleuari supra suam propriam sphæram, vt producat illum actum scientificum. Quomodo ergo potest habitus scientificus eleuare fidem humanam ad producendum actum perfectiorem in sua entitate, etiam provt versatur circa obiectum formale non scientiæ, sed fidei?

Secundò explicatur, & probatur ad hominem hoc ipsum in habitibus supernaturalibus, vel naturalibus

turalibus voluntatis: admittunt enim, posse voluntatem vno eodemque actu amplecti aliquod obiectum propter motiua plurium virtutum, concurrentibus habitibus simul illarum omnium virtutum. Tunc ergo apparet, quod virtus inferior v. g. temperantia, producit simul cum charitate actum simul charitatis & temperantiæ; debet ergo eleuari à charitate, vt possit concurrere ad actum, qui totus in sua entitate nobilior & perfectior est, quam esset si esset solùm actus temperantiæ. Ecce quomodo charitas eleuat temperantiam ad eliciendum actum perfectiorem circa obiectum formale temperantiæ, licèt illud obiectum non pertineat ad obiectum formale charitatis.

Tertiò eadem fides eleuat species naturales, non solùm quatenus repræsentant obiecta fidei, sed etiam quatenùs repræsentant alia obiecta omnino impertinentia. v. g. quando aliquis credit Christum tertia die resurrexisse, vtitur specie naturali, quam habet Christi resurgentis, prout eum vidit in imagine cum vestibus, & vexillo, quæ species eleuatur ad producendum actum fidei supernaturalem, quo licèt non affirmetur vestitus ille, apprehenditur tamen, & obiicitur Christus cum veste illa, & de illo affirmatur resurrectio. Ecce species obiecti impertinentis, quod nullo modo creditur per fidem, eleuatur à fide ad producendum actum supernaturalem, quo exprimatur illud etiam obiectum. Quid mirum quod eleuet scientiam naturalem, vt cum fide producat actum supernaturalem circa vtriusque motiuum?

131 Ratio à priori est, quia sicut eo ipso quod scientia potest tendere in tale obiectum, habet virtutem concurrendi cum omnibus principiis in ordine ad actum illum, qui tendat in tale obiectum formale, & ideo potest concurrere cum fide humana, & quasi eleuare illam ad actum fidei, & scientiæ, quia ille actus tendit ad obiectum formale scientiæ: ita fides diuina, & quilibet habitus supernaturalis eo ipso, quod potest tendere ad tale obiectum formale, potest concurrere ad omnes actus, qui habeant tale obiectum formale, & consequenter concurrere cum omnibus aliis comprincipiis talium actuum, & ea eleuare; quia totum hoc facit in ordine ad suum obiectum formale, quod attingitur per talem actum. Non potest ergo fides sola versari circa obiectum formale scientificum; potest tamen simul cum scientia, & potest eleuare scientiam, vt simul cum fide eliciat talem actum, quia ille actus versatur circa obiectum formale fidei, quod sufficit: sicut potest eleuare species circa vestem Christi resurgentis, licèt sola fides secundùm se non respiciat

132 tale obiectum, nec possit illud credere.

Sed contra obiiciunt iterum iidem Recentiores, quia tanta potest esse diuersitas inter duas causas naturales, vt non possint concurrere ad causandum vnum effectum communem, nam licèt ex equo, & asina generetur tertia species animalis, & ex pruno insito in amygdala generetur fructus; non tamen poterit ex Camelo, & lepore, vel ex ficu, & cucurbita propter magnam diuersitatem: maior autem est diuersitas inter fidem, & scientiam, cùm vna sit supernaturalis, altera naturalis; ergo non poterunt coalescere ad producendum actum, qui sit proles vtrique communis.

Respondetur, magna etiam est diuersitas inter actum fidei humanæ, & scientiæ; & maior quàm inter duos actus scientiæ, & tamen ipsi admittunt, posse eandem conclusionem vnico actu elici ex vtroque motiuo, & non potest ex duplici scientia circa obiecta diuersa; item magna est diuersitas inter virtutem charitatis & temperantiæ; & tamen potest vtraque concurrere ad eundem actum. Non debet ergo attendi diuersitas principiorum secundùm suam entitatem, sed obiectorum: quando enim obiecta sunt talia, vt possint coadunari in vno actu, eo quod vtrumque moueat ad idem obiectum materiale, potest vtrumque principium concurrere; quia habitus intendunt exprimere in suo actu imaginem, vel affectum sui obiecti: & ideo admittunt consortium cuiuslibet comprincipij, à quo fiat actus talis; qui exprimat talem imaginem, vel affectum. Et quidem si Camelus posset cum lepore producere prolem, quæ exprimeret similitudinem sui, non reiiceret illud comprincipium, nec ficus reiiceret insitionem cucurbitæ, si ex vtraque fieret fructus referens similitudinem ficus. Ratio vniuersalis est, quod habitus infusi, qui dantur in via, non dantur ad actum dissimilem in modo exprimendi, aut tendendi ad obiecta, sed ad actus omnino similes, addita sola supernaturalitate propter ordinem ad principium supernaturale: quoad reliqua verò seruatur idem ordo, & modus operandi itavt quando, & quomodo fieri deberet actus naturales, fiant eorum loco alij supernaturales, atque ideo misceri debuit vtraque series operationum, & actuum, & sic sese inuicem adiuuare: possunt etiam imperari supernaturales à naturalibus, & è contra: nam sicut potest voluntas supernaturalis imperare intellectui speculationem quæstionis philosophicæ, quæ fit per actus naturales; ita poterit imperare voluntati exercitium alicuius virtutis naturalis, quæ non procedat ex fide, sed ex cognitione naturali. Alioquin si non esset hæc mixtio vtrorumque actuum, sequeretur quod propositis motiuis virtutum naturalium, & supernaturaliun ad idem obiectum amplectendum, & volente homine illud amplecti, prout facere solet, propter omnia illa motiua, non posset, sed cessaret ab amore illius obiecti, vel certè eliceret actum naturalem solum; quod quidem esset cum detrimento meriti: quare, cùm Deus voluerit, quotiescunque est occasio eliciendi actus meritorij, concurrere concursu supernaturali, debuit consequenter dare virtutem habitibus supernaturalibus concurrendi cum aliis comprincipiis ad quemcumque actum bonum, perinde ac si omnes essent eiusdem ordinis.

Vltimò obiiciunt, quia misericordia infusa non 133
potest de facto concurrere cum misericordia *Obiectio vlt.*
naturali ad eundem actum misericordiæ, ergo nec fides & scientia naturalis ad eundem actum communem. Antecedens probant, quia si id fieri posset, fieret de facto, quoties iustus elicit actum misericordiæ, cùm semper proposita sint vtriusque virtutis motiua. Consequens autem est falsum: quia ille actus esset supernaturalis, & non posset percipi, atque adeo deberet elici alius actus naturalis à sola misericordia naturali, qui posset percipi.

Hoc argumentum procedit ex falsis principiis: dicimus ergo, id posse contingere, non tamen semper, quia non semper adest cognitio requisita ad operandam operationem vtriusque

virtutis : nam misericordia infusa operatur ex bonitate misericordiæ cognita per fidem propter auctoritatem Dei , vt suppono ex tractatu de gratia ; misericordia verò naturalis ex cognitione eiusdem bonitatis per lumen naturæ, & rationes naturales. Si autem contingat proponi vtrumque , poterit fieri vnicus actus ex vtraque cognitione, qui licèt sit supernaturalis, potest & debet percipi ab homine, qui eum habet, vt diximus in superioribus.

134 *Idem assensus potest versari circa aliquã veritatẽ immediatè, & mediatè.*

Ex dictis infero primò, posse eundem numero assensum versari circa æquam veritatem immediatè , & ex apprehensione terminorum, & circa eandem mediatè propter aliquod motiuum rationis, vel auctoritatis : possum enim assentiri, tum quia obiectum ex terminis apparet verum euidenter , tum etiam quia Deus id reuelat, vel quia infertur euidenter ex principiis certis. & tunc ille actus erit simul primum principium , & simul conclusio respectu eiusdem obiecti materialis. Item eodem actu voluntatis possum velle aliquod obiectum , v. g. potum vt finem propter bonitatem , & delectationem, quam in se habet ; & vt medium vtile ad sanitatem v. g. quia sicut possum velle idem medium vt vtile ad duos fines sic etiam idem obiectum propter se , & propter alium finem , de quo dixi latè in tractatu de actibus humanis.

135 *Quomodo Deus habeat actum formalis amicitiæ erga homines.*

Infero secundò decisionem facilem illius quæstionis, de qua in materia de voluntate Dei, & in materia de charitate , quomodo Deus habeat actum formalis amicitiæ erga homines , si quidem omnia vult Deus propter semet ipsum. Respondetur enim facilè ex dictis , Deum velle bonum hominis propter semet ipsum , atque etiam propter ipsum hominem , itavt habeat duplex motiuum formale ad volendum hominis bonum, in quo dicendi modo facilè superantur difficultates illius controuersiæ De hoc tamen dicemus agendo de charitate.

136 *An idem assensus possit esse ex motiuo fidei , & ex alio motiuo probabili.*

Petes primò, an sicut potest idem assensus esse ex motiuo fidei , & scientifico , possit etiam esse ex motiuo fidei,& ex alio motiuo probabili. Affirmat Hurtado *dicta disp.* 31. §. 21. *& sequentibus , & disp.* 32. §. 17. quando medium opinatiuum , & conclusio ex vi illius non contineant falsitatem ; neque ego video inconueniens in eo actu. Quod enim aliqui opponunt , quod ille actus afferret , & non afferret formidinem , quia assensus opinatiuus eo ipso est formidolosus , & assensus fidei est firmus,& sine formidine: hoc,inquam , facilè explicatur, sicut dictum est de claritate , & obscuritate. Fatemur ergo, assensum illum esse formidolosum respectu ipsius medij opinatiui , quod quidem non creditur firmiter , neque per fidem. Loquendo verò de ipso obiecto conclusionis,illud creditur firmiter & absque vlla formidine ; quam firmitatem non habet à medio opinatiuo , sed à motiuo fidei , & ab imperio piæ affectionis : quare non debet concedi , quod obiectum conclusionis credatur cum formidine, nec etiam provt creditur propter medium probabile & opinatiuum, nisi ad summum radicaliter, vel præcisiuè , hoc est , intellectum non ita fidere illi medio opinatiuo, vt propter ipsum solùm cohiberet formidinem, quam de facto cohibet propter medium fidei , quare licèt cum illo eodem actu non possit esse formido , posset tamen esse cum illo eodem medio opinatiuo seorsim à motiuo fidei,& hunc defectum medij ostendit intellectus in ipso modo assentiendi propter illud medium,ostendens simul se non cohibere formidinem intuitu illius,sed intuitu alterius medij fidei. Nam sicut diximus , posse, & debere intellectum in ipso modo assentiendi indicare, an moueatur ab illo medio totaliter, an solùm partialiter, & cum dependentia ab alio motiuo,sine quo non moueretur ab hoc solo; ita dicendum est, intellectum in ipso modo assentiendi significare, an cohibeat formidinem intuitu huius medij, an intuitu alterius, an intuitu singulorum , vel solùm intuitu complexi ex vtroque : & in hoc sensu manet illud medium opinatiuum & formidolosum , quia quantum est ex vi illius,non expellitur formido circa conclusionem : non est tamen assensus formidolosus conclusionis : quia reuera nulla est formido respectu conclusionis,quamuis non expellatur formido intuitu medij opinatiui, sed alterius.

Quod explicari , & probari optimè potest in voluntare : quando, v.g.aliquis dolet de peccatis propter offensam Dei , & rursus propter paupertatem , quam peccata , & vitia ei attulerunt : potest enim homo vnico actu dolere propter vtrumque motiuum ; non tamen habebit actus ille æqualem firmitatem ab vtroque motiuo : nam provt dolet propter offensam Dei , dolet super omnia, & proponit firmissimè non peccare,quam firmitatem , & appretiationem super omnia non tribuit alteri motiuo, neque enim odit paupertatem super omnia , nec proponit eam fugere firmissime supra mortem , & alia omnia mala. Ecce ille actus circa vnum motiuum est firmissimus,& dolor summus , circa alterum infirmus , & non summus dolor:circa peccata verò est firmissimus, & super omnia ; & licèt hanc firmitatem non habeat intuitu motiui paupertatis : non tamen habet ab eo motiuo infirmitatem positiuam circa peccata , sed solùm in ipso modo attingendi motiua explicat voluntas eorum inæqualitatem, hoc est , non ita se moueri à paupertate, vt cessante offensa Dei propter solam paupertatem doleret super omnia de peccatis , & vellet in omni prorsus euentu ea vitare. Quod ergo ibi dicitur de infirmitate doloris , dicendum est in nostro casu proportione de formidine , quæ est infirmitas in assensu intellectuali, sicut è contra infirmitas in actu voluntatis videtur esse quasi quædam formido , & incertitudo in volendo aliquo obiecto.

An verò dicendus sit assensus ille opinatiuus, & probabilis , non solùm respectu medij opinatiui (de hoc enim non est dubium) sed etiam respectu conclusionis , ita vt verè dicatur homo tunc habere opinionem, & probabilitatem etiam de articulo fidei , sicut dicitur habere scientiam & euidentiam de illo , quando assentitur simul propter motiuum scientificum,& motiuum fidei: est quæstio de nomine. Qui enim diceret,opinionem , aut probabilitatem non dicere in suo conceptu carentiam firmitatis , & certitudinis , sed solum assensum propter medium incertum & infirmum, præscindendo ab eo, quod assensus sit vel non sit aliunde certus : diceret consequenter, assensum illum esse probabilem , & opinatiuum etiam respectu conclusionis , non tamen solùm probabilem , & opinatiuum sed simul certum & firmum absque omni formidine. Melior tamen videtur modus loquendi, & omnino retinendus, vt simpliciter & absolutè negetur ille assensus esse

robap

probabilis, vel opinatiuus respectu articuli crediti; provt loquitur etiam Hurtado *dicta disp.* 31. §.23. & *disp.* 32. §.17. Nemo enim Catholicus patienter audiet, si dicas, te opinari, Christi corpus esse in Eucharistia, vel probabile id tibi videri: ex his quippe loquendi formulis audientes concipiunt, vel contrarium æstimari etiam à te probabile, vel certè hoc non haberi pro certo. Cùm ergo simus in quæstione de nomine, vtendum est his vocibus *opinionis*, & *probabilitatis* in sensu, quo ab auditoribus communiter intelliguntur, qui est excludens certitudinem, & firmitatem assensus. Vnde non est simile de actu simul scientifico, & fidei: nam qui dicit, se habere scientiam, & euidentiam de immortalitate animæ rationalis, non significat incertitudinem, aut infirmitatem in assensu, sed significat solùm claritatem: neque etiam qui dicit se habere fidem de eodem obiecto, significat apud audientes, se non habere ex alio medio euidentiam de eodem obiecto, sed solùm significat, se id firmissimè credere propter diuinam auctoritatem: cùm tamen qui dicit, se habere opinionem de animæ immortalitate, vel id sibi probabile esse, significet, se non habere certitudinem. Qui modus significandi, & concipiendi adeò communis, & receptus est, vt etiamsi non per vnicum & eundem actum attingantur illa duo motiua, sed per diuersos, itavt per vnum attingatur motiuum solum fidei, & per alterum motiuum solum argumenti probabilis, adhuc non posse dicere simpliciter, & absolutè, te habere opinionem, vel probabilitatem de illo obiecto: quia per hoc significares carentiam certitudinis, & firmitatis non solùm in eodem actu, sed etiam in eodem intellectu; quod constat ex eodem argumento, quia ita loquens ab omnibus reprehenderetur tanquam infirmus in rebus fidei nec se excusaret sufficienter dicendo, se per alium actum credere firmissimè idem obiectum ex fide. Sed deberet dicere se ex tali motiuo probabili habere opinionem de illo obiecto, & æstimare illud probabile ex vi illius motiui. Neque enim magister, qui habet plura argumenta, aliqua demonstratiua, aliqua probabilia ad eandem conclusionem probandam, asserit simpliciter, & absolutè, conclusionem illam esse probabilem, quia per hoc significaret apud omnes, non habere euidentiam de tali conclusione.

139 *Et quid si motiuum probabile non esset verum.*

Dices, ponamus motiuum probabile non esse verum, vel non bene inferre rem reuelatam; tunc ille assensus erit ex eo capite falsus; non enim repugnat probabilitas cum falsitate; ergo manebit idem numero actus fidei, & falsus. Respondeo illum assensum esse verum respectu rei reuelatæ, & reuelationis licèt sit falsus vt versatur circa motiuum falsum. Quo supposito aliqui non reputant inconueniens, quod detur concursus supernaturalis ad actum identicè falsum. Ita tenet Salas 2. *tom. in* 1.2. *tract.* 11. *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 41. sed quidquid sit de hoc, faciliùs negatur, eo casu fieri actum fidei diuinæ, nam sicut in simili diximus de actu voluntatis *in tract. de actibus humanis* non esse supernaturalem, quoties ab alia circumstantia etiam partiali est formaliter malus, ita dici potest de actu fidei, qui quia est actus virtutis intellectualis, debet esse verus; cùm ergo tunc non esset simpliciter verus, non esset actus fidei diuinæ nec supernaturalis in entitate.

140 Petes secundò, an sicut diximus, posse vnicum assensum respicere duo motiua singula vt totalia, & posse etiam respicere singula vt partialia, & cum dependentia vnius ab alio, ita vt cessante altero, intellectus non assentiatur conclusioni; sic etiam possit idem actus respicere duo motiua, alterum tanquam totale, & quo manente solo, adhuc retineretur assensus conclusionis: alterum verò vt motiuum partiale, & propter quod solùm, ablato alio non assentiretur conclusioni. Respondeo affirmatiuè: neque enim in hac combinatione motiuorum apparet specialis repugnantia, supposita possibilitate alterius duplicis combinationis suprà explicatæ. Aliunde verò videtur id colligi posse ex voluntate, quæ hoc etiam modo videtur de possibili, atque etiam de facto attingere duo, vel plura motiua, non semper omnia æqualiter, sed cum inæqualitate motionis, quam inæqualitatem explicat ipsemet actus voluntaris. Sic enim qui negotij proprij causa vult venire Romam, ordinat etiam suum aduentum, vt negotium amici expediat, propter quod tamen solum non veniret, licèt eo cessante veniret propter solum proprium. Similiter ergo intellectus potest moueri ad assensum propter aliquod motiuum, quod solum ei sufficeret & confirmari potest ad eundem assensum alio quodam motiuo, propter quod solum non assentiretur.

An idem assensus possit respicere duo motiua? alterum vt totale, alterum vt partiale?

141 Quod rursus in eodem intellectu probari potest, quando assentimur, & credimus aliquid propter testimonium viginti hominum id testificantium, quod quidem propter vnius, vel duorum testimonium non crederemus: tunc enim testimonium duorum partialiter mouet, non tamen sufficienter; nam ablatis aliis, & manentibus illis duobus solis, non crederemus: è contra verò: ablatis illis duobus, & manentibus aliis octodecim, adhuc crederemus: vnde non æquè mouemur ab his duobus, ac ab aliis octodecim, licèt partialiter ab illis etiam duobus moueamur.

142 *Inæqualis motio vtriusque motiui apparet cum vnico assensu credimus ex motiuo fidei, & scientifico.*

Imò in casu etiam nostræ quæstionis, quando vnico assensu credimus ex motiuo fidei, & motiuo scientifico, apparet in ipso modo assentiendi inæqualis motio vtriusque motiui: nam licet singula sint motiua totalia, itavt quolibet ablato, adhuc assentiremur propter motiuum remanens; non tamen assentiremur eodem modo: quia ablato motiuo fidei, non assentiremur æquè firmiter, & super omnia, sicut credimus res fidei. Non ergo mouemur æqualiter ab vtroque illo motiuo, sed assentimur quidem firmiter, & certò propter vtrumque; firmissimè verò solùm propter motiuum fidei; & totam hanc inæqualitatem significamus per talem modum assentiendi, tribuendo vnicuique motiuo suum gradum motionis inæqualem. Similiter ergo possemus assentiri propter duo motiua, significando ex parte vnius motionem partialem solùm, & cum dependentia ab alio motiuo, & ex parte alterius motionem totalem, & sufficientem independentem ab alio motiuo.

143 *Quando credimus propter duo motiua solùm partialia, quorum neutrum sine altero nos moueret ad assentiendum, possumus inæqualiter ab iis moueri.*

Vnde rursus infero, etiam quando credimus propter duo motiua solùm partialia, quorum neutrum sine altero nos moueret ad assentiendum, posse nos inæqualiter ab iis moueri, itavt magis assentiamur propter vnum, quàm propter alterum, & hanc inæqualitatem significemus in ipso modo assentiendi propter motiua. Hoc experimur frequenter in voluntate, qua volumus aliquid, v.g. propter preces duorum, quorum vnus non sufficeret ad impetrandum, quia tamen non audemus vtrique negare, id concedimus: sed quia

alterum magis reueremur, vel diligimus, magis mouemur ab eius precibus. Item in intellectu, quando credimus duobus testibus, quod vni soli non crederemus: quia tamen alter maioris est auctoritatis, magis mouemur ab eius testimonio ad credendum. Vnde iudex, qui aliquando non credit vni testi etiam ad torquendum reum, accedente tamen aliquo indicio, vel adminiculo, credit ad eum effectum, sed magis mouetur à teste, quàm ab indicio, vel adminiculo accedente, licèt à neutro toraliter moueatur. Ratio autem sumitur ex supradictis, quia intellectus, & voluntas, quando assensum, vel consensum præstant, non solùm approbant motiua, & ea explicant, sed etiam explicant gradum approbationis, & quantum singulis motiuis deferant, ne confundant motiua omninò inæqualia, æqualem eis affectum, vel consensum exhibendo.

144 *Intellectus vnde determinetur ad eliciẽdos duos actus, vel vnum tantùm, quando proponuntur motiua diuersa assentiẽdi.*

Petes vltimò, quando proponuntur duo motiua diuersa assentiendi, propter quæ intellectus posset duobus actibus diuersis assentiri, vnde proueniat, quod aliquando duos actus eliciat circa illa duo motiua, aliquando vnum solum, quo vtrumque motiuum complectatur, v. g. si proponitur ratio Philosophica, & simul motiuum fidei ad credendam immortalitatem animæ, vnde determinetur intellectus ad eliciẽdos duos actus, alterum scientiæ, alterum fidei distinctos, vel ad eliciẽdum vnum solum, qui idem sit actus scientiæ, & fidei; cùm enim intellectus sit potentia necessaria, videtur, quod si semel elicit duos actus, semper debeat duos elicere, vel è contra, si semel elicit vnum solum, semper debet vnum, & non duos elicere. P. Hurtado *disp.* 31. §. 11. dicit, quando fides iam præcessit cum suo actu, si postea accedat demonstratio, generari alium actum scientificum, qui sit simul cum actu fidei, & è contra: quia adueniente demonstratione, non est cur pereat actus præcedens fidei, neque è contra. Si verò simul applicetur vtrumque motiuum (quod intelligo de simultate temporis, & naturæ) fieri vnicum actum ab vtroque habitu, & motiuo;

145 quia non est, cur multiplicentur actus. Quæ probabiliter dicuntur, & addi potest, licèt Angelus fortasse, qui maiorem reflexionem, & potestatem habet supra proprios actus, possit voluntate sua determinare intellectum ad vnum, vel distinctos actus eliciendos circa plura motiua; nos tamen, qui nec experimur vnitatem, vel pluralitatem actuum, quos simul elicimus, nec scimus modum concurrendi ad vnum vel plures actus simul eliciendos, non videri tantam potestatem habere in nostrum intellectum, vt possimus pro arbitrio nostro determinare illum ad vnicum, vel plures actus simul eliciendos circa idem obiectum sub diuersis motiuis, sed solùm posse imperare assensum, vel dissensum propter tale motiuũ. Possumus quidem imperare actus distinctos, imperando successionem vnius actus post alium, quam actuum distinctionem ortam ex successionis tempore benè percipimus: quod autem simul sint plures actus, vel vnicus circa plura obiecta formalia, non videmur posse imperare immediatè, sed solam substantiam assensus, vel dissensus propter talia motiua, quam tendentiam in motiuum nos percipimus, relinquendo intellectui, vt id faciat iuxta suam naturam eo modo, quo tunc facere potest. Neque enim inuenimus potestatem in anima nostra imperandi sibi, aut suis potentiis aliquid, quod postea aliquo modo cognoscere non possit, an ita factum sit, nec appareret ad quid deseruiret talis potestas imperandi, cùm homo nunquam agnosceret effectum, vel vtilitatem sui imperij, neque eam posset agnoscere.

DISPVTATIO III.

De obiecto materiali fidei.

SECTIO I. *Quod sit obiectum materiale adæquatum nostræ fidei.*

II. *Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum.*

III. *Vtrùm sit aliquis ordo inter obiecta fidei.*

IV. *Vtrùm articuli fidei conuenienter in Symbolo tradantur.*

V. *Vtrùm obiecta materialia fidei successiuè creuerint, vel decreuerint.*

POSTQVAM egimus de obiecto formali fidei, seu de motiuo credendi, sequitur, vt agamus de materiali, seu de iis, quæ creduntur, vt plenè cognoscatur fidei obiectum & doctrina S. Thomæ in hac quæstione prima omnino explicetur.

SECTIO I.

Quod sit obiectum materiale adæquatum nostræ fidei.

IN hac quæstione multa miscentur de nomine: & multæ sententiæ afferuntur diuersæ, quæ si res bene intelligantur, ferè conueniunt, vel parum possunt differre. Supponendum ergo in primis est id quod *disputatione prima sect.* 1. dixi- Obiectũ materiale quod tur mus, obiectum materiale in præsenti vsurpari pro eo, cui propter aliud assentimur; nam licet aliquãdo obiectum materiale dicatur illud quod non terminat cognitionem immediatè per suam entitatem, sed per aliquid sibi inhærens, vt paries dicitur obiectum materiale visionis, quia formaliter videtur sola albedo parieti inhærens, illud tamen solùm est obiectum denominatiue, & per accidens: nos autem loquimur in præsenti de obiecto materiali quod immediatè terminat actum fidei per suam entitatem; quare à nonnullis appelletur obiectum formale *quod*, vt distinguant illud à motiuo assentiendi, quod appellant obiectum formale *quo*. Sic loquitur Valentia *in præsenti disputat.* 1. *quæst.* 1. *part.* 1. §. 3. melius tamen appellatur obiectum materiale cum sancto Thoma *in præsenti artic.* 1. quia fides versatur circa illud vt informatum per auctoritatem, & reuelationem diuinam tanquam per obiectum formale.

Supponendum secundò, in obiecto materiali fidei posse distingui id de quo aliquid creditur, & id quod creditur. Primum dicitur subiectum, secundum verò prædicatum: & vtrumque simul dicitur obiectum complexum, seu tota propositio obiectiua

obiectiua. Si ergo quærimus, quod sit obiectum materiale fidei adæquatum; facilè respondetur, non esse vnum subiectum, sed plura pro varietate actuum fidei: & idem dici debet de prædicatis; multa enim sunt, quæ creduntur, & multa ea, de quibus creduntur; & multò plura, quæ credi possunt, si reuelentur: quare obiectum materiale fidei in tota sua latitudine possibili comprehendit omnes veritates necessarias, & contingentes, quæ reuelari possunt, & quæ aliunde ex parte obiecti non inuoluunt repugnantiam peculiarem cum assensu fidei: nam omnes illæ, quæcunque illæ sint, sicut cognoscuntur à Deo, ita possunt reuelari, & credi per fidem. *Dixi, quæ reuelari possunt*, quia si aliquæ veritates non possunt reuelari, vt cognitio qua Deus scit se nolle vnquam aliquid reuelare, & alia huiusmodi, quæ essentialiter repugnant cum reuelatione, de iis non est sermo; dixi etiam, *quæ aliunde ex parte obiecti non inuoluunt repugnantiam peculiarem cum assensu fidei*; quia si Deus nollet cum intellectu concurrere vnquam ad assensum fidei; posset Deus reuelare hanc suam voluntatem, non tamen posset fides elicere assensum circa illam, quia ipsa reuelatio supponit, Deum nolle concurrere ad illum assensum. Dices, si reuelatio illius decreti, vel concursus ad id credendum est impossibilis ex essentia sua, ergo non comprehenditur sub obiecto illius decreti vniuersalis, quia sicut Deus non dicit, nolo creare chimæram, ita non dicit, nolo ponere reuelationem impossibilem, vel dare concursum ad actum fidei impossibilem: si autem Deus non noluit illam reuelationem vel concursum, iam non erit impossibilis ex repugnantia cum decreto diuino vniuersali. Respondeo, nos ideo loqui sub conditione, si verè Deus noluit vllam reuelationem possibilem, vel concursum ad vllum actum fidei possibilem: nam posito illo decreto vniuersali, iam argueretur, hanc reuelationem talis decreti, vel fidem circa illud esse impossibilem; quia si esset possibilis comprehenderetur sub nolitione vniuersali omnis reuelationis, vel fidei possibilis. Si ergo decretum supponitur vniuersale, fatendum est hanc reuelationem, vel fidem talis decreti esse impossibilem, non quia Deus illam noluit, sed ex sua essentia.

3

4 *An omnia obiecta materialia æquè immediatè pertineant ad fidem?*

Petes, an hæc omnia obiecta materialia æquè immediatè pertineant ad fidem. Respondetur affirmatiuè, quia omnia æquè induuntur motiuo formali, & æquè immediatè reuelantur à Deo, & ideo æquè esset hæreticus, & amitteret fidem, qui negaret Tobiæ canem, ac qui negaret incarnationem. Dices, grauior blasphemia esset negare Christi diuinitatem, quàm aliam rem leuiorem. Respondeo, ex specie sua æquè immediatè esse contra fidem vnum, ac aliud; cæterùm ex aliqua circumstantia materiali potest crescere peccatum; præsertim quod esset maior irreuerentia negare Christo, quæ magis pertinet ad eius dignitatem, atque ideo formaliter in ratione irreuerentiæ esset maior. Dices iterum; Deus non æqualiter omnia affirmat; aliqua enim simpliciter affirmat: alia verò cum iuramento: ergo non omnia exigunt æqualem fidem. Nego consequentiam, quia tam repugnat Deo mendacium, quàm periurium: licèt vt nobis se accommodet, aliquando vtatur iuramento, vt vehementiùs nos ad assensum moueat: in rigore tamen semper Deus iurat, cùm semper afferat se in testem, quod est propriè iurare.

Addo tamen, licèt omnia æquè immediatè credantur per fidem: aliqua tamen principaliùs pertinere ad fidem, quàm alia: tum quia de se sunt nobiliora obiecta; quare sicut lumen naturale intellectus magis inclinat ad cognoscendam veritatem nobiliorem; sic etiam lumen fidei. Tum etiam quia quædam sunt, quæ magis conducunt ad finem, qui de facto per fidem intenditur, vt postea videbimus. Dices, obiecta materialia credita per fidem non omnia habent æqualem veritatem, ergo non omnia æquè creduntur per fidem, sed ea, quæ magis vera sunt, magis debent credi, sicut ea, quæ magis bona sunt, magis amantur per charitatem bene ordinatam. Antecedens verò probatur, quia maiorem, & firmiorem veritatem habet esse Dei, & eius perfectio, quæ per fidem creditur, quàm aliquæ res contingentes creatæ, quæ per eandem fidem creduntur. Respondetur (omissa responsione Patris Suarez *in præsenti disp. 2. sect. 2. num. 4.* quæ fortasse in idem recidit, sed obscurior est) admisso antecedenti, distinguendo consequens; magis debent credi, quæ maiorem habent veritatem, quando motiuum credendi est ipsa veritas propria obiecti crediti, transeat; quando motiuum credendi est alia vetitas, quæ æquè participatur ab aliis veris, quæ creduntur, nego. Ad quod retorqueri potest exemplum charitatis, quæ quidem magis amat Deum, quàm creaturas, quia bonitas infinita Dei, quæ est motiuum amandi, magis & perfectiùs participatur ab ipso Deo, cui est essentialis, quàm à creaturis, quæ illam extrinsecè participãt; inter ipsas vero creaturas non magis amat semper quæ in se sunt perfectiores, sed eas, ex quibus maior Dei gloria resultat: quare si ex creatione hominis maior gloria Dei resultabit, quam ex creatione Angeli, & magis illa, quàm hæc sit iuxta Dei beneplacitum; charitas magis amabit hominem, quàm Angelum; si verò æqualis gloria ex vtraque resultet, & æquè sit iuxta Dei beneplacitum, æquè vtramque amabit: quia motiuum vltimum amandi per charitatem non est propria bonitas Angeli, vel hominis, sed bonitas Dei. Sic ergo fides, cùm eius motiuum vltimum non sit veritas obiecti crediti, sed veracitas, & testimonium Dei, æquè debet credere omnia, quibus æquè hoc motiuum communicatur: omnia autem reuelata æquè participant hoc motiuum, cùm æquè infallibilis sit Deus in omnibus, quæ dicit, & æquè omnia reuelet: ergo fides æquè omnia credit propter idem motiuum.

5 *An quædam obiecta materialia principaliùs pertineant ad fidem.*

Petes iterum, an mendacium etiam pertineat ad obiecta materialia fidei. Respondetur, distinguendo, mendacium enim non potest esse obiectum creditum per fidem, per quam non potest credi aliquid falsum, vt infrà videbimus: potest tamen mendacium esse obiectum, de quo fides aliquid credat, vel quod de aliquo credat. Nam fides credit, *mendacium esse peccatum*, vbi mendacium est subiectum fidei, de quo aliquid credit. Item fides credit id, quod Diabolus dixit Euæ, fuisse mendacium, vbi mendacium est prædicatum, quod fides enunciat de sermone Dæmonis, ita que id, quod propriè creditur, est coniunctio prædicati cum subiecto; quæ si sit falsa, non potest credi per fidem: de ipso tamen falso potest fides aliquid verè credere, vel ipsum etiam falsum potest de aliquo verè enunciare.

6 *Mendacium an pertineat ad obiecta materialia fidei?*

Dices, saltem in actu dissensus elicito à fide copulam ipsam prædicati cum subiecto esse fal-

7

sam, v. g. in actu, quo negamus Patrem esse incarnatum; ideo enim actus ille est verus, quia falsa est coniunctio prædicati cum subiecto, quam actus negat. Suppono autem id, quod dixi *disp.* 1. *de virtute pœnitentiæ, sect.* 2. dissensum mentalem non habere pro obiecto negationem prædicati de subiecto, sed coniunctionem, quam coniunctionem per fugam intellectualem negamus, & ei dissentimus, quare sola copula falsa videtur esse obiectum illius dissensus. Ad hoc tamen facilè respondetur, & in primis dici posset, actus omnes fidei in rigore non esse dissensus, sed assensus, qui inferuntur ex duabus affirmatiuis, v. g. *quidquid Deus dicit, est verum, & Deus dicit Patrem non esse incarnatum*, quare non potest inferri propositio negatiua, sed affirmatiua iuxta regulas summulisticas, nempe, *ergo verum est, Patrem non esse incarnatum*, qui non est dissensus, sed assensus. Sed quia hoc difficultate non caret, de qua redibit sermo inferiùs, facilius responderi potest, quod quidquid de hoc sit, in illo dissensu coniunctio falsa prædicati cum subiecto non esset obiectum creditum, sed negatum per fidem: non autem solùm dicimus falsitatem non posse esse obiectum materiale creditum per fidem, quidquid sit, an possit esse obiectum directè negatum.

8 *Obiectũ materiale adæquatum duplex.*

Supponendum ergo tertiò obiectum materiale adæquatum alicuius scientiæ, vel habitus, aliud esse adæquatum simpliciter: aliud dici adæquatum attributionis: primo modo obiectum adæquatum cõplectitur omnia, quæ attinguntur per omnes actus illius scientiæ. Secundo modo dicitur obiectum adæquatum, quod licèt non attingatur immediatè per omnes actus; omnia tamen obiecta illorum actuum ordinantur ad illud meliùs, & magis completè cognoscendum. Exemplum habes in medicina, cuius obiectũ adæquatum attributionis est curatio hominis; & licèt non cognoscat immediatè hanc curationem per omnes actus; omnia tamen cognoscit in ordine ad eam: vnde actus, quo cognoscit naturam, & proprietatem talis vel talis herbæ, & eius temperamentum, ideo pertinet ad medicinam, quia illa cognitio deseruit ad meliùs sciendum modum curandi talem, vel talem morbum. Sic ergo de fide inquiri potest, an in omnibus obiectis materialibus, quæ respicit, sit aliquod obiectum adæquatum attributionis, in ordine ad cuius meliorem cognitionem cætera omnia cognoscantur, & quale illud sit. Dixi, alias omnes cognitiones debere ordinari ad obiectum attributionis meliùs cognoscendum; non quidem ad illud faciendum, vel acquirendum, sed cognoscendum: nam licèt cognitiones fidei ordinentur ad eliciendum amorem Dei, non est tamen amor Dei obiectum attributionis, nisi fortè partiale, in quantum fides etiam docet, quomodo sit habendus amor Dei: obiectum enim attributionis est, quod cognoscitur per illam scientiam, vel habitum, & ad cuius meliorem cognitionem deseruiunt, & ordinantur cæteri actus illius scientiæ.

Omnes alia cognitiones debent ordinari ad obiectum attributionis meliùs cognoscẽdum.

9 *Vt hoc intelligi debeat.*

Supponendum quartò, quando dicimus, omnia alia obiecta cognosci in ordine ad obiectum attributionis, non debere intelligi, quod omnes actus ferant secum in sua entitate, seu in modo intrinseco tendendi ad sua obiecta aliquem ordinem intrinsecum ad obiectum attributionis: nam cognitio, qua medicina inuestigat naturam, & temperamentum talis herbæ, non habet maiorem ordinem, quantum est de se, ad curationem hominis cognoscendam, quàm ad alium finem, ad quem illius herbæ natura vtilis esse potest; & quàm si medicina non intenderet illam hominis curationem cognoscere; nam illa cognitio, solum repræsentat naturam, & temperamentum herbæ à priori vel posteriori cognitum præscindendo à fine, quem medicus intendit: quare tota illa ordinatio est extrinseca habens se ex parte habentis illam cognitionem in ordine ad talem finem. Sic etiam actus fidei, quo credimus Tobiam habuisse canem, propter Dei reuelationem, de se non habet ordinem intrinsecum, nisi ad hoc peculiare obiectum, esto obiectum attributionis fidei sit Deus, vel aliquod aliud: quia licèt hæc omnia, quæ creduntur, sint opera Dei, & per consequens habeant ordinem ad Deum; possunt tamen credi, præscindendo ab eo ordine sicut philosophia agit etiam de ente mobili quod habet ordinem ad Deum, & tamen Deus non ideo est obiectum attributionis Philosophiæ, quia non intenditur præcipuè à Philosopho per suos omnes actus cognitio Dei, sed cognio ipsius entis mobilis.

Contrarium ex parte videtur docere Suarez 10
disp. 2. *sect.* 1. *n.* 8. vbi dicit, Deum etiam vt obiectum materiale respici ab habitu fidei cum necessitate intrinseca, & essentiali ipsius habitus fidei, quia nihil est credibile per fidem, nisi sub testimonio diuino, & per consequens, quoties fides aliquid Deo credit, debet credere Dei reuelationem, & Dei etiam infallibilitatem; ergo semper supponitur creditum Deum esse, & esse summè veracem; ergo Deus vt obiectum materiale habet necessariam connexionem cum fide, quam non habent alia obiecta. Hoc tamen argumentum confundit, ni fallor, obiectum materiale cum motiuo formali fidei, quæ quidem necesse est, quod semper credat Deum esse veracem, & propter eius auctoritatem credat alia obiecta: tunc tamen veracitas Dei non est obiectum materiale, sed motiuum formale fidei. Quamuis autem veracitas ipsa possit aliquando esse obiectum materiale, quia ipsa etiam de facto reuelata est à Deo; si tamen non fuisset reuelata provt potuit non reuelari, ipsa nunquam fuisset obiectum materiale. Non ergo probatur, fidem habere ex sua essentia maiorem connexionem intrinsecam cum Deo vt obiecto materiali, quàm cum aliis obiectis reuelatis.

Hinc infero, esto de facto Deus sit obiectum 11
adæquatum attributionis fidei (de quo postea) de possibili tamen potuisse non esse: potuit enim Deus plures veritates reuelare, quæ de se non magis deseruirent ad Dei cognitionem, quàm aliæ veritates naturales, quas speculatur Philosophia, vel Metaphysica. Quare sicut Philosophiæ, vel Metaphysicæ non est Deus adæquatum attributionis obiectum, sic nec esset fidei in illo casu. Dices, ergo iam non omnes fidei actus essent virtutis Theologicæ, cùm non omnes attingerent Deum. Respondeo, negando sequelam, quia ratio virtutis Theologicæ (vt dixi *disp.* 1.) non sumitur ex obiecto materiali, sed ex motiuo formali, quod in fide est veracitas diuina.

His suppositis quæstio remanet an de facto 12
obiectum adæquatum attributionis nostræ fidei, id est, ad cuius cognitionem omnes fidei actus ordinantur, sit Deus solus, an aliquid aliud? & quidem dubitari non potest, Deum, si non sit Deus obiectum

obiectum adæquatum, esse tamen principalissimum, & de quo plura, & potissima nostra fides credit, vt patet ex articulis, qui continent præcipua capita fidei christianæ, & omnes continent aliquas veritates, quas de Deo ad intra, vel ad extra confitemur.

13 Dubitari autem potest, vtrum Deus sit obiectum attributionis fidei solum sub conceptu Deitatis, an etiam secundum attributa, & alias perfectiones intrinsecas, quas habet. Ad quod breuiter respondeo, Deum ipsum secundum essentiam esse principale subiectum attributionis fidei, de ipso enim Deo creduntur attributa, & perfectiones omnes: ipsa tamen attributa, & aliæ perfectiones vt creditæ de Deo sunt obiectum attributionis. Quod explicari potest in aliis obiectis attributionis, v.g. Physica habet pro obiecto attributionis corpus naturale, seu ens mobile: & quidem corpus ipsum est subiectum, de quo Physica demonstrare ostendit naturalitatem, seu principium motus & quietis; ipsa tamen naturalitas, seu principium motus, & quietis est etiam obiectum attributionis, quia Physica intendit primario ostendere, & docere, quomodo enti naturali seu mobili conueniat hoc prædicatum. Similiter Logica habet pro obiecto attributionis operationes intellectus vt dirigibiles: & ipsæ operationes intellectus sunt subiectum attributionis, de quo ostenditur dirigibilitas, totum tamen illud complexum, nempe operationes dirigibiles, est obiectum attributionis, quod Logica probare, & explicare primariò intendit. Sic ergo fides ordinatur principaliter ad docendos nos infinitam Dei perfectionem, vt cognoscamus qualis & quantus sit noster Deus: quare Deus secundum se est subiectum attributionis; perfectio autem infinita Dei, quæ conflatur ex omnibus eius perfectionibus intrinsecis est id, quod fides intendit docere de Deo, vt sciamus, quomodo Deus sit infinitè perfectus, & dignè sentiamus, de Deo. Restat, ergo difficultas, an Deus non solum sit obiectum principalissimum, & potissimum, sed etiam adæquatum attributionis nostræ fidei.

14 Plures numerantur sententiæ. Durand. *q. 5. prologi* docet, obiectum adæquatum esse bona merita: cuius sententiam latè refert Vasquez *primo tom. in primam partem disput. 10. c. 2.* Durand. in ea fortè non permansit, vt notat Suarez in præsenti *disp. 2. sect. 1. num. 3.* Gabr. & Ochamus indicant, obiectum adæquatum esse Christum. Alij dicunt, obiectum adæquatum esse Deum, non quidem secundum se, sed sub ratione glorificatoris, seu vt alij dicunt, sub ratione Saluatoris: vel vt dixit Albertus, quatenus Alpha & Omega, id est principium & finis. Alij denique dicunt, esse Deum secundum se, seu sub ratione deitatis, quam sententiam post alios sequuntur Valentia §. 3. & Vasquez *vbi supra*, & Suar. *vbi supra sect. 1. & 2.* Hurtado *disp. 16. sect. 3.* & alij; Existimo, has omnes sententias parum differre: obiectumque adæquatum attributionis fidei esse Deum secundum se, & vt assequibilem à nobis: hæc enim videntur esse, ad quorum cognitionem ordinantur omnia, quæ fides nostra de facto docet, vt scilicet sciamus, quis sit Deus, & quibus mediis consequi debeamus salutem nostram. Cum hoc tamen stat, quod dici possit Deum esse obiectum adæquatum nostræ fidei provt dicitur à Sancto Thoma, & aliis communiter. Et in primis, quod Deus sit obiectum attributionis constat ex multis Scripturæ testimoniis, quæ ad hoc ponderat Valentia *vbi supra* & ex Augustino *lib. 4. de Ciuit. Dei c. 29.* in hæc verba: *Fidei primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum.* Et ex aliis Patribus ab eodem Valentia adductis. Quod verò salus nostra etiam pertineat ad fidei obiectum colligitur ex pluribus locis Scripturæ. Isaiæ 48. *Ego sum Deus tuus docens te vtilia* ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem Sanctorum*, 2. ad Timoth. 3 *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ideo fides sæpe appellatur *scientia salutis, Verbum salutis*, Luc. 1. act. 13. & alibi sæpe.

Dices, notitia nostræ salutis etiam ordinatur 16
ad meliorem Dei notitiam, ergo solus Deus, & non salus nostra est adæquatum obiectum attributionis fidei cùm ad ipsum cætera ordinentur. Ex solutione huius obiectionis constabit ratio nostræ conclusionis, quia vt aliquod sit obiectum adæquatum attributionis alicuius scientiæ, non sufficit, omnia, quæ docentur in ea scientia, ordinari ad illud, sed vltra hoc requiritur, quod ea omnia non cognoscantur propter se, sed propter meliorem illius notitiam habendam: sic enim medicus non cognosceret naturam herbæ, nisi conduceret ad sciendum modum curationis. Quod si medicus cognosceret naturam herbæ expetendo etiam illam cognitionem propter se independenter à cognitione curationis: non esset, cur herba excluderetur à ratione obiecti attributionis saltem partiali, ideo in proœmio Dialecticæ dixi, demonstrationem non esse obiectum adæquatum attributionis Dialecticæ, quia licet definitio, & diuisio & alia, quæ traduntur in Logica, deseruiant ad demonstrationem; non tamen cognoscuntur solum propter demonstrationem, sed etiam propter se, quia cognitio definitionis, & diuisionis, etiam independenter à demonstratione vtiles sunt ad dirigendos actus intellectus.

Hinc ergo patet ad obiectionem, nam licèt 17
cognitio salutis, & sanctitatis conducat ad cognoscendum Deum eius auctorem, & finem; hæc tamen à fide non solum intenduntur ad generandam in nobis meliorem Dei notitiam, sed etiam propter se: itavt licèt ex cognitione mediorum nostræ salutis non gigneretur melior cognitio Dei; adhuc traderetur à fide, & adhuc Deus reuelaret nobis, quæ media conuenientiora essent ad nostram sanctitatem, & perfectionem. Vtrumque ergo fides de facto intendit; scilicet, vt cognoscamus Dei maiestatem & de ipso sentiamus provt oportet; & vt sciamus etiam viam salutis & perfectionis nostræ: atque ad hæc videntur ordinari omnia, quæ per fidem nobis manifesta sunt. Denique cum hoc stat, quod dicere possimus Deū obiectum adæquatum attributionis nostræ fidei, provt loqui videtur S. Thom. *præsenti art. 1.* loquitur enim de Deo non solùm secundùm se, sed vt assequibili etiam à nobis, multa enim docet fides non solùm vt sciamus, qualis sit Deus in se, sed vt sciamus etiam, qualiter sit à nobis assequendus. Deus autem sumptus cum hac latitudine benè appellatur obiectum adæquatum attributionis fidei,

Fides hæc duo intendit: vt cognoscamus Deum, & viam nostræ perfectionis.

Obiiciunt

18 *Fides est partim speculatiua, partim practica.*

Obiiciunt aliqui, quia in symbolo continentur præcipua mysteria nostræ fidei, & tamen in symbolo nihil traditur de actu meritorio, nec de modo bene operandi. Respondetur, fidem esse partim speculatiuam, partim practicam; & quidem præcipua eius mysteria, quatenus speculatiua est, & ordinatur ad cognitionē continentur in Symbolo, quod potissimum ordinatur ad cognitionem: at vero quatenus practica, magis continetur in lege seu decalogo, cuius notitia etiam est necessaria omnibus, & quæ ordinatur ad bene operandum.

19 *Christi humanitas an etiam pertineat ad obiectum attributionis nostræ fidei?*

Dubitari posset de humanitate Christi, an etiã pertineat ad obiectum attributionis nostræ fidei propter illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: quod de cognitione etiam fidei solet explicari & illud Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt vt, credatis quia, Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Verius tamen videtur, Christi humanitatem, licèt sit primum, & præcipuum medium nostræ salutis, & potissimum Dei in homines beneficium, pertinere tamen ad fidem secundario, sicut cætera beneficia Dei, & sicut alia media nobis collata ad salutem; scilicet, vt ex eius cognitione melius cognoscatur Dei bonitas erga nos, & melius sciamus, quam viam sequi debemus ad consequendam nostram salutem.

20 *Obiectio 1.*

Contra hanc doctrinam obiici potest primò, quia aliqua videntur tradi per fidem, quorum cognitio ad neutrum horum obiectorum ordinatur, v. g. Tobiam habuisse canem; quis enim melius cognoscit Deum, aut media suæ salutis ex eo, quod sciat Tobiam habuisse canem? ergo non est solum illud quod diximus obiectum attributionis fidei de facto. Respondent aliqui illam veritatem conducere ad cognoscendam veracitatem Dei, quæ nec in re leuissima deficere potest. Sed contra, quia in primis pari ratione diceres, eorum omnium, quæ Petrus narrat, vel docet esse ipsum Petrum obiectum attributionis, quod est ridiculum. Et ratio est, quia narratio Petri non dictat, nec ostendit, Petrum esse veracem; nisi rei euentus aliunde cognitus id probet, imò supponit in audiente fidem veracitatis Petri, vt credatur res narrata. Melius ergo Respondetur, canem Tobiæ, licèt non per se conducat ad Dei bonitatem, vel viam nostræ salutis cognoscendam: conducere tamen quasi integraliter, & quasi partem historiæ gratissimæ commendantis Dei bonitatem erga Tobiam, cuius aliqua lætitiæ pars fuit aduentus canis precedentis filium suum & gestientis; qua etiam ratione quasi in speculo videmus nostræ salutis viam per Tobiæ imitationem, cui post ærumnas, & probationes Deus prosperitatem, & lætitiam restituit in maximo, & in minimo.

21 *Obiectio 2.*

Secundò obiicies, quia idem est subiectum adæquatum principiorum & cõclusionum, principia autem nostræ fidei sunt articuli, qui omnes sunt de eo; ergo Deus secundum se solùm est obiectum adæquatum attributionis. Respondeo, articulos esse quidem quasi dignitates, & principia principalissima nostræ fidei, esse tamen alia plura principia, & veritates immediatè etiam reuelatas nostræ fidei, quarum subiectum est bonitas & honestas virtutis, malitia vitiorum; &c.

22 *Obiectio 3.*

Tertiò Obiicies, Metaphysica habet etiam pro obiecto partiali attributionis Deum, ergo quoad illam partem non distinguitur à fide. Negatur consequentia; quia Metaphysica inuestigat Deũ per rationem naturalem; fides verò per solam ipsius Dei reuelationem, quare licèt non differant quoad obiectum materiale, differunt maximè penes diuersum motiuum formale assentiendi.

Quartò obiicies, quia omnis scientia supponit de suo subiecto quod sit, & quid sit, vt dicitur in poster. fides autem non supponit, sed docet esse Deum, & quod sit Deus; ergo Deus non est subiectum fidei. Respondeo, illam prænotionem de subiecto quod sit, non exigi ab Aristotele ad omnem scientiam, sed ad demonstrationem perfectissimam, qua prima passio demonstratur de sua essentia: plures enim sunt demonstrationes, quibus probatur ipsa existentia subiecti sumptam à posteriori. Item prænotio de subiecto, quod sit, solum requiritur, quatenus importat notitiam nominis, & aliquam notitiam confusam ipsius rei significatæ per talem vocem: cognitio enim distincta quidditatis subiecti potius sæpe intenditur quam supponatur per plures demonstrationes, vt probaui latè vtrumque in posterioribus.

Quintò arguit Suarez *dicta disp. 2. sect. 1. n. 2.* ex Paulo ad Hebr. 11. dicente, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Sed certè ex illo loco magis probaretur non esse solum Deum secundum se obiectum adæquatum attributionis fidei, cùm statim addiderit Apostolus illud aliud, *& quia remunerator est*; vnde non proposuit solum Deum secundum se. Nec magis vrget, quod affert idem Suarez ibi ex Augustino suprà relato dicente, *fidei vnum, & primum, ac maximum officium est, vt in vnum credatur Deum.* Vbi certè Augustinus non dixit, hoc esse solum, & totum fidei officium, sed vnum primum, & maximum; cum quo stat, quod aliud etiam officium habeat, vt docent nos eundem Deum, vt à nobis assequibilem. Quod satis explicuit idē Augustinus postea *lib. 11. de Ciuit. c. 2.* dicens, finem totius fidei, & ipsius etiã Christi esse, vt ad Deum perueniatur. Quem duplicem fidei finem indicauit etiam Ioannes *cap. 20.* in illis verbis. *Hæc scripta sunt, vt credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius.* Quæ omnia magis confirmabuntur ex iis, quæ latius dicentur *infra* agendo de charitate, & quomodo Deus propriè exerceat actum amicitiæ erga iustos; quia nimirum Deus, licet ea, quæ facit ordinet primario ad gloriam suam, ordinat tamen ad nostram etiam vtilitatem, & bonum, quod habet etiam pro fine suorum operum: quare fidem etiã non solum dat, vt credamus, & sciamus, quæ de ipso Deo nosse oportet, sed etiam ad nostram vtilitatem, vt viam noscamus comparandi ipsum Deum.

Sextò arguit Granado *in præsenti tract. 1. disp. 6. n. 11.* quia in Deo est auctoritas, quæ est obiectum formale fidei: sed illud in quo est intrinsecè ratio formalis alicuius habitus, dicitur obiectum materiale præcipuum, ergo. Nescio tamen vnde sumpserit illam minorem, aut probare possit, illud esse obiectum materiale adæquatum imo nec præcipuum in quo est intrinsecè ratio formalis, seu motiuum assentiendi. Certè motiuum formale fidei humanæ est etiam auctoritas narrantis mihi historiam, quam vidit, quæ auctoritas residet in ipso narrante: & tamen obiectum materiale fidei humanæ adæquatum, nec præcipuum etiam, aut partiale, non est ipse amicus

cus narrans, sed historia narrata, cuius notitiam mihi communicare intendit. Item Philosophia vt in plurimum probat suas conclusiones & rerum naturas ab effectibus; ab experientia enim gignitur scientia: quare motiuum formale assentiendi sunt ipsæ operationes, quæ si sint transeuntes, non manent in principio producente, sed in effectu producto; & tamen non tam intendit Philosophia explicare ipsos effectus, quàm naturam causæ, & ideo obiectum adæquatum attributionis in Philosophia non dicimus esse operationes, & effectus entis naturalis, sed ipsum ens naturale, & sic de aliis. Quamuis ergo Deus aliunde sit obiectum materiale præcipuum fidei; id tamen non prouenit ex eo, quod in ipso resideat auctoritas, quæ est motiuum formale credendi, & multò minus inde probari potest, quod Deus sit obiectum totale attributionis.

25 Addo tamen, in aliquo sensu posse dici Deum obiectum adæquatum attributionis fidei. Et in primis possumus simpliciter & absolutè dicere, Deum esse subiectum adæquatum attributionis fidei; quia illud est subiectum attributionis adæquatum alicuius habitus, vel scientiæ, de quo prædicantur omnia, quorum notitiam intendit illa scientia, vel qui eam tradit. Sic enim operationes intellectus sunt subiectum adæquatum attributionis Logicæ, quia de ipsis prædicatur omnis dirigibilitas, quam ipsa Logica solam intendit explicare: de Deo autem prædicantur omnia, quorum notitiam dare intendit vltimo fides: nam de Deo in primis prædicantur, & creduntur perfectiones diuinæ, quas fides docere intendit: & de eodem Deo prædicatur, & creditur assequibilitas, quam eadem fides intendit nos docere, vt teneamus modum assequendi: ergo Deus est subiectum adæquatum attributionis totius fidei. Nam, licèt non omnia, quæ per fidem credimus, credamus de Deo, sed de aliis etiam subiectis, v. g. de Abrahamo, quod habuit duos filios, de Tobia, quod habuit canem, &c. horum tamen notitia non intenditur propter se à fide, sed vt melius cognoscamus Deum secundum se, vel certè Deum, vt à nobis assequibilem: in iis ergo actibus, qui propter se intenduntur, semper Deus est subiectum, quia vel cognoscimus aliquid de ipso Deo, vel assequibilitatem eius, quæ etiam de ipso Deo prædicatur.

26 Deinde potest Deus dici aliquo modo non solum subiectum, sed etiam obiectum adæquatum attributionis fidei: non ita vt solus Deus sit obiectum attributionis, seu in sensu exclusiuo, sed in sensu affirmatiuo, itaut Deus sit obiectum, ad quod, & ad cuius notitiam referantur, & ordinentur omnia, quæ per fidem creduntur. Sicut dicitur etiam finis vniuersalis omnium, quæ ipse facit, quia omnia ad se ipsum, & ad suam gloriam ordinat, licèt ordinet etiam ad nostrum bonum, & vtilitatem. Sic etiam, licèt notitia fidei magna ex parte ordinetur etiam ad hoc, vt cognoscamus assequibilitatem Dei: hæc tamen eadem notitia, & omnia alia, quæ fide creduntur, ordinatur etiam ad hoc, vt melius cognoscamus ipsum Deum, quare in sensu saltem non exclusiuo, sed merè assertiuo dicere possumus, Deum esse obiectum adæquatum attributionis fidei, quia adæquat totam fidei latitudinem, cùm nihil fides doceat, nisi vel de ipso Deo, vel saltem ex hoc fine, vt melius cognoscamus ipsum Deum.

Ex dictis infero, quid sentiendum sit de sententia Paludani *in 3. disp. 24. quæst. 1. conclusione* 2. qui dixit, ita Deum esse subiectum adæquatum fidei, vt nulla sit propositio fide credita, cuius subiectum non sit Deus, licèt prædicatum possit esse aliquid extra Deum. Quod dictum P. Suarez *dicta disp. 2. sect. 2. n. 1.* acriter reprehendit, cum multa credantur per fidem, quæ non creduntur de Deo v. g. *Quod Abraham genuit Isaac, quod Beata Maria fuit perpetuo virgo*, & his similia, in quibus Deus non est subiectum, sed aliquid extra Deum. Quod quidem verissimum est: si tamen Paludanus suam propositionem limitasset, & dixisset, Deum, nihil vnquam reuelare in quo non reuelet aliquid de se, & per consequens, Deum esse subiectum cuiuslibet reuelationis, verum dixisset: quia, vt latius dixi *disp. 23. De Pœnitentia sect. 4.* quicumque loquitur, immediatè significat suam mentem & dicit, scire talem rem: quare quotiescumque Deus loquitur, & reuelat nobis aliquid, immediatè reuelat, se scire talem veritatem, & mediatè solùm, ac consequenter rem ipsam, seu veritatem quam dicit se scire: atque ideo semper Deus ipse est subiectum reuelationis, de quo affirmatur scientia talis obiecti. Actus tamen, quo postea credo, v. g. Abraham genuisse Isaac, non habet Deum pro subiecto, quia per illum actum non credo Deum id scire, sed ex eo, quod Deus id dixerit, infero verum esse, quod Abraham genuit Isaac, quamuis Deus id dicens, non habuerit immediate pro subiecto reuelationis Abraham, sed se ipsum, de quo affirmauit scientiam talis veritatis. Vnde potuissem ego per fidem inferre etiã, non quidem, Abraham genuisse Isaac, sed Deum id scire, quia hoc etiam Deus reuelauit, imo magis immediatè, & directè hoc reuelauit, quàm illud aliud: quare potuissem discursum formalem, vel virtualem fidei ita formare: *quidquid Deus dicit, est verum, sed Deus dicit, se scire, quod Abraham genuit Isaac: ergo verum est Deum id scire*; in quo vltimo assensu fidei Deus, & non Abraham esset subiectum, de quo creditur per fidem scientia talis obiecti. Communiter tamen non inferimus hanc conclusionem, sed aliter formamus discursum, nempe, *quidquid Deus quocumque modo dicit, est verum; sed Deus dicit, saltem indirectè, & mediatè, quod Abraham genuit Isaac; ergo verum est, quod Abraham genuit Isaac.* In quo vltimo assensu Deus nullo modo est subiectum talis propositionis, vt dicebat bene P. Suarez.

27 *Quid sentiendum sit de sententia Paludani.*

SECTIO II.

Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum.

28 QVæstionem hanc proponit S. Thomas *in præsenti quæst. 1. art. 2.* & testatur fuisse duas sententias, alteram affirmantem, alteram negantem, obiectum fidei esse aliquid complexum per modum enunciabilis: ipse verò vtramque sententiam conciliat dicẽdo, esse quidem incomplexum ex parte rei creditæ, esse verò complexum ex parte credentis, quia cognita sunt in cognoscente per modum cognoscentis: est autem modus proprius humani intellectus, vt componendo,

nendo, & diuidendo veritatem cognoscat, & per consequens cum quadam complexione. Aliqui interpretes distinguunt de obiecto formali fidei, & materiali, & formale dicunt esse incomplexum & simplex ex parte rei, quia est veritas diuina; materiale verò aliquando esse incomplexum ex parte rei, qualis est Deus, de quo, vt de præcipuo videtur loqui S. Thomas, aliquando verò esse complexum, qualia sunt plura obiecta creata reuelata. Ita Suarez *disp.2.sect.3.* Turrianus *disp.1. dub.2.* Coninch. *disp.9.dub.2.* Granado *disp.6.n.2.* Consentit Hurtado *disp.16.sect.14.* quoad obiecta materialia, addit tamen §.12. obiectum etiam formale esse complexum, quia complectitur veracitatem, & reuelationem diuinam, quare S. Thomas indicans esse incomplexum, loquutus est de obiecto formali partiali, nempe de diuina solùm veracitate.

29 *Complexio alia ex parte obiecti, alia ex parte cognitionis.*

Pro explicatione aduerto, diuersam longè esse rationem de complexione tenente se ex parte obiecti, & de tenente se ex parte cognitionis: potest enim obiectum de se complexum cognosci incomplexè, vt Deus, & Angelus cognoscunt res compositas sine cõpositione vlla intellectuali, sed simplici intuitu; & è contra res incomplexa, & simplex in se potest cognosci à nobis complexè per compositionem, vel diuisionem intellectualem. Et quidem de complexione, seu compositione tenente se ex parte obiecti fidei, nulla potest esse difficultas: quia loquendo in primis de obiecto formali certum est, veracitatem diuinam esse simplicissimam: certum etiam reuelationem actualem Dei, provt comprehendit varias reuelationes, non esse simplicem, sed aliquod conflatum ex variis reuelationibus. Denique quælibet reuelatio in particulari aliquando est complexa constans ex multis vocibus, vel aliis signis: aliquando poterit esse incomplexa, vt si Deus reuelet interius per qualitatem aliquam simplicem productam in mente audientis. Conflatum verò ex veracitate Dei, & reuelatione actuali, ex quibus componitur obiectum formale fidei adæquatum, semper est aliquid compositum, cum reuelatio actualis semper sit aliquid creatum condistinctum à veracitate Dei, Et in his non potest esse difficultas.

30 Loquendo etiam de obiecto materiali fidei, certum est, etiam aggregatum ex omnibus obiectis materialibus, seu reuelatis esse aliquid complexum ex multis, & diuersis rebus. Obiectum etiam materiale attributionis adæquatum non est aliquid simplex, cùm dixerimus, esse Deum, & nostram salutem, seu Deum, vt assequibilem à nobis. Denique, si sermo sit de obiecto materiali cuiuscuiusque actus fidei in particulari, aliquando erit aliquid simplex in se, vt quando credimus Deum ipsum, vel eius perfectiones, & attributa intrinseca: aliquando verò erit aliquid complexum, vt quando credimus Abraham habuisse duos filios, vel etiam quando credimus tres personas Trinitatis, quæ quidem ab inuicem realiter distinguuntur, & in his etiam non videtur esse difficultas.

31 Quare tota controuersia esse videtur de obiecto fidei ex parte cognoscentis, an sit aliquid complexum, in quo cauenda etiam est æquiuocatio: nam complexio cognitionis non consistit in eo, quod intellectus cognoscat obiectum vt plura, vel concipiat in eo pluralitatem; totum enim hoc stare potest cum incomplexione ex parte cognitionis. Deus enim, & Angelus cognoscunt incomplexè ea, quæ à parte rei sunt plura, vt notauit S. Thomas *dicto art.* 2. & nos etiam per conceptum incomplexum concipimus plura, vt plura, vt quando concipimus pluralitatem per vnicum conceptum, qui certè ferri debet indiuisibiliter ad plura vt plura, cum terminetur ad ipsam pluralitatem, & multitudinem, & sic in aliis. Nec etiam placet modus, quo alij explicant hanc complexionem mentalem, quam dicunt consistere in pluralitate conceptuum, sicut complexio vocalis consistit in pluralitate vocum significantium. Hoc tamen non potest subsistere, quia iudicium mentale, quod fit per compositionem, vel diuisionem, habet potissimam complexionem; immò ex eo probat S. Thomas *illo 2. art.* obiectum fidei in cognoscente esse debere complexum, quia homines non possunt credere, nisi per compositionem, vel diuisionem; & tamen iudicium illud est vna simplex qualitas terminata ad subiectum, & prædicatum, vt cum communi sententia probaui *in lib. de Anima.*

Quod rursus confirmari potest ex actibus voluntatis, quæ quando vult, Petrum esse calidum eadem simplex qualitas volitionis vnius terminari debet ad totum illud complexum, *Petrum esse calidum*, nec possumus dicere, quod sint tot actus componentes, & conflantes volitionem illam, quot sunt voces, quibus illam volitionem explicamus. Nam tunc peteret deillo actu qui precisè correspondet voci *Petrum*, quod obiectum habeat, aut quod bonum velit: non enim vult Petrum secundum suam substantiam, nec potest esse actus voluntatis, qui etiam provt condistinctus ab omnibus aliis, non habeat pro obiecto aliquod bonum propter se appetibile. Fatendum ergo est, vnico actu simplici, & indiuisibili voluntarem ferri in totum illud complexum: cùm ergo eadem complexio reperiatur in voluntate humana circa obiecta, ac in intellectu, fatendum est, intellectum etiam posse ferri cum complexione ad obiecta absque multitudine reali conceptuum formalium.

Vnde constat, hanc complexionem, quæ reperitur in modo concipiendi intellectus humani, non prouenire ex eo, quod eius obiectum explicetur per plures voces: hoc enim per accidens se habet ad complexionem mentalem ponendam, vel non ponendam. Potest enim conceptus esse complexus, licèt explicetur per vnicam vocem; & potest è contra conceptus esse incomplexus, licèt explicetur per plures voces. Prima pars probatur, quia per accidens est, quod nunc voces nostræ taliter sint institutæ ad significandum, vt indigeamus pluribus vocibus ad exprimendam vnicam propositionem mentalem; potuissent enim homines instituere vnicam vocem simplicem ad significandam hanc integram propositionem, *Petrus est albus.* Etenim sicut apud Sinenses characteres non sunt sicut nostri, sed singuli characteres significant vnam dictionem integram, & ideò tot habent characteres, quot sunt apud nos dictiones, nec habent, sicut nos, Alphabetum commune, ex cuius paucis characteribus formari possint omnes dictiones: sic possent voces ipsæ institui singulæ pro singulis propositionibus integris, itavt non essent voces aliquæ communes, ex quibus variè compositis propositiones diuersæ componerentur; sed vnica simplex vox significaret totum hoc complexum *Petrus est albus*

bus. Ecce tunc vox esset simplex, & tamen propositio mentalis interna repræsentaret complexè, & fieret per compositionem prædicati cum subiecto : non ergo pendet necessario complexio mentalis ab hoc, quod debeat exprimi per voces complexas.

34 E contra verò, posse esse conceptum incomplexum, licèt explicetur à nobis per voces complexas, probari potest, quia Angelus per conceptum incomplexum concipit, & affirmat vnionem materiæ cum forma ; nec enim concipit vnionem vt sic, præscindendo ab extremis, sed talem vnionem inter talia extrema: quam quidem vnionem nos de facto non possumus exprimere per vocem incomplexam, sed per complexam, nempè, *vnio materiæ cum forma*. Et quidem Angelus omnia illa concipit, nempe vnionem, & materiam & formam, quæ plura nos explicamus per plures voces: & tamen non concipit conceptu complexo, sed incomplexo: ergo ex hoc præcisè, quod conceptus explicari à nobis possit, & debeat per plures voces, non provenit necessario, quod conceptus ipse internus complexus sit, sed aliunde explicari debet complexio nostrorum conceptuum.

35 *Duplex genus complexionis in actibus conceptiuis potest considerari.*

Potest ergo duplex complexionis genus in nostris conceptibus considerari. Primum est in simplici apprehensione. Secundum in secunda operatione, seu iudicio, quatenus affirmatio, vel negatio est. Complexio in simplici apprehensione reperiri quidem potest aliquādo in complexione reali ipsarum apprehensionum, quibus vel simul, vel successiuè apprehendimus res ipsas realiter, vel ratione distinctas, per plures etiam apprehensiones diuersas, itavt sicut complexè loquimur de obiectis per plures voces, vt cum dico, v.g. *homo albus*, qui est terminus complexus ; sic etiam in mente vno actu concipiam *hominem*, & altero *album*, vel simul, vel successiuè, provt successiuè id audio; quo casu non est dubium, quod resultet complexio in intellectu ex apprehensionibus diuersis.

36 *Complexio reperiri potest in prima operatione intellectus absque distinctione reali plurium actuum.*

Aliquando etiam reperiri potest complexio in prima operatione intellectus absque distinctione reali plurium actuum : nam sicut per duas apprehensiones possum concipere hominem album sic etiam per vnicum actum æquivalentem illis duobus possum idem concipere, & dicere, *homo albus*; nec necesse est, quod semper sint duo. Cùm enim dixerimus, secundam operationem, seu iudicium, quo affirmo propositionem integram, & dico *homo est albus*, esse simplicem qualitatem, à fortiori potest esse apprehensio aliqua simplex qualitas, qua apprehendam totum illud complexum, *homo est albus*,

37 In quo autem consistat tunc in vnica operatione modus concipiendi complexus, non debet explicari ex sola distinctione reali obiectorum: nam circa obiecta realiter distincta potest esse conceptus incomplexus, vt vidimus : & constat in conceptu, quo Angelus concipit *hominem album*, vel quo concipit vnionem materiæ cum forma : & aliunde potest esse modus concipiendi complexus etiam in vnica simplici apprehensione circa obiecta non distincta realiter, vt quando vnica apprehensione concipio *animal rationale*, qui est conceptus complexus, & diuersus penes complexionem à conceptu, quo concipio *hominem*, qui est incomplexus. Consistit ergo complexio illa in hoc, quod sicut quando *homo* *bus* significatur per duas voces, diuiditur obiectum in duas partes, quarum altera seorsim ab altera exprimitur, sic quando complexè apprehenditur, diuiditur etiam obiectum in duas partes, quarum quælibet quasi seorsim ab altera exprimitur, & offertur intellectui. Vnde diuersò modo concipit Angelus per cōceptum, *homo*, quā nos per hunc conceptum, *animal rationale* : quæ diuersitas licèt in nobis afferat magis, & minus explicitum conceptum, quatenus conceptus, *homo*, minus explicitus explicatur magis per conceptum, *animal rationale* : comparando tamen nostrum conceptum cum Angelico, non potest dici magis clarus conceptus noster, *animal rationale*, quàm sit in Angelo conceptus *homo*, & tamen hic est incomplexus, & ille complexus Quæ complexio consistit in separatione intellectuali vnius partis ab alia, itavt aliter concipiamus vnam partem, & aliter aliam. Aliter, inquam, non per aliam cognitionem, aut cum successione reali, vt prius concipiatur *animal*, & postea *rationale* : iam enim essent duæ apprehensiones distinctæ, sed quod quasi bis per eundem actum attingatur obiectum dando illi diuersas denominationes. Nam sicut in hoc iudicio, *homo est homo*, attingitur quasi bis idem *homo* ab eodem indiuisibili actu, dando nimirum ei denominationem subiecti, & prædicati, subiiciendo hominem eidem homini; sic per apprehensionem possumus aliter tangere vnum obiectum, & aliter aliud: quia licèt in apprehēsione non sit affirmatio, vel negatio, & per consequens non sit propriè subiectum, nec prædicatum; reperitur tamen diuersitas in modo ipso concipiendi vnum & aliud, v. g. quando apprehenditur *homo iustus*, concipitur *homo* ad modum per se stantis, *iustus* verò per modum adiacentis. Item quando apprehenditur *homo lapis*, tunc etiam lapis concipitur per modum adiacentis homini, & hunc modum concipiendi significamus per voces, quibus priùs proferimus *hominem*, postea *lapidem*, non quia successiuè etiam expressi sint in mente, sed vt significemus, lapidem conceptum fuisse ad modum adiacentis homini. E contra verò, quando dicimus, *lapis homo*, significamus, hominem conceptum fuisse per modum adiacentis lapidi : vnde illi duo diuersi conceptus, *homo lapis*, & *lapis homo*, habentes idem omnino ex parte obiecti, diuersimodè tamen denominant idem obiectum propter diuersum modum apprehendendi, & ideo faciunt conceptum complexum, quia perinde se habent, ac quando loquimur per voces complexas, per quarum singulas significamus vnum obiectum, nihil explicando de alio ; è contra verò cōceptus incomplexus est, quo ita attingitur obiectum, vt etiam provt attingit hanc partem subiecti, attingat, & explicet aliam partem sicut vox incomplexa est, quæ indiuisibiliter explicat totum obiectum, quod significamus.

Dices, imo iuxta hanc regulam conceptus 38
etiam, quo Angelus concipit vnionem materiæ cum forma, erit complexus, quia aliter, & aliter denominat obiecta cognita ; nempe vnionem cognitam in recto, & materiam, v. g. cognitam in obliquo : non enim dicit, *vnio*, & *materia*, sed *vnio materiæ*, ergo sicut conceptus ille, *homo albus* in nobis est complexus, quia vnum denominat cognitum ad modum per se stantis, & alterum cognitum ad modum alteri adiacentis : ita in Angelo conceptus vnionis materiæ erit com-

plexus, quia diuersas denominationes cogniti tribuit suis obiectis.

39 Respondeo negando sequelam: est enim magna differentia; nam conceptus noster complexus ita fertur ad illa duo, vt quatenus attingit vnum, nullo modo explicet aliud, sed habet se, sicut quando loquimur per voces complexas, per quarum primam nullo modo explicamus obiectum sequentis vocis, & quando dico, *homo*, nullo modo explico albedinem, nec illa vox, *homo*, facit audientem venire in cognitionem albedinis, donec audiat illam aliam vocem *albus*; ita in intellectu, etiamsi vnico actu concipiatur cõplexè, *homo albus*; sed tamen quatenus attingitur, *homo*, nullo modo explicatur *albus*; sicut in iudicio mentali, quo dico, *animal est rationale*, licèt sit idem simplex actus, sed tamen ex parte subiecti, & quatenus præcisè subiicit hominem, nullo modo explicat rationale, sed solùm ex parte prædicati. At verò in Angelo conceptus incomplexus de vnione materiæ etiam provt attingit vnionem ipsam, explicat extremum vnitum, nempe materiam. Fertur enim clarissimè ad ipsam quidditatem vnionis, & quia ipsammet vnionem comprehendit, cognoscit materiam, atque ideo etiam reduplicatiuè provt cognoscit vnionem in recto, cognoscit materiam in obliquo, Sicut idem Angelus comprehendens meam visionem de albedine, non cognoscit complexè visionem, & albedinem, sed omnino incomplexè, quia non potest intelligi, quod attingat visionem clarissimè, quin eo ipso explicet albedinem, ad quam mea visio terminatur. Non ergo appellamus conceptum complexum omnem illum, qui fertur ad plura obiecta, & diuersimodè illa denominat cognita, sed qui ita fertur ad plura, vt quatenus attingit, & explicat vnum, nullo modo attingat, aut explicet aliud. Sumimus enim hæc nomina complexi, & incomplexi ex vocibus, quas tunc solùm dicimus complexas, non quidem quoties significant plura, nam hæc vox *multitudo* significat plura, & tamen est incomplexa: nec etiam quoties significant vnum in recto, & aliud in obliquo, nam hæc vox *cœna*, significat comestionem in recto, & tempus vespertinum in obliquo, & hæc vox *albus*, significat subiectum in recto, & albedinem in obliquo; sed quando significant plura, ita vt significando vnum non significent aliud: quod quidem non habent vox, *cœna*, & vox *album*, quia non inuenimus aliquas syllabas in illis vocibus, quæ deducant in solam cognitionem comestionis sine tempore vespertino, vel in cognitionem subiecti sine albedine: & ideo in vocibus non reperitur complexio, nisi in multis vocibus, quia vnaquæque vox significat indiuisibiliter totum obiectum. Conceptus autem mentis propter suam perfectionem possunt significare complexè, licet sint simplices in entitate sua; quia potest idem realiter cõceptus æquialere multis vocibus, & significare obiecta singula eodem modo, quo à multis vocibus significantur; quare poterit vnica apprehensio æquialere illis vocibus, *homo albus*, & attingere hominem sicut explicatur per vocem, *homo*, & rursus attingere *album*, sicut explicatur per vocem *albus*, & hunc appellamus conceptum complexum.

Conceptus complexus quid sit.

40 Vnde, licèt in Angelo conceptus vnionis materiæ sit incomplexus, quia terminatur ita clarè ad vnionem, vt in ipsa tanquam in medio cognoscatur materia; in nobis tamen potest esse conceptus complexus, quo eodem modo concipiamus vnionem materiæ, sicut si per illas duas voces distinctas successiuè significaretur. Quare sicut tunc vox, *vnio* non significaret materiam, sed præcisè vnionem confuse absque extremo determinato, sic per conceptum internum provt attingit vnionem, non explicaretur materia. Angelus autem, quia non concipit vnionem cum illa confusione, sed clarissimè, non facit conceptum complexum de vnione materiæ, sed incomplexum, quo indiuisibiliter concipit talem vnionem vt talem, & vt est vnio materiæ.

Hæc dicta sunt de complexione, quæ reperitur in simplici apprehensione: nunc dicendum est de complexione, quæ reperitur in secunda operatione, quatenus est affirmatio, vel negatio vnius de alio, quæ complexio videtur magis propria secundæ operationis: nam complexio etiam illa, quam explicuimus, & diximus reperiri in prima operatione potest reperiri in secunda, & tenere se ex parte subiecti, vel prædicati, vt cùm habeo hoc iudicium internum *homo iustus est amicus Dei*, in quo ex parte subiecti reperitur complexio illa, *homo iustus*, eodem modo sicut reperitur in simplici apprehensione; & idem est ex parte prædicati in hoc iudicio, *Petrus est homo albus*, sicut etiam in propositione vocali reperiri potest ex parte subiecti, vel ex parte prædicati eadem complexio, quæ reperitur in oratione imperfecta, seu in termino complexo, *homo iustus*, *homo albus*, &c.

41 Cæterùm vltra hanc complexionem communem primæ, vel secundæ operationi datur alia, quæ magis competit secundæ operationi, quatenus est affirmatio, vel negatio vnius de alio, & per consequens versatur inter duo extrema propositionis, nempe inter subiectum, & prædicatum, quæ inter se componit per affirmationem, vel diuidit per negationem, & ideo dicitur *compositio*, vel *diuisio*, atque adeo repræsentat complexè obiecta non explicando ex parte subiecti id, quod explicat ex parte prædicati, & perinde se habendo, ac quando per diuersas voces successiuè profertur propositio vocalis. Pro quo recolenda sunt, quæ dixi *disp. prima de Pœnitent. sect.* 2. nempe in iudicio mentali, quod fit per compositionem, vel diuisionem, præter extrema, hoc est, subiectum, & prædicatum, obiici etiam ex parte obiecti identitatem inter vtrumque extremum: imò hæc sola identitas in rigore loquendo, est, quæ affirmatur, vel negatur; nam extrema non affirmantur simpliciter, aut negantur, sed identitas inter illa, cui identitati per affirmationem consentit intellectus, per dissensum verò eam fugit, & negat, itavt obiectum affirmatum, & negatum directè idem sit in assensu, & dissensu; ipsaque affirmatio, vel negatio non sit aliquid ex parte obiecti, sed ex parte intellectus, qui vel consentit affirmando, vel dissentit negando idem omnino obiectum propositum.

42 Dixi, in iudicio mentali, quod *fit per compositionem vel diuisionem*, debere præter extrema obiici identitatem inter illa, quæ affirmetur, vel negetur: quia non nego, posse fieri iudicium mentale sine compositione, aut diuisione, in quo non obiiciatur identitas media inter extrema, neque etiam obiiciantur extrema, aut subiectum & prædicatum, sed entitas vna, quæ sola affirmetur, vel negetur. Hoc enim modo iudicat Angelus saltem communiter, & in plurimum, qui quidem

quidem non ponit sicut nos, ex vna parte hominem & ex altera animal rationale, vt dicat *homo est animal rationale*, sed cognoscit clarè, & distinctè hominem cum omnibus suis prædicatis, & sicut nos affirmamus immediatè identitatem inter hominem, & animal rationale, ita Angelus affirmat immediatè ipsum hominem, & omnia eius prædicata clarissimè cognita: & hoc est Angelum iudicare sine compositione, & diuisione, nempe sine subiecto & prædicato, neq; affirmando, aut negando identitatem inter aliqua extrema, sicut nos; sed immediatè affirmando totum hominem, vel immediatè negando chimæram aut existentiam præsentem Antichristi. Imò in nobis etiam videtur admittendus hic modus affirmandi, & negandi sine compositione, & diuisione non solum in patria, vbi Beati certè non componunt, vel diuidunt per visionem Dei; sed etiam in via in cognitionibus saltem intuitiuis, quibus homo percipit & experitur proprios actus intellectus, & voluntatis, quos quidem non affirmat per compositionem, aut diuisionem, sed percipit simplici intuitu, quamuis non omnino distinctè, sed confusè propter imperfectionem præsentis status. Denique in iis etiam iudiciis, in quibus per compositionem, aut diuisionem affirmat, vel negat prædicatum de subiecto, licèt componat; aut dividat subiectum, & prædicatum ipsam tamen identitatem prædicati & subiecti, quam solam directè affirmat, aut negat, non componit cum existentia, aut diuidit ab illa. Daretur enim processus in infinitum, nam ad hoc deberet rursus obiici identitas media inter ipsam identitatem, & existentiam, quam identitatem affirmaret, aut negaret: & rursus si hanc secundam identitatem affirmaret aut negaret per compositionem, aut diuisionem; deberet concipi alia tertia identitas inter secundam identitatem, & eius existentiam, & sic in infinitum. Sistendum ergo est etiam in iis iudiciis in aliqua identitate, quæ affirmetur, aut negetur sine compositione, aut diuisione, non dicendo de illa, *hæc identitas existit* vel *non existit*, sed simpliciter eam identitatem sine compositione aut diuisione affirmando, vel negando, per simplicem consensum, vel dissensum intellectualem.

44 *Hic resolutio solum datur quando iudicium fit per compositionem, & diuisionem.*

Tota ergo hæc complexio, de qua nunc loquimur, tunc solum datur, quando iudicium fit per compositionem, & diuisionem, hoc est, quando obiicitur identitas media inter subiectum, & prædicatum, quæ sola identitas media affirmetur, vel negetur: ad quod necesse est distinguere mentaliter subiectum à prædicato, concipiendo vnum aliter ab alio, nempe subiiciendo vnum, & prædicando aliud, & affirmando, vel negando identitatem vtriusque. Sic prædicamus album de homine, affirmando immediatè identitatem inter hominem, & habens albedinem. Sic etiam prædicamus existentiam de Petro, quando dicimus, *Petrus est*, quia ponimus ex parte prædicati esse vel existere, & affirmamus identitatem inter Petrum, & existens. Alia enim est affirmatio, qua Angelus, & qua homo dicit, Petrus est: nam Angelus nihil prædicat de Petro, sed concipiendo simplici intuitu Petrum existentem, ei assentitur, nec ponit existentiam ex parte prædicati, vt eam de Petro prædicet, tanquam de subiecto, sed affirmat simpliciter existentiam Petri absque vlla prædicatione, nos verò concipimus ex parte subiecti Petrum non explicando existentiam, quam tamen ponimus ex parte prædicati, vt eam prædicemus de Petro affirmando directè identitatem inter Petrum & existens. Imò licèt concipiamus explicitè ex parte subiecti existentiam, vel alia prædicata, possumus eandem existentiam, vel eadem prædicata concipere ex parte prædicati, & identitatem mediam, quam affirmemus, vt contingit in propositionibus idèticis, quibus dicimus, *homo est homo*, vel *Petrus existens est Petrus existens*: sufficit enim illa qualiscumque distinctio rationis ratiocinantis, qua distinguimus idem à se ipso, subiiciendo, & prædicando idem omnino de se ipso & concipiendo identitatem mediam inter extrema, vt fiat iudicium cum vera compositione, & complexione mentali, sicut fieret complexio vocalis per has voces, *homo est homo*. Quia sicut ad veram complexionem vocalem non requiruntur plures voces significantes diuersa, vnde hic terminus, *gladius, ensis*, non est incomplexus, sed complexus, ita ad complexionem mentalem non requiruntur diuersa significata, sed sufficiunt diuersæ voces mentales realiter, vel virtualiter, quæ idem obiectum bis significant, dando illi diuersas denominationes subiecti, & prædicati propter talem modum enunciandi: quare in iis etiam propositionibus identicis datur vera compositio & complexio mentalis. Præsertim, cum in iis etiam propositionibus concipiatur vltra extrema identitas inter illa, quæ directè affirmatur, & quæ est diuersa ab extremis in ratione obiecti, cùm aliquid explicetur per conceptum identitatis, quod non explicabatur ex parte subiecti, vel prædicati. Imò licet poneretur ex parte subiecti, & prædicati identitas, & diceres, *Petrus habens identitatem cum Petro est Petrus habens identitatem cum Petro*, in qua propositione videtur identitas eadem concipi ex parte subiecti, & ex parte prædicati; adhuc tunc etiam concipitur idèntitas aliqua media, quæ affirmetur, in qua explicetur aliquid, quod non explicabatur ex parte extremorum, nempe identitas non solùm inter Petrum, & Petrum, sed etiam inter identitatem positam ex parte subiecti, & identitatem positam ex parte prædicati, quæ identitas, inter identitatem, & eandem identitatem non explicabatur ex parte subiecti, nec ex parte prædicati. Quoties ergo affirmatur, vel negatur identitas inter extrema, quæ concipiuntur tali modo cum subiectione, & prædicatione, reperitur compositio, vel diuisio intellectualis, & per consequens complexio mentalis, de qua nunc loquimur.

45 *Decisio quæstionis.*

His ergo circa complexionem mentalem explicatis, facilis est iam decisio præsentis quæstionis, an obiectum fidei sit aliquid complexum complexione nimirum prouenient a modo cognoscendi complexo. Respondetur enim affirmatiuè. Et in primis loquendo de complexione illa, quam diximus inueniri in apprehensione simplici, illa aliquando reperitur in obiecto fidei ex parte subiecti vel etiam ex parte prædicati, vel ex parte vtriusque, v.g. in illo fidei assensu, *homo cum debita dispositione baptizatus est mundus*, reperitur complexio mentalis ex parte subiecti rursus in illo fidei assensu, *Apostoli acceperunt spiritum sanctum in die Pentecostes*, reperitur complexio ex parte prædicati. Denique in illo fidei assensu, *homo moriens in gratia habet ius ad vitam æternam*. reperitur complexio ex parte vtriusque, & sic de aliis. Aliquando verò in neu-

tro reperitur complexio mentalis, vt in hoc assensu fidei *Iesus est Deus*, & in aliis similibus.

46 *Complexio mentalis reperitur semper in fide,*

Loquendo verò de complexione mentali, quã diximus reperiri in secũda operatione intellectus quatenus fit per compositionem, vel diuisionem, dicendum est, reperiri semper in fide nostra: semper enim credimus veritates reuelatas per compositionem prædicati cum subiecto. Quod colligitur in primis ex eo, quod homines communiter hæc obiecta credenda accipiunt per voces humanas, quæ repræsentant hæc obiecta complexè per propositiones vocales constantes ex subiecto & prædicato, quare generant species similes subiecti, & prædicati aptas ad generandas apprehensiones distinctas de extremis, & ad quos sequatur assensus complexus componẽs prædicatum cum subiecto. Deinde ratio magis vniuersalis esse potest, quia quoties veritas propositionis non apparet clarè, vel saltẽ obscurè ex se, sed credenda est propter aliud medium, & motiuum, necesse est adhibere discursum formalem, vel saltem virtualem ad ei assentiendum, vt vidimus in superioribus: cum ergo veritates reuelatæ tales sint, oportet quod vtamur medio per discursum saltẽ virtualem ad eis assentiendum. Omnis autem discursus formalis, vel virtualis accipit suam vim, & efficaciam ex illis principiis, *dici de omni*, & *dici de nullo*, in quibus fundatur tota vis syllogistica, vt suppono ex Logica. Quare non potest concludere, nisi ex eo, quod duæ extermitates conclusionis coniungantur prius singulæ cum medio in præmissis, vt postea in conclusione cõiungi possint inter se propter coniunctionem quam vtraque habet cum medio: cum ergo quæ fide credimus, credamus propter aliud, nempe propter motiuum fidei, quia nimirum quæ Deus dicit, vera sunt, & dicit hoc; necesse est, quod in iis præmissis formalibus, vel virtualibus fiat compositio, coniungendo medium cum singulis extremis, nempe rem à Deo testificatam, quæ est medium coniungimus in maiori cum veritate, & in minori cum hoc obiecto particulari, vt postea in conclusione formali, vel virtuali coniungamus vtrumque extremum inter se, nempe hoc obiectum cum veritate, debet ergo & in præmissis & in conclusione coniungi prædicatum cum subiecto, alioquin nec in præmissis coniungetur medium cum singulis extremis, nec in conclusione coniungentur extrema inter se, provt requiritur ad hoc vt ex medio deducamus assensum conclusionis.

An verò Angelus in assensu fidei debeat etiam assentiri per compositionem, & complexionem mentalem, pendet ex quæstione illa, an Angeli possint in aliquibus materiis discurrere formaliter, vel saltem virtualiter; de qua dicendum erit *in tractatu de Angelis*.

SECTIO III.

Vtrùm sit aliquis ordo inter obiecta fidei.

47 *Obiecta fidei alia sunt necessaria simpliciter: alia sunt contingentia.*

DE ordine dignitatis non est dubium, cum aliqua sint digniora & nobiliora in sua entitate, vt ea quæ pertinent ad Deum in se, & rursus ea, quæ pertinent ad Christum Dominum, & sic de aliis. Non dico, esse digniora fide, sed esse maioris dignitatis, & nobilitatis in se. Neque etiam est dubium de ordine necessitatis; nam aliqua sunt necessaria simpliciter, vt essentia, & attributa Dei: item immortalitas animæ rationalis, & similia. Alia sunt contingentia, vt creatio mundi, passio Christi, &c. Denique nec est dubium de ordine durationis, cum aliqua sint æterna, & ab æterno; alia temporalia, sed præterita, alia futura.

Tota difficultas esse posset de ordine in esse credibilis, an scilicet credibilitas aliquorum obiectorum pendeat à fide aliorum, quæ debeant prius supponi credita. Quam quæstionem late tractat Suarez *disp.* 2 *sect.* 4. Cum tamen suppositis nostris principiis nihil supersit difficultatis. Comparari autem possunt, vel obiecta materialia fidei inter se, vel formalia inter se, vel materialia cum formalibus. Inter obiecta materialia, quæ nimirum creduntur propter diuinum testimonium, Dur. *in* 3. *dist.* 24. *q.* 1. & 3. dixit, primum locum tenere auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, vt fundamentum ad reliquos articulos credendos. Hanc tamen sententiam benè impugnat. Hurt. *disp.* 16. *sect.* 5. & constat ex iis, quæ diximus *disput.* 1. *sect.* 12. vbi vidimus posse aliqua credi fide diuina ab eo, qui Ecclesiæ auctoritatem nondum audiuit, nec agnouit, quamuis communiter, & regulariter fideles non soleant fide diuina credere, nisi quæ ab Ecclesia accipiunt, quam consulunt vt certam regulam credendorum.

P. Suarez *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 5. & *sequentibus* videtur docere, quod inter obiecta materialia fidei debeat esse ordo, quia fides aliorum obiectorum pendet semper obiectiuè à fide horum duorum, quod scilicet Deus sit verax, & Deus hæc dixerit, quæ nisi fide ipsa credantur, nihil aliud potest per fidem credi; cum hæc duo sint motiuum formale credendi reliqua. Vbi videtur transire ab obiectis materialibus ad formalia; nam illa duo sunt obiecta formalia fidei, quare ordo inter illa, & alia obiecta non erit ordo inter obiecta materialia, sed inter formalia, & materialia. Vnde Hurtado *vbi supra sect.* 6. §. 22. indicat defectum consequentiæ in hac Suarij doctrina. Verum Suarez loquutus ibi est iuxta suam sententiam, qua docet, veracitatem, & testimonium Dei, provt mouent ad reliquas veritates credendas, debere credi per eandem fidem etiam vt obiecta materialia, hoc est, quia idem Deus dicit, se esse summè veracem, & se reuelasse reliqua omnia, quare illa duo simul debent esse obiectum formale, & materiale; imò nec possunt esse obiectum formale, nisi quatenus sunt obiectum etiam materiale creditum propter eandem Dei, auctoritatem illa duo testificantis. Quam sententiam fateor mihi semper inintelligibilem fuisse, vt constat ex iis, quæ latius dicta sunt *disput.* 1. Quia si illa duo principia sunt obiectum etiam materiale creditum propter motiuum formale fidei, quodlibet ex illis debet credi propter alterum etiam comprincipium: nam Deum esse veracem, v. g. debet credi, quia Deus dicit, se esse veracem, & è contra, Deum id dicere, debet credi quia Deus est verax: vnde quælibet ex illis præmissis probaret, & inferret veritatem totius obiecti, quia hæc præmissa probat alteram, cum qua probat sufficienter conclusionem, ergo ex vna præmissa infertur tota veritas conclusionis, quod manifestè repugnat in tota arte syllogistica, in qua vna præmissa nihil probare potest. Rursus non minus repugnat, quod altera præmissa debeat per alteram probari: nam licèt in causis physicis aliqui

aliqui concedant de facto, vel de possibili mutuam causalitatem & prioritatem; huiusmodi tamen motiuis formalibus voluntatis,& intellectus ea mutua causalitas omnino, & essentialiter repugnat. Nam in voluntate, si medium amaretur solum propter finem, & finis amaretur solum propter medium, vtrumque esset medium sine vllo prorsus fine,quia nihil amaretur propter se, & sistendo in illo, sed semper propter aliud, quod quidem repugnat voluntati, quod non habeat semper bonum aliquod in quo sistat. Sic etiam multò magis intellectus, si vnam præmissam credat propter alteram, & è contra, neutram crederet vltimo, sistendo in illa, & per consequens Syllogismus ille nunquam reduceretur ad propositiones primas, & immediatas, cùm nulla esset,in qua sisti posset, & quæ non esset probãda per alteram, quæ altera probanda rursus esset per hanc primam: quæ omnia intelligi non possunt, & funditus euertũt omnes regulas syllogysticas, Denique non apparet, quomodo non procedatur in infinitum quærendo motiuum: nam si Deum esse veracẽ credere debemus semper,quia id Deus dicit, & rursus, Deum id dicere credimus, quia Deus dicit,se id dicere,hoc etiam ipsum debemus credere,quia Deus dicit: nam in hac sententia nihil creditur sistẽdo in ipso, sed quidquid creditur est obiectum materiale, & creditur propter aliud: vnde vel procedendum est in infinitum in motiuo credendi,vel sistẽdum in aliquo motiuo, quod non credatur propter aliud, & illud iam non erit obiectum materiale fidei sed solum formale,quod esset contra P. Suarez volentem omnia motiua formalia fidei esse debere obiecta etiam materialia credita propter motiuum fidei: quod, vt dixi, intelligi aut capi non potest.

51 Dixi autem, hoc multo minùs intelligi posse in motiuis intellectualibus, quàm in motiuis voluntatis,quia in voluntate posset fortasse aliquis excogitare casum, in quo medium amaretur propter finem, & finis ipse amaretur aliquo modo propter medium, v.g. si offeretur Petro officium in aula honorarium, cui officio post triennium annexum esset aliud officium magis honorificum necessario obeundum ab eodem Petro in aula; posset quidem Petrus moueri ad acceptandum primum officium partim propter vtilitatem, quã habet vt medium ad subsequens officium acquirendum: & rursus posset subsequens officium desiderare, & intendere,partim propter maiorem honorẽ,quem in se habet, & partim propter honorem primi officij,quod non potest acceptari sine necessitate,& obligatione ad secundum officiũ obeundum. Et quidem contingere etiam posset, vt sese inuicẽ iuuarent illa motiua ita, vt nec primum officium acceptaretur sine commoditate acquirendi secundum,quia ille honor,quem secum affert primum officium fortasse non acceptaretur cum eius oneribus; rursus secundum officium seorsim à primo non acceptaretur cum maiori eiusdem officij onere, nisi moueret etiam honor primi officij.Sed tamen honor,& commodum resultans ex vtroque officio bene gesto tanti fiat in æstimatione hominum, vt propter illud complexum prudenter suscipiãtur onera, & labores vtriusque officij:quo casu vtrumque officium esse videtur,& medium ad alterum, & finis alterius acceptandi,Sed tamen tunc & in singulis officiis inueniretur bonitas aliqua propria independens à bonitate alterius;& licèt singulæ ex illis bonitatibus seorsim non mouerent prudenter ad eas intendendas; complexum tamen ex vtraque prudẽter moueret;& in rigore illud solum complexum per modum complexi esset finis, & singula officia non intenderentur vt finis, sed solum vt media ad illud complexum, quod solum esset prudenter appetibile propter se.

Cæterum si res attentè consideretur, & cũ debita proportione applicetur,hoc ipsũ contingere posset in intellectu: possent enim poni duæ præmissæ,quarũ vniuscuiusque veritas appareat quidem in se,& immediatè non tamen plenè, sed semiplenè,atque adeo singulæ seorsim nõ acceptarentur ab intellectu. Cæterũ alterius veritas probatur etiã ab alterius veritate,& ideo singulæ acceptãtur,& creduntur,quia nimirũ veritas primæ præmissæ semiplenè apparet in se, & semiplenè infertur ex altera, non provt probata per istam (hoc enim esset impossibile) sed provt semiplenè etiam apparente in se independenter ab hac: vnde ex vtroque capite mouetur sufficiẽter intellectus ad assensum huius præmissæ, quia partim apparet in se, & partim infertur ex altera, provt illa etiam semiplenè apparet in se independenter ab hac, & eodem modo mouetur etiam ad assensum alterius præmissæ: quo casu assensus cuiusque præmissæ esset mixtus & medius quid,nempe semimediatus, & semi immediatus: sicut quando eligeres medicinam, partim propter eius delectationem, & partim propter vtilitatem ad sanitatem, itavt nec propter delectationem solam, nec propter vtilitatem solam eligeres, quia modicæ sunt sed propter vtramque simul appetis, tunc volitio illa esset semielectio medij, & semiamor finis respectu medicinæ, & actus mixtus tertiæ speciei. Sic dicendum esset in intellectu in casu posito. Sed illud totum non refert ad defendendam, vel explicandam illam Suarij sententiam, 53
nam si ipse diceret, hoc modo se habere, & adiuuare sese inuicem illa duo principia veracitatis, & reuelationis diuinæ, vt veracitas, v.g. crederetur,partim quia apparet quasi semiplenè in se,& partim quia infertur semiplenè ex reuelatione diuina,quatenus reuelatio apparet etiam semiplenè in se independenter à veracitate; si hoc, inquam, diceret, in primis iam sequeretur contra ipsum, quod assensus fidei resoluitur vltimo saltem partialiter in veracitatem, & reuelationem Dei, provt apparentes in se ipsis, & non provt creditas propter aliud: quod tamen ipse falsum putat, & contendit, non resolui vllo modo in veracitatem Dei, nisi quatenus veracitas ipsa est credita propter reuelationẽ,neque etiam resolui in reuelationem, nisi quatenus est credita propter veracitatẽ Dei.Et quidem fierent contra ipsum ex illa parte argumenta omnia,quibus ipse vtitur ad probandam suam sententiam:quia assensus ille veracitatis diuinæ, quatenus non est propter reuelationem,non esset æquè firmus, cùm ex ea parte non resolueretur in testimonium diuinum,& alia omnia,quæ ipse infert.Deinde nec explicari posset in casu nostro,quomodo etiam semiplenè penderet assensus veracitatis Dei à diuina reuelatione, provt apparente in se independenter ab eadem veracitate:quia reuelatio Dei,non solũ semiplenè, sed nec etiã plenè in se apparens,non potest probare vllo modo veritatem rei reuelatæ independenter à veracitate loquentis.Non enim arguitur benè ex testificatione alicuius ad veritatem rei testificatæ, nisi supponendo illum esse veracem:

ergo nec semiplenè posset probari veracitas diuina ex reuelatione de veracitate in se semiplenè apparente independenter ab eadem veracitate: quare etiam in hac semiplena probatione deberet veracitas probari per se ipsam.

54 *Veracitas Dei potest credi vt obiectum materiale fidei.*

Ad vitandæ ergo hæc inconuenientia, fatendum nobis est, vt diximus *disp.* 1. assensum fidei resolui vltimo in veracitatem Dei vt cognitam independenter à reuelatione, & in reuelationem etiam vt cognitam independenter à veracitate. Fatemur, posse etiam credi veracitatem Dei, sicut obiectum materiale propter reuelationem, & testimonium primæ veritatis; quia ipsa etiam veracitas Dei reuelata inuenitur: sed tamen tunc etiam veracitas ipsa, & eius fides resolueretur vltimò in reuelationem, & in eandem veracitatem, vt in se apparentem independenter à reuelatione, vt late explicuimus *eadem disp.* 1. vbi etiam respondimus ad omnia fundamenta, & inconuenientia, quibus P. Suarez suam sententiam probare conatur. Vnde consequenter respondendum iam est ad quæstionem propositam, nullum esse ordinem necessariæ dependentiæ inter obiecta materialia credita ad inuicem, sed singula posse seorsim ab aliis credi, sicut singula potuerunt seorsim à Deo reuelari. Dixi tamen, *seorsim ab aliis*, hoc est, ab iis obiectis quæ in hac veritate particulari non includuntur, nec essentialiter supponuntur, v. g. non possumus credere Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, nisi crudamus in Deo esse Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Item non possumus credere Deum esse remuneratorem, nisi credamus, Deum esse. Item non possumus credere, omnes homines resurrecturos, nisi credamus, omnes morituros; resurrectio enim supponit essentialiter, imò includit in aliquo mortem præcedentem. Loquimur ergo solùm de obiectis, quæ ex se, nec includunt, nec supponunt essentialiter alia. Existentia verò Dei necessariò credenda est ad omne aliud obiectum per fidem credendum: illa tamen non debet semper necessario credi vt obiectum materiale sed potest se tenere ex parte motiui formalis: credendo enim Deum esse veracem, vel certè, Deum reuelare, eo ipso credimus, Deum esse, cùm non possit reuelare, nisi Deus existens, atque ideo existentia Dei tunc tenebit se magis ex parte motiui formalis.

55 *Comparando obiecta formalia fidei inter se, quem dicat esse ordinem inter ipsa obiecta P. Suarez.*

Comparando verò obiecta formalia fidei inter se, P. Suarez *dicta sect.* 4. *n.* 14. dicit, inter obiecta ipsa esse ordinem in suo esse, quia prius est, Deum esse veracem, cum sit ipsa essentia Dei, quàm Deum loqui: in esse autem credibilis nullum esse ordinem inter veracitatem, & reuelationem, cùm neutra possit credi, nisi propter alteram, nempe veracitas propter reuelationem, & reuelario propter veracitatem, quæ se se inuicem iuuant vt credantur. Sed licèt quoad hoc sit quæstio de nomine; sed tamen consequenter potiùs videtur, quod P. Suarez debuisset fateri ordinem prioris, & posterioris inter illa duo motiua fidei: nam illi qui admittunt dependentiam, causalitatem mutuam inter causas physicas, & non negant inter illas ordinem prioris, & posterioris, imò consequenter sicut concedunt mutuam dependentiam, ita concedunt mutuam prioritatem, & posterioritatem: omnis enim dependentia eo modo, quo est dependentia, affert ordinem prioritatis, & posterioritatis. Cùm ergo P. Suarez ponat mutuam dependentiam inter illa duo motiua fidei in ratione credibilis; non debet negare ordinem, sed consequenter ponere etiam mutuam prioritatem & posterioritatem inter illa. Sed hæc, vt dixi, erit quæstio de modo loquendi, suppositâ illa sententia. In nostra autem, sicut non ponimus dependentiam illorum motiuorum ad inuicem in esse credibilis, ita nec agnoscimus in eo genere prioritatem, aut posterioritatem, inter illa.

Denique comparando obiecta materialia fidei cum formalibus, non est dubium, quod debeat esse ordo inter illa, cùm obiecta materialia dependeant à formalibus in ratione credibilis, & non è contra: motiua enim veracitatis, & reuelationis non creduntur propter obiecta materialia, quæ tamen credi non possunt propter se, sed propter illa motiua. Et de his non potest esse difficultas. 56 *Contra obiecta materialia non sunt credibilia propter se, sed propter motiua.*

SECTIO IV.

Vtrùm articuli fidei conuenienter in symbolo tradantur.

DE his agit S. Thomas *hac quæst. prima ab art. 6. vsque ad 9.* quæ facilia sunt. Et in primis *articulorum* nomine intelliguntur communiter non omnes veritates reuelatæ, quæ in sacra Scriptura, vel Conciliis continentur, sed præcipua capita: nam sicut contextura corporis humani certis artubus, & articulis sustinetur, & connectitur, ne dissoluatur; sic in fide nostra sunt aliqua magis principalia, & capitalia, quæ si dissoluerentur, facilè reliqua fidei contextura rueret. 57

Ex his potissimùm articulis symbola tria composita sunt. Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, & Symbolum Athanasij, quibus tribus solis Ecclesia vniuersalis vtitur. Vocatur autem symbolum, quasi tessera, quæ militibus dabatur, vt sese inuicem cognoscerent, & dignoscerent hostes. Quamuis propriè signum, quod in certis verbis consistebat, vocabatur *symbolum*, quando consistebat signum in re aliqua, dicebatur *tessera*. Appellatur etiam symbolum, quod ex multorum contributione colligebatur. Vtraque ratione hoc *symboli* nomen applicatur symbolo fidei: quod nimirum compositum est, vt eo signo fideles sese inuicem agnoscant, & ab infidelibus, vel hæreticis dignoscantur: ad quem finem oportuit omninò breuem hanc fidei formulam omnibus communem tradi, vt sicut episcopis, & aliis datur formula professionis fidei faciendæ, longior quidem & clarior, prout decet Prælatos, & Magistros; ita omnibus fidelibus daretur formula alia omnibus vtilis, & accommodata, quæ, vt dixit Augustinus (vel quicumque est auctor serm. 115. de tempore,) *est comprehensio fidei nostræ simplex, breuis, & plena, vt simplicitas ruditati, breuitas memoriæ, & plenitudo, consulat doctrinæ.* Non ergo oportuit plura tradere omnibus, qui memoria retinere ea non possent, nec obscura, quæ non caperent; neque tamen debuerunt prætermitti necessaria, qualia sunt, quæ in Apostolorum symbolo continentur, licèt non omnia fortasse æquali gradu necessitatis, vt videbimus infra agentes de necessitate fidei. 58

Porrò symbolum illud, quod Apostolorum appellatur

appellatur, & quod perpetuò à fidelibus omnibus retentum est, fuisse ab Apostolis compositum, antequam in varias prouincias diuiderentur concors est Patrum sententia, quos referunt Suarez *disp. 2. sect. 5.* Turrianus *in præsenti disp. 13. dub. 1.* & alij communiter; siue omnes Apostoli communi sensu omnes symboli partes, siue singuli vnam partem apponentes ex aliorum approbatione, vt alij volunt. Cur autem licèt fuerit ab Apostolis compositum, non appelletur scriptura sacra, quæstio est fortasse de nomine: certum est, æqualem habere auctoritatem cum sacra scriptura. Suarez *vbi supra num. 4.* dicit, non esse sacram scripturam, quia non est de fide fuisse ab Apostolis conditum. Hoc tamen parum referret: quia vt aliqua sit scriptura sacra, non est necesse, quod constet de fide, imò nec certò, eius auctor. Addit secundò, non esse scripturam sacram, quia licèt Spiritu sancto regente traditum fuerit ab Apostolis, non tamen dictante singula verba. Tertiò, quia Ecclesia non recipit illud inter scripturas Canonicas. Quartò, quia vt sensit Augustinus *serm. 119. de tempore*, & alij, quos attulerat idem Suarez *num. 3.* symbolum non fuit ab Apostolis scriptum, sed voce traditum, vt à fidelibus corde retineretur; Vnde non poterat esse scriptura sacra, cùm nec esset scriptura. Alij addunt, non esse scripturam sacram, quia non continet primam reuelationem doctrinæ fidei, sed expositionem, & compendium doctrinæ iam reuelatæ. ita Lorca *in præsenti in Commentario art. 9. num. 6.* Ego adderem, non esse scripturam sacram, quia symbolum non est factum, tam vt Apostoli nobis in eo loquerentur, quàm vt traderent nobis formulam, quâ nos loqueremur, & profiteremur nostram fidem. Facta quippe fuit communis formula, vt omnes fidem professuri eam vsurparent, in quo differt symbolum Apostolorum à symbolo Athanasij, quod quidem Athanasius composuit, vt ipsemet loqueretur, & profiteretur fidem; quem Athanasij sermonem, & professionem postea Ecclesia sibi vsurpauit, & ab omnibus etiam vsurpari voluit. At verò Apostoli symbolum fecerunt, non solùm vt propriam fidem profiterentur, sed vt instruerent alios, & darent illis formulam congruam ad fidem suam profitendam, iuxta quam & Catechumeni, & alij fideles deberent suam fidem ostendere, vt se Christianos probarent: quare in symboli constructione non tam Apostoli loquebantur, quàm suggerebant aliis verba, quibus loquuturi essent congruè ad fidem profitendam. Loquebantur quidem nomine suo Apostoli, & docebant Ecclesiam, quando instruebant fideles, vt formula illa vterentur. Hoc tamen documentum non fuit scriptura sacra, cùm non fuerit litteris exaratum in Epistola, vel alia scriptura. Loquebantur etiam Apostoli nomine suo, quando postea singuli recitabant symbolum; sed tunc non instruebant Ecclesiam, vt magistri communes, sed sicut quando recitabant orationem dominicam, ita recitabant symbolum ad profitendam singuli suam fidem.

Symbolum Apostolorum fuit ab Apostolis compositum.

Symbolum Apostolorum cur non appelletur Scriptura sacra.

Ad quid Apostoli fecerunt symbolum.

59 *Symbolum Nicænum cur sic dictum.*

Secundum Symbolum fuit Nicænum, quod recitari solet in Missa diebus dominicis, & in festis solemnioribus. Appellatur autem Nicænum, quia maiori ex parte ordinatum fuit in Concilio Nicæno; non quidem, vt vsus symboli Apostolici relinqueretur, sed vt aliquando fideles profiterentur magis explicitè aliquos articulos propter hæreses, denuò exortas, & ad præcauendum, ne iterum resurgerent, & ideo propter Arij potissimum errorem negantem Filij diuinitatem, hæc magis explicitè declarata ibi est. Postea verò in Concilio primo Constantinopolitano, quæ fuit secunda Synodus generalis, additæ fuerunt aliquæ particulæ præsertim contra hæresim Macedonianam negantem diuinitatem Spiritus sancti. Quare post verba illa: *Et in Spiritum sanctum*, apposita sunt hæc alia, *Dominum & viuificantem; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas.* Et illa etiam verba, *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, quæ non erant in Nicæno, & illud, *cuius regni non erit finis.* Dubium etiam est, an tunc mutata fuerint illa verba, provt nunc habentur, *& vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; cùm antea solùm diceretur, *sanctam Ecclesiam Catholicam*, vt in symbolo Apostolorum; denique postea, consentiente, & probante Ecclesia, licet tempus non sciatur, additæ sunt particulæ illæ, *Passus*, &, *secundùm scripturas*: atque etiam contra errorem Græcorum negantium iam processionem Spiritus sancti à filio, addita est particula illa *filioque*: de qua additione & eius antiquitate, & auctoritate disputatum latè fuit in Concilio Florentino, & agunt Theologi in Tractatu de Trinitate.

In Concilio primo Constantinopolitano quid additum symbolo Nicæno.

Tertium Symbolum appellatur Athanasij, qui vt diximus non habebat auctoritatem condendi symbolum, sed professus est suam fidem explicitè formula illa, quæ merito placuit summo Pontifici, & acceptata fuit ab vniuersa Ecclesia, quæ symbolum illud recitat solemniter diebus Dominicis in Prima. Fuisse autem Athanasium huius symboli auctorem constat ex Nazianzeno in oratione de laudibus Athanasij, & ex Augustino *in psalm. 120.* & ex consensu totius Ecclesiæ.

60 *Symbolum Athanasij vnde auctoritatem acceperit.*

Ex his tribus symbolis, primum solum necessarium est omnibus fidelibus, vt in vno contenta explicitè credant: alia verò duo necessaria sunt Magistris & Pastoribus ad præcauendos errores, & instituendam plebem. Solent autem fieri aliqua argumenta contra hæc symbola, quæ facilem habent solutionem. Primum est, quia in decreto Concilij Ephesini, & Chalcedonensis cauetur, ne liceat *Aliam fidem, vel proferre, vel componere, quàm eam, quæ præstituta, & præscripta est à sanctis Patribus, qui in Nicænorum Vrbe cum auxilio Spiritus sancti coacti fuerunt, & subiungitur in Chalcedonensi: qui autem audent exponere aliam fidem, aut proferre aut docere aliam fidem, si quidem Episcopi, aut Clerici fuerint, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero; si verò Monachi, vel Laici fuerint, anathema fieri*, &c. Non ergo licuit symbolo Nicæno quidquam adiungere. Respondetur cum S. Thoma *art. 10. ad 2.* prohibitionem illam fieri personis priuatis, non Concilio Generali, nec summo Pontifici, à quo Concilium suam auctoritatem habet: possunt enim Pontifices, & Concilia subsequentia, non quidem aliam fidem tradere à fide Nicæna, sed illam ipsam magis explicare propter insurgentes denuò hæreses, & ad hunc finem edere, vel augere denuò formulam profitendæ fidei. Imò solet Ecclesia diuersas formulas professionis fidei proponere pro diuersis prouinciis, iuxta necessitatem diuersam ob errores peculiares in singulis prouinciis diuulgatos. Sic enim diuersa formula professionis fidei proponitur Græcis redeuntibus ad vnionem Ecclesiæ; diuer-

61 *Ex his tribus symbolis primum solum necessarium omnibus fidelibus. Argumenta fieri solita contra hæc symbola. Obiectio 1.*

sa Armenis; alia etiam Episcopis & Magistris in Ecclesia Latina, antequam promoueantur, vel doceant; quia totum hoc fit contra errores quorum grauius periculum in regionibus singulis timeri potest.

62 *Obiectio 2.* Secundò obiicitur, quia vel symbolum præcedens erat sufficiens, & tunc secundum fuit superfluum; vel non erat sufficiens, & per consequens erat defectuosum. Nec sufficit dicere, quod prius symbolum erat sufficiens, sed postea propter nouos errores oportuit alia addere magis explicitè. Contra hoc enim vrgeri potest, quia symbolum Nicænum, & in Concilio Constantinopolitano additum, non continet omnia, quæ sunt in symbolo Athanasij, quod magis antiquum erat, & ante Concilium Constantinopolitanum; si ergo eo tempore posteriori æstimatum fuit sufficiens symbolum Nicænum cum illis additionibus, superflua erant, quæ addita fuerant in symbolo Athanasij. Respondeo, symbolum Apostolorum sufficiens esse ad instruendum populum de his, quæ necessario debet explicitè credere. Symbolum etiam Nicænum cum suis additionibus sufficiens fuit ad extirpandos errores denuò ortos circa materiam prioris symboli. Hæc tamen sufficientia non consistit in indiuisibili, sed habet plures gradus, & potest vnum symbolum magis sufficiens esse alio: quia verò, vt videbimus in symbolo coniungenda est breuitas cum sufficientia, & quia symbolum Nicænum frequentiùs cantatur in Ecclesia ad captum totius populi inter Missarum solemnia, oportuit consulere simul breuitati cum sufficientia. Symbolum autem Athanasij, quod semel solum in hebdomada cantatur in choro in horis canonicis, potuit longius esse, vt in eo magis explicaretur eadem fides, & ita singula fuerunt sufficientia, & vtilia cum proportione ad suum peculiarem finem. Sicut & nunc longior, & magis distincta proponitur professio eiusdem fidei à Prælatis, & Magistris facienda, quia ea rariùs recitatur, & apud doctores. Vnde etiam non est mirum, quod aliqua in symbolo etiam posteriori omittantur, quæ continebantur in priori: quia recitans symbolum posterius supponitur aliàs recitare illud prius, nec necesse est, in singulis omnia contineri.

Singula symbola sunt sufficientia cum proportione ad suum peculiarem finem.

63 *Obiectio 3.* Tertiò obiicitur, quia obiecta fidei magis necessaria sunt, *Deum esse*, & remuneratorem esse iuxta illud Pauli: *accedentem ad Deum oportet credere, quia Deus est, & quia remunerator est.* Quæ tamen non videntur contineri in symbolo Apostolorum communi omnibus fidelibus. Respondetur omissis aliis solutionibus, hæc duo contineri sufficienter in eo symbolo: nam statim initio dicimus, *Credo in Deum*, quibus verbis confitemur, esse vnum Deum: remuneratio verò continetur in vltimis illis verbis, *& vitam æternam*, in quibus confitemur æternam beatitudinem præparatam à Deo obseruantibus diuina mandata; in quibus etiam verbis comprehenditur prouidentia Dei: nam qui gubernator est, & debet præmiare, & punire, necesse est, quod habeat prouidentiam, quæ est pars bonæ gubernationis. Quæ eadem prouidentia magis vniuersalis includitur in articulo *omnipotentiæ* in symbolo posito: si enim Deus est omnipotens, potest vtique facere quidquid vult, quod facere non posset, nisi prouidentiam perfectissimam haberet.

Obiectio 4. Quartò obiicitur, quia inter mysteria fidei explicitè ab omnibus credenda, vnum ex præcipuis est Sacramentum Eucharistiæ, & quidem ex difficilioribus, quare per antonomasiam vocatur *mysterium fidei*: & tamen in nullo ex his tribus symbolis continetur. Aliqui volunt contineri in articulo omnipotentiæ Dei. Alij in aliis verbis symboli, quod reiecit *disp. 5. de Eucharistia num. 4.* vbi dixi, hoc mysterium non esse positum in symbolo, quia ibi ponuntur ea solùm, quæ necessaria erant propter fidem explicitam pertinentem ad intellectum. Fides autem explicita Eucharistiæ non est necessaria propter se, sed ad implendum dignè præceptum sumendi Eucharistiam. Vnde, vt colligitur ex Augustino *tract. 11. in Ioannem*, olim doctrina de Eucharistia non tradebatur Catechumenis, neque etiam hodie, quando Catechizantur ante baptismum, interrogantur de fide huius mysterij: non ergo mirum, si in symbolo, quod catechumeni etiam ante baptismum edoceri, & profiteri debent, non contineatur hic articulus, cuius fides explicita ab eis non exigitur, donec hoc Sacramentum susceperuri sint.

Quintò obiicitur, quia in symbolo Apostolorum dicitur, *Credo in sanctam Ecclesiam*: sic enim legisse videntur aliqui Patres antiqui, quos affert Suarez *disp. 2. sect. 5. n. 11.* quod tamen videtur falsum, cùm Ecclesia non possit esse, nisi obiectum creditum; in Deum autem credamus, quia est vltimus finis noster. Vnde oritur sexta obiectio similis, quomodo peccatores possint recitare symbolum, & dicere verè, se credere in Deum, cùm auersi sint ab eo, nec diligant Deum, tanquam suum vltimum finem. De vtraque tamen obiectione dicemus *infra disp. 8. sect. 2.* vbi videbimus lectionem legitimam, & genuinam esse, *Credo sanctam Ecclesiam*, licèt illa alia posset aliquem etiam sensum verum habere. Denique peccatores posse non solùm nomine Ecclesiæ, sed etiam suo, dicere, *Credo in Deum*, interim videtur Suarez *vbi supra num. 12. & 13.* 64 *Obiectio 5.*

SECTIO V.

Vtrùm obiecta materialia fidei successiuè creuerint, vel decreuerint.

DE hoc agit S. Thomas *art. 7.* & breuiter respondeti potest separando certa à minùs certis. Supponendum ergo est primò, fidem de aliquo obiecto posse haberi vel explicitam, vel implicitam. Explicita est, quando assensus fertur ad ipsum obiectum, provt tale est, itavt, qui credidit, possit interrogatus in particulari dicere se illud credidisse. Fides implicita est, quando aliquid credimus, in quo vel alia inuoluuntur, quamuis nos lateant, quæ illa sint, vel non possumus credere hoc, quin eo ipso saltem in communi alia credamus. Potest autem hæc implicita fides prouenire primò ratione formalis obiecti eiusdem, v. g. qui credit fide infusa vnum articulum propter auctoritatem diuinam, eo ipso videtur implicitè amplecti quidquid Deus reuelauerit; sicut qui detestatur vnum peccatum graue, præcisè, quia est offensa grauis Dei, eo ipso implicitè videtur detestari omne peccatum graue, in quo idem detestandi motiuum reperitur. Secundò potest hæc continentia implicita prouenire ex eo, quod credatur aliqua collectio rerum confusa, in 65 *Fides de quo dicta propè vel remotum. Explicita quia. implicita.*

in qua alia obiecta continentur, quæ in particulari ignorantur. Sic enim rusticus, qui credit omnia, quæ Ecclesia Romana credit, ibi credit implicitè omnes articulos, & omnes veritates fidei catholicæ. Tertiò denique potest cõtingere, quod credatur aliquid connexum cum alio, itavt credens vnum, implicitè credat aliud, v.g. credens, Christum fuisse nostrum redemptorem, implicitè credit, aliquo modo exercuisse redemptionem, quamuis modum in particulari non cognoscat, & sic de aliis. Ex quibus certum videtur, non creuisse successu temporis obiecta credenda, itavt eadem saltem implicitè non fuerint semper credita. Nam in primis ratione eiusdem motiui formalis, qui aliquid fide diuina credebant, eo ipso implicitè amplectebantur omnia, quæ Deus vel iam reuelauerat, vel reuelaturus erat. Deinde plurima ex obiectis postea reuelandis, & omnia, quæ ad substantiam fidei nostræ spectant, continebantur saltem implicitè in iis, quæ explicitè semper credita sunt. Nam ea omnia, quæ ad Christum spectant, & ad redemptionem nostram, implicitè continebantur in fide Christi, & reparatoris venturi. Fides etiam Trinitatis continebatur implicitè in fide explicita Dei infinitè perfecti, si quidem ad infinitam perfectionem naturæ diuinæ pertinet fœcunditas ad processiones diuinas, & sic de aliis.

66 *Fides explicita de præsentia mysterij Eucharistiæ fuit semper in Ecclesia apud aliquos.*

Secundò, Certum videtur, fidem de his substantialibus fuisse semper in Ecclesia explicitam apud aliquos v.g. in Adamo, Moyse, Dauid, Prophetis, & aliis similibus, licèt apud fidelium vulgus solùm implicita haberetur, de quo videri potest Suarez *disp. 2. sect. 6. num. 4. & 5.*

Fides explicita aliquorum obiectorum in particulari non fuit semper æqualis.

Tertiò, Certum videtur, fidem explicitam aliquorum obiectorum in particulari non fuisse semper æqualem. Nam in primis comparando statum legis gratiæ cum statu legis naturæ, & legis scriptæ, negari non potest, Christum multa explicasse, quæ antea latebant, ac proinde vulgares fideles nunc plura explicitè credere, quàm fideles vulgares veteris testamenti. In ipso etiam statu antiquo non semper eadem æqualitas erat aliquando obtenebrescente rerum notitia, aliquando postea per Prophetas renouata. Imò in statu etiam legis gratiæ, non omnia secula sunt æqualia, cùm plura obiecta, quorum notitiam explicitam habuerant, posteà ignorantiæ tenebris consopita fuerint, & postea iterum Conciliorum, & Pontificum definitionibus, & Doctorum, ac Patrum studio in lucem fuerint reuocata. Nec potest certa regula aliqua præscribi, vt vel priora, vel posteriora semper sæcula præferamus in hac explicita rerum notitia; cùm alternantibus vicibus, aliquando hoc sæculo maior lucis splendor affulgeat, aliquando minor, prouidente Deo suis temporibus doctores Ecclesiæ suæ, provt necessitas, & diuinæ prouidentiæ ordo exigit.

67 *Quandoque contingit fides magis explicita, quam sint in Apostolis.*

Quartò tamen fatendum videtur, nunquam contingere magis explicitam rerum fidem, quàm fuerit in Apostolis & primis Christianæ religionis capitibus. In quo conueniunt Theologi, & colligitur ex multis Scripturæ sacræ locis, Ioan. 14. 15. & 16. *ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Vnde dicuntur habuisse primitias spiritus ad Rom. 8. & *reuelata facie gloriam Domini speculantes.* 2. ad Cor. 3. & iterum ad Ephes. 1. *secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nobis in Dei sapientia.* Vnde Epiphanius hæresi 66. dicit, *Apostolos accepisse donum, quo omnia ipsis clavè Spiritus sanctus exposuit.* Videri etiam possunt Cyprianus epist. 74. Augustinus *lib. 5. de baptismo cap. 26.* Cyrillus *lib. 4. in Isaiam orat. 2.* Suarez *vbi supra num. 10.* Trianus *disp. 13. dub. 2.* & alij. An verò hanc plenitudinem fidei explicitæ acceperint ab initio totam in ipso die Pentecostes, affirmat cum aliis Turrianus *ibi dub. 3.* Quod tamen non ita vniuersaliter admittit Suarez *num. 18.* vt tunc fuerint edocti explicitè de omnibus mysteriis fidei quoad particulares eorum circumstantias, vt de modo vocationis gentium, & de cessatione legalium, vt colligitur ex *actorum 10. & 15.* Vnde Ioannes *in Apocalypsi* multa intellexit denuo de futuris, quæ aliis reuelata non fuere.

68 *An in Ecclesia aliquid incipiat post Apostolorum tempus esse de fide, quod antea de fide non fuerat.*

Illud videtur difficultatem in hoc puncto habere, an in Ecclesia aliquid incipiat post Apostolorum tempus esse de fide, quod antea de fide non fuerat. Et quidem de lege naturæ non videtur dubium: quia licèt Deus ab initio reuelauerit Christum venturum; non tamen erat tunc de fide futurum ex femine Abrahæ, vel de progenie Dauid, donec Deus id postea specialiter promisit. Multa etiam Deus denuò per Patriarchas, & Prophetas reuelauit, quæ antea reuelata non fuerant, & quæ postea erant de fide, & ab omnibus credi debebant. Difficultas ergo est in nouo Testamento, an post Apostolos Deus per Ecclesiam, vel aliter reuelet aliquid de nouo, quod antea non erat de fide, nec reuelatum fuerat.

69

In quo etiam certum in primis videtur, id per principia intrinseca, vt ita dicam, non repugnare. Nam sicut in veteri testamento Deus successiuè misit Prophetas, quibus ita reuelauit aliqua de nouo, vt obligarentur omnes fideles de nouo ad eas prophetias suscipiendas, & credendas, non est repugnantia intrinseca, quod etiam in nouo testamento id faceret: quare si id non fit, non est, quia intrinsecè repugnet, sed quia Deus iustas ob causas decreuit totam fidem noui testamenti fundare supra fundamentum Apostolorum, quos voluit esse bases huius ædificij spiritualis. Secundò etiam certum est, in nouo etiam testamento incipere aliquando obligationem credendi aliqua explicitè de fide, quæ proximè ante non obligabant omnes saltem communiter ad fidem explicitam; nam licèt antea fuissent reuelata, & credita; posteà tamen, notitia illa antiquata, cessauerat obligatio communis, licèt fortasse apud aliquos mansisset notitia sufficiens, donec postea accedente Ecclesiæ definitione, rediit obligatio ad fidem explicitam. Sic multa, quæ antea erant sub opinione, postea definita sunt in Conciliis, nec amplius negari possunt, vt infusio virtutum in baptismo, valor baptismi collati rite ab hæreticis, qui priùs sine hæresi negatus fuit à sancto Cypriano; iustificatio per gratiam inhærentem, & his similia. Ad hoc enim deseruit assistentia Spiritus sancti cum summo Pontifice, & cum Concilio ab eo legitimè congregato, & approbato, vt errare non possint in proponendis rebus credendis per fidem.

70 *An omnia, quæ ab Ecclesia in Concilio, vel à summo Pontifice definiuntur, ita pertineant de nouo ad fidem, vt antea nunquam pertinerent.*

Quæstio esse potest, An hæc omnia, quæ ab Ecclesia in Concilio, vel à summo Pontifice definiuntur, ita pertineant de nouo ad fidem, vt antea nunquam pertinerent. In quo Theologi communiter negant, aliquid nunc ab Ecclesia definiri de fide, quod iam antea à Deo reuelatum non fuisset in scripturis sacris, vel per traditionem;

vel

vel alio modo: ideoque Ecclesiam, & Pontificem in eiusmodi definitionibus solere priùs scrutari diligenter sensum scripturæ, doctrinam sanctorum Patrum, traditiones, &c. vt appareat, quid Apostoli ipsi de hac re senserint, & quid à Deo acceperint, fides enim Catholica est simul Apostolica, & ab Apostolis hæreditaria successione ad nos transmissa; nec Deus veritates aliquas nouas Ecclesiæ nunc reuelat ad fidem pertinentes, quas priùs Apostolis ipsis non manifestauerit. Quare Pontifex in sua definitione manifestat, hanc veritatem contineri in iis, quæ per scripturam, vel alio modo Apostolis manifestatæ fuerint, & in doctrina, quam ipsi nobis reliquerunt. Ita cum S. Thoma *hac quæst. 1. art. 10. ad 2.* docent Vualdensis *lib. 2. doctrinal. fidei antiq. cap. 22. & 23.* Castro aduersùs hæreses *lib. 1. cap. 8.* Cano *lib. 4. de locis cap. 7. & lib. 4. cap. 4.* Suarez *dicta disp. 2. sect. 6. num. 15. & 16.* vbi alios affert. Hoc autem debet intelligi de iis veritatibus, quæ ad fidem Catholicam pertinent. Possunt enim de facto alicui priuatæ personæ aliqua reuelari à Deo, quæ Apostolis non fuerint manifestata: & quidem potest reuelatio alla taliter fieri, vt is, cui fit, teneatur firmissimè obiectum illud reuelatum credere, sicut credit veritates nostræ fidei, cùm dixerimus supra, posse aliquando fidei habitum elicere suum assensum ex motiuo etiam reuelationis priuatæ: sufficit ergo, quod veritates illæ, quæ ad fidem Catholicam, & vniuersalem omnium fidelium pertinent, non sint nouæ, sed contentæ in iis, quæ iam antea Apostolis reuelatæ fuerant.

71 *An aliqua nobis de fide credenda proponantur, quæ Apostoli explicitè non crediderunt.*

Contra hoc tamen videtur vrgere difficultas, quia aliqua nobis de fide credenda proponuntur, quę Apostoli explicitè non crediderunt, v.g. hunc hominem esse summum Pontificem, & Christi Vicarium: Beatam Virginem non commisisse peccatum veniale: quod quidem, cùm nondum positum fuisset, sed Beata virgo adhuc viueret, non potuerunt Apostoli credere: & his similia. P. Suarez *dicta sect. 6. num. 18.* distinguit duplex genus propositionum, quæ successu temporis explicitè creduntur. Primum pertinet veluti ad substantiam mysteriorum, vt in mysterio Incarnationis, quod Christus habuerit duas voluntates, & in mysterio Eucharistiæ, quod substantia panis post consecrationem non maneat, & similes; & de huiusmodi credendum, inquit, est fuisse cognita ab Apostolis, non tantum implicitè, sed explicitè, quia optimè intelligebant Scripturas, & mysteria omnia, quæ ad traditionem fidei, pertinebant. Secundum verò genus est propositionum contingentium, quæ tempore Apostolorum nondum euenerant, vt quod iste sit Pontifex, quod hoc sit verum Concilium, & similes: & has non oportuit ab Apostolis cognosci explicitè, sed tantùm in vniuersali, quia non erat necessarium illis reuelari omnia futura. Hæc Suarez, qui non explicat, an immunitas B. Virginis à peccato veniali per totam vitam, fuerit ex primo, vel ex secundo genère propositionum.

72 Ego hanc distinctionem ita admitto, vt tamen non concedatur, nunc credi aliquid explicitè de fide, quod de nouo reuelatum sit Ecclesiæ, & Apostolis non fuerit reuelatum. Aliud enim est, Apostolis non fuisse reuelatum: aliud verò, quod Apostoli ex vi reuelationis sibi factæ non potuerint tunc credere explicitè hoc obiectum determinatum, sed solum in confuso. Primum existimo falsum propter rationes suprà adductas: & quia Pontifex, & Ecclesia in eiusmodi definitionibus semper consulit, & sequitur reuelationes antiquas, & doctrinam Apostolicam, vt appareat, an hoc obiectum contentum fuerit in doctrina Apostolica: alioquin nunquam proponitur ab Ecclesia vt credendum de fide. Secundum autem est verum: quia quamuis hoc etiam obiectum reuelatum fuerit Apostolis, non poterant tamen explicitè cognoscere, & credere illud in particulari. Pro quo recolenda sunt, quæ dixi *supra disp. 1. sect. 13. §. 3.* vbi notaui, posse credi de fide particularem contentam in vniuersali reuelata, v. g. hunc hominem peccasse in Adam, hunc hominem esse verum Papam, & Vicarium Christi, & alias similes: quia Deus reuelans omnes posteros Adæ peccasse in Adam, & omnès canonicè electos esse veros Pontifices, distinctè cognoscebat hunc, & illum in particulari, & de illis loquebatur, licèt audientes tunc non intelligerent de illis distinctè, sed in confuso, quia non habebant distinctam speciem eorum; quod ibi multis exemplis comprobaui, nec oportet nunc id repetere. Quo suppositio, dicimus, nihil nobis reuelari, aut Ecclesiæ, quod idem non fuerit Apostolis reuelatum, nec fieri nunc reuelationem Dei immediatam condistinctam ab illa, sed solùm posse nos nunc magis distinctè percipere, de quo obiecto in particulari loquutus sit Deus, propter meliorem, & magis distinctam applicationem ipsius obiecti in particulari, quæ nobis fit propter præsentiam ipsius obiecti, quod tunc non erat præsens, in quo nullum est inconueniens; quia cum hoc stat benè fidem etiam nostram de hoc obiecto in particulari fundatam esse in doctrina Apostolica, seu in reuelatione illis facta. Credimus enim, hunc posterum Adæ peccasse in Adamo, quia Deus Apostolis reuelauit, omnes Adæ posteros in ipso peccasse, & simul reuelauit de hoc, & de illis omnibus.

73 Quod verò attinet ad immunitatem B. Virginis ab omni peccato veniali per totam vitam, ego idem cum proportione dicendum puto: nec existimo, nunc credi à nobis propter reuelationem nouam, qua Deus post tempora Apostolorum id suæ Ecclesiæ reuelauerit, cùm antea non reuelasset. Quod à posteriori probari potest applicando eadem argumenta: nam Ecclesia vt hanc veritatem nobis proponeret, non minùs examinauit, & consuluit Scripturas, & doctrinam Apostolicam, quam in quolibet alio dogmate, quod definit. Neque enim consuluit reuelationem aliquam postea alicui factam: & licet consuluerit, & examinauerit testimonia, & consensum sanctorum Patrum; non tamen quasi ipsi habuissent, reuelationem sibi à Deo factam de hac veritate, vel quia eorum sensus faceret reuelationem Dei, sed vt appareret, quo sensu ipsi Scripturas, & doctrinam Apostolicam intellexerint, & dignitatem matris Dei in Scripturis, & doctrina Apostolica traditam & contentam. Cùm ergo Ecclesia ex excellentissima matris Dei dignitate à Deo reuelata hoc sibi persuaserit, & hoc priuilegium in dignitate illa contentum fuisse credideriti; consequens est, vt & Apostoli ipsi, qui eandem Matris Dei dignitatem ex Dei reuelatione credebant, & clariùs eius excellentiam penetrabant, potuerint non minùs immunitatè illam credere. Quod verò tunc nondum fuisset posita, quoad effectum eiusmodi immunitas, viuente adhuc B. Virgine,

parum

parum refert : quia poterant credere de futuro idem omninò, quod nos credimus de præterito. Sicut idem, quod nos credimus de humanitate Christi, fuisse scilicet immunem ab omni peccato, propter vnionem ad hypostasim diuinam, potuerunt, & debuerunt credere Apostoli, adhuc viuente Christo, tanquam ex parte adhuc futurum : quia differentia præteriti & futuri in ordine ad assensum fidei per accidens se habet.

74 Addere autem possumus plures ex ipsis Apostolis, & ferè omnes superuixisse Beatissimæ Virgini, si quidem præsentes fuerunt morti, & funeri ipsius : quare non minùs quàm nos potuerunt immunitatem illam à peccato veniali, vt rem omnino præteritam credere ; provt de facto crediderunt, & testati videntur in Liturgiis ab ipsis Apostolis compositis, in quibus memoriam eiusdem Dei Genitricis fecerunt vocando eam putam, & immaculatam. Sic enim orat Diaconus in Missa composita à Iacobo Apostolo fratre Domini, quam liturgiam veneratur sexta synodus can. 32. *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ*, &c. Et post consecrationem Sacerdos dicit : *Præcipuè sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ*, &c. & Cantores respondent : *dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri.*

DISPVTATIO IV.

De repugnantia fidei cum falsitate.

SECTIO I. *Præmittuntur aliqua de mendacio.*

II. *Vtrum Deus possit mentiri, vel saltem falsum reuelare.*

III. *Argumenta contra doctrinam præcedentem dissoluuntur.*

IV. *Vtrum reuelatio falsa ex malitia eius intrinseca reddatur impossibilis Deo.*

V. *An possit Deus amphibologicè loqui, & an ex hoc capite deficiat eius infallibilitas.*

VI. *Vtrum fides aliunde possit generare assensum falsum circa reuelationem apparentem.*

VII. *Vtrum actus fidei possit vt præmissa concurrere ad conclusionem falsam.*

1 Diuisio quæstionis sub hoc titulo.

HOc etiam pertinet ad obiectum fidei diuinæ, quod quidem, vt possit terminare actum fidei supernaturalis, debet esse verum; de qua proprietate, & vnde proueniat hæc repugnantia, & quanta sit, agendum nobis est hac disputatione. Duplex autem quæstio venit potissimum sub hoc titulo examinanda. Prima est, an possit Deus reuelare aliquid falsum. Cùm enim dictum sit in superioribus, obiectum fidei esse quidquid Deus obscurè reuelauerit : si semel admittas, Deum posse reuelare aliquid falsum, consequens est, quod aliquid falsum possit esse obiectum nostræ fidei. Secunda quæstio est, esto Deus non possit aliquid falsum dicere ; si tamen falsum aliquid proponatur nobis, vt reuelatum à Deo, an possit nostra fides elicere assensum circa illud obiectum apparenter reuelatum.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de mendacio.

VT clariùs procedamus, Aduerto primò Mendacium esse *dicere aliquid scienter aliter ac sentimus.* Ita S. Augustinus in *Enchirid. cap.* 18. *tom.* 3. Vnde cum eodem Augustino inferunt Theologi communiter, non esse idem *mentiri ac falsum dicere* ; potest enim aliquis dicere falsum absque mendacio, quia nimirum putat, id esse verum, atque ideo non mentitur, quia mentiri est contra mentem ire. E contra verò potest aliquis dicere verum, & tamen mentiri, quia id, quod re ipsa verum est, ipse putabat esse falsum, atque ideo loquutus est contra id, quod sentiebat. Quod disertè explicuit idem Augustinus ibidem his verbis : *melior est, qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit ; ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo : huic verò qualecunque per se ipsum sit, quod ab eo dicitur ; aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est : quod malum proprium est mentientis.* Ex quibus verbis colligitur, totam & solam malitiam mendacij consistere in oppositione verborum cum mente. Fateor, in ordine ad Deum hæc duo esse inseparabilia, mentiri & falsum dicere. Cùm enim Deus non possit falli, sed debeat scire omne verum : consequens est, vt si loquitur iuxta suam mentem, loquatur etiam id, quod verum est ; & è contra, si diceret falsum, diceret etiam contra suam mentem. Cæterùm in ipso etiam Deo virtus veracitatis formaliter loquendo, non est immediatè ad dicendum id, quod est verum, sed ad dicendum id, quod reuera habet in mente, & non aliter, ac habet in mente.

2 *Mendacium quid sit.*

Potest aliquis dicere verum, & tamen mentiri.

Aduerto tamen secundò, (licèt hoc pertineat ad modum loquendi) apud Augustinum eum, qui dicit, quod falsum putat, cùm re ipsa sit verum, non dicere verum : aliud enim est, *dicere verum*, aliud *inueniri verum, quod dicitur.* Sic enim dixerat Augustinus paulò ante loco citato, his verbis : *qui non, quod sentit, hoc dicit, non verum dicit ; quamuis verum inueniatur esse, quod dicit.* Quod ex eodem Augustino obseruauit S. Thom. *infrà q.* 110. *art.* 1. Hoc tamen, vt dixi, pertinet ad modum loquendi : nam in rigore possumus etiam dicere, quod ille dicat verum : sicut è contra, qui loquitur quidem iuxta mentem, sed fallitur, solemus dicere, quod non mentitur, sed dicit falsum. Clariùs tamen distinguunt aliqui veritatem, & falsitatem physicam, vel moralem : illa desumitur ex conformitate, vel difformitate cum obiecto ; hæc autem ex conformitate, vel difformitate ad mentem. Ita etiam Hurtado *disp.* 17. *sect.* 1. §. 8.

3 *Aliud est dicere verum, aliud inueniri verum quod dicitur.*

Illud potest magis de re ipsa dubitari ; an qui loquitur id, quod re ipsa est verum, sed ipse putat

4

An qui loquitur verum; putans esse falsum, committat peccatum mendacij consummatum.

tat falsum, committat peccatum mendacij consummatum an verò solùm secundùm affectum, sicut qui furatur monetam æream, quam putabat esse auream, committit furtum graue affectiuè, non tamen cum effectu, & ideo licèt peccet mortaliter; non tamen incurreret reseruationem, aut censuram, vel alias pœnas, si quæ essent impositæ furto graui. Sic quæri potest, an periurium eius, qui putauit obiectum falsum, cùm tamen esset verum, intelligatur reseruatum, vel afferens censuram, vbi reseruatum esset, vel sub censura prohibitum, peccatum periurij. Videtur enim idem dicendum quoad hoc de mendacio, & periurio, quod dicitur de furto, homicidio, & aliis, quæ non censentur peccata, completa quoad reseruationes, & pœnas, nisi exteriùs etiam ponatur effectus prohibitus,

5 Omnino tamen puto, illud esse peccatum consummatum mendacij, & periurij provt colligitur ex S. Thoma *dicto art.* 1. & ex verbis citatis Augustini, qui dicit, illud esse *malum proprium mentientis*, dicere rem aliter, ac est in mente. Idem docet Suarez *disp.*3. *sect.*5. *num.*1. dicens, illud esse propriè mendacium, *quia contra mentem loquitur, in quo ratio mendacij consummatur.* Vnde credo, incurri per ciusmodi periurium reseruationem, & alias pœnas periurio impositas: quod etiam fatetur Hurtado *disp.*17 *num.*9. quia periurium illud exteriùs consummatum est, dum iuratur contra mentem iurantis. Possumus autem hoc ipsum confirmare, & explicare magis ex doctrina à nobis sæpe suppositа, quod scilicet verba, & voces non significant immediatè res, sed conceptus loquentis: quare quando dico, *Petrus est in foro*, voces illæ immediatè non exprimunt Petrum in foro, sed mentem meam de Petro existente in foro, quasi implicitè dicam, *ego credo quod Petrus sit in foro.* Quamuis ergo Petrus sit in foro, si tamen id ego non credo, falsæ sunt voces illæ, per quas testor me credere, Petrum esse in foro, cùm tamen id non credam. Vnde si in rigore loquamur, non videtur absolutè, & vniuersaliter loquendo necessaria distinctio illa de veritate & falsitate physica, vel morali; nam licèt illæ duæ veritates separabiles sint ab inuicē respectu vltimi, & indirecti obiecti, v. g. quod Petrus sit in foro, & possit loquutio esse vera veritate physica, & falsa falsitate morali, in quo sensu Augustinus loquitur, quando dicit illum verum dicere, & simul mentiri: cæterùm loquendo de obiecto, quod immediatè, & directè significo, & testor per voces, quod semper est mens mea, non potest vna veritas ab alia separari; quia vel credo Petrum esse in foro, vel id non credo, Si credo, iam voces habent vtramque veritatem, quia conformantur cum mente, & habent veritatem moralem, & conformantur etiam cum obiecto directè testificato, cùm per illas voces affirmem me id credere, & reuera ita credo, atque ideo habent etiam veritatem physicam. Si verò id non credo, iam habent vtramque falsitatem: moralem quidem, quia non conformantur cum mente, atque etiam physicam, cùm id, quod affirmo, nempe mea credulitas de Petro in foro, non detur à parte rei. Ex quo apparet iam, quomodo periurium illud sit in omni sensu completum, & consummatum, non solùm quia iuratur contra mentem iurantis, sed quia Deus affertur in testem falsitatis non solùm existimatæ, sed veræ & realis falsitatis: nam jurans affert Deum in testem, non tam quod Petrus sit in foro, quàm quod ipse credat, Petrum esse in foro; quod quidem falsissimum est; ergo affertur re ipsa Deus in testem falsitatis: quod sufficit ad omnimodam cōsummationem periurij vndequaque completi.

Aduerto tertiò, aliquos distinguere etiam inter *mentiri*, & *dicere mendacium*, ita vt mentiri sit dicere contra mentem, siue id re ipsa verum, siue falsum sit: *dicere autem mendacium* includat vtrumque, nempe dicere contra mentem, & quod id, quod dicitur, falsum sit. Ita videntur sentire Magister *in* 3. *dist.*38. & Bonauentura *ibi.* Hoc tamen pertinet ad modum loquendi, & distinctio illa non habet solidum fundamentum, vt bene notauit Lorca *disp.*7. *num.*5. quia, licèt obiectum sit verum; si tamen dicitur contra mentem, eo ipso qui ita mentitur, peccat, & non alio peccato, nisi mendacij; nec potest separari mentiri, à commissione mendacij. Nec Augustinus quem pro illa differentia afferunt, id dixit, sed distinxit solùm inter *mentiri & dicere falsum*, cùm possit aliquis mentiri dicendo verum, & è contra dicere falsum absque mendacio.

Aduerto quartò, aliquos requirere ad mendacium quod proferatur cum animo fallendi, seu decipiendi. Ita Magister, & Bonauentura *locis citatis*, Cano *lib.*2. *de locis cap.*3. Bañes *in præsenti quæst.*1. *art.*3. *dub.*1. & Gratianus *in cap. Beatus*, *dist.* 22. & videtur colligi ex definitione mendacij, quam tradit August. *in Enchirid. c.*18. vbi dicit, esse *falsam vocis significationem cum animo fallendi.* Alij tamen hanc conditionem reiciunt, Caiet. Richard. Alensis, Durand. Gab. & Almainus, quos refert, & sequitur Lorca *dicta disp.*7. *num.*2. quibus videtur fauere S. Thom. *infra quæst.* 110. *art.*1. & idem Augustinus *in* 1. *soliloq.* vbi distinguit mendaces à fallacibus. *Mendaces*, inquit, *hoc à fallacibus differunt, quod omnis fallax appetit fallere, sed non omnis vult fallere, qui mentitur.* & in lib. contra mendacium in tribus primis capitibus nihil de hac quæstione definit: quare quando alibi posuit in definitione *animum fallendi* explicant hi auctores, id est, animum dicendi falsum.

5 Respondeo, in primis non requiri ad mendacium voluntatem fallendi, quæ habeat pro fine intento deceptionem: qui enim decipit ad furandum non habet pro fine deceptionem, sed furtum, vt constat. Deinde certum videtur non requiri voluntatem aliquam fallendi reduplicatiuè, sed sufficere voluntatem fallendi materialiter, & specificatiuè. Nam *fallere* includit significare hoc obiectum, seu facere, quod audiens veniat in cognitionem huius obiecti; & rursus quod hoc sit contra meam mentem, seu contra veritatem obiecti: & primum sine secundo, non sufficit ad fallendum. Qui autem mentitur, solùm vult sæpe, quod audiens cognoscat tale obiectum, non autem vult, quod obiectum illud sit falsum, imò frequenter vellet, quod esset verum, v. g. qui fingit se nobilem, vult, quod alij credant eius nobilitatem, non vult autem, quod decipiantur, imò vellet, quod non deciperentur: non ergo vult fallaciam secundùm totum, quod fallacia adæquatè sumpta includit, sed solùm specificatiuè, & materialiter illam notitiam, quæ in his circumstantiis aliunde erit falsa, & deceptio. Denique puto, ad mendacium requiri voluntatem aliquam vel directam, vel saltem indirectam decipiendi. Nam qui mentitur, loquitur; ergo ordinat

nat suam mentem ad alium, cui eam intendit communicare, ergo habet voluntatem aliquam ordinandi talem mentem suam ad eum, qui loquitur: si ergo notitia, quam ordinat, est falsa, iam habet voluntatem aliquam ordinandi ad alium mentem, quam non habet, & per consequens vult, quod audiens concipiat mentem suam aliter, ac reuera est. Dixi tamen requiri voluntatem fallendi directam, vel indirectam; quia fortasse ad mendacium, & eius malitiam non requiritur voluntas formalis loquendi, sed sufficit velle proferre eas voces in iis circumstantiis, in quibus faciunt ex se hunc sensum, quod velit communicare talem mentem audientibus. Nec vnquam credam, excusari à mendacio, vel etiam à periurio illum, qui proferret verba ex se significantia iuramentum, vel assertionem, excludendo solùm interiùs intentionem loquendi, & habendo intentionem proferendi solùm materialiter illa verba ad exercendam vocem, etiamsi in his circumstantiis auditores concipiant, eum loqui. Certè si hoc licet, frustra esset prohibitio mendacij, & periurij: omnes enim, qui nunc mentiuntur, effugere possent eiusmodi peccata, proferendo easdem voces, (quod ad eorum intentum sufficeret) & excludendo intentionem internam loquendi. Vnde sequerentur eadem omnia inconuenientia, ob quæ mendacium est illicitum; quod nempe impediretur commercium, & conuictus humanus, & homo redderetur non fide dignus, & cui credi non posset: semper enim audientes meritò timerent, quod verba essent prolata sine animo significandi & loquendi: & quantumcunque affirmaret, se habere animum loquendi, de his ipsis verbis formidare possent, quod essent solùm prolata ad exercendam vocem. Virtus ergo veracitatis, quæ obligat ad non mentiendum, obligat propter eadem motiua ad non proferendas voces, quæ in iis circumstantiis ex se debeant significare determinatè id solùm, quod est contra mentem proferentis: quare non minùs id esset contra veracitatem, aut etiam contra religionem si proferretur iuramentum. Vide, quæ in simili dixi *tom. 2. de iustitia, & iure disp. 23. sect. 1. n. 12.* agendo de eo, qui promitteret exteriùs absque intentione interna promittendi, de quo dixi, non minùs obligari ex fidelitate ad implenda promissa, quia veracitas in promissis, quæ appellatur *fidelitas*, obligat ad conformanda facta cum dictis externis, sicut veracitas in loquendo obligat ad conformanda verba externa cum mente loquentis, ideo ergo dixi, ad mendacium requiri voluntatem directam, vel saltem indirectam fallendi; quia si aliquis vellet proferre solùm materialiter voces illas sine animo loquendi, vt se liberaret ab instantia interrogantis, videtur fortasse non habere voluntatem directam loquendi contra mentem, cùm non habeat voluntatem loquendi, aut significandi; habet tamen voluntatem saltem indirectam fallendi, cùm velit proferre illas voces, præuidens in his circumstantiis, sequi ex prolatione tali, quod audiens decipiatur. Et certè difficilè potest excogitari casus, quo mendax non habeat voluntatem directam fallendi: quia eo ipso, quod profert illas voces, vt liberet se, vel vt satisfaciat desiderio, aut interrogationi auditoris, eligit eas voces vt vtiles ad eum finem; non sunt autem aliter ad eum finem vtiles, nisi provt significant talem mentem loquentis, & generant in audiente talem notitiam: si enim solùm deseruirent, provt talis sonus materialis est, æquè posset mendax proferre alias voces non significatiuas: vult ergo illas, provt aptæ sunt ad generandam talem notitiam, & per consequens directe etiam vult, quod audiens decipiatur, vel possit decipi, quantum ex vi sui responsi. Nisi fortè imaginemur aliquem proferre illas voces merè propter alium finem disparatum, v.g. vt memoriæ mandet talem phasim; in iis tamen circumstantiis, in quibus auditores non possunt aliud cogitare, nisi quod cum eis loquatur; quare ex virtute veracitatis deberet eas voces non proferre, quæ ex se hîc & nunc determinatè, & omnino significant audientibus propositionem contra mentem proferentis: quare sicut peccaret contra religionem, si in eis circumstantiis proferret verba materialia blasphemiæ, vel periurij, etiamsi id faceret exercendæ memoriæ gratia, quando ea intentio nullo modo posset innotescere auditoribus; sic etiam peccaret peccato mendacij absque intentione, aut voluntate directa fallendi. Hic tamen casus Metaphysicus est, & nullo modo moralis.

9

10 *Veracitas in loquendo obligat ad conformanda verba externa cum mente loquentis.*

11 *An possit committi peccatum mendacij, vel periurij si aliquis apud se solus proferat verba significantia contra mentem suam.*

Hinc tamen oritur duplex dubium. Primum est, an possit committi peccatum mendacij, vel periurij si aliquis apud se solum sine vllo teste proferat verba significantia contra mentem suam vel etiam iuramentum. Affirmat Lorca *dicta disp. 7. num. 2. in fine*, atque ideo dicit, futurum reum periurij. Ego quidem fateor, posse aliquem verè & propriè loqui loquutione externa, licèt solus sit: sic enim loquimur recitantes horas Canonicas, loquimur, in quam, vel cum Deo, vel cum Angelis, vel etiam nobis metipsis, vt quando nos excitamus ad aliquid v. g. dicendo, *Benedic anima mea Dominum, &c.* & sacerdos consecrans etiam sine vllo teste, verè loqueretur proferens formam consecrationis: vnde peccatum etiam hæresis potest exteriùs consummari, & subiacere censuris, quando aliquis solus proferret verba significantia hæresim internam. Non tamen credo quòd possit aliquis apud se solum proferens voces committere peccatum mendacij. Primò. Quia veracitas, vt ab omnibus supponitur, est pars potestatiua iustitiæ, atque ideo semper est ad alium: sicut fidelitas, quæ intendit conformitatem verborum cum factis, non potest esse alicuius ad se ipsum, sed ad alium: ita etiam veracitas, quæ intendit conformitatem verborum cum mente, debet esse ad alium; ergo impossibile est, quod aliquis sibi ipsi mendax sit. Secundò, & à priori, quia turpitudo mendacij sumitur ex eo, quod impediat commercium, & conuictum hominum ad inuicem, qui non possent mutuò sibi credere. Hinc oritur obligatio non fingendi contra mentem. Hæc autem ratio, vt constat, non procedit, si aliquis apud se solum voces falsas proferat. Denique, si coram aliis proferas voces falsas, facta tamen priùs protestatione, quod per illas voces non intendis loqui vel significare tuam mentem; non peccares peccato mendacij; cùm ergo proferens voces falsas apud se solum, sciat optimè se nolle per eas voces significare suam mentem, non est, cui possit mentiri. Vnde fit etiam, non posse facile eo casu dari periurium assertorium: hoc enim videtur non posse esse sine mendacio, cui superaddatur iuramentum: si ergo non datur mendacium, nec datur periurium: nec apparet facilè, quomodo possit eius afferri in testem illius, quod asseritur quando nihil as-

Veracitas est pars potestatiua iustitiæ.

Mendacij turpitudo vnde sumitur?

feritur: tunc autem nihil asseritur, cùm nemini detur notitia mentis proferentis falsæ, quam quidem nemo intendit dare sibimet ipsi contra propriam mentem, quia nemo potest sibi persuadere id quod scit, & credit esse omnino falsum.

12 Hoc tamen intelligo, quando proferens voces cum nemine prorsus loqui vult absolutè, vel saltem sub conditione. Vnde aliter dicendum erit in primis, quando vellet loqui per illas voces falsas cum Deo, vel cum Angelis bonis, vel malis, vel etiam cum animabus separatis. Nam licèt Deum non possimus fallere, nec facere quod veniat in notitiam mentis nostræ aliter, ac est: possumus tamen ponere voces aptas ex se ad dandam ei talem notitiam falsam, & hoc ipsum intendere, quantum est ex parte nostra: atque adeò possumus illi mentiri dicendo, nos habere propositum aliquid faciendi, cùm tale propositum non habeamus. Quia sicut possumus loqui cum Deo per voces externas veras, licet non demus ei notitiam mentis nostræ per voces, quam ipse aliunde perfectissimè intuetur; sic possumus per voces falsas mentiri Deo, licèt cum effectu non persuadeamus ei notitiam mentis nostræ contra id, quod in mente habemus: quia conamur saltem, quantum in nobis est id ei persuadere. Quod tamen nobismetipsis persuadere non conamur; quia nemo sibi vult persuadere id, quod putat, & tenet esse falsum. Dixi tamen, non posse facilè contingere tunc periurium; quia nolo nunc contendere, an possit aliquis habere aliquando etiam eam voluntatem, quia velit persuadere sibi, si fieri posset, mentem suam non esse illam, quam de facto habet, sed aliam, & ad hoc sibi per voces loquatur: quo casu, licèt propriè non mentiretur, quia mendacium, sicut & veritas est ad alium, videtur tamen afferre Deum in testem, non quidem mendacij sed falsi, quod sufficeret ad peccatum periurij contra religionem.

31 Vnde etiam posset concedi, quod possit inueniri mendacium, atque etiam periurium, quando aliquis apud se solum ita loqueretur per voces externas falsas, vt ex intentione sua dirigat voces illas ad alios sub conditione, si eas audiant. Sic enim Sacerdos celebrans coram vno solo, vel etiam recitans officium diuinum solus dicit, *Orate fratres*, *Dominus vobiscum*, & similia, dirigens illas voces, quantum est ex se, ad plures si adsint, vel audire possint. Sic aliquis in loco obscuro posset loqui cum aliis, si fortè adsint, quamuis neminem adesse videat, & tunc posset mendacium, & periurium committere. Sic ergo, qui solus profert voces, posset dirigere eas non ad se, sed ad alios sub conditione, si adsint, vel audiant. Ideo dixi, requiri voluntatem saltem *conditionatam* manifestandi mentem falsam aliis, vt possit esse mendacium: quare à fortiori eadem intentio conditionata sufficeret tunc ad peccatum periurij.

14 *An qui scit, dicta sua à nemine credenda, peccet adhuc peccato mendacij? Ratio dubitandi.* Secundum dubium circa hoc ipsum esse potest, an qui scit, dicta sua à nemine credenda, peccet adhuc peccato mendacij. Ratio dubitandi esse potest, quia tunc nullum animum fallendi habet, cùm sciat à nemine id credendum; imò fortasse ideo id dicit, quia scit, non esse credendum, non dicturus, si credendum putaret: ergo nullo modo intendit communicare aliis notitiam, quam non habet. Dicendum tamen est, reperiri tunc verum mendacium & per consequens periurium, si iusiurandum apponatur. Ita Lorca *dicto n. 2. in fine*, & ratio ex dictis esse potest, quia in eo casu ille adhuc loquitur, ergo ordinat mentem suam falsam ad eos, quos alloquitur, & per consequens habet aliquam voluntatem, quod ij cognoscant, eam esse suam mentem. Ad hoc enim non requiritur voluntas, & intentio absoluta finis, nempe notitiæ falsæ in aliis generandæ, sed sufficit voluntas absoluta medij, nempe vocis ex se manifestatiuæ talis obiecti falsi, & voluntas saltem conditionata finis, nempe quod alij concipiant eam esse mentem loquentis. Quæ voluntas stare potest cum desiderio simul, quo optet, ne auditores id credant. Sic enim testis coactus ad testificandum verum crimen sui amici, illud manifestat iudici, à quo tamen desiderat id non credi. Qualis autem sit illa voluntas in loquente communicandi mentem, & quomodo possit stare cum desiderio, quo optat non intelligi, videbimus postea *sect.* 3.

SECTIO II.

Vtrùm Deus possit mentiri, vel saltem falsum reuelare.

SVpposita ergo differentia inter mendacem, & falsum asserentem, probandum iam est, vtrumque Deo repugnare. Fuit autem in primis error & omni blasphemia plenus aliquorum, qui vt sua excusarent mendacia, Deum etiam mendacem facere non erubuerunt dicentes, ipsum de facto sæpe mentitum fuisse, ita Priscillianistæ hæretici, & Armeni, de quibus Augustinus *lib. contra mendacium cap. 2. & lib. de hæresibus hæresi 70.* Guido Carmelit. *lib. de hæresibus cap. 30.* Castro *aduersus hæreses*, *verb.* Deus, *hæresi 13.* & Valentia *in præsenti quæst. 1. puncto 3.* 15 Error & temeritas

Ab hoc errore parum distat Robertus Holchot *in 2. quæst. 2. art. 8. memb. 3. & in 3. quæst. 1. art. 8.* qui fatetur, Deum non posse quidem mentiri; posse tamen decipere, & dicere falsum: quia mendacium addit malitiam moralem, quæ Deo repugnat, sicut potest Deus hominem occidere, non tamen committere homicidium, quia hoc nomine significatur occisio iniusta, & illicita. Ita Deus potest dicere falsum, & decipere, & de facto id fecit; licitè tamen, & ideo absque mendacio quod non sit, nisi illicitè, & contra prohibitionem.

Secundò, Alij dixerunt Deum de facto nec mentiri, nec falsum dicere, nec id posse facere de potentia ordinaria, posse tamen de potentia absoluta, non quidem mentiri propter rationem proximè traditam, sed tamen falsum reuelare. Ita Petrus de Aliaco *in 1. quæst. 2. dub. 3. circa solutionem 4. rationis.* Adamus Godamus *in 3. dist. 14. quæst. 4. art. 2.* Almainus *in moralibus cap. 7.* Gabr. *in 3. dist. 18. littera G.* 16 Catholica communis doctrina.

Catholica, & communis doctrina negat in primis Deum vnquam mentitum, vel falsum etiam asseruisse. Hanc esse de fide fatentur Theologi omnes, quos videre poteris apud Suarez *disp. 3. sect. 5. num. 6.* & constat, sine hæresi negari non posse, cum opponatur directè propositionibus de fide reuelatis in sacra Scriptura Numer. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur nec vt filius hominis vt mutetur.* ad Tit. 3. *Qui non mentitur Deus.* ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, &*

& omnis homo mendax. Ioann.8. *Qui misit me, verax est.* Matth. 24. *Cælum & terræ transibunt, verba autem mea non transibunt.* Psalm.144. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*, & alibi passim. Testimonia verò sanctorum Patrum, & alia Scripturæ loca indicabo conclusione sequenti ad probandum, nec de potentia absoluta posse Deum falsum dicere.

17 Nunc aduerto, hæc loca non solùm probare, Deum non esse mentium, provt mendacium includit peccatum, sed etiam non dixisse falsum. Ad quod ponderari possunt verba adducta ex cap.23. Numer. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur*, &c. nam statim subiungitur. *Dixit ergo, & non faciet? loquutus est, & non implebit?* Quæ consequentia non esset bona, si Deus sine peccato mendacij posset falsum dicere: non bene enim argueretur, Deus mentiri non potest, ergo faciet, quod promisit: posset enim respondere, qui sententiam illam Holchot tueretur, Deum quidem non posse mentiri, posse tamen falsum prædicere, & promittere, atque ideo ex Dei prædictione non sequi, quod res ponenda sit. Ad hoc etiam est optimus locus ex prima Epist. Ioann. cap.5. *Qui non credit Filio Dei, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Quod etiam argumentum inutile, & vanum esset, si Deus absque mendacio posset testificari falsum: tunc enim, qui non crederet Deo testificanti, non faceret Deum mendacem, sed dicentem falsum: & tamen Apostolus affirmat, quod eo ipso faceret Deum mendacem: idem constat ex verbis illis vniuersalibus Psalmi: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* Si enim Deus aliquando decipit, quamuis tunc non esset mendax, quia sine peccato id faceret; non tamen esset positiuè fidelis in verbo illo, cùm non conformaret facta dictis, quod est proprium fidelitatis.

18 Fateor quidem, in nobis posse distingui, & separari, *mentiri* & *dicere falsum etiam scienter*, quia posset aliquis per ignorantiam inuincibilem putare, quod liceat aliquando dicere falsum; & tunc diceret falsum, & deciperet absque peccato, & non mentiretur formaliter loquendo, quia *mendacij* nomen fortasse includit malitiam formalem, qualis in illo actu non esset, sed solùm materialis, quare posset fortasse dici mendacium materiale, & non formale; in Deo tamen hæc distinctio non habet locum: quia sicut in Deo non possunt distingui *mentiri* & *dicere falsum* ratione ignorantiæ, sicut in nobis, qui sæpe dicimus falsum, quod ex ignorantia putamus verum, absque mendacio; quia nimirum Deus non potest dicere falsum, quod non sciat esse falsum: ita licèt nos possemus aliquando dicere falsum scienter absque culpa mendacij, quia per ignorantiam inuincibilem, vel inaduertentiam non aduertemus ad eius turpitudinem & malitiam; Deus autem nec ignorare, nec obliuisci potest illam turpitudinem, atque ideo hæc tria in Deo idem essent, *dicere falsum*, & *dicere falsum scienter*, & *mentiri*.

19 Hoc supposito dicendum est secundò, & omnino tenendum, Deum nec de potentia etiam absoluta posse mentiri, aut falsum dicere: in hac etiam conclusione conueniunt ferè omnes Theologi: & licèt aliqui tradant eam solùm vt sententiam Theologicam, quos refert Suarez *loco su-*

Tenet nec de potentia etiam absoluta posse mentiri, aut falsum dicere.

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuinæ.

prà citato: alij tamen graui censura contrariam afficiunt. Valentia *vbi suprà* dicit, esse ad minus temerariam; Suarez dicit, esse æquè certam hanc conclusionem ac primam, quæ erat de fide. Lorca *disp.* 9. *memb.* 1. *num.* 2. dicit contrariam esse erroneam; quod idem dicunt Turrianus *disp* 3. *dub.* dicens, sine iniuria fidei id dici non posse, & Bañes, quem sequitur Granado *tract.* 1. *disp.* 7. *sect.* 1. *num.* 8. Coninch. *disp.* 10. *num.* 5. dicit, vel esse de fide, vt ipse opinatur, vel proximam fidei hanc conclusionem, & *num.* 14. dicit, esse apertam blasphemiam & hæreticum dicere, quod Deus de potentia absoluta possit mentiri. Denique Hurtado *disp.* 18. *sect.* 4. §. 14. putat, sine hæresi defendi non posse, quod Deus de potentia absoluta possit mentiri, vel falso loqui. Ego quidem, licèt non iudicarem, puniendum vt hæreticum formalem, qui id diceret, puto quod proximè ad hæresim accedat.

Probatur primo ex scriptura ad Hebr. 6. *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum, vt per duas res mobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus*, in quo loco pondero in primis iuramentum, licèt in nobis addat supra simplicem assertionem, in Deo reuera solum addere energiam, quia iurare est afferre Deum in testem: Deus autem non potest loqui, quin afferat se in testem. Deinde aduerte, Paulum non solum excludere à Deo mendacium de potentia ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, nam si posset Deus mentiri de potentia absoluta; non haberemus firmissimam spem, quam colligit Paulus ex impossibilitate mentiendi: possemus enim formidare, an Deus vtens sua potentia absoluta promisisset nobis falsò sine intentione implendi. Deinde est optimus locus ad Rom.3. *Est enim Deus verax*; *omnis autem homo mendax* quo loco non est sermo de actu, sed de potentia; nam plures sunt homines qui actu nõ mentiuntur; Deus autem nec actu, nec potentia mentitur: quo sensu hunc locum explicat Ambros. *lib.*6. *ep.*37. 20 *Probatur ex Scriptura.*

Idem colligitur ex eodem Paulo 2. ad Timoth. 2. *si non credimus*, inquit, *ille fidelis permanet: negare se ipsum non potest.* quasi diceret, si non permaneret fidelis, sed posset non stare promissis, negaret se ipsum Deus, quod tamen de potentia absoluta facere non potest. Vnde Dionysius de diuinis nominibus *cap.* 8. *Negare*, inquit, *sui est à veritate prolapsio: est ab eo, quod est, prolapsio; Deus ab eo, quod est, prolabi non potest.* Item ad Hebr. 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri* vbi Apostolus supponit, Deum, si negaret præmia promissa, fore iniustum, hoc est, infidelem: Deus autem nec de potentia absoluta potest esse infidelis, vt constat. Possunt etiam induci verba supra citata ex c. 23. Numer. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Ex quibus verbis colligitur primò, si Deus mentiretur, futurum iam vt hominem: deinde esse repugnantiam de potentia etiam absoluta vt promissa non seruet: quia alioquin posset responderi, adhuc spem vacillare, cùm Deus saltem de potentia absoluta posset à promissis deficere; induci etiam possunt verba citata Christi, *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: defectio autem cœli, vel terræ non esset de potentia ordinaria, sed de absoluta, ergo de hac eadem potentia negat possibilem defectum in verbis suis. Denique afferri potest illud Ioan.8. 21

Deus esset quasi homo si mentiretur.

vbi Christus de Diabolo dicit, *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Si autem Deus mentiri posset, iam Deus etiam esset pater mendacij, & alia similia.

22 *Probatur ex Patribus.*

Probatur secundò ex Patribus, qui hanc repugnantiam agnoscunt vt essentialem Deo. Athanas. lib. de Incarnatione Verbi: *Absurdum est*, inquit, *Deum in suis verbis mentiri: non enim Deus fuisset.* Dionysius verbis suprà relatis dixit, negationem veritatis esse prolapsionem ab ente, & Deum ab ente prolabi non posse. Basilius serm. de abdicatione rerum: *hæc verba*, inquit, *Dei sunt, & ideo falsa esse non possunt.* Vbi aduerte, Patres non solùm de mendacio loqui, sed de falsitate, seu defertione veritatis. Sicut etiam Augustinus *tom. 9. lib. 1. de symbolo in princip.* in Deo æquiparat impotentiam moriendi, & impotentiam fallendi. *Deus omnipotens est*, inquit, *mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.* Et paulò post: *nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si fallere, si falli, si iniquè agere, non esset omnipotens.* Vbi ad vtrumque, nempe ad mentiendum, atque etiam ad fallendum negat Deo potentiam, sicut ad moriendum, vel ad errorem concipiendum; & *lib. 83. quæstionum, quæst. 53.* dixit, impium atque nefarium esse cogitare de Deo, quod decipiat. Clarissimè etiam Anselmus *lib. 1. cur Deus homo, cap. 12.* ostendit, non potuisse in Deo reperiri falsitatem & deceptionem sine malitia. *Non enim sequitur*, inquit, *iustum est mentiri, si Deus vult mentiri; sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas; imò quæ deserendo veritatem corrupta est.* Et subdit: *cùm ergo dicitur: Si Deus vult mentiri, non est aliud, quàm si Deus est talis naturæ, quæ vult mentiri; & idcirco non sequitur, iustum esse mendacium; nisi ita intelligatur, sicut de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est illud est: quia neque hoc, aut illud est.* Nec dicas, Anselmum loqui solùm de mendacio, provt includente malitiam, & provt sic repugnare Deo: imò enim probat, non potuisse in Deo reperiri materiale ipsius mendacij sine malitia, & turpitudine: dicit quippe, non posse fieri iustum illum actum ex eo, quod Deus illum velit, ergo non posse separari à turpitudine: quod rursus explicat ratio, quam affert, *quia non potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas*, quam veritatis corruptionem supponit repugnare diuinæ voluntati, quia alioquin voluntas deserendo veritatem corrupta esset: ergo ex mente Anselmi ipsa etiam corruptio veritatis Deo repugnat, & ideo repugnat mendacium. In eodem sensu loquitur Chrysostom. homil. 1. in symbolum: *Creditis*, inquit, *Deo omnipotenti, quia posse ipsius non potest inuenire non posse; tamen aliqua non potest, vt pote falli, fallere, mentiri.* Certum est autem, quod nec de potentia absoluta falli potest: ergo eodem modo non potest fallere; quod item repetit *lib. 1. de prouidentia post medium.* Bernardus item serm. de omnibus sanctis: *Deus neque falli, neque fallere potest.* Videantur alij Patres apud Valentiam loco citato, & apud Suarez *d. sect. 5. num. 7.*

Probatur ratione. Mendacium non ideo malum quia pro-

Tertiò probatur ratione, quia mendacium est intrinsecè malum, & ex iis, quæ non sunt mala, quia prohibita, sed prohibita, quia mala, vt suppono ex S. Thom, & aliis *infrà quæst. 110. art. 3.* adeo vt nec Deus possit in eo dispensare; adhuc enim maneret cum sua indecentia, & disconuenientia in ordine ad naturam rationalem; quæ indecentia potissimùm oritur ex dedecore, quo natura rationalis afficitur in ordine ad humanum commercium, amittendo veracitatem, & auctoritatem, quam quisque honestus vir conseruare debet; vnde meritò mendaces viles reputantur: ex quo fit nullo casu posse mendacium honestari, vt decernitur *in cap. super eo, de vsuris*, vbi dicitur nec pro saluanda quidem vita licere mendacium, quod ipsum refert S. Clemens *lib. 3. recognitionum* dictum esse à sancto Petro Simoni Mago. Et sanè hæc ratio potissimùm habet locum in Deo, nam licèt daremus, hominem in aliquo necessitatis casu posse mentiri ad vitandum aliquod malum, quod alia via vitari non potest: Deus tamen hoc titulo mentiri non posset, quippe qui facillimè posset consequi illum finem sine mendacio. Quare Plato *lib. 2.* de Republica in fine, cùm admittat licere homini mendacium ad vitandum aliquod periculum; Deo tamen id negat propter dictam rationem: quod etiam docuisse Origenem *lib. 6. stromat.* refert Hieronymus *lib. 1. contra Ruffinum.* Huius rationis vim magis examinabimus *sect. sequenti.*

Quartò probatur, quia infinita auctoritas in dicendo, & cui summa fides debeatur, est sanè perfectio simpliciter simplex, vt patet à contrario, cùm etiam inter homines habeatur pro decore habere talem auctoritatem in dicendo, cui cum formidine credi possit: hæc autem infinita auctoritas non esset in Deo, si aliqua ratione posset mentiri, ergo.

Quintò probari solet, quia si de potentia absoluta posset Deus mentiri, nutaret tota fides scripturæ: credimus enim certissimè illam, quia Deus eam reuelauit: quod si Deus posset falsum reuelare, meritò formidare possem, an esset falsa: & hoc etiam si Deus reflexè diceret, se in ea nihil falsum, vel de potentia absoluta, reuelare: nam hæc etiam reflexio posset esse nobis suspecta propter eamdem rationem: ergo, vt nostræ fidei certitudo firma sit, ponenda est in Deo impotentia ad falsum, vt probaui *disp. 1.*

Ex dictis infertur primò, sicut Deo repugnat de potentia absoluta mendacium, vel falsitas in asserendo, ita etiam repugnare mendacium, vel falsitatem in promittendo, si v. g. non conformarentur posteà facta cum dictis, vel promissis. Hoc etiam non minùs constat ex scriptura Numer. 23. vbi de fidelitate agitur: *Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur: dixit ergo, & non faciet? loquutus est, & non implebit*; Psalm. 144. *fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* de eadem veritate loquebatur Christus Matth. 24. quando dixit *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: & Paulus ad Hebr. 6. in illis verbis: *volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, &c.* & 2. ad Timoth. 2. *ille fidelis permanet: negare se ipsum non potest.* quæ loca superiùs ponderauimus: & idem habet Deuter. 32. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus & rectus*, quasi infidelis, & iniquus futurus esset si promissa non impleret. Vnde meritò Suarez *dicta sect. 5. num. 10.* dicit, hoc esse omnino de fide: & rationem optimam affert, quia vel Deus promitteret cum animo implendi,

plendi, vel sine illo. Si primum ergo promisit cum ignorantia circumstantiæ nouæ superuenturę quæ deobligaret ab obseruanda promissione: & hæc esset in Deo summa imperfectio: si autem nihil ignorauit, & adhuc serio promisit ex animo implendi; non potest animum postea mutare: tum quia sine noua saltem causa vrgente non præuisa, promissio, & fides data obligat ex fidelitate, tum etiam quia volũtas quælibet efficax Dei debet sortiri effectum: si ergo Deus habuit semel voluntatem absolutam implendi promissum, non potest postea habere voluntatem contrariam quia prior illa voluntas efficax fraudaretur suo effectu, & quia cum omnis voluntas Dei sit æterna, & ab æterno; habuisset Deus ab æterno duas voluntates efficaces contrarias circa idem obiectum: quod est omnino impossibile. Si verò Deus ab initio non habuit voluntatem implendi, fuit mẽdax: sicut qui cum iuramento dicit, se aliquid facturum sine animo id faciendi, est periurus, quia affirmat cum iuramento animum, quem non habet. Aliud esset, si non omnino absolutè, sed sub conditione saltem implicita Deus aliquid promitteret, vel comminaretur, provt comminatus est subuersionem Ciuitatis Niniuitarum, nisi tamen ipsi interim pœnitentiam egissent; quam conditionem in iis prædictionibus contineri, protestatus nobis est Deus ipse Hierem. 18. dicẽs: *Repentè loquar aduersus gentem, & regnum, vt eradicem, & destruam illud; si autem gens illa egerit pœnitentiam à peccato suo, pœnitentiam agam, & ego à malo quod loquutus sum facere eis.* Eodem fetè modo intelligitur prædictio facta Regi Ezechiæ ab Isaia cap. 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* Sensus enim non erat omnino absolutus, sed solùm secundùm cursum naturalem, & causas inferiores, vt explicat S. Thomas 1. *part.* q. 19. *art.* 7. *ad* 2.

26 Neque etiam obstat, quod afferri solet *ex Genes.* 4. vbi Caino pauenti, & dicenti; *Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*: Respondit Deus, nequaquam fiet: & tamen postea *vers.* 25. indicatur, quod Cainus occisus fuerit à Lamech. Ad hoc tamen facilè respondetur, in primis incertum esse, quod fuerit Cainus ille, quem Lamech occidit. Deinde neque Deus dixit, Cainum non occidendum, sed dixit, *omnis, qui occiderit Cainum septuplum punietur*: & ad eius tutelam, & notitiam huius comminationis: *posuit Dominus in Cain signum; vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Videatur Turrianus *disp.* 3. *dub.* 2. *in* 7. *obiectione*, qui varias interpretationes diuersorum congerit.

27 Infertur secundò, sicut per se ipsum Deus mẽtiri aut fallere non potest; ita nec etiam per alios, qui eius nomine loquantur. Quod esse etiam de fide putat Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 12. Turrianus verò *vbi supra* cum Bañes *concluſ.* 3. dicit contrarium affirmare de potentia absoluta, esse erroneum. Et quidem meritò, quia si Deus non haberet eandem impotentiam fallendi, aut falsum dicendi per alios, vacillaret auctoritas Scripturæ sacræ, quam per Prophetas, quasi per suos nuncios reuelauit, in quibus familiare est loqui ex parte Dei verbis illis; *hæc dicit Dominus*: *loquutus est Dominus per Prophetam*: *factus est sermo Domini ad Prophetam.* Et ideo Luc. 1. & ad Hebr. 1. dicitur Deus loquutus per ora Prophetarum: & in vtroque casu æquè dicitur Deus loqui. Vnde dicitur Deus apparuisse Moysi, & loquutus ei fuisse in flamma Rubi, *Exod.* 3. & tamen *Act.* 7. Stephanus dixit, loquutum fuisse tunc Deum per Angelum: quia idem est loqui per se ipsum, ac loqui per suum Angelum à se missum, vt eius nomine loquatur.

Rationem autẽ huius reddit Suarez *loco citato* quia quoties Deus loquitur per alium, necesse est quòd prius Deus ei loquatur, & suggerat, quæ debet dicere. Vnde ne detur processus in infinitũ, debemus deuenire semper ad aliquem, cui Deus immediatè loquutus sit; alioquin ille, per quem loquitur Deus, loquetur de suo, si non loquitur ea, quæ accepit à Deo, vel ab eo, qui à Deo accepit. Si ergo repugnat, Deum per se loqui falsum æquè repugnabit loqui falsum per alium; quia semper Deus illud immediatè per se alicui loquutus inuenietur. Hæc tamen ratio, vt verum fatear, non videtur mihi omnino solida: quia non videtur vniuersaliter verum, quod quoties aliquis loquitur per alium, debeat ei testari, & affirmare id, quod vult vt suo nomine loquatur. Potest enim Petrus præcipere suo famulo, vt dicat nomine suo Ioanni aliquid, v. g. se ægrotare, licèt famulus sciat, ipsum bene valere, nec Petrus tunc dicit famulo, aut testatur, se ægrotare, nec hoc vult ei persuadere, sed committit solum vt suo nomine dicat Ioanni, se ægrotare. Imo nec famulus mentietur tunc dicendo, Petrus dicit tibi per me, se ægrotare: hoc enim verissimum est, & famulus in toto rigore loquitur tunc ex parte Domini, & Dominus loquitur Ioanni per suum famulum, cui tamen famulo non dixit Dominus se ægrotare, sed vt nomine suo id diceret Ioanni. Sic ergo posset Deus loqui per alium nobis, licèt ille non accepisset à Deo rem. quam proponit, sed solum mandatum proponendi. Non ergo repugnat, Deum loqui falsum per alium ex eo præcisè quod semper Deus debuisset illud idem alicui immediatè per se ipsum dicere, & testificari; imo de facto legatus Regis aliqua dicere potest & affirmare Regis nomine, quæ tamen Legatus ipse non credat futura, aut vera; & tamen loquitur tunc propriè Regis nomine, cuius mandatum accepit id Regis nomine dicendi, quia Legatus non affirmat, id verum esse, nec ostendit, se id credere, sed testatur mandatum sibi à Rege, vt id eius nomine dicat: quo casu Rex nulli per se ipsum immediatè loquitur obiectum illud, sed solùm mediatè loquitur aliis per suum legatum.

28 *Rationem reddit Suarez.*

Ratio P. Suarez non videtur solida.

Aliunde ergo reddenda est ratio vniuersalis huius repugnantiæ in Deo ad loquendum falsum per alios: quia nimirum sicut materialiter se habet, quod quis loquatur vocibus, nutibus, vel scriptura & obligatio veracitatis eadem omnino est quocumque modo quis loquatur, ita prorsus materialiter se habet, quod quis loquatur immediatè per se, vel per nuntium suum: cùm nuntius sit merum instrumentum, sicut scriptura, vel alia signa, quibus vtitur, & ideo Dauid appellauit linguam suam *Calamum velociter scribentis.* Eadem ergo est in vtroque casu obligatio veracitatis, quæ solum inclinat ad non testificandum contra propriam mentem: quod autem quis testificetur mentem suam per voces, per nutus, per scripturam, vel per voces alterius suppositi, quibus ad hunc ipsum finem vti vult, materialiter, & per accidens se habet ad intentum veracitatis. Sic enim in instrumentis & scripturis publicis, quando contrahentes scribere nesciunt, rogant alios, vt eorum nomine subscribant,

29 *Ratio Auctoris.*

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

scribant, & vtuntur characteribus alienis ad testandam suam mentem, nec minus obligantur ad veritatem & fidelitatem, quam si propria manu subscriberent: quia characteres alieni de eorum mandato facti reputantur pro suis in omnibus, & per omnia. Inconuenientia etiam, quæ sequerentur ex eo, quod per se ipsum posset aliquis mentiri, vel fallere, & turpitudo naturæ rationalis, cui fides non deberetur, & peruersio conuictus, & commercij humani, & alia omnia, æquè sequerentur, si liceret fallere, & mentiri per alios, vt constat; præsertim, cùm illi, per quos loquimur, ignorarent, an ea vera essent, vel falsa, & essent omnino immunes à culpa. Vnde veracitas diuina, & infinita eius perfectio, & auctoritas non minus, nec aliter exigit, quod Deus non possit mentiri, vel fallere per alios, quàm per se ipsum. Alioquin enim iam Deus non esset fide dignus, quando per alios loquitur, & hoc etiamsi nobis omnino constaret, Deum per illos loqui quia possemus meritò formidare, an Deus mentiretur, vel falleret; quod totum in magnum dedecus resultaret auctoritatis diuinæ. Quare omnia testimonia, & argumenta, quæ probant, Deum non posse mentiri, vel fallere, probant in vniuersum de omni testificatione, & loquutione diuina; est autem propriissima testificatio, & loquutio, quæ per alios fit, nec differt, nisi materialiter sub eodem genere, vel specie à loquutione immediata: & ideo cui prohibetur communicare cum excommunicato, vel illum alloqui, non minus censetur prohibita communicatio, vel alloquutio mediata per nuntium, quàm immediata, quia vtraque est vera, & propria communicatio, & alloquutio.

SECTIO III.

Argumenta contra doctrinam præcedentem dissoluuntur.

30 *Obiectio 1. ex Scriptura*

CONtra supra positam doctrinam sunt aliquę obiectiones: Prima ex Scriptura, vbi sæpè dicitur Deus decipere. *Ierem. 20. Ezech. 14. 3. Reg. vltimò*, & *alibi*. Verum in prædictis locis verbum *decipere*, sumitur permissiue, quatenus Deus permittit aliquem decipi in pœnam peccatorum. Deinde afferuntur alia plura loca, in quibus, vel Deus ipse vel aliæ personæ sanctæ videntur mentitæ. Cæterum quod attinet ad Deum, omnia loca habent manifestè veram explicationem, quam tamen singulis locis tradere pertinet ad Scripturæ interpretes. Quod verò attinet ad alias personas non est inconueniens, eas aliquando leue mendacium commisisse; præsertim quod aliquando ex inaduertentia, vel ignorantia potuerunt excusari: plures tamen eorum loquutiones explicantur à Patribus in vero sensu saltem figurato. Videatur Valentia *vbi supra dicto puncto* 3. & Turrianus *dict. disp. 3. dub. 2.* qui multa congerit.

31 *Obiectio 2.*

Secundò obiicitur, quia Deus se solo potest producere in intellectu hominis habitum, vel actum erroris, cùm sit effectus creatus; tunc autem medio illo habitu, vel actu Deus testificaretur falsum, ergo mentiretur.

Occasione huius obiectionis solet hîc disputari, an possit Deus se solo producere habitum, vel actum erroris in intellectu. Quod tamen ad præsens institutum necessarium non est, nam licèt id fieri possit, non sequitur Deum per illum habitum, vel actum formaliter loqui. Ratio autem ex dictis *disp. 1.* desumitur vbi diximus, de ratione locutionis esse, quod per illam loquès manifestet alteri obiectum prout in sua mente, scilicet manifestando simul esse in sua mente, & ordinando illud obiectum ad alterum: quare licèt Deus produceret actum erroris in meo intellectu, non loqueretur, neque illa esset vox Dei; non enim produceret à Deo volente ordinare illud obiectum ad me, & manifestare mihi se illud habere in mente; ergo non esset loquutio Dei.

32 Dices, ponamus actum erroris, quo quis iudicet, cælum esse lapideum, v. g. & simul iudicet Deum ordinare hoc obiectum ad me: vtrumque quidem falsò: tunc sanè Deus loqueretur per illum actum, quia producit illum vt communicet mihi suum effectum formalem; scilicet manifestare mihi cælum esse lapideum, & hanc esse Dei mentem ad me ordinatam. Aliqui dicunt, adhuc illam non fore loquutionem Dei, quia non manifestaret Dei mentem, Deus enim non habet talem mentem, aut cognitionem. Sed contra, quia non est de ratione loquutionis, quod exprimat verè mentem loquentis, sed quod exprimat eam verè, vel falsò: ille autem error exprimeret, licèt falsò, mentem Dei. Quod si repugnat diuinæ loquutioni exprimere mentem simulatam Dei, ex hoc fieri repugnare Deo producere illum actum erroris, quia per illum exprimeret falsò, & simulatè suam mentem. Fateor ergo, hunc actum erroris secundo loco adductum, si debito modo repræsentet, repugnare quod à Deo immittatur in intellectu, quia esset loquutio Dei falsa, quod repugnat, quod latius explicabitur *sect. seqq.*

33 Cæterùm, si sermo sit de actu erroris, quo solum iudicem cœlum esse lapideum, v. g. non video; cur repugnet produci à solo Deo, quicquid dicat P. Suarez *disp. 44. Metaph. sect. 13. num. 17.* & P. Granado *in 1. 2. tract. 6. de peccatis disput. vnica sect. 5.* & Salas *2. tom. in 1. 2. tract. 13. disp. 1. sect. 3. num. 33.* & P. Coninch. *dicta disputat. 10. dub. 2.* qui etiam negat id fieri posse, quamuis homo non intelligeret per illum actum à solo Deo productum. Nobiscum tamen sentit Vasquez *in 1. 2. disp 90. n. 11.* Hurtado hîc *disp. 18. sect. 6. subsect. 1.* Ratio autem est, quia in eo casu Deus non mentiretur, nec loqueretur per illum actum: quod autem sit causa erroris, non repugnat, quia error non est malus moraliter, sed physicè, sicut aliæ qualitates, quas Deus causat in homine, licèt sint malæ ipsi homini, imo errorem causat Deus verè & propriè, quando homo per causas secundas naturales, & necessarias decipitur; nam qui causat id ex quo necessario sequitur aliquis effectus, dicitur propriè causare errorem in homine, cur non poterit se solo? in neutro quidem casu error est malum culpæ, sed pœnæ.

34 Dicunt, hoc repugnare cum infinita veritate Dei, sicut cum infinita sanctitate repugnat velle, aut causare peccatum hominis. Sed contrà, quia non repugnat cum infinita vita Dei velle mortem hominis, nec cum infinita scientia Dei velle ignorantiam hominis; ergo nec cum infinita veritate Dei velle errorem hominis, nam sicut per mortem vel ignorantiam nostram Deus non moritur, nec ignorat: ita nec per errorem nostrum

Deus

Deus errat, aut mentitur, vt dixi; in quo apparet differentia erroris à peccato; nam si Deus vellet, vel causaret peccatum, Deus peccaret; omnes enim qui amant iniquitatem, iniqui sunt, & abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt; qui autem causat errorem, non errat, nec mentitur. Dicunt: ille actus esset dedecens naturam humanam, ergo Deus non potest illum velle. Respondeo, ille assensus esset dedecens obiectiuè, & materialiter, non formaliter indecentia morali, cum non esset liber. Potest autem Deus velle in homine aliqua, quæ habeant indecentiam obiectiuam, & materialem, quando hîc & nunc propter inaduertentiam, vel aliam causam non habent malitiam moralem, vt constat in eo, qui ob ignorantiam comedit in die ieiunij, vel polluitur; &c. de quo diximus *in tract. de actibus humanis*.

35 Potest Deus per se solo producere in anima habitum inclinantem ad errorem.

Hinc infero, à fortiori idem dicendum esse de habitu inclinante ad errorem: potest enim Deus se solo illum producere. Imo idem existimo de habitu vitioso: quæ licèt Deus se solo poneret in voluntate, non ideo diceretur esse auctor peccati, vel inclinare ad illud, sicut nec modo dicitur inclinare ad peccatum, licèt dederit appetitum sensitiuum, & licèt per causas naturales excitet tentationes, & concupiscentias illicientes ad peccatum. Deus enim hæc omnia non dat ex animo vt fiat peccatum, sed potius vt vincamus in certamine forti, & vt quo maior est pugna, eò sit glorioſior triumphus: quo etiam animo posset dare habitum vitiosum tribuendo simul vires arbitrio, quibus posset habitui resistere. Vide quæ dixi *disp. 26. de Incarnatione sect. 4.* in quo non possum non mirari, aliquos ita acriter velle, Deum non posse immittere actum erroris in nostrum intellectum, vt consequenter negare voluerint, Deum posse causam esse particularem productionis aut generationis monstri, quia hoc etiam videtur esse error naturæ, sicut & error videtur esse monstrum intellectus præter intentionem naturæ. Ita P. Granado. *in 1. 2. loco supra citato.* Sed vereor, ne hi Auctores, consequenter etiam aliquando negaturi sint, posse Deum vt causam particularem alicui pedem, vel brachium amputare, vel cæcum reddere, cùm non minus sit contra intentionem naturæ hominem vno pede postea carere, quàm si cum vno solùm pede initio generetur; nec minus sit contra eandem naturæ intentionem, quod homo ex debilitate visus corporei vnum pro altero obiecto sibi apparere putet, quam quod in intellectu vnum pro alio intelligat. Et certè ego non inuenio, vt *supra* dixi, differentiam quoad hoc, quando Deus vt causa particularis quidquam facit, ac quando per causas necessarias, quas ipse cum illa determinata virtute fecit, idem producit. Nam sicut dicebamus *sect. præcedenti*, non magis debere Deum verum dicere, quando per se ipsum immediatè loquitur, quam si per alios loquatur, quos ad loquendum deputauit: ita non minus tribuetur Deo effectus, qui sequitur necessario ex causis secundis necessariis à Deo factis quàm qui à solo Deo immediatè fieret, vt indicauit etiam Hurtado *dicta disp. 18. §. 5. 1.*

36 Dissentur.

Hinc autem infero obiter cum eodem Hurtado *ibi §. 62. & sequentibus* contra P. Turrianum *in præsenti disp. 3. dub. 3. §. circa secundam*, non repugnare, quod Deus per aliquem alium, qui non loquatur Dei nomine, faciat aliquem decipi, dummodo ille, per quem decipitur, non peccet in illa deceptione. Nec contrarium docent Valent, *in præsenti q. 1. punct. 3. §. sed dicet aliquis*, & Suar. *in præsenti d. disp. 3. sect. 5. num. 13.* loquuntur enim quando fit medio peccato, & mendacio decipientis. Quando verò fit sine eius peccato, non apparet cur Deus præsertim ob maius bonum decepti, quod sæpè potest interuenire, non possit res ita disponere, vt aliquis fallatur, & ita deceptus alium inculpabiliter decipiat. Expedit enim sæpè ad bonum spirituale alicuius, quod vel non recordetur præcepti, vel inculpabiliter ab alio decipiatur dicente, non esse præceptum, quando reuera est cuius notitia fortasse fuisset ei occasio transgressionis, & peccati. Ad quod probandum affert Hurtado exemplum eius, qui ex errore putat esse diem festum, & hoc ipsum persuadet alteri, vt audiat Missam, ad quem actum persuadendi Deus specialiter mouet, cum sit meritorius. Quod idem est, quando falsò puto aliquem esse pauperem, & hoc ipsum persuadeo amico, vt illi subueniat: qui actus videntur procedere ex imperio charitatis, vel aliarum virtutum.

37 Difficultas.

Tota difficultas remanet, quando Deus infunderet actum erroris, quo homo non solum iudicat tale obiectum, sed simul iudicat, hanc esse Dei mentem: nam ex vno capite videtur illa esse loquutio Dei, cùm repræsentet & obiectum, & mentem Dei, & procedat ab ipso Deo. Ex alio autem capite videtur, quod Deus possit adhuc illum actum erroris producere in intellectu nostro: quia vt dicebamus, parum videtur referre, quod Deus se solo, vel cum causis secundis aliquod signum producat: non enim est de ratione loquutionis, quod fiat à solo loquente; nam homo ipse, quando loquitur, non producit ipse se solo suas voces, sed ad minus simul cum Deo. Et quidem, si esset aliquod instrumentum artificiosè compositum, in quo ad motum aliquarum rotarum, intrante & exeunte aëre per fistulas, formarentur voces similes vocibus humanis, posset homo præsertim mutus, vti instrumento illo, vt loqueretur, & exprimeret suam mentem per illas voces, sicut de facto per sonum cimbali significamus, esse opportunitatem audiendæ Missæ. Posset autem Deus media causa secunda formare in nostro intellectu cognitionem illam, qua homo cognosceret, Cœlum, v. g. esse lapideum, & hoc ipsum esse in mente Dei, nam de facto in primis Deus concurrit cum Dæmone, quando immittit errores homini illuso, & quando persuadet illi, hanc ipsam esse reuelationem Dei, vel quando apparens sub specie Dei, vel Christi formar voces sensibiles significantes errorem, & simul illud esse in mente Dei. Et tamen Deus non loquitur per illas cognitiones, vel voces, ad quarum productionem cum Dæmone concurrit: quia nimirum Deus non ordinat suam mentem ad hominem, neque ea intentione producit eiusmodi signa: ergo licèt Deus se solo ea omnia produceret, posset adhuc non loqui, nec velle ordinare suam mentem ad hominem, & per consequens non teneretur ex veracitate ad impediendum errorem nostrum.

38

Quod item comfirmari potest exemplo adducto instrumenti artificiosi, quo formarentur voces humanæ: nam licèt posset homo vti eo instrumento ad loquendum, & exprimendam suam mentem; non tamen obligaretur ex veracitate ad non vtendum eo instrumento, nisi ad loquendum vera: posset enim recreationis, vel curiosi-

tatis causa mouere rotas illas absque intentione exprimendi suam mentem per voces formandas: & hoc etiamsi per accidens alij deciperentur putantes, eum velle loqui, dum tamen non esset deceptio perniciosa, aut noxia: ergo Deus similiter posset medio instrumento formare voces absque intentione loquendi, & obligatione veracitatis; cur enim minùs id possit Deus quàm homo? si autem media causa secunda necessaria potest formare vocem, quin loquatur, non facilè apparet, cur non possit se solo formare eadem voces in aëre absque intentione loquendi, cum non minus tribuantur Deo effectus producti à causis necessariis, quas Deus ponit, quàm effectus à solo Deo producti.

39 *Pro solutione difficultatis aduertuntur nonnulla.*

Pro solutione huius difficultatis aliqua aduertenda, & explicanda sunt. Primò aduertendum est id, quod dixi, & probaui *disp. 1. sect. 10.* loquutionem, seu vocem, qua aliquis alteri loquitur non solùm debere repræsentare obiectum, & mentem loquentis, sed etiam debere vel formaliter, vel instrumentaliter repræsentare ordinationem mentis loquentis ad audientem; ad quam ordinationem immediatè, & per se repræsentandam vox illa sit, vel ex natura sua, vel saltem ex placito instituta. Sic enim voces humanæ sunt ad placitum institutæ ad omnia hæc exprimenda per se, & non solum per accidens, vel arguitiuè. Voces autem Angelorum, quibus sibi ad inuicem loquuntur, ex natura sua institutæ sunt ad hæc omnia manifestanda: nam in mea sententia sunt actus voluntatis, quibus Angelus formaliter ordinat suam mentem ad alium Angelum, qui actus voluntatis licèt non habeant pro obiecto ipsam ordinationem, alioquin haberent se ipsos pro obiecto, manifestando tamen se ipsos, per speciem, quam Angelus audiens denuò accipit talis volitionis, manifestant ordinationem mentis, quæ non distinguitur ab ipso actu.

40 Secundò aduertendum est, non omnes voces eodem modo repræsentare hanc expressionem, & ordinationem mentis loquentis ad audientem. Nam in primis aliquæ voces ex natura sua, vel ex institutione libera ita sunt alligatæ ad exprimendam eam ordinationem, & expressionem mentis, vt non sit liberum producenti eas voces velle, vel nolle exprimere mentem suam & eam ordinare, sed vel debeat abstinere ab iis vocibus producendis, vel debeat eas producere ad exprimendam, & ordinandam suam mentem. Omitto autem voces Angelicas, nam illæ ex natura, & essentia sua habent, quod exprimant mentem Angeli, & eius ordinationem: sed loquor de vocibus significantibus ad placitum. Tales autem videntur voces humanæ, quas homo immediatè coram aliis profert eo modo quo proferri solent, quando ad eos diriguntur, non enim potest homo pro suo libito proferre illas voces, & nolle loqui, sed vel debet in iis circumstantiis abstinere, vel proferre illas in vera significatione, alioquin peccat contra veracitatem, vt *sup.* diximus. Talis etiam est scriptura propria manu facta, & ad aliquem directa, & transmissa. Talis denique est nuncius ad aliquem à te missus cum mandato aliquid Petro dicendi: non enim potes pro libito nuntium ita mittere, & nolle loqui, sed veracitas obligat ad non nisi veram mentem exprimendam per eiusmodi nuntium.

41 Alia tamen sunt signa, seu voces non ita alligatæ, sed quibus possit, qui ea ponit velle loqui, & exprimere & ordinare suam mentem; & tunc ex veracitate debet non nisi veram mentem exprimere: potest tamen aliquis eadem signa ponere sine animo loquendi, vel exprimendi suam mentem: & tunc non peccat contra veracitatem, nec mentitur, quamuis aliud habeat in mente ab eo, quod signa illa videntur significare. Tales videntur mihi futuræ voces, quæ in instrumento illo artificioso formarentur: quæ quamuis ex se essent aptæ, vt aliquis eas poneret ad exprimendam suam mentem, & eius ordinationem, si vellet per eas loqui; non tamen videntur ex natura sua, vel ex institutione alligatæ, ita vt non possint licitè poni, nisi ex intentione loquendi: quare non esset contra veracitatem, si aliquis absque eiusmodi intentione eas poneret, licet per accidens audientes decipierentur, putantes eum velle loqui, & exprimere suam mentem. Veracitas enim non obligat, nisi in iis signis, quæ determinatè instituta sunt ad hunc finem: quia in iis solis esset contra humanum commercium abusus ad alium finem, cum homines non possent suspicari, quod voces non essent positæ ad loquendum; & sic quin nunquam possent credere loquenti, cum semper formidare merito possent, an voces positæ sint solùm materialiter, & non ad loquendum: illis verò aliis signis cessat hæc ratio, si audientes decipiuntur, à se ipsis decipiuntur; cùm neque ex natura sua, neque ex institutione alligata necessariò sint ad eum finem, sed inueniantur etiam indifferenter ad alios fines. Talem etiam puto esse campanæ, seu cimbali sonum: nam licèt homines voluerint eo signo indicare tempus audiendæ, v.g. Missæ, nunquam tamen se obligarunt ad non pulsandas campanas nisi ad eum finem: ideo hostes non mentiuntur in rigore, quando ad conspectum classis inimicæ explodunt bombardam, sicut solent explodere amici in signum lætitiæ, & salutationis honorificæ: quia licèt signum illud vsurpari soleat ad id significandum; semper tamen retinet suam indifferentiam, vt possit absque ea intentione, sed propter fines alios bombarda explodi.

Tertiò aduertendum videtur, voces, licèt omnes significent, vel repræsentent ordinationem mentis loquentis; non tamen omnes eodem modo eam repræsentare. Aliquæ enim solum repræsentant eam in genere, hoc est, ordinationem mentis illius, quicumque ille sit, qui eas profert. Tales sunt voces humanæ, quæ licèt determinatè significent tale obiectum; non tamen repræsentant determinatè mentem talis proferentis. Vnde voces istæ determinatè, & certò repræsentant tale obiectum, ad quod significandum sunt institutæ: certos etiam nos reddunt de ordinatione mentis illius, qui eas protulit, non tamen huius in particulari, quia vel loquentem fortasse non videmus, sed solum voces percipimus, vel vnus homo alteri similis est in voce & in vultu, quare non facilè discernimus, vter illorum sit, qui loquitur. Quare certò nobis & determinatè vox repræsentauit tale obiectum, & ordinationem mentis in genere illius, qui eam protulit, non tamen certò, sed solum probabiliter nobis repræsentat, qui sit, qui mentem suam ad nos ordinet per talem vocem. Aliæ autem sunt voces, quæ omnino determinatè repræsentant etiam, cuius sint: tales sunt voces Angelicæ, quas Angeli audientes, determinatè, & certissimè cognoscunt, quorum sint, quia percipiunt talem actum voluntatis

tatis in individuo, quo Michaël ordinat mentem suam ad illos, atque ideo ita clarè cognoscunt, illam esse vocem Michaëlis, vt non credam posse vnum Angelum imitari vocem alterius, vt possit Angelum audientem decipere, sicut homo aliquando imitatur vocem, vel scripturam alicuius, vt alios decipiat. Nam Angelus perfectissimè discernit vocem, & ordinationem vnius à voce, & ordinatione alterius.

43 Deus potest cum hominibus loqui per voces internas tales, quas dæmon imitari non possit ad decipiendum hominem.

Vnde puto etiam, Deum posse cum hominibus loqui per voces internas tales, quas dæmon imitari non possit ad decipiendum hominem; sicut enim Angelus habet vocem talem ad alios Angelos, quam alij imitari non possint, & quæ distinctè manifestet, cuius sit; cur deneganda est Deo talis vox, & adeo Dei propria, quam Dæmon imitari non possit, & quæ certò manifestet, & repræsentet, cuius sit illa vox, nempe Dei: de facto quidem imitari valet voces, quibus Deus regulariter hominibus loquitur quæ vel sunt voces externæ, & sensibiles; vel si sunt solùm internæ, non ostendunt distinctè, & clarè, cuius sint, sed ideo qui eas interius percipit, putat esse Dei quia vel simul apparet interius imago aliqua Dei vel Christi formantis illas voces internas, sicut quando video Petrum proferentem voces, credo illas esse Petri, licet ipsæ Voces in se id non repræsentent; vel intelligit ex subiecta materia, & sensu verborum, Christum, vel Deum esse, qui loquitur: sicut quando aliquis mihi dicit, ego sum Petri pater, de quo audisti tuum amicum, ego ex sensu verborum intelligo, illas voces formari à patre Petri, licet voces ipsæ in sua entitate non ostendant, cuius sint. Quæ omnia imitari potest suo modo Dæmon, & fingere, se esse Christum, vel Deum loquentem exterius, vel etiam interius. Possent tamen aliquæ voces ita esse Dei propriæ, quas imitari non possit, & per quas qui eas percipit, certificetur, illas esse voces Dei: sicut Gabriel audiens Michaëlem certificatur de voce illa, quod sit Michaëlis, nec alius Angelus eam imitari potest.

44 Fateor denique, esse voces aliquas quasi medias inter vtrasque, quæ licet non ostendant omnino inimitabiliter, cuius sint; sunt tamen ita propriæ loquentis, vt difficillimè alius eas imitari possit. Qualis est vox aliqua ita propria Petri, vt licèt Petrus non videatur, cognoscatur statim ex voce. Ideo enim Isaac, licèt cæcus esset, cognouit statim, vocem non esse Esau, sed Iacob, qui fratris vocem imitari non potuerat. Vnde aliqui sancti etiam in hac vita discernere solent statim reuelationes internas Dei, ab eis, quæ fiunt à dæmone, qui non potest modum illum proprium loquendi Dei semper imitari, itavt ab aliquibus saltem magis illuminatis non dignoscatur.

45 Dissimulatur ea propositam difficultatem.

His itaque suppositis, & animaduersis, ad difficultatem supra propositam respondeo admittendo, posse Deum infundere actum erroris, quo homo & iudicet, cælum esse lapideum, & hoc esse in mente Dei: quia adhuc non loqueretur, nec testificaretur Deus; eo quod actus ille, neque ex natura sua, neque ex institutione repræsentaret immediatè, Deum ordinare suam mentem ad eum, qui ita erraret, quæ ordinatio, & repræsentatio illius est de ratione essentiali omnis loquutionis: non ergo mentiretur Deus, aut falsum loqueretur infundendo eiusmodi errorē, siue id faceret per se, siue per causas secundas. Non tamen posset infundere illum actum erroris, quando esset talis, vt vel ex natura sua, vel ex institutione repræsentaret determinatè, & immediatè ordinationem mentis Dei ad accipientem notitiam illam. Quid autem addat ordinatio hæc mentis supra iudicium illud, vel supra vocem: dicendum est, aliquando esse aliquid voci intrinsecum. Nam in voce, qua vnus Angelus loquitur alteri, non est denominatio extrinseca, sed essentia talis vocis, quod sit vox, & loquutio Angeli; quia est ipsamet voluntas actualis, qua Angelus loquens ordinat notitiam suam de tali obiecto ad Angelum audientem, vt explicui in tract. de Angelis. Potest etiam vox Dei interna ad homines esse talis, vt ex sua entitate intrinseca procedat à Deo ex hoc fine, vt homo cognoscat eius mentem: quare per se ipsam intrinsecè, & essentialiter erit vox, & loquutio Dei. Aliquando verò hoc ipsum erit extrinsecum in ipsa voce, quæ de se indifferens est, secundùm suam entitatem, vt ponatur, ex illa intentione manifestandi mentem vel non ponatur. Tales sunt voces humanæ, in quibus significare, & repræsentare ordinationem mentis est denominatio extrinseca ab institutione libera hominum; qua tamen institutione posita, iam exigunt non proferri in talibus circumstantiis, & cum tali directione ad audientem, nisi ex intentione ordinandi mentem ad audientem. Tales etiam essent voces illæ formatæ ab instrumento artificioso, de quibus *supra* dicebamus, & quibus posset homo vti ad loquendum, & communicandam suam mentem, & posset etiam non ad hunc, sed ad alios fines eas ponere: quare per meram denominationem extrinsecam complerentur in ratione loquutionis, nempe ex eo, quòd ponerentur cum tali intentione, & ad eum finem.

Dices, quando Deus infunderet iudicium erroneum, quo homo crederet cœlum esse lapideū, & hoc esse in mente Dei, infunderet quidem illud ordinando mentem suam ad illum hominē. Quid enim est ordinare mentem meam ad aliquem, nisi velle, quod ille concipiat, me habere tale obiectum in mente? & hoc quidem siue illud reuera habeam in mente siue non habeam: nam Angelus decipiens alium Angelum ordinaret etiā mentem suam ad illum per voluntatem, qua vult, vt audiens concipiat, se tale obiectum habere in mente. Deus autem infundens illum actum erroris, eo ipso vult communicari subiecto effectum formalem illius actus: idem enim est velle infundere formam subiecto, ac velle, quod subiecto communicetur effectus formalis talis formæ: ergo Deus volens infundere iudicium illud erroneum intellectui vult, quod intellectus iudicet, esse in mente Dei cœlum lapideum: ergo non potest Deus velle infūdere tale iudicium, quin velit dare homini notitiam mentis, quam Deus non habet, & per consequens Deus loqueretur & affirmaret aliquid falsum. 46

Respondeo, Deum eo casu non loqui, nec ordinare suam mentem ad alium: quando enim dicimus, loquutionem exigere, vel includere ordinationem mentis loquentis ad audientem, non id intelligimus de quacumque voluntate, qua loquens velit ab audiente quocumque modo concipi suam mentem. Alioquin quando Deus infūderet alicui habitum Metaphysicæ, loqueretur illi, quia Metaphysica affert notitiam etiam infinitæ perfectionis Dei, & per consequens scientię 47

infinitæ

infinitæ Dei, quæ pertinet etiam ad infinitam perfectionem: sed debet intelligi de ordinatione mentis, quam ipsa vox immediatè & per se repræsentet, vt ibi indicauimus. Quamuis ergo, qui videret iudiciũ illud erroneum in intellectu, posset arguitiuè colligere, Deum voluisse effectum formalem illius intellectui communicari: hanc tamen voluntatem Dei non repræsentaret immediatè & per se ipsum iudicium erroneum, sed aliunde per consequentias posset id colligi. Quod idem est de notitia metaphysica à Deo infusa circa scientiam infinitam Dei, quæ etiam notitia non esset loquutio Dei propter eandem defectum. Addo, debere voce ita repræsentari hanc ordinationem loquentis, vt specialiter repræsentetur, & non solùm in communi: nam licet Deus infunderet alicui notitiam, qua cognosceret Deũ habere infinitam scientiam rerum omnium, & simul fieri ex Dei voluntate quæcunque fiunt, adhuc non diceretur Deus loqui: quia licet in illa notitia cõmuni voluntatis Dei circa omnia, quæ fiunt includeretur etiam voluntas, qua Deus vult dare hanc eandem notitiam; illa tamen vniuersalitas confusa non videtur sufficere ad loquutionem, quia tunc etiam non immediatè repræsentaret illa notitia ordinationem mentis diuinæ ad hominem, sed mediatè, quatenus ex illa vniuersali posset inferri, quod hæc etiam notitia mẽtis Dei data sit ex Dei voluntate: loquutio autem debet, vt diximus, vel ex sua natura, vel ex institutione repræsentare immediatè, & per se mentem loquentis, & ordinationem talis mentis ad audientem.

48 *Inferuntur nonnulla.*

Vnde iam inferri potest primò, posse Deum producere voces illas, quæ in artificioso illo instrumento formarentur, medio illo instrumento, quin per illas voces loqueretur, aut deberet verum affirmare, sicut etiam diximus posse hominem id facere, quin loquatur: quia voces illæ taliter formatæ indifferentes sunt, vt significent mentem producentis, vel non significent, quare deficiente ordinatione propriæ, mentis ad alium per illas voces, non sunt completæ in ratione loquutionis. Aliter dicẽdum est de vocibus, quas Deus ipse solus immediatè formaret, sicut formari solent ab homine, & in iis circumstantiis, in quibus determinatè ex sua institutione significant ordinationem mentis ad audientem, quod idem est de scriptura, nuntio, & aliis signis similibus. Quæ quidem signa, licet non sint loquutio formalis, & sine qua essent loquutio solùm materialis; sed tamen propter determinatam institutionem, & repræsentationem, quam habent, obligant, vt *supra* diximus, ex virtute veracitatis, vt non vsurpentur etiam materialiter, quando repræsentant obiectum falsum, seu contra mentem vsurpantis, quia si id liceret, peruerteretur conuictus, & commercium humanum, vt *sup.* explicuimus. Quæ ratio, cum procedat etiam in Deo qui multò magis debet esse summa fide dignus in vocibus, & signis, quæ vsurpat; consequens est, vt nec Deus possit ea signa etiam sine intentione loquendi vsurpare, quando obiectum, quod ex se significant, non esset verum.

49 *Quid dicendum sit, quãdo Deus cum causa secunda vel media causa produ-*

Infero secundò, vt omnino respondeatur difficultati propositæ, cum suis confirmationibus quid dicendum sit quando Deus cum causa secunda, vel media causa producit voces, vel alia signa falsa. Et in primis, si causa illa secunda sit nuntius deputatus à Deo, vt proponat aliis, quæ ab ipso accepit; certum est, Deum loqui mediatè per illum, atque ideo ex infinita sua veracitate obligari ad loquendum vera etiam per nuntium, vt constat ex dictis. Si verò causa secunda non sit nuntius à Deo deputatus, imo sit natura intellectualis, quæ de suo loquitur nomine proprio, v. g. quando Deus concurrit cum Dæmone vel homine mentiente, certum est etiam Deum tunc non loqui per voces illas, ad quas concurrit, atque ideo non teneri ex veracitate sua ad negandum concursum, quando voces significant falsum. Ratio autem ex dictis est, quia voces illæ prolatæ à Dæmone, vel homine nullo modo neque ex natura sua, neque ex institutione aptæ sunt ad repræsentandam ordinationem mentis Dei in audientem, cum solùm institutæ ad repræsentandam ordinationem mentis Dæmonis ipsius, vel hominis qui illas specialiter profert: non ergo loquitur, nec potest Deus loqui per illas nisi id specialiter alio modo significet, atque adeo non erit mendax, quamuis voces ipsæ mendacium, vel falsitatem contineant. Quando verò voces non formarentur à Dæmone, vel homine loquente, sed ab alia causa irrationali: distinguendum puto; nam si causa illa secunda sit naturalis, & cui Deus vt auctor naturæ debeat concursum ad voces illas formãdas, Deus nec loquitur per voces illas, nec etiam loqui potest, nisi saltem specialiter significet, se assumere voces illas ad loquendum. Vnde si esset aliquis locus ita formatus à natura, vt per ingressum aëris, vel solis, &c. vel aliter formarentur in eo voces, Deus concurrens ad voces illas concursu generali nullo modo loquitur per illas, quia illæ voces in iis circumstantiis non sunt aptæ ad repræsentandam ordinationem mentis Dei ad audientes. Sicut quando Deus concurrit cum Psittaco ad formandas voces, quas didicit, non loquitur per illas nec ordinat suam mentem ad audientes, sed concurrit ad effectum illum, sicut cum igne ad calefaciendum, & cum sole illuminandum, &c. Si verò causæ illi non debeatur concursus Dei ad illum effectum, sed Deus specialiter ex se concurrat, vt si cum Psittaco, qui voces non didicit concurrat ad formandas voces significantes: credò posse Deum loqui per voces illas, provt loquutus videtur per voces formatas ab Asina Balaam, atque ita de facto loquitur Dæmon per voces, quas formari facit ab homine obsesso, & loquutus est per voces formatas à serpente, vt constat quia iam tunc illa specialis motio, & concursus ad formandas voces illas sufficienter significare potest ordinationem mentis illius, qui ita specialiter eas format. Addo tamen, non videri necessarium, quod Deus formans illas voces etiam specialiter, censeatur semper velle loqui per illas: sicut supra dicebamus, eum, qui specialiter moueret totam instrumenti artificiosi, vt in eo formarentur aliquæ voces, non semper censeri velle loqui per illas, nec obligari ad hoc, vt significent veram eius mentem, quod idem est de eo, qui doceret Psittacum formare voces aliquas, quamuis & hic etiam possit velle loqui, & exprimere suum sensum per illas, prout faciebant illi, qui percocet auium salutabant Imperatorem illis vocibus *Aue inuictissime Cæsar*: ita posset Deus formare illas voces in causa inanimata, vel in bruto ob alios fines, v.g. ad ostendendam suam artem, vel potentiam, & non ad loquendum per illas. Dixi tamen, *non semper* debere Deum loqui per illas voces

voces sic mirabiliter à se formatas ; quia aliquando, & in aliquibus circumstantiis specialis illa motio Dei posset sufficienter , & determinatè significare audientibus loquutionem Dei,& manifestationem suæ mentis, v. g. si exprimerent personam Dei loquentis , provt Dæmon per voces serpentis sufficienter significabat, se loqui per illas;& in obsessis regulariter ostendit sufficienter, se loqui,& non ipsum hominem,cùm respondeat interrogatus de rebus propriis pertinentibus ad ipsum Dæmonem , & dicat , ego intraui in hoc corpus tali occasione, &c. Totum enim hoc pendet ex circumstantiis specialibus , quæ possunt determinare voces ad significandam talem ordinationem mentis illius, qui specialiter concurrit ad tales voces formandas. Et hæc dicta sint pro solutione illius secundæ obiectionis propositæ de actu erroris, quem Deus infundere potest.

51 Obiectio 3. Tertiò principaliter obiicitur , quia si Deus non posset mentiri , vel loqui falsum , non esset omnipotens : daretur enim aliquod ens finitum quod Deus non posset producere , nempe voces significantes falsum , quæ quidem sunt aliquod ens reale possibile,& tamen improducibile à Deo. Ad hoc bene respondet Hurtado *dicta disp.* 18. §.65. & 66. nullum esse ens creabile, quod Deus ponere non possit saltem concursu generali , & materialiter, provt sunt à Deo actiones peccaminosæ nostræ. Deinde tota substantia illius vocis potuit poni à solo Deo , si vel vox illa non esset imposita ad significandum ; vel esset imposita ad aliud significandum ; vel si hoc obiectum non esset falsum, sed verum ; vel si Deus protestetur, se non velle loqui per illas voces , sed producere eas materialiter. Quod autem Deus non possit producere se solo eas voces , quando in his circumstantiis determinatè significarent Deum loquentem per illas , & obiectum esse falsum , non est inconueniens : quia aliqua entium complexa sunt, quæ Deus ponere non potest, nempe reuelationem de vita Petri duratura per totum diem crastinum , & mortem crastinam Petri. Item posita in Petro aduertentia ad prohibitionem , non potest Deus velle determinatè eius consensum liberum ad esum carnium prohibitū,& sic de aliis.

52 Vrgeri tamen potest difficultas in iis loquutionibus Dei, quæ per suam entitatem intrinsecam repræsentarent ordinationem mentis diuinæ ad audientem, quales diximus posse esse aliquas voces internas Dei , sicut etiam sunt voces Angeli loquentis ad Angelum : has verò voces de obiecto falso in nullo casu posset Deus per se , vel per alium producere. Ad hoc tamen dici posset, has etiam voces potuisse fieri à Deo , quando obiectum non fuisset falsum, sed verum , quod sufficit ad hoc, vt in Deo sit potentia simpliciter ad illas voces , licèt non possit eas coniungere cum falsitate obiecti. Sed adhuc vrgeri potest de illis vocibus internis , quæ repræsentarent obiectum falsum impossibile, v.g. esse in Deo quatuor Personas. De his itaque fatendum est, non esse in Deo potentiam simpliciter,& absolutè ad illas ponendas: neque in hoc est inconueniens , quia in Deo non est potentia vlla ad creandam chimeram , vel aliquid aliud implicans contradictionem, quales essent voces illæ,quæ repræsentarent essentialiter obiectum falsum,& aliunde essent essentialiter voces Dei summè veracis id testificantis : in quo conceptu non minus, quam in chimera, inuoluuntur duo contradictoria.

Quartò obiicitur, quia adhuc, postquam Deus reuelauit , se aliquid factum , manet in Deo potentia ad faciendum contrarium, ergo potest non sequi effectus reuelatus,quo non sequuto, reuelatio erit falsa. 53 Obiectio 4.

Respondetur facilè, in Deo manere potentiam simpliciter ad faciendum contrarium, neque eam potentiam amitti; non tamen manere potentiam, imò nec vnquam fuisse in Deo , ad coniungendum oppositum cum reuelatione semel facta; esset enim potentia ad coniungenda duo contradictoria. Sicut Deus reuelans aliquid habet potentiam ad non reuelandum hoc , sed oppositum, quam potentiam nunquam perdit ; non tamen potest coniungere negationem reuelationis cum reuelatione. Aduertit autem benè Hurtado vbi *supra* §.71. etiamsi in Deo esset mutabilitas consilij , & posset ex suppositione , quod semel efficaciter, & absolutè decreuit aliquid facere, mutare adhuc postea consilium,& velle contrarium; adhuc non sequi locum intrinsecum, quod posset Deus reuelare falsum : quia adhuc retineret scientiam infallibilem futurorum : quare etiamsi prius decerneret absolutè cras occidere Petrum,si tamen postea , mutato consilio , cum non esset occisurus , semper præsciuisset , Petrum cras non esse occidendum, non obstante decreto præsenti, de eius occisione crastina. Sicut etiam S. Petrus decretum absolutum habebat præsens in cœna non negandi Christum ; & tamen Christo reuelante negationem futuram, poterat simul eam futuram credere,& se ab illo decreto per inconstantiam recessurum.

Quintò obiiciuntur plura ad probandum, mendacium , vel testificationem falsi non esse ita malam, vt non possit aliquando esse licita saltem in Deo, qui nullis legibus tenetur. De hoc tamen dicemus *sect. seq.*

SECTIO IV.

Vtrum reuelatio falsa ex malitia eius intrinseca reddatur impossibilis Deo.

54 QVi dicunt, Deum saltem de potentia absoluta posse reuelare falsum , consequenter docent, reuelationem falsi non esse ita intrinsecè malam vt non possit saltem in Deo aliquando esse licita. Omitto autem argumenta , quibus ex Scriptura probare contendunt, Deum aliquando falsum dixisse,vel id approbasse in aliis mentientibus. Hæc enim omnia, vt dixi, spectant ad Scripturæ interpretes , qui explicant verum Scripturæ sensum , eamque & Deum ipsum ab hac calumnia defendunt. Præcipuum ergo fundamentum desumunt ex eo, quod in assertione falsa non apparet tanta , & tam essentialis malitia , vt non possit vel ex Dei dispensatione , vel ex necessitate , & causa occurrente reddi aliquando licita, in qua sententia fuit proculdubio Cassianus *in Collat.* 2. *Abbatis Ioseph. à cap.* 15. *vsque ad* 25. quem immerito excusat Hurtado *disp.* 18. §. 1. dicens , loqui solùm de æquiuocatione , vel amphibologia. Tota autem vis eorum fundamenti, & rationis videtur reduci ad hoc , quod alia præcepta etiam legis naturalis possunt non obligare, vel ob necessitatem , vel ob dispensationem Dei aut eius præceptum : sic enim præceptum non occidendi

occidendi non obligauit Abrahamum, ne occideret filium iubente Deo. Præceptum non furandi cessat in casu necessitatis, vel ex Dei permissione, ex qua Hebræi acceperunt vasa pretiosa Ægyptiorum. Præceptum non infamandi proximũ non obligat, quando ita expedit ad bonum publicum: sicut etiam præceptum seruandi secretum non obligat in aliquibus circumstantiis, & sic de aliis. Cur ergo præceptum non mentiendi non habebit etiam aliquas exceptiones, v. g. intercedente necessitate publica, vel priuata maxima, ad quam superandam necessarium sit mendacium officiosum, vel certè non perniciosum, vel saltem accedente permissione Dei.

55 Nec videtur omnino satisfacere, quod aliqui communiter dicunt, Deum nunquam dispensare in præceptis naturalibus, sed solum per mutationem materiæ cessare obligationem, v. g. Præceptum non est non occidendi, sed solum non occidendi auctoritate priuata, & sine necessitate defensionis contra aggressorem iniustum: quare Deus non dispensauit cum Abrahamo in prohibitione homicidij, sed dedit illi auctoritatem publicam suam: Deus quippe est Dominus vitæ nostræ, & potest licitè occidere, atque ideo fecit, quod occisio illa non esset auctoritate priuata, & consequenter nec homicidium, sed occisio iusta. Sicut nec cum Hebræis dispensauit, vt possent furari, sed fecit illos dominos illorum bonorum, atque ideo non furabantur, sed accipiebant res suas: & sic in aliis exemplis, in quibus mutatis circumstantiis, non manet materia prohibita, sed alia diuersa. Mendacium autem in quibuslibet circumstantiis manet mendacium, seu assertio falsa contra mentem, in quo consistit tota malitia obiectiua mendacij, qua manente, repugnat esse licitum.

56 *Cur assertio falsa contra mentem in aliquibus circumstantiis non possit fieri licita.*

Hoc, inquam, non videtur satisfacere. Primò, quia hæc videtur esse petitio principij: hoc enim ipsum est, quod petitur, cur, sicut occisio hominis, infamatio, acceptio rei alienæ, & similia, in aliquibus circumstantiis possunt fieri licita, itavt non intelligantur prohibita in illis circumstantiis, sed in aliis; sic etiam assertio falsa contra mentem non possit in aliquibus circumstantiis fieri licita, itavt prohibitio non sit de omni assertione falsa, sed de mendacio, hoc est, de assertione falsa sine necessitate, & sine talibus circumstantiis, quibus adiunctis, iam mutabitur materia in aliam, quæ nunquam fuerat comprehensa sub prohibitione legis naturalis.

57 Ad hoc responderi posset, aliquas esse materias, quas oportuit prohiberi vniuersaliter absque vlla exceptione, quia quæcunque exceptio apponeretur, non cessarent inconuenientia; provt dici solet de pollutione procurata, quæ in nullis prorsus circumstantiis, vel necessitate potest esse licita; & de reuelatione sigilli confessionis id latius explicuimus *disp. 24. de pœnit. sect. 1. n. 8.* vbi reddidimus rationem: quia si in aliquibus circumstantiis esset licita propter maximam aliquam causam vel necessitatem, hoc solùm sufficeret ad reddendam semper difficilem confessionem sacramentalem, timentibus pœnitentibus, ne occurrente, vel apprehenso à Confessario casu illo, reuelarentur eorum peccata: quare ad obuiandum huic malo necesse erat absque vlla prorsus exceptione prohibere reuelationem confessionis: nec æquiualet malum illud rarum, cui obuiaretur reuelata confessione, malo perpetuo & detrimento continuo ex difficultate confessionis, si exciperetur casus ille à prohibitione. Sic ergo dici potest de mẽdacio, adeo enim sunt proni homines, etiam stante prohibitione vniuersali mendacij, ad mentiendum, vt si in aliquo casu esset licitum, frequenter persuaderent sibi casum illum adesse, & semper formidarent auditores de veritate loquentis, ne fortè sub aliqua excusatione licitè tunc loqueretur falsum, vnde cessaret magna ex parte fides humana, & per consequens commercium, & conuictus, qui in ea fide fundatur: quare oportuit vniuersaliter, & absque vlla prorsus exceptione loquutionem falsam prohiberi, quia alioquin non impediretur hæc inconuenientia, quæ grauiora sunt, & maioris ponderis, quam vtilitas ex eo quod in aliquo raro casu mendacium liceret, & ideo Alexand. 3. in *cap. super eo de vsuris*, definiuit, etiam pro tuenda vita alicuius non esse licitum mendacium, vt omnem necessitatis casum excluderet.

Cæterùm adhuc ex hoc ipso videtur argui posse, & redire difficultas: quia cùm ratio prohibendi vniuersaliter mendacium sit bonum publicum humanæ Reipublicæ, cuius pax, fides, & commercium impediretur, si mendacium in aliquo casu liceret, consequens esse videtur, vt Deus, qui Dominus est totius humanæ Reipublicæ, & qui pro suo libito potest totum Reipublicæ creatæ bonum impedire, sicut & pro libito potest eã totam destruere, & annihilare, possit etiam facultatem mentiendi dare, ex qua mala illa in Republica sequerentur. Quia sicut ex occisione muta à singulis pro libito facta innumera mala sequerentur, si licita esset; & tamen quia Deus potest liberè disponere de omnium vita, potest alicui concedere, & præcipere vt omnes alios occidat: sic idem Deus, qui potest de Reipublicæ pace pro libito disponere, eiusque commercium impedire poterit, si velit, vel permittere, & præcipere alicui, quod mentiatur, etiamsi ea mala in Republica sequutura sint. Iam enim tunc maius bonum esset, quod ex mendacio sequeretur, nempe libitum Dei fieri, quod solùm, (cùm supremus Princeps, & Dominus despoticus sit) præponderat omni commodo, & paci creaturarum, quas pro solo suo libito potest destruere, & malis omnibus afficere. Ad quod confirmandum afferri solet *cap. gaudemus, de diuortiis*, vbi Innocent. III. videtur excusare Iacobum à mendacio propter Dei dispensationem.

58 Ab hac difficultate, quod attinet ad præsentem quæstionẽ facilius puto posse nos expedire: nam quæstio propria nostra præsens non est, an Deus possit dispensare cum homine aliquando vt mentiatur vel falsum affirmet; quæ quidem quæstio pertinet magis ad primam secundæ in tract. de legibus, vel secundam secundæ in quæstione de mendacio. Quæstio autem nostra est de solo Deo, an ipse Deus aliquando possit licitè mentiri, vel fallere, & falsum reuelare: & ad infallibilitatem fidei diuinæ sufficit, quod Deus fallere non possit, nec falsum testificari, etiamsi homines ex dispensatione Dei id possent licitè facere. Et quidem, licet aliquis concederet, homines aliquando id posse licitè facere, vel ob necessitatem, vel ex Dei dispensatione, non posset id de Deo concedi, in quo, vt Plato supra adductus monuit, non posset locum habere excusatio illa necessitatis; cùm Deus facillimè posset absque mendacio omnia pericula, & inconuenien-

tia

tia impedire. Neque etiam licèt Deus posset cum aliis dispensare, vt mentiretur, posset ipse licitè mentiri. Sunt enim aliqua, quæ ex præcepto, vel dispensatione Dei possunt homines agere erga alios homines, non tamen erga ipsum Deum, verbi gratia, potest Deus præcipere homini, vt contumeliis vexet alium hominem, cùm Dominus sit Deus honoris nostri, eumque per se, vel per alios possit nobis auferre; non tamen posset Deus dispensare, aut præcipere, vt contumelias in ipsum Deum proferremus eum inhonorando, quæ quidem semper essent blasphemiæ turpissimę. Posset item Deus præcipere alicui, vt stultum, vel insanum se fingeret, vt contemptibilis apud alios esset: non tamen posset Deus ipse ad eundem finem se fingere stultum vel insanum: esset enim imperfectio contra infinitam maiestatem, & dignitatem Dei, si posset talem vnquam actionem exercere, ob quam meritò posset stultus, vel insanus æstimari: quod tamen non est contra dignitatem hominis, cùm ex natura sua possit sæpè tales actiones exercere. Similiter ergo, licèt concederetur, quod homo ex præcepto, vel dispensatione Dei posset aliquando falsum testificari; quia totum damnum, quod inde sequeretur esset solùm contra fidem, & existimationem humanam, & contra hominum conuictum, & commercium, quorum omnium Deus est Dominus, & potest bona illa auferre: non tamen deberet, aut posset concedi, quod Deus ipse posset mentiri, vel fallere, ex hoc enim possibili sequereretur imperfectio maxima in ipso Deo, nimirum defectus summæ auctoritatis in testificando; possent enim homines formidare semper de veritate diuinæ testificationis, cùm fallere posset. Quare cùm non possit Deus auferre sibi suas perfectiones, licèt possit auferre nostras; consequens est, vt nec possit id facere vnquam, ex cuius possibilitate argueretur defectus alicuius perfectionis simpliciter simplicis in ipso Deo; qualis est summa auctoritas in testificando, & esse summè fide dignum in suis dictis, quæ perfectiones non subsunt libero dominio Dei, sicut subsunt nostræ: hoc enim ipsum liberum dominium erga suas perfectiones esset maxima imperfectio, cùm esset defectibilitas ab infinita perfectione.

60 Dixi, infallibilitatem Dei & eius impotentiam ad mentiendum, vel dicendum falsum non pendere ab eo, quod homo possit, vel non possit ex dispensatione vel præcepto Dei mentiri, vel falsum testificari: non tamen ideo concedo, posse Deum id homini præcipere, vel in hoc dispensare: video enim posse hanc rationem extendi etiam ad homines, ad quorum naturæ perfectionem spectare videtur non solùm non mentiri, sed etiam non posse licitè mentiri, vel falsum vnquam testificari, Si enim id in aliquo casu possent licitè facere, iam ex hoc capite deficeret in radice fides humana. Quia hoc ipsum scire, illum, qui mihi loquitur, posse aliquando licitè mentiri & falsum dicere, & posse licite id procurare, ac petere à Deo dispensationem, vt licitè mentiretur, non parum derogaret fidei humanæ, cùm possemus formidare, ne vel ille, qui loquitur s obtinuisset fortasse, vel saltem imaginaretur sibi datam dispensationem in hoc casu, quam sæpe Dæmon fingens se Deum hominibus concederet, nec ex hac concessione possemus agnoscere Dæmonis fallaciam, & illusionem, sicut modo possumus facilè agnoscere, cùm sciamus ex Scriptura, Dæmonem esse patrem mendacij, & omne mendacium à Dæmone esse, & non à Deo, qui solùm amat veritatem. Pertinet ergo ad ipsam naturam rationalem, & eius dignitatem hæc totalis, & vniuersalis impotentia licitè mentiendi, vel falsum testificandi, vt possit esse integra fides mutua inter homines, atque adeo, quod Deus non possit in hoc cum homine dispensare. Quare licèt Deus possit naturam humanam destruere, & eius perfectiones, non tamen potest illam condere sine sua perfectione essentiali, & radicali, ad quam spectat hæc vniuersalis impotentia falsum licitè testificandi. Neque etiam obstat Innoc. III. *supra* adductus *in cap. gaudemus de diuortiis*: ibi enim non dicit Deum dispensasse cum Iacob vt mentiretur, sed propter Dei reuelationem illi factam, fuisse excusatum. Verba Pontificis sunt hæc: *Neque vlli vnquam licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob à mendacio, Israelitæ à furto, & Sanson ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alij viri iusti, qui plures leguntur habuisse vxores ab adulterio excusantur.* Quorum verborum sensus non est quod Deus dispensauerit in mendacio, sed quod per suam reuelationem mutauerit materiam, reuelando nimirum, quod Iacobo debeatur primogenitura, fecit, quòd verba illa, *Ego sum primogenitus tuus Esau*, &c. in aliquo vero sensu proferri potuerint sine mendacio, sicut etiam in exemplis ibi à Pontifice adductis reuelatio, & non dispensatio intercessit. Sic enim Deus non dispensauit cum Israelitis, vt furarentur, sed dedit eis dominium eorum bonorum, nec dispensauit cum Sansone, vt occideret se propria auctoritate, sed constituit eum ministrum suum ad eam actionem; sic ergo non dispensatio Dei, sed reuelatio, qua mutata fuit materia, excusauit Iacobum à mendacio. Quia tamen non oportet quæstiones confundere, & quia infallibilitas Dei, & impotentia mentiendi non pendet ab eo, quod homo possit, vel non possit ex dispensatione Dei aliquando falsum loqui; non est necesse de homine id nunc ex professo probare, sed solùm ostendere, quomodo in Deo id repugnet, etiamsi homini non repugnaret: quod solùm sufficit, & requiritur ad infallibilitatem diuini testimonij.

Pertinet ad ipsam naturam rationalem, & eius dignitatem vniuersalis impotentia licitè mentiendi.

SECTIO V.

An possit Deus amphibologicè loqui, & an ex hoc capite deficiat eius infallibilitas.

HOc est aliud argumentum, quo vti possunt, 61
qui dicebant Deum saltem de potentia absoluta posse fallere: quia omnia inconuenientia, quæ ex hoc sequerentur, æquè videntur sequi ex amphibologia verborum, qua non minus decipiuntur audientes percipientes verba in diuerso sensu ab eo, in quo proferuntur. Nam mea quid refert, quod aliud significent verba ab eo, quod est in mente, vel quod aliud ego ex verbis percipiam, quàm loquens significare intendit, si in vtroque casu æque decipior verborum occasione?

Hæc quæstio pendet ex illa alia, an & quomodo licitum sit vti verbis æquiuocis, & ambiguis

seu loqui amphibologicè intendendo significare verbis alium sensum verum, diuersum tamen ab eo, quem auditores hîc, & nunc concipiunt, & significari putant, de qua quæstione vltra alios videri possunt P. Suarez *tom.2. de religione tract.4. libro 3. cap.10. & 11.* Lessius *de Iustitia cap.42. dub.9. n.47.* Sanchez *lib.1. de matrimonio disp.10. in fine*, & latè *lib.3. in decalog. cap.6. numero 15.* & post alios Coninch. *in præsenti disp.10. dub.3.* in qua quæstione aliqui adeo putant licitam esse amphibologiam in vocibus, vt id verum putent, saltem cum causa, quando, licèt verba exterius prolata sensum verum habere non possint, eum tamen habere possunt coniuncta cum verbis aliis quæ mente concipiuntur, & retinentur, vt si interroganti, an hodie quidquam comederis? respondeas, *hodie nihil prorsus comedi*, retinendo mente, *ex carnibus*; ita plures, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto cap.6.*

62 Hoc tamen ita vniuersaliter prolatum mihi semper durissimum, & difficillimum visum est cum aliis multis, quos refert Sanchez *ibi*, & aliis quos refert & sequitur Coninch. *vbi suprà num.34. & numero 49.* qui id latè, & optimè probat. Ratio autem præcipua est, quia veracitas obligat quidem ad conformanda verba menti, non ad conformandam mentem cum mente; ad hoc enim necessitate cogitur homo, sed vt non appareat aliud in verbis ab eo, quod est in mente loquentis. Debemus ergo comparare verba ipsa cum mente & videre ex vna parte voces externas cum sua significatione, & ex alia parte mentem loquentis, & considerare, an verba exprimant id, quod est in mente, an verò aliquid contrarium. Si enim contrarium exprimunt, fit contra veracitatem: si exprimunt idem, satisfit plenè veracitati. Et quidem, cùm tota hæc obligatio veracitatis proueniat, vt diximus, ex necessitate conseruandi fidem humanam adeò necessariam ad conuictum, & commercium politicum, nescio quomodo eadam veracitas non debuerit æquè prohibere restrictiones illas mentales, ex quibus, si licitæ essent, eadem omnino inconuenientia orirentur. Æquè enim dubitarent omnes audientes, an loquens vltra voces externas adderet restrictiones mentales, quibus sensus contrarius contineretur sensui, quem voces exprimerent, sicut dubitare possent de veritate, si mendacium liceret. Vnde inutilis omninò esset mendacij prohibitio; omnes enim, qui mentiri non auderent propter prohibitionem, easdem voces omnino vsurparent, quas mentientes vsurpassent, & eundem finem obtinerent addita restrictione mentali. Nec satisfacies dicendo, id non licere, nisi cum causa: nam eodem modo dicerent alij, mendacium etiam non licere nisi cum causa: occurrente autem causa, idem omninò liceret, & eadem incommoda sequerentur, si restrictio illa purè mentalis licita esset, quæ sequerentur, si licitum esset mendacium cum causa: quare frustra lex naturalis mendacium etiam cum causa prohibuisset.

63 Obiiciunt primò, quod Christus ipse Ioan.7. rogantibus, vt ascenderet ad diem festum, respondit *vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo*; & tamen postea, *& ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Vnde apparet priora verba dicta fuisse à Christo cum restrictione mentali, scilicet, *ego non ascendo publicè, & palam.* Respondetur primò communiter, sensum priorum verborum esse iuxta mentem petentium, qui petebant, vt ascenderet palam, dicebant enim: *transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* In eodem ergo sensu respondit Christus, se non adscendere, quæ non est restrictio mentis, sed retentio sensus propositi à rogantibus: sicut si peterent, *veni nobiscum*; & responderet, *non veniam*, subintelligitur, *nobiscum.* Addunt alij, legendum ibi esse *nondum ascendo*, vel vt alij volunt, *non ascendo nunc*, prout habent alij graues interpretes. Sed, vt notat Hurtado *disputatione 18. §.68.* sensus idem est retenta prima lectione: quia in rigore verba illa, *non ascendo*, non negant adscensum futurum, sed præsentem, quem illi petebant.

Obiiciunt secundò, verba eiusdem Christi *Marc.13.* qui interrogatus à discipulis de die iudicij, respondit: *de die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, quod etiam verum esse non poterat, nisi cum restrictione mentali, *non scit Filius, vt dicat.* Respondetur tamen, hanc non esse restrictionem mentalem, de qua loquimur, sed sensum verum, quem voces illæ habent: nam qui interrogatur de re aliqua, solùm rogatur de notitia, quam communicare possit, non de ea, quam communicare non potest, eo quod secretò illam acceperit, prout Christus, vt homo secretò acceperat notitiam illius diei.

Obiectio 2.

Petes, an qui vtitur restrictione illa purè mentali, verè committat peccatum mendacij: quod idem quæri potest de eo, qui vtitur amphibologia sine causa in sensu diuerso ab eo, quem auditores concipiunt. Affirmat Coninch. *vbi suprà numero 49. & 50.* esse mendacium: quia talis oratio absolutè prolata est falsa, nec aliud est velle mentiri, nisi scienter velle proferre verba, quæ in his circumstantiis prolata significant id, quod proferens scit esse falsum. In hoc tamen potest esse quæstio de nomine; & mihi magis placet, quod illud non appelletur propriè, & formaliter mendacium; sed solùm materialiter. Nam mendacium formale, videtur esse loquutio formalis contra mentem: loquutio autem formaliter in ratione loquutionis videtur compleri formaliter per voluntatem significandi, sine qua prolatio sola vocum non est formalis loquutio: quia loquutio includit essentialiter, vt diximus, ordinationem mentis nostræ ad audientem; qui ergo non vult communicare audienti notitiam suam de tali obiecto, sed de alio diuerso, non loquitur formaliter de illo obiecto, quod voces solæ possent significare. Fateor, nec etiam loqui de illo alio obiecto, quod voces simul cum restrictione mente retenta significarent, quia illud obiectum voces externæ non significant, & per conceptus internos vocibus non expressos loqui non potest: atque ideo in rigore loquendo de nullo obiecto loquitur completè. Non enim de obiecto, de quo loqui intendit, quia illud non exprimitur per voces: neque etiam de obiecto, quod voces de se significant, quia non intendit de illo loqui, neque illius notitiam audienti communicare, de nullo ergo obiecto loquitur. Neque enim loqui est solùm proferre voces significantes de se hoc obiectum: qui enim profert voces ambiguas, & significantes de se duo obiecta, alterum verum, & alterum falsum, non mentitur, si

si velit significare obiectum falsum, nec loquitur verum, nisi illud velit significare: ergo prolatio illa vocum completur formaliter in ratione loquutionis veræ, vel mendacij à voluntate significandi tale, vel tale obiectum. Alioquin, si absque vlla voluntate significandi, vel determinandi significationem eas voces ambiguas proferret, adhuc loqueretur per illas voces & per consequens loqueretur verum, & mentiretur, cùm voces de se vtrumque æquè significarent.

66 Dixi tamen, quoad hoc esse posse quæstionem de nomine: quia de re ipsa, fateor etiam absque voluntate loquendi de tali obiecto falso, quod solùm voces externæ significare possunt, prolationem voluntariam talium vocum esse peccatum contra veracitatem, quæ non solùm obligat ad non mentiendum formaliter, hoc est cum intentione loquendi, & significandi obiectum falsum, sed etiam ad non mentiendum materialiter, hoc est, non proferendum eas voces, quæ de se in his circumstantiis prolatæ non possunt significare nisi obiectum falsum. Parum enim refert ad impediendum commercium humanum, quod voces proferantur, cum hac intentione, vel illa, cùm audientes solùm percipiant voces, & earum externam significationem, nec illam aliam intentionem possint, nisi ex ipsis vocibus externis, colligere. Quare esset etiam contra religionem, si aliquis loquens cum restrictione illa purè mentali adderet iusiurandum, quia iam ex vi vocum externarum adduceretur Deus in testem rei falsæ, quod non minùs à Religione prohibetur.

67 *Amphibologiis & æquiuocationibus ex causa vti licet.*

Hoc supposito, restat quæstio solùm de amphibologia, seu verbis illis ambiguis, quæ possunt de se duos sensus habere, alterum falsum in quo ab auditoribus accipiuntur, alterum verum, quem loquens significare intendit. De qua rursus supponendum est primò, in aliquibus casibus esse proculdubio obligationem abstinendi ab eiusmodi æquiuocationibus, & vsurpandi verba in eo sensu, in quo ab auditoribus accipiuntur. Primò, quando ex illo errore auditores in aliquod graue incommodum inciderent. Quæ obligatio erit etiam ex virtute fidei, vel Religionis, quando error, quem conciperent, esset contra fidem. Sicut quando etiam esset contra iustitiam, vel castitatem, aut alias virtutes, vsus ille amphibologiæ esset saltem indirectè contra eas virtutes. Secundò, quando ex ratione officij tenemur aliquem instruere, & docere vera, ne erret: & magis, si pretio, vel stipendio accepto ad id tenemur. Tertiò, quando contractus oneroſos, & mutuos celebramus, debemus enim ex iustitia verba ad mentem contrahentis proferre, ne eum decipiamus. Quartò, quando iudici, vel Prælato legitimè interroganti iubemur respondere; debemus enim in sensu interrogantis respondere, vel certè in sensu, quo interrogare deberet.

Quidam in casibus abstinendum sit ab æquiuocationibus.

68 *Amphibologiis absque vlla causa vti non excusat à peccato saltem leui.*

Secundò, supponendum est non posse excusari à vitio, & peccato saltem leui, iis amphibologiis, & captiosis æquiuocationibus absque vlla causa vti, in quo omnes conueniunt, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto cap.* 6. Quia, licèt illud non sit mendacium, aliquod tamen detrimentum affert communi conuictui, & colloquiis humanis, & aliquo modo derogat humanæ fidei, cùm non semper auditores possint ita cauti esse, vt omnes æquiuocationes cauere possint. Addit Coninch. *num.* 44. semper inferri damnum aliquod proximo, nempe errorem, seu iudicium falsum, quod concipit propter verba malè intellecta. Qualis autem causa sufficiat ad excusandam hanc culpam, Sanchez *num.* 19. dicit sufficere, quoties occultatio veritatis necessaria, vel vtilis est ad salutem animæ, vel corporis, honorem, vel res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa, & *num.* 22. cum Soto dicit, excusari à culpa, quando in iocis, & ridiculis fieret, quia honesta recreatio id redderet licitum: quod tamen meritò intelligit, quando iuramentum non adiungatur: ad hoc enim grauior causa requireretur propter diuini nominis reuerentiam, quamuis non censeat esse peccatum mortale amphibologiam iuramento confirmare etiam sine causa.

69 *Amphibologiis & æquiuocationibus ex causa vti licet.*

His suppositis, communis, & vera sententia affirmat licitum esse hominibus his amphibologiis, & æquiuocationibus ex causa vti, vt cum aliis, quos afferunt, docent Sanchez *ibi num.* 18. & Coninch. *num.* 35. & *num.* 48. quia in rigore tunc non mentiris, sed profers verba in sensu vero, quem ex sua institutione recipiunt. Quod autem audiens ea verba in alio sensu accipiat, non prouenit ex te, vt ex causa, licèt occasionem dederis exceptioni, quam non teneris vitare cum incommodo tuo proportionato, præsertim cùm damnum illud proximi adeo sit leue, & absque alio præiudicio.

70 Dices, ex his etiam æquiuocationibus sequi incommoda contra humanum commercium, & fidem humanam, propter quæ diximus mendacium esse semper illicitum etiam ex causa grauissima: nam æquè decipiuntur, & falluntur auditores, ac si loquens mentiretur. Respondetur, hoc incommodum non sequi per se ex æquiuocatione, sed per accidens: per se autem sequitur ex ignorantia auditoris, qui negligenter sensum verborum examinauit, & noluit vexari in eo penetrando, & intelligendo. Loquens autem satisfacit conformando verba externa cum sua mente, nec tenetur partes etiam auditoris suscipere, vel ita clarum, & digestum verborum sensum illi porrigere, vt nihil ei laboris superſit ad intelligendam mentem loquentis. Alioquin deberet, qui latinè loquitur voces clarissimas seligere, & formulas loquendi minùs peregrinas, ne fortè obscuritate sermonis daret occasionem auditoribus, vel lectoribus aliquid aliud diuersum in suis verbis intelligendi. Sibi itaque imputare debet, vel suæ ignorantiæ, aut pigritiæ, quod citò, & leuiter, verborum vi non ponderata assensum præbuerit. Satis enim est ad commercium humanum, si nemo contra mentem verba proferat, neque etiam verbis æquiuocis ab auditore non intelligendis in sensu loquentis, sine causa vtatur, quamuis causa iusta intercedente, possit vti auditorum ignauia, & inscitia ad occultandam iustè veritatem, quam manifestare non tenetur.

71 *Amphibologiis vtens ex causa, quomodo intendat verum sensum in verbis ambiguis.*

Hinc tamen oritur difficultas, quomodo fieri possit, vt in prædicto casu loquens intendat verum sensum in verbis ambiguis, cùm re ipsa verba illa vsurpet ad occultandam veritatem. Id enim vnusquisque intendit in suis actionibus, quod habet pro fine: qui autem vsurpat verba ambigua, ideo verba illa seligit, & profert, quia vtilia sunt ad occultandam veritatem, quam in mente habet: non sunt autem vtilia ad eum finem, nisi quatenus generant alium sensum diuersum in audiente: hunc ergo alium sensum videtur loquens intendere

intendere significare, & non illum, quem habet in mente: quomodo enim vult significare id, quod non vult venire in mentem audientis, sed omnino eum latere? repugnat ergo, quod vtens æquiuocatione ad decipiendum, vel saltem ad occultandam veritatem velit significare verum sensum, & per consequens, quod loquatur verum.

72 Respondeo, requiri quidem voluntatem aliquam manifestandi mentem veram, vel falsam in loquente, vt *suprà* diximus: hanc tamen voluntatem non debere esse de manifestatione, tanquam de fine vltimo intento, neque etiam debere semper esse voluntatem omnino efficacem, sufficit ergo, quod sit voluntas manifestationis, tanquam finis proximi, & quod loquens velit, non quidem manifestationem completam omnino absolutè & efficaciter, sed solùm potentiam, seu causam illius. Quam voluntatem ille etiam, qui loquitur æquiuocè, habere debet: nam licèt vltimò desideret, quod audiens non percipiat veram mentem, & verum sensum verborum, quem intendit significare, sed alium diuersum, atque ideo non velit manifestationem passiuam, hoc est, quod audiens veniat in notitiam suæ mentis, quam per voces significat: vult tamen manifestationem actiuam, hoc est, ponere verba, quæ de se possunt manifestare verum sensum, & ponere ea proximè ad hunc finem, vt quantum est ex verbis, possit audiens percipere verum sensum, & hæc voluntas, & intentio proxima est, à qua dicitur loquens significare velle talem sensum verum, quia voluntate proxima vult ponere verba ad hunc finem proximum, vt possint, quantum ex ipsis est, manifestare audienti verum sensum. Hoc tamen ipsum, & hunc finem proximum ordinat ad occultandum verum sensum, tanquam ad finem vltimum. Vult itaque ponere has voces proximè, vt possint, quantum est de se, manifestare verum sensum, & illum aliunde non percipiens, non decipiatur à loquente mentiente, sed à se ipso non accipiente verba in eo sensu, sed in alio, atque ita possit loquens eius interrogationem effugere. Vult ergo loquens absolutè, & efficaciter, & intendit proximè manifestationem actiuam, vt ita dicam, hoc est, ponere signa externa, quæ possint ex se manifestare verum sensum, & ad hunc finem proximè voces profert: non tamen vult efficaciter manifestationem passiuam, hoc est, quod audiens veniat re ipsa in notitiam veri sensus, quæ voluntas, non requiritur ad loquendum, sed sufficit voluntas manifestandi actiuè, quæ potest consistere cum desiderio, & intentione vlteriori, vt non percipiatur verus sensus. Sic enim Deus concursum offerens in actu primo voluntati creatæ liberæ, habet pro fine proximo, quod homo possit liberè elicere vtrumque actum. Hoc autem ipsum vltimò refert ad alium finem, vt scilicet homo eliciat actum bonum potens elicere actum malum, quem desiderat nullo modo elici ab homine, licèt vt eum liberè omittat, atque ita mereatur, necesse sit, quod homo possit non elicere actum bonum, & ad hunc finem vltimò detur potentia ad actum malum. Sic etiam, qui æquiuocè loquitur, intendit vltimò occultare suam mentem sine mendacio per verba æquiuoca; ad quem finem necesse est, quod velit significare verum sensum per verba illa, hoc est, ponere illa verba proximè ad hoc, vt possint quantum est ex se, manifestare verum sensum, & ideo ea ponere, quia possunt verum illum sensum manifestare.

Dixi tamen, non debere *semper* in loquente esse voluntatem efficacem de manifestatione passiua, qua velit, quantum est ex se, quod audiens veniat in cognitionem suæ mentis, quam vult significare: quia non nego, eiusmodi voluntatem efficacem manifestandi suam mentem veram vel falsam, & quoad audiens veniat in eius cognitionem, reperiri in Angelis, quoties ad inuicem loquuntur, vt dixi, *in tract. de Angelis*. Ratio autem differentiæ quoad hoc inter Angelos, & homines ea est, quod homines vti possunt in suis colloquiis vocibus æquiuocis, quæ de se indifferentes sint ex sua institutione ad significandum hoc, vel illud: quare pendet ex voluntate loquentis, quod ordinentur ad hoc potius, quàm illud significandum: quæ ordinatio potest esse voluntas inefficax repræsentationis passiuæ, & efficax solùm repræsentationis actiuæ, vt explicuimus quia potest poni vox significatiua ordinata ad hoc obiectum significandum à loquente, & tamen audiens non venire de facto in eius obiecti notitiam, sed alterius. At verò Angeli ad inuicem loquentes non possunt loqui cum propria æquiuocatione, nec vsurpare voces æquiuocas, quia voces Angelicæ, vt in eo tractatu dixi, sunt actus voluntatis quibus mentem suam veram, vel falsam ordinant ad audientem: quæ voluntas non potest esse æquiuoca, sed est determinata ex sua essentia ad tale obiectum. Dicit, verbi gratia, Michaël Gabrieli, Petrum esse in foro; ad quod non vtitur voce *Petrus*, quæ potest esse æquiuoca, sed habet voluntatem, qua vult, quantum est de se, quod Gabriel cognoscat, se iudicare, quod ille talis homo est præsens in tali loco; ad quæ omnia distinctissimè, & sine æquiuocatione fertur voluntas illa; quæ est ipsa vox Michaëlis: nam posita illa voluntate, statim Gabriel per speciem denuo acceptam eam voluntatem percipit, & in ea, tanquam in signo instrumentali naturali cognoscit, Michaelem habere tale iudicium de præsentia talis hominis in tali loco: in quo tamen posset Gabriel falli; quia posset Michaël relictus suæ naturæ habere illam voluntatem sine tali iudicio, & mentiri. Cùm ergo ea voluntas habeat essentialiter pro obiecto mentem Michaëlis de tali obiecto, non potest percipi ea voluntas, quæ est vox Michaëlis, à Gabriele, quin percipiat mentem, quam Michaël significat, & ordinat ad Gabrielem, nec potest vnam mentem pro alia concipere: quia non est indifferens voluntas illa ad duas mentes diuersas Michaëlis significandas: ac per consequens non potest Michaël ponere illam vocem, seu illam voluntatem, & nolle, quod intelligatur à Gabriele mens illa, ad quam communicandam ordinatur ex natura sua talis voluntas: provt in hominibus fieri potest, quorum voces ex se indifferentes sunt, & significant ad placitum, & determinantur etiam ab intentione proferentis ad hoc potiùs, quàm illud significandum.

Aduerte tamen, me non excludere à colloquio Angelico omnem æquiuocationem, sed solùm propriam: aliqua enim æquiuocatio saltem impropria potest interuenire, v. g. si Michaël loquatur Gabrieli explicando obiectum in ordine ad voces humanas, & dicat, *homo qui appellatur Petrus est in foro*: cùm enim sint multi homines qui vocentur eo nomine, posset Gabriel intelligere de-

de aliquo alio, qui non sit ille, qui est in foro. Ea tamen non esset propria æquiuocatio, sed loquutio vniuersalis disiuncta, quam Gabriel falsò putat verificari in hoc particulari, cùm non verificetur in eo, sed in alio. Vt si dicas, *homo quidam est in foro*, & audientes falsò putent, illum esse Petrum, cùm non sit Petrus, sed Ioannes; tu tamen non es loquutus cum æquiuocatione propria, sed significasti, vnum ex hominibus esse in foro, Petrum, vel Ioannem, &c. & hoc ipsum audientes intellexerunt ipsi: tamen ex illa propositione disiunctiua malè intulerunt, esse Petrum, cùm id tamen non dixeris, nec verba id possent significare. Ita Michael in casu prædicto, & eius vox solùm significat, vnum ex iis hominibus, qui vocantur eo nomine Petri, esse in foro; qui sensus solus est, quem Michaël intendit, & quem Gabriel percipit: ipse tamen Gabriel postea malè infert ex illa disiunctiua, illum, qui est in foro, esse talem hominem: quæ deceptio non prouenit ex æquiuocatione propria Michaëlis, sed ex mala applicatione, qua Gabriel illud dictum vniuersale applicat ad tale indiuiduum determinatè. Æquiuocatio autem propria tunc solùm datur, quando vox ex se apta est ad significandum determinatè hunc hominem, verbi gratia, & mentem determinatam loquentis de illo: nam vox *Petrus* apud homines ex se instituta est ad loquendum de hoc indiuiduo, non sub disiunctione, sed omninò determinatè: quæ æquiuocatio in loquutione vnius Angeli ad alium esse non potest; quia non loquitur per voces sensibiles, sed per voluntatem manifestandi suam mentem circa obiectum, quod vel determinatè, vel disiunctim explicat, quale sit re ipsa, propter ordinem essentialem, quem habet ad ipsum.

75 Hoc ergo supposito circa æquiuocationem, & amphibologiam in loquutione humana, dicendum est, Deum etiam eodem modo, licèt non possit vti restrictione pura mentali, quando nobis loquitur, sicut nec homines licitè possunt, posse tamen vti ex causa amphibologia, & verbis ambiguis, & aliquando etiam ex fine occultandi aliquid, vel ob alias causas iustas, verbi gratia, ne doctrina sacra vilescat, si eius sensus apud imperitos etiam obuius sit; obscuritas quippe ipsa, aliquando maiestatem, & auctoritatem conciliat: allicit etiam, & excitat ad attentiùs inquirendum sensum verum: Celantur infidelibus sacratiora fidei mysteria. Prædicuntur etiam futura, itavt interim non perfectè pateant, & postea euentus ipse doceat de veritate prædictionis. Denique sustinetur meliùs debita subordinatio, & recursus ad Prælatos, & doctores Ecclesiæ pro vero sensu inuestigando, quod non fieret, si omnia æquè omnibus obuia, & clara fuissent. Nec periculum etiam est deceptionis, aut erroris ex ipsa ambiguitate, & obscuritate, cùm reliquerit nobis Deus regulam infallibilem visibilem, nempe Ecclesiam, cuius est verum diuini verbi sensum à falso discernere.

Deus potest vti causa restrictionis ambiguæ.

76 Dicet aliquis, si Deus vti potest æquiuocatione, reddi dubiam omnem fidem nostram; nam sicut supra dicebamus, formidare nos posse semper in fidei assensu, si Deus posset falsum reuelare etiam de potentia absoluta: ita possemus semper formidare, an Deus æquiuocatione aliqua licita vsus fuerit in iis, quæ reuelauit, ita vt sensus reuelationis alius sit ab eo, quem nos concipimus. Vn-

Dari talem secundum reddit dubiam fidem nostram.

de consequenter nutaret spes nostra, quæ in diuinæ promissionis infallibilitate, & stabilitate fundatur. Respondetur, negando sequelam; quia licèt possit Deus cum causa vti verbis ambiguis; non tamen ita obscuris, vt eorum sensum verum nemo possit assequi, aut coniicere aliquem alium sensum abstrusum subesse diuersum à sensu obuio, quem verba præ se ferant. Alioquin, vt bene notauit Coninch *vbi supra numero 64*. Deus ipse esset nobis causa erroris: cùm ex vno capite exigat à nobis fidem firmissimam suis verbis, & promissis, & ex alio ita loqueretur, vt sensus verborum omnibus obuius, & in quo ab omnibus verba intelliguntur, falsus sit; sensus autem verus ita obscurus, vt moraliter non possimus eum assequi. De facto itaque merito non formidamus in rebus fidei: quia licet non habemus euidentiam de reuelatione, aut quod Deus loquatur, & tamen firmissimè credimus, Deum reuelare, & loqui: quia ad hoc sufficiunt ea motiua, quæ faciunt euidenter credibile, quod Deus loquatur, & quod de hoc non possimus prudenter dubitare; ita dato, quod non habeamus euidentiam omnimodam de sensu verborum, & quod in eis non sit ambiguitas, & æquiuocatio: habemus tamen tot, & tanta motiua ad id credendum, vt non possimus prudenter de hoc dubitare; & quidem plura motiua habemus ad credendum; non latere æquiuocationem in verbis illis, *Christus tertia die resurexit à mortuis*, quàm ad credibilitatem de reuelatione diuina, nempe quod ea sint ex Dei reuelatione. Sicut ergo possumus firmissimè credere, illam esse reuelationem Dei, quia stantibus tot motiuis credibilitatis, non possumus de hoc prudenter dubitare, aut formidare: ita faciliùs possumus firmissimè credere, in illis verbis non latere alium sensum obscurum diuersum ab eo, quem præ se ferunt, qui certè si subesset, Deus nobis fuisset erroris causa cùm iis verbis nobis loquutus fuit, in quibus, nemo potuit alium sensum inuenire, vel prudenter suspicari. Imò difficilè excusaretur Deus à mendacio, vel falsitate: Verba enim æquiuoca tunc excusant à mendacio, quando verè sunt æquiuoca: sunt autem æquiuoca tunc solùm, quando apud homines habere possunt duplicem significationem: vtraque verò debet esse significatio humana, id est, quæ possit hominibus deseruire, & ab iis aliquo modo percipi: alioquin non apparet, quomodo sit significatio humana, quæ non potest homines in obiecti notitiam deducere. Sicut ergo prudenter credimus firmissimè, hæc esse Dei verba, quia cum talibus, & tantis motiuis Deus fuisset nobis causa erroris, si reuelatio adulterina pro diuina nobis proposita fuisset: ita faciliùs possumus firmissimè credere, in his verbis nullum alium latere sensum, qui certè si lateret, Deus nos decepisset vtendo verbis, in quibus moraliter non potuimus alium sensum contrarium deprehendere.

Verba æquiuoca tunc excusant à mendacio, quando verè sunt æquiuoca.

SECTIO VI.

Vtrùm fides aliunde possit generare assensum falsum, circa reuelationem apparentem.

VIdimus, non posse Deum mentiri, aut fallere, atque adeo ex hoc capite non posse vllo modo subesse fidei falsum. Nunc viden- 77

dum restat, an ex alio capite possit elici à fide assensus falsus. Quod duplici potissimum modo contingere posset. Primò, Licèt Deus non possit falsum reuelare: posset tamen nobis proponi aliqua vt reuelatio Dei taliter, vt obligaremur ad illam credendam, licèt reuera non esset Dei reuelatio, & tunc videtur, quod fides saltem per accidens eliceret assensum falsum: sicut aliquando proponitur nobis adoranda hostia non consecrata; ita tamen vt non habeamus fundamentum morale ad dubitandum, & per consequens teneamur eam adorare. Secundò, Posset fides mediatè saltem concurrere ad assensum falsum, quando ex vna propositione reuelata de fide, & alia præmissa naturali falsa, quam putamus veram, inferimus conclusionem falsam, ad quam conclusionem videtur fides saltem partialiter concurrere, cùm conclusio falsa inferatur partialiter ex præmissa de fide. Nunc videndum est, an in iis casibus possit fides saltem per accidens concurrere ad assensum falsum. De primo dicemus hac sectione. De secundo *sectione sequenti*.

78 *An fides infusa possit ferri ad reuelationem Dei existimatam veram, & solùm apparentem.*

Quod verò attinet ad primum, quæstionem hanc, an fides infusa possit ferri ad reuelationem Dei existimatam veram, & solùm apparentem, tractat latiùs Suarez *in præsenti disp.3. sect.13.* Hurtado *disp.9.* & Coninch. *disp.10. dub.4.* Omnes autem id negant, quos prædicti Auctores latè congerunt & referunt. Quæ sententia potissimè suadetur ex Scriptura, & Patribus semper fidem certam appellantibus. Secundæ ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum*, &c. Actorum 26. *quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis* &c. Trident. sess.6. cap.9. *cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*, &c. Basil. in moralibus regula 80. cap.21. *Fides enim est certissima animi expletio de diuinorum veritate verborum.* Chysostom. homil.21. in cap.11. ad Hebr. *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, certitudinem quis habuerit ampliùs quàm circa ea, quæ videntur.* Bern. epist.190. *fides enim est opinio, sed in veritate certa subsistit.* Et alij passim, ex quibus colligitur, omnem actum fidei esse cognitionem certam: ex quo fit à fortiori, esse semper veram: quia certitudo est firma adhæsio intellectus assentientis, & necessaria connexio ipsius assensus cum veritate, vt docui *in libris de anima*. Si autem actus, quo credo Christum natum, non haberet hanc necessariam connexionem, sed contingentem cum veritate, maneretque idem assensus fidei, licet Deus hoc non reuelasset, sed ex magistrorum doctrina ego crederem esse à Deo reuelatum, dicendum esset hunc assensum de facto esse quidem verum, non tamen certum, cùm potuisset idem existere falsus: ergo si omnis actus fidei est certus, fatendum est, repugnare elici à fide assensum circa reuelationem apparenter propositam.

79 *Rationes quædam minus efficaces.*

Rationes pro hac sententia certissima aliquæ afferuntur minùs efficaces. Aliqui probant primò, quia actus non potest esse sine suo obiecto proprio: obiectum autem fidei diuinæ est reuelatio diuina: ergo sine reuelatione diuina, non potest intelligi actus fidei diuinæ. Reuelatio autem solùm existimata non est reuelatio diuina: ergo illa non potest terminare actum fidei diuinæ. Confirmat Pater Coninch. vt *supra num.74.* Quia si Petrus aliquid mihi dicat, & ego putarem, eum esse Ioannem, cuius auctoritas magna apud me est, & ideo illud crederem: putarem quidem, me credere Ioanni; non tamen ei crederem, cùm ipse nihil mihi dicat, sed Petro: ergo etiam, qui credit ex reuelatione putata Dei, non credit Deo, atque ideo ille non est actus fidei, qua soli Deo credimus.

Hæc tamen ratio, & exemplum fidei humanæ, quo vtitur, retorqueri potest contra ipsum: quia imò in eo casu habitus fidei erga Ioannem concurrit ad assensum: vnde experior eandem facilitatem in eo assensu, quam in aliis, quibus credo Ioanni: nullam autem facilitatem, vel habitum habeo fidei erga Petrum: ergo idem habitus, qui inclinat ad credendum Ioanni, elicit illum assensum. Vnde idem dicendum videretur de assensu fidei erga Deum, quod habitus fidei erga Deum possit elicere assensum, quando puro esse reuelationem Dei. Neque ille actus habet aliud obiectum formale diuersum: habet enim pro motiuo reuelationem Dei, quæ licèt non exiterit, à me tamen concipitur reuelatio sola Dei, quæ eadem esset, si reuelatio illa extitisset, prout existere potuit, si obiectum verum fuisset, prout esse potuit: quare nihil mihi nunc obiicitur ex parte motiui, quod non obiiceretur idem, si reuelatio verè extitisset; non ergo differt hic assensus ex parte motiui ab assensu, qui fuisset, si Deus illud obiectum verè reuelasset. Et quidem eandem facilitatem experitur, qui id crederet, quam in credendis aliis mysteriis veris à Deo reuelatis: quare ex hoc capite magis augeretur identitas habitus ad credendas veras, vel falsas reuelationes apparentes.

Pater Suarez plus nimio videtur se hac difficultate vrgere *loco citato, & num.5. & seqq.* refert, & impugnat plures rationes, seu solutiones, cur rusticus, qui inuincibiliter putat se obligatum ad credendum fide diuina articulum sibi falsò à Parocho propositum, non eliciat assensum fidei diuinæ. Prima est Alisiodorensis, qui negat posse contingere errorem inuincibilem & inculpabilem in rebus fidei: quia si homo ille simplex etiam, & indoctus faceret, quod potest, illuminaretur à Deo circa falsitatem reuelationis propositæ. Quam responsionem Suarez reiicit, & meritò, vt incredibilem: est enim contra experientiam, nec fundamentum habet promissio talis illuminationis, cùm non sit necessaria ad salutem, nec salus periclitetur ex eo quod aliquis sine peccato credat Abrahamum habuisse tres filios, cùm habuerit solùm duos. Quod autem id totum sine peccato contingere possit, constat manifestè, quia potuit homo inuincibiliter ignorare, vel non aduertere obligationem maioris diligentiæ adhibendæ, vt illuminaretur à Deo.

Secunda responsio est Maioris, qui concedit assensum eo casu esse eiusdem substantiæ cum assensu vero fidei infusæ, non tamen esse fidem, quia fides debet esse vera. In hoc tamen potest esse quæstio de nomine, an scilicet assensus ille deberet denominari actus fidei diuinæ: posset enim aliquis dicere, hoc nomine solùm intelligi actus, quibus credimus Deo testificanti: tunc autem non creditur Deo, cùm Deus nihil tale dixerit. Hoc tamen, vt dixi, pertinet ad nomen: restat verò difficultas de re ipsa, an ille actus esset in sua substantia supernaturalis, & elicitus ab habitu infuso fidei, sicut alij, quibus creduntur articuli veri; quod si hoc concedatur, parum refert, an habeat eandem appellationem, & nomen cum aliis actibus: quia tota hæc erit denomina

minatio extrinseca proueniens ex eo, quod obiectum eius non sit verè à parte rei.

83 Ipse Suarez tandem *numero 9.* videtur difficultati cedere, & fatetur nunquam de facto articulum falsum proponi ita sufficienter alicui, vt obligetur ad credendum eo modo, quo credere tenetur fide infusa articulos veros sufficienter propositos. Nam articuli veri proponuntur à Deo toti Ecclesiæ, & à tota Ecclesia singulis fidelibus cum tot & talibus motiuis, in quibus non potest falsitas aliqua latere. Quando verò alicui in particulari proponitur articulus falsus, quem inuincibiliter putat verum, non proponitur de facto cum motiuis, quæ illum obligent, nisi ad summum ad non dissentiendum, vel ad credendum aliqua fide generatim sumpta, non tamen ea fide quæ nullam hæsitationem admittat, donec de doctrina Ecclesiæ certus sit. Si vellet enim aduertere, dubitare posset, an doctrina illa conformis sit Ecclesiæ, nec ne. Quare nec iudicium credibilitatis est tunc eiusdem rationis, quia non dictat esse credendum indubitabiliter, vel si id dictat, imprudenter dictat, & per consequens non est actus prudentiæ. Quod si ex ignorantia putetur id esse iuxta regulas prudentiæ, hoc ipsum dictamen falsum erit, & contra prudentiam.

84 In hac responsione P. Suarez incidere mihi videtur in eundem ferè defectum, quem ipse paulò ante Altisiodorensi obposuerat: incredibile enim videtur etiam, quod omnibus rusticis, & rudibus personis, quoties eliciunt assensus fidei diuinæ, & infusæ, proposita sint mysteria credenda non solùm sufficienter respectiuè ad eorum capacitatem, sed taliter, vt eodem gradu, & cum æqualibus motiuis credibilitatis non potuerint eis proponi aliqui articuli falsi. Quod tamen saltem implicitè videtur Suarez concedere: si enim ille rusticus ideo non potest credere fide infusa articulum falsum, quia non est sufficienter ei propositus ad indubitabiliter & firmissimè illum credendum: ergo nec articulum verum potest fide infusa credere: quia eodem prorsus modo ei vterque articulus proponitur, & experientia manifesta compertum est non adhiberi à rustico maiorem diligentiam ad examinandum vnum, quàm alterum articulum, an sit iuxta communem Ecclesiæ sensum necne: sed vtrumque æquè ei à Parocho proponi credendum firmissima fide, & vtrumque sine alio examine ab ipso credi. Quare, si articulus falsus non obligat eum ad assensum firmum, neque etiam verus obligabit. Si denique ex defectu solo huius obligationis non elicit actum fidei infusæ circa articulum falsum; neque etiam eliciet circa verum, cùm non magis obligetur ex modo, quo ei proponitur. Vnde fatendum erit, eiusmodi personas rarissimè, vel certè nunquam credere fide supernaturali: quem enim vnquam articulum fide infusa credunt, qui non fuerit eis propositus taliter vt eodem modo proponi eis potuisset articulus falsus? Certè vix vnquam in mille rusticis inuenies, cui vnus articulus taliter propositus sit. Quis autem dicat, eos nunquam elicere actus fidei infusæ ob defectum propositionis sufficientis ad fidem indubitabilem præstandam? Alioquin nec iustificari poterunt etiam in Sacramento, cum sine fidei infusæ actu adultus non iustificetur: neque etiam barbari, vel inculti ethnici, quibus fides prædicatur, in baptismo iustificabuntur, quia regulariter, licèt sufficienter eis proponatur fides, & obligatio credendi iuxta eorum captum; non tamen sufficientia absoluta, vel ita, vt cum eodem gradu sufficientiæ, non potuerit eis proponi falsus articulus, quod manifestissima experientia passim testatur. Non potest ergo negari, quod obligentur ij saltem per accidens ad credendum firmissimè, & possint credere fide infusa articulos veros, licèt non ita proponantur, vt æquè non possent articuli falsi proponi.

85 *Repugnantia actus fidei infusa cum falsitate ponenda est ex natura talis actus & habitus infusi.*

Aliunde ergo ponenda est repugnantia actus fidei infusæ cum falsitate, quàm ex defectu propositionis sufficientis: nimirum ex natura talis actus, & habitus infusi; quia est virtus infusa, vt constat ex Trident. *sess. 6. cap 7.* dicente, iustificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum: quorum nomine intelligit procul dubio idem quod ab Innocentio III. in cap. *Maiores*, de baptismo, & à Concilio Viennensi relato in *Clement. vnica de summa Trinit.* significatum fuit nomine *virtutum*, quæ in baptismo simul cum gratia infunduntur. Vnde Trident. *eod. cap. 7.* explicans, quæ sint illa dona, quæ infunduntur in iustificatione simul cum remissione peccatorum, nominat fidem, spem, & charitatem his verbis: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia accipit homo simul infusa per Iesum Christum, cui inseritur: fidem, spem, & charitatem.* Quare hæreticus quidam nomine Petrus Ioannis, qui vixit sub Innocentio III. & damnatus, atque exclamatus fuit, ob hoc etiam in fide errasse dicitur, *quia docebat in baptismo gratiam & virtutes, quas vulgo Theologicas vocant, minimè infundi:* vt referunt Prateolus in Elencho hæresum *lib. 14.* in Petro Ioannis, & Alphonsus de Castro aduersùs hæreses verb. *Baptismus*, hæresi 4. constat autem, nomine *virtutum Theologicarum* ab vniuersa Ecclesia intelligi *fidem, spem, & charitatem*, & ita pueris ipsis in Catechismo tradi. Si ergo certum est, fidem esse virtutem infusam, consequens est, vt ex natura sua elicere non possit, nisi actus veros: quia virtus est ex Augustino lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. & 19. *bona qualitas, qua nemo malè vtitur:* virtus enim vt cum Aristotele ab omnibus recepto tradunt communiter Theologi, disponit potentiam ad optimum: quare virtus voluntatis disponit eam ad bonum, quod est optimum voluntatis: virtus verò intellectualis debet disponere intellectum ad verum, quod est optimum potentiæ intellectiuæ. Si ergo fides infusa per suam essentiam est virtus intellectualis, debet ex se habere alligationem intrinsecam ad actus veros & incapacitatem & repugnantiam ad falsos & erroneos.

86 *Hoc multo magis procedit in habitibus infusarum virtutum qui dantur quasi passiones gratiæ habitualis sanctificantis, &c.*

Quod multò magis procedit in his habitibus infusarum virtutum, qui, vt infra videbimus agentes de habitu fidei, dantur quasi passiones gratiæ habitualis sanctificantis ad perficiendas potentias in statu filij Dei adoptiui, in quo per gratiam ipsam constituitur homo, atque ideo ex natura sua non dantur nisi ad actus, quibus homo perficiatur, & specialiter habitus fidei datur vt per actus fidei possit homo inchoare omne meritum salutis æternæ: quia, vt suppono ex *tract. de gratia*, omne meritum siue condignum, siue etiam congruum salutis æternæ debet procedere à fide, quæ est primum, & necessarium initium totius meriti, & ante quam nullum meritum datur, quia voluit Deus, vt in negotio salutis æternæ, omnes essent docibiles Dei, & nihil tribueretur doctrinæ ipsius naturæ, sed disciplinæ, & scholæ diuinæ, itavt nemo possit venire,

nisi qui audit à Patre æterno, & nemo possit bene operari, provt expedit ad salutem, nisi quatenus operatur iuxta fidei regulas, quæ magisterium ipsius Dei continent, quod ex Scriptura, & Patribus latiùs infrà probandum est. Si ergo habitus fidei ad hoc infunditur, vt homo possit per actus supernaturales, & fini supernaturali proportionatos mereri suam salutem, & hoc non, nisi sequendo doctrinam & disciplinam Dei; debuit hic habitus ex natura sua alligari ad solas reuelationes Dei veras. Alioquin, si posset circa reuelationem etiam apparentem & falsam elicere actum supernaturalem, iam per illum actum posset esse principium proportionati actus supernaturalis in voluntate, qui esset etiam meritorius salutis æternæ, & qui non procederet vere ex doctrina Dei, cùm non præcessisset talis reuelatio Dei, quod esset contra id, quod Deus de facto intendit, volendo fidem esse principium totius nostri meriti in ordine ad salutem.

87 Obiicies tamen ex Suarez *num.*8. quia si reuelatio apparens est eiusdem rationis ex parte obiecti motiui cum reuelatione vera, non apparet, quomodo Deus operando iuxta naturas & exigentias rerum debeat negare habitui infuso fidei suum concursum ad eliciendum actum circa illud obiectum; quia Deus debet dare concursum suum provt obiecta postulant: quare si obiectum est eiusdem rationis exigit concursum etiam Dei eiusdem rationis. Respondetur facilè, Deum iuxta naturas & exigentiam causarum secundarum dare vel negare concursum habitui infuso fidei ad assensum obiecti falsi. Neque enim debitum dandi vel negandi concursum, attenditur solùm ex ipso obiecto secundùm se, sed etiam ex circumstantiis aliis. Sic proposito obiecto bono delectabili non prohibito, Deus posset dare in actu primo concursum voluntati humanæ Christi ad illud amandum: posita tamen prohibitione, voluntas Christi non posset illud amare, nec Deus dare concursum ad illius amorem, licèt obiectum totum amabile esset idem, nec enim actus amoris deberet terminari intrinsecè ad prohibitionem. Item stante etiam prohibitione, Deus daret concursum voluntati puri hominis ad illud amandum; accedente tamen vnione hypostatica illius naturæ humanæ ad suppositum diuinum, non posset Deus dare concursum ad talem amorem. Ecce in vtroque casu obiectum terminatiuum, & motiuum amoris, maneret idem: & tamen propter circumstantiam extrinsecam prohibitionis, vel vnionis hypostaticæ, ad quas circumstantias non terminatur intrinsecè actus amoris, Deus iuxta leges etiam naturæ debet negare concursum; sic ergo, licèt reuelatio secundùm se eadem sit, quando est vera, & quando est falsa, & apparens; Deus tamen in secundo casu non debet, nec potest dare concursum habitui fidei infusæ ad eum assensum: quia habitus ipse ex natura, & essentia sua exigit, ne detur concursus in talibus circumstantiis.

88 *Repugnantia actus & habitus fidei cũ reuelatione falsa, est essentialis.*

Hinc etiam infero, repugnantiam hanc actus, & habitus fidei cum reuelatione falsa non esse solùm connaturalem, sed etiam essentialem, ita vt nec de potentia Dei absoluta aliter fieri possit. Quod vt omnino certum supponere videntur Theologi, Bonauent. *in* 3. *dist.*24. *art.*1. *q.*1. dicens fidem esse tam infallibilem ac Dei præscientiam, Alex. 3. *part. q.*68. *membr.*7. *art.*1. dicens, non magis posse fidei subesse falsum, quàm primæ veritati. Idem docet Durand. *in* 3. *dist.*24. *q.*1. Lorca *in præsenti disp.*10. *num.*4. dicit oppositum esse temerarium: quod idem docet Hurtado *disp.*19. *sect.*3. §.15. & 16. vbi alios refert. Et quidem, si quæ sunt argumenta ad probandum, quod fides possit versari circa reuelationem apparentem, ea omnia non probant solùm de potentia absoluta, sed etiam de potentia ordinaria, & iuxta naturam ipsius fidei. Reuelatio enim apparens potest sine miraculo proponi, & cum obligatione credendi propter ignorantiam, vel incapacitatem alicuius, quare si illa est obiectũ proportionatum fidei, connaturaliter poterit circa illam versari. Quod idem considerari potest in aliis argumentis, quæ statim afferemus, & dissoluemus: omnia enim si quid probant, videntur etiam id probare possibile de potentia ordinaria.

Ratio autem esse videtur clara: quia, quidquid 8
sit, an quælibet creatura possit diuinitùs eleuari, vt per potentiam obedientialem actuam possit producere quodlibet, de quo nunc non disputamus (nam in eo sensu etiam habitus fidei posset eleuari diuinitùs ad producendum actum erroris, & è contra habitus erroris ad producendum actum fidei, sicut voluntas posset eleuari ad producendam intellectionem, & intellectus ad producendam volitionem) non tamen potest aliquis habitus, aut potentia eleuari, vt eliciat actus contrarios suæ exigentiæ tanquam actus suos. Nam volitio producta ab intellectu non esset actus intellectus, nec intellectio producta à voluntate esset actus voluntatis, nec actus scientificus productus ab habitu erroris esset actus erroris, neque è contra, & sic de aliis. Similiter ergo, licet habitus fidei infusæ per potentiam obedientialem produceret actum erroris circa reuelationem falsam, ille quidem non esset actus fidei, sed actus erroris; quia actus fidei sunt illi, qui petunt ex essentia sua elici ab habitu fidei, quatenus habitus fidei est, eo quod tales actus sunt, & versantur circa tale obiectum. Hi autem sunt essentialiter supernaturales in substantia, vt supponо, atque ideo debent esse per suam substantiam veri, & non indifferentes ex se, vt sint veri, vel erronei. Sunt enim ordinis diuini dati ad hoc, vt homo constitutus in ordine diuino operetur, qualiter decet operari hominem diuini ordinis, & filium adoptiuum Dei. Sunt ergo ij actus tales in sua entitate intrinseca, vt formaliter perficiant hominem, si quidem per illos formaliter eleuatur natura supra propriam conditionem: debet ergo per illos perfici, & non deteriorari; alioquin non eleuaretur, sed deprimeretur per tales actus. Hinc est, non posse actum voluntatis supernaturalem esse formaliter malum, quidquid sit de malitia extrinseca, & denominatiua, quæ stare potest cum honestate, & merito formali actuali ipsius actus imperati, vt dixi latè *disp.*15. *de pœnitent. sect.*9. Similiter ergo nec actus intellectus supernaturalis potest esse falsus, & erroneus, quia iam tunc non perficeret, sed læderet, & deteriorаret intellectum, quare non eleuaret, sed deprimeret hominem ad deteriorem statum erroris pomeret intellectum, quare non eleuaret, sed deprimeret hominem ad deteriorem statum erroris pomeret hominem ad deteriorem statum erroris pomeritui, qui peior est, quàm ignorantia puræ negatiuæ; cùm ergo actus fidei sint essentialiter supernaturales; debent etiam esse essentialiter veri, & certi absque indifferentia intrinseca ad errorem, & veritatem: quare si actus esset falsus circa reuelationem falsam, non esset hic actus, qui nunc est, sed alius omnino diuersus, & per consequens

sequens non esset actus fidei, id est, non esset ex illis, ad quos ordinatur fides, qui debent intrinsecè esse determinati ad perficiendum subiectum, eo quod semper sint operationes ordinis diuini.

90 *solutio 1.* Contra hanc communem doctrinam plures fiunt obiectiones. Prima desumitur ab experientia, qua videmus rusticum eodem modo assentiri mysterio vero, & falso à Parocho proposito; vtrique enim assentitur propter fidei reuelationem, quam credit existere, & per vtrumque assensum meretur: ergo vtrumque elicit per eandem fidei virtutem: neque enim dici potest, ad credendum falsum moueri solùm auctoritate Parochi: cùm re vera ex parte motiui non magis obiiciatur Parochi auctoritas ad vnum assensum quàm alium, ergo si ad credendum mysterium verum mouetur auctoritate Dei, ab eadem etiam mouetur ad credendum falsum.

Dicunt aliqui, rusticum etiam regulariter habere motiua ad credendum præter doctrinam Parochi, quod si aliquando pueri ob incapacitatem non attendant ad alia motiua, tunc Deus speciali prouidentia, & quasi priuilegio mouet illos ad assensum fidei, ita Lorca *in præsenti artic. 3. disp. 10. num. 12.* Sed planè sine fundamento, quia ille est vsitatus, & communis modus credendi quem habent ferè omnes rustici, & ipsa experientia docet, non habere maiora motiua ad credendum verum articulum quàm falsum à Parocho propositum, & absque fundamento ponitur priuilegium ad habendam fidem absque motiuo sufficienti; illa enim non esset fides prudens, sed leuitas.

91 Respondeo ergo iuxta supradicta, assensum obiecti falsi non semper differre ab assensu fidei penes obiectum formale in modo quo perceptibiliter proponitur, vt probat obiectio; non tamen esse actum fidei; quia, vt dixi, habitus fidei habet limitatam actiuitatem, vt non possit concurrere ad assensus omnes, qui respiciunt reuelationem Dei, sed solùm ad illos, qui tendunt in veram reuelationem. Hæc autem limitatio colligitur à posteriori ex Scriptura & Patribus docentibus assensum fidei esse certum, non posset autem esse certus, si posset esse falsus, vt *suprà* probaui. A priori verò colligitur ex eo, quod fides sit virtus intellectualis per suam essentiam; quare sicut virtus voluntatis tendit semper in bonum, sic intellectualis in verum, vt ait Aristoteles adductus à Sancto Thoma *in præsenti articulo 3.* quare licèt per virtutem voluntatis, per misericordiam, v. g. possimus subuenire pauperi ficto, & apparenti; non tamen possumus per virtutem fidei credere verum apparens: quia actus voluntatis ideo est virtuosus, quia est bonus, bonus verò, quia sequitur regulam prudentiæ, quam etiam sequitur subueniendo hic & nunc pauperi apparenti: at verò actus intellectus non ideo est virtuosus, quia est bonus, sed quia verus, (actus enim intellectus non habent formalem bonitatem, sed denominatiuè à voluntate) ergo deficiente veritate, non erit actus virtutis fidei. Fateor, in prædicto casu rusticum habere piam voluntatis affectionem, & supernaturalem quidem, qua vult credere fide diuina mysterium falsò propositum; fateor etiam mereri per illam voluntatem credendi, & peccare etiam aliquando, si eam non habeat: nego tamen posse elicere assensum fidei diuinæ circa illud obiectum.

92 Dices, experitur rusticus eandem facilitatem credendo articulum falsum à Parocho propositum, quam experitur in credendis articulis veris, ergo prouenit vterque assensus ab eodem habitu. Respondeo, habitus infusos non dare facilitatem, sed dari ad modum potentiæ, vt detur posse non facilius posse, vt dixi in Philosophia, & alibi probandum est: totam autem facilitatem, quam experimur, prouenire ab habitu acquisito, qui in mea sententia non est, nisi species benè dispositæ, & concordatæ. Habitus ergo acquisitus idem est in rustico ad veros, & falsos articulos à Parocho sibi propositos credendos: non tamen concurrit in vtroque casu habitus infusus, quia assensus articuli falsi non est supernaturalis, sed naturalis, cùm sit actus etroneus, licèt æquè facilè vnus, & alter assensus fiat.

Dices iterum, assensus ille articuli falsi est actus Theologicus, cùm habeat pro motiuo, & obiecto formali veracitatem diuinam, non minùs, quàm assensus articuli veri: ergo procedit ab aliquo habitu Theologico: non prouenit autem à spe, vel charitate: ergo à fide, cùm non sint alij habitus Theologici. Respondetur, actum illum non esse Theologicum supernaturalem, sed naturalem, atque adeo nec propriè Theologicum, & nullo modo esse actum virtutis Theologicæ, cùm non sit actus virtutis, vt diximus, sed vitium, & defectus intellectualis: sed neque etiamsi esset verus, deberet esse ab habitu Theologico infuso, qui non datur nisi ad actus Theologicos supernaturales: actus autem naturales, qui versantur etiam circa Deum, fieri possunt à virtute naturali potentiæ, vel etiam ab habitu naturali acquisito. 93

Secundò, principaliter obiici solet, quia actus aliarum virtutum supernaturalium possunt versari circa falsum, v. g. cùm ex religione adoramus hostiam non consecratam, quam putamus consecratam: cùm ex misericordia damus eleemosynam pauperi ficto, qui non est pauper: cum ex obedientia ieiunamus, putantes esse præceptum cùm non sit: cùm ex iustitia soluimus, quod falsò putabamus deberi, & sic de aliis: cur ergo fides etiam non poterit acceptare reuelationem Dei existimatam, licèt vera non sit. Respondetur communiter, differentiam esse inter virtutes intellectus & voluntatis; quod illæ versantur circa verum: quare earum perfectio consistit tota in conformitate cum obiecto, à quo immediatè sumitur veritas, vel falsitas in intellectu. At verò virtutes voluntatis versantur circa bonum propositum; & earum perfectio non consistit in conformitate cum obiecto, prout est à parte rei, sed prout proponitur per rationem: tunc enim operatur bene voluntas, quando sequitur regulam rationis, & tunc peccat, quando eam relinquit, quidquid sit, an obiectum sit, vel non sit bonum à parte rei: quare virtus voluntatis potest versari circa falsum, quia conformatur cum sua regula, nempe cum dictamine rationis: virtus autem intellectualis non potest versari circa falsum, quia non conformaretur cum sua regula, quæ non est alia nisi veritas ipsius obiecti. 94 *Obiectio 2.* *Quæ sit differentia inter virtutes intellectus, & voluntatis.*

Sed contra hoc vrgeri potest: quia si virtus voluntatis potest versari circa falsum, ergo & virtus etiam intellectualis poterit: quando enim iustitia, vel religio, v. g. versatur circa bonum apparens, & falsum, præcedere debet dictamen prudentiæ practicum, quo illud proponitur vt bonum: & quidem ad actus voluntatis supernatu- 95

rales

rales iudicium præcedens de honestate obiecti debet esse supernaturale ; si ergo obiectum ipsum à parte rei non est bonum, iam erit falsum iudicium prudentiæ dictans, illud esse bonum, illam hostiam esse consecratam ; illum esse pauperem, &c. ergo prudentia etiam, quæ est virtus intellectualis, versatur circa falsum, quoties voluntas virtuosè versatur circa falsum.

Actus omnium virtutum voluntatis prærequirunt iudicium practicum verum.

Respondendum ergo est vniuersaliter, actus omnium virtutum voluntatis, præsertim supernaturales, prærequirere iudicium practicum verum, quo proponatur vt bonum id, quod verè bonum, & honestum est : quo actu intellectus non dictat hanc hostiam, v. g. esse consecratam, Missæ auditionem esse hodie præceptam, hunc esse verè pauperem, &c. sed dictat, bonum esse hîc & nunc adorare hanc hostiam, audire Missam, subuenire huic homini, &c. quod verissimum est : quia supposita notitia siue vera siue falsa de consecratione hostiæ, de præcepto, de paupertate, bonum est ita operari. Ita iudicauit Iacob prudenter, bonum & honestum esse cognoscere Liam, quam putabat esse Rachelem : quia in iis circumstantiis honestum id erat, supposita deceptione præcedenti. Bonum etiam est huic apparenti pauperi dare eleemosynam, quia non sunt nimis examinandæ petentium necessitates, ne fortasse verè indigentes reiiciantur. Ita Hurtado *disp.* 19. §. 8. & Coninch. *dict. disp.* 10. *num.* 80. quicumen malè addidit, ibi interuenire duo iudicia, quorum primum erat speculatiuum dictans, illam fœminam esse vxorem Iacobi, & hoc erat falsum : alterum practicum, quod inferebatur ex primo, & dicebat, ergo *licitè eam maritali affectu cognosco* : & hoc erat verum, & pertinebat ad prudentiam. Hoc, inquam, non placet : quia si secundum iudicium habet se per modum conclusionis deductæ ex primo, non potest esse actus prudentiæ, nec actus verus supernaturalis. Nam prudentia certò iudicat de licito : non potest autem certò inferre obiectum esse licitum ex præmissa non solùm incerta, sed falsa : demonstratio enim debet esse ex veris, & certis. Deinde, quia assensus conclusionis, vt diximus *suprà disp.* 1. assentitur etiam saltem indirectè, & *vt quo* ipsis præmissis obiectiuis, quæ sunt motiuum formale assentiendi conclusioni : si ergo secundum illud iudicium habet se per modum conclusionis formalis deductæ ex primo, erit vtique falsum : debet enim ita dicere : *Ergo licitè eam maritali affectu cognosco, quia licitum est ita cognoscere propriam vxorem, & hæc est mea vxor* : quod iudicium esset falsum, cùm haberet pro obiecto saltem partiali aliquid falsum, nempe illam esse suam vxorem.

96 Aliter ergo explicanda sunt illa duo iudicia, itavt primum concurrat quidem ad secundum, non tamen habeat se vt præmissam, ex qua inferatur secundum tanquam conclusio. Vnde vel dicendum est, si secundum iudicium illud sit conclusio, non inferri ex illo alio, *hæc est mea vxor*, tanquam ex præmissa, sed ex aliis præmissis veris, nempe ex his, *quoties aliqua proponitur vt vxor sine ratione prudenter dubitandi, licitè cognoscitur : hæc autem mihi taliter proponitur* : quod vtrumque erat iudicium verum. Sic etiam contingit in adoratione hostiæ non consecratæ : habemus enim hunc discursum : *quoties proponitur hostia adoranda sine ratione prudenter dubitandi de consecratione, adoranda est, hæc hostia taliter proponitur : ergo adoranda est* : in qua nulla interuenit præmissa falsa. Debet autem prudentia hoc secundo modo discurrere, & non primo illo : quia cùm debeat probare, & proponere honestatem operationis, & illam esse licitam hic & nunc ; bonitas autem operationis licitæ non prouenit formaliter, & proximè ex eo, quòd competit ei à parte rei, sed ex eius conformitate cum regula rationis, debet comparari cum ipso statu ; quem habet in conscientia operantis, vt proponatur practicè, & proximè tanquam licita, & honesta, concurrit ergo illud primum iudicium dictans : *hæc est mea vxor*, non vt præmissa, sed vt sit verum iudicium illud reflexum, dicens, *hæc fœmina mihi proponitur, & à me iudicatur vt vxor sine ratione prudenti dubitandi* : quod iudicium reflexum deseruit, vt præmissa ad vltimam conclusionem practicam.

Vel aliter secundò dicere possemus, secundum 97
illud iudicium practicum nullo modo esse conclusionem deductam ex vllis præmissis, siue veris, siue falsis ; sed esse assensum immediatum. Nam posita cognitione circumstantiarum, in quibus nulla occurrit ratio prudenter dubitandi, an hæc fœmina non sit propria, sed aliena ; ex ipsis terminis constat, in his circumstantiis licitè, & honestè posse cognosci. Sicut enim assensus ille vniuersalis non fieret per discursum, sed immediatè, & ex terminis, quo diceres, *quoties aliqua proponitur vt vxor sine prudenti ratione dubitandi, licitè cognoscitur* : cur etiam hæc particularis non potest terminare assensum ex terminis immediatum, & sine discursu ; *in his circumstantiis* (nempe quibus hæc proponitur vt vxor, sine ratione prudenti dubitandi, quæ omnia immediatè, & sine discursu cognoscuntur) *licitè hæc fœmina cognosci potest ?* Quod iudicium practicum & vltimum est, nec aliud vlterius requiritur ad operandum, & potest à prudentia elici. Et quidem, quod attinet ad operandum licitè, sufficit iudicium illud immediatum, & hoc etiam esset magis iuxta modum connaturalem operandi nostri intellectus : qui quidem, quando sine discursu potest veritatem aliquam immediatè, & ex terminis assequi, non solet discursu vti, nec inuestigare per media, & argumenta, quod immediatè possidet, quando argumenta illa, & media conferre non possunt ad maiorem confirmationem veritatis. Cæterùm, vt non solùm licitè, sed meritoriè etiam operetur voluntas, requiri videtur, 98
quod iudicium vltimum prudentiæ de honestate obiecti, sit cum discursu aliquo formali, vel virtuali excepto iudicio illo prudentiæ, quod prærequiritur ad voluntatem piam credendi. Diximus enim *suprà disp.* 1. prudentiam infusam, cuius actus prærequiritur ad operationes virtutum moralium infusarum, subordinari fidei, atque ideo iudicare de honestate obiecti dependenter à lumine fidei, & deducendo honestatem huius operationis in particulari ex principiis à Deo reuelatis, & sistendo in diuino testimonio, & veracitate saltem vt in motiuo partiali. Ad hoc autem requiritur discursus aliquis formalis, vel virtualis, quo ex motiuo fidei deducatur bonum esse adorare hanc hostiam, quia fide constat, sub hostia consecrata esse corpus Christi, & honestum esse adorare hostiam, quæ absque fundamento prudenti dubitandi, proponitur adoranda, &c. Supposito enim, quod velimus iudicare de honestate obiecti non solo rationis naturalis lumine, sed etiam per regulas fidei ; necesse est, aliquem

quem discursum interuenire, per quem resoluatur vltimò honestas obiecti in testimonium diuinum. Excepi tamen iudicium requisitum ad volendum credere: quod quidem non oritur ex fide, sed præcedit fidem ipsam, atque adeo non fundatur in testimonio Dei, tanquam in motiuo assentiendi, sed in ipsa honestate credendi, quæ quidem potest in his circumstantiis ex terminis, & immediatè apparere, sicut diximus de honestate aliorum obiectorum, atque adeo iudicium illud prudentiæ infusæ potest esse absque vllo discursu.

99 Adde, in aliis etiam materiis, licèt iudicium practicum vltimum prudentiæ infusæ debeat inuoluere aliquem discursum, quo ex diuina auctoritate colligatur honestas obiecti propositi, vt diximus: non tamen requiri discursum, quo eadem honestas colligatur ex illa propositione particulari incerta, *hæc est mea vxor, hic homo indiget, hæc hostia est consecrata*, &c. Sed ex propositione vniuersali reuelata, & ex particulari reflexa certa, & immediata, nempe, *hæc proponitur mihi, vt vxor absque prudenti dubio: hæc hostia proponitur adoranda sine ratione dubitandi*, &c. ex qua simul cum alia præmissa vniuersali reuelata inferatur iudicium vltimum practicum prudentiæ infusæ circa honestatem huius operationis.

100 Tertiò obiiciunt aliqui; quia actus virtutum supernaturalium possunt vitiari non obstante eorum supernaturalitate, sic enim dixi *disp. 15. de pœnitentia, sect. 9.* posse ex imperio venialiter malo procedere actum fidei, vel alterius virtutis infusæ, & ab eo imperio denominari malum extrinsecè ipsum actum imperatum: ergo poterit etiam actus fidei supernaturalis vitiari vitio intellectuali falsitatis, & erroris. Respondetur, negando consequentiam, quia malitia denominatiua, quam actus imperatus bonus accipit extrinsecè ab imperante malo, non reddit ipsum formaliter malum; immo manet bonus, & Deo placens & meritorius, & licèt imperium sit malum, actus tamen imperatus consequens perficit potentiam, cui melius est illum actum habere, quàm eo carere. At verò actus fidei falsus, non esset falsus & vitiosus denominatiuè ab alio actu falso, à quo oriretur, sed in se ipso formaliter & immediatè haberet vitium falsitatis, & erroris, atque ideo non perficeret, sed deterioraret intellectum. Quare retorqueri potest argumẽtum: quia actus voluntatis supernaturalis non potest esse malus in se malitia formali, quæ immediatè afficiat ipsum actum supernaturalem: ergo nec actus intellectus supernaturalis potest formaliter, & immediatè vitiari vitio falsitatis, vel erroris.

101 Quartò obiici solet, quia Iudæo credente Messiam nasciturum, paulò ante Christi natiuitatem: potuit nasci Christus ignorante Iudæo, & ipse perseuerare in eodem actu fidei, qui tamen iam esset falsus. Aliqui dicunt, illum assensum insensibiliter variandum nato Christo, sed est incredibile, & sine fundamento. Respondeo facilè, vel per illum assensum à principio credi Christum nasciturum post tempus vltimæ prophetiæ, & reuelationis: & tunc esset actus fidei, & perseueraret nato Christo, quia non negabat Christum natum esse iam, sed natum esse tempore vltimæ reuelationis; vel ille assensus negabat Christum esse natum in illa hora; & tunc ab initio non fuisset actus fidei, quia Deus non reuelauerat, Christum non esse natum illa hora: imo etsi id reuelasset, si tamen potest actus idem perseuerare, posset manere idem actus nato Christo, quia semper maneret negando Christum natum solùm pro illo primo instanti pro quo ab initio negauit, non pro tempore sequenti, alioquin idem numero actus variat modum intrinsecum respiciendi suum obiectum, quod est impossibile, de quo dixi latè in libris de anima.

Obiectio 5. Quintò obiicitur, quia per fidem credimus, Christum esse in hac hostia consecrata: alioquin non adoraretur absolutè, sed conditionatè: & tamen potest huic assensui subesse falsum. Respondetur negando maiorem: solùm enim fide credimus, Christum esse sub hostia riè consecrata: quomodo autem stet cum hoc posse, imo debere hanc hostiam adorare absolutè, dixi latè in tomo de Incarnatione *disp. 37. sect. 4.*

SECTIO VII.

Vtrùm actus fidei possit, vt præmissa concurrere ad conclusionem falsam.

162 NVnc videndum est de secundo modo suprà indicato, quo posset fides saltem mediatè concurrere ad assensum falsum; quando nimirum ex vna præmissa de fide, & altera naturali falsa infertur assensus conclusionis falsæ, v.g. ex his duabus præmissis, *Vbi est duplex natura, est duplex persona: in Christo est duplex natura*, infertur conclusio falsa, & hæretica, *ergo in Christo est duplex persona:* ad quem assensum conclusionis falsæ videtur concurrere vtraque præmissa, & per consequens præmissa fidei, seu actus fidei infusæ, quo illa creditur, videtur saltem partialiter concurrere ad actum falsum circa conclusionem.

163 *Duplex quæstio in hoc puncto.* In hoc autem puncto duplex potest esse quæstio. Prima: An ille actus conclusionis esset tunc verè supernaturalis in sua substantia, & elicitus ab habitu fidei infusæ. Secunda est, an saltem præmissa formalis fidei, quæ est actus supernaturalis, sit causa illius conclusionis. Quoad primam quæstionem posset aliquis contendere, actum illum conclusionis esse supernaturalem, & elicitum ab habitu infuso fidei: quia licèt provt attingit obiectum conclusionis, atque obiectum etiam præmissæ falsæ, sit falsus: provt tamen simul attingit obiectum præmissæ de fide, & assentitur illi propter motiuum proprium fidei, nempe propter veracitatem, & reuelationem Dei, est actus verus, & ex hac parte videtur esse proprius actus fidei, & poterit esse supernaturalis. Nam sicut potest idem actus esse simul euidens & probabilis, clarus, & obscurus, respectu diuersorum obiectorum, quando verbi gratia, assentitur conclusioni probabili propter duo principia, seu duas præmissas, alteram euidentem, alteram probabilem; ita videtur posse idem actus esse verus, & falsus in ordine ad diuersa obiecta: quia veritas est conformitas cum obiecto, falsitas verò est difformitas; quare si eodem actu affirmantur duo obiecta diuersa per modum plurium, poterit actus esse conformis vni obiecto, & per consequens verus, & simul difformis alteri obiecto, & ex ea parte falsus. Dixi, quando affirmat diuersa obiecta *per modum plurium*, quia si affirmarentur per modum vnius affirmationis nulla videtur remanere veritas, vt si dicas, in tali loco esse simul Petrum & Paulum; tunc si Paulus non est, etiamsi sit

An ille actus conclusionis esset tunc verè supernaturalis in sua substantia, & elicitus ab habitu fidei infusæ.

sit Petrus, nulla videtur remanere veritas in illo actu; quia affirmatur simultas, & coniunctio vtriusque. Secus verò est, quando idem actus continet quasi plures affirmationes diuersas obiectorum diuersorum. Sicut scientia Dei eadem indiuisibilis affirmat plura obiecta, & habet plures conformitates cum illis. Talis autem videtur esse actus, quo assentimur obiecto conclusionis propter obiecta præmissarum, & simul saltem indirectè assentimur ipsis obiectis præmissarum: non enim affirmantur illa omnia obiecta per modum vnius, sed per plures quasi affirmationes, vnde magis assentimur obiecto præmissæ, quàm conclusionis; & aliquando magis obiecto vnius præmissæ, quod euidens est, quàm obiecto alterius præmissæ, quod solùm est probabile, & obscurum. Quod totum postea approbatum inueni apud Ripaldam *tom.1. de ente supernaturali, disputatione 47. num.16.*

104 Cæterùm, quidquid sit de hac doctrina, non videtur concedendum, actum conclusionis eo casu fore per se & formaliter supernaturalem: quia etiamsi ille idem actus possit dici verus respectu vnius obiecti; adhuc est falsus respectu alterius obiecti, & per consequens totus actus manet defectuosus, & vitiatus; quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: si autem esset supernaturalis, cùm sit actus realiter indiuisibilis, totus esset supernaturalis, & nihil prorsus esset naturale in ipso; quia naturale non potest realiter identificari cum supernaturali. Vnde falsitas etiam ipsa, & error circa obiectum falsum esset supernaturalis, quod videtur repugnare supernaturalitati horum actuum, qui, vt supra diximus, dantur ad eleuandam & perficiendam potentiam supra suam conditionem. Nullo autem modo perficitur intellectus per errorem supernaturalem, sed potiùs deprimitur, & deterioratur, etiamsi simul cognoscatur aliud obiectum verum. Magis enim esset contra Christi dignitatem, si haberet errorem positiuum circa aliquid, licèt simul haberet scientiam aliorum possibilium, quæ modò non scit, quàm si ea possibilia non sciat per meram negationem scientiæ absque vllo errore positiuo. Vnde in Beatissima Virgine conceditur ignorantia puræ negationis de aliquibus, quæ non pertinebant ad eius statum; non tamen error positiuus, seu iudicium falsum. Cùm ergo actus ille esset erroneus, & malus simpliciter intellectui, non posset esse totus, atque adeo nec ex parte supernaturalis cùm sit indiuisibilis.

105 Confirmari potest primò exemplo voluntatis, in qua si aliquis per eundem actum eligeret medium malum propter finem bonum, totus ille actus esset simpliciter malus, nec posset esse supernaturalis, vel elici ab habitu charitatis, vel alterius virtutis infusæ, quia licèt quatenus attingeret, & amaret finem bonum, conformaretur cum regula rationis, discederet tamen ab illa, quatenus eligeret medium malum, atque ideo totus ille actus displiceret Deo, cum non posset ex parte placere & ex parte displicere nullas habens partes, & totus esset peccaminosus; repugnat autem peccatum supernaturale datum ad perficiendam potentiam in ordine diuino. Similiter ergo dicendum est de actu intellectus erroneo propter difformitatem ab aliquo obiecto cùm sit eadem ratio.

106 Confirmatur secundò, quia si ad supernaturalitatem illius actus sufficeret attingere obiectum verum, & motiuum fidei non obstante falsitate circa aliud obiectum, sequeretur, quod de facto quoties rusticus credit articulum falsum propter reuelationem existimatam Dei à Parocho sibi propositam, assensus ille esset supernaturalis elicitus ab habitu infuso fidei, quia ille etiam actus, licèt esset falsus respectu articuli falsi crediti, & respectu reuelationis falsò existimatæ, esset tamen verus, prout attingit etiam veracitatem Dei, quod est motiuum partiale, & simul affirmatur per illum assensum: & quidem veracitas Dei est proprium, & dignissimum obiectum habitus fidei infusæ, quare non apparet, cur non posset ex eo capite assensus ille esse supernaturalis, nisi fateantur repugnantiam oriri ex eo, quod simul sit actus falsus, & erroneus circa obiectum materiale & circa reuelationem falsam apparentem; ergo similiter assensus conclusionis falsæ non erit supernaturalis, licèt simul sit assensus alicuius præmissæ de fide propter consortium nimirum alterius præmissæ & conclusionis falsæ.

Vnde infertur assensum illius conclusionis falsæ non esse actum elicitum ab habitu infuso fidei: nam licèt attingat obiectum fidei, habitus tamen infusus datur ad eleuandam potentiam in ordine solum ad actus supernaturales ad quos potentia sola non habet vires: quando verò actus est naturalis, etiamsi versetur circa idem obiectum, non indiget potentia aliquo comprincipio eleuante, sed ipsamet habet vires sufficientes, & ad summum adiuuatur ab habitu acquisito, vt faciliùs & meliùs operetur. Cùm ergo assensus illius conclusionis falsæ sit naturalis, vt diximus non est ad quid debeat, vel possit habitus fidei infusæ concurrere.

107 Restat nunc altera quæstio, an præmissa fidei supernaturalis concurrat partialiter ad illum assensum conclusionis falsæ. Aliqui dicunt, præmissam fidei concurrere quidem ad conclusionem quoad substantiam actus, non tamen quoad substantiam assensus; ita Bañez *in præsenti quæst.1. articulo 3. dub.2. §. vltima conclusio.* Hoc tamen difficile explicari potest, quia substantia actus non potest condistingui à substantia assensus, nisi vt ratio superior ab inferiori, quatenus ratio *actus* est quid commune assensui, & apprehensioni. In hoc autem sensu malè applicatur distinctio illa ad nostrum casum: in quo, si præmissa fidei concurrit ad conclusionem falsam, debet quidem concurrere ad illam, vt ad assensum: concurrit enim ad illam, tanquam præmissa ad conclusionem: præmissa autem non concurrit solum ad actum vtcunque, sed ad assentiendum conclusioni mouendo, & determinando intellectum, vt assentiatur obiecto conclusionis propter obiectum præmissarum. Si ergo conclusio pendet ab illa præmissa, debet pendere vt conclusio, & per consequens vt assensus; quia conclusio vt conclusio essentialiter est assensus. Nec dici potest conclusionem illam, vt conclusionem pendere solùm ab altera præmissa falsa, & non à præmissa fidei: quia vna præmissa nihil potest concludere nec potest esse conclusio vlla, quæ non respiciat essentialiter obiecta duarum præmissarum. Videatur Hurtado *disp.19. §.53. & seqq.*

Ipse verò Hurtado in primis §.57. dicit, præmissas formales non influere physicè in actum conclusionis, sed solùm in genere causæ formalis determinare intellectum: & postea §.58. dicit

conclusio

conclusionem illam falsam non procedere à præmissa fidei supernaturali, sed à præmissa naturali falsa, & ab alia etiam præmissa naturali fidei, quia simul cum actu supernaturali fidei fit alius actus naturalis circa idem obiectum, à quo potest procedere illa conclusio naturalis falsa, absque eo quod concurrat præmissa supernaturalis. Hæc etiã responsio difficilis est. Primò, Quia esto, quod præmissæ non concurrant efficienter, sed solùm formaliter ad actum conclusionis; ille tamen concursus formalis magis essentialis, & proprius videtur, quàm efficientis, atquare Deus potest supplere concursum præmissæ in genere causæ efficientis, non tamen concursum in genere causæ formalis. Vnde, si cognitio concurrit etiam in genere causæ efficientis ad actum amoris, Deus poterit supplere illum concursum, & facere amorem in nobis sine dependentia à cognitione in genere causæ efficientis: non tamẽ potest ponere eũin nobis sine eo, quod præcedat cognitio boni mouens in genere causæ formalis: atque ideo principium illud, *nihil volitum, quin præcognitum*, magis vniuersaliter, & essentialiter verificatur ratione concursus formalis, quàm efficientis, quem cognitio habet in amorem. Si ergo repugnat præmissæ fidei infusæ concurrere ad conclusionem falsam, magis repugnabit concurrere in genere causæ formalis, qui est magis proprius concursus præmissæ, vt præmissæ quam in genere causæ efficientis.

109 Secundò: illud etiam, quod additur de præmissa naturali fidei, à qua, & non à supernaturali, procedat conclusio illa falsa, difficile est: quia in primis falsò supponitur, simul cum actibus supernaturalibus fieri semper alios actus naturales circa idem obiectum, vt vidimus *suprà disp. 1. sect. 9.* Deinde etiam eo concesso, adhuc præmissa ipsa fidei supernaturalis deberet mouere ex parte sua intellectum ad assensum conclusionis saltem in actu primo. Nam mouere in actu primo ad assensum conclusionis, nihil est aliud, nisi proponere intellectui tale obiectum, in quo contineatur obiectũ cõclusionis, & ex quo in actu primo intellectus visa bonitate illationis, & continentia obiecti conclusionis in obiectis præmissarum, contineatur, & alligetur ad non negandum, imò ad affirmandum obiectum conclusionis, cui iam implicitè in præmissis assensum præbuit. Hoc autem totum facit præmissa fidei supernaturalis, non minùs quam naturalis, cum proponat obiectum suum, in quo partialiter continetur obiectum conclusionis, & quod mouet in actu primo intellectum ad non negandum, sed potius affirmãdum obiectum conclusionis, quod implicitè amplexus est in præmissis. Finge enim non poni præmissam naturalem fidei simul cum supernaturali, sed solùm supernaturalem; adhuc non minus intellectus experiretur se conuictum in actu primo, & propensum ad explicitè assentiendum conclusioni, cui iam implicitè assensus est in præmissis. Et quamuis Hurtadus dicat, eo casu Deum non daturum concursum ad assensum conclusionis, id tamen parũ videtur referre, quia iam præmissa fidei supernaturalis ex parte sua inclinabat, & mouebat intellectum, & proposito motiuo suadebat assensum. Si non est autem inconueniens, quod præmissa fidei in actu primo suadeat, & moueat, ac incitet partialiter ad assensum falsum, non erit etiam inconueniens, quod ex illa motione partiali sequatur in actu secundo assensus falsus. Nam in rigore loquendo indecentia tota, si quæ est, inuenitur in suasione illa & notione in actu primo. Si enim in actu primo suadeas alicui, & proponas rationes conuincentes ad credendum falsum, imò facias eum credere aliquod in quo iam implicitè continetur illud falsum; parum refert, quod ille postea credat, vel non credat explicite falsum illud; cum iam ex parte tua illum disposueris, & compuleris ad credendum. Si ergo præmissa fidei potest saltem partialiter, & simul cum præmissa falsa suadere in actu primo, & mouere ad assensum conclusionis falsæ, parum auget indecentiam, quod postea sequatur assensus explicitus, & parum minuit, quod negato concursu Dei non sequatur.

110 *Posita vna præmissa formali fidei, & altera falsa sequitur assensus naturalis conclusionis falsa.*

Faciliùs ergo, & verius conceditur, eo casu, posita vna præmissa formali fidei & altera falsa, sequi assensum naturalem conclusionis falsæ, quę ex vtraque præmissa sequitur, provt cum aliis concedunt Suarez *disp. 6. de fide sect. 5. num. 4.* Granado *disp. 7. num. 16.* Coninch. *disp. 10. n. 82.* & latius P. Ripalda *tom. 1. de ente supernaturali disp. 56. per totam*, vbi multa congerit in confirmationem huius sententiæ. Quæ breuiter proòari potest, quia non est inconueniens, aut nouum, quod causa aliqua ex se bona, & perfecta, propter concursum alterius concausæ prauæ & vitiosæ concurrat partialiter ad effectum vitiosum, vt contingit in concursu Dei cum voluntate creaturæ ad actum malum: in potentia etiam progressiua concurrente ad claudicationem cum crure vitiato: in potentia generatiua concurrente ad generationem monstri cum causa alia malè affecta, & in mille aliis exemplis. Quare aduertũt prædicti Doctores præmissam fidei non esse dicendam simpliciter causam conclusionis falsæ, sicut nec Deus dicitur simpliciter causa peccati, vel actus mali, nec potentia progressiua causa claudicandi, & sic de aliis: quia nimirum actus fidei verus ex se suadebat verum, & inclinabat ad verum; ex concursu autem præmissæ falsæ, illud verum, quod proponebat præmissa fidei, detorquetur ad suadendum aliud falsum. Nec obstat differentia, quam indicauit Hurtado *vbi supra §. 56. in fine*, quod Deus sit causa vniuersalis, & fides in casu nostro sit causa particularis. Hoc inquam, parum refert, tum quia præmissa etiam fidei est causa vniuersalis, & indifferens de se ad plures conclusiones diuersas inferendas, vnam cum tali alia præmissa, aliam cum alia, & alias plures cum aliis: ad hanc autem conclusionem determinatur à tali præmissa falsa sibi coniuncta; tum etiam, quia licet Deus ex se sit causa magis vniuersalis; eius tamen potentia, provt à Deo specialiter applicata ad concurrendum cum hac voluntate creata ad actum amoris, vel odij, solùm est indifferens ad amorem, vel odium, & tamen quia determinatur à voluntate creata ad actum odij præter Dei intentionem, Deus non dicitur causa odij peccaminosi. Maiorem autem indifferentiam habet præmissa fidei ad diuersas conclusiones inferendas: quare cùm præter eius inclinationem determinetur à præmissa falsa ad hanc conclusionem falsam, non debet ei tribui talis effectus vitiosus.

111 *Explicatur & confirmatur exemplo hominis testificantis.*

Quod possumus rursus explicare, & confirmare primò in exemplo supra indicato hominis testificantis, & suadentis alteri aliquid, ex quo inferri possit aliquod falsum. Si enim audias duos testes, vnum veracem, qui testificatur Petrum occisum

cisum ab eo, qui ingressus fuit tali hora eius cubiculum, alterum mendacem, qui dicit neminem ingressum fuisse tali hora cubiculum, nisi Ioannem, ex vtriusque testimonio tu infers, Petrum occisum à Ioanne, quod falsum est. Tunc certè primus testis nec te fallit, nec est causa simpliciter, vt decipiaris, quia verum solùm testificatur, & ideo non est inconueniens, quod homo etiam sanctissimus id testificetur; licet ex eius testimonio, concurrente illo alio testimonio falso, inferas errorem: sed solus secundus testis est causa simpliciter tuæ deceptionis. Sic autem se habent in casu nostro illæ duæ præmissæ; quarum vna testificatur, & proponit solum verum; altera proponit, & testificatur falsum, & ideo ea sola est causa, quod decipiaris in conclusione; nec dedecet præmissam fidei, etiamsi supernaturalis sit, quod ex eius testificatione partialiter, accedente testificatione falsa alterius præmissæ, inferatur falsum: ipsa enim tendebat ad verum, neque est causa deceptionis, sed altera sola præmissa falsa, quæ accessit, & detorsit verum illud ad probandum falsum.

Item confirmatur exemplo scientiæ naturalis.

Confirmatur secundò exemplo scientiæ naturalis, quæ licet sit cognitio etiam essentialiter vera, & certa, adhuc eius actus cum alia præmissa falsa potest concurrere ad conclusionem falsam, nec hoc est contra perfectionem, & certitudinem scientiæ, vt constat: ergo nec erit contra perfectionem, aut certitudinem fidei, quod eius actus cum alia præmissa falsa possit inferre conclusionem falsam: nam sicut in primo casu scientia non errat, nec fallit, ita nec in secundo casu fides.

112 *Quatenus possit dici quod actus fidei sit causa illius conclusionis falsæ.*

Aduerte tamen, licèt non debeat dici, quod actus fidei sit simpliciter causa illius conclusionis falsæ, vel erroris propter rationem dictam: posse tamen concedi, quod actus fidei sit causa illius conclusionis cum addito, nempe quatenus assensus conclusionis terminatur ad obiectum materiale, & formale fidei: nam licet præmissa fidei non ordinetur ad conclusionem prout est de obiecto falso, ordinatur tamen ad hoc, vt quæcumque conclusio ex illa inferatur, attingat eius obiectum, imo, hoc per suam essentiam exigit: sic etiã Deus concedi solet, quod sit causa actus mali sub ratione entis, vel sub ratione actus liberi in communi, non verò sub ratione talis: quia Deus intendit, quod producatur ens, atque etiam actus liber, quamuis non intendat productionem talis actus liberi, sed materialiter ad illum concurrat determinatus à causa creata libera. Sic etiam præmissa fidei intendit conclusiones illatas sub eius motiuo, licet non intendat conclusionem falsam, sed ad illam vt talem concurrit materialiter, & determinata à præmissa falsa.

113 Dices, conclusio hæc falsa vt talis est, & vt infert tale obiectum falsum, est conclusio; ergo etiam prout talis exigit per se præmissas, non alias, quia talis conclusio vt talis per se respicit talia principia obiectiua: ergo per se exigit, & respicit has præmissas, quarum vna est præmissa fidei: ergo non peraccidens, sed per se infertur ex præmissa fidei, Respondeo, hanc conclusionem, quatenus talis conclusio est, seu prout infert tale obiectum ex talibus principiis, respicere quidem per se vtramque illam præmissam: non tamen singulæ præmissæ inferunt per se illam conclusionẽ; nec arguitur bene ex eo, quod conclusio *per se* exigat talem præmissam, quod talis etiam præmissa *per se* exigat, vel inferat talem conclusionem: quia illud *per se* est æquiuocum, cum semel appellet supra conclusionem, & postea supra præmissam: nec nouum est, quod effectus per se exigat talem causam, quæ tamen non exigit per se illum effectum, sic actus erroris per se exigit esse ab intellectu, cum sit actus vitalis, & intellectio; & tamen intellectus non exigit per se errorem, nec ordinatur per se ad illum, sed per accidens. Item actus malus per se exigit concursum Dei, cùm sit ens creatum, & tamen Deus, & eius concursus in actu primo non exigit per se actum malum. Magis etiam ad rem nostram potest afferri exemplum in eo, qui peccaret circa obiectum per fidem sibi propositum. Si Deus v. g. alicui reuelaret, quod certissimè die sequenti esset ab hostibus occidendus, & hac occasione ipse in odium Dei prorumperet propter certitudinem illius mali, quam per infallibilem assensum fidei conceperat: tunc illud odium Dei per se exigit certitudinem illam fidei præcedentem, ex qua homo in odium prorumpit: & tamen nec reuelatio Dei, nec assensus fidei, quo creditur, exigit per se illud odium, nec ad ipsum per se ordinatur. Sic ergo dicimus, conclusionem illam erroneam per se oriri ex illa præmissa fidei cum alia falsa: ipsam tamen præmissam fidei non ordinari per se ad talem conclusionem nec illam per se exigere.

Vna superesse potest difficultas circa hanc communem doctrinam; quia si conclusio illa falsa procedit à præmissa fidei, saltem materialiter, & per accidens, iam eo ipso habet intrinsecam connexionem cum illa, & per consequens iam videtur esse in sua entitate supernaturalis: quia actus illi qui per suam entitatem intrinsecam petunt vel præsupponunt principium aliquod supernaturale, eo ipso videntur esse supernaturales: iam ergo redit absurdũ illud, quod in priori quæstione vitare curauimus, quod actus erroneus, & conclusio falsa sit in sua substantia supernaturalis.

Hæc tamen difficultas in primis omnino cesseret, si aliquis diceret, præmissas non influere physicè efficienter in actum conclusionis, sed solùm concurrere formaliter, mouendo, aut determinando intellectum ad assensum conclusionis: tunc enim actus conclusionis, licèt intrinsecè respiceret præmissas obiectiuas, seu obiecta præmissarũ; non tamen respiceret per suam entitatem intrinsecam has præmissas formales supernaturales, sed potuisset esse idemmet actus conclusionis, licèt vtraque præmissa præcedens esset naturalis. Cæterùm supposito etiam, quod præmissæ formales influant physicè efficienter in actum conclusionis, & quod hæc numero conclusio dependeat per suam entitatem intrinsecam, ab hac præmissa supernaturali, eo quod intellectio non pendeat à suis principiis per actionem distinctam, sed per se ipsam; adhuc difficultas quoad hoc communis etiam erit ad actus voluntatis, & independenter ab hac quæstione soluenda est. Non enim minùs dependet cognitio, vel volitio à suo obiecto; quare, qui habet actum fidei, & quia illum in se experitur, gaudet de illo propter finem vanæ gloriæ, vt possit de fide sua apud alios, vel certè apud se vanè gloriari, habet quidem actũ voluntatis malum, qui essentialiter supponit illum actum fidei, de cuius existentia cognita vitiosè gaudet: vnde voluntas illa per suam entitatem intrinsecam respicit, & supponit actum illum fidei, de quo gaudet, & quem supponit fuisse supernaturalem: & tamen voluntas illa mala est, &

& per consequens non potest esse in sua entitate supernaturalis, licet intrinsecè supponat aliquid supernaturale, & ab illo procedat, vt ab obiecto, Quod idem argumentum fieri potest de illa cognitione præcedenti, qua experitur homo in se actum illum supernaturalem; quem licet non cognoscat distincte vt supernaturalem, cognoscit tamen illum actum eundem, qui re ipsa est supernaturalis; & tamen cognitio illa non videtur esse supernaturalis, nec procedere ab aliquo habitu infuso.

115 Duplex genus entium seu actuum supernaturalium.

Ad hanc ergo difficultatem responsio generalis petenda est ex iis, quæ diximus *disp. 1. sect. 9.* Vbi distinximus duplex genus entium, seu actuũ supernaturalium: alterum supernaturalium formaliter, & ratione sui, quales sunt habitus, & actus fidei, spei, & charitatis, &c. gratia habitualis, vnio hypostatica; alterum genus supernaturalium solum præsuppositiuè, quales diximus esse eos actus, qui licèt non possint esse, nisi præsupposito aliquo miraculo, vel ente supernaturali proprio: illo tamen supposito, debentur ipsi naturæ iure suo, & ideo magis videntur dicendi naturales, quam supernaturales, v. g. quando homine mortuo, & postea resuscitato, Angelus cognoscit, hominem illum resurrexisse; illa quidem cognitio eudés Angeli non potuit esse, nisi supposito miraculo resurrectionis: sed tamen actus naturalis est in sua substantia, quia ipsi naturæ Angeli debetur talis cognitio in illis circumstantiis, & solum præsuppositiuè est supernaturalis. Tales etiam diximus esse actus, quibus homo experitur in se saltem confusè suos actus supernaturales: licèt non experiatur, quod sint supernaturales: quia illa etiam cognitio proprij actus fidei, vel charitatis non potuit esse, sine illo actu cognito, quem supponimus esse supernaturalem. Cognitio tamen illa debetur naturæ humanæ, cui iure suo debitum est, quod experiatur actus, quos habet, qualescumque illi sint, vt latius ibi explicatum est.

116 Illa ergo eadem doctrina applicanda est ad difficultatem præsentem: quia sicut naturæ intellectuali debetur, quod experiatur suos actus, vt possit reddere rationem de illis: ita eidem naturæ intellectuali debetur, vt ex præmissis, & cognitionibus, quas habet, qualescumque illæ sint, possit discurrere, & inferre conclusiones: quia cùm homo sit animal rationale discursiuum, debetur ei discursus ex iis, quæ cognoscit: quia alioquin nõ posset humano modo dirigere suas operationes. Sicut si proposito bono, quod clarè videt esse bonum, non posset illud velle ex defectu concursus, atque ideo nesciret reddere rationem suæ omissionis, cùm ex parte obiecti nihil illum retardaret: sic positis præmissis, & cognita bonitate illationis, eo ipso proponitur veritas conclusionis amplectenda, cui si non posset assentiri, conuinceretur de absurditate, & nesciret respondere cur non cõcederet id, quod sibi vt verũ omnino proponebatur. Vnde etiamsi concederet omnem hostiam cum certitudine morali consecratam esse adorandam, & hanc hostiam esse talem, & rursus ex his sequi, hanc esse adorandam, adhuc non deberet, nec posset eam adorare, quia non posset inferre conclusionem practicam, quod hæc sit adoranda: quæ omnia sunt contra modum operandi humanum debitum humanæ naturæ: ideo dicendum est, assensum illius conclusionis esse solum supernaturalem præsuppositiuè, non formaliter; nam positis illis præmissis, & cognita bonitate illationis, debetur intellectui concursus ad actum conclusionis: nec solum debetur, sicut visio Dei posito lumine gloriæ: hæc enim non debetur intellectui, sed lumini, at in nostro casu illatio conclusionis debetur ipsi homini propter ius, quod habet intrinsecũ ad operandum humano modo, & ideirco ille actus non indiget alio principio eleuante, sicut nec actus, quo Angelus cognoscit hominem hunc resurrexisse; licet hæc etiam cognitio sit supernaturalis præsuppositiuè, vt explicuimus *dicta sect. 9.*

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

DISPVTATIO V.

De euidentia credibilitatis requisita ad assensum fidei.

SECTIO I. *Probatur euidentia credibilitatis præcedens actum fidei.*

II. *Referuntur, & soluuntur argumenta contra necessitatem euidentis credibilitatis.*

III. *Verum iudicium euidens hoc de credibilitate oriatur à fide.*

IV. *Recensentur breuiter motiua, quæ reddunt euidenter credibilia obiecta nostræ fidei.*

Biecta fidei non solum debent esse vera, vt vidimus *disput. præcedenti*, sed etiam debent esse credibilia, hoc est, fide digna, de qua credibilitate nobis agendum nunc est. Vt autem sensus quæstionis clarus sit, aduertimus, nos nomine *credibilitatis* in præsenti, non intelligere solùm, quod obiectum taliter proponatur, vt credi possit: hæc enim credibilitas latius patet, & competit rebus iis etiam, quas fide humana prudenter credimus. Nunc ergo loquimur de credibilitate superiori, quare quærimus an quilibet fidelis, antequam fide diuina credat, debeat cognoscere obiectum illud tale esse, vt prudenter possit, & debeat omnino credi firmissimè, certissimè, & super omnia alia, & an rursus hæc credibilitas, & obligatio taliter credendi debeat, non vtcumque sed euidenter cognosci: quod est quærere, an ante fidei assensum esse debeat in quolibet fideli iudicium euidens de credibilitate obiecti modo explicato.

Nomine credibilitatis quid intelligatur.

SECTIO I.

Probatur euidentia credibilitatis præcedens actum fidei.

OMitto errorem antiquorum & nostri etiam sæculi hæreticorum dicentium, nihil credi debere, nisi quod Spiritus sanctus immediatè proponit, interiusque reuelat, qui, (vt ait Augustinus *lib. de doctrina christiana in principio*) est error superbissimus, & multis periculis expositus nam præterquam quod est contra experientiam, & Scripturam, ex qua constat prædicationem

nem fidei de lege cõmuni fieri debere hominibus per alios homines: est etiã radix hæresũ, & schismatum, volente vnoquoque fieri sẽ sibi regulam credendorum, ex quo fit apud hæreticos tot esse fidei doctrinas, quot sunt capita. Neque obstant aliqua Scripturæ loca, quale est illud Isaiæ 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à domino*, & Ioann. 6. *erunt omnes docibiles Dei*, & 1 Ioann. 5. *qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, & alia similia, quibus indicatur, fideles doceri immediatè à Deo. Nam hæc loca solùm significant, Deum per auxilium interius gratiæ excitantis, & adiuuantis mouere cor fidelium, vt præbeant assensum iis, quæ exterius à peccatoribus ex parte Dei sufficienter proponuntur. Dicuntur etiã fideles habere in se testimonium Dei, scilicet obiectiuè, quia credunt propter diuinum testimonium, quod sibi sufficienter proponitur. Magis videtur obstare illud Hier. 31. *Dabo legem meã in visceribus eorum; & non docebit vltra vir proximum suum.* & illud 1. Ioann. 2. *non necesse habentes, vt aliquis doceat vos, nam vnctio docebit vos*, &c. locus Hieremiæ à nonnullis intelligitur de statu patriæ, & licet vterque intelligatur de statu legis gratiæ: solùm significatur abundantia gratiæ, qua fideles ita afficiuntur ad charitatis præcepta, vt etiam deficiente lege externa, ipsa charitas doceat quid faciendum, quidve fugiendum sit: hoc tamen non tollit, quod de lege communi mysteria fidei externam prædicationem requirant, de quo dixi *disp. 1. sect. 2.*

2 *Sententia negans euidentiam credibilitatis præcedere actum fidei.*

Hoc errore omisso, contra quem vltra alios videri potest Suarez *disp. 4. sect. 1.* inter Catholicos aliqui negant, eam euidentiam credibilitatis præcedere: quæ sententia tribuitur communiter Capreolo *in 3. dist. 32. q. vnica art. 3. ad 3. contra primam conclusionem.* Fundamenta postea referemus, & dissoluemus. Alij Recentiores, quos tacito nomine refert Granado *tract. 2. disp. 3. sect. 1. num. 3.* dicunt, eam euidentiam non reperiri in omnibus, præsertim in rudioribus, licet adsit quãtum satis est, vt prudenter credatur. Valentia verò *in præsenti q. 1. ad finem, puncto 4.* dicit, sufficere eam euidentiam credibilitatis, quæ sit talis in potentia propinqua, qualis est illa, quam habent pueri, cum credunt in re graui parentibus, aut concionatoribus, qui non solent facilè decipere, vel quando mouentur ad credendum ratione aliqua non leuis momenti, ex qua facilè possit colligi euidentia credibilitatis. Canus, vt refert Aragonius *in præsenti q. 1. art. 4. dub. vltimo* dicebat, non semper requiri euidentiam credibilitatis, sed vt in plurimum. Turrianus *in præsenti disp. 7. dub. 7.* satis obscurè loquitur: nam in §. *secundo dicendum est*, fatetur, aliquos conuerti ex infidelitate ad fidem, in quibus non fit absoluta euidentia credibilitatis, sed aliqua ratio, ex qua vocatione Dei interius illuminantis hominem, homo ille conuertatur, & §. *sequenti* dicit, quando homo fidelis venit ad vsum rationis sæpe elicere actum fidei infusæ absque expressa euidentia credibilitatis: addit tamen postea, in his præcedere iudicium aliquod credibilitatis saltem in communi: non tamen explicat, an illud debeat esse iudicium euidens. Granado *vbi supra sect. 5. num. 16.* docet largè dici posse, in omni credente reperiri euidentiam credibilitatis, quia habet prudens iudicium, quo sentit se debere credere: omne autem prudens iudicium euidentiam habet. Si autem iudicium illud est euidens, non video, cur solùm largè & non propriè concesserit in omnibus euidentiam credibilitatis. Denique Suarez *disp. 4. sect. 5. n. 7.* relata sententia dicente, euidentiam credibilitatis necessariam esse ad fidem respectu corporis Ecclesiæ, non verò respectu singulorum credentium, subdit: *& hæc opinio fortasse probabilis est.*

Vera tamen, & communis Theologorum sententia affirmat, in singulis prærequiri euidentiam credibilitatis, pro qua est apertè S. Thom. *in præsenti art. 4. ad 2.* ibi: *non enim quis crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Vbi S. Doctor prærequirit ad fidei assensum *videre* (hoc est euidenter cognoscere) credibilitatem mysteriorum; eandem tenent Caiet. & alij communiter, quos referunt, & sequuntur Suarez *vbi sup. n. 8.* Coninch. *disp. 13. dub. 1. n. 3.* Hurtado *disp. 22. sect. 1. §. 2.* & alij communiter. 3 *Sententia communis.*

Probatur primò ex Scriptura & Patribus psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Illa enim particula *nimis*, non videtur minorem, quam euidentem credibilitatem significare. Ioan. 15. de iis, qui non credebant, ait Christus: *nunc autem excusationem non habent.* Ex quo loco colligitur clarè, motiua fidei generare posse euidentiam credibilitatis: alioquin si solum generent probabilitatem; excusationem haberent, qui non credunt, quia sequerentur aliud iudicium probabile, quo censent probabiliter, hæc mysteria non esse credibilia. Quo etiam spectant verba Pauli ad Hebr. 2. vbi eandem inexcusabilitatem supponit. *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem*, &c. *contestante Deo signis & portentis*, & ideo Matth. 5. Ecclesia comparatur Ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest; & quidem hæc loca probant non solum de facto, sed etiam de possibili; nam si fides obligaret ex se ad credendum aliquod, quod non esset euidenter credibile: obligaret de facto ad plura credenda; quia non omnia, quæ Deus reuelat, fiunt statim euidenter credibilia, vt constat de pluribus, quæ putamus reuelata esse aliquibus sanctis, non tamen credimus fide diuina, ergo si de facto omnia, quæ credimus, sunt euidenter credibilia, ideo est, quia fides non potest aliter ad suum obiectum tendere. Ad hoc etiam facit R. Clemens *in Const. Apost. lib. 8. cap. 1.* vbi relatis mysteriis fidei, subiungit: *Quæ, qui credit (non vtcumque neque inconsiderate sed cum iudicio ac plenitudine) chrisma quidem accipit à Deo.* Videtur Augustinus *tom. 6. lib. contra epistolam fundamenti, cap. 5.* Hieronym. *dial. contra Luciferianos circa finem*, Vinc. Lyrinensis *in suo admonit.* & Valent. *vbi sup.* Probatur primo

Ratione probant aliqui hanc sententiam, quoniam ad credendum necessaria est prudens voluntas credendi, voluntas autè dicitur prudens, quia dirigitur à iudicio prudentiæ proponente obiectum; ergo à iudicio omnino euidenti: probant consequentiam, quia prudentia cùm sit virtus intellectualis, debet esse practicè certa, & euidens circa honestatem, circa quam proximè versatur, ergo obiectum, quod prudenter est credibile, proponitur euidenter credibile. Verùm hæc ratio non videtur omino efficax; quia in primis aliqui docent, posse dari actum prudentiæ verum, qui non sit euidens, sed solum probabilis, quod sequitur Salas 1. *tomo in 1. 2. tract. 11. disp. 3. sect. 4. num. 34. & 50.* deinde quidquid de hoc sit, dici posset 4 *Ratio sententiæ communis.*

propo

proponi posse per iudicium probabile, quod obiectum fidei sit credẽdum: quo dicta mine probabili dato, posset esse alius actus, quasi reflexus, euidens, & elicitus à prudentia, dictans hîc, & nũc prudẽter posse nos amplecti illud iudicium probabile, & velle credere fidei mysteria, sicut etiam posito iudicio probabili de paupertate Petri, datur actus euidens prudentiæ dictans euidẽter, hîc & nunc honestum esse sequi illud iudicium probabile. Melius ergo probatur conclusio ex peculiari fidei natura: nam licet ad operandum honestè in aliis virtutibus nõ prærequiratur iudicium euidens, v.g. ad volendum ex misericordia subuenire huic pauperi, nõ requiritur cognoscere euidenter quod sit pauper: cæterum ad volendũ honestè credere fide diuina, requiritur cognitio euidens credibilitatis ex motiuis propositis, nec sufficit cognoscere probabiliter talem credibilitatẽ. Ratio est, quia voluntas credendi, non est credendi vtcumque, sed credẽdi firmissimè super omnia, & non obstante quouis alio motiuo, quod in cõtrarium adduci possit: esset autem imprudens, qui taliter vellet credere res ad quarum fidem præstãdam probabiliter censet non habere motiua sufficientia, nam vt dicitur Eccles. 19. *qui citò credit, leuis est corde*, quod eo magis ibi locum habet, quò materiæ grauitas, & necessitas maiorem discussionem, & deliberationẽ postulat. Alioquin, si cum probabilitate solum credibilitatis crederet aliquis, non teneretur instante morte perseuerare in fide; posset enim tunc sequi iudicium probabile contrarium dictans non adesse motiua sufficientia ad credendum, & inculpatè fidem negare: quod repugnat: fides enim Christiana ea firmitate assentitur suo obiecto, vt simul profiteatur obligationem non recedendi, aut dissentiendi, sed credit esse adeo verum, vt nullo modo negandum sit. Ad volendum autem hoc modo credere manifestum est, non sufficere iudicium probabile, nam stante probabilitate contrarij iudicij dictantis licere dissentire, non potest quis certò asserere hîc & nunc non licere negare hoc obiectum.

Tenetur cõsulere pecuniam fidei naturæ.

Confirmatur & explicatur.

Confirmatur, & explicatur, quia si daretur aliqua virtus, quæ solum inclinaret ad obediendum superiori certò & euidenter præcipienti, & cuius motiuum esset fugere inobedientiam contra certum superioris præceptum: tunc sanè hæc virtus non posset operari ex assensu solùm probabiliter proponente præceptum, & obligationem obediẽdi: ergo cum fides sit virtus inclinans ad credendum ea solùm, quæ negare non possumus; repugnat dari voluntatem credendi ex iudicio solùm probabiliter dictante talem credibilitatem, quia eo ipso non manet hîc & nunc obligatio simpliciter non dissentiendi.

6 Dices: circa ipsam obligationem credendi, seu non dissentiendi potest versari probabilitas; possum enim solum probabiliter censere, me habere obligationem etiamsi videam simul probabilitatem oppositæ partis. Respondeo, bene stat dari simul duas opiniones probabiles, quarum vna asserat, altera neget obligationem secundum se ad aliquid: repugnat tamen dari opinionem solùm probabilem, quæ in præsentia alterius oppositæ asserat non solùm simpliciter, sed hic & nunc dari obligationem operandi; quia hoc esset asserere hîc & nunc non licere oppositum, & per consequens asserere hîc & nunc non esse probabile oppositum: quod repugnat asserere cum actu videam probabilitatem oppositæ partis.

Vnde sumi potest ratio à priori: quia repugnat prudentiam dictare, obiectum illud esse dignum quod credatur super omnia & sine vlla formidine, quod tamen eadem prudentia iudicat, quod probabile sit esse falsum, dum iudicat posse prudenter aliquem amplecti contrarium vt probabile; quare non posset eadem prudentia simul dictare, honestè & prudenter posse obiectum illud firmissimè & absque formidine credi cum animo cohibendi omnem formidinem: cùm tamen obiectum tale iudicetur, de quo possit homo prudenter formidare.

7 Vrgebis quia potest aliquis prudenter adorare hostiam consecratam, & exhibere ei supremum cultum latriæ, licet simul possit prudenter dicere, fortasse hæc hostia non est consecrata: ergo possumus velle etiam credere firmissimè per fidem aliquod obiectum, exhibendo circa illud supremum cultum intellectualem, licet possemus etiam prudenter dicere, fortasse non est verum: sicut enim per fidem credo super omnia, ita per latriam adoro, & colo super omnia. Respondetur, negando consequentiam: differentia autem ex dictis esse potest, quod cultus latriæ solùm tendit ad exhibenda ea signa reuerentiæ, quæ quidem prudenter exhiberi possunt alicui, quandiu non constat, non esse talem personam, nec est saltem dubium morale, licèt simul iudicetur possibile, quod non sit talis: sicut quis licite reddit debitum coniugi, quandiu nõ constat esse alienam, licet possit simul dicere, fortasse non est coniux propter aliquod impedimentum occultum: cultus autem intellectualis fidei non potest ita exhiberi, quia ex imperio voluntatis intellectus per fidem debet credere certissimè cohibendo positiuè omnem formidinem: non potest autem voluntas prudenter cohibere formidinem, quando prudentia fatetur, posse prudenter formidari de veritate illius obiecti: hoc enim esset prudentiam dictare obligationem cohibendi formidinem, quam tamen formidinem eadem prudentia dictaret esse prudentem; quod in ipsis terminis ostendit repugnantiam. Cum ergo firmitas fidei afferat obligationem cohibendi formidinem, prærequiritur talis euidentia credibilitatis obiecti, vt licet non appareat euidenter obiecti veritas, appareat tamen euidenter tanta credibilitas, vt sit obligatio absque formidine credendi, ad quam obligationem non sufficeret iudicium solum probabile de credibilitate.

Vrgetur difficultas.

8 Adhuc tamẽ videtur posse vrgeri difficultas hæc ex alio capite: quia licet ad actum fidei prærequiratur iudicium dictans obligationem credendi firmissimè, ex hoc tamen non videtur argui necessitas iudicij euidentis: quidquid enim cognoscitur, & affirmatur euidenter iudicio euidenti, posset idem cognosci probabiliter per iudicium solùm probabile, atque adeo illa eadem obligatio credendi firmissimè posset cognosci per iudicium probabile: neque enim iudicium probabile, & euidens differunt ex parte obiecti cogniti, sed per diuersum modum repræsentandi idem obiectum, qui modus diuersus, cùm teneat se ex parte actus, & identificetur cum ipso, non cognoscitur ab ipso actu: vnde quando prudentia dictat, & cognoscit obligationem credẽdi firmissimè, cognoscit quidem, & affirmat totam obligationem credendi, absque eo quod cognoscat reflexè, vel affirmet euidentiam aut certitudinem ipsius iudicij, quo obligationem affirmat: ergo obligatio cre-

Adhuc difficultas vrgetur ex alio capite.

dendi non includit in se essentialiter euidentiam iudicij de obligatione; alioquin iudicium illud non posset affirmare obligationem, quin affirmaret etiam se ipsum, & suam euidentiam: cùm ergo possit totum obiectum affirmatum illo iudicio euidenti affirmari verè per iudicium etiam probabile; consequens est, vt absque iudicio euidenti possit intellectus proponere obligationem credendi firmissimè: qua obligatione posita voluntas prudenter imperabit assensum firmissimũ, cum haberet etiam tunc idem prorsus motiuum imperandi, quod nunc habet, nempe, obligationem & honestatem credendi. Nam de facto voluntas non habet pro motiuo obiectiuo obligationem, quæ resultat ex eo, quod obligatio proponatur iudicio euidenti: nihil enim potest esse obiectum voluntatis, quod non sit propositum, & præcognitum ab intellectu: euidentia autem ipsius iudicij non cognoscitur, nec proponitur ab ipso iudicio: ergo motiuum voluntatis non est obligatio, prout includit cognitionem euidẽtem obligationis, sed prout distinguitur ab euidẽtia iudicij, quo proponitur; quæ tota obligatio posset cognosci minus clarè, & solum probabiliter, atque adeo daretur totum motiuum imperandi, quod de facto datur, quando adest iudicium euidens.

9 Confirmatur, & augetur difficultas. Primò, quia si iudicio probabili cognosco obligationem credendi firmissimè, in tantum excusor tunc ab ea obligatione, in quantum per cognitionem reflexam aduerto, primam cognitionem non esse certam, sed probabilem, atque adeo me non habere certitudinem de obligatione, & ideo non esse obligationem, cùm possit amplecti iudicium probabile contrarium. Potest autem contingere, quod ego non habeam illam cognitionem reflexam de probabilitate, & incertitudine prioris cognitionis: non enim est necesse habere semper reflexionem supra omnem cognitionem, & eius modum: tunc enim non excusabor ab obligatione, & per consequens dabitur obligatio credendi firmissimè cum solo iudicio probabili de obligatione credendi.

10 Confirmatur secundò. Quia si obligatio includeret cognitionem certam, vel euidentem de ipsa obligatione, sequeretur processus in infinitum: nam licèt habeas iudicium euidens de obligatione credendi; hoc tamen ipsum iudicium euidens posset cognosci reflexè per iudicium solum probabile, quo probabiliter iudices, te habere, vel habuisse iudicium euidens de obligatione: quo casu iam excusaris ab obligatione, cùm possis prudenter dubitare, an habueris talem euidentiam vel possis probabiliter id negare. Rursus, licèt cognitio reflexa de priori cognitione euidenti sit etiam euidens, potest adhuc hæc secunda euidentia cognosci per iudicium solum probabile, & tunc sequitur idem inconueniens, quod possis dubitare de tota obligatione, & excuseris ab illa. Nunquam ergo dabitur obligatio integra, nisi cognoscas euidenter ipsam euidẽtiam prioris iudicij; & rursus per aliud tertium iudicium cognoscas euidenter euidentiam secundi, & sic in infinitum, vel fatendum erit, obligationem ipsam non includere euidentiam iudicij, quo proponitur, atque adeo non esse necessarium iudicium euidens de obligatione credendi,

11 Hæc tota difficultas molesta quidem est, & captiosa; non tamen est particularis in hac materia, sed generalis ad plures alias: probaretur enim eodem argumento nunquam nos posse affirmare, quod habeamus euidentiam, vel certitudinem de aliquo obiecto; quia ad hoc affirmandum verè, deberemus habere iudicium, non solum de ipso obiecto, sed etiam de euidentia iudicij, quod habemus de obiecto: hoc autem secundum iudicium reflexum posset non esse euidens, sed probabile: quo casu etiamsi primum iudicium directum fuisset euidens, non possemus dicere, quod sumus omnino certi de obiecto illo; quia sicut possumus dubitare de certitudine ipsa, possemus etiam dubitare aliquo modo de veritate obiecti, cùm non simus certi, quod non possimus dubitare de illo. Vnde in omnibus materiis in quibus requiritur certitudo, vel euidentia ad inducendam, vel tollendam obligationem, requireretur processus in infinitum cognitionum reflexarum euidentium ad habendam talem certitudinem. Eadem ergo difficultas esset in exemplo supra adducto de virtute illa, quæ obligaret solùm ad obediendum præcepto certo & indubitato Prælati: nunquam enim obligaret, quia nunquam essemus omnino certi de obligatione præcepti, cùm nunquam haberemus certitudinem reflexam de iudicio certo dictante obligationem, vel saltem de certitudine vltimi iudicij reflexi. Item in sententia dicente, votum in dubio non obligare, sed solùm quando certò constat de illo, deberet ad obligationem cognosci reflexè certitudo cognitionis de voto; quæ secunda cognitio posset esse solum probabilis, & iam tunc deficeret obligatio voti, quæ reduceretur ad cognitionem solùm probabilem cum probabilitate contraria: vnde debetet hæc secunda cognitio esse certa, & cognosci etiam per tertiam cognitionem certam, & sic in infinitum, vt votum certò obligaret. E contra verò, vbi certitudo requiritur ad hoc, vt cesset obligatio, sequerentur eadem inconuenientia, v.g. Sacerdos, qui non est certus de suo sacerdotio, debet iterum sub conditione ordinari propter inconuenientia, quæ sequuntur ex illa ordinatione dubia & incerta. Quid ergo requiritur in ipso, vt possit dicere, se esse certum de sua ordinatione ritè facta? Dices, requiri iudicium certum, vel euidens, quo iudicet se habuisse intentionem, & accepisse ordinem debito modo. Sed contra, quia, vt dicat, se esse certum, debet cognoscere reflexè certitudinem, vel euidentiam illius primi iudicij, de illa enim loquitur, tanquam de obiecto dicto, quando dicit mihi, se esse certum. Si autem certitudinem illam primi iudicij cognoscit per secundum iudicium noh certũ, sed probabile, non potest dicere, se esse omnino certum de sua ordinatione, quia iam in radice dubitat, cùm dubitet de ipsa certitudine: ergo vt dicat, se esse omno certum, & vt non habeat obligationem recordationis conditionatæ, necesse erit, quod illud etiam secundum iudicium reflexum sit certum, imo quod eius certitudo non cognoscatur solùm probabiliter, sed certò per aliud tertium iudicium certum, & sic in infinitũ. Vides difficultatem esse communem ad alias omnes materias, in quibus certitudo requiritur ad inducendam, vel tollendam obligationem: imò quoties aliquis exterius testatur certitudinem sũi de aliquo obiecto, deberet esse certus de ipsa etiã certitudine cum omnibus iis reflexionibus, vt posset testificari omnimodam certitudinem, quæ ominem formidinem expellat.

Omnes

12 Obligationem non includit formaliter in suo esse ipsum iudicium euidens de obligatione. Obligatio ad sit.

Omnes ergo ad alias etiam materias respondere debemus, obligationem non includere formaliter in suo esse ipsum iudicium euidens de obligatione, quæ quidem obligatio est obiectum iudicij, & adæquatè ab ipso condistinguitur; est autem obligatio, vt nomen ipsum importat, ligamen, quo homo videt se ligatum vndequaque, ita vt omnis euadendi via ablata sit. Vt ergo cognoscatur ipsa obligatio, debet intellectus circumspicere, & videre vndique ligamen esse, nec vllam patere viam euadendi. Ad hoc autem vt ligamen illud completè existat, duo requiruntur, nempe voluntas legislatoris, vel eius, qui obligat, & eius intimatio sufficiens, siue enim promulgatio, vel intimatio legis, aut præcepti includatur in ipsa lege, vt lex est, siue solùm sit applicatio legis iam factæ, de quo in materia de legibus certum mihi est, includi in conceptu legis proximè obligantis, seu in conceptu ipsius obligationis proximè completæ. Quando ergo subditus iudicat, se lege aliqua obligatum, non habet pro obiecto ipsum iudicium certum, quo id iudicat, sed solùm intimationem legis sibi factam antecedenter ad iudicium suum & notitiam talem, quæ ad ipsum peruenit: ex qua intimatione, & notitia taliter perlata ligatur, vt non possit licitè legi resistere, & contradicere, quam impotentiam iudicat per illud iudicium: illa autem notitia, & intimatio est aliquid antecedens, nempe verba legis debito modo ipsi dicta, & ab ipso percepta, quæ eo ipso ligant subditum, & hoc est obiectum iudicij subsequentis.

13 Similiter quando prudentia dictat obligationem credendi firmissimè obiecta proposita, non habet pro obiecto euidentiam ipsius iudicij, quo obligationem illam iudicat, sed obligationem antecedentem, quæ est obiectum talis iudicij. Quæ obligatio completur per notitiam talem rerum credendarum, & debiti radicalis ex iure ipso naturæ credendi firmissimè, quæ taliter proponuntur. Illa autem notitia horum omnium non includit ipsum iudicium euidens de obligatione, sed sunt apprehensiones, & notitiæ antecedentes per quas intellectus quasi audit, vt postea iudicet sicut subditus antequam iudicet, se esse lege obligatum, accipit talem legis notitiam ita propositam, per quam obligatur formaliter, & aufertur omnis potestas resistendi. Sic intellectui proponitur taliter obiectum fidei, vt proponatur ei simul ablata omnis potestas licitè resistendi, & non credendi, de qua ablatione potestatis, & obligatione posita iudicat postea intellectus, quia præcessit notitia omnis viæ clausæ, & notitia talis ex se, ex qua posset oriri iudicium euidens de obligatione. Nam licèt illa notitia præcedens non fuerit iudicium, fuit tamen notitia clara claritate radicali; qualis in ipsis etiam apprehensionibus reperitur: neque enim apprehensiones omnes sunt eiusdem rationis; sed aliquæ sunt ineptæ ad generandũ assensum: aliæ aptę solũ ad generandũ assensum probabilem: aliæ aptæ ad generandum assensum euidentem, & determinantes ad illum: quare in ipsis etiam apprehensionibus, & notitia illa præcedente iudicium inuenitur suo modo claritas radicalis. Hæc ergo claritas, quæ in illo modo proponendi præcedit, est, quæ complet obligationem, & aufert vias omnes euadendi necessitatem legis, & debiti, & hæc claritas cognoscitur, & affirmatur, quando prudentia affirmat obligationem credendi firmissimè.

Dices, iudicium non habere pro obiecto ipsas apprehensiones formales, sed earum obiectum; neque enim iudicium versatur circa aliud obiectum, nisi circa illud, quod per apprehensiones præcedentes propositum fuit: si ergo apprehensiones non habent pro obiecto obligationem completam, quæ formaliter completur ab ipsis apprehensionibus taliter obiectum proponentibus, nec apprehensiones habent se ipsas pro obiecto; consequens est, vt nec iudicium ipsum prudentiæ possit habere pro obiecto obligationem completam, vel illam affirmare. Respondeo, apprehensiones primas non habere pro obiecto obligationem completam, quippe quæ completur formaliter per ipsasmet apprehensiones taliter proponentes obiectum, quare nec iudicium primum, quod ad ipsas consequitur, affirmat obligationem completam, sed incompletam. Postea tamen dari apprehensiones reflexas de statu resultante ex prioribus apprehensionibus, per quas secundas proponitur iam obligatio completa resultans ex prioribus: & ad has apprehensiones reflexas consequitur secundum iudicium reflexum, quod est iudicium practicum affirmans obligationem completam resultantem ex obiecto taliter proposito, & cum tali claritate per priores apprehensiones, vt non sit via licitè resistendi illi legi. Sicut etiam quando intimatur subdito præceptum, aut lex sui superioris, prima apprehensio non proponit subdito obligationem completam, sed incompletam, hoc est, voluntatem, & præceptum superioris intimatum; & de hoc ipso fit primum iudicium: aliæ verò apprehensiones reflexæ super qualitate, & claritate primarum apprehensionum proponunt obligationem practicam completam fundatam in præcepto taliter intimato, & cognito, vt nulla sit via euadendi obligationem, & resistendi licitè legi, & ex his apprehensionibus oritur iudicium practicum dictans obligationem completam, & practicam obediendi hic & nunc tali præcepto taliter cognito.

14 *Apprehensiones primæ non habent pro obiecto obligationem completam.*

15 Vrgebit aliquis, manere adhuc eamdem difficultatem supra positam: quia illud totum, quidquid est, per quod completur obligatio, potest cognosci inuidenter, seu per cognitionem solùm probabilem; vnde redit tota difficultas, quia eo casu iudicium probabile dictabit obligationem credendi firmissimè, & per consequens poterit imperari assensus fidei absque iudicio euidenti de credibilitate seu obligatione credendi. Porrò totum illud cognosci posse per cognitionem probabilem, videtur probari eodem argumento: quia id, per quod vltimò completur obligatio, sunt apprehensiones tales ita clarè proponentes legem, & debitum radicale, vt non relinquatur modus euadendi, & licitè resistendi: tota autem ea claritas apprehensionum, & talis modus proponendi obiectum potest cognosci reflexè, non clarè, sed probabiliter, quia de ipsamet claritate, & euidentia potest esse opinio reflexa, & sæpè dubitamus de nostris actibus, an fuerint, vel non fuerint euidentes.

16 Respondetur tamen, iudicium vltimum practicum, & suo etiam modo apprehensiones, si quæ sunt, illud præcedentes, non esse probabile, sed euidens, quippe quod semper est intuitiuum vel connexum necessariò cum intuitione; est enim reflexum supra statum, quem obiectum vltimò habet in intellectu de præsenti, quem statum præsentem intueri homo potest per actum reflexum

xum, quare non potest probabile esse quia cognitio intuitiua non est probabilis. Posset quidem esse non omnino distincta, atque ideo quæ non posset reddere rationem distinctã de omnibus prædicatis sui obiecti, provt intuitio albedinis non percipit distinctè, an albedo sit ens modale, vel reale, &c. ea tamẽ quæ intuitiuè percipit, euidenter percipit, & nihil probabiliter. Iudicium ergo practicum circa certam obligationem debet explorare totum statum, quem obiectum habet in intellectu, atque ideo debet intuitiuè repræsentare certitudinem iudicij præcedentis. Vel ergo ea certitudo est in iudicio præcedenti, & percipitur, & tunc debet percipi intuitiue, quia vltimum iudicium fertur intuitiuè ad certitudinem præcedentis iudicij, atque adeo vltimum iudicium non erit probabile, sed euidens de certitudine obligationis. Vel non est talis certitudo præcedens, aut etiamsi sit, non percipitur à iudicio sequenti propter aliquod impedimentum: & tũc iudicium sequens non dictat obligationem certam vllo modo, cùm non habeat certitudinem formaliter loquendo pro obiecto, atque adeo illud iudicium non sufficiet ad voluntatem credẽdi firmissimè, quæ voluntas non potest oriri prudenter, nisi à iudicio practico de obligatione certa credendi: nec hoc iudicium de obligatione omnino certa esse potest; nisi sit reflexum supra ipsam certitudinem notitiæ præcedẽtis, quam cùm præsens sit, intuitiuè percipit, & per consequens non probabiliter, sed euidenter. Requiritur autem in fide, vt prudenter credatur, hæc vltima euidentia de certitudine obligationis: quare si aliquis sine illa putaret se debere credere, adhuc sine certitudine obligationis; illud iudicium esset falsum, & non esset à prudentia infusa, nec deseruiret ad piam voluntatem supernaturalem credẽdi. In aliis autem materiis, in quibus plerumque non requiritur certitudo obligationis ad licite, & prudenter operandum, possumus licitè, & aliquando honestè sine illa certitudine operari, non verò in iis aliis, in quibus ob peculiares rationes requiritur certitudo præcedens de obligatione, vel de defectu obligationis. An verò cum dubio, vel probabilitate obligationis, teneamur obligationi satisfacere; non potest vna regula generalis pro omnibus materiis assignari, in vniuersum tamen loquendo de probabilitate dicendum videtur, quoties per vltimum iudicium attentis omnibus circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, iudicatur, solum probabilis obligatio cum probabilitate etiam de negatione obligationis, non teneri nos obligationi probabili satisfacere, sed posse amplecti probabilitatem contrariam. Dixi tamen, quando *vltimum iudicium* dictat probabilem vtramque partem: quia in aliquibus materiis, etiam non obstante probabilitate vtriusque partis, debemus tutiorem partem eligere, vt in materia & forma baptismi, & similibus. Tunc autem illud iudicium probabile non erat vltimum, sed valde remotum, & postea succedit aliud iudicium certum de obligatione sequendi partem tutiorem in illa materia non obstante probabilitate remota contraria. Sicut è contra quando propter probabilitatem vtriusque partis possumus alterutram sequi, vltimum iudicium practicum, certò iudicat de defectu obligationis propter probabilitatem, quam certo possumus amplecti.

17 Quando verò non est probabilitas, sed dubium de obligatione, tunc ante adhibitam diligentiam, pro rei opportunitate ad deponendum dubium & examinandam veritatem, non possumus operari contra obligationem dubiam; & tunc iudicium etiam vltimum erit de obligatione certa nõ operandi cum illo dubio, ne exponamus nos temerè periculo violandi obligationem. Facta verò diligentia, si adhuc perseuerat dubium de obligatione, tunc in aliquibus materiis possumus vti libertate nostra, & tunc iudicium etiam vltimum erit, per se loquendo, certum de defectu obligationis; in aliis verò materiis non licebit operari contra obligationem dubiam; & tunc iudicium etiam vltimum erit per se loquendo, certum de obligatione, quæ autem sint hæ, vel illæ materiæ, non est huius loci; pertinet enim ad varios tractatus: nunc enim solum incidenter id supponimus, vt videamus, quomodo vltimum iudicium possit esse certum de obligatione, quin sit reflexum supra se ipsum, & supra suam certitudinem.

18 Petes, quid si in vtroque casu, nimirum quando vel obligatio est solum probabilis, vel quando est dubia, iudicium vltimum non sit certum de obligatione, vel carentia illius, sed solum probabile? Respondeo in primis, quoties agitur de obiecto bono, aut malo in genere moris, seu de honestate, & inhonestate morali, intellectum tendere semper ad explorandum, quantum potest, & formandum vltimum iudicium ex omnibus circumstantiis intrinsecis, vel extrinsecis, etiam cum reflexione supra omnes suos actus; & ideo iudicium de rebus moralibus dicitur pertinere ad rationem, seu partem superiorem, & dirigi secundum regulas vniuersales, quia licet in rebus aliis, v.g. in apperendo cibo, intellectus sæpe non attendat, nisi ad eius delectationem ex vna parte, & ad sumptus pro eo faciendos ex alia; in rebus tamen moralibus attendit ad regulas vniuersales, vt videat, quid ex omnibus circumstantiis in vniuersum hîc & nũc, sit pro honestate vel inhonestate illius obiecti, donec certificetur saltem certitudine reflexa de statu morali obiecti, attentis omnibus circumstantiis, & modo, quo innotescit. Quare, si est certitudo obligationis, iudicium vltimum eam affirmat; sicut è contra, si est certitudo de defectu obligationis, hunc etiam defectum certò affirmat. Si verò sit dubia, vel probabilis obligatio, iudicium sequens certò affirmat dubium illud, & tunc vlterius intellectus, qui nondum inuenit certam obligationem, vel eius carentiam, pergit inuestigando reflexè, an stante dubio, vel incertitudine obligationis, cesset certo obligatio vel potius insurgat: & de hoc ipso format iudicium aliud certum, si potest attentis iis omnibus circumstantiis. Si autem non potest, sed attentis omnibus nequit certò asserere, manere, vel desinere obligationem: affirmat ad minus certò non esse certam obligationem, vel defectum illius. Hoc autem iudicio stante, an voluntas possit agere contra obligationem dubiam; distinguendum est: nam si adest iudicium vltimum probabile de obligatione, & nullum etiam probabile de defectu obligationis, debet voluntas satisfacere obligationi, quæ proponitur, quam si non exequatur, nullum sequitur iudicium probabile de defectu obligationis, quod, vt supponitur, nullum habet. Si verò appareat etiam probabilitas partis contrariæ contra obligationem, sequitur, vt iudicet etiam, se non obligari, cùm possit amplecti illam probabilitatem, atque ideo non potest simul

simul habere iudicium, probabile de obligatione, quia non possunt simul esse duo assensus etiam probabiles de obiectis contrariis in eodem intellectu; nec illud iudicium probabile de obligatione posset esse vltimum, cum apparente vltima probabilitate contraria, non possit esse vltima obligatio practica. Quod si contendas fieri posse, vt iudicet probabilitatem esse contra obligationem, & tamen non iudicet, se ideo excusari ab obligatione, atque ideo possit adhuc assensu probabili iudicare dari obligationem absque assensu probabili circa carentiam illius, licèt adsit assensus circa probabilitatem in actu signato contra obligationem, dato eo casu teneretur per accidens propter ignorantiam sequi iudicium probabile de obligatione, quam iudicat absolute esse, cùm nullum habeat assensum probabilem, quo iudicet non esse obligationem, quem assensum sequi possit.

19 Quando denique non ageretur de probabilitate, sed iudicaret solùm obligationem omnibus pensatis, esse dubiam: tunc in aliquibus materiis per se loquendo, deberet satisfieri obligationi, in quibus nimirum tutior pars in dubio sequenda est: quia per se loquendo, ex illo dubio de obligatione deberet subsequi iudicium reflexum de obligatione in tali materia; in aliis verò materiis, per se loquendo, cessaret obligatio, quia ex illo iudicio de obligatione dubia, consequitur iudicium aliud reflexum de cessatione obligationis in illa materia. Si autem contendas, posse contingere, vt per accidens nullum aliud iudicium sequatur, sed vltimum iudicium dicat solum obligationem esse dubiam: certè iudicium illud non esset sufficiens ad obligandum, quia ipsum solum, & sistendo ibi, non esset sufficiens ad mouendam voluntatem. Voluntas enim deberet moueri à iudicio proponente bonum: illud autem iudicium nullum proponit bonum, sed solùm dubium de obligatione; ergo quandiu intellectus non progreditur dicendo, bonum, necessarium, vel certè expediens est satisfacere huic obligationi dubiæ, nondum adest regula vltima mouens voluntatem ad operandum intuitu obligationis. Debet ergo semper deueniri ad iudicium vltimum certum, vel saltem probabile circa honestatem vel turpitudinem ipsam obiecti propositi, attentis omnibus circumstantiis præsentibus.

20 Dices, qui operatur cum conscientia erronea obseruando, vel violando præceptum falsum, quod sibi fingit, non potest habere iudicium vltimum certum, aut probabile, sed falsum, & erroneum; & tamen meretur operando iuxta illud iudicium: non ergo requiritur iudicium euidens, imò nec verum ad prudenter operandum, qui enim meretur, prudenter operatur. Respondetur facilè, eo casu iudicium vltimum veriſſimum esse, & prudentissimum, atque etiam certissimum; nam licèt aliquod iudicium præcedens fuerit falsum, quo falsò iudicatur præceptum obligare, & ideo dicatur esse conscientia errans: posito tamen illo iudicio, & quod homo ob ignorantiam, vel inaduertentiam suam non inuenit viam euadendi obligationem legis; veriſſimum, & certissimum est, hominem hic & nunc obligari ad ponendum opus illud, & hoc iudicium elici potest etiam à prudentia infusa, & deseruire ad meritum etiam supernaturale.

21 Nunc iam, vt ad id reuertamur, vnde digressi sumus: hæc omnia applicari possunt ad iudicium credibilitatis, seu obligationis credendi, cuius occasione hæc dicta sunt, vt videremus, an posset voluntas imperare prudenter assensum fidei cum iudicio vltimo credibilitatis solum probabili; dicendum itaque est id fieri non posse, quia cùm motiuum piæ affectionis sit honestas credendi firmissimè, quando obligatio credendi certa est, alioquin non imperaretur prudenter talis assensus firmissimus, consequens est, vt debeat cognosci priùs obligatio certa, atque adeo certitudo obligationis completæ ortæ ex cognitione euidenti præcedenti: cuius cognitionis euidentia, cùm præsens sit, & intuitiuè percipiatur, non potest nisi euidenter repræsentari à iudicio vltimo practico, quod iudicare debet de euidentia actuum præcedentium, à quibus hæc obligatio vltimò completa fuit in ratione obligationis certæ.

An possit voluntas imperare prudenter assensum fidei cum iudicio vltimo credibilitatis solum probabili?

Vnde ad primam confirmationem propositam dicimus repugnare, quod iudicio solùm probabili affirmetur obligatio illa certa credendi firmissimè hîc & nunc, quia obligatio illa compleri debet per euidentiam actuum præcedentium; quæ euidentia si existit in ipsis actibus, cùm præsens sit, debet percipi intuitiuè, & euidenter, & non solùm probabiliter ab intellectu per actus subsequentes in posteriori naturæ.

22 *Respondetur ad primam confirmationem suprà positam.*

Ad secundam confirmationem ibi adductam respondetur etiam ex dictis, iudicium vltimum cùm euidens de certitudine obligationis credendi non debere cognosci per aliud iudicium reflexum: quia iam per illud iudicium cognoscitur obligatio certa, & eius certitudo proueniens formaliter ab actibus præcedentibus certis. Et cognoscitur euidenter per iudicium euidens certificans formaliter de ipsa certitudine, quod iudicium non includitur in obligatione certa credendi, sed supponit totam illam, & repræsentando eam clarè, applicat eam sufficienter, vt moueat voluntatem: quæ quidem non habet pro motiuo ipsam applicationem sufficientem motiui, quod est obligatio certa, vt condistincta ab applicatione seu repræsentatione certa, qua applicatur, quamuis, ea applicatio, & talis applicatio euidens exigatur ad mouendum sufficienter, vt mox explicabo.

Respondetur ad secundam.

Hinc etenim possumus obiter indicare responsionem ad exempla ex aliis materiis, quæ adduximus supra, in quibus diximus esse eandem difficultatem. Et in primis, quando aliquis testificatur, se aliquid certò scire necesse quidem est, quod non solùm sciat rem ipsam, sed etiam reflexè cognoscat certitudinem, quam de re habet, non potest enim loqui id, quod non cognoscit; loquitur autem non solùm de re ipsa, sed etiam de certitudine, quam de re habet: ergo necesse est, quod vtramque cognoscat; non est tamen necesse, quod cognoscat etiam cognitionem certam reflexam, quam habet de cognitione directa, certa; daretur enim processus in infinitum, quare sistendum est in aliqua cognitione certa, quæ sit sola applicatio rei, de qua loquitur, & non sit obiectum loquutionis, vel obiectum à se cognitum. Quando verò vrges, quia si cognitio euidens ipsa, quam habes de obiecto cognoscereur à te per cognitionem solùm probabilem, non posses testari te esse omnino certum de ipso obiecto, posses enim formidare de certitudine tua, cùm solùm probabiliter cognoscas, te habere cognitionem euidentem de obiecto: respondendum est, si cognitio euidens, aut certa, quam habes de obiecto non cognosceretur à te cognitione certa, sed incerta, & probabili,

probabili, non posse te testificari, quod obiectum illud certò scias: ad hoc enim testificandum non sufficit certò scire obiectum, nisi & certò scias te illud certò scire. Nam cognitio incerta reflexa de cognitione certa directa, licèt repræsentet idem obiectum, & eandem certitudinem, quam repræsentaret cognitio certa reflexa de certitudine directa: non tamen repræsentat debito modo, vt moueat voluntatem ad volendum id testificari. In genere enim loquendo fatendum est, ad aliquos actus requiri ex parte intellectus non solùm quod proponat tale obiectum, sed etiam, quod proponat tali genere cognitionis, quæ cognitio, licèt non sit obiectum, nec cognoscatur; est tamen applicatio talis, vt ex eius variatione pendeat sufficientia, vel insufficientia applicationis ad mouendam voluntatem, quæ in ordine ad obiectum idem diuerso valdè modo tangitur, & mouetur diuerso genere applicationis, & propositionis. Exemplum habemus in visione clara Dei, quæ quidem ita applicat obiectum suum voluntati, vt licèt ipsa visio, & eius claritas non cognosceretur reflexè, & licèt omnia prædicata Dei, quæ claro repræsentat, antea cognoscerentur obscurè per fidem; voluntas tamen moueretur necessariò ad amorem Dei, ad quem amorem non moueretur necessariò cognitione alia obscura, vel abstractiua eiusdem obiecti. Ecce modus cognitionis non cognitus variat modum mouendi voluntatem, licèt tota illa variatio sit in sola applicatione, & non in ipso obiecto, vel motiuo. E contra cognitio euidens mali præsentis, vel futuri multò magis contristat, vel conturbat, quàm cognitio probabilis eiusdem mali, vt experientia constat; qui excessus prouenit solùm à diuerso modo applicationis, licèt applicatio ipsa non cognoscatur reflexè, & sic in aliis exemplis. Similiter ergo ad volendum testificari de notitia certa alicuius obiecti non mouet sufficienter cognitio solùm probabilis de notitia certa obiecti, sed requiritur notitia certa de certitudine directa: quia licèt cognitio probabilis reflexa proponeret eamdem certitudinem cognitionis directæ, quam proponeret cognitio reflexa certa, & aliunde ipsa cognitio certa reflexa non cognoscatur: illa tamen cognitio probabilis ita debiliter proponit, & applicat certitudinem cognitam, vt in actu exercito debiliter voluntatem ad testificandam securitatem, & certitudinem; sicut enim cognitio solùm probabilis de bono præsenti, licèt proponat ex parte obiecti illud idem bonum, in ipso tamen actu exercito contristat, & impedit gaudium vehemens de possessione tanti boni: ita, cùm eadem sit anima, quæ cognoscit certitudinem, & quæ debet velle eam testificari (nam eadem anima immediatè concurrit ad cognitionem & amorem) cognitio illa incerta de certitudine cognitionis directæ non certificat formaliter animam de illa certitudine, & in actu exercito reddit ineptam, & minùs securam ad restandam alacriter certitudinem, & securitatem de obiecto. Quando verò est certitudo ex parte obiecti cogniti, & ex parte applicationis certæ, qua proponitur, iam tunc anima est & obiectiuè, & formaliter certa, & secura, atque apta ad testandam securitatem & certitudinem. Quod idem dicendum est de iudicio euidenti credibilitatis ad voluntatem credendi: nam licet illud iudicium vltimum non cognoscatur, sed certitudo prioris iudicij directi atque adeo certitudo vltimi iudicij reflexi non moueat vt obiectum cognitum: mouet tamen formaliter per modum applicationis debitæ certificantis formaliter animam, & reddentis securam de certitudine obligationis credendi. Quare si iudicium illud vltimum posset non esse euidens, sed probabile de obligatione certa, & certitudine directa, non moueret sufficienter ad volendum prudenter credere firmissimè, non ex defectu obligationis certæ propositæ, sed ex defectu applicationis debitæ, nempe iudicij certificantis formaliter, quo ea certitudo obligationis proponeretur.

Propter eamdem rationem virtus illa, si quæ esset, quæ inclinaret solùm ad obediendum, quando esset certitudo præcepti obligantis, non posset obedire, quando solùm probabiliter proponeretur præceptum certum: quamuis enim proponeretur totum motiuum ex parte obiecti; non tamen adesset motiuum ex parte applicationis requisitæ certificantis formaliter de obligatione præcepti, sed potiùs esset radix formidandi de veritate obligationis, quæ formido radicalis impediret voluntatem ab operatione certa. Similiter, si requireretur totalis certitudo voti ad eius obligationem, non obligaret, quando voti obligatio certa proponeretur per iudicium solùm probabile propter eandem rationem, fortasse tamen ad obligationem voti non requiritur tanta certitudo reflexa, imò sufficeret notitia probabilis sine probabilitate contraria; de quo alibi. Denique qui assensu solùm probabili iudicaret certum fuisse suum baptismum, vel suam ordinationem in Sacerdotem, posset, & deberet repetere sub conditione baptismum, vel ordinationem, quia non posset affirmare, se certum esse de suo baptismo, vel ordinatione, licèt probabilitas solùm se teneret ex parte vltimi iudicij non cogniti, sed applicantis certitudinem cognitam: nam in iis omnibus procedit eadem ratio. Quæ licèt prolixiùs fortasse dicta videantur, oportuit tamen ea aliquantulum euoluere occasione illius difficultatis, quæ, vt vidimus, in multis materiis potest occurrere.

Habemus ergo ex dictis, requiri ad voluntatem prudentem credendi fide christiana firmissima iudicium euidens de credibilitate obiecti. Addit Suarez *dicta sect. 2. n. 6.* iudicium hoc debere dictare euidenter non solùm obiectum fidei esse credibile, sed etiam esse credibilius quacumque doctrina sibi contraria. Hoc tamen nihil addit re ipsa supra id, quod diximus. Nam credibile in hac quæstione non significat id solùm, quod credi potest, sed quod prudenter credi debet firmissimè super omnia alia: non potest autem esse obligatio credendi taliter aliquid, cuius contrarium æquè sit credibile, vel saltem sit prudenter credibile: nam eo ipso possemus prudenter formidare de veritate huius obiecti, si eius contrarium possemus prudenter credere: non possemus ergo prudenter cohibere formidinem omnem etiam veritatem huius obiecti, nec id posset præceptum fidei præcipere. Idem ergo est hoc obiectum esse taliter credibile firmissima fide, ac esse credibilius omnibus obiectis contrariis. Nunc iam videamus, & dissoluamus argumenta, quæ communiter fieri solent contra necessitatem huius euidentiæ credibilitatis, ex quorum solutione melius intelligetur, qualis, & quanta sit hæc necessitas.

SECTIO

SECTIO II.

Referuntur, & soluuntur argumenta contra necessitatem euidentis credibilitatis.

25 Obiectio 1. CONtra doctrinam præcedentem plures sunt obiectiones. Prima, quia licèt motiua nostræ fidei talia sint, vt reddant illam euidenter credibilem, hoc tamen est respectu eorum, qui accuratè vim & efficaciam argumentorum perpendunt; non tamen respectu rustici, vel pueri venientis ad annos discretionis, quia ea motiua ferè ignorat, & solùm mouetur auctoritate parentis, vel magistri; quod motiuum sanè non sufficit ad probandum euidenter, quod ea obiecta sint prudenter credibilia, ergo sine euidentia credibilitatis potest haberi fidei assensus. Respondeo, licèt illud motiuum, quo puer mouetur non sufficiat ad generandam euidentiam credibilitatis respectu omnium; sufficere tamen ad probandum euidenter esse credibile prudenter ab ipso; nam euidens est, puerum incapacem, & rudem prudenter facere credendo, quæ à Parentibus audit, quos natura illi magistros designauit, donec per se possit alia maiora motiua inuestigare: ex quo fit, quòd aliquis maiorem habet sagacitatem, & industriam maiora requirere motiua, quæ ipsi reddant mysteria euidenter credibilia.

26 Obiectio 2. Secundò Obiicitur, si ante fidei assensum præcedit euidentia credibilitatis, ergo nemo, cui fides sufficienter proponatur, poterit illam negare. Respondeo negando consequentiam, quia licèt mihi euidens sit, obiectum fidei esse prudenter credibile, possum nolle credere passione, vel alio affectu ductus: sicut licèt sciam euidenter, bonum temperantiæ esse mihi prudenter amabile, possum illud non amare: ratio autem est quod hæc euidentia credibilitatis non est euidentia ipsorum mysteriorum, nec assensus quo iudico fidem esse veram; sed quo iudico bonum & honestum & debitum esse illa credere.

27 Dices; ergo saltem quotquot fidei resistunt, sciunt euidenter, obiecta fidei esse prudenter credibilia; ergo sciunt euidenter sectas contrarias esse prudenter incredibiles: quod videtur durum: cùm constet experientia illos existimare, se prudenter agere retinendo suas sectas. Respondeo, aliquos ex iis, licèt euidenter sciant suas sectas, non posse prudenter retineri: affectu tamen depraua to velle imprudenter agere, sicut omnis, qui ex malitia peccat, scit euidenter se imprudenter agere: & tamen vult ita operari. Deinde addo, alios quamplures non peruenire ad euidentiam credibilitatis, quia ad hanc requiritur attenta consideratio argumentorum, & motiuorum, iuxta illud psal. 45. *Vacate, & videte quoniam ego sum Dominus*, &c. quam diligentiam, & examen ipsi terrenis rebus dediti, & affectu sæculi excæcati nolunt adhibere: non tamen ideo excusantur à peccato; deberent enim attendere & inquirere, & non inquirunt.

Vrgebis adhuc, ergo saltem omnes fideles sciũt euidenter, sectas alias esse incredibiles, ergo sciũt euidenter illas esse impossibiles; nam quod non est credibile, non est probabile. Respondeo ad primam sequelam, distinguendo: sciunt euidenter illas non esse prudenter credibiles, seu esse prudenter incredibiles, concedo: sciunt euidenter illas non esse credibiles prudenter, vel imprudenter, nego. Vnde ad secundam sequelam similiter distinguo: sciunt euidenter illas non esse prudenter probabiles, concedo; sciunt euidenter illas non esse probabiles prudenter, vel imprudenter, nego.

28 Obiectio 3. Hinc nascitur tertia obiectio: quia si fideles sciunt mysteria fidei esse euidenter credibilia, ergo sciunt euidenter esse vera, seu possibilia; probatur consequentia, quia illud solùm est credibile, quod est verum & possibile. Respondetur negando consequentiam, & ad probationem dicimus; non esse idem credibilitatem, & veritatem, seu possibilitatem: credibile enim solum est, quod ita proponitur, vt dignum sit, cui prudenter assentiamur. Contingere autem potest taliter aliquando proponi aliquod falsum, & impossibile: nam rusticus, cui Parochus tanquam de fide proponit, esse quatuor personas in Trinitate, euidenter iudicat; illud esse prudenter sibi credibile, sicut quando proponitur verus articulus; & sanè in hoc non fallitur. Quia licèt illud in se sit falsum, & impossibile; est tamen hîc & nunc prudenter credibile ab hoc rustico, ergo ex euidenti credibilitate non potest argui euidenter veritas.

29 Obiectio 4. Vrgent tamen hoc sophysmate: hæc est bona consequentia: *hoc obiectum est euidenter impossibile, ergo est euidenter incredibile*: ergo hæc etiam erit bona: *hoc obiectum est euidenter credibile, ergo est euidenter possibile*. Antecedens est clarum: Consequentia probatur, quia ab opposito consequentis, ad oppositum Antecedentis benè arguitur, v.g. *Petrus currit, ergo mouetur*: benè inde arguitur: *non mouetur ergo non currit*. Sed in secundo argumento facto arguitur ab opposito consequentis prioris argumenti, nempe ab *euidenter credibili*, quod opponitur *euidenter incredibili*, quod erat consequens in priori argumento, ergo arguetur benè, *ad euidenter possibile*, quod est oppositum *euidenter impossibili*, quod erat Antecedens prioris argumenti.

30 Huic argumento varias solutiones, nec satis clarè assignat Huttado *disp. 22. sect. 2. §. 6. & sequentibus*, nec benè impugnat quam tradiderat Bañes *quæst. 1. art. 4. ad 5.* quæ, si benè explicetur, optima est. Respondetur ergo clarè, regulam illam Summulisticam, ab oppositio Consequentis benè argui ad oppositum Antecedentis, intelligi de oppositio contradictorio, non de oppositio contrario, quod Bañes dixit valere argumentum ad propositionem negatiuam, non ad affirmatiuam: exemplum habes in hoc argumento. *Petrus est homo, ergo est animal*, non enim argueretur benè, *Petrus non est animal, ergo est brutum*, cùm tamen brutum sit oppositum hominis, quia nimirum non opponitur homini contradictoriè, sed contrariè: solùm ergo potest argui, *non est animal, ergo non est homo*; quod est argui ad contradictoriam Antecedentis, seu ad negatiuam illius. Sic etiam in præsenti materia, ex hac illatione: *hoc obiectum est euidenter impossibile, ergo est euidenter inopinabile*: benè argueretur: *hoc obiectum non est euidenter inopinabile, ergo non est euidenter impossibile*, non tamen benè argueretur, *est euidenter opinabile, ergo est euidenter possibile*; nec etiam benè argueretur: *non est euidenter inopinabile, ergo est euidenter possibile*. In vtraque enim illatione Antecedens posset esse verum,

Regula summulistica. Ab oppositio cõsequentis ad oppositũ antecedẽtis, vt intelligatur.

& Consequens falsum, eo quod non arguatur ad contradictorium Antecedentis, sed ad contrarium. Similiter ergo idem defectus inuenitur in argumento proposito in obiectione; nam vt benè applicaretur regula, deberet sic formari: *Valet benè hæc consequentia, hoc obiectum est euidenter impossibile, ergo est euidenter incredibile: ergo hæc etiam erit bona consequentia: hoc obiectum non est euidenter incredibile, ergo non est euidenter impossibile*: tunc enim seruaretur regula, & argueretur ad oppositum contradictorium Antecedentis quæ consequentia semper debet esse bona.

31 Obiectio 5. Sed contra obiicies quintò, quia hæc est euidens consequentia: aliquod obiectum est credibile fide diuina, ergo est verum; nam diuina fides non potest credere nisi verum: ergo si hoc mysterium proponitur euidenter credibile fide diuina, euidens est esse verum. Respondetur, concedendo totum; negando tamen quod supponit obiectio, scilicet mysteria cognosci euidenter vt credibilia fide diuina: quomodo enim cognoscitur euidenter credibilitas in ordine ad fidem diuinam; cùm non sciamus euidenter posse dari fidem diuinam, & infusam? solùm ergo cognoscimus euidenter, mysteria illa taliter proponi, vt prudenter possimus conari quantum est ex nobis ad credendum firmiter illa, & sine vlla hæsitatione, præscindendo ab hoc, quod hic assensus eliciendus sit viribus naturæ, an per fidem infusam: hoc enim prorsus ignoramus.

32 Obiectio 6. Sextò obiici potest, quia si sola credibilitas cognoscitur euidenter, & non veritas obiecti in se; ergo veritas obiecti pro illo priori solùm cognoscitur probabiliter, ergo apparet etiam probabilitas oppositi obiecti, ergo in illo instanti non potest haberi fidei assensus certus: non enim possum certò assentiri alicui obiecto, si tamen in eodem instanti reali censeo, oppositum illius esse probabile. Respondeo, in illo instanti, quo elicio actum fidei, me non assentiri probabiliter obiecto contrario, licèt tunc appareat in eo aliqua credibilitas radicalis. Pro quo aduerte, in primis apparere motiua ad obiectum fidei, & ad oppositum: cum hoc tamen discrimine, quod motiua ad obiectum fidei, licèt non habeant vim ad illud euidenter ostendendum; habent tamen vim ad ostendendum euidenter, quod voluntas prudentissimè potest imperare assensum excludentem omnem formidinem, quæ nasci posset ex motiuis contrariis; & ideo pro eo priori apparet iam in eo obiecto certitudo radicalis prudens. At verò motiua contraria ad summum habent vim ad hoc, quod voluntas imprudenter operans possit imperare assensum ex illis motiuis. Hoc ergo supposito, antequam intellectus ex motiuis contrariis assentiatur oppositi, & stante sola repræsentatione motiuorum vtriusque partis, voluntas imperat assensum fidei certum, & simul cohibet formidinem, non quæ iam sit, sed quæ prodire posset illo instanti ex motiuis contrariis: quare in illo instanti, quo elicitur fidei assensus, non est formido actualis pro opposito obiecto, nec assensus probabilis illius, sed solùm sunt motiua, quæ nisi cohiberentur, possent generare formidinem, & quæ si voluntas annueret, possent generare assensum obiecti contrarij: & in hoc sensu dicimus apparere in illo instanti imprudentem quandam credibilitatem radicalem obiecti contrarij, id est, motiua, quæ ex imprudenti voluntate possent generare imprudentem assensum obiecti contrarij. Cum hac tamen credibilitate radicali obiecti contrarij stat benè assensus fidei adhærens certò suo obiecto, & cohibens formidinem, ac assensum formalem, qui oriri posset pro obiecto contrario ex suis motiuis.

Septimò obiicies quia si apparente sola verisimilitudine obiecti, potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri obiecto sine formidine; cur etiam, licèt non appareat euidenter, sed solùm probabiliter credibilitas obiecti, non poterit voluntas prudenter imperare assensum certum, & sine formidine; Respondeo, totam repugnantiam desumi ex supradictis, quia si non apparet euidenter credibilitas, quantumcumque imperaret voluntas, non posset cogere intellectum ad assentiendum ex obligatione, & necessitare; semper enim maneret licitus, & voluntarius dissensus, cùm esset etiam probabile, non esse illud obiectum prudenter credibile: at verò posita euidentia credibilitatis, licèt obiectum contrarium maneat imprudenter credibile radicaliter modo explicato, potest intellectus ex voluntatis imperio elicere assensum firmum, & obligatorium, non enim apparet via ad prudenter, & licitè dissentiendum huic obiecto.

Quare non debemus dicere, pro illo priori apparere solùm probabilitatem, aut qualemcumque verisimilitudinem mysteriorum fidei; sed potius pro eo priori apparere euidenter certitudinem radicalem illorum, hoc est, taliter proponi, vt euidens sit, ea esse digna fide excludente omnem formidinem ex vi voluntatis imperantis. Sicut neque etiam è contra debemus simpliciter concedere, quod obiecta contraria pro eo priori appareant probabilia, seu cum probabilitate radicali: nam probabile simpliciter non dicitur, nisi quod habet fundamentum probabile, vt credatur, quale non est in obiectis fidei contrariis; sed solum possumus concedere, quod pro eo priori appareant cum credibilitate radicali saltem imprudenti, hoc est, taliter proposita, quibus ex imprudenti voluntatis imperio possit intellectus assentiri propter motiuum vtcumque apparens, quod præferunt.

Octauò obiicitur, quia argumenta omnia contra nostram fidem euidenter soluuntur: ergo euidenter ostenditur non solùm eam esse credibilem, sed esse veram: nam si euidenter ostenditur inefficacia argumentorum contrariorum, euidens erit, quod probabant falsum. Respondetur negando consequentiam: aliud enim est quod argumenta illa non conuincant intentum, aliud verò probare, quod tendant ad probandum falsum: quare licèt possimus primum ostendere euidenter, non tamen secundum.

Nonò obiici potest, quia iudicium illud saltem in rustico, & puero rudi non apparet, quomodo possit esse verum, nedum euidens. Affirmare enim credibilitatem, est affirmare obligationem credendi, hoc est, taliter proponi hîc & nunc obiectum illud, vt prudenter non possit respui, nec de illo formidari: hoc autem iudicium falsum est: imò enim homo doctus, & prudens de obiecto à Parocho simplici proposito prudenter formideret; ergo, qui affirmat motiua illa obligare ad non formidandum affirmat falsum. Respondetur, rusticum illum, vel puerum non iudicare absolutè, & in vniuersum, quod motiua sibi proposita obligent quemlibet ad credendum firmiter, sed solùm quod obligent ipsum, & hoc quidem verum

verum,& euidens est; cùm enim non occurrant ei rationes, quæ homini docto occurrerent ad prudenter formidandum, non potest ipse prudenter formidare, & pro eius captu motiua illa fortissima sunt,quæ debilia essent in ordine ad alios.

37 Dices, quamuis rustico sufficiant ea motiua; poterit tamen rusticus simul dicere, ego quidem rudis, & ignarus cùm sim,non video, quid possim his motiuis opponere: alij tamen doctiores, & prudentiores possent fortasse his motiuis contenti non esse, nec Parocho solo proponente credere, quamuis id mihi sufficiat. Si autem rusticus hoc dicat, iam eo ipso poterit ipse etiam prudenter formidare: bene enim argueret dicendo: *alius doctior me potest prudenter dicere, hæc fortasse non est reuelatio Dei; ergo fortasse hæc non est reuelatio Dei*, sicut benè argueret rusticus dicendo: *ille homo doctissimus iudicat probabile contrarium, ergo fortasse probabile est*. Non ergo habet rusticus euidentiam de obligatione non formidandi,cùm prudenter iudicet, hominem doctum posse fortasse illis suis motiuis contentus non esse, sed adhuc prudenter formidare.

Respondeo, negando antecedens: si enim rusticus faceret illam reflexionem, & compararet motiua illa cum hominibus doctis, & aduerteret, non esse sufficientia pro illis obligandis;iam tunc nec essent sufficientia pro ipsomet rustico, atque adeo alius esset casus. Nos enim loquimur de rustico, cui hæc motiua sufficiunt pro eius captu, eumque obligant: quare debet esse talis rusticus, qui non attendat ad insufficientiam illorum motiuorum pro aliis doctioribus, sed solùm ad sufficientiam, quam hîc, & nunc habent pro ipso sine alia reflexione, aut comparatione, quàm si facere sciret, iam non esset rusticus rudis formaliter loquendo in hoc casu, nec sufficienter motiuis illis obligaretur. Quod idem esset, si posset prudenter dicere:ego quidem nunc non scio, quomodo motiua hæc non me obligent, fortasse tamen eras, iis melius examinatis, inueniam, quod non me obligant: iam enim tunc haberet principium aliquod sufficiens dubitandi nunc etiam prudenter de efficacia motiuorum.

38 Aduerto vltimò, quando ponimus necessariam euidentiam credibilitatis, non intelligi, quod sciamus euidenter tantam esse vim horum motiuorum, vt si in fide nostra deciperemur, Deo tribui posset deceptio, quasi ipse nos decepisset apponens talia, & tanta motiua, quibus nos obligaret ad credendum falsum. Verum quidem est loquendo de collectione motiuorum credibilitatis, quæ in Ecclesia christiana sunt ea esse tanti ponderis, vt non possint mouere ad credendum falsum, atque ideo si falsa esset fides nostra, Deum fore deceptionis auctorem, vt dixit Richardus de Sancto Victore *lib.1. de Trinitate, cap.2.* Cæterum neque hoc ipsum, licèt verum sit, euidenter cognoscimus: alioquin haberemus euidentiam de veritate mysteriorum fidei, quam possemus per euidentem consequentiam inferre ex infallibilitate motiuorum euidenter cognita. Neque etiam hoc ipsum verum est, loquendo de motiuis, quæ aliqui fideles habent: nam motiua credibilitatis quæ rusticus habet ad volendum credere, quæ Parochus illi tanquam de fide proponit, non habent ex sua ratione intrinseca repugnantiam cum falsitate: nam cum eisdem motiuis credibilitatis credit idem rusticus aliquando articulum falsum à Parocho sibi propositum. Non ergo habet rusticus euidentiam de infallibilitate motiuorum credibilitatis, quam euidentiam neque etiam docti habent: imo nec iudicat rusticus motiua illa habere repugnantiam cum falsitate: nam hoc etiam iudicium in ipso esset falsum, cùm re vera nullâ talem repugnantiam antecedentem habeant motiua, quæ sæpè rustico proponuntur. Solùm ergo habet rusticus euidentiam de obligatione credendi firmissimè, quam motiua illa hîc & nunc ei imponunt, & hanc appellamus euidentiam credibilitatis.

SECTIO III.

Vtrùm iudicium euidens hoc de credibilitate oriatur à fide.

39 SErmo est de assensu euidenti circa credibilitatem: nam loquendo de alio assensu obscuro certum videtur, quod possit esse à fide, si quidem per fidem etiam possumus credere res nostræ fidei esse credibiles,& habere credibilitatem talem, quæ obliget ad eas firmissimè credendas; cùm hæc etiam veritas reuelata sit à Deo in scripturis, vt *supra* vidimus: quare assensus ille, quo credimus res nostræ fidei esse sufficienter credibiles, quia id etiam reuelatum est à Deo, pertinebit ad fidem, & ab ea procedet. Nunc ergo loquimur, de assensu euidenti circa credibilitatem,qui debet præcedere ex natura rei voluntatem credendi, de quo quærimus,an procedat ab ipsa fide. Affirmant non pauci ex Thomistis, Caietanus in præsenti quæst.1. art.4. §. *Ad secundum dicitur*, Bañes *ibi dub.3. §. Propter hæc.* Aragon.*ibi §. His tamen*,& alij,quibus occasionem dedit S. Thom. *dicto art.4. ad 3.* dicens, *à lumine fidei prouenire, vt videantur ea, quæ creduntur*. Non possunt autem videri, hoc est, euidenter cognosci, nisi vt credibilia,& artic.5. ad primum dixit, *medio lumine fidei videri obiecta nostræ religionis esse credenda.* *Sententia affirmans.*

Alij tamen communiter & meliùs negant, hoc iudicium esse ab habitu fidei. Capreolus *in 3. dist.32.art.3.ad 3.* contra primam conclusionem, Vega quæst.9. de iustificatione ad vltim. Gabr. *dist.24.dub.1.* Valentia *in præsenti disp.1. quæst.1. puncto 4. prope finem.* Suarez *disputat.4. sect.6.* Turrianus *disputat.7. dub,4.* Coninch. *disput.13. dub.2.num.13.* Granado *tract.2.disp.2.num.2.* Hurtado *disp.23.* Lorca *disp.16. num.23.* & alij communiter. Probant aliqui, quia hoc iudicium credibilitatis manet aliquando in hæretico, in quo non est habitus fidei. Sed ad hoc facilè dici posset, fieri tunc per auxilium actuale extrinsecum vel intrinsecum concurrens loco habitus infusi; quod etiam dicere debent alij omnes, qui concedunt, iudicium saltem vltimum practicum ad credendum esse supernaturale; nam quando habetur anteinfusionem vllius habitus supernaturalis, debet etiam fieri per auxilium actuale intrinsecum,vel extrinsecum. Alij probant, quia hæretico, vel infideli, antequam conuertatur, nullus inuenitur actus fidei, & tamen inuenitur iudicium illud, ergo ille non est actus fidei. Ad hoc etiam facilè respondere possent, in infideli non dari actum fidei, qui propriè appellatur *fides*, qui est assensus obiecti reuelati; dari tamen actum elicitum ab habitu fidei, qui tamen actus non sit fides. Sicut in beatis non datur actus spei propriè; *Sententia negans, & communis.*

datur tamen gaudium de beatitudine, qui in multorum sententia elicitur ab eodem habitu spei. Non tamen probo responsionem, quam indicat Bañes loco citato dicens, non esse necessarium, quod assensus obiecti reuelati, & iudicium credibilitatis sint duo actus diuersi, sed posse esse vnum, & eundem actum. Hoc tamen non potest quidquam deseruire; non quidem, eo quod non possit idem actus esse obscurus respectu vnius obiecti, & clarus respectu alterius, ex quo capite doctrinam illam impugnat Granado *vbi supra n.* 3. sed sine fundamento id negatur possibile. Aliunde tamen impugnari clare potest: quia iudicium credibilitatis exigitur ad voluntatem credendi: non ergo potest esse idem actus, quo credimus mysteria, repugnat enim ex ipsis terminis, quod actus credendi moueat voluntatem ad imperandum antecedenter ipsummet actum credendi.

40 *Ratio Assertionis.* Ratio ergo assertionis petenda est ex maxima diuersitate illorum actuum, qui neque in obiecto materiali, neque in formali conueniunt, sed in vtroque differunt omnino, atque etiam in modo diuerso tendendi ad sua obiecta: vnde non appareret quomodo idem habitus etiam infusus extendatur ad vtrumque genus actuum adeo diuersorum. Nam fidei assensus credit mysteria reuelata, quæ sunt obiectum materiale propter Dei veracitatem, & reuelationem, quæ sunt obiectum formale, & credit quidem obscurè. Iudicium verò credibilitatis iudicat euidenter obligationem credendi mysteria fidei, quæ obligatio est obiectum materiale huius iudicij, quam obligationem non credit propter Dei testimonium, alioquin crederet illam obscurè, sed vel ex terminis illam clarè iudicat, vel propter miracula, & alia motiua credibilitatis euidenter affirmat: non ergo pertinet ad eundem habitum. Nam, licèt habitus infusi maiorem habeant sphæram, quàm acquisiti, eo quod non acquiruntur per actus, sed dantur ad modum potentiæ; non tamen habent sphæram sine aliqua limitatione, sed attingunt suos actus sub eodem obiecto formali saltem inadæquato, & cum aliquo ordine, & subordinatione, vt suo loco explicabitur.

41 *Obiectio 1.* Obiiciunt primò, quia fides est lumen: omne autem lumen aliquid clarè manifestat iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. *Omne, quod manifestatur lumen est:* ergo aliquid manifestat clarè: non mysteria reuelata, ergo saltem eorum credibilitatem. Respondetur, fidem esse lumen omnino clarum, sed subobscurum, & ideo ab Apostolo Petro assimilatur lucernæ: *cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco:* eo tamen modo, quo illuminat manifestat etiam mysteria certò, licèt non omninò clarè: vnde dixit Christus Ioan. 16. *manifestaui nomen tuum hominibus:* quod certè non manifestauit euidenter, sed per fidem, per quam etiam, quantum est ex parte sua, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Obiectio 2. Obiiciunt secundò ex eodem Paulo 1. *ad Cor.* 4. vbi dicit Deum illuxisse *in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis.* Quod cum fiat per fidem, consequens est, vt fides scientiam aliquam afferat, saltem de credibilitate mysteriorum. Respondetur eodem modo, fidei notitiam vocari scientiam latè, prout scientia opponitur ignorantiæ, vnde de Ioanne Baptista prædictum est, quod præiret *ante faciem Domini, ad dandam scientiam salutis plebi eius:* quæ vtique scientia non erat alia à fidei notitia per illum communicanda.

Quod attinet ad S. Thom. Hurtado putat, difficilè posse explicari. Alij tamen communiter dicunt S. Thomam non fuisse in contraria sententia. Ita Suarez, Coninch, Granado, Lorca, & alij. Et quidem *illo artic.* 4. *ad* 3. solùm dicit, quod *lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur.* Vbi non est necesse, quod verbum *videndi* accipiatur in stricto sensu notitiæ euidentis: sic enim idem verbum in Scriptura passim applicatur ad notitiam fidei. Psalm. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* 1. Ioan. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater,* &c. & alibi passim: & quidem minor violentia infertur verbis S. Thomæ ea sic intelligendo quam si velimus, quod loquatur de euidentia credibilitatis, cùm ipse non dicat, quod lumen fidei facit videre obligationem credendi, *sed ea quæ creduntur.* Neque obstat quod Hurtado §. 2. opponit S. Thomam paulò ante in responsione ad secundum loquutum fuisse de motiuo ad euidentiam credibilitatis, quod dixit esse miracula, & alia eiusmodi, propter quæ dicit res fidei esse visas sub ratione credibilium ab eo, qui credit: ad hoc enim dici potest, S. Thomam in solutione illa ad secundum, non loqui de notitia, qua ipsa fides, videat ea, quæ credit, sed qua ipse, qui credit, videt ea obiecta esse credenda, quæ quidem est notitia euidens, sed non elicita à fide; at postea in solutione ad tertium loquitur de alia notitia, qua fides ipsa facit videre ea, quæ creduntur, & hanc dicit esse à lumine fidei, sed tamen ibi *videndi* verbum non accipiunt pro notitia euidenti: difficiliora videri possent verba, quæ addidit S. Thomas in eadem responsione ad tertium dicens. *Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod est sibi conueniens secundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his quæ conueniunt rectæ fidei, & non aliis.* Ex quibus verbis alij arguunt quod S. Thomas non possit ibi velle, iudicium credibilitatis esse actum elicitum à fide: comparat enim fidem cum habitibus aliarum virtutum, qui etiam inclinant ad videndum quid sit conueniens secundùm eam virtutem: certum autem videtur actum illum, quo videmus, quid sit conueniens secundùm virtutem temperantiæ non esse elicitum ab habitu temperantiæ, qui cùm sit in voluntate, non potest elicere actum cognoscendi, sed solùm medio affectu voluntatis ad bonum temperantiæ inclinat intellectum ad inquirendum, & inueniendum bonum temperantiæ. Eodem ergo sensu loquitur de fide, vt inclinet fideles ad quærenda, & inuestiganda, quæ sint per fidem credenda, examinatis motiuis credibilitatis, ita tamen vt iudicium credibilitatis non sit elicitum à fide, sed certum aliquo modo à fide inclinante ad examinanda motiua credibilitatis, ita Suarez *num.* 4. & alij intelligunt S. Thomam, quæ tamen responsio, & interpretatio, vt verum fatear durissima videtur: esset enim eludere potius, quàm soluere argumentum, quod S. Thomas sibi opposuerat, quod erat hoc: *fides est quoddam spirituale lumen: sed sub quolibet lumine aliquid videtur: ergo fides est de rebus visis,* in quo argumento non intenderetur, quod fides media affectione ad credendum inclinaret solùm ad quærenda motiua, quæ ostenderent aliquod verum, sed quod ipsamet fides id ostenderet,

ostenderet, quia est lumen, & lumen non ostendit obiectum inclinando ad quærendum modum videndi illud, sed immediatè ostendit obiectum. Quando ergo postea S. Thomas respondet huic argumento, quod *lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur*, non accipit illud *facit videre* in alia significatione diuersa ab ea, quæ fuerat in argumento: fuisset enim æquiuocatio, & euasio tanto Doctore indigna, & argumentum mansisset insolutum: posset enim arguens dicere: ego non peto, an lumen fidei media voluntate inclinet ad quærendum aliud lumen, sed an ipsum lumen fidei manifestet, & faciat videre obiectum, quod videtur esse commune cuilibet lumini.

44 Quo autem modo de habitibus aliarum virtutum dicere potuerit S. Thomas, quod homo per illos videt id, quod sibi conueniens est secundùm habitum illum: facilè responderi posset de habitibus acquisitis in mea sententia, eos habitus esse species bene coordinatas, & dispositas circa obiectum talis habitus, vel virtutis: quare ad habitum temperantiæ, v. g. spectat ostendere, quod, & quale sit obiectum temperantiæ, & sic de aliis. Loquendo autem de virtutibus moralibus infusis, possumus etiam cum proportione dicere, sicut virtus fidei completa non solum includit habitum, qui est in intellectu, sed etiam habitum infusum voluntatis ad volendum credere, sine quo habitus solus infusus intellectualis non esset virtus completa fidei; sic etiam virtutem temperantiæ infusæ, v.g. non solùm includere habitum, qui est in voluntate, sed etiam prudentiam correspondentem in intellectu tali virtuti, & ostendentem obiectum temperantiæ, sine qua prudentia infusa, temperantia non esset virtus completa, nec posset elicere actus suos in voluntate ex defectu cognitionis supernaturalis sibi proportionatæ ex parte intellectus, vnde dici solet, virtutes omnes ita esse cum prudentia connexas, vt sine illa non habeant statum & denominationem virtutis completæ, & perfectæ, vt ex communi sententia probat Salas *vbi supra tract. 11. disp. 7. sect. 2. num. 46.* Vnde in ratione virtutum iam includunt aliquid, per quod ostendere possint obiectum conueniens secundùm talem virtutem.

45 Denique eodem modo intelligi potest, quod adduximus ex eodem S. Thoma art. 5. ad 1. dicente, *medio lumine fidei videri obiecta nostræ fidei esse credenda.* Quæ verba, si intelliguntur de ipso habitu fidei strictè sumpto, explicari debent ita, vt per fidem videantur in actu exercito obiecta esse credenda, id est, credantur propter connexionem, quæ intellectui apparet inter obiecta reuelata, & auctoritatem Dei, à qua redduntur credibilia, non tam in ordine iam ad voluntatem, quàm in ordine ad intellectum ipsum, cui bonitas illationis, & connexio obiecti reuelati cum testificatione primæ veritatis reddit obiecta illa credenda; quam necessitatem credendi rem reuelatam positis principiis, & veritatem etiam principiorum, seu testificationem infallibilem Dei videt idem intellectus per lumen fidei visione minùs propria, vt diximus, & in veritatem eorum principiorum videt quasi in medio credibilitatem, hoc est aptitudinem rei reuelatæ, vt credatur.

48 Addere possumus, nomen *luminis fidei* posse accipi strictè pro solo habitu infuso ad eliciendum assensum rei reuelatæ propter reuelationem primæ veritatis, & posse etiam accipi latiùs, prout includit etiam iudicium credibilitatis, & habitum ad illud requisitum, quicumque ille sit. Nam licèt illud iudicium non sit fides, est tamen quasi aurora, vel diluculum fidei: per illud enim incipit iam illuminari homo circa veritates nostræ fidei; imò per illud Deus ex se solo illuminat hominem; nam per ipsum assensum fidei, iam homo etiam ipse voluntariè acceptat lumen sibi à Deo immissum. Quare sicut lumen diei naturalis communiter accipitur strictè pro lumine durante ortu Solis præcisè vsque ad eius occasum: aliquando verò sumitur latiùs pro lumine quod apparet à primo crepusculo auroræ vsque ad vltimum post occasum: sic etiam lumen fidei in latiore significatione potest extendi ad crepuscula, quæ per modum auroræ, fidei assensum præcedunt, & quibus illuminatur homo à Deo ad credendum. Vnde *in tract. de Gratia*, dixi, & *infra* etiam dicam, quamuis Patres communiter doceant omnia nostra merita vel condigna, vel etiam congrua in ordine ad salutem æternam debere procedere ex lumine fidei, non tamen excludere à merito congruo voluntatem illam, qua homo etiam, antequam amplectatur fidem nostram, eique assensum præbeat, desiderat non errare in re tanti momenti, & petit à Deo illuminari, vt veram salutis viam discat, ideoque monere solent, qui infidelibus fidem prædicant, & hortari eos, vt petant à Deo lumen, séque bonis operibus ad hoc donum impetrandum disponant. Supponunt enim opera etiam illa ante fidem omnino completam, esse posse meritoria de congruo, & impetratoria maioris luminis. Quod supponere videtur Gregorius Magnus homilia 9. in Ezechiel. colum. 2. dicens, *opera sine fide non adiuuare, nisi fortasse pro fide percipienda fiant. Sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quàm fidelis existere. Qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat.* Ratio autem ea est, quia eiusmodi orationes, licèt non oriantur ex lumine fidei iam omnino ortæ, & irradiantis; oriuntur tamen ex fidei aurora, & diluculo, quo honestas credendi incipit apparere, & desiderari. Loquendo ergo de lumine fidei in hac significatione, quæ aliena non est, verissimè dici potest, quod per fidei lumen videntur obiecta nostræ fidei esse credenda: per lumen, inquam, fidei præuium ad ipsam fidem completam, & perfectam.

Quod iterum confirmari potest ex dictis, quia 47
si virtus fidei in ratione virtutis completè sumpta includit etiam habitum piæ affectionis infusum, qui est in voluntate ad imperandum assensum intellectualem, & rursus virtutes infusæ voluntatis in ratione virtutis completæ includunt prudentiam infusam, quæ correspondet in intellectu ad dirigendam quamlibet virtutem in propriis actibus. Consequens est, vt virtus fidei completa, prout includit etiam virtutem piæ affectionis includat etiam ex hac parte in ratione virtutis completæ prudentiam necessariam ad volendum prudenter credere: quare iudicium illud saltem vltimum dictans practicè obligationem credendi, quod quidem supernaturale est, & ostendit practicè obiecta hæc esse nobis credenda, pertinebit ad lumen fidei completæ in ratione virtutis, & dici poterit, quod per lumen fidei, sumpta fide in ea completa significatione videntur obiecta hæc fidei nostræ esse credenda.

An verò iudicium credibilitatis sit ab habitu prudentiæ vel potius ab aliquo alio habitu, & an sit naturale, vel supernaturale, & alia, quæ ad

ipsum spectant, examinabimus suo loco *disp.11.* vbi de ipso magis in particulari agendum est.

SECTIO IV.

Recensentur breuiter motiua, quæ reddunt euidenter credibilia obiecta nostræ fidei.

48 DIximus, requiri iudicium euidens de credibilitate nostræ fidei, seu de obligatione eam amplectendi: oporteret itaque ostendere, vnde hæc euidens obligatio oriri possit, præsertim ad credendas ita firmiter res adeò difficiles, obscuras, & humanum captum superantes, ad hoc autem opus esset adducere motiua omnia credibilitatis, quæ obligant ad credendum, eorumque pondus & efficaciam ponderare. Hoc tamen longiorem postularet tractatum, & pertinet ad controuersistas, qui contra infideles, vel hæreticos disputant, & ad eos conuincendos afferunt notas omnes religionis veræ, easque ostendunt in vna Christiana religione reperiri; quare nobis id magis supponendum est, quàm probandum, cùm de hoc argumento latissimè, & vtilissimè scripserint plures ex Patribus, & doctoribus antiquis, & recentioribus inter quos videri possunt Iustinus Martyr *in Apologet. pro Christianis*, Eusebius Cæsar. *de præparatione Euangelica*, Augustinus (Si ipse est auctor) *lib. de fide rerum inuisib. cap.7. & lib. contra Epistolam fundamenti cap.4.* Vincent. Lirinensis *in suo Commentario*, Tertullian. *in Apolog.* S. Thom. *contra gentes præsertim lib.1. cap.6.* & ex Recentioribus Michael Medina *lib.2. de recta in Deum fide*, Thomas Bosius *in duobus tomis de signis, seu notis Ecclesiæ*, Valentia *in præsenti disputat.1. quæstione 1. puncto 4.* & *in sua Analysi*, Card. Bellarm. *lib.4. de Ecclesia militante*, Lessius *in sua consultatione de fide capessenda*, & Suarez *in præsenti disp.4. sect.3. & 4.* Coninch. *disp.11. dub.3.* & latiùs Hurtado, qui alios refert, & multa ponderat, *disp.21. per totam.* Nos indicabimus breuiter capita motiuorum, quæ ex citatis auctoribus facilè locupletari poterunt.

49 *Primum motiuum est puritas doctrinæ Christianæ*

Primum itaque motiuum est puritas doctrinæ Christianæ: sicut enim ad examinandas reuelationes priuatas, an ex Deo sint, an ex Dæmone, vel ex proprio spiritu, attendere solemus, an in iis aliquid falsum contineatur, vel aliquid etiam turpe; neutrum enim à Deo esse potest: sic maximopere oportet in examinanda vera religione attendere, an in eius doctrina contineatur aliquid vel falsum, vel bonis moribus aduersum: quare si in religione christiana quidquam falsum inueniretur, constaret eam non esse à Deo. Primum ergo eius argumentum sumitur ex eius veritate, per quod non intelligimus veritatem positiuam, hæc enim esset petitio principij, & probare eius veritatem, quia est vera, sed loquimur de veritate quasi negatiua, hoc est, quod in fide nostra nihil reperitur, quod aliunde falsum esse ostendatur; cùm tamen in Philosophia ethnica, & in omnibus sectis Paganorum, & hæreticorum reperiantur plures falsitates, & mendacia, quæ ipsa etiam naturali ratione conuincuntur mendacij: quare in nulla ex iis potest esse Religionis veritas, de quo argumento agunt Eusebius *lib.8. de præparat. Euangel.* & Clemens Alex. *lib.7. stromat.* Huc etiam spectat, nullam sectam æquè perfectè, & sublimiter de Dei magnitudine, & perfectione sentire, & docere, ac Christianam, quæ Deum infinitè perfectum, & sanctum semper adstruit, in quo aliæ omnes sectæ deficiunt, in quibus pleraque vitia aut defectus in Deo finguntur, imo & ab ipsis Iudæis, postquam à vera fide defecerunt, in hoc magnopere erratum, de quo videri etiam potest Ludouicus Granatensis *in suo Catechismo parte 4.cap.22.* vbi innumeros errores Hebræorum refert circa Dei perfectiones.

Secundum, & simile motiuum est puritas, & sanctitas morum, quam Christiana religio docet; cùm Deo placere non possit doctrina à regula honesti declinans, prout declinant omnes aliæ vel præcipiendo, vel permittendo turpissima vitia, adulteria, fornicationem, vsuras, votorum violationem, ingluuiem, ebrietatem, & his similia, ad quam potissimè impuritatem homines facilè Mahometismum, vel hæreses amplectuntur, non maioris sanctitatis, aut perfectionis studio. Quæ autem, & quàm infanda scelera Respublica illa Romana, cuius leges sanctiores aliis omnibus videri poterant, in media vrbe nutriret, & foueret, videri potest Iustinus Apolog.2. *Lex autem Domini immaculata conuertens animas*, Psalm.18. quia nimirum *eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum:* nullam scilicet maculam etiam mentalis concupiscentiæ turpis non condemnando, cùm tamen tota Philosophia moralis longis obscurisque disputationibus moralibus puritatem eiusmodi nec assequuta fuerit, nec vlli vnquam persuaserit, quam Christi lex paucis, & clarissimis verbis, & docuit, & mentibus hominum, virorum, puerorum, puellarum firmiter impressit, qui & moribus suis eam ita exprimerent, vt vitam facilius profunderent, quàm ab ea puritatis regula declinarent. Videant, quæ ad hoc argumentum congerit, & acriter ponderat Hurtado *vbi suprà §.112. & sequentibus.*

Hinc autem oritur tertium, & potissimum motiuum, nempe vitæ sanctitas, & puritas in iis qui Christianam Religionem profitentur: nam licèt in iis aliqui etiam deprauatis moribus inueniantur: hoc non officit fidei nostræ sanctitati, quæ scelera illa non approbat, sed omnino reprobat, & suorum præceptorum, consiliorumque puritatem, & possibilitatem satis aperte manifestat in iis, qui multi semper fuerunt, qui fidem mente, atque opere etiam amplectuntur vnde in nulla alia religione, vel secta homines sancti, & immaculati inueniuntur, nisi in Catholica Ecclesia, in qua semper plures sanctitate etiam extraordinaria insignes, & mirabiles conspiciuntur, in quibus nec ipsi nostræ fidei aduersarij quidquam reprehensione dignum in moribus inuenire potuerunt: homines pij, casti, sobrij, humiles, opum, & honoris contemptores, erga omnes benefici, etiam quoad vitam pro suis proximis profundendam, mansueti, iniurias non vlciscentes, sed eas facilè condonantes, & nouis etiam beneficiis compensantes, religio eorum, quæ hæc & similia suadet, & persuadet, non potest Deo non placere, qui totius sanctitatis, & innocentiæ auctor, & amator est. Huc autem spectat etiam id quod aliqui piè, & prudenter obseruarunt, nullius alterius sectæ hæreticos nationem, vel prouinciam aliquam paganorum, & gentilium à paganismo ad Christum primo conuertere

tisse studuisse. Curarunt quidem, eos iam per ministros Catholicos semel conuersos peruertere, & trahere ad suam sectam, provt Ariani traxerunt ad suam sectam Gothos, vbi primum ad Christum Catholicorum opera conuersi fuerant; nunquam autem hæretici soliciti sunt de paganis ad Christum adducendis, sicut è contra Catholici quotidie ad Barbaras, & incultas gentium nationes eo zelo penetrant, cum vitæ etiam propriæ, & sanguinis iactura: vnde clarè constat, hæreticos non Dei gloriam, sed suam solùm, & proximorum mortem optare; cùm totum eorum studium non sit eos, qui cæci erant illuminare, sed obcæcare potiùs eos, qui iam semel fuerant illuminati.

52 *Quartum mot. perseuerantia, & conformitas doctrinæ.*

Quartum caput est perseuerantia, & vniformitas absque mutatione vlla, aut varietate doctrinæ nostræ religionis ab initio vsque ad hanc diem: quod in aliis sectis non inuenitur, de quarum omnium initio nobis constat, & qua occasione cœperint, cùm antea nemo esset in mundo, qui eas profiteretur: nam ab ipso orbe condito fuerunt sine vlla interruptione, qui Deum vnum colerent, qualem nos colimus, & quibus Christus promissus, & sperandus fuerit, quibus nos non contradicimus, sed omnino consentimus, cùm illum eundem, quem ipsi venturum crediderunt, & sub talibus signis demonstrarunt, nos signis eisdem visis, venisse credimus. Ab ipso autem Christo vsque ad hanc diem semper fides eadem, quam nos profitemur, à pluribus habita, & prædicata fuit, nec ostendi poterit, quando mutationem acceperit, vel quando ceptum sit credi, quod nos nunc credimus, cùm antea non crederetur, sicut de erroribus omnibus hæreticorum ostendi id facile potest. Hoc autem certissimum signum est veræ fidei, quia teste Paulo ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* Quod motiuum, vt ponderauit Suarez *vbi supra numero* 11. visum est August. efficacissimum *lib. contra epistolam fundamenti cap.* 4. propter continuam successionem Episcoporum in Sede Apostolica, cùm tamen tunc 42. successores soli numerarentur: quantò ergo nunc efficaciùs ei videretur post continuatas easdem successiones per tot sæcula absque vlla interruptione: quod clarè ostendit, sicut verissimè Christus promisit dicens. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; sic etiam verissimè promisisse Petro, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.*

53 *Quintum motiuum, modus quo Christiana fides propagata est.*

Quintum caput huic affine est, modus, quo christiana fides propagationem hanc, & perseuerantiam consequuta est; non potentia, non armis non opibus, sed per homines rusticos, despectos, ignobiles, indoctos, & contemptibiles, qui fidem omnino sensui repugnantem, præcepta difficilia, rerum temporalium contemptum, & vitæ ipsius ac vnius hominis publicè puniti, & crucifixi suptemum cultum, & diuinitatem persuaserunt Principibus, Doctoribus, sophistis, ducibus, oratoribus, & regnis, ac prouinciis, totique mundo: quod quidem impossibile esset nisi Dei digitus causam suam promoueret, & nisi opus hoc vt dixit August. lib. 22. de Ciuit. cap. 7. *virtutis fuisset diuinæ, non persuasionis humanæ.* Præsertim cùm id factum fuerit opponentibus sese Regibus, Principibus, Imperatoribus, sacerdotibus, Magistratibus, Plebe, & mundo vniuerso. Videatur Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 4. & Chrysost. *tom.* 5. *homil.* 2. contra Iudæos non longè ab initio.

54 *Sextum motiuum, ex Testibus.*

Sextum caput est, quod multa etiam complectitur ex testibus, in quorum numero est Christus ipse omnium confessione vir immaculatæ vitæ, & summæ sapientiæ, de quo credi non potest, quod per malitiam, vel ignorantiam voluerit decipere. Item Ioannes Baptista, qui ab ipsis etiam aduersariis Christi, sanctissimus iudicatus est, & testimonium amplissimum dedit Christo, & ejus doctrinæ. Dæmones etiam ipsi coacti sunt sæpe inuiti Christi diuinitatem, & veritatem doctrinæ Christianæ confiteri. Euangelistæ deinde, qui ita sincerè, & in particulari opera Christi narrarunt, & scripserunt in conspectu eorum, qui præsentes fuerant, & à quibus manifestè mendacij conuinci statim potuissent, si vera, & omnibus nota non narrassent. Apostoli, item viri sanctissimi, & sinceriſſimi, qui oculati testes fuerunt, & testimonium suum absque vlla spe temporalis emolumenti prolatum proprio sanguine confirmarunt. Innumerabiles martyres ex omni sexu, ætate, conditione, & natione, qui pro eiusdem fidei veritate non mortem solam, sed acerbissima tormenta, quæ tortorum industria excogitare potuit, non patienter solùm, sed alacriter, iocundè, & auidissimè sustinuerunt, quorum numerum ad vndecim ferè milliones peruenire ex variis auctoribus colligit Granado *dicta disput.* 1. *numero* 6. denique accedit testimonium etiam ex ipsis infidelibus petitum, quales sunt Iosephus, qui *lib.* 18. *antiq. cap.* 7. Ioannis Baptistæ sanctimoniam mitis laudibus extollit, & *cap.* 8. Iacobi Apostoli quem fratrem Iesu Christi appellat, innocentiam & sanctimoniam commendat. Phlegon etiam libertus Adriani Imperatoris, cuius verba refert Origenes *tom.* 2. *lib.* 2. *contra Celsum*, & Eusebius *in Chronico* Anno Christi 33. narrat Eclypsim & terræ motum in morte Christi factum. Iosephus etiam *dicto lib.* 18. *cap.* 4. ampliſſimum testimonium de Christo dedit his verbis. *Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Iudæis, quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat* (Alij legunt, *& credebatur esse Christus*) *quem accusatum à nostræ gentis Principibus, Pilatus cùm addixisset cruci; nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & vsque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* De quo testimonio, & eius veritate, quamuis ab Hebræis dolosè abrasum fuerit, plura ex antiquitate Baronius anno Christi 34. *num.* 226. alij, quos congerit Hurtado *vbi supra* §. 142. *& sequentibus.* Accedit testimonium eiusdem Pilati, qui non solùm in ipso tribunali professus est Christi innocentiam, sed etiam ad Tiberium Cæsarem testimonio missò de rebus mirabilibus Christi, cuius testimonij meminerunt Gregor. Turon. *lib.* 1. *histor. num.* 24. Eusebius *in Chronico* anno Christi 23. Tertullian. *in Apologet. cap.* 5. *&* 21. & alij, quos referunt Baronius anno Christi 24. *à num.* 227. & Gordonus anno Christi 35. initio, & Hurtado *vbi supra* §. 130. *& sequentib.* Accedit epistola Marci Aurelij Imperatoris, qua Christianorum pietatem commendat, & quod eorum precibus imbres in siti, &

victoriam penè oppressus obtinuerit, quæ epistola refertur ab Eusebio *lib. 4. cap. 13.* eiusque meminit Iustinus martyr *in Apolog.* & Tertullian. *in Apologet. cap. 5.*

55 Denique testes dignissimi censendi sunt doctores sanctissimi, & sapientissimi, quos vnique tertarum Ecclesia habuit, vitus ingenio, & omnigena eruditione insignes, morum autem integritate, & sanctitate illustrissimos, quorum decretis, & prudentia supremi doctorum conciliorum antistites, & propter vitæ innocentiam longè nobis dispares fuerunt, ne Deus dicatur comparationi nostræ parcere. Qui enim semper in eadem fide, eadem spe, eadem charitate, & regula fidei cum vnique populari manserunt, & non quæ propria singulorum commenta erant, quod humana infirmitas non facerent, sed id quod Dei traditum fuit prædicarunt, & propagandum obligatos omnino esse intellexerunt.

56 Septimum caput desumitur ex prophetiis longe ante præcedentibus, & in Christo, eiusque religione apertè impletis, qualis est prophetia Danielis cap. 9. de aduentu Christi, & eius morte violenta, & exercione vrbis post 70. hebdomadas, & prophetia Iacobi moriturí Genes. 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*, &c. Constat enim tunc temporis cessasse Principes ex tribu Iuda, & translatum regnum ad Herodem alienigenam, quando Christus natus est. Eiusmodi autem sunt prædictiones aliæ clarissimæ apud Isaiam, & alios Prophetas. Accedunt prædictiones ipsius Christi, quæ postea omnino impletæ sunt, qualis est illa de excidio Hierosolymitano, & templi abolitione, obsidione præcedente, Lucæ 19. & 21. & Matth. 24. Similis est illa alia prædictio de Maria Magdalena Matth. 26. *Amen dico vobis: vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius.* Et illa alia Matt. 10. qua Apostolis suis prædixit, quid passuri essent. *Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides, & Reges ducemini propter me*, &c. Item alia Matthæi 24. *& prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Et Ioanni 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Quæ & alia à Christo prædicta impleta vidimus: vnde præclarè Tertull. in Apologet. cap. 20. sic ait: *idoneum opinor testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum: quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur, eadem voces sonant, eadem litteræ notant, idem spiritus pulsat. Quid delinquimus (oro vos) futura quoque credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere?* Videri etiam potest de hoc argumento August. *tom. 10. serm. 31. de verbis Domini*, & *tom. 4. lib. de catechizandis rudibus c. 26. & 27.*

Septimum argumentum ex prophetijs adimpletis.

57 Octauum caput illustrissimum, & potissimum desumitur ex miraculis tot, & tantis, omnibus sæculis in confirmationem nostræ fidei patratis: quæ sunt quasi subscriptiones ipsius Dei, *qui facit mirabilia solus*, Psalm. 135. vnde dixit August. epist. 49. quæst. 6. *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Hæc autem manifestissima fuerunt in Christo, ita vt eius inimici confessi fuerint: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Et Iosephus supra adductus fassus fuerit *eum fuisse operum planè mirabilium effectorem.* Apostoli etiam, & successiuè sancti viri hanc eandem fidem tenentes similia opera miraculosa ediderunt, vt probat Bellarm. c. 14. & experientia ostendit, etiam nostro etiam sæculo per Recentiores sanctos miracula stupenda, & innumerabilia edita sint, quæ in eorum canonizatione diligentissimè examinantur, & comprobantur. De eorum autem veritate videri potest Iac. Salmeron *tom. 6. in Euangel. tract. 2.* Nec curandum est de haereticis dicere hæc opera Dæmonum fieri, cum hoc primus Phariseus, & Gentiles Christo, & primis Christianis obiecerint, & quidem, vt dictum primo libro *cap. 13. num. 3.* Certissimum sit principium per quod miracula hæc fiant, & quinam sanctorum effectus ex miraculis consequantur, omnia quæ frequenter probat, non esse Dæmonis praestigia, sed Dei virtutem, qui quem spectat, vt quando Dæmon illudere conatur apostolis dicendo mendacio, Iesu Christe filius, vt videre fas est in simone Mago, & in Elyma, & in Magis Pharaonis, & aliis similibus, de quo videri eruditum quod de haereticis Albigensibus super aquas ambulantibus, qui tamen virtute sanctissimæ Eucharistiæ sumpserit fuerunt, non potente Dæmone Christo præsente resistere, vt refert Cæsarius *lib. 9. Miraculorum cap. 12.* Cum enim Deus vera miracula dederit pro signis efficacissimis ad confirmandam veram religionem, & fidem, penitè ad eius prouidentiam non pertinere in Dæmone ea signa, & cum ea frequentia, & aliis circumstantiis, in quibus non possint prudenter à veris, & diuinis miraculis discerni. Experientia enim compertum est, sectarios cuiuscunque hæresis tentasse sæpe miracula edere, quæ nunquam ediderunt; tentasse etiam ea dolosè fingere, quæ tamen cum eorum dedecore detecta sunt; imò aliquando eos ipsos, qui se mortuos, vel infirmos fingebant, vt postea miraculosè resuscitati, vel curati crederentur, verè mortem, vel infirmitates incurrisse, quas fingebant.

Octauum argumentum ex miraculis.

Denique fortissimum motiuum & argumentum desumitur ex Dei prouidentia, qui non sineret eos homines, qui maiori studio diuinum obsequium, & virtutis honestatem quærunt, eos, inquam, maximè esse circa veram religionem deceptos, & miserabiliores esse omnibus aliis hominibus, qui saltem in hac vita voluptatibus perfruuntur; & hoc ipsum eis contingere, eo quod religionem illam amplectantur, quam tot, & tanti ponderis argumenta & motiua credibilem reddunt, qualibus constat nullam aliam sectam in toto orbe confirmatam esse, sed potius eas omnes apertè cum recta rationis regula pugnare. Quare meritò Richardus de sancto Victore *lib. 1. de Trinitate cap. 2.* ad Deum audacter simul, & piè ita loquitur. *Domine, si error est, quem credimus, à te decepti sumus; ista enim nobis eis signis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Quamuis ergo non sit euidens, verum esse id, quod credimus; euidens tamen est, stantibus tot, & tantis motiuis ad confirmandam nostram fidem, obligari nos ad eam credendam, & excusari omnino à leuitate credulitatis. Euidens enim est debere nos obedire Prælato, quando non possumus prudenter dubitare de eius voluntate obligandi, licèt non constet nobis euidenter de tali voluntate, sed solùm per eius voces. Euidens etiam est nos debere exhibere cultum Principi denuo venienti, licèt non constet nobis euidenter, quod ille sit Princeps, sed solùm per signa

Princips

Principatus, quæ id testantur; Vnde euidens etiam est debere nos adorare hostiam in Ecclesia propositam, licèt nec euidenter nec per fidem constet nobis, quod sit consecrata. Euidens est, debere filium colere, & reuereri suum patrem licèt non sciat euidenter, esse suum patrem, & sic in aliis, in quibus non adest ratio prudenter dubitandi. Multò ergo magis euidens erit, debere nos credere ea, quæ à Deo nobis proponuntur, quamuis non sit euidens, à Deo proponi, quando nimirum non est fundamentum prudenter de hoc dubitandi, & tot sunt fundamenta ad credendum, quod Deus loquitur, & exigit à nobis fidem, & per consequens vult nos obligare ad præstandam fidem. Vnde meritò Augustinus, qui acerrimo, quo pollebat ingenio, vim, & efficaciam horum motiuorum penetrabat, obligationem etiam fatius est ex illis prouenientem lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. illis grauissimis verbis: *Multa*, inquit, *sunt quæ in Ecclesia me iustissimè tenent*; (hoc est ligatum, & obligatum retinent) *consensio populorum, & gentium, auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, firmata, & vetustate nutrita: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli cui pascendas oues suas Dominus mandauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotem; tenetque denique ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sola hæc Ecclesia obtinuit.* Quantò ergo magis hanc obligationem agnosceret ex aliis deinde motiuis additis, quæ breuiter enumeratimus, & quorum exornatio videri poterit apud citatos Auctores, & apud Ludouicum Granatensem piè pariter, & grauiter, ac eloquenter de iis omnibus latè agentem in suo catechismo?

DISPVTATIO VI.

De actu fidei, & imprimis de eius certitudine.

SECTIO I. *In quo consistat certitudo assensus intellectualis.*

II. *An, & quomodo certitudo fidei superet alios assensus certos. Referuntur variæ sententiæ.*

III. *Excessus certitudinis in fidei assensu explicatur.*

DIximvs de obiecto formali, & materiali fidei diuinæ: nunc iam incipimus agere de eius actu, quo propter diuinam auctoritatem, & testificationem credimus obiecta reuelata, qui est propriissimus actus fidei; & in primis dicendum est de eius certitudine, & an excedat certitudinem aliorum assensuum, quos habemus. Sunt autem in hac quæstione, non pauca de vocibus: nisi enim conueniamus in eo, quod significatur per actum certum, non possumus decernere, an fides sit certa, & magis certa, quàm alij assensus.

SECTIO I.

In quo consistat certitudo assensus intellectualis.

NOn agimus de certitudine in genere, prout applicari solet ad actum etiam voluntatis, imo & ad alias actiones externas, nam certa voluntas dicitur, qua quis firmiter aliquid decernit: certus ictus, qui non aberrat à scopo, & sic de aliis. 1

De qua certitudine hic agatur.

Nunc solùm agimus de certitudine illa, qua actus intellectus dicitur certus: quam quidem vulgares, & crassi homines nihil, aut ferè nihil distinguunt ab euidentia, & tunc solùm dicunt, se esse certos de re aliqua, quando clarè eam cognoscunt. Et fortasse prima nominis etymologia hæc fuit, vt *certum* dicatur à *cernendo*, vt id solum certum nobis sit, quod cernitur. Cæterum negari non potest, quod certitudo latiùs pateat, quàm euidentia: alioquin fides nostra certa non esset, quæ ineuidens, & obscura est: cuius contrarium supponitur omnino in *Tridentino sess. 6. cap. 9.* dicente, neminem sine peculiari Dei reuelatione scire posse certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, suam iustificationem, &c. & constabit ex omnibus infra adducendis.

Certitudo latius patet quàm euidentia.

P. Suarez *in præsenti disp. 6. sect. 5. num. 6.* dicit, per certitudinem intelligi eam, quæ excludit omnem formidinem, seu dubitationem, aut periculum falsitatis. Ille tamen modus loquendi disiunctiuè non placet, quia non sufficit ad certitudinem formalem, de qua loquimur, excludere periculum falsitatis: nam iudicium probabile, quo aliquis credat, Deum esse Trinum, excludit omne periculum falsitatis, cùm implicet contradictionem assensum illum esse falsum: & tamen non est actus certus, sed formidolosus: non ergo sufficit disiunctiuè illa exclusio.

Alij ergo in vniuersum ita definiunt assensus certitudinem, vt sit *firma adhæsio intellectus circa aliquod obiectum verum.* Ita Bañez *in præsenti quæst. 4. artic. 8.* quod postea amplius explicat addendo ad verba prædicta, vt sit *adhæsio firma ad obiectum verum secundum firmam, & stabilem rationem veritatis:* quod addit vt excludat assensum illum firmum, quem aliquis præstat obiecto vero, ob rationem fallibilem, quam putat esse certam. Hoc tamen adhuc non explicat sufficienter certitudinem assensus, quando enim exigitur firmitas, & stabilitas in ipsa etiam ratione assentiendi, vel sermo est de ipsa ratione assentiendi obiectiua secundùm se, vel de modo etiam assentiendi tenente se ex parte intellectus, si primo modo intelligatur; id non sufficit; nam potest aliquis assentiri vero alicui firmiter, & propter rationem in se firmam & veram, cuius tamen firmitatem non cognoscit sufficienter, & tunc assensus non erit certus, sed imprudens, quia iuxta regulas prudentiæ non debuisset esse ita firmus. Si verò intelligatur secundo modo, non explicatur adhuc, quid sit stabilitas illa, & firmitas tenens se ex parte intellectus. 2

Propter hæc P. Coninch. *disp. 14. dub. 4. numero 44. & sequentibus* dixit, certitudinem formalem esse firmitatem assensus, qua intellectus alicui obiecto firmiter, & modo in se omnino infallibili adhæret. Vnde ad hoc duo requirit. Primum, 3

quod assensus sit verus. Secundum, quod modus cognoscendi sit infallibilis : hoc est, talis vt eo modo non possit cognosci, nisi verum. Vnde infert, quando assentimur vni propter aliud, quatuor requiri, vt assensus sit certus. Primum, vt medium habeat necessariam connexionem cum veritate obiecti. Secundum, vt modus eo medio vtendi sit infallibilis. Tertium, vt hic modus assentiendi sit ipsi assentienti infallibilis, ita vt ipse verè cognoscat suum modum assentiendi esse infallibilem, nam si Deus me eius rei inscium eleuaret, vt assensus fidei humanæ, qua Francisco credo, fieret supernaturalis, tunc licèt actus ille ratione supernaturalitatis esset infallibilis, non tamen esset certus, cùm ego non magis certus essem de re, quam credo fide humana Francisco fallibili, quàm si actus esset naturalis. Quartum denique requiritur, vt assensus sit firmus, & assentiens ita firmiter obiecto adhæreat, vt nullo modo, vel difficilè possit ab eo dimoueri. Quæ firmitas potest prouenire, vel ab euidentia obiecti siue vera, siue saltem apparenti, vel etiam à voluntatis imperio, prout contingit in assensu fidei.

4 In hac sententia aliqua sunt difficilia. Primò enim difficilè apparet, quod in assensu certo mediato debet esse necessaria connexio inter medium & veritatem obiecti : non enim apparet, cur magis sit necessaria connexio inter medium & obiectum, cui propter aliud assentimur, quàm sit necessaria connexio inter extrema in assensu certo immediato ; quando assentimur certò ex ipsis terminis, quod est assentiri ex ipsa connexione terminorum, seu extremorum inter se, quæ mouet immediatè ad assentiendum tali connexioni : nam sicut connexio apprehensa inter extrema mouet immediatè ad assentiendum illi assensu immediato, ita connexio medij cum obiecto conclusionis mouet ad assentiendum conclusioni. Potest autem esse assensus immediatus certus, licèt non appareat cõnexio necessaria inter extrema, vt constat in assensu fidei, quo credimus Deum reuelasse incarnationem, qui prout terminatur ad reuelationem, non est mediatus, sed immediatus, cùm non sit propter aliud ; nec apparet connexio necessaria inter extrema, nempe inter Deum, & reuelationem, cùm Deus potuerit reuelare, & non reuelare : & adhuc potest esse, & est assensus certus circa Deum reuelantem. Cur ergo non poterit esse assensus certus mediatus, licet non appareat necessaria connexio inter medium & veritatem conclusionis ? Vnde videtur etiam deficere doctrina illius Auctoris, quia explicuit requisita ad certitudinem assensus mediati, non tamen explicuit requisita ad certitudinem assensus immediati.

5 Quicquid autem sit de hoc, difficile secundò est, quod dicit ad certitudinem requiri, quod assentiens cognoscat verè suum modum cognoscẽdi esse infallibilem : hoc, inquam, in rigore loquendo, non potest esse verum. Quia Beatus videns Deum habet actum omnium certissimum, & hoc quamuis non habeat actum reflexum supra ipsammet visionem, vel supra modum eius tendendi infallibilem : & nos ipsi quando per fidem mysteria credimus, certissimè credimus, & actus noster certus est, licèt non habeamus actum reflexum supra eius certitudinem : non ergo requiritur ad certitudinem formalem actus, quod ipse assentiens cognoscat modum tendendi illius actus esse infallibilem. Nec exemplum, quod ad hoc adducit quidquam confert, imò retorqueri potest : nam eo casu, quo actus fidei humanæ et eleuatione Dei, te inscio, facta esset supernaturalis : etiamsi postea scires, actum illum esse supernaturalem ; ipse tamen actus pro priori naturæ præcedens, qui de se certus non fuerat, non posset fieri certus propter illam scientiam posteriorem de eius supernaturalitate tibi datam. Non potest enim esse certus actus, qui intellectum non certificat de suo obiecto, sicut non est euidens, vel clarus, qui non illuminat formaliter, & clarificat intellectum ; qui cùm sint effectus formales ipsius actus, debent prouenire formaliter pro eo priori, pro quo intelligitur actus inhærere intellectui. Si ergo pro eo priori ante cognitionem reflexam de eius supernaturalitate non certificabat intellectum de suo obiecto, non poterit etiam certificare pro posteriori : cùm eadem forma eodem modo vnita non possit pro posteriori naturæ dare nouum effectum formalem subiecto, quem non dabat pro priori, quia effectus formalis non est aliud nisi subiectum, & forma cum vnione. Poterit quidem intellectus pro posteriori certificari de obiecto per cognitionem reflexam actus supernaturalis præcedentis, quatenus ex supernaturalitate illius actus potest inferre veritatem obiecti ; tunc autem non certificabitur formaliter per priorem actum, sed per secundum : prior autem non ideo erat incertus, quia latebat eius supernaturalitas, sed vel quia erat formidolosus, vel propter alium defectum intrinsecum, qui explicandus erit.

Tertiò contra eundem Auctorem vrget : quia 6
ipse ad certitudinem exigit, quod cognoscatur modus infallibilis tendendi, quem actus habet, id est, talis, vt cum eo modo repugnet falsum aliquid cognosci. Vnde *numero* 57. infert, nullum actum euidentem naturalem habere tantam certitudinem, quantam habet assensus fidei : quia nimirum cum eodem modo cognoscendi, quantum discernere possumus, cum quo cognoscimur euidentia naturali cætera obiecta, possumus etiam cognoscere falsa : vt si vnus videat Petrum, & alter videat phantasma, quod non potest à Petro discerneri ; vterque putat, se videre Petrum, cùm tamen vnus eorum decipiatur. Ex hoc autem ipso argui potest contra eundem, quia ex duobus rusticis, quorum alter credit articulum verum sibi à Parocho propositum, alter articulum falsum à suo etiam Parocho sibi propositum, alter credit certò verum articulum assensu fidei, alter errat assensu falso : & tamen neuter discernere potest modum tendendi diuersum in vtroque assensu : ergo ad certitudinem assensus non exigitur cognoscere talem modum tendendi infallibilem in assensu, vt cum eodem tendendi modo, quantum discerni potest, non possit, & aliquando contingat esse assensum falsum.

Ideo P. Hurtado *disput.* 25. *sect.* 1. *& disput.* 38. 7
sect. 3. dicit, certitudinem assensus consistere in determinatione sui principij ad solum actum verum : nam principium actus certi non potest esse principium actus falsi : quod non ita contingit in actu incerto, nam principium actus probabilis indifferens est ad assensum etiam probabilem circa obiectum contrarium eliciendum : ideo actus probabilis etiam verus non est certus ; quia non procedit à principio determinato ad veritatem. Quare sicut ille dicitur certò attingere scopum, qui eam dexteritatem habet in iactu, vt ex illa determinetur in actu primo ad non aberrandum

Conuenit cum Suarez, & aliis contra P. Hurtado.

ãum : ita tunc intellectus certò attingit obiectum quando in actu primo principium eam habet assignationem ad veritatem, vt errare à vero non possit. Hinc est, actum fidei infusæ esse certum, quia principium eius, nempe intellectus cum habitu infuso fidei, determinatus est in actu primo, ne aberret à vero, & ne eliciat actum falsum.

8 Hic modus explicandi certitudinem difficilior mihi videtur, quàm præcedens. Primò, quia quando ponit, certitudinem assensus desumi ex eo, quòd principium habeat in actu primo determinationem ad non errandum, seu ad verum; vel loquitur de principio solo, quod influit in eum actum, vel de toto principio in actu primo, prout potest ex illo procedere ille vel alius actus contrarius: in neutro autem sensu potest regula illa vtilis esse ad definiendam certitudinem assensus: ergo aliter explicari debet: explico maiorem exemplo voluntatis in qua aliquando datur principium solum vnius actus, & tunc non datur libertas; quia totum principium non est indifferens, sed determinatum ad amandum, verbi gratia, aliquando datur principium proximum, & adæquatum amandi, & principium etiam proximum, & adæquatum odio habendi, vel certè nolendi amare; & tunc datur quasi duplex principium in actu primo; alterum ad amorem, alterum ad odium, vel nolitionem amoris: si autem fiat amor, ille quidem non procedit in rigore à principio odij, nam cognitio mali, quod est in Petro, nullo modo mouet, aut influit ad eum amandum, imò ab eo amore remouet: solùm ergo procedit amor à voluntate, & cognitione boni, quod est in obiecto; sicut è contra odium Petri non procedit à cognitione boni, quod in ipso est, hæc enim magis remouet ab odio, sed procedit à sola voluntate, & cognitione mali, dicitur tamen largè, & minùs propriè, actum amoris, vel odij; tunc procedere à libertate contrarietatis, seu à principio libero: quod tamen intelligendum est in sensu materiali, & specificatiuo, non in formali, & reduplicatiuo. Procedit quippe amor à principio potente odio habere; non tamen provt potente odio habere; quia non procedit à voluntate provt per cognitionem mali completur in ratione potentis proximè habere odium, cùm cognitio illa mali nullas prorsus vires det voluntati ad amandum, sed solùm ad odio habendum.

9 Similiter ergo intellectus aliquando habet principium solùm ad assentiendum obiecto proposito, & non ad dissentiendum: aliquando verò habet in actu primo principium sufficiens ad vtrumque, & determinatur à voluntate potiùs ad vnam partem, quàm ad aliam. Et tunc si assentiatur, non concurrunt quidem ex parte principij ad assensum species illæ, aut principia, & argumenta, quæ mouebant ad dissensum; hæc enim magis retardabant ab assensu, quàm ad illum concurrerent; sed solùm species illæ, quæ repræsentabant motiua assentiendi, & cognitio eorum motiuorum concurrunt simul cum intellectu, & conflant simul cum illo principium proximum assentiendi. Quamuis ergo assensus dicatur procedere ab intellectu indifferenti ad vtrumque actum, hoc tamen intelligitur in sensu specificatiuo, non in sensu formali, itavt potentia ad vtrumque actum influat in assensum, sed sola potentia ad assensum est, quæ concurrit ad ipsum.

10 His ergo prænotatis, & explicatis pro intelligentia illius Maioris propositionis, apparet iam facilè æquiuocatio, quæ latet in regula illius auctoris. Quando enim dicit, actum certum esse, cuius principium in actu primo est determinatum ad non errandum, si sermo sit de principio formali, hoc est, de illo, quod solùm influit in illum actum certum; regula est falsa: quia id totum verificatur etiam de actu incerto, & probabili. Quia, quando aliquis assentitur probabiliter propositioni veræ in materia necessaria propter præmissas etiam veras in materia necessaria, quas quia bene non penetrat, assentitur eis, & conclusioni solùm probabiliter: tunc, inquam, totum principium completum illius assensus est omninò determinatum ad verum, hoc est, ad non errandum: nam intellectus ex illis præmissis veris non potest inferre conclusionem falsam, nec dissensum, licèt possit ex aliis falsis, quas habet, quæ tamen nullo modo influunt in illum assensum, sed potiùs, quantum est ex parte sua, ab illo assensu remouent: procedit ergo assensus ille à principio completo tali, quod in actu primo est determinatum ad non errandum, quia conclusio illa, ad quam solam potest concurrere, nunquam potuit esse falsa, cùm sit vera in materia necessaria. Si verò auctor ille loquatur de principio non solùm formali, sed specificatiuo, & completo etiam ad alios actus, & ideo neget eo casu assensum esse certum, quia intellectus in actu primo per alias præmissas, & species, quas simul habet, potest elicere dissensum falsum: tunc regula erit etiam falsa, & diminuta, quia iuxta illam regulam sic intellectam nec actus etiam fidei esset certus. Quamuis enim intellectus non possit simul cum habitu fidei, vel cum auxilio, quod aliquando supplet defectum habitus, concurrere ad assensum falsum; ipse tamen intellectus tunc cum speciebus repræsentantibus motiua ad dissentiendum fidei, & cum præmissis suadentibus dissensum posset dissentire, & elicere actum erroris; & tamen non obstante hac indifferentia intellectus ad eliciendum actum falsum cum aliis principiis, quæ tunc habet, adhuc assensus fidei est certus: ergo ad certitudinem actus non requiritur determinatio in actu primo principij etiam specificatiuè accepti.

Æquiuocatio latet in regula P. Hurtado,

Aduerte, nos vsos esse dilemmate in hoc argumẽto vt ostenderemus falsitatem illius regulæ per excessum, vel defectum in vtroque sensu, quo intelligi potest. Sed re vera P. Hurtado eam intellexit in priori sensu: faretur enim posse esse actum fidei certum, licèt intellectus tunc cum aliis principiis possit dissentire, & elicere actum falsum tunc enim non operaretur per idem principium per quod elicit actum fidei, quod principium determinatum est ad solos actus veros. Ita expressè loquitur *disput.* 25. §. 6. Vnde *disputat.* 58. §. 25. & §. 44. ideo dicit, actus veros probabiles non esse certos, quia species ipsæ, quæ ad ipsos concurrunt ex parte principij, sunt indifferentes ad assensum verum, & ad dissensum falsum; omnis enim species probabilis est principium assensus, & dissensus eiusdem obiecti. Ex quo principio falso occasionem habuit statuendi sibi illam regulam: sed supponit, vt dixi, principium falsum: quod scilicet species, quæ non est euidens, sed probabilis, sit eadem principium assensus, & dissensus circa idem obiectum. Quod saltem in vniuersum loquendo, non potest verum esse, & manifestè repugnat experimento. Quando enim iudex audit rationes vtriusque partis litigantis, non

accipit

accipit eandem speciem ab vtraque parte, sed à singulis accipit species suorum motiuorum, & per species acceptas ab actore mouetur ad iudicium probabile contra reum, & è contra per species acceptas à reo mouetur ad iudicium probabile pro ipso: non est ergo eadem species probabilis, quæ inclinat ad assensum, & dissensum probabilem: tunc enim neutra species fuit euidens, vt suppono; & tamen species accepta à reo non inclinat ad eum condemnandum: quia ipse nullum motiuum attulit contra se. Quod idem contingit in controuersia speculatiua, qua hic affert rationes probabiles pro aliqua conclusione probabili in materia necessaria, & nullum argumentum affert pro parte contraria, pro qua tamen ille alius plura argumenta probabilia etiam affert: quare neuter dat vnam speciem ad assensum, & dissensum, sed auditores ab altero concipiunt species ad assensum, ab altero species ad dissensum. Si ergo assentiantur probabiliter, assensus ille non oritur à specie, & principio adæquato potente producere vtrumque actum contrarium, sed ab intellectu cum sola specie deseruiente ad solum assensum, qui solus in illa controuersia poterat esse actus verus.

12 *Impugnatur eadem regula P. Hurtado.* Secundò impugnari poiest eadem regula, quia potest dari assensus probabilis aliquo casu, quo principium non solum formale, sed etiam specificatiuum in actu primo non sit completè potens ad assensum, & dissensum, sed solum ad assensum probabilem: nam in voluntate contingit etiam, quod bonum finitum ei proponatur, non quidem vt summum bonum; sed tamen absque motiuo mali, & tunc voluntas necessitatur ad eius amorem, v. g. quando proponitur bonum vindictæ, non positiuè vt bonum infinitum, aut summum, sed tamen pro tunc non apparet prohibitio, aut aliquod malum in vindicta, & ideo insurgit necessariò in voluntate affectus vindictæ, qui dici solet motus primò primus, & excusatur à peccato propter defectum deliberationis, & inaduertentiam ad malum. Sic etiam in intellectu possunt proponi motiua non euidentia, & clara, sed obscura ad aliquam conclusionem veram etiam in materia necessaria, itavt pro tunc non appareant adhuc motiua ad partem contrariam; & tunc intellectus necessitatur ad assensum conclusionis, non quidem clarum, quia præmissæ non sunt claræ & euidentes; necessarium tamen, quia nulla apparet ratio falsi in obiecto, cùm non sit necesse, quod semper motiua pro vtraque parte simul proponantur. Fieri autem posse etiam practicè, quod motiua probabilia generent assensum probabilem absque eo, quod appareat probabilitas partis contrariæ supponit etiam Thomas Sanchez *lib.1. in decalogum cap.10. num.9.* in eo ergo casu intellectus non habet principium completum in actu primo ad dissensum probabilem, sed solum ad assensum, quem supponimus esse in materia necessaria, & per consequens non potuisse esse falsum, atque ideo assensus ille procedit à principio non solum formali, sed etiam materiali, & specificatiuo alligato, & determinato in actu primo ad non errandum: & tamen assensus ille non erit certus, sed probabilis, cùm non procedat ex præmissis euidentibus: ergo regula illa non potest esse vniuersaliter vera ad statuendam certitudinem formalem alicuius assensus.

13 Tertiò denique impugnari potest, quia positis in actu primo principiis ad assensum, & dissensum probabilem, potest Deus prædeterminare physicè intellectum, & necessitare illum ad assentiendum, quem supponimus esse verum, & in materia necessaria, non addito nouo motiuo assentiendi ex parte obiecti, nec maiori lumine, aut penetratione motiuorum; sed relinquendo motiua solùm probabiliter apparentia: si enim potest tunc voluntas imperare intellectui assensum potiùs, quàm dissensum; cur non poterit Deus physica qualitate prædeterminante intellectum etiam determinare ad assensum. Ecce tunc assensus ille verus procederet à principio non indifferenti, sed determinato in actu primo ad assensum verum, atque ideo ad non errandum: & tamen adhuc actus ille non esset certus, sed probabilis: quia ex præmissis solum probabilibus, non potest procedere conclusio certa, nec potest intellectus certiùs assentiri obiecto conclusionis, quàm obiectis præmissarum: ergo non est vniuersaliter verum, quod omnis assensus procedens à principio determinato in actu primo ad non errandum, debeat esse certus.

14 Vt ergo regulam clariorem statuamus ad definiendum, qui actus dicendi sint certi, & quid intelligamus nomine certitudinis, dicendum in primis est id, quod ex professo probaui *in lib. de anima*, scilicet, certitudinem cognitionis duo includere, nempe necessariam connexionem cognitionis cum veritate, & firmam adhæsionem ex parte intellectus ad obiectum: itaque cognitio certa habet eo ipso repugnantiam cum falsitate siue hoc proueniat ex eo, quod obiectum non potest aliter se habere, siue ex eo quod cognitio sit clara, aut ex alio capite: habet item illa cognitio ex se firmam obiecto adhæsionem, excludens omnem formidinem actualem ab intellectu, & qualibet ex his duabus conditionibus deficiente, non dicitur cognitio certa: nam licèt assensus probabilis de rationalitate hominis non possit esse falsus, non est certus, quia non adhæret firmiter obiecto, sed cum formidine: & è contra assensus erroneus, quo sine formidine adhæret firmiter aliquis suo errori, non est certus, quia non habet necessariam connexionem cum veritate. Ex quo etiam fit certitudinem propriè loquendo non tam se habere ex parte obiecti, quàm ex parte intellectus. Obiectum enim in se, neque est certum, neque incertum, sed denominatiuè ab assensu, qui dicitur propriè certus, propter prædictas conditiones, vel incertus propter defectum illarum.

15 Aduerte tamen, illam maiorem certitudinem, quam vnus assensus habet præ alio propter firmiorem adhæsionem ad obiectum, non consistere in maiori intensione, quam ipse assensus habeat in sua entitate: potest enim assensus remissus firmiùs adhærere obiecto, quàm alius intensus; qui excessus potest appellari maior adhæsio substantialis, seu appretiatiua: nam sicut amor Dei super omnia non consistit in maiori intensione ipsius actus (potest enim esse actus remissus) sed in quodam modo tendendi ad Deum præferendo eum in actu exercito aliis obiectis, ita vt cæteris omnia Dei voluntati repugnent, ea omnia relinquenda sint ex vi hujus dilectionis Dei; ita etiam intellectus sine actu intenso potest alicui veritati ita firmiter adhærere, vt in actu exercito eam præferat aliis veritatibus, & se ostendat paratum ad omnes alias relinquendas, quæ huic repugnare videantur. Hunc modum tendendi habet voluntas ad finem, & ad media: nam eo ipso, quod

quod vult medicinam propter salutem, licèt actu æquè intenso ferantur ad vtramque; magis tamen vult sanitatem, quàm medicinam, itaut alterè relinquenda esset, præferenda esset sanitas: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Hunc etiam modum assentiendi habet intellectus respectu principij, & conclusionis: nam licèt actu æquè intenso assentiatur vtrique, magis tamen adhæret principio, quàm conclusioni significans, si altera ex illis veritatibus sola retinenda esset, potiùs retinendum principium, quàm conclusionem, quia propter quod vnumquodque est tale, &c. vt circa præsentem materiam dixit Aristoteles 2. *poster.*

16 Vnde obiter etiam aduerte, hanc firmam adhæsionem ad obiectum, quæ requiritur in actu certo, non esse solùm denominationem extrinsecam prouenientem à voluntate alligante firmiter intellectum ad eum assensum, & volente potiùs mortem, quàm quod intellectus ab eo recedat, vt indicare videtur Hurtado *dicta disputatione* 5 8. §. 1. & 2. nos autem dicimus, licèt extrinsecè, & quasi in genere causæ efficientis proueniat à voluntate imperante assensum; intrinsecè tamen, & formaliter reperiri talem modum adhæsionis firmæ in ipsomet assensu: neque enim solùm voluntas firmiter imperat assensum, sed imperat assensum firmum, & in quo sit talis adhæsio appretiatiua, & maior. Si enim voluntas priori solùm modo imperaret assensum, quantumuis ipsa firmiter imperaret assensum, tamen ipse non esset firmus, nec aptus ad debito modo credendum Deo. Quod explicari potest exemplo eiusdem voluntatis, quæ dupliciter etiam potest firmiter imperare sibi suos actus. Primò, itavt tota firmitas teneat se ex parte imperij. Secundò, itavt firmitas teneat se ex parte actus imperati. Priori modo pœnitens concipit propositum restituendi ablata, quando confitetur, qui est actus quasi imperans, & volens habere suo tempore voluntatem restituendi: & quidem hoc propositum est firmum, & super omnia; non tamen imperat sibi voluntatem restituendi super omnia: non enim debet postea ex vi illius propositi habere voluntatem restituendi cum iactura vitæ, vel salutis etiam corporalis, sed aliquam aliam voluntatem restituèdi minùs firmam, & vniuersalem, quàm fuit ipsum propositum. Sicut habet etiam voluntatem super omnia non peccandi, & diligendi proximum; non tamen diligendi proximum super omnia. Posteriori autem modo imperat sibi dilectionem Dei super omnia; quo casu firmitas non solum est in actu imperante, sed etiam in imperato; imperat enim sibi amorem Dei firmissimum, & super omnia, qui actus non solùm extrinsecè, & denominatiuè sit firmus, sed intrinsecè, & in se ipso habeat modum adhæsionis firmissimæ, imò potest contingere, quod actus imperans non habeat tantam firmitatem, quanta imperatur, & reperitur in ipso actu imperato. Nam qui absque obligatione vrgenti præsenti, sed ex deuotione vult exercere se in dilectione Dei, potest sibi ex deuotione imperare actum dilectionis Dei super omnia: quo casu actus imperans non oportet, quod sit firmissimus, & super omnia: imò enim paratus est simul homo ad desistendum ab impetio aduenientè occupatione meliori, & tamen actus imperatus dilectionis Dei, qui ex vi illius imperij perseuerantis fit, est amor firmissimus, & super omnia, firmitate intrinseca in ipso actu imperato. Sic ergo voluntas potest voluntate firmissima imperare intellectui assensum non firmum. Si verbi gratia, facto voto amplectendi, & tenendi opinionem piam de immaculata Deiparæ conceptione, imperat voluntas intellectui assensum illius veritatis; voluntas imperans est firma, vt votum obseruetur: assensus tamen imperatus, licèt sit extrinsecè, & denominatiuè firmus à firmitate voluntatis imperantis; in se tamen non est omnino firmus, & certus, sed cum aliqua incertitudine intrinseca: talem enim assensum & non alium firmiorem vouit homo.

17 Quibus suppositis, dicimus assensum fidei non debere esse firmum solùm firmitate adhæsionis extrinseca, & denominatiuè à voluntate firma imperante, sed debere etiam esse in se intrinsecè firmissimum adhæsione firmissima sibi intrinseca; hunc enim, & non alium assensum minùs firmum imperat pia affectio voluntatis, & firmitas ipsa fidei est obiectum imperatum. Nam, si solum in voluntate esset intrinsecè firmitas, & non in ipso assensu, sequeretur, quod assensus ipse in se maneret intrinsecè formidolosus, atque adeo solùm probabilis: cùm enim intellectus ipse sua firma adhæsione non excluderet formidinem, iam assensus ipse esset talis, cum quo non repugnaret formido actualis. Quamuis autem voluntas suo imperio cohiberet etiam formidinem actualem, ne insurgeret; per hoc tamen non tolleretur, quod assensus in se esset infirmus, & solùm probabilis. Finge enim, stantibus præmissis solùm probabilibus, & intellectu assentiente conclusioni propter illas præmissas, Deum cohibere actualem formidinem, & negare concursum ad illam: adhuc assensus ille in se maneret incertus, & infirmus, nec excederet terminum probabilitatis; nam ad hanc sufficit formido radicalis, quæ remanet, quoties assensus de se propter infirmitatem intrinsecam aptus est ad generandam formidinem actualem, seu talis est, cum quo non repugnet actualis formido. Talis autem esset assensus fidei intellectualis, si tota eius firmitas adhæsionis proueniret solùm extrinsecè & denominatiuè à voluntate firma cohibente actualem formidinem, & non etiam ab ipso assensu per suam entitatem taliter adhærente obiecto reuelato.

17 Assensus fidei non debet esse firmus solum firmitate adhæsionis extrinseca, sed etiam adhæsione firmissima sibi intrinseca.

18 His duabus conditionibus ad certitudinem formalem requisitis, nempe connexioni necessariæ cum veritate obiecti, & firmæ adhæsioni excludenti formidinem actualem, addenda videtur alia tertia conditio, vt assensus sit simpliciter certus, nempe, quod taliter proponatur obiectum, vt cognosci, & iudicari euidenter possit repugnantia cum prudenti dubitatione. Ratio autem est, quia nisi hæc tertia conditio requiratur, videtur concedenda certitudo in aliquo assensu, qui communiter, & meritò incertus existimatur: Nam si aliquis, verbi gratia, ex præmissis veris in materia necessaria, sed quæ non clarè penetrantur, nec proponuntur, inferat conclusionem etiam veram, poterit voluntate sibi imperare saltem imprudenter assensum firmum, & excludentem omnem formidinem tam circa præmissas, quàm circa conclusionem: tunc autè assensus ille habebit vtramque conclusionem à nobis assignatam; quia in primis habebit veritatem, & necessariam cum ea connexionem: cùm enim sit obiectum verum in materia necessaria, impossibile est, quod fuerit falsum, & per consequens impossibile est, quod assensus illius obiecti fuerit vllo casu falsus. Deinde

18 Assensus debet esse simpliciter certus.

de erit firmus, & intrinsecè firmus, cùm voluntas possit imprudenter imperare assensum firmum sine sufficienti fundamento ad talem firmitatem, vt constat in hæreticis firmissimè, & obstinatissimè tenentibus suos errores. Nam sicut voluntas, licèt non possit imperare sibi actum amoris circa obiectum, nisi in illo appareat ratio aliqua boni: potest tamen proposito bono, imperare sibi amorem maiorem, & firmiorem supra meritum talis obiecti, provt peccatores feruntur in bonum delectabile maiori, & firmiori amore supra meritum boni amati: ita intellectus, licèt non possit assentiri obiecto, in quo non appareat ratio aliqua veri, nec voluntas possit hoc ei imperare: proposita tamen aliqua ratione veri, ad quam possit terminari assensus, potest voluntas assensum imperare, & quidem firmiorem assensum, quàm illa ratio veri taliter proposita mereretur, & ideo imprudenter, sed tamen efficaciter imperabit. Tunc ergo assensus ille & firmus erit, & habebit necessariam connexionem cum veritate, cùm sit in materia necessaria. Non tamen videtur concedendum, quod assensus ille sit simpliciter & absolutè certus: alioquin posset homo ille iurare, se certò scire veritatem talis obiecti, nam ex vno capite iudicat, illud esse verum, & ex alio capite firmiter illud iudicat, quæ duo sufficerent ad certitudinem. Consequens autem videtur absurdum, quia eo dato, idem dicendum esset de omni alio obiecto probabiliter nobis proposito, quod possemus semper iurare, nos esse de illius veritate certos, nimirum imperato nobis priùs assensu firmo circa tale obiectum, & cohibente formidinem actualem. Aliquid ergo deest illi assensui ad certitudinem, nempe, quod obiectum proponatur taliter, vt iudicari possit euidenter repugnantia omnimoda assensus cum prudenti dubitatione.

19 Dices, eo casu assensum quidem fore certum, cùm habeat vtramque conditionem requisitam; non tamen posse assentientem iurare, quod sit certus: quia ad id iurandum, requiritur, quod ipse rursus cognoscat necessariam connexionem assensus cum veritate, quam connexionem necessariam tunc non percipit, quamuis reuerà assensus eam habeat. Sed contra, quia eo ipso, quod homo assentitur veritati obiecti, iudicat, non posse obiectum esse falsum, & per consequens iudicare potest, nec assensum posse esse falsum: nam idem est iudicare obiectum esse verum in materia necessaria, ac non posse esse falsum: ergo sicut iudicat verè, & sine formidine, obiectum esse verum, iudicat, vel iudicare potest, non potuisse esse falsum, atque ideo assensum habere necessariam connexionem cum veritate, vnde poterit iurare, quod certò cognoscit veritatem obiecti.

20 *Ad hoc vt actus sit certus, nō requiritur quòd cognoscatur reflexè necessaria cōnexio ipsius assensus cum veritate.*

Pro huius tamen conditionis intelligentia aduerte primò, nos non requirere ad hoc, vt actus sit certus, quod cognoscatur reflexè necessaria connexio ipsius assensus cum veritate, vt velle videbatur P. Coninch suprà adductus; nam sine vlla tali reflexione possumus habere cognitionem directam certam de aliquo obiecto, vt quando oculis videmus lucem, certò etiam assentimur existentiæ lucis absque vlla reflexione supra ipsum assensum, imò nec requiritur, quod cognoscamus necessariam aliquam veritatem in obiecto, seu necessariam eius connexionem cum veritate necessitate antecedenti. Quando enim videmus Petrum concurrere, certò iudicamus eum concurrere, absque eo quod iudicemus id non posse aliter se habere impotentia antecedenti: hoc quippe iudicium esset falsum, cùm Petri cursus sit omnino contingens, & nulla sit necessitas antecedens, vt currat potius quàm sedeat. Si quæ ergo necessitas ibi est, solùm ex consequens, qua res dum est, necesse est esse, quam necessitatem consequentem eo ipso implicitè cognoscimus, & quasi in actu exercito affirmamus, dum cognoscimus, & affirmamus, Petrum currere; solùm ergo exigimus ad certitudinem formalem, quod obiectum taliter proponatur, vt cognosci, ac iudicari euidenter possit repugnantia aliqua assensus cum prudenti dubitatione, vt mox explicabimus.

Vnde aduerte secundò, nec etiam requiri ad assensum certum, quod obiectum taliter proponatur, vt iudicari prudenter possit, non posse sub tali motiuorum gradu proponi aliquid falsum: nam hoc iudicium plerumque in rusticis ante assensum fidei esset falsum; si quidem aliquando cum æqualibus motiuis proponitur eis aliquid falsum tanquam pertinens ad fidem, quare etiam quando proponitur articulus verus, iudicium illud præcedens esset falsum, si iudicarent non posse sub tali gradu motiuorum proponi vnquam aliquid falsum: non ergo requiritur tale iudicium ad eliciendum postea assensum certum circa articulum verum sibi propositum; absit enim, quod ad assensum fidei certum prærequiratur necessariò in eis iudicium falsum de impossibilitate falsitatis sub tali genere motiuorum. Vnde id requiri diximus, & sufficere, quod proponatur obiectum taliter, vt iudicari euidenter possit repugnantia hîc & nunc cum prudenti dubitatione, quod iudicium etiam in rustico datur ante actum fidei; nam licèt non sit ei euidens necessaria veritas obiecti, nec necessaria connexio assensus cum veritate, neque etiam, quod sub illis motiuis non possit contineri, & proponi aliquid falsum, nec denique, quod sub illis motiuis nemo possit prudenter dubitare; (nam in hoc ipso aliquando etiam deciperetur) euidens tamen est, taliter proponi obiectum credendum, vt hîc & nunc ipsemet non possit prudenter dissentire, vel dubitare de veritate obiecti. Ratio autem à priori, cur hoc sufficiat ad certitudinem, ea esse potest, quia id sufficit ad certitudinem quod sufficit ad testificandum, & affirmandum etiam cum iuramento, me certo aliquid scire: ad hoc verò sufficit, si ego id absque hæsitatione, & firmiter credo, & mihi obiectum taliter sit propositum, vt non possim prudenter de veritate dubitare: iam enim tunc obiectum ipsum ex modo, quo mihi proponitur, affert secum certitudinem radicalem, hoc est talem apprehentiam, & ostensionem, quæ non sinat me dubitare: idem autem est non sinere me prudenter dubitare, ac non sinere dubitare: ergo quoties ita proponitur obiectum, vt euidens sit, me non posse hîc & nunc prudenter dubitare, proponitur sufficienter, ad fundandam certitudinem formalem, si tamen assensus postea habeat necessariam connexionem cum veritate.

Dixi autem requiri ad certitudinem, quod iudicari possit euidenter, me non posse prudenter dubitare: non enim requiritur semper, quod de facto ita iudicetur, sed solùm, quod ex modo, quo obiectum proponitur, id possit euidenter iudicari. Quando enim video Petrum currere, iudico certissimè eum currere, licèt non habeam semper iudicium illud præuium, aut reflexum, quo iudico euidenter me non posse prudenter de eo dubitare

bitare ; sufficit quod ex modo, quo obiectum proponitur, id possim euidenter iudicare. Postea tamen ad testificandum, & iurandum, me certum esse de cursu Petri, necesse est, quod reflexè iudicem euidenter, non potuisse me prudenter dubitare, vel certè, quod iudicem me potuisse ex modo, quo obiectum proponitur, iudicium illud euidens habere: plus enim requiritur ad testificandam certitudinem, quàm ad habendam illam: ad habendum quippe non est necesse illam cognoscere, sicut necesse est ad illam testificandam, & ideo ad hoc necesse erit cognoscere id, quod necessarium est ad illam habendam.

23 Dices, ergo ad testificandum, quod sis certus de aliquo obiecto, necesse erit cognoscere etiam connexionem necessariam assensus tui cum veritate obiecti, quia hæc connexio est necessaria ad certitudinẽ formalem assensus, vt suprà diximus; consequens autem videtur falsum: quia connexio necessaria, quam actus fidei habet cum veritate, fundatur in supernaturalitate illius actus, quæ à credente non percipitur, vt constat. Respondeo, concedendo sequelam, nec consequens illud est absurdum: nam testificans, se esse certum de aliquo obiecto, non testificatur, nisi certitudinem, quam ipse potest experiri. Et quidem, quando assensus certus est clarus, & euidens, assentiens experitur in se euidentiam, & claritatem, quæ est etiam certitudo formalis, & illam testificatur. Quando verò assensus certus est obscurus, diximus, requiri ad certitudinem, quod sit firmus, & excludens ex se omnem formidinem, & hanc etiam firmitatem experitur in se assentiens, & illam potest testificari. Requiritur etiam conformitas cum obiecto seu veritas, & hanc etiam assentiens cognoscit, & testificari potest: cum enim credat obiectum illud, eo ipso credit, & certò credit, illud esse verum, & per consequens eadem certitudine credit, suum assensum esse verum. Cognoscit etiam, quod ex modo, quo obiectum propositum est, non potest prudẽter de eo ab ipso dubitari hîc & nunc, quod etiam diximus requiri ad certitudinem, denique cognoscit aliquam connexionem necessariam assensus cum veritate, non quidem illam, quæ fundatur in supernaturalitate actus; hanc enim non percipit, nec testificari potest; sed connexionem necessariam necessitate quasi consequenti orta ex suppositione ipsius obiecti; quam suppositionem, cum certò credat, certò etiam credit, assensum connecti necessariò cum veritate, necessitate saltem consequenti, quod sufficit, vt possit testificari se habere assensum certum de illo obiecto.

24 Proponitur difficultas. Ex dictis tamen oriri potest difficultas quædam pertinens fortasse ad logicos, sed non aliena ab hoc instituto. Diximus enim assensum certum per suam firmitatem intrinsecam excludere formidinem actualem: solet autem formido actualis explicari per illas voces, *fortasse non est ita, vt ego credo*: difficile autem videtur assignare, quid affirmet, vel neget intellectus per iudicium correspondens vocibus illis: nam vel negat obiectum ipsum; & hoc dici non potest; quia formido actualis esse potest cum assensu probabili, impossibile autem est, quod intellectus dicat per actum probabilem, *Petrus studet*, & simul per alium actum dicat, *non studet*. Si autem dicas non negari per illas voces studium de Petro, sed solum affirmari illud, *fortasse*: videtur enim solùm affirmari contingentiam, seu potentiam ad oppositum, hoc etiam difficile est: nam vel affirmatur sola potentia antecedens ad non studendum, ex qua oritur, quod non necessariò studeat, sed cõtingenter, vel affirmatur etiam potentia consequens. Si dicas primum, sequitur quod formido actualis possit etiam stare cum assensu certo, imò & cum euidenti: qui enim videt Petrum currere, potest simul dicere, quod potest non currere potentia antecedenti, ergo poterit dicere *fortasse non currit*, si hæ voces solùm affirmant potentiam antecedentem ad oppositum. Si verò dicas secundum, nempe affirmari potentiam etiam consequentem; cùm hæc proueniat ab ipso actu secundo, vel includat illum, sequitur, quod qui dicit, *fortasse non studet*, affirmat negationem studij, vel negat studium: quia sicut impotentia consequens includit negationem actus primi, ita potentia consequens includit actum secundum, atque ideo affirmans potentiam consequentem non studendi, affirmat vacationem à studio, quæ affirmatio non potest stare simul cum assensu probabili affirmante studium actuale.

Respondeo, per voces illas *fortasse non studet*, 25 quibus exprimi solet formido actualis, non affirmari negationẽ studij, aut negari studium ipsum; neque etiam affirmari potentiam consequentem ad negationem studij, quia hoc esset affirmare ipsam actualem negationem studij, vt bene probat obiectio: denique neque potentiam antecedentem proximã physicam; tum quia hæc etiam affirmari posset simul cum actu euidenti de actu opposito, v.g. quando video Petrum loqui, possum adhuc dicere, quod habet potentiam proximam ad non loquendum, non tamen possum formidare, & dicere *fortasse non loquitur*: tum etiam, quia nec semper cum probabili assensu possum affirmare potentiam proximam ad oppositum, v.g. quando iudicio probabili affirmo, actionem distingui à termino, non possum simul affirmare potentiam physicam proximam ad oppositum, nam hoc esset affirmare implicitè oppositum: si enim potest identificari actio cum hoc termino, necesse est, quod de facto identificetur, quia in necessariis à potentia ad actum bene arguitur: & tamen possum tunc habere formidinem actualem, & dicere, *fortasse non distinguitur*. Dicendum ergo est, per illam formidinem, & voces, quibus illam significamus, affirmari solùm potentiam quandam quasi logicam ad oppositum; scilicet, motiua ad illum assensum probabilem non esse tanti ponderis, vt non possit sub aliis motiuis æqualibus latere aliquando periculum deceptionis, atque adeò motiua non dare securitatem contra deceptionem, & hoc est formidare actualiter, & significatur per illud *fortasse*, per quod non affirmatur negatio obiecti, nec potentia physica antecedens, vel consequens, sed infirmitas sola motiuorum, vt dictum est.

His ergo præmissis circa certitudinem in communi, sequitur, vt videamus, an, & quomodo fides certa sit, & qualem certitudinis gradum habeat.

SECTIO II.

An, & quomodo certitudo fidei superet alios assensus certos. Referuntur variæ sententiæ.

DVrandus solus *in 3. dist. 23. q. 7. num. 7. & sequentibus*, videtur minùs dignè de fidei 26

Durandus videtur minus dignè de Fidei certitudine loquutus.

certitudine loquutus: distinguit enim duplicem certitudinem, alteram adhæsionis, alteram euidentiæ, quam solam dicit esse veram certitudinem; quare cùm postea dicat, solam certitudinem adhæsionis reperiri in assensu fidei, videtur veram, & propriam certitudinem in eo non agnoscere. Aliqui Durandi sententiam temeritatis damnant. Ita Bañes *in præsenti quæst. 4. art. 8.* Alij eam à censura liberant, quia in re ipsa non errauit, sed modum loquendi alienum vsurpauit, intelligens nomine *certitudinis propriæ* eam solam, quæ est in intellectu, non quæ prouenit à voluntate, ita Hurtado *disp. 58. §. 11.* Nam quoad rem ipsam idem videtur docuisse Bonauent. *in 3. dist. 23. art. 1. q. 4.* Alensis *3. part. quæst. 68. art. 1. membr. 9.* Hugo de S. Victore *lib. de Sacramentis, part. 10. c. 1.* dicentes, fidem esse certitudinem animi de rebus absentibus supra opinionem, & infra scientiam. Non puto tamen, Durandum immunem esse ab omni reprehensione, qui voces ita vsurpauit, vt in modo saltem loquendi consentire non possit sanctis Patribus, qui, vt videbimus, fidem certam & certiorem appellant; quare debuit potiùs dicere, *certitudinis* vocabulo intelligi propriè id, quod de facto in fidei assensu reperitur.

27 *Sententia communis.*

Alij ergo omnes communiter fatentur assensum fidei certum esse, S. Thom. *dict. art. 8.* & alij, quos congerunt, & sequuntur Valentia *in præsenti disp. 1. q. 4. puncto 8.* Molina *1. part. quæst. 1. art. 5.* Suarez *in præsenti disp. 6. sect. 5. num. 10.* Hurtado *vbi supra §. 14.* & alij communiter. Et constat ex modo loquendi Scripturæ & Patrum 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi, & certus sum.* Tobiæ 3. *Pro certo habeat omnis, qui credit in te.* Act. 2. *certissimè sciat domus Israel quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Eodem modo loquuntur Patres infra adducendi, & idem supponitur in Tridentino *sess. 6. cap. 9. & Can. 16.* dum negatur, posse aliquem certitudine fidei scire sine speciali reuelatione, se esse in statu gratiæ, aut prædestinatum; supponitur ergo, quæ fide creduntur, certò credi. Ratio etiam sumitur ex dictis *sect. præcedenti*, quia assensus fidei habet necessariam connexionem cum veritate, cùm fides nullum possit elicere actum falsum, vt videbimus *disp. 4.* Habet etiam firmam adhæsionem excludentem omnem formidinem actualem; omnis enim dubitatio plenè deliberata in rebus fidei destruit fidem, eique aduersatur, vt dicitur *in cap. 1. de hæreticis.* Denique eius obiectum ita proponitur, vt euidens sit credenti ex ipso modo proponendi repugnantia cum prudenti dubitatione circa ipsum in his circumstantiis, vt vidimus *sectione præcedenti*: habet ergo omnia, quæ requiruntur ad certitudinem simpliciter, & absolute.

28 *An fides certitudine superet cognitiones euidentes, an verò ab iis superetur?*

Difficultas potissima est, an fides certitudine superet cognitiones euidentes, an verò ab iis superetur. Hæc autem quæstio locum non videtur habere in sententia eorum, qui cum Heruæo dicunt, non posse vnum actum certum esse certiorem alio certo. Sed tamen ea sententia communiter reiicitur in Logica: quia quicquid sit, an vnus actus verus possit esse verior alio vero; inter actus tamen certos inæqualitas esse potest: nam veritas propositionis formalis est conformitas cum obiecto, quæ consistit in indiuisibili, quare non potest vnus actus esse magis conformis, quàm alter, si vterque omnino, & perfectè conformis est: at verò certitudo est repugnantia cum falsitate, quæ potest esse inæqualis, cùm in vno possit esse repugnantia solùm naturalis, in altero essentialis; in vno repugnantia ex vno capite, in altero ex duplici, vel triplici capite. Deinde certitudo est firma adhæsio, quæ recipit etiam magis, & minus: potest enim vterque assensus firmiter adhærere, sed inæqualiter, v. g. firmiùs assentimur præmissis, quàm obiecto conclusionis, sicut magis volumus finem, quàm media. Denique ea etiam sententia admissa, fides saltem haberet negatiuè summam certitudinem, hoc est, esset ita certa, vt nihil certiùs esse posset.

Aliqui ergo dicunt, fidei assensum minùs certum esse, quàm scientiam. Ita docuit Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacramentis, part. 10. cap. 1.* vbi ait, fidem esse certitudinem maiorem opinione, & minorem scientia: quod videntur etiam sentire Alensis, & Bonauentura suprà adducti. Ratio autem præcipua videtur esse, quia illa videtur esse certitudo maior, quæ magis excludit dubitationem: fides verò, licèt excludat dubitationem, & formidinem actualem, non tamen excludit potentiam proximam dubitandi, & formidandi, imo & dissentiendi, cùm sit libera, & possimus non credere, quam tamen potentiam etiam excludit scientia, ergo hæc erit magis certa.

Alij ergo dicunt, fidem secundùm se esse certiorem, quoad nos verò esse minùs certam, quàm scientiam: quæ distinctio videtur insinuata à S. Thoma *illo art. 8.* & eam amplectuntur multi ex Thomistis. Sed acriter impugnatur à Durando, quia quidquid habet fides secundùm se, totum id communicat subiecto in genere causæ formalis: si ergo in se est certior, debet hanc maiorem certitudinem communicare subiecto, ergo etiam quoad nos erit certior, quàm scientia. Nec satisfacere videtur, quod Lorca *disp. 28. n. 7.* respondet nempe S. Thomam non comparare certitudinem, quàm fides in se habet, cum ea, quam habet in subiecto, sed potiùs certitudinem, quam habet ex suis causis, cum ea, quam habet ex indispositione subiecti, habet enim fides ex suis propriis principiis maiorem certitudinem, sed ex indispositione subiecti minorem, quia impeditur maior certitudo, quam principia ex se possent generare.

Hoc tamen, vt dixi, non satisfacit. Primò, quia licèt principia possent maiorem certitudinem fidei communicare, si tamen propter indispositionem subiecti eam non communicant ipsi assensui; ergo fides etiam secundùm se non est certior, sed solum habet principia certiora, seu quæ possent dare fidei maiorem certitudinem, sed de facto non dant. Si enim eam dant, iam erit certior etiam in subiecto, & quoad nos. Et quidem quæstio præsens non est de perfectione, quam fidei principia habeant, sed de perfectione ipsius fidei, vt benè arguit Hurtado *disp. 58. §. 8.* Vnde secundò impugnatur illa responsio, quia minor illa certitudo non solùm prouenit fidei ex parte subiecti, sed etiam à suis principiis: tum quia vnum ex principiis est intellectus humanus, quare imperfectio proueniens ab intellectu, prouenit à suis principiis, & est ei essentialis secundùm se, cùm essentialiter oriatur ab intellectu. Tum etiam, quia quod prouenit actui fidei ab habitu infuso, competit ei ex suis principiis, & secundùm se: habitus autem fidei essentialiter est obscurus, & ordinatur ad assensum obscurum, ergo ad assensum, cum quo sit potentia dubitandi,

&

& dissentiendi, qui defectus maioris certitudinis competit fidei secundùm se, prout est talis actus pendens à tali habitu infuso.

32 Alij ergo aliter explicant eam distinctionem, quod scilicet fides sit minùs certa quoad nos, quatenus est de rebus, quæ cognoscuntur per mediũ minùs proportionatum intellectui nostro, & quod est supra naturales vires, & præter modum, quo solet intellectus reddi certus de aliqua veritate, nempe per euidentiam; vnde prouenit, quod occurrant interdum primi motus dubitandi circa fidem, qui non occurrunt circa obiectum euidens. Ita explicat Granado *in præsenti tractatu 13. disputatione 4. num. 6.* Sed videtur manere adhuc eadem difficultas: quia id totum, vnde prouenit, quod insurgant motus primi dubitationis, non solùm habet fides quoad nos, sed etiam secundùm se, cùm secundùm se, & ex essentia sua habeat procedere per medium minùs proportionatum intellectui nostro, & diuersum ab eo, quo intellectus certificari solet in rebus aliis: ergo non solùm quoad nos, sed etiam in se erit minùs certa.

33 Alij dicunt, scientiam habere maiorẽ certitudinem euidentiæ, fidem verò maiorem certitudinem conscientiæ, seu voluntatis. Verùm adhuc constat difficultas; nam propria certitudo non est in voluntate, sed in intellectu; ideo alij dicunt, fidem esse certiorem ex parte obiecti, scientiam verò ex parte subiecti: quia facilius est subiectum dubitare cum fide, quàm cum scientia: at verò obiectum fidei magis necessarium est, quàm obiectum scientiæ: magis enim necessarium est Deum non mentiri, quàm hominem esse animal rationale: & ideo magis necessarium est actum fidei esse verum, quàm actum scientiæ. Sed neque hoc placet, quia licèt demus magis necessariò esse Deum veracem, quàm hominem animal rationale, adhuc non fit magis necessariò esse verum actum fidei, quàm actum scientiæ, quia ad hoc vt actus fidei sit verus, non solùm requiritur Deum non posse mentiri, sed etiam quod Deus hoc obiectum reuelauerit, & quod actus fidei respiciat essentialiter veram reuelationem Dei: non est autem magis necessarium Deum reuelasse Incarnationem, & hunc actum fidei respicere essentialiter veram reuelationem Dei, quàm hominem esse animal rationale; tam necessaria enim est essentia hominis quàm essentia huius actus fidei, ergo non est magis necessarium hunc actum fidei esse verum, quàm illum quo cognoscitur essentia hominis. Item si hæc maior certitudo fidei prouenire solùm ex maiori necessitate obiecti, ergo tam certus est actus naturalis, quo Philosophus affirmat Deum existere, quàm actus fidei; tam enim necessarium est obiectum illius actus, quàm istius; imò, si ad obiectum solùm attendatur, & eius necessitatem, maior necessitas inuenietur in obiecto scientiæ de rebus necessariis, quam in obiecto fidei, cùm hoc sit contingens simpliciter, & potuerit Deus illud non reuelare, illud autem sit omnino necessarium, nec potuerit non esse verum. Quo denique sensu distinctio illa S. Thomæ explicari possit, dicemus *sectione sequenti.*

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuinæ.

SECTIO III.

Excessus certitudinis in fidei assensu explicatur.

34 COmmunissima, & verissima Theologorum sententia est, fidem esse certiorem aliis cognitionibus euidentibus naturalibus, quas regulariter habemus, ita cum S. Thoma *dicto art. 8.* tenent cæteri, quos congerunt, & sequuntur Suarez *dicta disp. 6. sect. 5. num. 10.* Hurtado *disp. 58 sect. 2. § 14* & alij communiter. Probatur primò ex modo loquendi sacræ Paginæ; vbi semper cum emphasi agitur de certitudine fidei 2. Petr. 7. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* Cõparat autem prophetiam cum visione oculorum Luc. 21. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quasi dicat (vt aliqui explicant) licèt Philosophia deficiat in Cœlorum incorruptione asserenda, verba mea non deficient 1. Ioann. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, & alibi sæpe. Item ex Patribus eodem modo fidei certitudinem præferentibus. Aug. 7. Confess. cap. 10. *facilius dubitarem viuere me, quàm esse veritatem, quam audiui in corde*, Basil. concione in psal. 115. *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens.* Chrysost. hom. 12. in ep. ad Hebr. *Fides dici non potest, nisi cùm circa ea, quæ non videntur, amplius, quàm circa ea, quæ videntur certitudinem quis habuerit.* idem homilia 4. ad Colost. & & hom. 8. ad Rom. & hom. 4. in festo Pentecost. Origenes hom. 5. in Genes. Bernard epist. 190. Richard. de sancto Victore 1. de Trinit. cap. 2. *Quot-quot*, inquit, *veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quàm quod fide credimus.* idem habent Dionys. Ambr. Hieron. relati à Valẽtia vbi suprà.

Fides est certior aliis cognitionibus euidentibus naturalibus.

35 Ratio autem propria huius communis doctrinæ petenda est ex dictis *sect. 1.* vbi enumerauimus ea, quæ requiruntur ad certitudinem formalem alicuius cognitionis, nempe connexionem necessariam cum veritate, & firmam adhæsionem intellectus, ac denique obiectum ita proponi, vt euidenter excludat prudentem dubitationem. Ad videndum ergo, an fidei certitudo excedat certitudinem aliorum actuum naturalium, videndum est, an ex omnibus & singulis illis capitibus excedat, an verò in aliquibus excedatur. Et quidem loquendo de re ipsa negari non potest, quod fides sicut exceditur à scientia in claritate, & euidentia, sic etiam excedat in aliquo pertinente ad certitudinem, nempe in aliqua maiori exclusione formidinis, & dubij. Nam licèt fides omne dubium, & formidinem actualem excludat; non tamen excludit potentiam physicam antecedentem ad dubitandum, & formidandum, vt vidimus; quam tamen potentiam antecedentem excludit euidentia: in aliis tamen multis certitudo fidei superat certitudinem scientiæ, vt videbimus, quæ sufficiunt vt simpliciter, & absolutè fides dicatur certior.

36 Et in primis puto, excessum certitudinis, quem Scriptura, & Patres fidei tribuunt respectu scientiæ, potissimùm desumendum esse ex firmiori adhæsione, qua intellectus ex imperio voluntatis adhæret obiecto fidei, quàm aliis obiectis scitis; nam sicut charitas infusa fertur in Deum non vtcunque, sed adhærendo illi præ cæteris bonis

Excessus certitudinis quem Scriptura & Patres fidei tribuunt respectu scientiæ vnde desumendus.

bonis, seu super omnia : sic etiam fides christiana assentitur Deo, firmiùs adhærendo illi obiecto, quàm aliis omnibus scitis; quem excessum certitudinis postularunt Patres à fidelibus: alium enim qui proueniat à maiori connexione assensus cum veritate, frustra postularent, cùm hic non proueniat etiam imperatiuè à voluntate, sed ex maiori necessitate obiecti, vel ex alio capite; at verò firmior assensus prouenit imperatiuè à voluntate, & ideo meritò suadetur, & postulatur à Patribus.

37 *An fides habeat maiorem certitudinem quàm scientia propter maiorem connexionem cum veritate?*

An verò fides habeat maiorem certitudinem, quàm scientia, ex altero etiam capite, scilicet propter maiorem connexionem, quam habeat cum veritate, meritò potest dubitari. Aliqui enim Recentiores ex hoc solùm capite desumunt maiorem fidei certitudinem : dicentes, actum fidei habere maiorem connexionem cum veritate, quàm actum scientiæ, quia habet hanc connexionem pluribus titulis, scilicet ex parte obiecti, quod respicit (respicit enim essentialiter reuelationem diuinam verè positam) & etiam ex parte principij, à quo oritur, nempe habitu fidei, cui repugnat elicere assensum falsum. At verò actus scientiæ solum habet alligationem ad veritatem ratione obiecti, non ratione principij : nam licèt etiam procedat ab habitu euidenti, cui repugnat falsitas : non tamen postulat necessariò procedere ab illo habitu; posset enim procedere à solo intellectu sine habitu : at verò actus fidei necessariò procedit ab habitu, vel ab aliquo supplente vicem habitus : ergo actus fidei pluribus titulis alligatur ad veritatem, ergo habet plures certitudines; certitudo enim est alligatio necessaria ad veritatem.

38 Ego sanè non credo Patres de hac maiori certitudine proueniente ex pluribus capitibus cogitasse, quando certitudinem fidei prætulerunt aliis; hic enim excessus esset valde impertinens, & nullius considerationis. Deinde censeo, inter duas cognitiones quarum quælibet habet omnimodam repugnantiam ad falsitatem, ita vt nec de potentia absoluta possit vel potuerit esse falsa, non dici in toto rigore vnam magis necessariò veram quàm alteram : & multi dicunt tam necessariam esse possibilitatem Leonis, quàm existentiam Dei, quia nulla maior necessitas esse potest, quàm ea, cui competit omnimoda repugnantia ad oppositum, imò si sufficeret ad maiorem certitudinem simpliciter, quod repugnantia ad falsum proueniret ex pluribus titulis; deberes dicere actum fidei esse certiorem, quàm diuinam cognitionem, qua Deus videt existentiam Petri, quia actus fidei per te habet repugnantiã ad falsitatem ex duobus titulis, scilicet, ex obiecto & ex principio; & cognitioni illi diuinæ solùm repugnat falsitas ex vno capite, nempe propter infallibilitatem diuini luminis; non verò ex parte obiecti, quia obiectum illud potuit aliter se habere, cùm sit contingens; ergo hæc repugnantia ex pluribus titulis extensiuè non sufficit, vt simpliciter dicatur cognitio magis certa.

39 Deinde, etiam demus illam esse simpliciter maiorem certitudinem, non apparet, quomodo actus fidei habeat hanc alligationem ad veritatem pluribus titulis, quàm actum scientiæ : nam demus, fidem hoc habere ex parte obiecti, & ex parte habitus à quo procedit; etiam actus euidens primi principij, v. g. hoc habet ex parte obiecti, & ex parte apprehensionis, quæ procedit ad assensum; nam repugnat illam apprehensionem determinare ad assensum falsum; & repugnat illum assensum elici, nisi ex apprehensione extremorum præcedenti, ergo ille assensus habet etiam alligationem ad veritatẽ ex duplici capite.

Dicunt, actum fidei vltra hæc addere repugnantiam ad falsum ex parte alterius principij à 40
quo oritur, scilicet ex pia affectione voluntatis. Sed contra, quia piæ affectioni non repugnat imperare assensum falsum (vt dixi dispur. præcedenti) nam rusticus, cui Parochus proponit Patrem incarnatum, habet piam affectionem imperantem assensum illius obiecti; quæ pia affectio omnino de se indifferens est ad hoc quod reuelatio fuerit, vel falsò proposita : ergo ex parte piæ affectionis præcedentis, non habet actus fidei necessariam omninò connexionem cum veritate. Totus ergo excessus certitudinis fidei præscientia reducendus videtur vel ad illam maiorem adhæsionem, qua intellectus ex imperio voluntatis firmus adhæret obiecto reuelato, quàm aliis : vel si comparatio fiat inter actum fidei, & actum euidentem euidentia physica, reduci etiam potest ad maiorem infallibilitatem; nam illi euidentiæ physicæ potest saltem de potentia absoluta subesse falsum, non tamen actui fidei; in quo sensu verissimè dicitur, facilius esse quod sensus decipiantur, & quod Cœlum & Terra desciant, quàm quod reuelatio Dei non sit vera.

Si autem comparatio fiat assensus fidei cum 41
actu naturali euidenti euidentia metaphysica; præcipuus excessus fidei est in firmiori adhæsione ex parte intellectus, qui excessus fidei sufficeret, vt fides dicatur certior. Cùm enim repugnantia cum falsitate sit ad minus æqualis, nec minùs repugnet essentialiter actum fidei esse falsum, quàm actum naturalem euidentem euidentia etiam metaphysica, si aliunde fides excedit quoad firmiorem adhæsionem, id sufficit, vt certitudo fidei dicatur simpliciter & absolutè maior : in aliquo etiam sensu posset dici maior connexio cum veritate in actu fidei, quàm in actu euidenti naturali, quatenus hæc necessitas in fide oritur ex nobiliori radice, nempe ex supernaturalitate ipsius habitus, & actus exigentis necessariò veritatem, cùm tamen repugnantia ad falsum in actu euidenti oriatur solùm ex necessitate naturæ, quæ inferioris est ordinis.

Denique adde, fidei certitudinem excedere ex 42
tertio etiam capite, quod diximus requiri ad certitudinem assensus, nempe exclusionem dubij, seu formidinis prudentis : nam licet de obiecto etiam quod euidenter proponitur euidentia naturali, non possimus prudenter dubitare, vel formidare; minùs tamen possumus dubitare, vel formidare prudenter de obiecto fidei, taliter proposito. Qui excessus declaratur bene per conditionalem implicitam in ipso fidei assensu, quatenus ita firmiter per fidem credimus, vt proposito simul alio obiecto euidenti, si de altero dubitandum, aut formidandum esset, parati simus ad dubitandum, vel formidandum potius de illa euidentia, quàm de obiecto fidei; & hoc ipsum prudentia dictat, vt supponimus : ergo iuxta regulam prudentiæ magis excluditur formido actualis à fide, quàm ab euidentia, & per consequens ex hoc etiam tertio capite, & requisito maior est fidei certitudo, quàm euidentiæ naturalis, quatenus magis impedit obiectum fidei formidinem, vel dubitationem prudentem, quàm euidentia naturalis.

Vnde

43 Illationes eandem ex prudentia.

Vnde iam primò infertur, omnibus pensatis, maiorem esse fidei certitudinem: excedit enim in magis firma adhæsione; excedit in connexione necessaria cum veritate ex nobiliori radice; excedit denique in maiori exclusione prudentis formidinis, & maiori repugnantia cum illa. Nec obstat, quod euidentia excludat etiam potentiam physicam antecedentem ad formidinem, quam fides non excludit: quia hic etiam excessus compensatur, & fortasse superatur ex eo quod fides licèt non excludat potentiam physicam antecedentem, seu formidinem in actu primo, magis tamen excludit ipsam formidinem actualem, & in actu secundo, quàm euidentia, quatenus ita facit intellectum adhærere suo obiecto, vt faciliùs formidet de obiecto euidenti, quàm de obiecto fidei. Cùm ergo certitudo magis significet exclusionem formidinis actualis, quàm exclusionem potentiæ formidandi; & fides magis excludat formidinem actualem, quàm scientia, meritò dicitur magis certa, præsertim cùm, licèt non excludat potentiam physicam antecedentem, excludat tamen potentiam etiam antecedentem prudenter formidandi, & hanc magis excludat, quàm scientia, vt vidimus: & licèt non afferat impotentiam physicam antecedentem formidandi; affert tamen impotentiam etiam physicam saltem consequentem, & quidem maiorem, quàm scientia; si quidem proposita euidentia contraria fidei, fides prævalet, & facit, vt intellectus possit faciliùs formidare de euidentia quàm de obiecto fidei: quare intensiuè saltem magis etiam necessitat ad non formidandum, quàm scientia saltem necessitate consequenti.

44 In sensu dicitur, quòd scientia sit magis certa quoad nos, quàm sit fides.

Infero secundò, quo sensu dici possit, quod scientia sit magis certa quoad nos, quàm sit fides: potest enim illud etiam habere sensum aliquem verum. Cùm enim certitudo includat connexionem necessariam cognitionis cum veritate, vt diximus, hæc necessitas clariùs percipitur à nobis in scientia, quàm in assensu fidei. Quia meliùs percipimus euidentiam, & claritatem actus, ex qua oritur connexio necessaria scientiæ cum veritate quàm percipiamus supernaturalitatem actus fidei, ex qua supernaturalitate oritur etiam necessaria eius connexio cũ veritate. Quamuis ergo assensus fidei in se certior sit propter firmiorem adhæsionem, & maiorem repugnantiam cum formidine, vel dubitatione prudenti, atque habeat etiam in se intrinsecè connexionem necessariam, & essentialem cum veritate, & hanc æquè, & fortasse magis quàm scientia, atque ideo in se sit æquè & magis certus, quàm assensus euidens: quoad nos tamen, id est, quoad nostram notitiam magis percipimus certitudinem euidentiæ, & eius necessariam connexionem cum veritate, quàm percipiamus necessariam connexionem cum veritate intrinsecam in actu fidei. cùm non percipiamus eius supernaturalitatem, ex qua oritur necessaria illa, & essentialis connexio intrinseca actus fidei cum veritate obiecti.

45 Obiectio 1.

Contra supradicta aliqua obiici possunt, ex quibus clariora redduntur. Obiicies primò, Quia ille excessus certitudinis per maiorem adhæsionem etiam potest reperiri respectu obiecti non reuelati; potest enim voluntas imperare alium assensum alterius obiecti cum illa omnimoda propensione, & adhæsione; ergo hic excessus certitudinis non est proprius fidei. Respondeo, posse quidem voluntatem imperare illam firmam adhæsionem, etiam obiecti falsi; sicut de facto contingit, hæreticum tam firmiter adhærere suo errori, sicut nos adhæremus veritati, & licèt ille assensus non sit certus defectu veritatis; potest tamen assentiri Philosophus ethnicus suæ demonstrationi per assensum certum ita firmiter, sicut Christianus fidei. Quando ergo dicimus, assensum fidei esse certiorem aliis; intelligi debet comparatio cum aliis solum assensibus eiusdem hominis fidelis; nam fidelis firmiùs assentitur fidei, quàm ipse assentiatur aliis obiectis, non tamen quàm alius assentiatur aliis obiectis. Sicut etiam dicimus, charitatem diligere Deum super omnia; nam licèt peccator aliquando ex depravato affectu diligat creaturam super omnia tantum, quantum iustus diligit Deum: ipse tamen iustus non diligit aliquid supra Deum, sed Deum super omnia, quæ diligit ipse iustus. Sic etiam assensus fidei est firmior, quàm omnes alij assensus hominis fidelis.

Obiicies secundò. Ponamus Christianum Philosophum scientem per demonstrationem Deum esse omnipotentem. v. g. & credentem etiam per fidem eamdem omnipotentiam: iste physicus non potest per fidem credere omnipotentiam adhærendo illi plusquam per scientiam adhæret eidem omnipotentiæ: non enim potest credere omnipotentiam plusquam ipsam omnipotẽtiam, cùm sit idem obiectum, ergo fides non assentitur suo obiecto plusquam scientia suo. Respondeo, comparationem istam dupliciter posse fieri, vel comparando obiectum fidei ad alia obiecta materialiter sumpta, & dicendo magis credo hoc obiectum reuelatum, quàm obiecta scita, & hoc modo non potest fides credere magis omnipotentiam, quàm eandem omnipotentiam scitam; quia hoc esset dicere, potiùs negabo illam veritatem, quàm istam, quod repugnat? cùm sit vna & eadem: vel potest fieri comparatio secundo modo inter obiecta formaliter sumpta, seu vt taliter apparent; & hoc modo magis assentitur fides omnipotentiæ reuelatæ quàm scientia eidem omnipotentiæ scitæ; quasi dicas per fidem, magis credo omnipotentiam propter reuelationem quàm propter medium scientificum: itavt si altera solum via credenda esset, præferrem reuelationem demonstrationi, & magis fiderem illi quàm isti. Hoc posteriori modo excedit fides alios assensus: illo verò priori solùm potest excedere obiectum fidei alia obiecta scita, quæ non fuerint etiam reuelata. 46 Obiectio 2.

Obiicies tertiò; non assentior per fidem firmiùs obiecto reuelato quàm veracitati Dei, propter quam assentior obiecto reuelato: sed veracitati Dei assentior aliquando euidenter, vt constat ex disputatione prima, ergo assensus fidei ad mysterium non est firmior, quàm omnes assensus euidentes. Ad hanc obiectionem iam diximus *disp. prima sect.* 1. assensum fidei ad mysterium reuelatum esse certiorem aliis, à quibus non pendet, non tamen illo, à quo formaliter dependet; nam sicut fides assentitur firmissimè, licèt obscurè mysterio reuelato, sic etiam assentitur firmissimè veracitati Dei, vt ibi diximus. 47 Obiectio 3.

Dices, ergo fides non assentitur firmiùs obiecto reuelato, quàm intellectus priùs assentiatur credibilitati mysterij: probatur sequela, quia assensus fidei ad incarnationem. v. g. pendet etiam ab assensu præcedẽti, quo euidenter cognoscitur credibilitas mysterij, vt vidimus *disp. præcedenti*, 48

ergo assensus fidei non potest præferre veritatem mysterij illi obiecto euidenter cognito, à quo dependet ipse assensus. Consequens autem videtur durum, quia assensus credibilitatis mysterij non elicitur à fide, sed à prudentia, estque iudicium quoddam necessarium independens à voluntate, atque ideo non adhærens suo obiecto super omnia, sed pro mensura euidentiæ, & motiuorum, quæ habet; nam adhæsio super omnia prouenit imperatiuè à voluntate. Respondeo, negando sequelam; quia licèt assensus fidei dependeat à iudicio credibilitatis, non tamen habet ipsam credibilitatem pro motiuo extrinseco, sed præsupponit illam, vt conditionem requisitam ex parte voluntatis imperantis fidem; quamuis autem fides non possit firmiùs assentiri obiecto reuelato, quàm motiuo intrinseco, seu rationi formali, propter quam credit; potest tamen præferre veritatem reuelatam aliis veritatibus, à quibus vt à conditionibus, & causis extrinsecis pendet: qualis est existentia apprehensionis præcedentis fidem: v.g. nam licèt non possit elici fidei assensus circa incarnationem, sine eo quod præcedat apprehensio incarnationis; intellectus tamen firmiùs credit incarnationem, quàm existentiam illius apprehensionis; non quod dicat etiamsi non præcederet talis apprehensio crederem incarnationem quia hoc est impossibile: sed quod ex modo firmissimo assentiendi implicitè dicat, si vnum solum ex his obiectis verum esset, vel existentia apprehensionis, vel incarnatio, & vnum cum altero repugnaret, magis vera esset incarnatio, quàm existentia apprehensionis. Sic etiam quando credit incarnationem, licèt prærequiratur cognitio euidens credibilitatis; cæterùm ex modo credendi incarnationem implicite dicit si per impossibile incarnatio & eius credibilitas inter se repugnaret magis credo veram incarnationem, quàm cætera, quæ non continentur implicite in obiecto huius assensus, & per consequens, quam quamcumque credibilitatem extrinsecam aliunde apparentem, & explicatur exemplo amoris Dei imperati ex affectu sanitatis, tunc enim plus diligo Deum quàm sanitatem, licèt non diligerem Deum nisi ex amore sanitatis.

49 Dices, illam conditionalem etiam implicitam esse imprudentem, quia si deesset credibilitas, non posset prudenter credi incarnatio, ergo fides, quæ prudentissimè credit incarnationem, non potest implicitè significare, quod credat incarnationem magis, quàm eius credibilitatem.

Fides est prudens præsuppositiuè.

Respondeo, fidem esse prudentem præsuppositiuè, hoc est, assensum fidei præsupponere necessariò iudicium prudentiæ de credibilitate incarnationis; non tamen habet fides prudentiam pro motiuo ex parte obiecti: quare per illam conditionalem solùm explicatur, quod intellectus magis credit per fidē incarnationem, quàm antea credidit credibilitatem, sicut magis credit incarnationem, quàm necessitatem prudentiæ ad actum fidei, vel quàm supernaturalitatem ipsius fidei, licèt ad credendam hoc modo incarnationem prærequiratur prudentia, & supernaturalis fidei concursus: & licèt sine illo iudicio prudentiæ præcedenti non possit fides credere incarnationem; post illud tamen prudentissimè adhæret incarnationi tam firmiter, vt significet ex modo assentiendi, quod si per impossibile manerent motiua intrinseca, & vires ad hunc assensum negata credibilitate, adhuc vera sit incarnatio, si repugnaret credibilitas cum illa, sicut eodem sensu dixit Augustinus suprà, se magis credere mysteria fidei, quàm quod viueret; licet ad credenda ipsa mysteria necessaria sit essentialiter vita: quod de aliis simiibus obiectis requisitis ex parte principij similiter dicendum est. Aduerte tamen, hoc intelligi de credibilitate extrinseca, non de iisdem motiuis provt integrant ipsam reuelationem mediatam Dei: hæc enim connexio est motiuum intrinsecum, quod creditur æquè, vel magis quàm incarnatio, vt supra vidimus, loquor ergo in præsenti de credibilitate extrinseca, hoc est, de bonitate obiectiua, quæ est in actu credendi, seu de decentia cum natura rationali, magis enim credimus incarnationem, quàm bonum esse credere incarnationem.

Obiicies quartò, assensus fidei aliquando infertur per discursum formalem ex illis duabus præmissis, *Deus est prima veritas, & Deus reuelauit incarnationem*, quarum prima potest esse assensus euidens naturalis; ergo conclusio fidei erit certior, quàm vna præmissa, ex qua infertur quod est impossibile. Ad hanc obiectionem constabit ex disputatione sequenti. 50 Obiectio.

Petes, vtrùm assensus fidei sit magis, vel minùs certus quàm visio beata? hoc est, an ex modo assentiendi significet intellectus, se magis assentiri obiecto reuelato, quàm si illud videret per visionem Beatam. Respondeo negatiuè cum Suarez *in præsenti disp.3. sect.9. num.20.* & Coninch. *disp.11. num.13. & disp.14. num.56.* & probatur, quia intellectus solum potest significare in assensu fidei eum gradum certitudinis, & adhæsionis, quem voluntas potest imperare: voluntas autem non potest imperare intellectui, quod etiamsi videat oppositum per claram Dei visionem, adhuc magis adhæreat fidei: nam si per impossibile tunc appareret oppositum fidei, cum illa visio nullum relinquat locum dubitandi, sed habeat omnimodam claritatem, non posset vllo modo intellectus non relinquere obiectum fidei; ergo nec potest modo significare, se hoc obiectum credere, etiamsi oppositum per visionem beatam videret. Ad summum enim potest intellectus per actum fidei significare implicitè dissensum obiectorum repugnantium, quorum clara visio eum non omnino cogat, quales communiter sunt cognitiones etiam euidentes huius vitæ; illæ enim tales sunt, vt possit intellectus eos assensus cohibere in præsentia motiuorum fidei, & de eorum veritate formidare, vt de facto cohibet assensum circa existentiam panis in Eucharistia: at verò intuitionem claram Dei non potest cohibere, etiamsi adsint innumera motiua contraria; nec per actum fidei potest implicitè assentiri obiecto etiam casu quo oppositum appareat clarè per illam visionem quia hoc esset velle assentiri huic obiecto etiam in casu, quo oppositum sit omnino verum, quod repugnat. 51 An assensus fidei sit magis certus quam visio beata.

Vnde regula generalis hæc esse potest, vt per fidem assentiatur intellectus firmissimè, ea scilicet firmitate, vt promptus sit ad neganda potiùs omnia obiecta contraria, quæ saltem ex imperio voluntatis negare potuerit: neque enim potest esse paratus negare, quæ nullo modo negare potuerit: sicut nec voluntas ipsa per propositum firmissimum seruandi præcepta ostendit promptitudinem adimplendi præcepta, quæ seruare non potuerit, nisi ad summum sub conditione.

Vnde in primis inferri potest, quid dicendum sit 52

sit de scientia infusa: quam certiorem esse posse fide fatetur Granado *dicta disp. 4. n. 8.* quia licèt fides eam excedat, quatenus habet pro motiuo formali auctoritatem Dei; cùm tamen aliqua scientia infusa habere possit pro obiecto formali, non Deum, sed ipsas creaturas; sed tamè scientia hæc per se infusa excederet, quatenus non solùm esset supernaturalis, sed etiam intuitiua, & comprehensiua, quod non habet fides. Nos iuxta regulam traditam distinguimus, nam si scientia infusa talis sit, vt possit adhuc intellectus saltem ex imperio voluntatis dubitare, aut formidare; ad hoc etiam fides reddit intellectum promptum, vt profiteatur, se eo casu potius dubitaturum de obiecto scientiæ, quam de obiecto fidei: secus si scientia infusa talis sit, vt non sinat vllo modo intellectum dubitare, vel formidare etiam ex imperio voluntatis; hæc enim scientia non posset esse minùs certa, vel firma, quàm fides.

Quid dicendum de scientia infusa.

53 Infero secundò, quid dicendum sit de principiis euidentibus euidentia metaphysica clarissima, v.g. *totum est maius sua parte; quodlibet est, vel non est: duo & duo sunt quatuor*, & aliis similibus, de quibus Suarez *sect. 5. n. 13.* dicit, minùs certa esse, quam fidei assensum, quod videntur etiam supponere Granado vbi supra, Hurt. & Coninch. *locis citatis*, qui omnem euidentiam naturalem dicunt superari à fide. Alij tamen, quorum tacito nomine meminit Suarez *loco citato*, de hoc dubitant, quibus consentit Zumel. 1. *part. q. 1. art. 5. q. vnica notabili* 2. dicens, fidem non esse certiorem aliquibus principiis Metaphysicis. Nec obstant verba Augustini supra adducta, dicentis, se facilius dubitaturum, quod viueret, quàm de veritate eorum quæ audiuit: posset enim responderi, Augustinum non comparare ibi assensum fidei cum cognitione, qua aliquis experitur, se esse, sed qua experitur, se viuere: de quo dubitare posset, an esset verum, si fides contrarium proponeret: quo casu posset dubitare, an verè esset mortuus, & eius anima non esset iam vnita corpori, sed separata: quod dubium fortasse non posset habere de aliqua existentia sua in genere. Nobis tamen non est necesse quidquam decernere circa hanc, vel illam cognitionem euidentem in particulari: solũ dicere possumus in genere, si detur aliqua notitia euidens euidentia metaphysica adeò clara, & conuincens, vt non sinat intellectum etiam ex imperio voluntatis dubitare de eius veritate, vel non assentire; fideles de facto, quando credunt super omnia fidei obiectum, non habere animum firmiùs adhærendi rebus creditis etiam contra id, quod tali notitia cognoscerent, sicut nec præferunt hæc obiecta fidei iis, quæ per visionem claram Beatificam intuerentur, nec habent animum negandi ea, quæ talitet viderent potiùs quam obiecta credita. Hoc enim esset chimericum, nec à fidelibus exigitur talis prælatio, aut promptitudo, vt si tali genere euidentiæ constaret contrarium illius, quod per Ecclesiam proponitur; adhuc contra talem euidentiam retinerent Ecclesiæ doctrinam: esset enim stulta, & chimerica promptitudo: Neque ex hoc sequitur, vel arguitur, quod fideles non credant res fidei super omnia: sicut etiam iustus diligit Deum per charitatem super omnia simpliciter, & absolutè: & tamen non est promptus ad habendum odium Dei, vel mentiendum, si per impossibile id Deo placeret: ille enim est casus chimericus, & non comprehenditur sub vniuersalitate dilectionis Dei super omnia. Sic etiam chimericum est proponi per fidem id, quod omnimoda claritate, & vndequaque constet esse falsum, & quod intellectus, non possit credere esse verum, cum euidentia perfectissima cogat illum ad assentiendum eius contradictorio: non debet ergo casus ille chimericus comprehendi sub ea vniuersalitate, qua credimus super omnia id, quod fides nobis proponit.

Quid dicendum sit de principiis euidentibus, euidentia metaphysica, clarissima.

Posset vltimo comparari actus fidei infusæ 54
cum actu fidei naturali, v.g. si Deus alicui catholico negaret concursum ad assensum fidei supernaturalem circa idem motiuum formale diuinæ auctoritatis, & firmissima adhæsione super omnia ex imperio voluntatis: an tunc hic assensus haberet æqualem gradum certitudinis cum eo, quem habet de facto assensus fidei supernaturalis, P. Coninch. *dict. dub. 4. n. 5.* dicit, actum naturalem eo casu certiorem fore quauis alia cognitione naturali; *quia versaretur circa obiectum magis necessario verum, & per medium magis necessarium, ac modo omnino infallibili directus nimirum auctoritate Ecclesiæ, & euidenter sciret, se in hoc assensu ita dirigi, & consequenter se falli non posse; & potius esset paratus ab omni alia cognitione, quam à fide recedere; atque ideo obiecto illi firmius adhæreret, quam vllis aliis naturaliter cognitis.*

Hæc responsio mihi non probatur. Primo, quia 55
falsò supponit, quod homo sciret tunc euidenter se in eo assensu falli non posse: si enim hoc sciret euidenter, sciret etiam euidenter, obiectum illius assensus esse verum, atque ita haberet euidentiam de veritate mysterij crediti, quod falsum est etiam in credente per actum fidei infusæ, multò magis in credente per actum fidei naturalem. Secundò, Quia falsò supponit, obiectum illius assensus esse necessario verum: nam incarnatio, v.g. non est obiectum necessarium, sed contingens, atque adeo eius veritas etiam est contingens. Deinde etiamsi assensus esset circa Trinitatem personarum, vel alias perfectiones Dei necessarias, adhuc haberet aliquod obiectum formale partiale contingens, nempe reuelationem Dei, quæ potuit non esse; & licet ex suppositione, quod sit, non possit non esse vera: per fidem tamè non solùm credimus reuelationem Dei esse veram, sed etiam credimus, positam esse; quod est obiectum contingens. Potuit ergo obiectum illius assensus non esse verum, atque ideo potuit etiam esse actus ille non verus: nam licèt actus fidei infusæ non possit esse falsus, quia supponit necessario, quod obiectum sit verum; actus tamen naturalis non habet eiusmodi exigentiam. Et quamuis concedam, quod omnia motiua fidei nostræ non possint verè dari à parte rei, vt reddant credibile obiectum falsum; ex hoc tamen non arguitur, quod actus fidei naturalis etiam prudenter imperatus non potuerit esse falsus. Primò, Quia sæpe fideles, præsertim rustici, non præcognoscunt omnia motiua, quæ dantur ad credibilitatem nostræ fidei, sed aliqua, quæ pro illorum captu sufficiunt, vt prudenter imperent sibi assensum fidei; cum tamen sub eisdem motiuis non repugnet proponi eis aliquid falsum, vt supra vidimus *disput. præcedent.* quare si tunc eliciant actum naturalem, non habet ille actus necessariam connexionem intrinsecam cum veritate. Secundò, quia etiamsi alicui proponantur omnia motiua nostræ fidei, sub quibus non potest proponi credibilitas alicuius falsitatis: non

apparet tamen repugnantia physica, quod omnia eadem motiua huic homini proponantur eodem modo, licèt non sint à parte rei. Non enim repugnat physicè, quod omnes vel plures conuenissent ad decipiendum hunc hominem, & dicerent illi miracula, martyria, & alia omnia, quæ illi nunc proponuntur, & ostenderent ei libros falsos, quibus narrarentur, & venditarent Scripturas tanquam diuinas, & Concilia tanquam Canonica, sicut nunc proponuntur ei hæc omnia vera. Tunc autem assensus esset æque prudens, ac nunc, & tamen esset falsus. Quæ quidem licèt moraliter non possint contingere; non apparet tamen repugnantia physica; & per consequens non repugnat physicè, quod hic actus fidei naturalis, quem nunc habet, potuerit idem esse falsus, si hæc omnia ei falsò proposita fuissent. Ex quibus concluditur, actum illum naturalem non esse magis certum, quam actus euidentes naturales. Esset quidem magis firmus propter maiorem adhæsionem ad obiectum, quàm ad obiecta scita: quæ firmitas adhæsionis esset eadem, ac in actu fidei infusæ: non tamen esset æquè certus, quia non haberet æqualem repugnantiam intrinsecam cum falsitate, quam repugnantiam habent actus fidei infusæ, atque etiam assensus naturales euidentes.

DISPVTATIO VII.

De discursu, an & qualis reperiatur in actu fidei.

SECTIO I. *Assensum fidei generari posse per discursum formalem.*

II. *Argumenta contraria proponuntur, & dissoluuntur.*

III. *An possit interuenire cognitio bonitatis illationis in discursu fidei, & qualis sit illa cognitio.*

Duobus modis intelligi potest quòd fides discurrat.

DVpliciter intelligi potest, quod fides discurrat. Primò, ex principiis non reuelatis. Primo modo discurreret, si haberet hos tres actus realiter distinctos: *Deus est summa veritas, seu quidquid reuelat, est verum: Deus reuelat incarnationem: ergo vera est incarnatio:* tunc enim non ex reuelatis provt reuelatis, sed ex veracitate, & reuelatione Dei inferret per veram, & formalem argumentationem veritatem incarnationis. Secundo modo discurreret, si ex duabus reuelatis inferret aliam, v. g. *Omnis sacerdos ritè ordinatus habet potestatem consecrandi: Apostoli fuerunt ritè ordinati: ergo habuerunt potestatem consecrandi.* De hoc secundo modo non occurrit hoc loco dicere, cùm de illo dixerimus latè *disp.1.sect.13.§.2.* vbi ostendimus, quando conclusio illa pertineret, vel non pertineret ad fidem. Tota ergo difficultas præsens est primo modo, an assensus obiecti reuelati, qui sit propriè assensus fidei, generari possit per verum discursum ex veracitate, & reuelatione Dei.

SECTIO I.

Assensum fidei generari posse per discursum formalem.

SVpponendum est, duplicem esse discursum, scilicet virtualem, & formalem. Formalis dicitur, quando ex præmissis realiter distinctis infertur conclusio per realem illationem; in quo discursu diximus iam supra *disp.1.* debere interuenire duas præmissas saltem implicitè, quia ex vnico antecedenti non potest fieri illatio bona: debet enim præcedere connexio medij cum singulis extremitatibus seorsim, vt sequatur connexio extremitatum inter se. Discursus virtualis est, quando vnico actu assentior obiecto conclusionis & præmissarum, vni propter aliud: vt si vnico actu dicas: *Philosophus est risibilis, quia est homo, & quia omnis homo est risibilis.* Non enim repugnat intellectum in plura obiecta subordinata tendere per vnum indiuisibilem actum, vt suppono ex Philosophia. Quo suppposito, non dubito, quin fides possit discurrere saltem discursu virtuali; immò sanè debet; cùm enim assensus ad mysteria reuelata, non sint assensus ad prima principia immediata, sed potius sint assensus mediati & propteraliud; necesse est, quando fides credit incarnationem, v. g. habere ad minus discursum virtualem & dicere: *incarnatio facta est, quia Deus summè verax id reuelauit.* Qui assensus quatenus terminatur ad veracitatem Dei, & ad reuelationem est certus, & immediatus; quatenus verò terminatur ad incarnationem, est obscurus, certus, & mediatus, provt latè explicatum est suprà *disput.1.* Quæstio ergo est, an possit fides per actus etiam distinctos præmissarum & conclusionis exercere hunc discursum formalem. 1 Discursus duplex.

Prima sententia negat; ita Capreolus *in 3. dist.24.q.1.art.3.ad.3. contra secundam conclusionem*, Canus *lib.12.de locis cap.3.* Bañes *in præsenti q.1.art.1.circa finem.* Valentia *disp.1.q.1.p.1.* Suarez *in præsenti disp.6.sect.4.* Coninch. *disp.9.dub.7.* Granado *tract.9.disp.1.n.8.* & alij recentiores, quorum fundamenta postea videbimus, & dissoluemus. 2 Prima sententia.

Secunda sententia probabilior affirmat, actum fidei posse per formalem discursum generari ex reuelatione & veracitate Dei modo explicato, ita Okam *quodlibet.3.q.7. & in 3.sententiarum q.8. art.3.* Gabr. *in 3.d.23.q.2.* Almainus *q.3.* Marsilius etiam *in 3.q.14.art.1.* P. Vasquez *1.p.q.1. disp.5. num.5.* P. Becanus *in præsenti cap.8.q.3.* P. Hurtado *disp.39.* P. Ripalda *tom.1.de ente supernaturali disp. 55.n.31.* & alij recentiores: & videtur de mente S. Thomæ *in præsenti q.1. art.1.* vbi comparat fidem cum Geometria in hoc, quod sicut Geometræ obiectum formale est medium quo vtitur ad demonstrationem, ita fides habet auctoritatem Dei pro obiecto formali, ergo sentit S. Doctor auctoritatem diuinam esse medium, quo vtitur fides ad concludendum, sicut Geometria vtitur etiam medio ad conclusionem formalem inferendam ex suis principiis. Secunda sententia.

Ratione probatur hæc sententia, quia quando aliqua obiecta ita se habent, vt vnum non fit aliud, & habeat entitatem sufficientem, vt possit cognosci 3 Probatur.

cognosci sine alio, non est cur noster intellectus non possit seorsim in illud tendere: sed auctoritas diuina habet entitatem, & veritatem sufficientem, vt possit seorsim cognosci, quin cognoscatur incarnatio, ergo licet noster intellectus non possit credere incarnationem, quin simul cognoscat auctoritatem Dei; poterit tamen cognoscere auctoritatem Dei, quin credat simul incarnationem: ergo potest dari hæc propositio seorsim in intellectu: *Deus est prima veritas:* quod idem argumentum fieri potest de altera propositione, qua dicatur: *Deus reuelauit incarnationem:* cur enim non potuerunt etiam cognosci seorsim, cùm non pendeant à veritate incarnationis, tanquam à ratione formali, vel motiuo, propter quod ipsæ credantur, sed potiùs econtra, ipsæ sint ratio formalis ad credendam Incarnationem? Quod si illæ veritates possunt seorsim cognosci, non apparet, cur ex illarum notitia non possit per bonam illationem inferri veritas incarnationis, aut cur illa cognitio incarnationis deducta ex illis præmissis, non sit actus fidei, cùm sit assensus incarnationis innitens immediatè in auctoritate diuina, tanquam in ratione proxima credendi Incarnationem.

4 *Confirmatur exemplo.*

Confirmari potest exemplo voluntatis, in qua suo etiam modo reperitur vterque discursus, virtualis scilicet, & formalis: nam sicut intellectus assentitur vni propter aliud, & à veritate vnius obiecti mouetur ad amplectendam veritatem alterius; ita voluntas amat vnum propter aliud, & à bonitate vnius obiecti, nempe finis, mouetur ad amandam bonitatem vtilem alterius, nempe medij: & sicut obiectum præmissarum est obiectum formale, & obiectum conclusionis est obiectum materiale; ita finis est obiectum formale voluntatis, & media sunt obiectũ materiale; & sicut diximus, intellectum posse vnico actu assentiri præmissis obiectiui, & conclusioni, & potest etiam pluribus actibus id facere; ita voluntas potest vnico actu velle finem, & media propter finem, & potest etiam pluribus actibus id facere, amando prius finem, & postea alio actu amando medium propter finem, quem possumus appellare quasi discursum formalem voluntatis, quæ ex amore vnius obiecti discurrit & progreditur ad alium actum, & amorem alterius obiecti. Quæ cùm ita sint, & tanta similitudo reperiatur inter has duas potentias, consequens est, vt eadem proportio debeat seruari quoad modum attingendi obiectum formale, & materiale, quoties sine inconuenienti fieri potest. Vnde in ordine etiam actuum supernaturalium eadem proportio ponenda est inter vtramque potentiam, atque ideo, sicut voluntas, etiam per habitus & actus supernaturales, aliquando vnico actu prosequitur finem, & media, obiectum formale, & materiale; aliquando plurib. actibus distinctis; sic etiam concedendum est, intellectum etiam per habitus, & actus supernaturales posse aliquando vnico actu amplecti principia, & conclusiones, aliquando etiam pluribus. Supernaturalitas enim non impedit, quod charitas, licèt aliquando vnico actu possit diligere Deum propter se, & proximum propter Deum; possit etiam aliquando vno actu seorsim diligere Deum, & postea ex hoc actu moueri ad alium actum, quo diligat proximum propter Deum; quorum actuum prior moueat ad posteriorem, & sit causa illius. Similiter ergo supernaturalitas non impediet, quod fides, licèt possit vnico actu credere incarnationem v. g. propter veracitatem, & reuelationem Dei; possit etiam pluribus actibus id facere: credendo priùs seorsim veracitatem, & seorsim reuelationem Dei, & postea alio actu credendo incarnationem propter veracitatem, & reuelationem Dei, quorum actuum primi duo moueant ad tertium & sint causæ illius: nulla enim videtur esse maior repugnantia in discursu intellectuali, quàm in discursu voluntatis, nec vlla apparet ratio, cur proportio in aliis reperta inter vtranque potentiam etiam in ordine actuum supernaturalium in hoc vno debeat deficere.

5

Dicunt, in actibus fidei infusæ non posse seruari hanc proportionem: quia in fide non posset resolui discursus in aliqua principia per se immediatè credita: omnes enim, & singuli actus fidei debent inniti auctoritati diuinæ, alioquin non erunt actus fidei; illæ ergo præmissæ vel inniterentur auctoritati diuinæ vel non. Si nõ inniterẽtur, non essent actus fidei: si verò inniterentur, ergo etiam fierent per alium discursum formalem, de cuius præmissis redit eadem difficultas: semper ergo deueniendum est ad primum assensum, quo credatur veracitas Dei, quia Deus cùm reuelauit. Sicut ergo ille primus assensus credit veracitatem Dei, & simul reuelationem veracitatis sine discursu, idem dicendum erit de assensu incarnationis, & fatendum, hanc esse naturam fidei infusæ, vt sine discursu credat simul rem reuelatam, & auctoritatem Dei, propter quam creditur.

6 *Reiicitur præcipuum argumẽtum contrariæ sententiæ.*

Hæc tamen responsio, quæ est præcipuum argumentum contrariæ sententiæ, nititur falso fundamento, vt latè probauimus *disp.* 1. vbi ostendimus, non posse intellectum nostrum assentiri alicui obiecto, nisi eius veritas appareat intuitiuè, aut euidenter, vel certè obscurè, immediatè tamen, vel propter aliud, quod vltimò appareat immediatè euidenter, vel obscurè, & in quo vltimò sistat, immò nec posse intellectum eleuari ad aliter assentiendum: sicut nec voluntas potest vllo modo amare, nisi quod proponitur bonum in se, vel saltem vtile ad aliud, quod sit bonum in se, & in quo vltimò sistat affectus. Vnde impossibile est credere veracitatem Dei solum propter eius reuelationem, cùm non arguatur bene aliquem esse veracem ex eo, quod ipsemet id testificetur de se, nisi aliunde aliquo modo habeamus, illum in hoc ipso non mentiri; & multò minus credi potest, Deum reuelare, quia est verax cum possit esse summè verax, & nihil reuelare. Vnde intulimus, illa duo principia fidei, nempe veracitatem, & reuelationem Dei debere credi immediatè, & non propter aliud, vt in ipsis fundari possit assensus fidei circa mysteria reuelata. Falsò igitur supponitur assensum fidei circa veracitatem, & reuelationem Dei esse etiam propter auctoritatem Dei, sicut assensus incarnationis est propter eandem Dei auctoritatem: hoc enim est impossibile sine processu in infinitum necessario ad resolutionem fidei, vt ibi latius ostensum est.

7

Illud etiam displicet valdè in sententia contraria, quod aliqui eius auctores, vt effugiant fortasse argumenta sententiæ nostræ, & longiùs à discursu in fide absint, videntur discursum etiam virtualem in ea negare. Ita Coninch. *dicto dub.* 7. *num.* 102. vbi in sola fide humana concedit discursum aliquem saltem virtualem, non verò in fide

fide diuina Hoc autem nescio, quomodo intelligi possit, si intelligatur, quid significetur per discursum virtualem, & simul concedatur id, quod negari non potest, nec ab vllo negatur, fidem non credere incarnationem, v.g. sistendo in ipsa, nec propter ipsam, sed propter diuinam auctoritatem. Quid enim est discursus virtualis circa incarnationem, nisi moueri ab auctoritate diuina ad illam credendam? aut quomodo potest diuina auctoritas mouere ad credendam incarnationem, niti quatenus apparet talis connexio inter vnam & aliam, vt non possit esse Deus summè verax reuelans incarnationem, quin incarnatio vera sit, nec possit altera negari ab alteram cõcedente: hoc autem est virtualiter discurrere, scilicet, moueri ex vno vero concesso per eundem actum ad assentiendum alteri propter connexionem, quæ inter vtrumque apparet. Sicut velle vnum propter aliud, est moueri à bonitate vnius obiecti volita per eundem, vel per alium actum ad volendum aliud connexum cum illo, seu propter vtilitatem ad illud.

8 *Non est idem cognosci vnũ ex alio, & cognosci vnũ in alio.*

Vbi obiter aduerte, non esse idem cognosci vnum *ex alio* quo casu interuenire diximus discursum saltem virtualem; & cognosci vnum *in alio*, quo casu nullus discursus etiam virtualis intercedit. Sic enim beatus cognoscens in omnipotentia Dei creaturas possibiles, vel Angelus cognoscens effectus in causa à se comprehensa, cognoscunt quidem vnum in alio, & in eo sensu dicuntur creaturæ, vel effectus cogniti esse obiectum materiale, obiectum verò formale esse omnipotentiam Dei visam, vel essentiam causæ comprehensam. Tunc tamen non habetur vllus discursus, quia discurrere est procedere vel formaliter, vel saltem virtualiter ex vna cognitione, vel ex vno assensu ad alium. Quare debent interuenire duo assensus vel realiter, vel virtualiter diuersi: singuli autem assensus, debent tendere directè ad aliquam veritatem, quam affirment. Quod fit, quando cognoscimus vnum ex alio, quia affirmamus principia, & ex veritate principiorum mouemur ad affirmandum etiam directè obiectum conclusionis, cuius veritas in se non apparet, & ideo debet affirmari propter aliam veritatem, quæ in se apparet: Quando verò vnum non cognoscitur ex alio, sed in alio, non est duplex assensus etiam virtualiter distinctus, nec duplex affirmatio, sed vnica simplicissima vnius veritatis, qua Beatus, v.g. non dicit, *creaturæ sunt possibiles, quia Deus habet potentiam ad illas producendas*: hic enim esset discursus virtualis, sed dicit solùm, *Deus potest producere creaturas* non affirmando directè creaturas, sed solùm potentiam Dei ad illas producendas, & ideo creaturæ non sunt obiectum directum, sed solùm indirectum, & obliquum, seu terminus potentiæ diuinæ, quæ sola affirmatur. Quamuis autem in vtroque casu cognitio sit per medium; in primo tamen casu est medium, *ex quo*, in secundo autem casu est solum medium, *in quo*. Medium verò, *ex quo*, importat magnam imperfectionem in cognoscente, quia vtitur argumentis, & alia veritate ad adhærendum, & assentiendum alteri: quam imperfectionem non affert medium, *in quo*, sed perfectionem magnam, nempe ita perfectè penetrare veritatem, cui assentitur cognoscens, vt penetret perfectè, & distinctè ordines ad obliqua, qui penetrari non possunt non cognitis indirectè, & in obliquo terminis. Atque ideo suprà *disp.* 2. *sect.* 2. diximus, posse stare cum cognitione intuitiua perfectissima, & beata cognitionem abstractiuam & indirectam eiusdem obiecti cogniti in alio, tanquam in medio, *in quo*; non tamen posse stare cognitionem eiusdem obiecti per discursum formalem, vel virtualem per medium, *ex quo*, quæ supponit imperfectionem, & indigentiam in cognoscente. In casu itaque nostræ quæstionis incarnatio non cognoscitur in alio, sed ex alio, & per medium *ex quo*: nam intellectus per fidem non credit solum Deum veracem reuelare incarnationem, ita vt incarnatio solum cognoscatur, & credatur indirectè, & in obliquo, tanquam terminus reuelationis Dei veracis, sed creditur in recto, & directè veritas incarnationis, quæ cùm non appareat in se, non potest intellectus ei veritati assentiri directè, nisi innitatur alteri veritati, quam directè etiam credat, atque ideo necesse est, quod interueniat discursus aliquis saltem virtualis, qui habet eadem omnino difficultates, si quæ sunt, quas Auctores contrariæ sententiæ inuenire conantur in discursu formali, ex quarum solutione melius nostræ sententiæ probabilitas apparebit.

SECTIO II.

Argumenta contraria proponuntur, & dissoluuntur.

OBiiciunt primò. Ille assensus esset Theologicus: in hoc enim differt fides à Theologia, quod Theologia habeatur per discursum, fides sine discursu. Respondeo, fidem, & Theologiam non differre in hoc, sed in eo quod fides innitatur reuelationi, non mediatè, sed immediatè: Theologia verò innitatur etiam reuelationi, sed mediatè, nam immediatè fundatur in mysterio reuelato, vt diximus *disp.* 1. 9 Obiect. 10 Obiect.

Obiiciunt secundò, quia fides, quam habuerunt Angeli in via, & fides nostra sunt eiusdem rationis; & tamen in Angelis non potuit esse cum discursu, quippe qui non possunt discurrere, ergo nec in nobis potest generari per discursum. Respondeo in primis, licèt fides nostra conueniat cum Angelica in obiectis creditis, in obscuritate, in ratione formali, in certitudine, & supernaturalitate; non tamen necesse est, conuenire in modo tendendi: potuit enim Angelis proportionari ad eorum natiuum modum operandi, & per hoc differre à nostra fide, quod in ipsis esset cum solo discursu virtuali, in nobis autem posset esse etiam cum discursu formali. Addelicèt Angelus circa obiecta naturaliter scibilia, & quæ intuetur, non discurrat, posse tamen discurrere circa ea, quæ supernaturaliter, & obscurè cognoscit iuxta sententiam valdè probabilem quam defendunt plures, quos sequitur P. Suarez *lib.* 2. *de Angelis cap.* 33. & alij plures, & docti Recentiores.

Obiiciunt tertiò. Assensus genitus ex illis duabus præmissis esset necessarius, posita enim vtraque illa præmissa, euidenter infertur conclusio, & intellectus determinatur ad assensum conclusionis: ergo non est assensus fidei; hæc enim semper prærequirit piam voluntatis affectionem liberè imperantis assensum. Respondeo, piam voluntatis affectionem non tam desiderari ad credendam

dendam incarnationem, quàm ad credendum, Deum reuelasse incarnationem: quare si iam ex pia affectione creditur super omnia veracitas Dei, reuelatio incarnationis, & bonitas illationis, non est inconueniens, quod non requiratur alia pia affectio ad assentiendum conclusioni, quæ euidenter infertur ex illis principiis. Meritum ergo, & libertas fidei non versatur circa conclusionem præcisè, sed circa omnem discursum siue formalem, siue virtualem; provt complectitur assensus principiorum, & conclusionis.

11 Obiiciunt aliqui contra hanc solutionem, ergo poterit etiam dici, quod conclusio fit ex apprehensione terminorum, quia præmissæ à quibus pendet fiunt ex apprehensione terminorum; sicut dicitur assensus incarnationis procedere à voluntate, eo quod assensus præmissarum oriatur à pia affectione. Respondeo, argumentum esse contra omnes; quia omnes dicunt mortem sequutam ex vulnere esse voluntariam, & procedere à voluntate, quamuis solùm procedat mediante vulnere, ergo sufficit processio mediata, vt dicatur simpliciter voluntaria, & libera. Quando verò diceretur, conclusionem cognosci ex penetratione terminorum, iuxta communem sensum significaretur, quod conclusio oriatur ex penetratione terminorum eiusdem conclusionis, non ex penetratione terminorum præmissæ: & ideo propter diuersum sensum illorum verborum, vtimur illo modo loquendi absque explicatione. Videatur Hurtado *vbi supra* §. 26. & 34. qui fatetur assensum conclusionis in fide non esse in se formaliter liberum, sed denominatiuè à libertate assensus circa principia.

12 Obiiciunt quartò, quia in omni discursu formali, quo assentimur conclusioni propter præmissas, necesse est assentiri certius præmissis, quàm conclusioni iuxta doctrinam Aristotelis vulgarem, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ergo si assensus incarnationis est propter præmissas, magis & certius assentimur præmissis. Consequens autem est falsum, quia fides æquè certò credit quæcumque credit. Ergo. Respondeo, concedendo primam consequētiam, si sermo sit de certitudine propter maiorem adhæsionem intellectus ad obiectum: nam regulam illam Aristotelis existimo omnino veram, comparando quamlibet conclusionem cum principiis illis, propter quæ præcisè assentimur conclusioni. Quandocumque enim alicui assentior præcisè propter aliquas duas præmissas, necesse est magis firmiter adhærere principiis, quàm conclusioni, sicut necesse est magis amari per voluntatem finem quàm medium, quando præcisè amat medium propter finem. Dixi: *quando præcisè assentitur, vel amat.* Quia si conclusio illa simul habeatur ex aliis principiis, vel etiam ex apprehensione terminorum; non repugnat tunc magis assentiri conclusioni, quàm alicui principio; sicut quando medium amatur propter duos fines, poterit magis amari, quàm aliquis finis eorum seorsim. Concedo ergo, intellectum magis assentiri principiis fidei, quàm mysterio reuelato: qui excessus non consistit in eo, quod mysterio assentiatur cum aliqua incertitudine, aut formidine, sed in eo quod taliter assentitur mysterio propter principia, vt si alicui ex illis negandus esset assensus, potiùs negaretur mysterio, quàm principiis: hæc enim conditionalis imbibitur essentialiter in assensu, vel amore vnius obiecti propter aliud, vt dixi in superioribus. Neque in hoc est aliquid absurdi, quando enim dicitur omnes propositiones fidei esse æquè certas, si sermo sit de certitudine adhæsionis, debet intelligi, facta comparatione inter mysteria reuelata inter se, fides enim nō magis adhæret vni mysterio, quàm alteri, secus verò si comparatio fiat inter mysteria & rationem formalem credendi. Loquendo autem de certitudine, provt significat repugnantiam cum falsitate, æquàlis est hæc repugnantia in assensu conclusionis, & principiorum fidei; cùm omnes sint æquè supernaturales.

Sed contra obiicies quintò. Ergo actus fidei 13
potest esse minùs certus certitudine adhæsionis *Obiectio 5.*
quàm præmissa naturalis: probatur sequela, quia illa propositio: *Deus est summa veritas*, potest cognosci per actum naturalem euidentem, & ex illa, & altera, qua cognoscatur, Deum reuelasse incarnationem, infertur veritas incarnationis per discursum formalem, qui fidei non repugnat, ergo illa præmissa naturalis erit certior, quàm conclusio fidei, quia omnis præmissa est certior sua conclusione. Aduerte, hæc duo argumenta eodem modo procedere contra discursum virtualem; nam licèt eodem actu assentiamur mysterio propter reuelationem, magis tamen debemus adhærare reuelationi; sicut licèt eodem actu voluntas velit medium, & finem, magis amat finem; vnde assensus etiam ille provt terminatur ad mysterium minus adhæret mysterio quàm intellectus adhæreat veracitati Dei per actum naturalem, si hic esset super omnia. Ad argumenta ergo respondeo, negando sequelam: nam licèt prima veritas Dei possit euidenter cognosci per actum naturalem; illa tamen cognitio nunquam potest esse præmissa respectu conclusionis quæ elicitur per fidem. Ratio autem est, quam tetigi *supra disputatione* 1. quia scilicet assensus fidei non fertur vtcumque in suum obiectum, sed quidem super omnia, vt dixi *disp. præcedenti*, qui modus adhærendi super omnia, non solùm debet reperiri in assensu mysterij reuelati, sed etiam in assensu principiorum propter quæ creditur mysterium: alioquin neque ipsum mysterium posset credi super omnia, quia non possumus magis adhærere obiecto conclusionis quàm principiis; sicut nec possumus amare magis medium, quàm finem; ergo sicut ex amore naturali Dei, qui non sit super omnia, non potest procedere electio medij ad gloriam Dei, quæ feratur in illud medium super omnia; sic neque ex assensu principij non super omnia, potest procedere assensus conclusionis super omnia: illa autem præmissa de facto semper est supernaturalis, quoties assensus conclusionis est supernaturalis.

Dices; sicut fides potest elicere assensum super omnia circa veracitatem Dei, sic etiam virtus naturalis intellectus: Cur enim non poterit? Ergo ex tali assensu naturali poterit bene inferre fides suam conclusionem: Antecedens probatur etiam in hæretico, qui suo errori, quem existimat esse de fide, assentitur etiam super omnia; & in rustico ex errore credente, Patrem incarnatum esse, qui huic etiam obiecto assentitur super omnia virtute naturali. Respondeo, quidquid sit de possibili, de facto tamen nunquam fieri illam præmissam naturalem super omnia, quoties proponitur obiectum proportionatum, quia Deus concurrit per concursum solum supernaturalem, vt actus fiant proportionati ad nostram salutem,

vt

vt latè dixi *in tract. de gratia*, vbi rationem reddidimus. Si autem provt aliqui volunt, darentur simul alij actus fidei naturales ex eodem imperio voluntatis, tunc quoad adhæsionem tam firmus esset assensus naturalis circa conclusionem, & circa principia quàm assensus supernaturales. Sed de facto non dantur tales actus naturales concomitantes, nec si darentur, essent æquè certi quoad repugnantiam cum falsitate, vt vidimus *disput. præcedenti*.

15 Obiectio 6. Sextò obiiciunt, quia idem habitus non tendit ad conclusionem, & ad principia; ergo si assensus fidei habetur per discursum formalem, ponendi sunt duo habitus, alter ad conclusionem, & alter ad principia. Huic obiectioni respondetur facilè ex dictis *disp. 1.* nam esto habitus acquisitus non posset idem extendi ad conclusionem, & principia: habitus tamen infusus, qui datur ad modum potentiæ, latiorem habet sphæram, vt *ibi* dictum est.

Obiectio 7. Septimò obiiciunt, quia omnes debemus admittere aliquem assensum fidei, qui fit propter reuelationem, & non fit cum discursu; ergo idem potest dici de omnibus. Antecedens probatur, quia ipsa principia fidei, nempe veracitas, & reuelatio Dei, creduntur per fidem ad credendam incarnationem; & non creduntur cum discursu antecedenti, ergo. Ita arguit Suarez *vbi sup. n. 4.* Respondetur facilè, illis principiis assentiri per fidem sine discursu formali vel virtuali, quia illa cognoscuntur ex terminis saltem obscurè vt vidimus *disp. 1.* Incarnatio autem nullo modo apparet ex terminis; debet ergo cognosci per aliquod medium, & per consequens cum aliquo discursu, qui sicut aliquando est virtualis; ita poterit etiam aliquando esse formalis.

16 Obiectio 8. Octauò obiiciunt auctoritatem multorum Patrum, qui dicunt, fidem non esse inquisitiuam, non inniti probationibus, non esse argumentorum concertationibus stabilitam, &c. ita Basil. *de fidei confessione & in psal. 115.* Damasc. *lib. 4. c. 12.* Augustinus 18. *de Ciuit. c. 42.* & alij. Respondetur, prædictos Patres à fide excludere rationem, & discursum, provt ratio opponitur contra auctoritatem: cæterum eo ipso quòd supponant mysteria credi propter Dei reuelationem, inuoluitur ibi discursus ex auctoritate Dei reuelantis ad mysteria reuelata. Et quidem hoc etiam argumentum, sicut & alia militant contra discursum virtualem: nam Patres, quando à fide excludunt rationes, probationes, argumenta & similia, non curant de discursu formali, vel virtuali; tam enim esset contra fidei naturam; quod eius assensus provt fidei est, niteretur rationibus, & probationibus, quæ non essent à mera auctoritate Dei, per discursum solum virtualem, quàm si id fieret per discursum formalem; sicut non minus repugnat fidei humanæ, provt fides humana est, duci ab aliis rationibus, vel ab experientia propria ad credendum, & non ab auctoritate, & testimonio dicentis, si id fiat per vnicum actum, & discursum virtualem, quam si fieret per plures actus, & per discursum formalem. Sic etiam quando ad contritionem perfectam exigunt Patres, & Theologi, quod homo doleat de peccato, non propter alia motiua, sed ex motiuo dilectionis Dei, non excludunt solùm pluralitatem actuum, itavt non procedat dolor ille ex actu distincto, qui sit amor alterius finis creati, sed multò magis excludunt, quod eodem actu ametur ille alius finis creatus cuius bonitas, & non bonitas infinita Dei moueat ad dolendum de peccatis.

Nonò obiiciunt, quia si fides aliquando potest credere mysterium reuelatum sine discursu formali, ergo nunquam potest credere cum illo: quia operari cum discursu, & sine discursu est differentia magna, quæ argueret diuersitatem in ipso habitu. Respondeo, hoc argumentum nec adhuc de habitu acquisito probare: quia idem habitus fidei humanæ sufficit, vt aliquando per plures actus, & per discursum formalem, aliquando per discursum virtualem, & vnico actu credamus amico nobis aliquid testificanti: nam licet initio indigeamus discursu formali, postea tamen exercitio, & consuetudine faciliores sumus, vt absque discursu formali, & solum cum virtuali credamus. Similiter voluntas indiget initio quasi discursu, vt ex amore præcedenti finis procedat ad electionem medij occurrentis; postea verò ex habitu acquisito sine tot actibus statim vnico actu vult media occurrentia propter illum finem; imò ad hoc deseruit habitus, & facilitas acquisita. Ratio autem est, quia licet illi actus circa finem seorsim differant physicè ab actibus circa media propter finem; sed tamen ratione eiusdem motiui æquiualent illis, quod sufficit, vt ab eodem habitu possint procedere. Sicut amor, & odium differunt etiam maximè specie physica; & tamen idem habitus quo amamus bonum amici, conducit ad odium circa malum eiusdem amici. Habitus enim ille, vt suppono, sunt species bene ordinatæ repræsentantes motiuum, quæ æque deseruire possunt ad omnes actus circa illud motiuum, siue sint plures, siue pauciores. Quod multò magis procedit in habitibus infusis, quia non generantur ab actibus; & constat manifestè in habitu charitatis, quo possumus amare Deum, & proximum propter Deum per actus distinctos, quorum vnus procedat ab alio, vel etiam vnico actu indiuisibili, quo diligimus proximum propter Deum dilectum super omnia. Idem ergo poterit habitus infusus fidei, cùm nulla sit ratio maioris limitationis in eo ponendæ.

Decimò obiiciunt, quia si fides vteretur discursu formali, ille generaret habitum per se acquisitum ad talem discursum; quod tamen est omnino falsum. Hoc etiam argumentum æquè procedit de discursu virtuali: non minus enim generari posset habitus acquisitus ex illo ad similes discursus virtuales, quam ex discursu formali. Imò etiamsi neges discursum etiam virtualem in fide eadem est difficultas, cur ille assensus mysterij propter auctoritatem Dei, quicunque ille sit, non posset generare habitum ad similes actus. Idem etiam procedit in actibus supernaturalibus voluntatis: siue enim charitas diligat proximum propter Deum vnico actu, siue pluribus, cur illi actus non generabunt habitum ad alios similes actus? omnes ergo respondere debent, & quamcunque rationem attuleris, cur in aliis casibus actus supernaturales non generēt habitus acquisitos, applicare poteris ad discursum formalem fidei, qui cum sit etiam supernaturalis, ideo non poterit habitum generare. In mea autem sententia nulla est difficultas: dixi enim *in lib. de anima*, cùm habitus acquisiti sint species benè ordinatæ has non minus relinqui ex actibus supernaturalibus, quàm ex naturalibus, & ideo vtrobique nos eodem modo ab ipso exercitio experti facilitatem postea ad operandum: quæ species manent

manent etiam postea in peccatore, imò in eo etiã, qui per infidelitatem perdit habitum infusum fidei: non tamen dicuntur manere charitas, vel fides: quia hæc nomina competunt virtutibus infusis, de quo suo loco dicendum est.

19 Vndecimò obiiciunt, quia si actus fidei in homine esset cum discursu formali, & in Angelo sine illo, sequeretur perfectionem esse in Angelo, qui excessus maioris perfectionis non refunderetur in habitum infusum, quem supponimus esse in vtroque æqualem, sed in solam maiorem perfectionem naturalem Angeli, ex qua proueniret, perfectiores fidei assensus habere, quod videtur absurdum. Hoc argumento nimium premit se P. Hurtado *vbi supra* §. 32. & 33. cùm tamen idem argumentum ab omnibus soluendum sit. Nam licet fides non discurrat, negari non potest, aliquas imperfectiones reperiri in actibus fidei nostris, quæ non reperiuntur in actibus fidei in Angelis. Actus enim nostri propter imperfectionem nostri intellectus fiunt cum conuersione ad phãtasmata, & per species rerum materialium, vnde prouenit, quod crassiori, & rudiori modo exprimant obiecta, minúsque distinctè, quàm actus Angelici, in quibus eiusmodi imperfectiones nõ sunt. Quare idem argumentum fieri posset de excessu illo perfectionis, quem habent, an proueniat à maiori perfectione naturæ: & consequenter idem queri posset de actibus supernaturalibus voluntatis, qui etiam posita perfectiòri cognitione obiecti, perfectius etiam illud attingunt, hoc est, cum maiori distinctione, & subtilitate, provt, subtiliùs, & distinctiùs propositum est.

20 Omissa ergo responsione Hurtadi, quæ obscurior fortasse est, respondeo facilè iis, quæ dixi 1. *p. tract. de visione Dei*, in primis nihil esse perfectionis in actu Angeli, quod sit à sola potentia naturali, & non ab habitu infuso: cum n. totus actus sit adæquatè supernaturalis, nulla est formalitas in ipso à sola potentia naturali. Deinde non est maior firmitas adhæsionis, aut maior intensio, vel certitudo in vno actu, quàm in alio, neque etiam maius meritum cæteris paribus. Quod autem actus Angeli habeat aliquam maiorem perfectionem physicam ex eo, quod sit actus Angelicus, nullũ, est absurdum: quia gratia se accommodat naturæ, & eleuat illam iuxta modum operandi cuiuslibet principij. Quod etiam inter homines ipsos contingit; nam homo Theologus, & doctus, qui meliores, & magis distinctas species habet de obiectis fidei, cum æquali habitu infuso fidei, elicit actus meliores quoad modum attingendi, & exprimendi obiecta magis distinctè, & explicitè, quàm rusticus, qui elicit actus crassiores, & magis confusos, non tamen magis meritorios, aut magis firmos. Cur autem Angelus, & homo cum æquali lumine gloriæ eliciat visiones Dei æquè perfectas, rationem discriminis ibi assignaui. Gratia enim, & habitus infusi aliquando eleuant subiectum solũ ad actus supernaturales eliciendos similes omnino illis, quos naturaliter elicere posset, quoad omnia præterquam quoad solam supernaturalitatem; qui ideo à S. Thoma aliquando dicuntur supernaturales solùm quoad modum; non quia substantia etiam ipsa talium actuum non sit supernaturalis; sed quia modus tendendi ad obiecta sit omnino similis actibus naturalibus: & tunc, si subiectum per vires naturales poterat elicere actus magis claros, eliciet cum habitu actus supernaturales magis claros. Aliquando verò gratia, & habitus infusus eleuat subiectum ad actum, cui similem in modo tendendi ad obiectum non possit naturalibus viribus elicere, qualis est visio clara Dei, cuius tendendi modum imitari non potest natura humana, vel Angelica, cùm nec homo, nec Angelus possint naturalibus viribus habere cognitionem quidditatiuam & immediatam obiecti summè simplicis, qualis est Deus sed solum per alienas species, & ad similitudinem aliarum rerum minùs simpliciũm possunt concipere Deum. Quare non eleuatur intellectus Angelicus, vt Angelicus, nec humanus vt humanus ad illam visionem, sed vterque sub ratione communi intellectus quatenus est capax intelligendi. Vnde parum refert esse intellectum Angelicum, vt visio Dei sit magis clara, vel distincta.

Quam differentiam eleuationis soleo ego explicare hoc exemplo vulgari. Si v.g. Deus eleuet duos calamos, alterum bene, alterum malè aptatum, vtrumque tamen eleuet, vt formet characteres aureos, quoscumque formauerit: vterque quidem formabit characteres æquè aureos: alter tamen formabit eos perfectos, & pulchros; alter imperfectos, rudes, & impolitos; quia nimirum vterque eleuatus fuit ad formandos characteres aureos similes quoad reliqua iis characteribus quos seclusa eleuatione formare posset. Hoc modo eleuantur intellectus Angelicus, & humanus per habitum fidei, ad formãdos actus fidei aureos hoc est, supernaturales, & ordinis diuini, sed similes quoad reliqua iis actibus quos singuli possent sine eleuatione formare. Quare vtriusque actus sunt æquè aurei, & supernaturales? sed tamen dissimiles quoad reliqua, quia habitus se accommodat subiecto, & solùm addit supernaturalitatem in actibus, qui quoad reliqua sint Angelici, vel humani. Si verò Deus eleuet oleum & aquam ad producendam gratiam æquali eleuatione; oleum, licet in se perfectius sit, quàm aqua, non producet meliorem gratiam: quia non eleuantur ad producendum cum proportione ad effectus, quos oleum, & aqua vt aqua producere possunt, sed ad alium omnino dissimilem. Hoc autem ferè modo eleuantur intellectus Angelicus & humanus ad visionem Dei, nempe ad effectum similem solùm in generica ratione intellectionis intuitiuæ illis actibus quos vterque intellectus naturaliter producere posset, non vero similem actibus illis, quos secundum suas differẽtias Angelus, vel homo naturaliter habere posset circa Deum, & ideo lumen non se accommodat singulorum naturæ secundum id, quod proprium est singulorum, quia id totum impertinens est ad talem modum tendendi in obiectum diuinum.

Duodecimò obiiciunt, quia eodem actu potentiæ visiuæ videntur lux & color: ergo eodem etiam actu cognoscitur reuelatio, & mysterium reuelatum: ita arguit P. Arsubal 1. *p. disp.* 5 *n.* 25. Sed consequentia negatur facilè ab Hurtado *d. disp.* 39. *sect.* 3. §. 21. quia color non potest emittere speciem sui se solo sine luce, ideo non potest videri quando non videtur lux: reuelatio autem, & mysterium possunt singula dare speciem sui se solis. Addere possumus retorquendo exemplum ipsum, quia licet color non possit videri sine luce, lux tamen potest videri, & videtur aliquando à longè sine vllo colore: similiter ergo, licet mysterium non possit credi per fidem, quin

Obiectio 12.

eodem actu credatur reuelatio, prout in mea sententia debet attingi & credi per assensum ipsum, quo creditur mysterium, quia est lux quædam illuminans mysterium latens, vt credi possit: ipsa tamen reuelatio, quæ est lux, poterit credi seorsim, quin eodem actu credatur mysterium, quia lumen non indiget alio lumine, vt credatur: ille autem assensus reuelationis simul cum alio assensu veracitatis diuinæ, quæ est etiam lumen partiale, & potest seorsim credi, erit principium ad inferendum tertium assensum circa mysterium, qui attingat etiam veracitatem, & reuelationem.

23 *Obiectio 13.* Decimotertiò obiiciunt, quia quando assentimur conclusioni per discursum, motiuum obiectiuum ad assentiendum non est solum obiectum præmissæ, sed ipsa etiam præmissa formalis itaut assentiamur conclusioni non solum propter obiectum præmissæ, sed etiam quia assensum dedimus illi in præmissis & ipse assensus præmissæ sit motiuum ex parte obiecti: hoc autem inueniri non potest in assensu fidei: alioquin non esset Theologicus, cùm haberet pro obiecto formali motiuo illum assensum formalem præmissæ, qui est aliquid creatum. Ita arguunt Coninch. *dict. dub. 7. num. 121.* & Granado *dict. tract. 9. disput. 1. numero 8.* Hoc tamen argumentum supponit principium falsum, quod scilicet præmissæ formales, seu actus ipsi debeant esse obiectum ad assensum conclusionis; quod nullum vtique fundamentum habet, nec necesse est ad inferendam conclusionem ex præmissis habere actum reflexum supra ipsos assensus præmissarum, nec ego conuincor ad amplectendam conclusionem, nisi à veritate obiectiua principiorum, sicut neque ad eligendam medicinam habeo pro motiuo ex parte obiecti amorem sanitatis, sed bonitatem sanitatis, & vtilitatem medicinæ ad sanitatem; sic fides ad assentiendum mysterio reuelato, etiãsi id fiat per discursum formalem, non habet pro motiuo ex parte obiecti assensus circa veracitatem, & reuelationem diuinam, sed ipsam veracitatem, & reuelationem.

24 *Obiectio 14.* Decimoquartò obiiciunt aliqui recentiores de nouo huic sententiæ inconsequentiam; nam sicut colligimus habitũ fidei posse diuidere illa obiecta & tendere seorsim per actus diuersos ad veracitatem, & reuelationem Dei, eo quod possit tendere simul ad illa; sic deberemus consequenter concedere; quod posset habitus fidei elicere assensum circa existẽtiam solam Dei, quo dicat, *Deus existit*: nam eadem fides habet pro obiecto existentiam Dei, quando dicit, *Deus est verax*; vel certè, quando dicit, *Deus reuelat*: per vtrumque enim actum affirmatur existentia Dei veracis, vel reuelantis: poterit ergo fides seorsim etiam tendere ad existentiam Dei per assensum immediatum. Consequens autem est falsum; nam existentia Dei non cognoscitur à nobis in hac vita nisi vel per discursum ex creaturis, vel ex reuelatione eiusdem Dei: ergo debemus negare, quod fides possit seorsim tendere ad obiecta suarum præmissarum, licèt possit eodem actu assentiri illis, & rei reuelatæ.

25 *Retoqueri potest argumentum primò.* Hoc argumentum retorqueri potest in primis contra eius auctores: nam ipsi, licèt negent in fide discursum formalem, non tamen possunt negare, nec de facto negant discursum virtualem: sed ponunt actum fidei, qui simul terminatur ad rem reuelatam, & ad veraciattem, ac reuelationem Dei, quo dicitur: *Deus est homo, quia Deus est verax, & ipse hoc reuelauit*: in quo actu sunt virtualiter tres assensus, vnus circa veracitatem Dei, alter circa reuelationem, alius circa incarnationem reuelatam. Peto ergo ab iis, si quidem fides tendit in veracitatem, & in reuelationem Dei per duos assensus virtualiter distinctos, cur non poterit rursus diuidere virtualiter assensum circa existentiam Dei, ab assensu circa veracitatem, vel reuelationem, ita vt per vnum assensum terminetur ad existentiam Dei, & per alterum ad reuelationem, qui ita distinguantur virtualiter inter se sicut assensus reuelationis ab assensu veracitatis, atque ideo fides dicat, *Deus est homo, & quia Deus est verax, & Deus existit, & Deus reuelauit*? Si enim potest ita diuidere virtualiter eos assensus; petetur iam ab illis, an ille assensus, *Deus existit*; prout virtualiter distinctus est ab aliis, sit mediatus, vel immediatus, & redit contra illos totum argumentum. Si verò negent posse ita diuidi, debent reddere rationem, cur magis possit fides diuidere virtualiter assensum veracitatis ab assensu incarnationis, quam assensum existentiæ Dei ab assensu veracitatis, vel reuelationis, & quæcumque ratio reddatur, applicari potest ad diuisionem etiam realem, cùr magis possit realiter diuidi assensus reuelationis, v. g. ab assensu incarnationis, quàm assensus existentiæ Dei ab assensu reuelationis.

Secundò retorqueri potest argumentum contra ipsos in fide humana, quam quidem non negant esse formaliter discursiuam, atque ideo debent in ea interuenire hi tres actus: *Petrus dicit hoc, ergo hoc est verum.* Peto ergo, si quidem fides humana elicit illum assensum, *Petrus dicit hoc*, in quo inuoluitur iuxta ipsos, & affirmatur existentia Petri, cur non possit eadem fides diuidere, & seorsim affirmare, *Petrus existit*. Si enim potest, petam de illo assensu, an sit mediatus, vel immediatus? Et quidem immediatus esse non potest, quia existentiam Petri non cognoscimus immediatè, sed ex operatione. Si verò est mediatus, ergo non est principium, sed conclusio. Hoc autem argumentum procedit eodem modo, etiamsi dicant, habitum principiorum distingui ab habitu conclusionis, atque adeo præmissas fidei humanæ non elici ab habitu fidei humanæ. Hoc enim ad propositum parum refert: quia ad quemcumque habitum pertineat ille assensus, *Petrus dicit hoc*, de illo petam, an possit diuidere, & dicere seorsim, *Petrus existit*? Si potest, ergo assensus erit vel immediatus, & hoc non potest esse, quia existentia Petri debet cognosci per aliud: vel erit mediatus; & iam erit propter aliud motiuum, atque adeo fides humana non habet pro motiuo adæquato veracitatem, & testimonium Petri. Denique, si non potest diuidere illum assensum, reddenda est ratio repugnantiæ, quæ eadem reddi potest in nostro casu: omnes ergo debent ad argumentum propositum respondere.

Et quidem ex ipsomet argumento haberi potuisset eius solutio: arguunt enim ab absurdo, si fides potest diuidere illa obiecta, & assentiri seorsim reuelationi, ergo poterit subdiuidere, & assentiri seorsim existentiæ Dei, quæ affirmatur simul cum reuelatione: hoc autem est absurdum. Hinc ergo constare posset solutio, quia si in assensu ad solam existentiam Dei seorsim apparet absurdum, quod non apparet in assensu ad reuelationem, & ideo ex illo absurdo probare volunt, hoc etiam esse impossibile; iam ergo ex hoc

hoc ipso absurdo potest reddi ratio, cur fides possit assentiri seorsim reuelationi, & non existentiæ Dei; quia scilicet in hoc secundo apparet absurdum, quod non apparet in illo primo; non est ergo inconsequentia concedere illud, & negare hoc, quando in illo non apparet absurdum, quod in hoc apparet. Quale autem sit illud absurdum, aut quæ sit illa repugnantia, facilè constare potest, si res attentè consideretur in fide humana: hæc enim, vt dixi, potest seorsim dicere, *Petrus dicit hoc*; non tamen potest dicere seorsim, *Petrus existit*. Ratio est clara, quia illa obiecta sola possumus diuidere, quorum assensus non pendet ab assensu alterius: ideo enim fides non potest seorsim assentiri incarnationi absque reuelatione, quia incarnationis assensus dependet à reuelatione, quæ est motiuum assentiendi: ideo potest assentiri seorsim è contra reuelationi absque incarnatione, quia reuelatio non dependet ab incarnatione, vt à motiuo assentiendi: ideo etiam potest assentiri reuelationi absque veracitate, & è contra, quia illa duo non sibi subordinantur, nec vnius assensus dependet ab alio, ideo ergo non potest assentiri seorsim existentiæ Dei, quia affirmatio existentiæ Dei dependet omninò ab affirmatione reuelationis: quia existentiã in se non cognoscimus, sed ex eo quod Deus loquatur, cognoscimus illũ existere: sicut quando dicis *Petrus loquitur hoc*: & implicitè affirmas, Petrũ existere; ille assensus diuerso modo tendit ad loquutionem Petri, & diuerso ad existentiã: scilicet ad illã immediatè, ad hanc mediatè propter loquutionẽ, vnde nõ potest terminari assensus ad existentiam Petri seorsim, quia non haberet rationẽ assentiendi. Sic assensus ille: *Deus loquitur hoc*: licèt implicitè affirmet existentiam Dei; alio tamen modo, quàm loquutionem; hanc scilicet immediatè, illam mediatè, & cognitam per ipsam loquutionem, quæ non solum est motiuum ad assentiendum obiecto reuelato, sed etiam ad affirmandam existentiam Dei loquentis sicut loquutio Petri, & manifestat obiectum, & manifestat causam, scilicet Petrum, qui loquitur, & sicut etiam charitas, quæ diligit vno actu proximum propter Deum, potest seorsim alio actu amare Deum solum, licet non possit è contra diligere proximum absque Deo.

Dices, in illa alia præmissa, *Deus est verax*, non affirmatur existentia Dei propter veracitatem, sed æquè immediatè affirmatur vtraque, ergo poterit diuidi affirmatio existentiæ ab affirmatione veracitatis. Respondetur, per illã præmissam nec affirmari existentiam, nec veracitatem absolutè, sed sub conditione: scilicet *si Deus est, est verax*: minùs ergo poterit diuidi assensus, vt existentia Dei seorsim affirmetur absolutè.

28 Obiiciunt decimoquintò iidem, quia si fides Obiectio 25. potest elicere discursum formalem; omnes illi tres actus erunt supernaturales: hoc autem est absurdum; quia non debent multiplicari actus supernaturales absque necessitate: cùm ergo possit vnicus actus amplecti omnia illa obiecta absque discursu formali, non debent concedi illi tres actus supernaturales. Respõdetur, in naturalibus etiam non debere multiplicari entia absque necessitate: deberet ergo dici, quod fides humana non possit habere discursum formalem, nec seorsim assentiri veracitati Petri, aut eius testimonio, ne multiplicentur actus. Negamus itaque, multiplicari actus absque necessitate: necesse enim est, saltem iuxta rerum naturam, vt omnis discursus virtualis possit resolui in formalem, in quo clarius apparet vis syllogismi. Vnde cum intellectus humanus habeat hunc modum operandi, debuit fides accommodari iuxta naturam intellectus, vt possit per discursum virtualem, vel etiam per formalem, quod sæpè necesse est in tardioribus, & rudioribus, tendere in sua obiecta; Omitto alias leuiores obiectiones, quas quiuis facilè dissoluere potest.

Vltimò opponunt Suarez, & alij huic nostræ 29 sententiæ, quod in discursu formali præter vtrã- Obiectio vl-que præmissam debet etiam intercedere cognitio tima. bonitatis illationis, cui innititur etiam assensus conclusionis, cui tamen assensus fidei inniti non potest: alioquin assensus mysterij esset minus firmus, & certus, quàm assensus ad illationem, cuius bonitas lumine naturæ cognoscitur. Hæc tamen obiectio examinanda, & diluenda erit seorsim *sect. sequenti*.

SECTIO III.

An possit interuenire cognitio bonitatis illationis in discursu fidei, & qualis sit illa cognitio.

HÆc est, vt vidimus, vna ex potissimis ra- 30 tionibus, quibus P. Suarez, P. Coninch, & alij impugnant nostram sententiam de discursu formali possibili in fide: quia deberet assensus conclusionis inniti non in sola auctoritate Dei, sed etiam in bonitate illationis, quæ semper in quolibet discursu mouere debet ad assensum cõclusionis, quæ motio significatur per illud, *ergo*, quod in qualibet conclusione apponitur, per quam particulam significamus vim illationis vnius ex alio, quam illationem per aliquem etiã assensum approbamus: quæ bonitas illationis non creditur propter auctoritatem Dei, sed lumine naturæ, & per regulas Logicas, quare assensus mysterij reduceretur tandem in veritatem regularum Logicarum, & in lumen naturæ.

De hac cognitione bonitatis illationis, & de 31 eius necessitate, & quomodo interueniat in fide, & moueat ad assensum mysterij reuelati, diximus multa *disp. 1. sect. 13.* quæ non oportet nunc repetere. Ex iis autem, quæ ibi diximus respondere facilè possumus nunc ad hanc obiectionem, & in primis respondeo, hoc argumentum etiam habere locum, licet fides solum habeat discursum virtualem, & non formalem: nam in discursu etiam virtuali inuenitur suo modo illatio vnius ex alio, & cognitio connexionis, quam habet obiectum conclusionis cum principiis obiectiuis; nam licèt illa obiecta non cognoscantur per actus diuersos, cognoscuntur tamen vnico actu omnia, quæ cognoscerentur per syllogismum formalem: quare in omni sententia fatendum est, ad credendam incarnationem requiri cognitionem connexionis, quam incarnatio habet cum prima veritate, & reuelatione Dei.

Respondebit aliquis, actum fidei nullo modo 32 fũdari in bonitate illationis, sed solum in auctoritate diuina; nam licet in assensu naturali requiratur, quod fundetur in bonitate illationis, in hoc tamen consistit supernaturalitas fidei, vt postquam cognoscitur bonitas illationis, possit voluntas imperare assensum innitentem solum

in auctoritate Dei, & non in illatione. Ita videtur indicare Suarez *disp.6. sect.7. num.7.* & alibi. Sed hoc non videtur credibile. Primò, quia videtur esse supra omnem facultatem intellectus etiã per potentiam obedientialem, quod assentiatur alicui obiecto propter aliud, & tamen non attendat ad connexionem vnius cum alio: quid enim est assentiri propter aliud, nisi quia vnum infertur ex alio, seu connectitur cum alio? Secundò, si hoc esset possibile, posset etiam intellectus assentiri incarnationi post cognitam reuelationem, & tamen non assentiri propter reuelationem. Hoc autem nec concedit, nec concedet ipse Suarez; ergo minùs debet concedi illud primum, magis enim repugnat, quod assentiatur incarnationi propter reuelationem, & tamen non attendat ad connexionem incarnationis cum reuelatione.

33 Confirmatur, quia cognitio boniatis illationis præsupponitur, & prærequiritur, vt fatentur aduersarij; ergo influit, non aliter, quàm mouendo, & inducendo intellectum ad assensum incarnationis; ergo repugnat intellectum assentiri, & non moueri à bonitate illationis cognita. Tertiò, fideles, præsertim rustici, assentiuntur mysteriis fidei propter testimonium Dei, sicut assentiuntur aliis rebus propter testimonium hominum, licèt cum maiori adhæsione provt decet auctoritatem diuinam. Si autem deberent assentiri diuerso modo, & non attendendo ad connexionem reuelationis cum re credita, deberent de hoc admoneri à Prælatis, & Parochis; ipsi enim nec sciunt, nec scire possunt talem obligationem; & aliunde ipse Suarez fatetur, nunquam intellectum credere hoc modo alia obiecta, quæ credit per vires naturæ, quia hic modus assentiendi non est naturaliter possibilis; deberent ergo Prædicatores monere plebem, vt crederet non vtcumque propter auctoritatem Dei, sed non attendendo ad connexionem auctoritatis Dei cum mysterio reuelato. Hæc omnia quis non videat esse contra omnium fidelium mentem, & experientiam? Ad obiectionem ergo debemus respondere; assensum fidei fundari quidem partialiter in bonitate illationis formalis, vel virtualis. Neque ex hoc fit, assensum incarnationis fundari in aliquo naturaliter cognito; nam licet illa bonitas illationis posset cognosci naturaliter; sicut veracitas Dei; cæterùm sicut ipse habitus fidei concurrit ad cognoscendam veracitatem Dei: quatenus necessaria est eius cognitio ad credenda mysteria reuelata, sic etiam à fortiori concurrit ad cognoscendam bonitatem illius illationis actu supernaturali, quatenus illa etiam cognitio requiratur ad credendã incarnationem, v.g. propter Dei reuelationem, vt bene aduertit Becanus *in præsenti, cap.8. quæst. 3. n. 12.* An vero fides magis assentiatur bonitati illationis, quàm mysterio reuelato? Existimo idem dicendum esse; quod supra de assensu principiorum dictum est; nam quoad hoc eodem modo se habet bonitas illationis, cum in ea etiam partialiter fundetur assensus mysterij. Quando verò infertur, quòd assensus mysterij non inniteretur soli auctoritati Dei, neganda est Sequela; nam per illud, *soli*, non excluditur id, quod essentialiter inuoluitur in assensu fundato in auctoritate Dei: eo enim ipso, quod innititur auctoritati Dei, debet moueri à connexione, quæ apparet inter auctoritatem Dei, & veritatem obiecti reuelati, cùm non possit aliter auctoritas Dei mouere ad assensum mysterij, nisi vt connexa cum mysterij veritate. Sic etiam dicimus cum toto rigore, nos aliquid credidisse soli Petro, & propter eius solum testimonium & auctoritatem; & tamen Auctores contrariæ sententiæ concedunt, in fide humana interuenire discursum formalem, & cognitionem bonitatis illationis: quæ bonitas illationis non solet appellari motiuum *vt quod*, sed *vt quo*, quia est, quæ applicat, & coniungit motiuum, vt possit sufficienter mouere, sicut etiam vnio formæ substantialis cum materia non solet appellari principium operandi, nisi *vt quo*, quia est coniunctio formæ, vt possit operari: quamuis hoc totum pertinere possit ad modum loquendi.

34 *Assensus fidei etsi fundetur partialiter in bonitate illationis formalis, vel virtualis; non fundatur in aliquo naturaliter cognito.*

Ad id verò, quod dicunt, refundi iam assensum fidei in lumen naturæ saltem ex parte, distinguendum est. Si enim sensus sit, refundi partim in aliquid, quod non sit reuelatum à Deo, nec credatur propter eius auctoritatem, concedimus: nam ipsa etiam veracitas Dei, provt mouet ad credendum mysterium, non creditur propter Dei reuelationem, vt vidimus *disp. 1.* quia alioquin sequeretur vel circulus vitiosus, vel processus in infinitum, sed aliunde debet cognosci. Quod idem diximus de reuelatione, quæ quidem non creditur, quia ipsa reuelata sit à Deo, sed aliunde ex terminis ipsis apparet saltem obscurè. Eodem ergo modo dicimus, bonitatem illationis, seu connexionem necessariam inter testimonium Dei veracis, & veritatem mysterij reuelati non credi, quia ipsa etiam reuelata sit à Deo, sed ipsam ex se immediatè constare. Si verò sensus sit, quod refunderetur assensus mysterij in lumen naturæ, hoc est, in aliquid cognitum per actum naturalem, negandum est: nam hæc ipsa bonitas illationis cognoscitur per actum supernaturalem elicitum ab eodem habitu infuso. Sicut enim veracitas Dei, licet cognosci possit per lumen naturæ, & per actum naturalem, quoties tamen fundat, vel fundare potest discursum fidei cognoscitur per actum supernaturalem elicitum ab habitu fidei; sic etiam dicendum est de bonitate illationis. Et sicut ad assensum circa veracitatem Dei præcedit pia affectio voluntatis, vt saltè assensus ille sit firmissimus, & super omnia, & aptus ad fundandam fidem mysterij reuelati firmissimam: ita præcedit pia affectio voluntatis imperans assensum firmissimum, & super omnia circa bonitatem illationis, vt possit deseruire ad assensum firmissimum circa mysterium. Nam voluntas imperans assensum firmissimum circa mysterium, imperat etiam omnia necessaria ad talem assensum, & per consequens etiam firmissimum circa principia, & circa bonitatem illationis, sine quo non esset assensus firmissimus circa mysterium reuelatum.

35 *In quo sit assensus fidei formalis & saltem ex parte reflexus in lumen naturæ.*

36 *Propositio fidei vniuersalis, quod omnes actus fidei debent habere pro motiuo formali reuelationem diuinam.*

Cauenda ergo est vel explicanda diligenter propositio illa vniuersalis, quam aduersarij frequenter assumunt, quod omnes actus fidei debent habere pro motiuo formali reuelationem diuinam. Si enim sermo sit de iis actibus, qui proprie & strictè dicuntur *fides*, vera est propositio, ij quippe soli sunt assensus circa mysteria reuelata: ille enim assensus appellatur strictè *fides*, quo aliquid alteri credimus: quare ille assensus solus erit strictè *fides diuina*, quo Deo aliquid credimus; quod solum competit actui, quo creditur mysterium reuelatum propter diuinam auctoritatem; & ab hoc actu totus habitus habet denominationem *fidei*: si verò sermo sit de omnibus actibus

actibus ; qui eliciuntur ab habitu fidei, non est concedenda illa propositio vniuersalis ; quia non omnes habent pro motiuo reuelationem diuinã, nec omnes sunt strictè *fides*, sed aliqui sunt principia fidei, qui tamen eliciuntur etiam ab eodem habitu fidei. Sicut etiam ab habitu *Pœnitentiæ* eliciuntur multi actus, qui non sunt pœnitentia, sed desiderium non peccandi, gaudium de peccato vitato, & alij similes, licèt ab actu detestationis, & pœnitentiæ totus habitus appelletur *Pœnitentia*.

37 Denique quando inferunt, & opponunt, quod assensus fidei refunderetur in veritatem regulæ logicæ, atque ideo deberemus regulas syllogisticas logicas credere actu supernaturali firmissimo, & super omnia ; quia cognitio de bonitate illationis pertinet ad logicam : neganda est sequela. Aliud enim est applicare regulas logicas vniuersales ad hanc illationem, & ex illis regulis, & præceptis probare hanc esse bonam illationem : & hoc pertinet ad logicam, non ad fidem : neque id necessarium est ad credendum mysterium reuelatum propter diuinam auctoritatem etiam per discursum formalem. Aliud verò est cognoscere in particulari, hanc esse bonam illationem absque alia applicatione regularum, & præceptorum logicæ ; & hoc facit fides, siue discurrat formaliter, siue solum virtualiter. Nam rusticus, qui nihil de logicæ præceptis vnquam audiuit, optimè tamen discurrit in pluribus materiis, & credit fide humana etiam per discursum formalem suis amicis : & scit euidenter, bene inferri, si emit rem quatuor aureis ad lucrandum, non posse se eam vendere tribus, quia id non esset lucrum, sed iactura ; neque ad hoc credendum opus est, quod consulat regulas Logicorum, vel eorum præcepta applicet ; Quia bonitas huius illationis in particulari ex se ipsa clarè patet, licèt nesciat rationes reddere, & explicare, cur sit bona : quas rationes Logicus iuxta sua præcepta reddit ; sic etiam qui Architectus non est, nec vllas regulas illius artis didicit, visa tamen fabrica pulchra & proportionata, approbat illam, & fatetur esse bonam, licet non possit iuxta præcepta artis id probare. Qui coquus etiam non est, nec culinæ artem nouit, approbat cibum bene conditum, licèt rationem iuxta regulas reddere nequeat. Sic etiam omnes, licet logici non sint, approbant illationem bonam in multis materiis, nihil prorsus dicentes de regulis Logicorum. Fides itaque nihil dicit de regulis vniuersalibus Logicorum sed iudicat bene inferri veritatem mysterij ex eo, quod Deus summè verax, illud reuelet : quam bonitatem particularem huius illationis manifestè cognoscimus in se ipsa, vel ex ipsis terminis ; & assentimur firmissimè, & super omnia, quod sit cõnexio veracitatis, & reuelationis Dei cũ veritate mysterij quia ita necesse est firmissimè huic cõnexioni assẽtiri, vt sequatur assensus firmissimus rei reuelatæ, nullo modo probantes hanc bonitatem illationis, seu hanc connexionem inter illa obiecta ex illa veritate præceptorum, quæ Logica tradit, quæ plures fideles ignorant, & qui ea sciunt nullo modo ad ea attendunt in hoc iudicio.

38 Vnde nec fundatur à fidelibus hic assensus in principio illo communi, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* ; nec in principiis illis artis syllogisticæ *dici de omni*, & *dici de nullo* ; ad quæ non attendunt ; ideo non sequitur, quod fides in suo discursu debeat credere super omnia illa principia, quibus non vtitur, sed solùm iudicat de hac connexione, & illatione in particulari. Sicut, licèt Deus reuelasset bonitatem huius illationis, non ideo reuelasset, nec nos debetemus firmissimè credere veras esse regulas illas Logicas, ex quibus posset probari bonitas huius illationis. Sic ergo & nos possumus illam iudicare & testificari, nihil dicendo de veritate illarum regularum. Quando autem requirimus cognitionem bonitatis illationis, non loquimur de illatione formali, qua vnus assensus infertur ex aliis ; hæc enim esset cognitio reflexa super ipsos actus intellectus, quæ non est necessaria ad discursum ; sed loquimur semper de illatione obiectiua, hoc est, de connexione necessaria, quæ est inter veritatem obiectiuam principiorum, & veritatem obiecti conclusionis, seu inter reuelationem Dei summè veracis, & veritatem obiecti reuelati ; quæ connexio dicitur bonitas illationis obiectiuæ, quæ sola cognosci debet in discursu formali.

tertio, &c. nec in principiis illis, dici de omni, & dici de nullo.

Obiicit primò P. Coninch. *dicta disp. 9. dub. 7. num. 7.* quia ex nostra sententia sequeretur, multos rudes nõ posse certum fidei assensum elicere ; quia ipsi non vident bonitatem, aut certitudinem consequentiæ, nec possunt vllo modo scire, qui syllogismi sint boni, qui non ; sed ferè circa omnem consequentiam dubitant, an bona sit. Respondetur, si ita rudes sint, vt hanc illationem, seu connexionem non agnoscant, neque etiam sine discursu formali credere poterunt ; ad omnem enim fidem, necesse est, quod credant rem reuelatam, quia Deus est verax, & hanc rem reuelat. Non possunt autem moueri ad credendam incarnationem ex tali motiuo, si non intelligant maiorem connexionem habere cum incarnatione reuelationem Dei veracis, quàm somnum Turcæ. Nemo itaque, qui rationis sit compos, & terminos intelligit, est adeo rudis, vt non videat connexionem inter principia illa, & illam conclusionem. Alioquin non solum credere, sed nec commercium cum hominibus habere, aut sibimet in rebus suis consulere poterit. Ad hæc enim omnia necesse est discurrere ; nec homines quidquam agere possunt, nisi discurrant etiam ad minimas operationes, nec discurrere possũt per se, nisi cognita bonitate illationis. Quare nec poterit triticum seminare, aut metere ad sibi, suæque familiæ prouidendum : quia semper dubitabit, an bene inferatur necessitas seminandi & metendi ex necessitate tritici ad comedendum panem, & sic in rebus aliis humanis. 39 *Obiectio 1.*

Obiicit secundò idem Auctor *num. 98. in fine* quia ille, qui in dicto syllogismo crederet certò vtramque præmissam, atque etiam consequens, seu mysterium reuelatum, negaret tamen consequentiam esse certam non esset hæreticus ; ergo non pertinet ad fidem iudicium de bonitate illius consequentiæ, vel illationis. Respondeo supponi falsum, si eo casu contendas, quod homo ille credat mysterium reuelatum fide certa : non potest enim credi fide certa, nisi credatur certò propter auctoritatem Dei, nec potest credi certò propter auctoritatem Dei, nisi credatur certò connexio auctoritatis diuinæ cum veritate mysterij : nam sicut non potest fide certa credi mysterium reuelatum, nisi credatur certò veracitas, & reuelatio Dei, quæ moueat ad credendum mysterium ; ita non potest etiam mysterium credi certò, & firmissimè propter auctoritatem Dei, si non creditur certò, & firmissimè connexio au- 40 *Obiectio 2.*

ctoritatis diuinæ cum veritate mysterij reuelatij quia, vt vidimus, non possumus firmius assentiri conclusioni, quam motiuo: cùm ergo connexio auctoritatis diuinæ cum mysterio moueat etiam partialiter ad credẽdum mysterio, repugnat vacillare aliquem circa veritatem illius connexionis, & adhuc firmiter retinere veritatem mysterij propter connexionem cum auctoritate diuina. An verò iudicandus esset hæreticus, qui negaret consequentiam illam, vel diceret illationem non esse certam; respondeo, per se loquendo nisi ignorantia excusetur, esse hæreticum: quia dicere illationem illam esse incertam, esset dicere quod possit sequi falsum ex illis principiis, scilicet ex Dei veracitate infinita, & reuelatione actuali: quare implicitè diceret, non esse certum, quod licèt Deus sit summè verax, & aliquid reuelet, adhuc res reuelata debeat esse vera, sed fortasse posse esse falsam. Hæc autem assertio explicita; *contingere potest, quod res à Deo summè veraci reuelata sit falsa, vel certè de hoc dubitari potest*: per se loquendo, hæretica est, vt constat ex *disp. 4. sect. 2.* vbi vidimus, de impotentia Dei ad mentiendum, vel testificandum aliquid falsum.

DISPVTATIO VIII.

De vnitate fidei, vbi de eius definitione.

SECT. I. *Aliquæ differentiæ inter actus fidei enumerantur.*

II. *Quomodo differant* Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum, *vbi etiam de fide miraculorum.*

III. *Proponuntur & examinantur definitiones fidei.*

COmplectemur hîc aliquas faciliores quæstiones de actu fidei, quas tamen, quia communes ferè sunt ad eius habitum, non oportebit postea repetere, quando de habitu agendum erit. Dicemus in primis de vnitate, quam fidei actus habent, & de diuersitate, quæ inter ipsos inueniri potest.

SECTIO I.

Aliquæ differentiæ inter actus fidei enumerantur.

1 SI fermo sit de fide in tota sua latitudine, sub ea comprehenduntur fides supernaturalis, & naturalis, hoc est, infusa, & acquisita, quæ duæ specie, & genere differunt, vt constat. Deinde loquendo de fide solum infusa, & supernaturali in sua etiam latitudine, comprehendit actus intellectuales, quibus assentimur, & actus etiam voluntatis, seu piæ affectionis, à quibus completur fides in ratione virtutis honestæ, & meritoriæ: comprehendit etiam habitum intellectualem, & habitum voluntatis, qui vterque habitus, & vtrique actus conflant vnam virtutem integram fidei constantem ex constitutiuis partialibus specie diuersis.

2 Suppono etiam in intellectu præter habitum infusum dari etiam, & requiri species intellectuales ad eliciendos actus fidei: de quibus speciebus est quæstio, an debeant esse etiam supernaturales, an verò sufficiant species naturales: de quo dicemus infrà, quando agemus de supernaturalitate fidei, vbi etiam videbimus de apprehensionibus ipsis præcedentibus assensum, an sint naturales, vel supernaturales. Suppono denique, præter habitum, & species non requiri aliam qualitatem supernaturalem, quam aliqui appellant lumen, & dicunt esse aliquid superadditum, quos tacito nomine refert Coninch. *disp. 16. dub. 1. n. 10.* & impugnat *n. 14.* quia, licèt Deus dicatur credentibus infundere lumen 2. ad Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ*, & 1. Petr. 2. *Qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen suum*: id tamen non intelligitur de lumine euidentiæ, quo res ipsæ credendæ clarè cognoscantur, sed de claritate circa credibilitatem mysteriorum, & de apprehensionibus præcedentibus assensum fidei, & aptè proponentibus obiecta, licèt non euidenter, & denique de habitu fidei, & aliis auxiliis præcedentibus, quæ omnia appellantur lumen quatenus faciunt, vt cognoscamus, quæ antea latebant.

3 His suppositis, dubitari potest in primis de actibus fidei intellectualibus, an omnes sint eiusdem speciei infimæ. Affirmant aliqui, quos sequitur Suarez *disp. 6. sect. 3. num. 11.* vbi concludit, omnes fidei assensus esse eiusdem speciei infimæ: quia omnium ratio formalis obiectiua est vna & eadem, quod etiam docet Coninch. *disp. 16. n. 18.* Contrarium tamen supponit, vt certum Hurtado *disp. 56. sect. 1. §. 4.* dicens, vix ab vllo negari. Nos etiam *supra disp. 1. sect. 11.* diximus, posse differre specie physica pro varietate specifica reuelationum, quas credimus; in particulari ergo videndum est, ex quibus capitibus differre possint specie.

4 Et primò quæri potest, an actus fidei speculatiui differant specie ab actibus practicis. Suppono enim, fidem vtrosque actus elicere: nam assensus circa Trinitatem est omninò speculatiuus cum nihil dictet de faciendo suo obiecto; & è contra actus, quo credimus actum pœnitentiæ esse faciendum ad obtinendam veniam peccati commissi, est practicus; vt probat Coninch. *vbi sup. n. 17.* qui addit vtrumque esse eiusdem speciei propter vnitatem motiui formalis: Et quidem ego facile concedam, ex eo præcisè capite non variari speciem illorum actuum: aliunde tamen vix continget, quod ij actus non differant specie, propter variationem specificam motiui formalis partialis, vt statim dicam.

5 Secundò ergo considerari potest diuersitas specifica in actibus fidei ex parte motiui formalissimi licet veracitas Dei sit semper eadem: reuelatio tamen Dei non videtur semper esse eadem etiam in specie, vt probaui latius *disp. 1. sect. 11.* quam sententiam à me olim traditam amplexus est P. Hurtadus *vbi suprà sect. 3. §. 29. & sequentibus*, vbi latè probat, reuelationes ipsas Dei, quæ sunt etiam motiuum formale fidei partiale, differre specie, qui benè etiam impugnat responsiones, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, licèt fingamus, Deum vnica reuelatione reuelasse

se duo, vel plura obiecta specie diuersa, atque adeo in assensu singulorum motiuum formale videri posset esse idem specie,& numero: adhuc posse inueniri distinctiuum sufficiens vtriusque actus ad inuicem. Ostendimus enim *disp. præcedenti* non solum concurrere ex parte motiui formalis veracitatem,& reuelationem Dei,sed etiam connexionem obiectiuam, quæ apparet inter veritatem principiorum, & veritatem obiecti conclusionis; quæ connexio appellatur bonitas illationis obiectiuæ, & est motiuum formale saltem *vt quo*. Hæc autem connexio videtur esse specie diuersa, quoties vnum ex extremis, inter quæ versatur, specie diuersum est ab extremis alterius connexionis, sicut quælibet vnio physica differt specie quoties extrema, vel aliquod illorum differt specie ab extremis alterius vnionis. Cùm ergo connexio illa non sit obiectum materiale, sed formale, quia non creditur propter aliud, sed apparet in se: consequens est, vt quoties mysteria credita differunt specie,actus etiam distincti,quibus creduntur, specie differant: quia vel respiciunt formaliter reuelationes specie diuersas, vel saltem illationem obiectiuam, seu connexionem veritatis mysterij cum veracitate, & reuelatione Dei quæ connexio non sit eiusdem speciei, cùm variari debeat in specie pro varietate specifica ipsius mysterij, quod est vnum extremum illius connexionis.

6 *Quando assensus distinctus terminatur ad veracitatem Dei, & distinctus ad reuelationem, ij duo differunt specie inter se,*

Vnde tertiò certum videtur, quod in discursu formali fidei, quando assensus distinctus terminatur ad veracitatem Dei, & distinctus ad reuelationem, ij duo differant specie inter se, cùm obiectum formale vnius sit omnino diuersum ab obiecto formali alterius, nec assensus reuelationis sit propter veracitatem, nec assensus veracitatis sit propter reuelationem, provt aliqui supponũt, quod iam sæpe impugnauimus: quare suppositis iis, quæ in superioribus dicta sunt, non potest dubitari de differentia specifica inter illos duos actus, qui cùm ambo eliciantur ab habitu fidei; iam ex hoc saltem capite habitus fidei habebit actus specie diuersos.

7 *An actus fidei affirmantes differant specie à negantibus,*

Quartò dubitari potest, an actus fidei affirmantes differant specie à negantibus, v.g. actus, quo credimus Adamum non obediisse præcepto Dei. Et quidem, quando obiecta sunt specie diuersa, atque ideo reuelationes etiam vel motiua formalia; iam ex eo capite actus specie differunt iuxta proximè dicta. Difficultas esse potest, an ex illo etiam capite, quòd alter sit assensus, alter dissensus, arguatur differentia specifica physica, v. g. actus, quo credimus Christum resurrexisse tertia die, & actus, quo negamus eius corpus mansisse post tertium diem in sepulchro; quorum duorum actuum obiectum materiale, & formale videtur re ipsa esse idem. Quod dubium videtur esse Philosophicum; nam qui satis probabiliter dicunt,assensum,& dissensum differre specie physica propter diuersum valdè tendendi modum, quem habent,cùm assensus tendat per modum prosequutionis,& dissensus per modum fugæ, seu recessus intentionalis, consequenter dicturi videntur, hanc etiam esse differentiam specificam in actibus fidei. Nec reputabunt inconueniens, quod ab eodem habitu procedant actus adeo diuersi; cùm ab eodem etiam habitu charitatis procedant amor, & odium,; amor Dei, & odium, seu fuga peccati, qui etiam duo actus videntur specie diuersi. Imò ab eodem etiam habitu acquisito amicitiæ erga Petrum procedit gaudium de eius bono, & tristitia de eius malo, qui affectus videntur etiam specie diuersi.

8 Cæterùm quamuis id consequenter diceretur, si fides posset habere actus dissensuum,& qui non sint affirmatiui; videri tamen posset suppositionem esse falsam, nec à fide elici merum dissensum, sed omnes eius actus esse iudicia affirmatiua,atque adeo ex hoc capite non esse differentiam specificam inter actus fidei. Ratio esse potest, quia actus, quos elicit fides, vel sunt circa principia, nempe circa veracitatem, & reuelationem Dei, vel circa conclusiones, seu res reuelatas. Et quidem circa principia non elicit dissensus, sed assensus, *Deus est summè verax:* seu *Quidquid Deus dicit, est verum, & Deus reuelauit incarnationem, vel Trinitatem*, &c. Vnde nec circa conclusiones, seu mysteria reuelata videtur posse fides elicere, nisi assensus, seu actus affirmantes: quia ex duabus præmissis affirmatiuis non potest inferri conclusio negatiua, sed solum affirmatiua, vt constat ex regulis Summulisticis. Cum ergo vtraque præmissa fidei sit affirmatiua, conclusio debet semper esse etiam affirmatiua. Quod confirmari potest, quia per omnem conclusionem fidei credimus Deo seu credimus id, quod Deus dicit propter eius auctoritatem, & testimonium: *credere* autem significare videtur assensum,& prosequutionem, non fugam, & recessum, qualis est dissensus: ergo omnis actus fidei debet esse assensus, & non dissensus. Quæ omnia æquè procedunt, licèt fides non discurrat formaliter,sed solùm virtualiter: quia in discursu etiam virtuali conclusio virtualis innititur medio, & præmissis virtualibus, quæ præmissæ mouere non poterunt ad dissensum, si vtraque sit affirmatiua circa obiecta præmissarum.

9 Re tamen vera non inuenio sufficiens fundamentum ad negandum in vniuersum, quod fides possit elicere dissensus, & actus non affirmantes, sed negantes, licèt regulariter loquendo fortasse ille alius sit communis modus operandi in obiectis fidei. Quod dupliciter declarari potest. Primò quia possumus formare discursum fidei alio modo,nimirum: *nihil quod Deus negat, est verum: sed Deus negat inferorum pœnas finiendas: ergo non est verum illas esse finiendas.* In quo discursu, vel syllogismo maior propositio non est affirmatiua, sed negatiua, atque adeo ex illa, & minori affirmatiua potest inferri legitimè conclusio negatiua: sicut in hoc syllogismo; *nullus homo est lapis. Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis.* Videtur autem discursus ille ad fidem pertinere: quia motiuum formale dissentiendi in conclusione est veracitas summa Dei in negando falsa, seu non negando vera, quod non minus pertinet ad veracitatem, quàm affirmare vera, & non falsa, item alterum motiuum partiale est testificatio Dei: non minus enim loquitur, & testatur, qui negat aliquid fuisse, quam qui affirmat aliquid aliud fuisse: concurrit ergo totum fidei motiuum ad illum dissensum; quare tunc dissentimus fini pœnæ inferorum, eumque negamus præcisè propter veracitatem, & reuelationem Dei: quid ergo deest, vt dissensus ille sit actus fidei formaliter,& propriè?

10 Secundò possumus hoc ipsum declarare formando syllogismum,seu discursum hoc alio modo: *quidquid Deus dicit, non est falsum; sed Deus dicit, Verbum esse incarnatum, ergo non est falsum,*

falsum, Verbum esse incarnatum; qui esto non sit discursus, & actus fidei directus, & formalis; est tamen indirectus, & æquiualens: nam idem re ipsa credit, qui credit, verum esse, Verbum esse incarnatum, ac qui credit, non esse falsum, Verbum esse incarnatum: sicut idem dicit, qui dicit, non esse tenebras, ac qui dicit esse lucem. Quare sicut possumus, & debemus credere super omnia propter diuinam auctoritatem, verum esse, Verbum esse incarnatum, quia Deus verax hoc dicit; ita possumus, & debemus credere eadem firmitate, non esse falsum, Verbum esse incarnatum: quia Deus verax id dicit. Ecce in vtroque casu dantur dissensus, tam in præmissa maiore, quàm in conclusione, & pertinent ad fidem, & eliciuntur à fide. Nec obstat, omnes actus fidei debere esse actus credendi, credere autem videtur significare assensum: quia in rigore non minùs credimus alicui, quando negamus quod ipse negat, quam quando affirmamus, quod ipse affirmat: credere enim est in iudicando sequi iudicium alterius: & in vtroque casu sequimur æquè iudicium Dei, vel affirmatiuum, vel negatiuum. Sicut non minus conformat se amicus voluntati amici respuendo, quæ amicus respuit: quàm prosequendo, quæ amicus prosequitur; & vterque est æquè actus charitatis erga Deum.

11 *An fides particularis differat specie à fide vniuersali.*

Quintò dubitatur, an fides particularis differat specie à fide vniuersali: hoc est, an fides, qua quis credit, quod sibi priuata reuelatione reuelatum est, differat specie à fide, qua credit articulos toti Ecclesiæ communes. De hoc diximus *disp.* 1. *sect.* 11. eundem habitum extendi ad vtraque reuelationem amplectendum: si tamen priuata reuelatio proponatur cum talibus motiuis credibilitatis, quæ obligent ad credendum. Rursus si illi duo assensus ex parte motiui formalis saltem partialis differant specie iuxta regulas traditas, non erit difficultas. Dubium solum esse potest, an ex hoc præcisè capite, quod sit reuelatio priuata, vel communis refundatur differentia specifica in ipsos assensus. Ad quod respondendum breuiter est negatiuè cum Suarez *disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 6. Quod enim Petrus mihi soli aliquid dicat, vel mihi, & aliis simul, non variat formaliter motiuum credendi in ratione motiui, sed valdè per accidens se habet, vt ego credam: non est ergo ex eo solum capite ponenda differentia specifica inter assensus.

12 *Fides explicita, & implicita an specie differant? Explicita quid sit? Implicita quid.*

Sextò dubitatur de fide explicita, & implicita, an differant specie. Explicita est, qua credimus aliquod mysterium explicitè, vt Trinitatem, vel Incarnationem: implicita verò dicitur, qua rusticus credit omnia in confuso, quæ Ecclesia credit, per quam de nullo mysterio in particulari potest rationem reddere. Suarez vbi *sup.* 4 *num.* 8. negat differre specie illos duos assensus. Ego tamen puto distingui: quia licèt in illo obiecto confusè credito contineatur etiam hoc aliud, quod ab alio creditur explicitè: ille tamen modus attingendi explicitè, vel confusè sufficit ad differentiam specificam, vt constat in duabus cognitionibus, quarum prima terminetur explicitè ad rationem communem animalis; altera verò ad rationem hominis; quas duas cognitiones nemo negat differre specie inter se: nam licèt ratio hominis contineatur etiam in illo conceptu confuso animalis: non tamen continetur, ita, vt possit intellectus reddere rationem de illa differentia rationalitatis: alioquin cognitio entis in communi esset eiusdem speciei cum qualibet cognitione cuiuslibet entis in particulari. Sic autem se habet fides illa implicita non solum quoad obiectum materiale, sed etiam quoad obiecta formalia fidei, nempe quoad reuelationes. Qui enim credit in confuso, quidquid Ecclesia credit, habet pro motiuo saltem partiali omnes reuelationes, quibus Deus aliquid Ecclesiæ reuelauit, quæ reuelationes distinguuntur specie pro varietate obiecti reuelati, vt vidimus; & sicut de nullo obiecto reuelato in particulari potest reddere rationem; ita etiam nec de vlla reuelatione secundùm propriam eius speciem: differt ergo assensus ille essentialiter etiam ex parte motiui ab assensu explicito circa Trinitatem, cùm hic habeat pro motiuo talem reuelationem in particulari de tali obiecto.

13 *Explicita an fides implicita?*

Septimò, dubitari potest de ipso habitu fidei, an sit vnus indiuisibilis, vel confletur ex pluribus partialibus: de quo vltra alios videri potest latè Coninch *dicta disp.* 16. *dub.* 2. & Hurtado *dicta disp.* 56. qui *sect.* 4. §. 46. fatetur, licèt ex scriptura, aut Conciliis, vel Patribus probari non possit efficaciter, quod habitus fidei sit vnus; sufficere tamen cõsensum omnium scholasticorum, vt id non possit sine temeritate negari; & quidem verba illa Pauli ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*; quæ ab aliquibus afferri solent ad eam habitus vnitatem probandam, parum efficacia sunt: quia ibi Apostolus loquitur de fide obiectiua, hoc est de doctrina credita, quam dicit esse eandem apud omnes fideles, itaut non alius hoc, alius aliud credat, sed idem omnes, vt explicuit Hieron. in eum locum Pauli. Notat autem benè idem Hurtado *sect.* 1. §. 4. licèt Apostolus egisset de fide non obiectiua, sed formali, actuali, vel habituali, ex hoc tamen non probari vnum habitum simplicem in singulis fidelibus nam sicut dicitur verè vnam esse faciem vtriusque fratris gemelli, quos propter summam similitudinem discernere non possumus, licèt facies in singulis non sit aliquid simplex, sed composita ex multis partibus: sic posset dici vna fides & obiectiua, & formalis omnium fidelium, propter similitudinem omnium in fide obiectiua, & formali, licèt vtraque fides in singulis non esset aliquid simplex, sed conflatum ex multis obiectis creditis, & ex multis habitibus ad credendum; sicut de facto constat fides actualis in singulis fidelibus ex multis actibus fidei, quibus diuersos articulos credunt.

14

Aduerte tamen, quando fides dicitur vna in omnibus fidelibus, siue intelligatur de obiectiua, siue de formali, propter similitudinem magnam; hanc tamen similitudinem posse recipere magis & minus, itaut magis similis inueniatur inter hos, quàm inter illos. Quia licèt omnes eadem credant; non tamen omnes eodem modo & æquè explicitè: quare magis vna est fides inter eos, qui æquè possunt reddere rationem explicitam de eisdem. In quo sensu intelligenda sunt verba Hieronymi *tom.* 6. *in epist. ad Titum cap.* 1. super illa Pauli verba, *iuxta communem fidem.* Vbi Hieronymus sic ait: *quod quidem melius mihi videtur Apostoli Pauli, & Titi fidem fuisse communem, quam omnium credentium: in quibus pro varietate mentium fides communis esse non poterat.* Quia nimirum Titus à Paulo eruditus habebat explicitam fidem de iis, de quibus & Paulus, de quibus fideles alij non omnes poterant explicitam

citam fidem habere, & ideo magis vna, & similis videtur Hieronymo fuisse fides in Paulo & Tito.

15 Loquendo ergo de possibili non repugnasset, fidem habitualem conflari ex multis habitibus infusis partialibus: sicut nec è contra repugnaret dari vnum habitum infusum simplicem in voluntate ad omnes actus supernaturales voluntatis, & vnum in intellectu ad omnes actus supernaturales intellectus, imò & vnum fortasse solum in anima, qui idem deseruiret ad omnes actus supernaturales intellectus, & voluntatis, sicut ad omnes naturales deseruit eadem anima. Cùm enim hi habitus infusi dentur ad complendam, & eleuandam animam in ordine ad actus supernaturales; potuit hæc eleuatio à Deo fieri per plura, vel pauciora principia supernaturalia.

16 De facto autem, cur non ponamus vnicum habitum infusum ad omnes actus, neque etiam vnum ad omnes actus voluntatis, & cur ponamus tot, & non pauciores, nec plures dixi *disp.* 1. *sect.* 11. vbi aduertimus nos non posse assignare rationem aliquam à priori, aut regulam desumptam ab exigentia ordinis supernaturalis: posse tamen nos manuduci à verbis Apostoli 1. ad Corinth. 13 quibus dixit. *Nunc manent fides, spes, & charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas*; ex quibus colligimus, de facto hos tres habitus ad minus esse distinctos inter se: Nam licèt potuisset Deus infundere vnum solum habitum ad omnes hos actus: de facto tamen voluit esse distinctos propter separabilitatem, vt scilicet possent remanere in peccatore fides, & spes sine charitate, & aliquando etiam fides sine spe. Ex hoc autem rursus colligimus, alios habitus infusos, inter quorum obiecta inueniatur talis, & tanta distinctio, qualis & quanta inuenitur inter obiecta horum trium, esse etiam inter se distinctos, vt seruetur eadem proportio inter omnes habitus. Supposito enim, quod Deus voluit dare plures habitus distinctos, debuit eligere eum ordinem supernaturalem, qui exigeret habitus distinctos iuxta talem, & tantam distinctionem obiectorum, atque adeo inter omnes alios habitus debet seruari eadem proportio. Vbicumque ergo inuenitur tâta distinctio inter actus quanta inter actus harum trium virtutum, ponimus etiam habitus infusos distinctos: nec enim sufficit, actus hos, & illos pertinere ad voluntatem, vt dicamus pertinere ad eundem habitum: nam actus etiam charitatis & spei vtrique pertinent ad voluntatem, & tamen ad illos dantur habitus diuersi. Aliunde verò non subdiuidimus singulas virtutes in plures, & plures habitus infusos: tum quia habitus infusi non acquiruntur per suos actus, sed dantur omnes simul ab initio cum ipsa gratia: oporteret autem infundi simul penè innumeros, si multiplicarentur, sicut possunt multiplicari habitus acquisiti per varias diuisiones, & subdiuisiones obiectorum, & motiuorum: quare debuerunt actus omnes reduci ad certas classes, & ad certa capita principalia, vt totidem habitus infusi darentur: tum etiam, quia verba Pauli solum probant distinctionem inter illos tres habitus, & consequenter distinctionem inter alios, inter quorum actus æqualis diuersitas inueniatur: non verò inter alios. Cùm ergo aliunde non sint multiplicanda entia sine necessitate, non habemus fundamentum ad ponendam maiorem habituum infusorum multitudinem, quàm quæ necessaria fuerit ad seruandam vniformitatem inter illos, vt omnes alij distinguantur inter se, posita æquali diuersitate inter eorum actus, qualis est inter actus horum trium, quos Paulus numerauit, vt distinctos, quæ omnia diximus etiam dicta sectione 11. & olim in manuscriptis huius materiæ; & postea amplexus est, & exornauit Hurtado *loco citato*.

SECTIO II.

Quomodo differant, credere Deo, credere Deum, *&* credere in Deum, *vbi etiam de fide miraculorum.*

17 *His vocibus non semper significatur diuersi actus, sed diuersæ connotationes quas idem actus habere potest.*

HÆc est alia diuisio fidei, de qua S. Thom, *quæst.* 2. *artic.* 2. vbi aduertit, his vocibus non semper significari diuersos actus, sed diuersas connotationes, quas idem actus habere potest: nam *credere Deo*, significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum formale, propter quod credimus, *credere Deum* significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum materiale creditum, vbi obiter notandum est, litteram S. Thomæ esse mendosam transmutatis particulis *Deo*, & *Deum*, vna pro alia, & è conuerso quæ transmutatio reddit litteram difficilem, & contrariam menti Sancti Thomæ, sed est manifestus error Scriptorum, vt ex originali Tarraconensi obseruauit Magister Franciscus Garzia in emendatione erratorum in libris S. Thomæ. Denique *credere in Deum* significat habitudinem ad Deum tanquam ad vltimum finem, quam differentiam sumpsit ex Augustino *serm.* 181. *de tempore*, & *in tract.* 29. *in Ioannem* & *serm.* 61. *de verbis Domini*.

18 *An credere in Deum dicantur soli iusti.*

Duplex dubium occurrit circa hanc diuisionem: vtrumque tamen est merè de nomine. Primum an *credere in Deum* dicantur soli iusti, qui Deum diligunt, an etiam peccatores, qui vtcumque piè erga Deum afficiuntur vt credant. Augustinus *vbi supra* videtur negare peccatores credere in Deum. *Quid est*, inquit, *credere in eum? credendo amare, credendo in eum ire*, &c. iuxta quem sensum videtur etiam loqui S. Thomas, & in eodem sensu dixit Durand. *in* 3. *d.* 23. *quæstione* 7. *num.* 6 per *credere in Deum* significari duos actus, scilicet actum fidei, & actum charitatis.

19 Cæterũ, licet hic modus loquendi propter auctoritatem Augustini, admittendus sit, oppositus tamen non videtur alienus à communi sensu fidelium: qui omnes etiam, dum peccatores sunt fideliter profitentur, se credere in Deum; & hoc quidem non solum dicunt in persona Ecclesiæ, vt insinuat S. Thomas *quæst. præcedenti art.* 9. *ad* 3. sed etiam in propria persona, in quo etiam sensu idem Augustinus *lib. de fide, & operib. cap.* 14. *& vltimo*, & Bernard. *serm.* 24. *in Cantica* peccatori tribuunt fidem in Deum: qui modus loquenti sumitur ex scriptura Ioan. 12. vbi dicitur multos ex principibus credidisse in Christũ, qui tamen propter metum culpabilem non ausi sunt eum exteriùs confiteri & Chrysost. hom. 52. in Matth. *nihil prodest*, inquit, *si credas in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris*, vbi supponit peccatores etiam credere in Deum.

Alterum

20 *An solùm in Deum credere dicamur, an etiam in Ecclesiam, vel Sanctos.*

Alterum dubium est, an solum in Deum credere dicamur, an etiam in Ecclesiam, vel Sanctos? quæ etiam est quæstio de nomine; nam si credere in aliquem significat relationem aliquam in illum tanquam in vltimum finem: certum est, non posse credi nisi in solum Deum. Et in hoc sensu *in Concilio Calcedon. actione 16.* Probatur, Spiritum sanctum esse Deum, quia in symbolo dicitur *Credo in Spiritum sanctum*, quod de nulla creatura diceretur, & in eodem sensu S. Thomas *quæst. præcedenti, art. 9. ad 5.* docet, non esse legendum in symbolo *Credo in sanctam Ecclesiam*, sed *credo sanctam Ecclesiam*. Quo etiam modo legunt Emissen. *serm. 1. & 2. de symbol.* Ruffinus, Chrysol. & alij scribentes de symbolo. Cæterùm non possumus negare, quin aliquando *credere in aliquem* non vsurpetur cum tanto rigore dignitatis, sed significando solùm habitudinem ad obiectum creditum, vel ad personam cui creditur, sic habetur in epist. ad Philem. *Gratias ago Deo meo audiens fidem, quam habes in Iesum Christum, & in Sanctos eius.* Exod. 14. *Credidit populus Deo, & Moysi*: in Hebræo habetur *in Deum, & in Moysem*; quod notauit Hieron. in epist. ad Philem. *Vna atque eadem*, inquit, *credulitas in Deum fertur, & in Moysem, vt populus, qui credebat in Deum, aquè crederet in seruum eius.* Idem Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos*, Epiph. *in Anchorato*, & Cyrillus Hierosolymitanus *Cateches.* 18. eodem modo loquuntur, & habetur etiam ex Augustino *cap. 1. de consecrat. dist. 4.* Sed vt dixi, hæc est merè quæstio de nomine, & locus ille Augustini in Decreto Gregoriano correctus est, & Marianus Victor correxit etiam locum Hieronymi in dialogo contra Luciferianos ex vetustis Codicibus.

21 *An Infideles possint cognoscere verum Deum.*

Tertia difficultas magis de re videtur esse, quam tangit S. Doctor *in præsenti art. 2. ad 3.* infideles non credere Deum, quia in simplicibus, vel totum cognoscitur, vel totum ignoratur: Quare cùm infideles non cognoscant Deum sub iis conditionibus, quas fides adstruit, non credunt verum Deum, sed falsum; circa quam doctrinam potest esse tertia quæstio, vtrùm infidelis possit cognoscere verum Deum? in quo sanè nulla videretur esse ratio dubitandi præter auctoritatem sancti Thomæ, præsertim cùm Paulus *Ad Rom. 1.* expressè dicat, Philosophos gentiles verè cognouisse Deum; & certum sit, naturali ratione posse Dei vnius & veri existentiam inuestigari, & demonstrari.

Deinde ratio sancti Thomæ ad summum probat, eum qui errat circa aliquod prædicatum quidditatiuum Dei non cognoscere verum Deū: non autem probat de infideli, qui erraret solùm circa aliqua opera extrinseca Dei, vt si negaret Incarnationem, vel efficaciam Sacramentorum: cur iste non posset adhuc cognoscere verum Deum? Nec satisfacies, si dicas S. Thomam solùm agere de prioribus infidelibus errantibus circa essentialia Dei, & non de posterioribus; nam si S. Thomas de illis solùm loqueretur planè non responderet sufficienter ad tertium argumentum propositum, quod erat huiusmodi: *id quod conuenit infidelibus, non potest poni inter fidei actus; sed credere Deum esse, conuenit etiam infidelibus, ergo non debet poni inter fidei actus.* Quod argumentum procedit vniuersaliter de omnibus infidelibus, vt constat, ergo dum respondet S. Doctor, debet negare vniuersaliter de omnibus, quod cognoscant Deum: alioquin argumentum non soluet adæquatè, sed solùm ex parte.

Tertiò, si ratio S. Thomæ aliquid probat, probaret etiam multos ex fidelibus non cognoscere verum Deum. Quis enim est Theologus, qui non habeat aliquam falsam opinionem de Deo. Hic ponit in Deo subsistentiam absolutam, ille negat: alius ponit intrinsecum ordinem ad creaturas in particulari, alius negat talem ordinem, & sic de aliis, ergo quælibet opinio falsa impediret veri Dei cognitionem, quia in simplicibus, vel totum scitur, vel totum ignoratur: consequens autem est valdè absurdum: alioquin non haberemus veros fidei actus circa alios articulos, & per consequens nec actus charitatis, non enim diligeremus verum Deum, sed fictum, fateri ergo debemus etiam infidelem, qui errat in vno Dei attributo, posse cognoscere verum Deum.

Quartò, quia infidelis, priusquam conuertatur ad fidem, & credat, habet iudicium euidens credibilitatis dictans oportere credere Deo hæc mysteria, vt *suprà* vidimus; & adhuc stante illo iudicio, potest non credere, & manere infidelis; ergo in statu infidelitatis cognoscit verum Deum cui iudicat debere credi.

Vltimò, quia si infidelis, neque ex parte subiecti, neque ex parte prædicati concipit verum Deum, ergo hæ propositiones in infideli non sunt falsæ: *Deus non existit. Deus non est trinus. Deus non est homo.* Probatur Consequentia, quia per te ly *Deus* positus ex parte subiecti non est conceptus veri Dei, sed alterius Dei ficti: sed de Deo ficto verè negatur existentia, Trinitas, Incarnatio, &c. Ergo illæ omnes propositiones erunt veræ, quibus ea negantur ab infideli.

Nec obstat ratio adducta à S. Thoma, quod in simplicibus vel totum cognoscitur, vel totum ignoratur. Respondeo enim in huiusmodi propositionibus, quibus siue ex errore circa fidem, siue ex falsa opinione, prædicamus de Deo aliquod falsum attributum, vt si dicas *Deus est causa necessaria*; *Deus est subsistens absolutum*, aliud esse quod concipitur ex parte subiecti, & aliud quod concipitur ex parte prædicati; nam ex parte subiecti concipitur verus Deus; imò ideo est falsa prædicatio, quia de vero Deo enunciatur prædicatum, quod illi à parte rei non competit. Itaque ex parte subiecti ponitur conceptus confusus illius entitatis, quæ est Deus, non explicando per illum conceptum, an habeat, vel non habeat attributum, quod ponitur ex parte prædicati, sed solùm concipiendo totam illam entitatem explicitè in ordine ad alia attributa, quæ re ipsa conueniunt Deo, vt esse summum bonum, primam causam, &c. Postea verò ex parte prædicati concipimus quoddam aggregatum ex illis perfectionibus, quas explicuimus ex parte obiecti, & illo attributo falso, quod Deo tribuimus, & tunc non concipimus Deum, sed quoddam ens rationis, & chymericum, quale non datur à parte rei. Ex quo fit, Catholicos etiam, qui habent falsam opinionem de aliquo Dei attributo, posse cognoscere Deum, & diligere verum Deum, quia non terminatur actus dilectionis ad Deum cognitum per conceptum illum explicitum falsi attributi, sed ad Deum cognitum per conceptum confusum, qui est verus Deus, licèt confusè cognitus. Sicut etiam Sacerdos Theologus, qui ex priuata opinione existimat Corpus Christi non

produci

produci per verba consecrationis, verè tamen consecrat, etiamsi illa opinio falsa esset; quia voluntas consecrandi non terminatur ad consecrationem cognitam per illam opinionem, sed ad consecrationem cognitam per conceptum confusum, qui terminatur ad veram consecrationem, non curando, an sit iuxta hanc, vel illam opinionem: & hæreticus etiam, qui ex errore censet per baptismum non mundari animam interna iustitia, sed solùm imperatiuè, adhuc verè baptizat, & confert puero veram, & intrinsecam iustitiam, quia voluntas baptizandi terminatur non ad illum baptismum fictum, quem ipse opinatur, sed ad verum, quem per alium actum confusum cognoscit.

24 Dices: ergo, licèt infideles falsò existiment Iouem esse verum Deum: adhuc cultus, quem exhibet, & dilectio eius quam elicit, terminabitur ad verum Deum: sicut terminatur ad verum Deum dilectio illius qui falsò existimat verum Deum esse subsistentem absolutè. Respondeo, negando consequentiam, quia ille ethnicus non tam errat ex parte prædicati, quàm ex parte subiecti: nec ordinat suum amorem, vel cultum ad Deum confusè cognitum sed ad Iouem cognitum explicitè sub ratione Iouis: vel ad Deum cognitum cum aliqua imperfectione repugnante cum diuinitate, qualis erat communicatio in deitate cum aliis diis; quare ethnici nec colebant, nec diligebant verum Deum.

25 Quid ergo dicendum ad sanctum Thomam? Aliqui dicunt, S. Thomam agere de infidelibus solis, qui errabant in ipsa apprehensione Dei etiam confusa. Sed hanc solutionem reiecimus iam vt contrariam proposito sancti Thomæ. Ego sanè valde suspicor, sanctum Thomam non negare infidelibus cognitionem veri Dei in prædicto loco, sed solum fidem Dei: non enim dixit, infidelem non cognoscere, sed non credere Deum: sic enim ait: *credere Deum non conuenit infidelibus sub ea ratione, qua ponatur actus fidei: non enim credunt Deum esse sub his conditionibus, quas fideles determinant, & ideo nec verè Deum credunt.* Hæc S. Thomas quæ facile possunt explicari in hoc sensu, quod infidelis non cognoscat Deum tali cognitione, quæ dicatur actus credendi, quia hic actus habet plures conditiones, quarum qualibet deficiente, iam non est hic actus (cuius essentia est omnino simplex) sed alius circa idem obiectũ materiale: sic possemus facile S. Thomam in nostrum sensum adducere. Scio tamen, eundem sanctum Doctorem *infra quæst.* 10. *art.* 3. docere, quod per infidelitatem amittitur vera Dei cognitio; vbi non solum actum credendi, sed etiam cognitionem Dei excludit. Video auctoritatem sancti Thomæ, sed adhuc non credam ipsum negasse omnibus infidelibus veram Dei cognitionem contra testimonium Pauli, & rationes supra adductas; sed in posteriori loco videtur solùm loqui in sensu formali, quòd scilicet infidelis, quatenus infidelis non habet veram, sed falsam cognitionem Dei: non enim dicit, quod per peccatum infidelitatis amittat omnem aliam cognitionem Dei veri aliunde habitam, sed quod per ipsam infidelitatem acquirat falsam Dei cognitionem. Comparat quippe peccatum infidelitatis cùm aliis peccatis contra virtutes morales, & dicit illud grauius esse, quia per illud magis elongat se homo à Deo, concipiendo loco Dei id, quod non est Deus. Verba S. Thomæ sunt hæc: *Respondeo dicendum, quod omne peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vt supra dictum est. Vnde tantò aliquod peccatum est grauius quantò per ipsum homo à Deo separatur. Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei; sed magis ab eo elongatur. Nec potest esse, quod quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de eo habet: quia id, quod ipse opinatur, non est Deus.* Ex quibus verbis constat, S. Thomam solùm agere de notitia Dei, quam peccatum ipsum infidelitatis aufert: quia comparat infidelitatem cum aliis peccatis contra virtutes morales: certum est autem, quod peccata alia contra iustitiam. v. g. non tollunt ab homine omnem verum actum iustitiæ: potest enim ille, qui iniustè retinet domum alienam, exercere adhuc actus iustitiæ circa alias materias soluendo stipendia famulis, & aliis creditoribus: solùm ergo aufert restitutionem debitam in illa materia particulari, in qua peccatur. Comparatio ergo fit cum illo etiam, quod peccatum infidelitatis secum affert, non de iis, quæ aliunde habet subiectum, in quo aliunde potest esse vera Dei cognitio confusa, licèt per infidelitatem non sit vera, sed falsa, & separans à Deo hominem etiam per cognitionem. Quem sensum formalem indicant ipsa verba S. Thomæ, *per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur*, scilicet per ipsummet actum infidelitatis, per quem habet falsam opinionem de Deo.

Solùm posset esse difficultas circa illam doctri- 26
ctrinam, quod non videatur esse vniuersalis, nec comprehendere omne peccatum infidelitatis: qui enim non errat circa attributa Dei, sed circa aliquam historiam à Deo reuelatam, nullam falsam cognitionem de Deo habet: non ergo probat ea ratio, quod omne peccatum infidelitatis sit grauius aliis peccatis contra virtutes morales. Ad hoc tamen responderi potest ex doctrina eiusdem S. Thomæ *infra quæst.* 20. *art.* 3. *& quæst.* 34. *art.* 2. vbi ideo dicit, infidelitatem esse contra Deum, secundùm quod in se est, quia per infidelitatem homo non credit Dei veritatem: quod in hoc sensu intelligi debet, non quod infidelis semper dicat formaliter, in actu signato Deum non esse veracem, vel Deum falli; sed quia æquiualenter, & in actu exercito id dicat, non credendo vera esse ea, quæ sufficienter ei proponuntur reuelata à Deo, vnde conuinci potest, quod Deus non habeat infallibilem veritatem, & in hoc solum sensu vult S. Thomas infidelitatem opponi veræ cognitioni Dei quatenus implicitè continet opinionem Dei carentis infallibili veritate.

Restat de fide miraculorum, an differat à fide 27
dogmatica, quæ appellari solet historica, & fide promissionum. Et quidem certum videtur, fidem promissionũ non differre à fide dogmatica, quia fides promissionum, nihil aliud est, quam credere Deum re ipsa præstiturum, quæ promisit: quare solum differt à fide historica, quod hæc credat præterita, illa vero futura, vtraque tamen propter Dei reuelationem. De prima scilicet de fide, quæ exigitur ad patranda miracula, est maior difficultas. Aliqui negant, hanc esse eamdem fidem cum ea, quæ credit mysteria reuelata. Ita Abulen. *quæst.* 165. *in Matth.* Vasquez 1. 2. *disp.* 209. *cap.* 4. *& disp.* 210. *cap.* 4. Aragonius *in præsens*

Fides miraculorum an differat à fide dogmatica.

senti quæst.1. art.1. Probatique potest, quia nostra fides solum credit, quæ sunt reuelata: non est autem à Deo reuelatum, hic, & nunc patrandum miraculum, ergo fides miraculi non est eadem, sed alia diuersa. Confirmatur, quia alioquin, qui non crederet hoc miraculum patrandum, esset infidelis, & amitteret habitum fidei; quod videtur contra communem fidelium sensum, quis enim dicat S. Petrum amisisse habitum fidei, cum cœpit pauere in aquis, aut Apostolos quando timuerunt in nauicula? vtrobique enim Christus exprobrauit defectum fidei, ergo illa fides, cuius defectum habuerunt Apostoli, non erat eadem cum fide, quæ credit mysteria, & quam Patres appellare solent *fidem dogmaticam.* Ita Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 5.* vbi ait: licèt nomen fidei sit vnum, dupliciter tamen diuidi, quia vnum genus est, quod habet dogmaticam assensionem: aliud verò quod gratis datur, per quam non solùm creduntur dogmata, verum etiam est super vires effectiua. Item Chrysostom. *hom.29. in 1. ad Corint.* supra illa verba *cap.12. aliis sermo scientiæ, alteri autem fides in eodem spiritu* sic ait: *fidem dico, non eam quæ dogmatica est, sed signorum, de qua dictum est: si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.*

28 Alij tamen dicunt hanc fidem miraculorum ad eundem habitum pertinere. Ita Sotus *lib.2. de natura & gratia, cap.6.* Bellar. *tom. vltimo controuersia 2. lib.1. de iustificatione cap.* 15. & alij, quibus fauere videtur S. Thomas *infra quæst.178. art.1. ad 5. & art.2. ad 2.* Probatur primò, quia fides, de qua loquitur Paulus ad Hebr.11. & quam dicit *esse substantiam rerum sperandarum,* &c. proculdubio est fides communis, & tamen per illam subdit patrari miracula: *per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos,* &c. Secundò fides, quæ exigitur ad miracula, est fides omnino certa, & sine formidine; ideo comparatur à Christo grano sinapis, non propter paruitatem, sed propter fortitudinem, & acrimoniam, vt notauit Hieronym. *Matth.17.* & colligitur ex Paulo 1.*Corint.13.* vbi fidem hanc appellat fidem maximam, & perfectissimam: *si habuero omnem fidem, itavt montes transferam.* Illa ergo fides certa est, vt constat ex Matth. 21. vbi de ea fide ait Christus, *si habueritis fidem, & non hæsitaueritis,* &c. Fides autem certa debet inniti reuelatione diuina, ergo habet idem motiuum, quod fides dogmatica, ergo pertinet ad eundem habitum. Tertiò, fides miraculorum est, cui opponitur incredulitas, sic *Matth.17.* dicitur Apostolos non eiecisse dæmonium ob incredulitatem: & *Deuter.* 20. ob defectum fidei ad educendam aquam Moyses & Aaron dicuntur *non credidisse:* & alibi sæpè: incredulitas autem est actus intellectus, ergo fides miraculorum est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei.

29 Propter hæc argumenta dicendum videtur, fidem miraculorum includere sanè aliquem assensum elicitum ex eodem fidei habitu, quo scilicet firmiter credatur potentia, & bonitas Dei, fidelitas item ad implendum quæ promisit. Addere tamen regulariter videtur supra hanc communem fidem assensum alium firmum de opere futuro, genitum ex priori fidei assensu, & ex penetratione circumstantiarum, quo prudenter creditur, hìc & nunc non defuturum Deum; ex quo etiam in voluntate oritur fiducia, seu confidentia firma quam sæpè exigebat Christus ad miracula. Ex quo patet ad argumenta pro prima sententia. Non enim necesse est, ex defectu huius fidei amitti habitum fidei; tum quia habitus fidei non perditur propter dubitationem, & formidinem leuem & venialem, quam tamen excludit fides requisita ad miracula; & quam fortasse Petrus, & Apostoli habuerunt in prædictis casibus; tum etiam quia manente fide, potest aliquis culpabiliter non habere iudicium illud subsequens de futuro miraculo, vel confidentiam firmam in voluntate, qui actus includuntur etiam, vel connotantur ad fidem miraculorum, quod idem cum proportione dicendum est de fide, quæ in oratione exigitur in Epistola Iacobi cap.1. *postulet in fide nihil hæsitans:* quæ etiam fides includit illos tres actus; de hoc tamen videri potest Suarez *disp.8. sect.1.* vbi benè hoc totum explicat, nec potest esse de re controuersia.

SECTIO III.

Proponuntur, & examinantur definitiones fidei.

POstquam præcipua prædicata fidei proposita sunt desumpta ex obiecto formali, obscuritate, modo tendendi, & aliis capitibus, facilè iam erit fidem definire. Primam definitionem fidei affert, & explicat S. Thomas *quæst.2. art.1. ex* Augustino de prædestinatione Sanctorum cap. 2. dicente, *credere nihil aliud esse, quam cum assensione cogitare,* quam definitionem, & eius verba conatur S. Thomas ad eum sensum reducere, vt explicent genus, & differentiam propriam fidei diuinæ. Et quidem *assensio* videtur indicare differentiam à cognitione euidenti, quatenus significat aliquam libertatem in adhæsione intellectuali: ideo enim dixit idem Augustinus de spiritu & litterâ, cap.31. *Quid est credere, nisi cum assensione verum esse, quod dicitur?* Assensus itaque, licèt non sit actus voluntatis, qui potius dicitur *consensus,* est tamen actus intellectus ex consensu voluntatis. Vult etiam S. Thomas quòd in eadem voce importetur firmitas adhæsionis, quæ est propria fidei diuinæ, & per quam differt à fide humana, & opinione; sed reuera, vt fatetur etiam Suarez *disp.6 sect.1. num.9.* & alij, licèt hæc acutè dicta sint, non tamen videntur necessaria, nec oportet, quòd Augustinus ibi fidem diuinam definire intenderit, sed solùm explicare aliquod eius prædicatum genericum, quod ad eius intentum sufficiebat. Probabat quippe contra Semipelagianos, non solùm progressum, vel augmentum, sed etiam ipsum initium fidei debere in nobis esse ex Dei gratia: quod probat, quia omnis cogitatio bona in iis, quæ pertinent ad salutem, debet esse ex gratia Dei, iuxta illud Pauli ad Philip.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis,* scilicet, *in iis, quæ ad pietatem pertinent,* vt explicat Augustinus. Fides autem est cogitatio in iis, quæ ad pietatem, pertinent, *quia credere est cum assensione cogitare;* ergo ad credendum etiam initio requiritur gratia Dei. Ad cuius argumenti vim, & efficaciam non erat necesse afferre adæquatam fidei definitionem, sed solum illud prædicatum, quod esset

30 Prima definitio fidei. Vide Suar. *disp.3. sect.1. num.2.*

esset cum assensione cogitatio : in quo prædicato in rigore loquendo videtur etiam conuenire cum fide humana, præsertim, qua aliquis firmiter credat quidquam propter humanam auctoritatem.

31 Secunda definitio fidei diuinæ communiter recepta desumitur ex Paulo ad Hebræos 11. in illis verbis : *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, de qua S. Thomas *quæstione 4. articulo 1.* Suarez *vbi suprà sect. 2.* Hurtado *disp. 49. sect. 2.* & alij, quos ipsi afferunt. Solet autem Erasmo tribui in annotationibus ad illum locum, quod voluerit, ibi non esse sermonem de fide intellectuali, sed de actu voluntatis, qui appellatur *fiducia*. Erasmum tamen ab hac accusatione liberare conatur Hurtado *vbi supra* §. 5 Et quidquid de Erasmo sit, immeritò Pater Suarez *num 1.* dicit, eam fuisse sententiam Damasceni *lib. 4. de fide cap. 11.* Nam Damascenus, licèt senserit, ibi de fiducia etiam esse sermonem; non tamen de illa sola, sed simul etiam de fide intellectuali. Illud etiam certum videtur, non loqui Paulum tam de fide obiectiua, seu de obiecto fidei, quam de fide ipsa formali, seu de assensu nostro interno: nam fides obiectiua sunt res, quæ sperantur, & non apparentes. Fides autem, quæ hîc definitur est substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, ergo condistinguitur ab obiecto fidei : obiectum enim non est substantia, seu fundamentum sui ipsius, & argumentum probans se ipsum.

31 Secunda fidei definitio ex Paulo.

32 Porrò Paulum loqui de fide intellectuali, qua credimus Deo, quæ ab ipso reuelantur, constat ex communi consensu Patrum & Theologorum, quos affert Suarez *vbi supra numero 2. & 4.* & ex Arausicano *cap. 25.* & fauet Trident. *sess. 6. cap. 6.* vbi dicit Paulum *illo cap. 11.* loquutum fuisse de fide, quæ requiritur vt dispositio ad iustificationem : de qua fide præmittitur *eodem cap. 6.* eam esse, qua adulti *fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes verè esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt.* Constat etiam ex ipso contextu Apostoli, qui postquam *in fine capitis 10.* dixerat, *iustus ex fide viuit.* statim *c. 11.* incipit de eadem fide dicere : *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium :* & de eadem subdit : *sine fide impossibile est placere Deo : quia accedentem ad Deum, oportet credere, quia est :* quod quidem ad intellectum pertinet: & postea de eadem fide addit. *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, &c. & alia exempla affert, quæ omnino dicunt assensum intellectualem.

33 Quamuis autem non defuerint, qui hanc dixerint nullo modo esse definitionem, sed laudem, & encomium fidei : communiter tamen Theologi cum S. Thoma *d. quæst. 4. articulo 1.* Supponunt eam esse definitionem fidei vel actualis, vel habitualis, quod parum refert. Vtique enim adaptari potest; & in primis in illis verbis explicatur firmitas adhæsionis intellectualis, quam significat vox illa, *argumentum*, vel, vt alij legunt, *enictio*, seu *conuictio*, quod alij interpretantur manifestationem, seu determinationem, vt ex Chrysostomo, Theophil. & aliis obseruat Suarez *numero 5.* quia licèt argumentum aliquando applicetur ad probabilia, & dubia : in sua tamen proprietate significat rationem certò concludentem, vt constat ex Aristotele *in Rhetor. ad Alexandrum cap. de argumento*, vbi sic ait. *Argumentum autem est (sic enim Elenchon interpretamur) quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus*; & ex Tullio in Academicis quæstionibus lib. 2. *Argumentum*, inquit, *concludi non potest, nisi his, quæ ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, vt falsa eiusmodi nulla possint esse.* Obscuritas etiam fidei significatur, dum dicitur argumentum *non apparentium*, nam licèt conuincat, non tamen facit apparere ea, quæ manifestat. Ex vtraque autem conditione, nempe firmissima adhæsione simul cum obscuritate inferri potest excellentia motiui, seu obiecti formalis, quod non debet esse aliud, nisi auctoritas diuina: nam quodcunque aliud non esset sufficiens, vt prudenter assentiremur ita firmiter iis, quæ nec videntur, nec clarè apparent.

Verba etiam illa, *sperandarum substantia rerum*, eandem fidei naturam, & proprietates explicant; nam *substantia*, vel significat idem, quod *hypostasis*, vt alij legunt, & indicat fidem esse fundamentum spei certissimæ, quam habemus, atque ideo ipsam esse etiam certissimam, alioquin non posset fundare, & fulcire spem christianam adeo firmam, & certam. Vel significat, vt alij volunt, existentiam, & consistentiam rerum, quas speramus : quia proprium est cognitionis facere obiectum præsens, & cognitionis certissimæ facere obiectum, ita certò præsens, ac si iam oculis videretur, & possideretur, quæ omnia significant fidei certitudinem, & efficaciam. Vel denique significatur etiam, fidem esse fundamentum nostræ felicitatis, & salutis, eiusque primum initium, vt dixit etiam Tridentinum sess. 6. cap. 8. in illis verbis : *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Vnde meritò appellatur substantia, seu hypostasis, & fundamentum rerum sperandarum: quod est esse cognitionem primam necessariam ad salutem æternam. 34

Vnde infertur primò hanc non esse definitionem fidei iuxta omnes regulas, & præcepta logicæ, sed descriptionem optimam illius, vt notauit etiam Hurtado *dicta disput. 49. §. 17.* infertur secundò id, quod notaui etiam *suprà disp. 2. sect. 2.* Verba illa Pauli, *argumentum non apparentium*, non debere intelligi in sensu vniuersali exclusiuo, ita vt quidquid per fidem creditur, debeat etiam aliunde esse omnino ineuidens; sed vel in sensu formali, hoc est, vt per ipsam fidem non debeant, nec possint euidenter apparere : vel in sensu ampliatiuo, hoc est, fidem adeo conuincere diuina auctoritate ad credenda ea, quæ proponit, vt faciat firmissimè credi ea etiam, quæ nec videntur, nec aliunde vllo modo euidenter apparent, vt notauit etiam Cornelius ibi à me adductus, & latè probat Coninch *disput. 11. dub. 1. num. 32. & sequentibus :* id enim solum ad intentum Apostoli sufficiebat, qui contendebat Hebræos excitare ad patientiam in tribulationibus imminentibus: hortatur autem vt fidei remedio, & solatio vtantur, quia *iustus ex fide viuit*, quæ fides res etiam absentes, & non apparentes firmissimè credit, & sperare facit. Quare sicut demonstrationis munus dicitur esse, quod faciat nos ex cognitis ad incognita scientificè penetranda peruenire; per quod tamen non significatur, quod postquam aliunde notitiâ aliquâ etiam euidentem, sed non perfectissimam de obiecto habemus, non possimus vti medio demonstratiuo ad eandem veritatem firmius,

35 *Illationes quædam ex dictis.*

& perfectiùs possidendam, sed solùm significatur, quod demonstratio ducit nos in notitiam obiecti illius, etiamsi aliunde notum nobis non sit: ita quando dicitur fidei munus esse, vt firmissimè, & certissimè credamus res non apparentes, non excluditur, quod faciat etiam firmiùs credi eas etiam res, quæ aliunde ratione naturali apparere nobis poterant.

36 *Definitio exacta fidei ex Suarez.*

Denique definitio exacta fidei hæc traditur à Suarez disp.6. sect.1. num.5. *est assensus firmus in auctoritate Dei obscurè reuelantis fundatus*, quæ plenior, & melior est, quàm illa, quàm ponit Coninch disp.14. dub.1. numero 3. *Credere est alicui assertioni propter diuinum testimonium assentiri.* Hoc enim totum competeret assensui præstito etiam propter reuelationem Dei clarè cognitam, & cum euidentia in attestante, qui tamen non esset actus fidei, vt suprà diximus. Vnde neque etiam mihi omnino placet definitio habitus fidei, quam ponit Hurtado disp.49. §.1. hoc modo: *est habitus per se infusus, quo assentimur iis, quæ dicuntur à Deo, propter eius auctoritatem, & testimonium certò & absque formidine.* Neque enim in hac etiam definitione explicatur fidei obscuritas, nam cui reuelatio Dei clarè constaret adhuc assentiretur rei reuelatæ propter auctoritatem & testimonium Dei. Possumus itaque illam Suarij definitionem ita proponere, vt competat soli fidei infusæ; *Fides est assensus supernaturalis, firmus, & certus, in auctoritate Dei obscurè reuelantis fundatus.* Quæ definitio cum proportione applicari potest habitui etiam fidei infuso.

DISPVTATIO IX.

De Supernaturalitate actus, & habitus Fidei.

SECTIO I. *Vtrùm differentia inter actus honestos naturales, & supernaturales, semper proueniat ex ipso obiecto.*

II. *Actum fidei esse supernaturalem secundùm substantiam.*

III. *Habitum fidei esse per se infusum & in sua substantia supernaturalem.*

IV. *Vtrùm species ad actum fidei debeant etiam esse supernaturales in substantia.*

V. *An sint supernaturales apprehensiones præcedentes actum fidei.*

QVAMVIS hucvsque de actu solùm fidei loquuti simus, nec adhuc cœperimus de habitu loqui; non tamen possumus de supernaturalitate actus loqui, quin simul de habitus supernaturalitate dicamus, ex qua potissimùm, vt videbimus, supernaturalitas in ipso actu probatur. Ne ergo eamdem postea quæstionem iterùm tractemus, vtriusque nunc supernaturalitatem probabimus. De voluntate autem credendi, & de iudicio euidenti credibilitatis, quod præcedit, an debeant etiam esse actus supernaturales dicemus *infra*, *suo loco*, quando de iis actibus sermo erit. Nunc tamen operæpretium erit præmittere, & videre, an actus naturalis & supernaturalis debeant differre ex parte obiecti: hinc enim pendet, vt postea videbimus, probatio supernaturalitatis in actibus fidei.

SECTIO I.

Vtrùm differentia inter actus honestos, naturales, & supernaturales proueniat semper ex ipso obiecto.

SVppono, dari virtutes naturales, & supernaturales, quæ non solùm per accidens, sed per se sint infusæ à Deo, nec vnquam naturæ viribus possint adquiri, de quibus agitur latè in tract. de virtutibus. Hoc supposito, difficultas est, quomodo actus harum virtutum differant ab actibus virtutum naturalium, an ex parte obiecti, an ex alio capite.

Prima sententia docet, differre ex parte obiecti formalis motiui: nam de obiecto materiali non videtur esse dubium, quod per actus vtriusque generis attingi possint, idem obiectum materiale, verbi gratia, restitutio alieni, vel abstinentia à potu, tam potest eligi per actum naturalem, quàm supernaturalem: differunt tamen in motiuo, propter quod volumus restituere, vel abstinere: aliquando enim est motiuum naturale, aliquando supernaturale. Hanc videntur docere Caietan. Conrad. & Medina, quos refert Salas 2. *tom. in 1.2.tract.11. disp.6.num.34.* eandem sententiam defendit Valquez *disput.86. cap.6.* & multis adductis Suarez *lib.2. de gratia cap.11. num.8.& tom.4. in 3.part. disp.3. sect.6. num.10. & sect. sequenti.* Lugo Turrianus *opusc.2. de gratia disput.8. dub.8.& opusc.13. dub.3.* & Curiel *in præsent. q.109.art.1. dub.3.§4.conclus.2.& art.3.& alibi*, aliique Recentiores communiter. *Prima sententia.*

Secunda sententia extrema negat differre actus naturales & supernaturales ex parte obiecti materialis aut formalis; nam licèt sint aliqui actus supernaturales, qui differunt ex parte obiecti à naturalibus, & è contra, qualis est visio beata Dei, & è contra odium Dei, nullus enim actus naturalis potest esse visio Dei, sicut nec actus virtutis supernaturalis potest esse odium Dei: Cæterùm alij multi actus sunt, qui siue naturales sint, siue supernaturales, semper habent idem obiectum materiale, & formale. Differunt autem ij actus ex parte principij, vnde refunditur differentia etiam essentialis in ipsam substantiam actuum, quatenus vnus petit fieri à solo principio naturali, alter verò petit oriri à principio supernaturali. Denique addit hæc sententia, differre illos actus non per obiecta formalia *qua*, sed per rationes formales *sub quibus*. Nam licèt vterque actus tendat ad idem motiuum; sub diuersa tamen ratione formali; nempe vnus terminatur ad illud motiuum, quatenus attingibile per actum naturalem, alter verò ad idem quatenus attingibile supernaturaliter, quæ non tam sunt duæ rationes obiectiuæ, quàm duæ attingibilitates prouenientes ex diuersitate actuum, quibus potest attingi. Hanc sententiam tenent post plures antiquos non pauci ex Recentioribus, Salas *vbi suprà*, P. Coninch *de Moralitate actuum supernaturalium, disp.5. dub.1.2. & 3.* P. Granado *in primam* *Secunda sententia.*

mam partem in prœmialibus disp.5. sect.4. n.13. & quæstione 12. tract.5. disp.8. num.6. & in 1.2. tract.1. disput.4. sect.3. quibus videtur consentire P.Molina *in Concord. disp.7. § Nostram sententiam* in fine, & *disp.13. & 14. & disputatione 32.* & alij Recentiores, quorum meminit P.Luisius Turrianus *dicto opusc.13. de gratia, & opusc.15. cap.7. n.11. & 14.*

3 Vtrique sententiæ aliquid dandum censeo. Dico itaque primò, loquendo de possibili, non repugnat actus virtutis naturalis, & infusæ non distingui ex parte obiecti materialis, aut formalis. In hac conclusione, loquendo de possibili non solùm conueniunt Auctores secundæ sententiæ, sed etiam Pater Suarez *dicto capite vndecimo, numero sexto & trigesimo*, vbi apertè fatetur non repugnare actus naturales, & supernaturales ferri ad eadem obiecta, & motiua. Ratio autem est, quia licèt actus specificentur ab obiectis, non tamen tanquam à specificatiuo adæquato, sed solùm inadæquato. Nam specificantur etiam in ordine ad principia: quare cognitiones, quas habent duo Angeli specie diuersi, licèt terminentur ad idem obiectum, & motiuum, possunt adhuc differre specie per ordinem ad diuersos intellectus, à quibus eliciuntur. Cùm ergo habitus infusus habeat se per modum potentiæ in ordine ad suos actus, non mirum, quod possent differre specie actus, qui fiunt à sola natura, & illi, qui fiunt ab habitu infuso, licèt habeant idem obiectum, & motiuum; sufficit enim diuersitas specifica principiorum, vt ab illa refundatur diuersitas specifica in actus.

4 Confirmatur, quia per hoc præcisè, quod vnus actus petat fieri à principio supernaturali, intelligimus, habere aliquod prædicatum intrinsecum, quod non haberet actus, qui non peteret fieri à tali principio: illud autem prædicatum est sufficiens ad differentiam specificam; nam per illud prædicatum actus esset supernaturalis entitatiuè; ille enim actus est entitatiuè supernaturalis, qui nunquam potest esse ex solis naturæ viribus; talis autem esset ille actus, nam semper deberet fieri, vel ab habitu supernaturali, vel à Deo miraculosè supplente munus habitus, ergo per illud prædicatum differret specificè, imò & genericè ab alio actu absque alia differentia proueniente ex parte obiecti.

5 Dices, eo ipso, quod ille actus petat fieri à principio supernaturali, iam supponitur obiectum esse supernaturale: alioquin si obiectum esset naturale, cur peteret principium supernaturale ad illud cognoscendum, vel amandum? Respondeo, argumentum habere multas instantias contra se; nam cognitio, qua Angelus cognoscit Leonem, petit per suam entitatem fieri ab intellectu Angelico, licèt obiectum de se posset bene cognosci ab intellectu humano. Sic etiam licèt illud obiectum posset cognosci à principio naturali, cognitio tamen, qua cognoscitur à principio supernaturali, petit omnino principium supernaturale. Ratio autem est, quia sicut natura intellectiua Angeli, licèt sit superior, postulat tamen cognitionem sibi proportionatam circa ea etiam obiecta, quæ cognoscit natura inferior: ita per gratiam habitualem eleuatur homo ad aliam naturam superiorem, & diuinam, quare prout constituitur in illa natura superiori, postulat potentias, & operationes sibi proportionatas etiam in ordine ad obiecta, circa quæ versatur natura inferior, seu ipse homo naturalis: cognitio itaque illa non ideo petit principium supernaturale, quia obiectum est supernaturale, sed quia est cognitio hominis vt constituti in statu, & natura quadam diuina, & supernaturali; sicut cognitio Angelica, non ratione obiecti, sed quia Angelica est, petit principium Angelicum. Hoc modo distinguunt multi in anima Christi scientiam infusam, & scientiam naturalem, licèt vtraque terminaretur ad eadem obiecta naturalia, quia nimirum vna oriebatur ex principiis naturæ, altera ex gratia, vt fatetur Pater Suarez *dicto cap.11. num.30.*

6 Dices secundò, loquendo de facto, probabilius videtur non ita differre omnes actus supernaturales ratione obiecti, vt ad illud ipsum obiectum, & motiuum non possent terminari alij actus naturales. Non dico de facto dari actus naturales circa idem obiectum; sed solùm non repugnare, quantum est ex parte obiecti, quod essent. Hæc etiam est iuxta auctores secundæ sententiæ, quibus addi potest Herize *1.part. disp.38. cap.4.* qui conuenit nobiscum, & *num.19.* confirmat ex Sancto Thoma, & probari potest primò, quia non repugnat actum naturalem ferri ad obiectum actus supernaturalis, & è contra. Fateor quidem, aliquos esse actus supernaturales, quorum obiectum non potest attingi eodem modo per actum naturalem: tales sunt visio clara Dei. Item cognitio intuitiua, vel quidditatiua gratiæ, aut alicuius obiecti supernaturalis secundùm substantiam, & aliæ similes: cæterùm aliæ sunt cognitiones, & volitiones supernaturales, quarum obiecta, etiamsi sint supernaturalia, possunt benè attingi per actum naturalem. Quando enim aliquis mihi narrat, Deum assumpsisse hypostaticè naturam humanam; ego naturaliter audio illas voces, & per consequens naturaliter possum concipere totum illud obiectum, licèt sit in se supernaturale, cur ergo non possum naturaliter affici circa illud obiectum supernaturale? idem est de beatitudine supernaturali, seu visione clara Dei; cur enim voluntas non poterit gaudere naturaliter, quando audit Deum præparasse & promisisse sui visionem hominibus? Certè nullum est obiectum adeò supernaturale, quod non possemus naturaliter audire, si nobis narretur, & per consquens circa quod non posset intellectus & voluntas aliquos actus exercere. E contra verò nullum est obiectum adeò vile, & naturale, circa quod principium supernaturale non possit exercere suos actus, sicut nullum est obiectum adeò materiale, circa quod intellectus Angelicus non possit habere actum spiritualem; nam potentia superior facilè potest versari circa obiecta potentiarum inferiorum.

Loquendo de facto, probabilius videtur non ita differre omnes actus supernaturales ratione obiecti vt ad illud non possent terminari alij actus naturales.

7 Secundò & in particulari probatur, quia non potest explicari illa differentia obiectiua inter hos actus naturales, & supernaturales. Loquamur enim priùs de virtutibus moralibus, & comparemus misericordiam infusam cum misericordia naturali: vtraque vult subuenire indigenti propter honestatem illius subsidij, neutra vult illam eleemosynam propter Deum, alioquin iam non tam esset misericordia, quàm charitas; quod idem dici potest de iustitia, vtraque enim iustitia vult restituere, propter turpitudinem furti; quodcumque enim aliud motiuum habeat, non erit iustitia, sed alia diuersa virtus: & sic possumus discurrere per omnes virtutes morales; ergo fa-

tendum est, posse versari aliquos actus naturales circa idem obiectum materiale, & formale, circa quod de facto versantur virtutes infusæ.

8 P. Vasquez *dict. disputatione* 86. docet illas virtutes morales differre ex parte motiui, quatenus iustitia naturalis, verbi gratia, solùm considerat hominem vt ciuem huius reipublicæ humanæ, cui conuenit seruare æqualitatem erga suos conciues: iustitia verò infusa considerat eundem hominem, vt eleuatum ad beatitudinem supernaturalem, & vt ciuem illius ciuitatis cœlestis, quam quidem vt sic decet reddere vnicuique quod suum est, & seruare æqualitatem erga conciues suos in eadem Ciuitate: quæ differentia potest considerari in cæteris virtutibus moralibus, & sufficit ad distinguendos actus ex parte obiecti: virtutes enim distinguuntur secundùm diuersas politias, ad quas ordinant subiectum, vt docet Aristoteles 3. *polit. cap.* 3.

9 Hic tamen dicendi modus difficilis est, primò, quia est contra experientiam manifestam: quam enim rari sunt, qui habeant illud motiuum, quando benè operantur, & qui ideo velint subuenire indigenti, vel honorare parentes, quia considerant illos, vt conciues suos in politia cœlesti. Modus sanè communis operandi hoc non habet: vnde fieret regulariter per eiusmodi opera misericordiæ, vel iustitiæ nihil nos mereri de condigno, nec etiam de congruo; nam (vt suppono) per actus merè naturales non meremur in ordine ad salutem æternam, quia non habent proportionem cum fine, aut præmio supernaturali. Deberent ergo magistri, & prædicatores instruere accuratè, & seriò plebem, vt in his actibus considerarent semper se ipsos, & proximos, vt conciues eiusdem politiæ cœlestis, alioquin eorum opera nullius esse valoris ad salutem; ne in re tanti momenti ex defectu motiui deciperentur; posset enim contingere, quod aliquis per longum tempus se exercens in operibus misericordiæ ex motiuo honesto misericordiæ, & compassionis, nihil prorsus lucraretur in ordine ad salutem, eo puòd non moueretur ex motiuo decentiæ ad politiam superiorem. Quæ tamen omnia sunt planè contra communem modum concipiendi fidelium, & eorum, ad quos spectat plebem instruere.

10 Impugnatur secundò, quia circa illud primum motiuum naturale possunt versari actus supernaturales, & circa secundum motiuum possunt versari actus naturales. Prima pars probatur, ponamus enim alicui primò proponi credendum primum articulum fidei, scilicet, Deum esse, antequam proponatur credendus articulus de beatitudine supernaturali; certum est, posse hunc hominem credere illum primum articulum fide diuina ante alios, siquidem non proponuntur omnes simul, sed successiuè. Tunc vlteriùs proponatur huic homini Deum etiam reuelasse, bonum esse restituere alienum, subuenire indigentibus, &c. potest etiam id credere fide diuina propter Dei reuelationem; potest item ex hac fide supernaturali moueri ad restituendum, vel dandam eleemosynam; qui actus voluntatis videntur fore supernaturales, cùm oriantur ex cognitione fidei supernaturalis, & tamen non tendunt in motiuum illud, quatenus scilicet decet restitutio, vel eleemosyna hominem eleuatum ad finem supernaturalem; ergo circa primum motiuum naturale potest esse actus voluntatis supernaturalis. Secunda item pars probatur, quia possum ego naturaliter audire, Deum eleuasse nos ad beatitudinem supernaturalem; ergo possum naturaliter gaudere de hoc obiecto; quidquid enim naturaliter proponitur ab intellectu, potest voluntas naturaliter amare, vel odio habere: ergo potero etiam naturaliter diligere proximos, vt conciues possibiles meos in illa beatitudine, & vt sic velle illis succurrere, vel restituere, &c. quamuis ergo beatitudo in se sit supernaturalis, potest tamen terminare actum naturalem, quò audiatur, & quò intelligatur, & per consequens quò ametur à voluntate. Quibus item argumentis impugnari potest modus, quo P. Suarez *lib. 2. de Gratia cap. 16.* explicare conatur differentiam inter hos actus ex parte obiecti, nempe penes conformitatem ad naturam rationalem secundùm se, vel ad naturam rationalem, vt eleuatam per gratiam: qui modus parum differt à præcedenti, atque adeo eisdem rationibus impugnatur, quæ facilè contra ipsum possunt applicari, vt consideranti patebit.

Deinde loquendo de actibus virtutum Theologicarum, difficilè potest assignari aliquid ex parte obiecti, vel motiui, quod non posset attingi per actum naturalem: quæcunque enim perfectio cogitetur in Deo, si homini proponatur, potest eam amare; cùm sit bona, & voluntas possit naturaliter amare omne bonum sibi propositum.

Dicunt, actum dilectionis naturalis tendere 11
ad Deum vt auctorem naturæ, per actum verò dilectionis supernaturalis ad Deum vt auctorem supernaturalem. Sed contra hoc est primò, quia vt supra dicebam, priùs proponitur credendus articulus de existentia Dei, quàm de eleuatione nostra ad finem supernaturalem: priùs ergo credit aliquis, Deum esse primum principium, & infinitè perfectum, quàm credat nos eleuasse ad salutem supernaturalem; quis autem dicat, illum hominem, qui credit Deum esse infinitè perfectum, creatorem omnium, remuneratorem item præscindendo à remuneratione naturali, vel supernaturali, & denique iis, qui Deum non diligunt supereesse in inferno pœnam æternam, tunc inquam, hominem hac fide diuina instructum non posse saltem potentia physica diligere illum Deum, quem iam credit? quod si diligit, videtur esse dilectio supernaturalis, cùm oriatur ex fide supernaturali: omnis enim cognitio supernaturalis repræsentans aliquod bonum, mouet ad amorem supernaturalem eius boni; sicut omnis cognitio naturalis alicuius boni mouet ad amorem naturalem eiusdem boni, quia appetitus elicitus sequitur ad cognitionem eiusdem ordinis, sicut appetitus innatus consequitur ad naturam. Cùm ergo possit dari cognitio supernaturalis de Deo nondum cognito auctore gratiæ consequens est, quod possit dari amor supernaturalis eiusdem Dei ita cogniti.

Secundò, quia sanctissimi etiam viri ex consi- 12
deratione creaturarum naturalium, & visibilium mouetur ad amandum ardentissimè earum factorem: quis autem dicat, illum amorem non esse actum charitatis, sed amorem naturalem? item si aliquis doleat super omnia de peccatis, eò quòd fuerint contra Deum eius creatorem, quem hoc ipso titulo debet super omnia diligere; quis neget hunc esse actum perfectissimum doloris, & per consequens supernaturalem? non ergo requiritur illud motiuum beatitudinis supernaturalis, ad hoc vt amor sit supernaturalis. Ratio autem est, quia quæcunque perfectio Dei est infinita, &

per

per consequens amabilis per charitatem, cuius obiectum formale est infinita perfectio Dei, quæ non solùm resplendet in potentia producendi gratiam, sed etiam in aliis attributis diuinis: alioquin valde diminuta esset nostra charitas, quæ nempe non posset allici ab infinita sapientia, vel pulchritudine Dei, ab eius immensitate, æternitate, iustitia, & aliis perfectionibus ad ipsum amandum, sed solùm à potentia, quam habet ad producendam gratiam, & alia accidentia supernaturalia.

13 Tertiò, potest ad hoc applicari argumentum supra factum, quia illa etiam perfectio Dei, nempe quod sit auctor rerum supernaturalium, potest cognosci per actus naturales: si quidem possum ego naturaliter illud audire, & percipere, ergo quantum est ex parte obiecti non repugnat, quod detur aliqua volitio naturalis, quæ ad ipsum terminetur: nam quidquid per intellectionem naturalem repræsentatur, & proponitur tanquam perfectio amabilis, videtur esse obiectum proportionatum ad aliquam volitionem naturalem, vt sæpe diximus.

14 Simile argumentum fieri potest de actibus fidei, & spei, in quibus difficilè assignabitur aliquid ex parte obiecti, quod non posset attingi per aliquem actum naturalem: nam in primis actus spei habet pro obiecto formali Deum, quatenus est beatitudo nostra sperata, vel ipsum etiam Deum vt auxiliatorem, à quo speramus, iuxta varias Theologorum sententias. Vtrumque autem videtur de se posse esse obiectum alicuius actus naturalis. Nam etiam hæretici, & Iudæi sperant videre Deum, & hoc non suis viribus, sed auxilio Dei, à quo sperant adiuuari, & tamen ille actus spei non oritur ex fide, & per consequens non est supernaturalis. Quod si dicas, illos non habere spem firmam sicut fideles, contra hoc est, quod illa firmitas non ostendit esse varietatem in obiecto materiali, aut formali, sed solum in modo tendendi ad illud, quam varietatem nos libenter dabimus, dummodo concedatur, posse vtrumque actum habere idem materiale & formale.

15 Denique de actu fidei probatur eisdem argumentis, quia obiectum materiale sæpe sæpius est aliquid naturale reuelatum à Deo, vt constat, obiectum verò formale est reuelatio, & veracitas Dei, vtraque autem potest attingi, per actum naturalem, nam rusticus, cui falsò proponitur à Parocho aliquod falsum pro articulo fidei, credit firmissimè illum errorem propter reuelationem Dei apparentem eodem modo quantum est de se, ac cæteros articulos veræ fidei; & tamen ille assensus non est supernaturalis, cùm sit falsus, sed naturalis, ergo potest assensus naturalis terminari ad idem motiuum formale, ad quòd terminatur assensus fidei diuinæ.

16 Dices: tunc esse valde diuersum motiuum, quia vnus assensus terminatur ad reuelationem veram, alter ad apparentem: quare iam differunt ex parte motiui formalis, reuelatio enim vera, & apparens valde differunt. Sed contra, quia illa differentia materialiter se habet in ordine ad motiuum formale: non enim magis mouet reuelatio, quando reuera existit, quam quando non existit, cùm in vtroque casu apprehendatur existens: nec ideo erit magis supernaturale obiectum in vno casu, quàm in alio: nam siue gratia habitualis existat, siue non existat; qui tamen diceret gratiam existere, in vtroque casu haberet aliquid supernaturale pro obiecto sui assensus: ita qui credit Deum aliquid reuelasse, siue id verum sit, siue falsum; semper habet pro obiecto reuelationem Dei, & per consequens aliquid supernaturale, si reuelatio est aliquid supernaturale; iam ergo constat, posse actum naturalem terminari ad illud obiectum supernaturale, non obstante supernaturalitate obiecti.

Ratio denique à priori est, quia, per se loquendo, non est supra totius naturæ vires credere aliquid propter Dei reuelationem: nam sicut possumus homini fide digno aliquid narranti credere & facilius Angelo; cur repugnabit credere Deo aliquid testificanti; immo non videtur verisimile quod homines in pura natura non possent accipere aliquod præceptum positiuum à Deo, quod si illud possent accipere iam oporteret credere, Deum illud præcipere, & per consequens crederent Deo dicenti se præcipere. Tunc autem haberent idem motiuum formale, nempe veracitatem, & reuelationem diuinam. Confirmatur, quia lumine naturæ cognoscitur honestum esse, & debitum credere Deo aliquid reuelanti, quando adsunt motiua euidentis credibilitatis; ergo per naturæ vires potuisset tunc voluntas imperare intellectui assensum, quando adessent talia motiua; nam vt supra vidimus, quidquid voluntati naturaliter proponitur vt honestum, potest quantum est ex parte obiecti, terminare aliquem naturalem amorem ipsius voluntatis: voluntate autem imperante assensum, intellectus necessariò obediret: subordinatur enim necessariò voluntati: alioquin non cognosceretur esse honestum credere, si voluntas non posset efficaciter imperare assensum; nihil enim est honestum, nisi quod est volibile à voluntate honesta. 17

18 Dico tamen tertiò, loquendo de facto, probabilius videtur, omnes actus virtutum moralium supernaturales, imò omnes actus supernaturales saltem voluntatis differre aliquo modo ex parte motiui ab actibus naturalibus, qui de facto dantur, saltem per se loquendo. In hac conclusione conuenio cum Auctoribus primæ sententiæ. Eam autem sic declaro; quia eadem honestas temperantiæ, v.g. potest proponi voluntati dupliciter. Primò, vt lumine naturæ manifesta. Secundò, vt testificata à Deo consulente, vel præcipiente temperantiam. Primo modo proponitur per cognitionem naturalem, ad quam sequitur amor etiam naturalis illius honestatis. Secundo modo proponitur per fidem diuinam, ad quam consequitur actus supernaturalis eiusdem ordinis. Comparando ergo hos duos amores honestatis temperantiæ inter se, licèt vterque tendat ad eandem honestatem; alter tamen tendit ad eam honestatem in se apparentem, alter ad illam honestatem in se apparentem, sed in reuelatione, & manifestatione diuina; quare iam ex parte motiui apparet aliquid diuersum in vno actu, ac in alio, quod magis ex obiectionum solutione intelligetur.

Loquendo de facto, probabilius videtur omnes actus virtutum moralium supernaturales, &c. differre aliquomodo ex parte motiui ab actibus naturalibus, qui de facto dantur, saltem per se loquendo.

19 Obiicies ergo primò, quia tota illa differentia non videtur esse ex parte motiui, sed ex parte cognitionis, qua repræsentatur motiuum; cognitio autem non est motiuum, sed applicatio motiui; vnde ex varietate præcisa cognitionis non debet variari amor obiecti: ergo si illi duo amores solùm differunt penes diuersas propositiones eiusdem obiecti, non differunt ex parte motiui formalis. *Obiectio 1.*

Respondeo, negando Antecedens; nam licèt actus fidei repræsentans honestatem temperantiæ non sit motiuum; obiectum tamen ipsius actus fidei est verè motiuum. Obiectum autem non est sola honestas temperantiæ, sed honestas temperantiæ connexa cum reuelatione Dei, quod totum tenet se ex parte obiecti illius actus, & quod totum mouet ad amorem temperantiæ; nam totum illud mouet voluntatem ad amorem, quod suadet; non autem suadet solùm honestas temperantiæ, sed etiam connexio, quæ apparet ex parte obiecti inter reuelationem Dei, & honestatem temperantiæ; ideo enim moueor, quia video Deum, qui mentiri non potest, testificari temperantiam esse honestam. Datur ergo duplex quasi motiuum. Primum est honestas temperantiæ, & hoc est motiuum simul volitum per actum temperantiæ: alterum est connexio illius honestatis cum testificatione Dei, & hoc non est motiuum volitum, sed tantùm suadens ad amorem temperantiæ, & penes hoc motiuum necesse est, quod differant omnes actus voluntatis, qui procedunt ex lumine fidei, ab iis, qui procedunt ex cognitione luminis naturalis, atque adeo quod detur inter illos aliqua differentia etiam ex parte motiui.

20 *Obiectio 2.* Sed contra obiicies secundò, quia obiectum motiuum ipsius actus fidei diuinæ non est tale, vt non posset etiam terminare aliquem actum naturalem, vt supra probauimus; ergo quando de facto proponitur illud obiectum intellectui, poterit intellectus habere actum naturalem circa illud; & rursus ex hac fide naturali, poterit moueri voluntas ad volendum illud obiectum propter illud motiuum creditum, qui actus voluntatis, cùm oriatur ex cognitione naturali, erit etiam naturalis, & tamen non differt ex parte obiecti motiui à volitione supernaturali, quæ oriatur ex fide supernaturali eiusdem obiecti.

Respondeo, licèt obiectum motiuum fidei possit, quantum est ex se, terminare actum naturalem, de facto tamen intellectum non elicere regulariter nisi assensum supernaturalem. Ratio autem est, quia Deus de facto voluit fidem esse principium meriti supernaturalis, vt videbimus infrà, ideo proposito sufficienter motiuo fidei, Deus non concurrit ad actum naturalem, sed loco illius ad supernaturalem, qui sit proportionatus ad meritum vitæ æternæ.

21 *Obiectio 3.* Tertiò obiicies, quando de facto aliquis rusticus deceptus à suo Parocho, credit aliquem articulum falsum existimans esse verè reuelatum à Deo: credit etiam firmissimè, & propter idem motiuum, propter quod crederet, si esset verus, scilicet propter reuelationem primæ veritatis: & tamen ille assensus tunc est naturalis, cùm non sit fidei diuinæ, ergo potest dari de facto actus naturalis, qui ex parte motiui nullo modo differat ab actibus supernaturalibus. Respondeo, ideo in conclusione loquutus sum nominatim de actibus voluntatis. Cæterùm si velimus eam extendere etiam ad actus intellectus, adhuc potest in aliquo sensu locum habere. Nam licèt in prædicto casu ille rusticus habeat verè pro motiuo reuelationem Dei, & non testimonium Parochi, quia eodem modo assentitur, quantum est de se, huic articulo, & aliis; adhuc tamen non habet pro motiuo reuelationem veram, sed apparentem; quare illi duo actus differunt ex parte motiui in hoc sensu, quod licèt neutri appareat ex parte motiui aliquid diuersum, vnus tamen illorum, nempe supernaturalis, exigit per suam essentiam in motiuo veram existentiam, quam alter actus nullo modo exigit, quod sufficit ad hoc, vt licet materialiter differant ex parte motiui, non formaliter, hoc est, non appareat aliquod prædicatum in motiuo vnius, quod non appareat etiam, & cognoscatur in motiuo alterius; in actibus autem voluntatis datur etiam hæc differentia in motiuis actuum naturalium, & supernaturalium: nam semper in motiuo actus supernaturalis apparet esse reuelatum à Deo, quod non apparet in motiuo virtutum naturalium voluntatis, vt dictum est.

Sed contrà obiicies quartò, in prædicto casu voluntas credendi illum articulum falsum propter reuelationem Dei habet ex parte motiui eadem conditiones apparentes, quas habet voluntas credendi articulum verum; & tamen in eo casu voluntas illa est naturalis: ergo etiam in motiuo alicuius voluntatis naturalis nihil apparet diuersum à motiuo voluntatis supernaturalis. Respondetur facilè negando minorem, nam licèt tunc assensus sit falsus & naturalis: voluntas tamen imperans illum assensum est bona, meritoria, supernaturalis, procedens ex eodem habitu infuso piæ affectionis; & quidem tantam habet difficultatem intellectus in credendo illo articulo falso, quantam in credendo articulo vero; quare ad volendum illum articulum credere, pariter indiget auxilio Dei, quod auxilium erit supernaturale, cùm detur ad actum bonum & meritorium.

Obiicies quintò voluntas ipsa credendi est supernaturalis, & tamen non oritur ex cognitione fidei, sed ex cognitione euidenti, qua cognoscitur honestas credendi; ergo non omnis voluntas supernaturalis habet de facto ex parte motiui lumen fidei. Respondeo distinguendo consequens; non habet ex parte motiui lumen fidei, quasi in actu secundo hoc est, obiectum creditum, concedo, non habet lumen fidei quasi in actu primo hoc est, obiectum, vt credibile; nego. Illud autem iam inuoluit aliquo modo lumen fidei, iam enim illuminamur à connexione, quæ apparet inter illud obiectum, & reuelationem Dei vt iudicemus illud esse credibile, seu posse credi, quod sit reuelatum.

Dices, sicut honestas credendi potest de facto cognosci per actum euidentem supernaturalem, & amari per voluntatem supernaturalem; cur honestas etiam temperantiæ non poterit de facto cognosci per actum supernaturalem, & amari per voluntatem supernaturalem quæ non supponat ex parte motiui lumen fidei? Respondeo de possibili non esse repugnantiam; de facto tamen non fieri, quia Deus voluit propter plures congruentias, fidem esse principium totius nostræ iustificationis, & salutis, atque ideo nullum fieri actum meritorium etiam de congruo, qui non oriatur ex lumine fidei, vt videbimus infrà.

24 Hinc obiter dissoluitur aliud argumentum, quo vtitur P. Suarez *in præsenti dict. lib. 2. cap. 11. num. 18.* contra nostram secundam conclusionem, quia nimirum si motiuum actus naturalis possit terminare actum supernaturalem, & è contra, sequitur non esse in potestate hominis elicere actum supernaturalem: homo enim de se solùm poterit operari circa obiectum propositum; ad Deum autem spectabit determinare, quod actus fiat naturalis vel supernaturalis. Ad hoc, in-

Solutur quadruplex Suarez.

quam,

quam, facile respondemus negando sequelam; quia licèt motiuum actus fidei, & omnium, qui ex ipso procedunt in voluntate, sit tale, ad quod potuissent terminari actus naturales; de facto tamen Deus non concurrit ad actus naturales; sed supernaturales propter rationem supra positam, atque adeò quoties homo de facto operatur circa illud motiuum, operatur actu supernaturali.

25 Eodem modo soluitur aliud argumentum eiusdem Auctoris *ibi num.* 13. contra eandem nostram secundam conclusionem: quia nimirum sequeretur actus supernaturales, quos de facto habemus, non esse supernaturales ex suo motiuo, vel obiecto, si quidem ad idem motiuum potuisset terminari actus naturalis: consequens autem dicit, esse absurdum, tum quia destrueretur fundamentum necessitatis gratiæ supernaturalis; tum quia est contra Sanctum Thomam *prima secundæ, quæstione centesima nona, articulo secundo, ad primum & secundum, & quæst. 62. art. 1. & quæst. 68. art. 3.* vbi vult actum supernaturalem versari circa obiecta supernaturalia. Respondetur tamen, loquendo de facto, actus supernaturales versari circa motiuum supernaturale, hoc est, quod de facto exigit auxilium supernaturale, vt vidimus, non tamen ita supernaturale, vt non potuisset terminare actum naturalem, neque ex hoc destruitur necessitas gratiæ supernaturalis ad hos actus; quia hæc necessitas non probatur ex motiuo, vel obiecto, sed ex proportione, quam hi actus habent cum beatitudine supernaturali, & ex infusione habituum supernaturalium, qui de facto infunduntur à Deo, & arguunt actus esse supernaturales, cùm non dentur ad faciliùs, sed ad simpliciter; nam experientia docet habitus infusos non facilitare, vt alibi probatur, atque ideo ostenditur defectus potentiæ naturalis ad talem actum, de quo aliàs. Ad id verò quod affertur ex Sancto Thoma, Respondeo *d. quæst. 62.* non loqui de supernaturalitate obiecti, sed actuum: in illo autem *art. 3. ad 1. & 3.* videtur recurrere ad supernaturalitatem beatitudinis, quam charitas supernaturalis videtur habere pro obiecto, dum tendit in Deum vt auctorem illius boni supernaturalis. Alibi verò videtur distinguere virtutes naturales, & supernaturales à diuersa regula rationis, quam respiciunt, vel à diuerso fine ad quem ordinant subiecta. Videatur *part. 2. quæstione 63. art. 3. & 4.* Hæc omnia locum habent in nostra sententia. Fatemur enim, de facto virtutes supernaturales habere diuersam regulam non solùm formalem, sed etiam obiectiuam à regula virtutum naturalium, cùm habeant pro regula aliquid reuelatum à Deo. Item ordinare hominem ad diuersum finem, hoc est, ad beatitudinem supernaturalem; quam ordinationem de facto non credit homo firmiter, nisi per fidem diuinam, & per consequens non potest velle illam, vel amare Deum vt auctorem illius, nisi per actum supernaturalem ortum ex fide supernaturali. Non tamen oportet quòd charitas non possit amare Deum vt auctorem beatitudinis supernaturalis, nisi potest enim diligere etiam alias perfectiones Dei, vt reuelatæ sunt. Sed tamen sufficienter distinguitur à dilectione naturali per hoc quod possit etiam amare Deum vt auctorem beatitudinis supernaturalis, quod de facto non potest debito modo præstare dilectio naturalis, quia non oritur ex fide. Denique omnes virtutes infusæ tendunt in Deum vt auctorem supernaturalem dupliciter: scilicet, vt in auctorem harum virtutum, & vt in finem, qui per has solas virtutes potest adquiri; virtutes autem naturales nullo modo tendunt in Deum, vt auctorem supernaturalem.

Denique ad maiorem abundantiam, concedere possumus, nunquam de facto reperiri, per se loquendo, actum fidei supernaturalem, qui non differat ex parte motiui intrinseci, & obiecti formalis ab aliis actibus naturalibus, qui de facto fiunt: nam actus naturalis terminatur ad reuelationem apparentem, quæ licèt non differat specie à reuelatione vera, ad quam terminatur actus fidei supernaturalis, differt saltem numero: neque ad illam eandem potest de facto actus supernaturalis terminari: non ergo habent de facto idem omnino motiuum, & obiectum formale actus naturalis & supernaturalis. Dixi tamen, sæpè, *per se loquendo*, quia nolo disputare, an aliquando possit per accidens actus naturalis tendere ad idem obiectum materiale, & formale, v.g. quando ex circunstantia extrinseca actus esset malus, & ideo Deus negaret ad eum actum concursum supernaturalem: quod rarissimum erit, & ad nostrum intentum parum refert. 26

SECTIO II.

Actum fidei esse supernaturalem secundùm substantiam.

27 SVppono communem distinctionem entis supernaturalis in supernaturale quoad substantiam, & supernaturale quoad modum. Illud dicitur, quod in sua entitate tale est, vt nunquam ex naturæ viribus esse possit, vt lumen gloriæ, vnio hypostatica, &c. Hoc verò dicitur, quod licèt ex naturæ viribus posset fieri; attamen hìc & nunc à Deo præter naturæ exigentiam fit, vt visus cæco restitutus, rosa hyeme producta, &c. Hoc supposito, certum videtur, actum fidei supernaturalem esse aliquo ex his modis contra Pelagium, & eius reliquias docentes fidem esse posse à nobis, contra quos latè Augustinus *de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ*, S. Prosper *contra Cassianum à cap. 36. & dub. 8. ad capita Gallorum, & dub. 1. ad Ienuenses lib. 1. de vocatione gentium à cap. 23.* (aliàs 8.) S. Fulgentius *lib. de incaruatione cap. 8. ex variis Scripturæ locis*, præsertim ex Paulo ad Ephes. 2. *Saluati estis per fidem, non ex vobis; Dei enim donum est*, ad Philip. 1. *Vobis datum est per Christum, vt in eum credatis.* Et alibi sæpè, propter quæ loca hæc veritas recepta est à Conciliis infra afferendis, quibus addi potest Censura Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla contra propositiones Michaelis Baij, cuius 24. propositio, hæc erat: *Absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito super conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe, & charitate Deum coleret:* cui similes erant propositiones 22. & 27. Quæstio ergo est, an actus fidei sit supernaturalis primo modo, an solùm secundo. *Ens aliud supernaturale quoad substantiã, aliud supernaturale quoad modum.*

28 Prima sententia negat esse supernaturalem secundùm substantiam, sed dicit esse solùm quoad modum; ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 109. *articulo* 4. & 2. 2. *quæst.* 171. *artic.* 2. *ad* 3. Palud. *in* 3. *d.* 23. *quæst.* 3. §. *tertiò dicendum est*, & *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. Capreolus *in* 1. *d.* 17. *q.* 1. *artic.* 3. *ad argumenta Aureoli contra primam conclusionem, & ad argumenta* 4. *lo-* *Prima sententia.*

co facta, insinuat etiam Dur. *in* 2. *d.*81. *& in* 3. *d.*31. *q.*4. Tribuitur etiam Nominalibus, quatenus insinuant actus fidei Christianæ, & humanæ non differre specie essentiali: Okamus *quodlibet.* 3. *q.*27. Gabr. *in* 3. *d. num.* 3. *q.*2. *art.*1. Almai. *quæst.*3. Tribuitur etiam Scoto *quæst.*1 *prologi*, §. *ad quæstionem*, quem tamen Suarez *lib.*2. *de gratia*, *c.*4. explicare conatur.

29 *Secunda sententia vera, & communis.*

Secunda sententia vera, & communis iam omnibus Scholasticis affirmat, esse supernaturalem secundùm substantiam, & videtur Sancti Thomæ *infrà quæst.*6. *art.*2. quem sequuntur omnes Thomistæ, & eam supponunt omnes Doctores nostræ Societatis. Videatur Suarez *vbi suprà c.*4. *& sequentibus*, & *lib.*3. *de auxiliis*, *cap.*1. *num.*3. Vasquez 1.2. *disp.*187. *cap.*2. Coninch. de actibus supernaturalibus *disp.*4. *dub.*3. qui benè de hoc tractat. Molina *in Concordia quæst.*14. *articulo* 13. *disp.*7. §. *nostram sententiam, & disp.*14. *membr.*1. §. *an eadem sententia*, & *membr.*2. §. *deinde*, vbi & alibi sæpè hanc sententiam profitetur, vt appareat, quàm sine fundamento eum pro contraria sententia affert Lorca *disputatione* 9. *de gratia*, quia *in Concord. quæstione* 14. *artic.*13. *disp.*14. *&* 15. *& alibi* dicat, credere, diligere, & sperare, &c. esse actus naturales quoad substantiam. Cæterùm non aduertit Lorca, per huiusmodi phrasim solùm velle Molinam, quod alij plures Scholastici cum S. Thoma *infrà quæstione* 171. *articulo* 2. eodem modo loquendi significarunt, scilicet actus illos secundùm rationem genericam, seu quantum est ex parte obiecti, posse esse naturales, quia possunt dari actus naturales terminati ad simile obiectum, vt nos etiam docuimus *suprà*, quum Molinæ sensum posset facilè intelligere, si reliqua eius loca videret, vbi expresè fatetur, actum fidei Christianæ secundùm omnem rationem formalem esse supernaturalem, & specie differre ab actibus habituum acquisitorum.

30 *Probatur ex Scriptura.*

Probatur primò hæc sententia ex Scriptura, Conciliis, & Patribus exigentibus ad fidem gratiam Dei, provt gratia condistinguitur à natura: Matth.11. *Patrem nemo nouit, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.* Ad Ephes.2. *gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* 1. Corinth.12. *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* 2. Corinth.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*, &c. Ioan.6. *Hoc est opus Dei, vt credatis:* & infrà: *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Concilium Arausi. 2. *cap.*6. 8.16.25. *&* 27. definit per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti fieri in nobis diuinitus, vt credamus, & aliter nos non posse credere, &c. Mileuitanum *c.*4. vtrumque ait esse donum Dei, & scire quid agere debeamus, & diligere, vt faciamus. Trident. *sess.*6. *can.*3. *& cap.*5.6. *&* 12. Cælest. *epist.*1. *ad Episc. Galliæ*, Innoc. 1. *epist.*25. *&* 26. quæ sunt 92. & 93. inter epistolas Augustini. Idem Augustinus *vbi suprà*, Prosper, & Fulgent. citati, & alij Patres, quorum loca affert Valentia 2. *tom. disp. de gratia quæst.*5. *punct.*4. vbi ex professo hæc quæstio de omnibus actibus supernaturalibus tractari soler.

31 *Probatur ratione.*

Ex his locis formatur prima ratio pro conclusione, quia actus fidei christianæ talis est, vt ad eum eliciendum indigeat homo peculiari auxilio gratiæ diuinitus collato, & superante vires naturæ, ergo, ille assensus non est naturalis, alioquin si naturalis esset, ergo natura provt distinguitur à gratia, habet sufficientes vires ad illum aliquando eliciendum, ergo aliquando poterit homo credere sine auxilio gratiæ.

Dices primò, Patres quidem exigere auxilium speciale Dei ad actum fidei, non propter supernaturalitatem subsantialem ipsius assensus, sed propter maximam ipsius difficultatem, quæ tanta est, vt nisi natura subleuetur specialiter à Deo, non poterit propriis viribus vincere illam difficultatem: sicut multi etiam sentiunt ad actum naturalem dilectionis Dei super omnia requiri etiam speciale auxilium Dei propter maximam eius difficultatem: Sed contra, quia hæc difficultas vel nascitur ex rebus creditis, vel ex modo credendi illas obscurè, & firmiter: non quidem ex rebus creditis; hæ enim aliquæ sunt valde humano captui consentaneæ, vt mors, iudicium, &c. Sed neque ex modo assentiendi firmiter, nam hæreticus firmiter & super omnia adhæret suo errori per actum naturalem: ergo ex hac præcisè difficultate non oritur supernaturalitas.

Dices secundò, auxilium gratiæ, quod Scriptura, & Patres exigunt ad fidem, non esse aliquod auxilium supernaturale in substantia, sed auxilium cogitationis congruæ ad credendum; quam homo habere non posset sine speciali Dei beneficiò.

Sed contra secundò probari potest conclusio, & impugnari hæc solutio, quia si auxilium gratiæ solùm requireretur, vt detur cogitatio congrua; ergo sufficeret cogitatio intensa ordinis naturæ, neque exigeretur aliquis habitus supernaturalis ex parte principij: cùm enim effectus sit entitatiuè naturalis, satis erit addere ex parte principij causas naturales robustiores; non verò principium supernaturale: Consequens autem est falsum, nam vt probauimus *sect.*2. ex mente Conciliorum ad huiusmodi assensum requiritur ex parte principij habitus infusus supernaturalis, ergo & ipse assensus est entitatiuè supernaturalis.

Dicunt, habitum requiri, non quidem ad substantiam assensus producendam, sed ad aliquem modum ipsi superadditum. Qualis autem sit hic modus, non conueniunt: quidam dicunt, habitum requiri ad intensionem assensus. Sed contra hoc est Paulus 1. ad Timoth.1. *Misericordiam Dei consequutus sum, vt essem fidelis*, vbi (vt bene ponderat Augustinus) non dixit *vt essem fidelior*, sed *vt essem fidelis:* non ergo exigitur auxilium gratiæ Dei solùm ad intensionem, sed ad substantiam credendi. Deinde sicut ad iustificationem non exigitur contritio cum determinata intensione, sed sufficit remissa, vt suppono ex materia de Pœnitentia: sic neque ad salubriter credendum, requiritur aliqua intentio, sed sufficit assensus remissus. Denique si per vires naturales possumus habere substantiam illius assensus; non est cur per easdem vires, addito præsertim habitu acquisito ex multorum actuum exercitio, & robustiori cognitione motiuorum, non possimus aliquando elicere assensum intensiorem.

Alij dicunt, habitum fidei exigi ad facilitatem assensus. Sed contra Primò, quia hoc esset contra citata Concilia, quibus definitur, sine gratia nos non posse, non solum faciliùs; sed nec vllo modo operari. Secundò; quia ad iustificationem æquè conduceret actus difficilè elicitus, imò videretur eo melior quò cum maiori difficultate fieret. Tertiò, quia, si actus secundùm substantiam posset prouenire à viribus naturæ, non esset cur

cur non posset etiam procedere cum facilitate orta, ex habitu acquisito naturali. Quartò hæc facilitas in ipso actu non est modus intrinsecus, sed mera denominatio proueniens à potentia, quæ in actu primo magis propendet in actum: quare propter illam denominationem non posset idem actus fieri de non dispositione dispositio congrua ad iustificationem. Denique probabilius multò est, habitum supernaturalem non dare facilius posse, sed solum simpliciter posse; cùm constet experientia puerum baptizatum non faciliùs credere, quando venit ad vsum rationis propter habitum infusum in baptismo, quàm si verè non esset baptizatus.

35 Alij dicunt Tertiò, habitum exigi ad infallibilitatem assensus, non ad substantiam. Sed contra, quia infallibilitas non est modus distinctus ab ipso actu; alioquin si distinguitur, ergo fit à solo habitu; nam infallibilitas illa, vt sic non est actus vitalis, ergo totus assensus fit ab intellectu solo, & infallibilitas à solo habitu, ergo assensus non potest esse dispositio ad iustificationem, quia ipse assensus nullo modo est ab habitu; infallibilitas autem non potest esse dispositio; quia cùm non sit actus vitalis, non potest habere rationem meriti de congruo; ergo fatendum est ipsum actum secundùm suam entitatem, secundum quam est dispositio, habere aliquid ratione cuius exigat procedere ab habitu supernaturali.

36 Quartò dicunt alij, exigi habitum ad hoc, vt in actu ponatur quidam modus proportionis cum fine supernaturali: sed contra, quia si actus secundùm se non habebat proportionem cum fine supernaturali, non potest eam habere per modum superadditum: nam ista proportio debet esse per modum meriti: ille autem modus superadditus non potest reddere meritorium actum qui de se non est meritorius: ille enim modus non est voluntarius formaliter, vt de se patet, nec aliunde dignificat opus, sicut dignitas personæ, ergo nullo modo confert ad proportionem ipsius actus, si ab ipso distinguatur. Omitto alios modos, ad quos minùs apparenter potest exigi habitus. Videatur Suarez *tom.4.in 3.part. disp.3. sect.6.* & Vasquez *in 1.2. disp.187. cap.2.*

37 Tertiò probari solet ab aliis supernaturalitas fidei, ex eo quod terminetur ad diuinam reuelationem sine alio medio, & sine vlla formidine. Cæterùm ex dictis *disp.1.* constat, non satis probari ex hoc capite supernaturalitatem: cùm possit dari naturalis assensus circa idem obiectum, & sine formidine: non enim apparet in hoc aliqua manifesta repugnantia, quod latè & bene probat cum aliis Coninch. *disp.14. dub.2.* docens possibilem esse actum naturalem circa idem omnino obiectum formale nostræ fidei, & nos ostendimus *sect. præcedenti.*

38 Contra hanc communem sententiam nihil est, quod peculiarem habeat difficultatem; solùm potest opponi S. Thom. *infrà quæst.171. articulo 2. ad 3.* vbi ait, *actiones, ad quas infunduntur habitus, non esse supernaturales secundùm substantiam actus, sed solum secundùm modum.* Respondetur S. Thomam solùm velle significare ibi discrimen inter actiones miraculosas, quales sunt suscitatio mortui, & prophetia ex vna parte, & actus credendi, diligendi, &c. ex alia. Discrimen autem est, quod nec illæ priores, nec aliæ illis similes fieri possunt à natura, & ideo eas appellat supernaturales quantum ad substantiam: at verò istæ actiones posteriores, licèt cum illo modo supernaturalitatis (intrinseco quidem essentiali) non possint fieri à natura, possunt tamen fieri aliæ similes in modo tendendi ad sua obiecta, & ideo has dicit solum esse supernaturales quoad modum: non tamen negat illum modum esse de quidditate horum actuum; ita explicat S. Thom. Bañes *infra q.24. art.2. in fine* cum aliis Thomistis.

Opponunt alij, quod hæreticus assensu naturali credit articulo propter Dei reuelationem, ergo non est, cur ponamus in Catholico assensum supernaturalem ad credendum propter diuinam reuelationem. Respondetur, non poni nostrum assensum supernaturalem præcisè, quia est propter reuelationem, sed quia ex parte principij postulat aliquid supernaturale, vt visum est. An verò assensus hæretici differat à nostro etiam ex parte obiecti, videbimus *infrà disputatione 17.* Omitto alia argumenta communia, quæ in vniuersum tendunt ad negandum omnes actus supernaturales in substantia: hæc enim pertinent ad materiam de gratia, vel ad materiam de habitibus, de qua *in 1.2.* Videatur etiam Hurtado *disput.62. sectione 1. §.11.* vbi nobis consentiens dicit, ex necessitate habituum per se infusorum probandam supernaturalitatem actuum fidei, spei, & charitatis. Habitus autem per se infusos dari, aliunde ex auctoritate probandum est, vt videbimus *sect. sequenti.* 39

SECTIO III.

Habitum fidei esse per se infusum & in sua substantia supernaturalem.

DIximus, supernaturalitatem actuum fidei probari optimè ex eo, quod infunditur à Deo solo habitus fidei, cuius infusio otiosa esset, si actus fidei, quales ad salutem requiruntur, non haberent aliquod prædicatum sibi quidditatiuum superans vires naturæ. Necesse ergo est, quod aliunde probemus dari talem habitum per se infusum; quod quidem potissimum fundamentum suum in auctoritate habet, quæ tanta est, vt iam sine nota gravi negari non possit, vt cum aliis notat Hurtado *disp.62. §.4.* & dubium solum remanserit, an res hæc sit omnino de fide. 40

An sit de fide, quòd adulti iustificati habeant aliquod donum fidei infusa.

Plures negant, quos refert Salas *2.tom. in 1.2. tract.10. disput.3. sect.4.* & sequitur Vasquez ibi adductus variis in locis. Canus tamen & Sotus, qui pro ea referuntur, magis sunt pro contraria, vt postea videbimus. Præcipuum fundamentum desumitur ex Innoc.III. *in cap. Maiores de baptismo* vbi relatis vtriusque partis opinionibus, eam partem non definit, & ex Concilio Viennensi relato *in Clementina vnica de summa Trinitate*, vbi opinio ponens habitus infusos solùm eligitur, vt magis probabilis, nec postea in Tridentino videtur hæc res omnino definita, omnia enim Tridentini loca pro habitibus infusis habent probabilem explicationem.

Sententia negans.

Verius tamen est, rem esse de fide; quod adulti iustificati habeant aliquod donum fidei infusæ & permanentis. Dixi *donum fidei*: abstrahendo à nomine *habitus*, quia an hæc fides sit habitus, vel quid aliud, fortasse nondum est definitum. Hanc sententiam tenet noster Valentia cum aliis multis, quos refert Salas vbi *supra num.39.* & Suarez *lib.6.* 41

Sententia affirmans, vera.

lib.6. de gratia cap.3. & 8. & in præsenti disput.7. sect.1. Granado *in 1. 2. controuers.4. disput.2.3.* & Conînch *de supernaturalitate actuum moralium disp.6. dub.1.* item Canus *lib.7. de locis cap.2.* licèt pro contraria afferatur, quia dicit, non pertinere ad fidem eam quæstionem, an gratia & virtutes, quæ in baptismo infunduntur, sint qualitates; non tamen negat esse de fide veras virtutes permanentes in baptismo infundi, in quo etiam sensu loquitur Sotus *lib.2. de natura, & gratia cap.19.* qui tamen solum dicit, Concilium Tridentinum consultò noluisse vti nomine *habituum*, cùm numerauit dona illa, quæ in iustificatione conferuntur, quia non pertinet ad fidem, an hæc dona sint qualitates pertinentes ad speciem habitus. Quod idem docet Vega *lib.7. in Tridentin. cap.24.* cùm tamen expressè fateatur esse de fide post Tridentinum infundi virtutem fidei ab actu credendi distinctam; nam post adducta verba Concilij Viennensis suprà relata sic ait Vega testis quidem fide dignus, & oculatus Tridentini Concilij. *Visum est huic sanctæ Synodo,* (scilicet Tridentinæ) *acceptare sententiam istam, & asserenti oppositum anathema indicere: intellexit enim, hanc esse communem Ecclesiæ fidem; tametsi non sub nomine habituum.* quod idem docet Sotus *vbi supra cap.18.* qui & ipse Tridentino interfuit, & eius mentem melius potuit intelligere.

42 *Probatur ex Concilio Tridentino.*

Probatur ergo hæc sententia primo ex Tridentino *sess.6. c.7.* vbi post numeratas dispositiones, quæ iustificationem præcedunt, & in ipsis actum fidei, & spei: subdit: *hanc dispositionem, & præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam, & renouatio interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum.* vbi susceptio gratiæ & donorum in iustificatione inclusa condistinguitur à præparatione, quam consequitur, & in qua supponebatur iam fides actualis, ergo nomine donorum, quæ postea infunduntur, intelligi debet aliquid permanens, & ab actibus condistinctum. Confirmatur ex illatione facta à Concil. eodem *cap.7.* vbi postquam dixit, causam formalem iustificationis esse iustitiam inhærentem datam à Deo secundùm cuiusque dispositionem infert statim: *vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia accipit homo simul infusa per Iesum Christum, cui inseritur: fidem, spem, & charitatem.* Vbi explicat, quæ sint illa dona, quorum susceptionem superiùs dixerat includi in iustificatione. Confirmatur secundò ex verbis sequentibus vbi Concilium docet, hanc fidem esse, *quam ante baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione, catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem.* Hæc enim fides non datur ab Ecclesia, nisi per baptismum, ad quem ipsi accedunt: per baptismum autem non datur fides actualis, sed donum permanens fidei ab actu distinctum, neque ipsi postulare censentur actum fidei, cum quo iam habito accedunt ad baptismum.

43 Confirmatur tertiò ex eodem Concilio *eadem sess. cap.15. & can.28.* dicente, quocunque peccato mortali amitti gratiam iustificationis, non tamen fidem, nisi per infidelitatem; & hanc fidem, quæ remanet amissa gratia, esse veram fidem. Vbi nomine fidei intelligitur aliquid permanens, & quod verè maneat in peccatore.

Confirmatur quartò, ex Concilio Moguntino celebrato anno 1549. duobus annis post dictam sessionem 6. Concilij Tridentini, quare in *cap.7.* habet quandam periphrasim illius capitis septimi sessionis sextæ Tridentinæ, in hæc verba: *iustificatio cum peccatorum remissione etiam sanctificationem, & interiorem renouationem confert, quatenus per meritum Christi, quod iam credenti communicat, cum venia peccatorum Dei gratiam, & per Spiritum sanctum vna cum fide simul spem & charitatem in corde diffusam accipit; hisque donis in ipso permanentibus, non solum reputatur, sed verè existit iustus.* Ex quibus verbis constat Patres illius Concilij intellexisse fidem, spem, & charitatem, quorum infusio ponitur à Tridentino in iustificatione, non esse actus, sed dona habitualia in ipso iustificato permanentia; & hoc ad doctrinam catholicam pertinere. Adde censuram Pij V. & Gregorij XIII. contra propositionem Baij adductam *sect. præcedenti.*

Neque obstant verba Concilij Viennensis & 44
Innocentij III. *suprà* adducta; nam in primis, licèt tunc non fuerit ea sententia ab Ecclesia definita, potuit postea post diuturnum examen definiri. Deinde addo, in illis locis non dici esse opinionem probabilem, quæ negaret in adultis iustificatis infusionem fidei permanentis: sed vtrobique solùm agi de quæstione illa, quod attinet ad paruulos: nam in dicto cap. *Maiores* quæstio proposita est de baptismo paruulorum, an haberet aliquem effectum; ad quod respondet Pontifex, vtique habere effectum remissionis peccati, licèt adhuc sub lite esset inter Doctores, an paruulis infunderentur virtutes, quibusdam negantibus, & quibusdam concedentibus, quia numerum, licèt de adultis nemo dubitaret, de paruulis tamen dubitabant, eo quod in eis otiosæ forent virtutes pro illo statu: imò ex his sumebant alij occasionem negandi valorem illius baptismi, eo quod non posset paruulus accipere eas virtutes, quæ in baptismo infunduntur. Deinde in Concilio Viennensi quod multò post tempore celebratum est, venit iterum eadem quæstio, an paruulis infundantur virtutes in baptismo, sicut in adultis: & Concilium simul cum Pontifice eligit vt probabilionem sententiam affirmatiuam, & vt Sanctorum, ac Theologorum testimoniis magis consonam: vbi nullo modo dicitur sententiam concedentem adultis infundi hos habitus, esse probabiliorem, hæc enim vt certa omnino supponebatur, sed sententiam, quæ dicit paruulis etiam sicut & adultis conferri in baptismo gratiam, & virtutes: de paruulis enim solùm fuerat proposita quæstio in Concilio, & pro paruulis solùm facit ratio, qua Pontifex probat illam decisionem: sic enim ait. *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum paruer applicatur omnibus baptizatis, opinionem secundam tanquam probabiliorem eligimus,* &c. Quasi dicat: mors Christi æqualiter applicatur in baptismo omnibus baptizatis, tam paruulis, quàm adultis, ergo in omnibus æqualem habet effectum, ergo cum baptismus ex Christi passione habeat vim conferendi adultis gratiam & virtutes, vt ab omnibus conceditur; hanc etiam efficaciam habebit respectu paruulorum, Vides, ibi non poni vt probabilem infusionem virtutum in adultis, sed supponi vt certam, vt inde proberur ea infusio in paruulis.

Hanc mentem Concilij Viennensis, quam proculdubio legitimam omnino censeo, confirmare

mare possumus; quia multò ante illud Concilium habebatur in Ecclesia erronea sententia negans in adultis infusionem virtutum; nam inter errores Petri Ioannis, qui vixit sub Innocentio III. propter quos damnatus, & exhumatus fuit, ponitur iste, quod scilicet *docebat in baptismo gratiam & virtutes, quas vulgo Theologicas vocant, minimè infundi.* Sic refert Prateolus *lib.* 14. *Elenchi hæresum in Petro Ioannis.* Alphonsus de Castro aduersùs hæreses, verbo *baptismus*, hæresi quarta, & nouissimè Abrahamus Bzouius *tom.* 13. *annalium Ecclesiasticorum anno* 1199. *numero* 39. ergo non est credibile, eandem sententiam, quæ tanto ante tempore vt erronea damnabatur, fuisse postea relictam vt probabilem in Concilio Viennensi, sed solùm illam quæstionis partem, quæ ad paruulos spectabat, circa quos etiam in Tridentino non videtur apertè definita infusio harum virtutum, licèt ex similitudine iustificationis per gratiam inhærentem, quam illis tribuit *sessione* 5. *can.* 5. videatur etiam virtutum infusio legitimè consequuta. Aliqui probant quoad paruulos ex Augustino 3. *de peccatorum meritis cap.* 2. vbi ait auctoritate Dei, & Ecclesiæ comprobatum esse, paruulos baptizatos fideles esse: quare cùm non sint fideles actu, sequi videtur ex mente Augustini esse fideles habitu. Cæterùm longè alius est Augustini sensus, quem ipsemet explicuerat *lib.* 1. *de peccatorum meritis cap.* 19. dicens, eos fideles appellari, quia fidem per verba gestantium quodammodo profitentur: non ergo de fide habituali debet intelligi.

46 Probatur ex Scriptura. Probatur ratione. Secundò probari potest nostra sententia ex scriptura & Patribus, quorum testimonia congerit Valentia *in* 1. 2. *disput.* 4. *quæst.* 3. *puncto* 4. & Salas *vbi supra* apud quos videri possunt. Tertiò probatur ratione, fidem esse aliquid supernaturale permanens per modum principij ad eliciendos assensus, quia si habitus fidei esset naturalis, non amitteretur per vnicum actum infidelitatis: nam habitus naturales non destruuntur omnino vnico actu contrario, licèt demus aliquantulum diminui: fides autem quolibet peccato infidelitatis deperditur iuxta Tridentinum supra adductum, ergo non est naturalis, sed supernaturalis.

Denique si habitus fidei non esset ex natura sua & per se infusus, sed solùm per accidens infunderetur à Deo, haberet eandem naturam, quam habitus acquisiti, & per consequens daret facilitatem, quod est proprium habituum acquisitorum: hanc autem non dat habitus fidei; quia puer baptizatus, licèt habeat habitum fidei, non tamen ideo experitur maiorem facilitatem ad credendum, quando fit adultus, quàm si non esset baptizatus: imo adultus hæreticus, qui resipiscit, & iustificatur, adhuc experitur postea inclinationem ad hæresim, licèt in iustificatione acceperit habitum fidei, ergo ille habitus non tollit facilitatem contrariam, ergo non est sicut alij habitus, qui dant facilitatem, sed sicut potentiæ, quæ dant simpliciter posse. De hoc tamen dixi in *lib. de anima in tractatu de habitibus.* 47 Vnde iam probari potest, habitum hunc esse in sua substantia supernaturalem, quæ erat altera pars in titulo huius sectionis; quia non apparet, ad quid infundatur à Deo hic habitus, nisi quia necessarius est ad tales actus fidei, quales requiruntur ad salutem: vidimus autem *sectione præcedenti*, non posse requiri talem habitum infusum ad eos actus nisi quia ij actus in sua substantia supernaturales sunt: ex hoc autem ipso nunc probamus habitum etiam debere esse supernaturalem in substantia. Si enim actus sunt substantia supernaturales, exigunt principium aliquod eiusdem ordinis, & supernaturalitatis, in qua tamen probatione non committitur à nobis circulus, dum ex habitu probauimus supernaturalitatem actuum, & nunc ex actibus ipsis supernaturalibus probamus supernaturalitatem in habitu. Nam ibi non probauimus, actus esse supernaturales, quia exigunt habitum supernaturalem, sed solum ex eo quod datur habitus à Deo infusus propter illos actus, qui frustra infunderetur, nisi entitas supernaturalis actuum tale principium exigeret; dari autem talem habitum infusum, habemus & probauimus modò ex Conciliis, & auctoritate. Vnde rursus inferimus, ipsum esse supernaturalem: quia actus, ad quos infunditur, sunt supernaturales. Itaque non probamus, actus esse supernaturales ex supernaturalitate, sed ex infusione habitus, quam infusionem probamus ex sola auctoritate, & ex infusione habitus probamus, actus esse supernaturales, quia alioquin frustra exigeretur habitus infusus: & rursus ex supernaturalitate actuum, habitum debere in sua substantia esse supernaturalem.

Dices, licèt actus fidei sit supernaturalis secundùm substantiam, & supra naturam intellectus, non ideo debere dari habitum intrinsecum ad eliciendum illum actum: sufficeret enim eleuari intellectum per auxilium intrinsecum paratum ex parte Dei. 48

Respondent communiter, habitum dari, vt homo connaturaliter operetur per aliquid intrinsecum, licèt alioquin posset diuinitus eleuari per auxilium extrinsecum. Sed contra hoc est, quod aqua iuxta communem sententiam, quam defendit Suarez 1. *tom. in* 3. *part. disput.* 30. *sect.* 6. non eleuatur per aliquid intrinsecum ad causandam gratiam, sed solum per auxilium extrinsecum; ergo operari per aliquid intrinsecum, non est magis connaturale; alioquin tribuetur etiam aquæ hic modus operandi.

Respondent, actum fidei, (& idem est de aliis virtutibus) esse operationem non vtcumque, sed vitalem, quæ ex natura sua postulat esse à principio intrinseco: ideo vt connaturaliùs eliciatur, datur intellectui virtus intrinseca per quam operetur.

Sed contra, quia licèt hæc solutio consequenter reddatur ab iis, qui ponunt habitum fidei, esse adæquatam rationem agendi *vt quo*, & intellectum non habere influxum immediatum in actum; hi enim consequenter exigunt aliquid intrinsecum, à quo proximè fiat actus, vt sit vitalis, imò ideo negant posse diuinitus elici ab intellectu per auxilium extrinsecum: Cæterum in vera sententia concedente, intellectum debere immediatè influere per potentiam obedientialem actiuam in actus fidei, & posse illos elicere per auxilium extrinsecum, non habet vires hæc solutio, nam actus fidei non est vitalis, nec ab intrinseco, provt ab habitu, sed provt ab intellectu: anima enim non operatur per habitum fidei tanquam per aliquid sibi debitum & proprium, sed tanquam per aliquid aduentitium, sicut aqua per calorem: alioquin si formaliter per habitum operatur vitaliter anima, ergo etiam sine influxu immediato ipsius intellectus operaretur vitaliter per habitum, quod communiter negant nostri auctores

tes, & meritò : nam ex hoc etiam fieret actum elicitum per auxilium extrinsecum non esse tam vitalem, nec tam nostrum (vt ita dicam) quàm elicitum ab habitu ; ergo actum esse vitalem non prouenit ex eo, quod fiat ab habitu fidei intrinseco, sed quod fiat ab intellectu; ergo ratione vitalitatis non magis exigitur habitus intrinsecus, quàm in aqua exigatur virtus adæquata intrinseca ad causandam gratiam.

49 Ad obiectionem ergo Respondeo, actum fidei connaturaliùs elici à principio intrinseco, quàm ab intellectu eleuato per auxilium extrinsecum; quia actus fidei (& idem est de aliis actibus supernaturalibus) ex natura sua est operatio hominis constituti in statu filij Dei per gratiam iustificantem, quæ sicut est participatio naturæ diuinæ, ita constituit hominem per modum naturæ in ratione principij radicalis supernaturalis; cùm autem omne esse sit propter operari, hinc fit, vt sicut ad animam rationalem, quæ constituit hominem in ratione naturæ rationalis, consequuntur potentiæ intrinsecæ distinctæ, vel non distinctæ, quibus homo vt rationalis operetur; sic ad gratiam iustificantem, per quam constituitur homo in alia quasi superiori natura supernaturali, debeantur etiam potentiæ ad operationes congruentes illi naturæ : hoc est, habitus supernaturales, quibus operetur non vt homo, sed vt homo filius Dei. Est ergo connaturale homini grato operari per potentias, seu habitus supernaturales intrinsecos; quia habet principium radicale eorum actuum nempe gratiam ; omne autem principium radicale exigit principium proximum sibi intrinsecum.

50 *Obiectio 1.* Sed contra solutionem obiicies primò, ergo in peccatore non est, cur ponatur habitus fidei ad credendum : habitus enim dantur homini iusto, quia ex ipsa gratia iustificante quasi ex radice pullulant illæ potentiæ supernaturales ad operationes sibi debitas ; ergo cùm in peccatore non sit gratia, non est, cur exigatur in illo habitus ad credendum, magis quàm auxilium extrinsecum.

Respondeo negando sequelam, quia licèt peccatori secundùm illum statum non debeatur habitus fidei ex natura rei : debetur tamen illud principium ipsis actibus fidei, vt connaturaliter fiant, qui ex natura sua sunt operationes supernaturales, & hominis constituti in statu supernaturali per gratiam iustificantem, & per consequens hominis habentis habitus intrinsecos ad operandum, quare licèt Deus contra exigentiam ipsorum actuum voluerit eos etiam elici ab homine non grato, vt disponat se ad iustitiam : non tamen oportuit fieri à principio etiam quod esset contra ipsorum naturam & exigentiam : quod fieret si elicerentur sine habitu à quo connaturaliter debent elici ; ideò relinquitur habitus fidei in peccatore, vt connaturaliùs procedant actus fidei à principio : an verò relinquantur etiam in ipso habitus piæ affectionis, & cur non maneant habitus aliarum virtutum videbimus *infrà disputatione* 17.

51 Dices, non omnes actus supernaturales supponunt ex natura sua gratiam iustificantem : imò potest esse aliquis actus, qui essentialiter supponat carentiam gratiæ, vt actus fidei, quo peccator ex Dei reuelatione crederet, se carere gratia, & actus pœnitentiæ, quo ex carentia actuali gratiæ dolet aliquis de peccato commisso. Respondeo, etiam potest esse actus visionis beatæ, quo videat beatus in Verbo se non habere gratiam, nec lumen gloriæ ; ille tamen actus esset entitatiuè valdè supernaturalis, quia esset contra exigentiam gratiæ, quæ postulat, non produci visionem beatam nisi in subiecto grato : sic etiam ille actus fidei, & pœnitentiæ esset contra exigentiam gratiæ, quæ postulat non produci actum huius ordinis diuini, nisi in subiecto grato, & ideo ille actus esset valdè supernaturalis.

Petes, vnde habemus hanc exigentiam gratiæ ? Respondeo, ex eo potissimum, quod dantur habitus virtutum cum gratia, ex quo infertur habitus esse necessarios ad actus connaturaliter eliciendos, non potest autem hæc necessitas fundari, nisi in hac exigentia gratiæ, vt probatum est.

Contra solutionem obiicies secundò, non minus miraculum est, habitum fidei manere sine gratia iustificante, quàm actum fidei fieri sine habitu, nam sicut actus fidei pendet ex natura sua ab habitu ; ita habitus fidei exigit ex natura sua habitum gratiæ, vt potentiæ exigunt essentiam, quam consequuntur ; ergo sicut non esset minus miraculum manere voluntatem sine anima, quàm actum voluntatis sine voluntate, ita non minus est manere habitum fidei sine habitu gratiæ, quàm actum fidei sine habitu ; imò maius videtur, quòd maneat habitus fidei sine habitu gratiæ : manet enim permanenter & perpetuò cum miraculo continuo : actus verò solùm est transeunter sine habitu ; ergo ex natura rei connaturaliùs esset peccatorem credere per auxilium actuale extrinsecum, quàm per habitum. Respondeo, negando Antecedens : nam conseruatio habitus fidei sine habitu gratiæ, solùm est miraculosa, quoad modum (dico miraculosam latè loquendo, quatenus est contra naturalem exigentiam ipsius habitus) at verò actus productus sine habitu esset miraculosus etiam secundum substantiam. Ratio est, quia habitus fidei, licèt ex natura sua petat conseruari ad exigentiam gratiæ ; potest tamen diuinitùs conseruari à Deo sine nouo alio influxu etiam in absentia gratiæ, sed per eundem omnino, quo antea conseruabatur ; licèt ille influxus sit postea magis supernaturalis quoad modum, eo quod præstetur à Deo sine exigentia ipsius gratiæ. At verò actus fidei habet dependentiam physicam ab habitu ; imò in mea sententia ; quam docui *in lib. de anima*, per suammet entitatem dependet essentialiter à suis principiis, quare absente habitu necesse est non produci illum actum, qui antè posset fieri ab habitu, sed alium diuersum, qui per suam entitatem pendeat ab auxilio extrinseco, vel saltem necesse erit poni aliquam dependentiam physicam, per quam suppleatur dependentia, qua antea dependebat ab habitu, quæ dependentia, (vel etiam ipse actus in mea sententia) est magis supernaturalis, non solùm quoad modum, sed secundùm propriam entitatem : nam licèt omnes actus fidei sint secundùm suam entitatem supernaturales ; adhuc tamen in ipso ordine rerum supernaturalium reperiuntur aliqua magis supernaturalia : qualis esset ille actus factus sine habitu ; quia haberet duplicem supernaturalitatem, (vt ita dicam) Alteram scilicet communem omnibus actibus fidei, quatenus sunt supra exigentiam subiecti. Alteram verò quatenus non pereret ex natura sua fieri ab habitu fidei, quod est principium connaturale actibus fidei. Cùm ergo conseruatio habitus fidei sine

sine gratia non habeat hanc duplicem supernaturalitatem entitatiuam, non est maius, sed minus miraculum illud, quam actum fidei elici sine habitu.

53 Obiicies adhuc tertiò contra solutionem, quia ille actus, qui fieret ab auxilio sine habitu, ex natura sua non peteret ab habitu, imò ex natura sua repugnaret elici ab habitu, si quidem ex propria entitate habet non dependere ab habitu, sed ab auxilio extrinseco; ergo non est maior supernaturalitas in eo actu, quàm in alio: neque enim est contra naturam ipsius actus, imò iuxta eam, quod non pendeat ab habitu, neque etiam est cõtra naturam ipsius habitus, cùm ipse habitus ex natura sua non habeat virtutem ad hunc actum, sed ad alios; ergo productio huius actus sine habitu non est magis supernaturalis. Respondeo, maiorem supernaturalitatem huius actus, qui fieret per auxilium, & non ab habitu, non nasci ex eo quod ipsemet actus magis connaturaliter procederet ab habitu, vt probat benè obiectio, sed ex eo, quod ipse actus cùm sit supernaturalis, & ordinis diuini, supponit quantum est de se hominem cõstitutum in ordine, & esse diuino per gratiam iustificantem; sicut omnis actus humanus supponit hominem in esse hominis: cùm autem gratia afferat secum habitum fidei, consequens est, vt hîc etiam actus supponat habitum fidei, non quidem vt principium, sed vt passionem gratiæ, quam ex natura sua supponit. Hæc est ergo supernaturalitas, quam iste actus addit, nam ex vno capite supponit ex natura sua in subiecto gratiam, & habitum fidei datum ad eliciendos omnes actus fidei, & ex alio capite ex sua essentia petit non elici ab habitu fidei, quem supponit, quod quidem valde supernaturale est: sicut si daretur actus humanus, qui ex natura sua postularet non procedere à potentia voluntatis quam supponit in anima, sed à sola anima, vel à solo Deo, proculdubio esset valde supernaturalis.

54 Vltimò obiicies, ergo etiam ad primum actum fidei ponendus esset habitus, vt ille actus connaturalius procederet. Item ad actus virtutum moralium deberent manere habitus infusi in peccatore, vt connaturalius fiant in illo statu. Respondeo, attenta natura rei concedo, nego tamen attenta ordinatione Dei, qua voluit habitus supernaturales non infundere nisi iuxta dispositionem, & meritum congruum præcedens, neque eos conseruare, quando peccator proportionatè demeruit eos: quare à peccatore cæteros aufert præter fidem, & spem, quos relinquit propter rationem infra afferendam *disp.* 16. sed tamen aduerte id, quod notaui etiam in tractatu de visione Dei, etiam quando actus fidei, vel alij actus supernaturales fiunt per auxiliũ actuale supplens concursum habitus infusi, connaturalius esse, vt fiant per auxilium intrinsecum, quam per merum auxilium extrinsecum: non quidem, quia vitales sunt; quia vt paulò ante dixi, eorum vitalitas non prouenit ex eo, quod fiant ab habitu, vel principio intrinseco supernaturali; cum neque habitus infusus, neque principium intrinsecum supernaturale sint principia vitalia, nec homo, quatenus per illa operatur, formaliter loquendo, operetur vitaliter, cùm non se moueat prout sic ab intrinseco, hoc est, per aliquid proprium sibi, sed per virtutem alienam ab extrinseco sibi prouenientem. Aliunde tamen requiritur connaturaliter loquendo, quod principium illud, siue permanens, siue transiens, sit intrinsecum & non extrinsecum: quia nimirum in genere loquendo cum effectus comparetur ad suam causam, vt ramus ad suam radicem; connaturalius est, vt quantum fieri possit, effectus oriatur à causa sibi proportionata, & quæ in sua virtute contineat effectum, vel totaliter, vel saltem partialiter. Quare quando causa aliqua secundum se non habet proportionem cum effectu, oportet, vt accipiat saltem in se aliquid, per quod in actu primo proportionetur cum effectu producendo, & eum ih se contineat, ideo intellectus, vt producat actum supernaturalem, ad quem de se non habet proportionem intrinsecam, proportionatur intrinsecè per habitum infusum intrinsecum, per quem iam est causa intrinsecè proportionata ad talem effectum, & illum in se continet. Quando verò deest habitus infusus, connaturalius erit, vt eleuetur per aliquam virtutem intrinsecam saltem transeuntem, per quam causa sit in actu primo proportionata, quàm quod per merum auxilium extrinsecum eleuetur per quod intrinsecè non fit magis potens, quàm antea erat. Quamuis enim Deus de potentia absoluta possit etiam hoc modo eleuare per auxilium extrinsecum, dispensando in illa necessitate proportionis prærequisitæ in actu primo: magis tamen iuxta rerum naturam est, vt eleuet per aliquid intrinsecum, vnde si in sacramentis ponenda esset causalitas physica in gratiam, dixi magis connaturale esse, vt Deus eleuaret in actu primo aquam, v. g. per aliquam qualitatem intrinsecam ad gratiam producendã; quæ quidem qualitas non ipsa sola ageret, sed simul cum substantia aquæ, sicut habitus infusus non solus agit, sed simul, & immediatè intellectus etiam, vel voluntas creata: deseruiret tamen qualitas illa intrinseca, vt aqua in actu primo esset intrinsecè proportionata cum effectu producendo, & gratia non oriretur à causa sibi omnino improportionata. Vnde vides, habitus infusos ex duplici capite requiri, vt actus supernaturales connaturalius eliciantur. Primo propter rationem supra traditam quatenus actus supernaturales sunt operationes ordinis diuini, quæ vt connaturaliter fiant, debent supponere hominem constitutum in ordine diuino per gratiam habitualem, quæ, cùm sit prima quasi natura, & essentia in illo ordine, & principium radicale, exigit potentias permanentes eiusdem ordinis diuini, per quas proximè operetur actus sibi proportionatos. Secundò & magis vniuersaliter, quia, vt ij actus magis connaturaliter fiant, debet principium in actu primo proportionatum esse cum effectu, quantum fieri possit, atque ideo per aliquid intrinsecum. Quæ secunda ratio procedit adhuc, quando deest habitus permanens, vt si adhuc eleuandus sit homo ad actus fidei, vel alios supernaturales, eleuetur potius per aliquam qualitatem intrinsecam, quàm per auxilium merè extrinsecum; de hoc tamen latius in dicto tractatu de visione Dei, vel in tract. de gratia dicendum erit. Nunc sufficiat breuiter tetigisse.

Obiectio 3.

Obiectio vltima.

SECTIO IV.

Vtrum species ad actum fidei debeant etiam esse supernaturales in substantia.

55 *Sententia affirmans.* ALiqui in tantum extendere volunt fidei supernaturalitatem, vt & apprehẽsiones præcedentes, & species impressas velint etiam esse supernaturales in substantia. Et in primis species supernaturales esse docuerunt quidam, quos tacito nomine refert Turrianus *in præsenti disp.* 38. *dub.* 5. quos tacito item nomine refert Coninch. *disp.* 16. *dub.* 2. *n.* 10. quibus expressè consentit id latè probans Granado *in præsenti tract.* 13. *disp.* 7. & breuiùs id etiam concedit Hurtado *disp.* 58. *sect.* 4. §. 36. quorum fundamenta postea referam, & dissoluam.

56 *Sententia negans, & vera.* Contraria sententia negans, requiri ad actum fidei species supernaturales cõmunis & vera est. Ita Suarez *lib.* 2. *de attributis, cap.* 15. *n.* 9. Vasquez *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 43. *cap.* 5. *numero* 15. Bañes 1. *part. quæst.* 88. *art.* 3. Ægidius de præsentatione, & Cabrera apud Granadum *vbi supra num.* 3. & alij omnes id communiter supponunt, quos latè congerit, & sequitur Ripalda *tom.* 1. *de ente supernaturali disp.* 54. (quem post hæc scripta vidi) & expressè probant Turrianus *dicto dub.* 5. & Coninch. *dicto dub.* 2. *num.* 13. Qui id probat, quia si eiusmodi species requirerentur, id esset, vt obiectum fidei clarius apprehenderemus: ad hoc autem non deseruiunt de facto, vt constat experientia, neque enim fideles melius apprehendunt obiecta fidei, quàm hæretici, imò hi, si docti, & ingeniosi sint, meliùs ea apprehendunt, quàm Catholici rudes. Hoc tamen argumentum non est efficax, qui enim eas species exigunt, non id faciunt, vt obiectum clariùs apprehendatur, sed vt sint principium proportionatum actus fidei supernaturalis. Sicut etiam iudicium euidens de credibilitate fidei non ideo ponitur supernaturale, vt clariùs proponatur obligatio credendi, sed vt sit cognitio proportionata ad piam voluntatem credendi supernaturalem, vt *infra* videbimus.

57 P. Turrianus id probat, quia ante primum actum fidei non cognouimus intuitiuè aliquod obiectum supernaturale, ergo non habemus speciem supernaturalem ad primum actum fidei supernaturalem: hic enim est obscurus ergo non fit per species repræsentãtes mysteria fidei clarè, vt sunt in se: ergo illæ species sunt propriæ aliorum obiectorum non supernaturalium, sed naturalium. Cognoscimus enim mysteria fidei instar rerum materialium, quarum habemus cognitionem. Hæc probatio minùs efficax est: solùm enim probat, non præcedere species supernaturales intuitiuas, cur autem non possent esse supernaturales abstractiuæ? Denique sicut ipse actus fidei exprimit obscurè mysteria fidei, & instar rerum materialium, & tamen supernaturalis est: cur idem non potest dici de specie impressa præcedente? Certè loquendo de possibili nulla videtur repugnantia maior in specie impressa, quàm in expressa, vt id totum, quod habet species expressa, quæ coniungit supernaturalitatem cum omnibus illis imperfectionibus, non possit habere species impressa, quæ ex vno capite sit supernaturalis quatenus ex se ordinatur ad producendum simul cum habitu infuso actũ supernaturalem, & ex alio capite habeat in se per modum actus primi omnes illas imperfectiones, quas habet in actu secundo species expressa, seu actus supernaturalis fidei, ad quem ordinatur.

His ergo probationibus omissis, probari potest assertio nostra, quia hæ species supernaturales vel infunduntur à solo Deo, vel producuntur ab obiectis mediatè, vel immediatè, sicut producuntur species aliæ intellectuales, quibus vtimur. Neutrum autem de facto dicendum videtur, ergo. Et quidem Auctores illi videntur concedere species illas à Deo infundi: ita enim loquuntur Grauado *num.* 6. & Hurtad §. 36. Hoc autem esse falsum, probari potest: quia si id verum esset, Prædicatores, & Magistri nullum prorsus influxum haberent in conuersionem infidelium, eorumque ministerium esset apparentia sola phantastica ad nihil deseruiens, nisi, vt tegeretur operatio Dei, qui solus interius species ministraret absque vllo concursu prædicationis humanæ. Quare immeritò Paulus diceret, *ego plantaui*, & immeritò etiam interrogaret, *quomodo credent sine prædicante?* Ridiculus enim esset, & alienæ gloriæ vsurpator fraudulentus, qui diceret se aliquam arborem plantasse, eo quod ipso semen iaciente, quod nihil prorsus germinauit, alius semen aliud diuersum in eodem solo posuit, ex quo arbor nata est. Si ergo prædicator speciem in audiente generat, quæ species fœtilis omnino remanet, nec cognitionem vllam parturit, vel producit, sed sola species alia à Deo infusa id totum facit, ipse homo non magis plantat, vel docet, quàm si surdo loqueretur, & Deus eodem tempore eadem obiecta reuelaret. Immeritò ergo & sine fundamento idem Paulus discipulos, suos alloquitur, dicens, *per Euangelium ego vos genui.* Imò enim solus Deus eos per Euangelium genuit, cum semen Euangelicum à Paulo in audientium mentes iactum sterile omnino manserit, & absque vllo prorsus effectu. Fatendum ergo est, species illas, quas prædicatio gignit in mentibus audientium, influxum habere saltem mediatum in assensum Euangelio, & fidei præstitum, ne totam prædicationem Euangelicam phantasticam, & apparentem reddamus, si Deus solus ad præsentiam prædicatoris species alias infundat, sicut si ad cantum Galli illas infunderet.

58 *Probatur sententia.*

59 Dices, species à prædicatione acceptas deseruire ad primas apprehensiones: postea verò apprehensis extremis infundi à Deo speciem aliam supernaturalem, quæ deseruiat ad actum fidei. Sed contra hoc est, quia in primis maius fundamentum est, vt dicamus apprehensiones præcedentes fidem esse supernaturales, quàm species impressas, & ita id concedit Granado, vt postea *sect.* 62 *sequenti* videbimus. Deinde vel illæ apprehensiones influunt, aut deseruiunt ad actum fidei mediatè, aut immediatè, vel non deseruiunt. Si non deseruiunt, redit argumentum factum, quod nec prædicatio deseruiet, cùm hæc non conferat, nisi quatenus mediis speciebus naturalib. genuit eas apprehensiones, quæ tamen nihil postea deseruiunt ad actum fidei. Si verò apprehensiones illæ naturales deseruiunt, & conferunt ad actum fidei, ergo sicut apprehensiones illæ naturales eleuari possunt, vt conferant, & concurrant ad actum

actum fidei supernaturalem; ita poterunt species naturales eleuari, & cõcurrere ad eundẽ actũ fidei.

60 Si verò dicas, species illas supernaturales non infundi à solo Deo, sed produci ab obiectis mediatè, vel immediatè, sicut produci solent aliæ species intellectuales, quibus vtimur: contra hoc est, quia sicut obiecta naturalia, vel sensationes, quibus percipiuntur, aut actus phantasiæ, cũ sint naturales in sua entitate possunt eleuari ad generãdas species illas supernaturales, ita ipsæ species, quamuis naturales sint, poterunt eleuari ad producendum simul cum habitu infuso actum fidei supernaturalẽ, quæ eleuatio facilior est: nam adest comprincipium aliquod supernaturale, à quo eleuentur species, nempe habitus infusus; & quidem potentia cum vno principio supernaturali iã habet vires, vt trahat secũ omnia alia principia naturalia ad producendũ effectum supernaturalem. At verò ad producẽdas ipsas species intellectuales supernaturales non præcedit principium aliquod supernaturale, sed solus intellectus agẽs, & actus phantasiæ, & species aliæ antecedentes, quæ omnes sunt entitates naturales, nec dari debet alius habitus infusus, qui sit quasi intellectus agens solum ad producendas species supernaturales.

61 Solùm dici posset, species requiri potiùs supernaturales, quàm apprehensiones præcedẽtes, quia apprehensiones non concurrũt physice in genere causæ efficientis, sed solum quasi formaliter proponẽdo obiectum, & extrema iudicij futuri: proportio autẽ eiusdem ordinis requiritur magis inter causam & effectũ. Contra hoc tamen est, quia in primis, si vltra apprehensiones requiritur species ad iudiciũ, illa species, vel est eadẽ, quæ præcessit apprehensiones, & hæc fuit naturalis, cùm accepta fuerit ab obiectis & deseruierit ad apprehẽsiones naturales: vel requiritur alia species noua diuersa producta post apprehẽsiones, & repræsentans non solùm extrema, sed connexionẽ inter illa, quam affirmat actus iudicij: & de hac specie noua redit eadem difficultas; quia cùm hæc species non detur, nisi post apprehensiones, supponit illas, & oritur ab eis: debet autẽ oriri ab eis tanquã à suis causis: quia sicut species intellectuales primæ oriuntur ab obiecto mediis sensationibus, & actibus sensus interni; ita hæ species vlteriores ideo procedunt etiam mediatè ab obiectis, quia procedunt ab apprehensionibus, quæ etiam mediatè ab obiectis processerunt, vt ita omnis cognitio, & species nostra, quantum fieri potest, procedat ab obiecto saltem mediatè, sicut ergo species illa vltima supernaturalis fit ab apprehensionibus naturalibus eleuatis, ita & facilius poterit actus fidei fieri à speciebus naturalibus eleuatis per habitũ infusum, vt vidimus. Si autem species illa vltima, quia supernaturalis est, non fit ab apprehensionibus, actus fidei non procedet ab obiecto, nec à speciebus ex prædicatione genitis, quod esset inconueniens, vt probatum est.

62 Cæterùm in mea sententia post apprehensionem vltimam non requiritur species immediatè concurrens ad actum iudicij, sed ipsæ apprehensiones determinant intellectum ad actum iudicij, & cõcurrunt loco obiecti, quatenus illud proponunt sufficienter ad assensum. Sicut propter eandem rationem dixi, neque etiam post præmissas, & cognitionem bonitatis illationis requiri nouum concursum speciei ad assensum conclusionis, sed ipsas præmissas formales, & cognitionem bonitatis illationis concurrere ex parte obiecti, & determinare ad assensum conclusionis: si ergo apprehensiones præcedentes assensum sunt naturales, & tamen concurrunt, ita possent species naturales concurrere. Si verò apprehensiones sint supernaturales, sequuntur eadem incommoda, quia fierent à speciebus naturalibus, vel si fierent à speciebus supernaturalibus infusis à solo Deo, prædicatio non influeret. Si denique species illæ supernaturales procederent ab obiecto etiam, vel à sensatione naturali: ergo sicut obiectum, vel sensatio naturalis eleuantur ad productionem speciei supernaturalis, ita & facilius species naturales possent eleuari ab habitu fidei ad producẽdum actum fidei supernaturalem, vt probatũ est.

63 *Arguitur ex absurdis quæ concedunt auctores contrariæ sententiæ.*

Secundo possumus specialiter arguere ad hominem contra illam sententiam ex absurdis, quæ eius auctores concedunt, vt eam defendant. Nam in primis Granado *dicta disp. 7. n. 8.* cum neget species illas accipi ab obiectis mediatè, vel immediatè, consequenter concedit, species illas infũdi à Deo ab initio simul cum ipso habitu fidei, antequam proponantur mysteria credenda, atque esse omnes illas species in intellectu paruuli ante vsum rationis; non tamen exire in suum actum quia obiectum nondum est propositum. Quod certè nihil aliud est, quàm concedere in paruulo baptizato scientiam infusam omnium mysteriorum fidei, non claram sed obscuram, & impeditã propter absentiam obiecti, quod ex se patet, quã sit contra mentem omnium Theologorum. Deinde si species illæ incarnationis sint iam in intellectu, non apparet, cur adultus, cui nondum est proposita incarnatio, non possit eam cognoscere. Respondet rationem esse, quia illæ species sunt accommodatæ modo connaturali intelligendi, quem de facto habemus, dum anima est vnitã corpori & ita non esse sufficientes ad determinandum intellectum, donec proponatur fides, vt ita à sensibus incipiat, sicut & omnis alia cognitio.

64 Sed contra hoc est quia modus intelligendi animæ nostræ etiam in corpore non est, quod semper incipiat à sensibus quãdo ipse intellectus habet aliunde species, vt constat, quando experimur nostros actus intellectus, & voluntatis, quos habemus; tunc enim cognitionem illius actus non accipimus à sensibus, quia non experiuntur talem actum, sed ipse intellectus experitur actum præsentem, dependentia autem à phãtasia, vt notaui in Philosophia, consistit in hoc quod intellectus vel accipiat speciem ab illa, vel excitetur ab ea specie, quam iam intellectus habet, vel certè quod non possit intellectus aliquid cognoscere, quin simul phantasia operetur, & cognoscat idem obiectum si potest, sin minus cognoscat aliquid aliud materiale proportionatum obiecto spirituali, quod intellectus cognoscit & hoc est intelligere semper dependẽter à phantasmatibus, dependentia scilicet regulariter antecedenti, aliquando solum concomitanti, vel consequenti. Si ergo intellectus adulti haberet iam ab initio species incarnationis, & aliorum mysteriorũ, posset illa cognoscere dependenter à phãtasia in hoc sensu, quod simul phãtasia deberet per species rerum materialiũ, quas habet cognoscere aliquid materiale proportionatũ, sicut cognoscimus nostros actus spirituales, quos habemus, & quorum notitiam non accipimus à sensibus, cum hac sola dependentia à Phantasia, simul operante circa aliud obiectum materiale proportionatum.

Secundò idem Granado *num. 10.* ne cogatur

ponere ab initio infusas innumeras species, quia innumera sunt obiecta, quæ à Deo reuelari possunt, dicit, vnicam esse speciem, quæ repræsentat ea omnia obiecta, nam sicut idem habitus infusus ad ea omnia extenditur, quia omnia attingit sub reuelatione diuina; ita potest esse vnica species, quæ etiam ea omnia repræsentat, tanquam obiecta materialia sub ratione formali auctoritatis diuinæ. Hoc etiam durissimum est, & contra doctrinam omnium Theologorũ, & Philosophorum, & contra ipsam experientiam, qua experimur, nos bene concipere aliquod mysterium nobis distincte, propositum, & sæpius enucleatum, aliud verò difficillimè, quia non ita nobis propositum est. Theologi item, qui ponunt in Angelis pro maiori eorum perfectione species magis vniuersales, & quæ se extendant ad plura obiecta; non tamen ponunt vnicam speciem, quæ se extendat ad omnia; imo credunt Angelum habentem speciem impressam magis vniuersalem, posse etiam habere vnicam speciem expressam, quæ terminetur ad omnia obiecta simul, quæ repræsentantur per illam speciem impressam, & ideo dari Angelo perfectiori speciem magis vniuersalem, quia potest pro maiori capacitate sui intellectus attendere simul eodem actu ad plura obiecta diuersa. Illa autem vnica species infusa ad omnia obiecta credibilia non est talis, nec posset fidelis ea vti, nisi ad vnicum obiectum.

66 *Hurtado magis consequenter loquitur.*

Propter hæc magis consequenter Hurtado *vbi supra* §. 37. supponit has species esse plures, & infundi à Deo, postquam aliquis vult iam pia affectione efficaciter credere: in quo minus consequenter loquitur Granado *num.* 11. dicens, has species infundi à Deo, vel cum habitu fidei; vel quando quis actu credit, & ideo non esse in infideli, quia nunquã credidit, esse tamen in homine fideli, qui iam semel credidit. Hoc inquam, minùs consequenter dictum est, & repugnantiam inuoluit: nam si species infusa necessaria est ad credendum, debet dari non solum ei, qui iam credit, sed ei etiam qui potest credere, vt credat, si voluerit. Cùm ergo hæreticus, etiam si actu non credat, possit tamen in actu primo credere, atque ideo habeat ex parte actus primi omnia requisita ad credendum, debet habere etiam speciem infusam, sine qua non potest credere actu supernaturali, & prout oportet ad salutem.

67

Nec satisfacit Hurtado dicens, infundi has species antequam fiat actus fidei, sed tamen post voluntatem efficacem credendi. Contra hoc enim in primis est, quod ante assensum fidei, & ante ipsam etiam voluntatem liberam credendi præcedunt apprehensiones vltimæ necessariæ ad assensum, cùm hæ non sint liberæ, sed necessariæ, & difficilius est, quod hæ apprehensiones ad actũ supernaturalem non sint supernaturales, quàm species, vt videbimus: ergo ad apprehensionem illam debuit etiam infundi species supernaturalis ante voluntatem credendi. Quod magis vrget aduersus hunc Auctorem, qui *eodem* §. 37. ideo dicit, speciem illam esse supernaturalem, quia obiectum est supernaturale: cùm ergo obiectum vltimæ apprehensionis & iudicij sit idem; (non enim differunt apprehensio vltima, & iudicium penes obiectum, sed penes diuersum modum tendendi ad idem obiectum, apprehendendo solùm, vel affirmando, & assentiendo, ac quasi subscribendo eidem obiecto, quod fit per iudicium) consequens est, vt species requisita ad illam vltimam apprehensionẽ debeat etiam esse supernaturalis, & dari ante voluntatẽ liberam credendi.

Denique eadem difficultas remanet de speciebus requisitis ad iudicium euidens credibilitatis, quod supernaturale etiam est, vt suppono, & ideo qui ad actum fidei exigunt species supernaturales, eas etiam consequenter exigunt ad iudicium illud credibilitatis, in quo militat eadem ratio, qua ex sola supernaturalitate actus credendi dicit Granado *d. disp. 7. num.* 6. otiri hanc necessitatem speciei infusæ, & ideo *n.* 7. expresse concedit species ad illud iudicium debere esse etiam supernaturales à Deo infusas. Si ergo ad illud iudicium requiruntur etiam species infusæ, quia supernaturale est, hæ species infundi debent ante voluntatem credendi, quam præcedit omne iudicium illud, ac per consequens species hæ infusæ manebunt in hæretico, qui licet non velit credere, habet sæpè iudicium illud de obligatione credendi. Neque est iuxta naturam speciei semel acceptæ, vt auferatur, vel corrumpatur, saltem nisi post diuturnum tempus: quare non minùs hæretici, vel infideles, quàm catholici habebunt species permanentes infusas circa obligationem credendi obiecta fidei sibi sufficienter proposita.

Vltimò probari potest assertio nostra, quia nulla est necessitas concedendi eiusmodi species infusas, nec multiplicanda sunt entia supernaturalia sine necessitate, maximè contra communem Theologorum sensum, & contra experientiam, qua videmur nobis ab aliis prædicatoribus & magistris accipere nos species obiectorum quæ credimus, & quibus ad credendum vtimur, non minùs, quàm species aliorum obiectorum accipiamus à propositione externa. Portò nullam esse talem necessitatem, constabit nunc ex solutione argumentorum, quæ afferuntur ad eam probandam.

Primò ergo arguunt, quia obiectum est supernaturale, ergo species debent esse supernaturales: quia causa supernaturalis maximè adæquata producit effectum supernaturalem: obiectum autem, hoc est, reuelatio vel est causa illius speciei, vel Deus accommodans se concursui simili ei, quem petit tale obiectum. Ita arguit Hurtado *dict.* §. 36. Respondeo, hoc argumentum probare, quod non solùm dentur species supernaturales, ad fidem, sed quod nullas species naturales eorum obiectorum accipiamus à prædicatione externa, cùm eadem obiecta nobis à Magistris fidei proponantur, quæ postea credimus. Consequens autem meritò negauit Granado *tract. 9. disput. 5. numero* 6. in responsione ad secundam confirmationem. Dicimus itaque in primis obiectum, aut reuelationem ipsam non esse semper supernaturalem in substantia, nam reuelatio etiam immediata Dei possunt esse voces illæ sensibiles externæ, quibus Deus loquitur homini, quæ sunt sonus naturalis. Deinde etiamsi reuelatio esset supernaturalis; species tamen, quæ nec est intuitiua, nec quidditatiua obiecti supernaturalis, potest non esse supernaturalis, vt constat experientia, si quidem lumine naturæ possumus cognoscere aliquod ens supernaturale esse possibile, & probabiliter iudicare, quod existat, & secluſa omni specie infusa, possemus naturaliter audire prædicationem fidei, & concipere omnia eius obiecta, quæ de facto nobis proponuntur, per species solùm naturales.

Secundò

70 Secundò arguunt, quia ad actum fidei, vel ad alios actus supernaturales intellectuales requiruntur duo principia, scilicet habitus ex parte intellectus, & species ex parte obiecti; ergo sicut non sufficit habitus naturalis, quia quantumuis ille eleuetur, adhuc est principium improportionatum ad actus supernaturales; ita nec sufficient naturales species. Ita arguit Granado *dicta disp. 7. num. 6.* Respondetur, negando sequelam. Sufficit enim habitus supernaturalis, vt eleuet alia compricipia naturalia, scilicet intellectum & speciem, ad producendum effectum supernaturalem: Sunt enim aliqua principia supernaturalia, quibus eo ipso debetur concursus aliarum concausarum naturalium, vt ponatur effectus, ad quem ordinantur, neque est necessaria alia eleuatio ex parte singularum causarum. Sic corpus gloriosum per dotem subtilitatis habet posse penetrari cum quolibet alio corpore: ad quam penetrationem non est necesse, quod illud corpus, cum quo penetratur, eleuetur etiam per dotem subtilitatis, sed eo ipso, quod tale donum supernaturale est in vno corpore, debetur illi, quod alia etiam corpora non resistant, nec moueantur, sed penetrentur cum ipso. Magisque ad rem nostram exemplum esse potest, si esset aliquis oculus supernaturalis, non indigens lumine ad videndos colores, non esset necessaria noua eleuatio ex parte obiectorum, vt possent eo oculo videri, sed si obiecta ex se etiam sine lumine producunt species, possent concurrere cum tali oculo supernaturali ad visionem. Item si per impossibile esset aliqua substantia, & intellectus supernaturalis, non esset necessaria eleuatio ex parte obiectorum, vt intelligi possent ab intellectu: alioquin noxia esset supernaturalitas tali intellectui, si ratione illius non posset obiecta naturalia percipere. Deniq; de facto conclusio Theologica supernaturalis procedit ab vna præmissa de fide supernaturali, & ab altera euidenti naturali, vt vidimus *disp. 1. sect. 13.* quia præmissa supernaturalis eleuat alteram naturalem, vt producat secum conclusionem supernaturalem, & intellectui cum præmissa vna supernaturali debetur, quod possit inferre conclusionem posita altera præmissa naturali, ne maneat contram suam naturam cum vtraque præmissa suspensus, quin possit discurrere, & assentiri veritati conclusionis. Sic ergo se habet habitus fidei, qui est quasi potentia cognoscitiua supernaturalis, & debetur illi, quod obiecta sufficienter proposita possint terminare eius actus, & per consequens, quod possit secum trahere species, & eleuare illas ad suum actum producendum.

71 Solùm posset aliquis nobis opponere id, quod dicebamus in fine sectionis præcedentis, connaturalius esse, quod causa improportionata, quando eleuatur ad effectum supernaturalem sibi improportionatum, eleuetur per eleuationem sibi intrinsecam, & non per solam extrinsecam, vnde consequenter dicendum videtur, quod non seruaretur hoc debitum connaturalitatis si species naturales eleuarentur solùm quasi extrinsecè ab habitu fidei ad actum sibi improportionatum, & ordinis superioris, sed potius ipsæ etiam species debent intrinsecè eleuari, vel certè poni species supernaturales, quæ non indigeant eleuatione. Ad hoc tamen responderi potest, nos ibi loquutos fuisse de causis, quæ per se eleuantur, & concurrunt ad effectum supernaturalem, non de causis, quæ solum per accidens concurrunt propter coniunctionem cum alia concausa, cui debetur earum concursus; In his enim non requiritur propria, & intrinseca earum eleuatio prout in exemplo proposito præmissa naturalis per accidens concurrit ad conclusionem Theologicam supernaturalem propter cõiunctionem cum præmissa fidei supernaturali, quem effectum præmissa naturalis ex se non intendebat, sed alium diuersũ; sicut etiam præmissa vera cum altera præmissa falsa concurrit per accidens ad conclusionem falsam præter intentionem præmissæ veræ, quæ ex se nõ ordinabatur ad conclusionẽ falsam, sed ad veram. Ratio autem differentiæ inter vtrasque causas esse potest, quia causa per accidens, quæ propter coniunctionem cum alia concausa trahitur ad alium diuersum effectum producendum iam in actu primo per se intendebat aliquid, quod quia ex parte saltem inuenit in eo effectu concurrit ad illum, licet non ordinaretur per se ad totum, quod in effectu inuenitur. Sic equus per se intendit in actu primo generare alium equum sibi similem, à concursu tamen asinæ trahitur ad generandum per accidens mulum, in quo inuenit aliquas equi proprietates, licèt non omnes. Sic etiam præmissa naturalis licet ex se in actu primo non ordinetur ad conclusionem supernaturalem, ordinatur tamen ad conclusionem, & assensum propter motiuum, quod est in ipsa præmissa, quod inuenit etiam in conclusione supernaturali, licet sit aliquid aliud; ad quod præmissa naturalis per se non ordinabatur: & idem est de specie naturali concurrente per accidẽs ad actum fidei supernaturalem propter cõcursum habitus supernaturalis. Quare iam in iis causis inuenitur in actu primo aliquis ordo per se ad effectum, nempe ad alium cui similis est hic effectus, in aliquibus prędicatis licet per accidens sit dissimilis in aliis. Quando verò causa non per accidens sed per se eleuatur ad aliquem effectum, si eleuatio non sit intrinseca, non habet per se ordinem in actu primo ad effectum, v.g. aqua ex se, & vt condistincta ab eleuatione, non ordinatur per se in actu primo ad gratiam neque ad aliquid simile gratiæ, quare effectus procedet à causa, quæ in actu primo nullo modo ordinetur ad effectum, neque ad aliqua eius prædicata, & ideo diximus, debere connaturalius eleuari intrinsecè, vt in actu primo habeat ordinem intrinsecum ad effectum.

72 Dices, idem dici posse de intellectu, quod ex se in actu primo ordinatur ad obscurum naturalem circa obiectum fidei: per accidens verò propter concursum habitus infusi, vel alterius principij supernaturalis producit intellectionem supernaturalem, in qua tamen reperiũtur prædicata similia illi actui, ad quem ordinabatur intellectus secundum se: quare ex hoc capite, non est cur intellectus eleuetur per aliquid intrinsecum, sed sufficienter, & æquè connaturaliter posset eleuari meræ extrinsecè. Respondeo ex alio capite requiri in intellectu habitũ intrinsecũ, vt supra vidimus ad actus supernaturales, quatenus ij actus supponunt ex se principium radicale ordinis diuini ad quod consequi debent potentię proximę eiusdem ordinis, qui sunt habitus infusi. Quod verò attinet ad illam aliam rationem generalem, vt in actu primo causa sit intrinsecè proportionata, & ordinata per se ad effectum; potuisset quidem intellectus eleuari etiam per aliquid extrinsecum, si daretur aliqua concausa creata supernaturalis extrinseca

trinseca intellectui, quæ ex se ordinaretur ad illum actum supernaturalem, & exigeret concursum intellectus ad illum. Talis autem causa non datur, quia non esset substantia supernaturalis, sed accidens; hoc autem non esset nisi virtus data ad eleuandum intellectum, atque adeò ex natura sua deberet inhærere ipsi intellectui, ad cuius eleuationem ordinatur.

73 *Obiectio 3.* Tertiò arguit idem Granado, quia species & habitus debent esse eiusdem ordinis, cùm ex vtroque constituatur integrum principium actus: ergo sicut habitus ad actus fidei est supernaturalis, ita & species. Respondetur negando antecedens in vniuersum: nam sicut obiectum non debet esse eiusdem ordinis cum habitu, vel potentia cognoscitiua, ita neque species, quæ se tenet ex parte obiecti, & supplet concursum illius. Differentia hæc est, quod obiectum cùm non debeat inhærere potentiæ cognoscitiuæ, potest esse magis materiale quàm illa, atque ideo intellectus spiritualis potest intelligere obiecta materialia: species verò quæ datur ad instruendam, & complendam potẽtiam cognoscitiuam, vt ipsa sine concursu immediato obiecti possit adæquatè producere cognitionem illius, debet accommodari, & proportionari potentiæ in immaterialitate, atque ideo anima spiritualis debet recipere species spirituales obiectorum materialium, quia aliàs non possent recipi in subiecto adæquato spirituali. Quoad supernaturalitatem verò non requiritur hæc proportio, sicut nec inter obiecta materialia, & habitum supernaturalem, per quem possunt cognosci.

74 *Obiectio 4.* Quartò arguit, quia habitus scientiæ infusæ in Christo exigebat species etiam supernaturales proportionatas illi habitui; ergo habitus etiam infusus fidei exiget species supernaturales, cum militet eadem ratio in vtroque habitu. Respondetur negando consequentiam: ratio enim cur species scientiæ infusæ in Christo fuerint supernaturales, supposito quod fuerint supernaturales, vt cum probabiliori sententia supposiri *disp.* 20. *de Incarnatione sect.* 5. non est, quia habitus erat supernaturalis, quam rationem ibi etiam impugnaui, sed quia non poterat dari species naturalis omnium creaturarum possibilium, vel etiam futurarum; cum species quidditatiua naturalis supponat existentiam sui obiecti, & non possent supponi existentia omnia obiecta possibilia, vel futura, quare nulla potuit esse species naturalis, quæ ea omnia obiecta repræsentaret: quàm rationem latiùs explicui loco citato de Incarnatione.

75 *Obiectio 5.* Quintò arguit, quia ad conclusionem supernaturalem exiguntur præmissæ supernaturales, ergo ad iudicium supernaturale requiritur etiam species supernaturalis, cùm non minus requiratur species ad iudicium, quàm præmissæ ad conclusionem. Respondetur, antecedens non esse vniuersaliter verum: nam conclusio Theologica est supernaturalis, vt dixi *disp.* 1. *sect.* 13. & sequitur ex vna præmissa aliquando naturali. Cur autem in discursu formali fidei ex veracitate, & reuelatione Dei vtraque præmissa sit supernaturalis, diximus *eadem disputat.* 1. *sect.* 6. & dicemus etiam sectione sequenti.

76 *Nonnulla inferuntur ex dictis.* Nunc ex dictis infero primò, quod dictũ est de speciebus requisitis ad assensum fidei, dicendum esse cum proportione de speciebns requisitis ad iudicium euidens credibilitatis, quod licèt sit etiã supernaturale, vt dicemus *disp. seq.* species tamen, quæ ad illud requiruntur, possunt esse naturales desumptæ ab obiectis, & à prædicatione & propositione motiuorum.

Infero secundò, quid dicendum sit ad illud dubium, quod proponit idem Granado *dicta disput.* 7. *num.* 12. an postquam aliquis habet actum fidei, maneat in intellectu species supernaturalis producta ab eodem actu fidei supernaturali, qua postea eiusdem actus recordemur. Ad quod respondet negatiuè, sed emanare solum speciem naturalem, cuius virtute postea recordamur actus præteriti. Nam licèt res inferioris ordinis non possint producere effectum supernaturalem; potest è contra res supernaturalis producere effectum naturalem & inferiorem. Porrò speciem illam non posse esse supernaturalem probat, quia alioquin actus memoriæ subsequẽs esset supernaturalis; quod tamen repugnat, quia esset certus, & recordaremur certò, quod habuimus actum fidei, vel charitatis supernaturalem, quod est omnino falsum, cùm nemo certò sciat se exercere actus supernaturales, & aliunde actus supernaturalis non potest esse incertus.

Totus hic discursus difficilis est. Primò quia licèt aliqua causa supernaturalis posset producere aliquos effectus naturales; id tamẽ peculiarẽ difficultatem habet in specie producta ab actu supernaturali. Alij enim effectus ideo sunt naturales, quia iidem, qui fiunt à causa supernaturali, potuissent fieri ab alia causa naturali, & ideo sunt naturales, quia non superant vires causarum naturalium, à quibus potuissent produci: species verò quæ remanet ex hoc actu fidei non potuit vnquam connaturaliter fieri ab alio actu naturali: si enim repræsentaret aliud obiectum, & alium actum præteritum, non esset hæc eadem species, sed alia, quia hæc species per suam entitatem est repræsentatiua huius actus, & non alterius: ergo hæc species non potuit eadem fieri ab alio actu naturali, vel supernaturali, nisi ab hoc quem repræsentat. 77

Deinde ratio, qua probat speciem illam non posse esse supernaturalem, non est efficax: quia species illa, & actus memoriæ ex ea postea genitus nec certò nec incertò repræsentat supernaturalitatem actus præteriti; nã licèt generetur immediate ab obiecto, nempe ab ipso actu, est tamen confusa & solùm repræsentat distincte assensum sub ratione assensus ad tale obiectum. Sicut etiam de facto cognitio reflexa, qua experimur nos habere aliquem assensum naturalem, non repræsentat certò, nec incertò, an ille sit ens reale, vel modale, sed solum, quod sit assensus: quia licèt sit cognitio intuitiua, est tamen confusa, nec potest reddere rationem de omnibus prædicatis sui obiecti. 78

Aliunde ergo dicendum est ex iis, quæ insinuaui in superioribus, & alibi latiùs explicui, ex actibus fidei, & aliis actibus supernaturalibus, relinqui in nobis species, quibus eorum actuum recordemur, quæ species non sint simpliciter, & rigorosè supernaturales, sed solũ præsuppositiuè & secundùm quid, id est, tales, quæ non possint fieri, nisi posito tali actu supernaturali: ipso tamen posito debeantur non solum ordini, & agẽtibus supernaturalibus sed etiam ipsi naturæ, quæ quia natura intellectualis est, exigit species suorum actuum, quos habet, vt de ipsis possit reddere rationem, & gubernare, ac regere suas operationes iuxta id, quod cognouit, & decreuit: 79

sicut

sicut etiam cognitio qua Angelus cognoscit euidenter Lazarum resurrexisse à mortuis, est præsuppositiuè supernaturalis, quia non potuit esse in Angelo, nisi præcedente miraculo resurrectionis, quod superat vires naturæ: posita tamen resurrectione, debetur naturæ Angeli, quod viribus suis naturalibus cognoscere possit, hominem illum prius obiisse, & nunc iterum viuere atque ideo resurrexisse. Tales ergo sunt species relictæ ab actibus supernaturalibus, & memoria, qua illorum recordamur: nempe supernaturales solum præsuppositiuè quatenus ad sui existentiam præsupponunt necessario aliquid supernaturale, sed tamen debitæ naturæ intellectuali ex suppositione, quod sint in nobis actus supernaturales.

SECTIO V.

An sint supernaturales apprehensiones præcedentes actum fidei.

80 DE hoc disputat idem Granado *tract.9.disp.5.* & affirmat, eas apprehensiones debere esse supernaturales, sicut dixit etiam de speciebus, vt vidimus *sectione præcedenti*, quod etiam de aliquibus saltem complexis docet Ripalda tom. 1. de ente supernaturali *disp.49. num.35.* & *disp.60.* & quidem, vt *ibi* dixi, facilius id admitti posset de apprehensionibus, quàm de speciebus, quia posset dici, habitum infusum, eo ipso, quod habet virtutem producendi actum perfectum, & assensum circa aliquod obiectum, posse etiam producere actum minus perfectum circa idem obiectum, qualis est, simplex apprehensio, sicut in voluntate habitus infusus charitatis, vel misericordiæ, v.g. qui potest elicere actus absolutos, videtur posse etiam elicere simplices complacentias circa suum obiectum, quæ ratio non procedit in speciebus, ad quas producendas non datur habitus, sed hæ accipiuntur mediatè, vel immediatè ab obiectis.

81 *Non est sufficiens fundamentum, quòd cogat ad exigendam supernaturalitatem in iis apprehensionibus, quæ præcedunt actum fidei.*

Cæterùm non video sufficiens fundamentum, quod cogat ad exigendam supernaturalitatem in iis apprehensionibus, quæ præcedunt actum fidei: & aliunde non videntur multiplicandi actus supernaturales sine necessitate, ne paulatim omnes actus intellectus faciamus supernaturales, quatenus plurimi, & frequenter possunt saltem mediatè deseruire ad actum supernaturalem. Quod periculum maximè vrget ad hominem cõtra Granadum, qui ideo vult apprehensiones illas esse supernaturales, quia ad omne iudicium prærequiruntur apprehensiones, ergo ad iudicium supernaturale prærequiruntur apprehẽsiones supernaturales. Quod argumentum videtur probare multum, nimirum non solum de vltima apprehensione proximè præcedenti actum fidei, sed etiam de aliis apprehensionibus remotis: nam sicut assensus fidei prærequirit illam apprehẽsionem proximam repræsentantem sine assensu extrema, & connexionem inter illa, cui connexioni assentimur postea per actum fidei: ita apprehensio illa prærequirit alias apprehensiones præcedentes, sine quibus non possemus immediatè habere apprehensionem illam vltimam: ergo sicut apprehensio vltima debet esse supernaturalis, quia prærequiritur ad actum fidei supernaturalem; ita apprehensione penultimæ erunt supernaturales, quia præcedunt & prærequiruntur ad apprehensionem vltimam supernaturalem: vnde rursus idem argumẽtum fieri poterit de antepenultimis, & de aliis omnibus, donec perueniamus ad primam quæ oritur à specie accepta à sensibus, vel à phantasia, atque ita cognitiones omnes intellectuales, quibus percipimus concionatorem, & concionem integram, erunt supernaturales quia ab iis saltem mediatè procedit fides circa mysteria Euangelica, quæ proponit.

82 Vnde consequenter ad fundamentum illud, dicendum idem esset in materiis aliarum omniũ virtutum, circa quas elicere possumus actus supernaturales, debere esse supernaturales apprehensiones omnes, & cognitiones etiam remotas deseruientes ad voluntatem supernaturalem, v.g. occurrit occasio dandi eleemosynam indigenti, quod fieri potest cum merito, & per voluntatem supernaturalem, vt constat; quam voluntatem præcedit iudicium de honestate illius elemosynæ in his circumstantiis, quod iudicium est etiam supernaturale: vnde apprehensiones etiam vltimæ de illa honestate debent per te esse supernaturales: hæ autem apprehensiones supponunt necessariò alias de indigentia pauperis, & de aliis circumstantiis, sine quibus apprehensionibus præcedentibus non potest haberi immediatè illa vltima de honestate huius eleemosynæ in his circumstantiis: illæ ergo erunt etiam supernaturales, quia desiuunt, & prærequiruntur ad illam aliam apprehensionem supernaturalẽ. Idemque dicendum erit de omnibus aliis apprehensionibus, quæ interueniunt in obiecto illo examinando, & percipiendo. Quia sicut apprehensio vltima proponit obiectum, circa quod ferantur practicum iudicium de honestate eleemosynæ hîc & nunc; ita apprehensiones aliæ proponunt obiectum, circa quod ferantur apprehensiones subsequentes; vnde notitia indigentiæ proximi, & potestatis illi subueniendi, & aliarum circumstantiarum deberent esse supernaturales propter eandem rationem. Atque adeo ferè omnes notitiæ, quas accipimus, & apprehensiones in iis fundatæ deberent esse supernaturales, quia ferè omnes deseruire possũt saltem mediatè, & remotè ad aliquem actum virtutis, quem ea occasione circa obiectum aliquod possumus exercere, atque hac ratione maxima pars actuum nostri intellectus reduceretur ad ordinem supernaturalem, quod non debemus concedere, sed continere nos intra terminos debitos, eosque solum actus supernaturales concedere, ad quos dari habitus infusos colligimus ex Conciliis, & doctrina Patrum: habitum autem fidei solùm scimus dari ad credendum, non verò ad audiendum, vel apprehendendum ea, quæ nobis dicuntur. Porrò nullam esse necessitatem ponendi supernaturales eas apprehensiones, constabit ex solutione argumentorum.

83 *Argumenta contraria sententia.*

Primò ergo arguunt, quia illustrationes prærequisitæ ad fidem sunt supernaturales, cùm sint ex dono Spiritus sancti, vt colligitur ex Concilio Arausicano 2. cap.7. dicente, *Hæretico falli spiritu eos, qui dicunt, posse hominem consentire prædicationi absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti.* Eiusmodi autem illustrationes maiori ex parte sunt apprehensiones, imò actus iudicij non ita propriè dicitur illustratio; ergo apprehensiones, quibus Deus illuminat hominem ad credendum, sunt supernaturales. Re-

spondetur, illustrationes illas præcedere ante voluntatem credendi, post illam enim necessariò consequitur assensus fidei à pia voluntate imperatus. Ante voluntatem verò credendi Deus illuminat hominem ad fidem, faciendo vt cognoscat credibilitatem mysteriorum, & obligationem illa credendi: quam obligationem, & credibilitatem cognoscimus euidenter per actum supernaturalem iudicij non liberum, sed necessarium, per quod homo verè illuminatur à Deo solo faciente actum illum in nobis, sine nobis, hoc est, sine nobis liberè concurrentibus: quæ enim maior illuminatio, quàm notitia euidens de credibilitate, & obligatione credendi? quandiu verò homo non scit eam obligationem, & honestatem nondum censetur perfectè illuminatus, & posset dicere, se non habuisse lumen sufficiens, sed potiùs se ignorasse obligationem credendi: sufficit ergo, si iudicium illud euidens credibilitatis sit supernaturale: licèt apprehensiones præcedentes sint naturales; neque enim prærequisitum ad lumen mediatè, vel immediatè debet esse etiam supernaturale: sufficit, si lumen ipsum sit supernaturale.

84 Aduerte tamen, esse controuersiam inter Philosophos, an ad voluntatem, qua volumus bonum, prærequiratur semper iudicium de bonitate obiecti, an verò sufficiat apprehensio simplex, de quo fortasse dicemus *disp.* 11. agentes de iudicio credibilitatis. Nunc autem semper loquimur ex suppositione, quod apprehensio sola non sufficiat sine iudicio consequenti. Nam, si supponas, quod sufficiat simplex apprehensio; tunc fatendum est, illam simplicem apprehensionem, quæ sufficiens erit proximè ad volendum credere, debere esse supernaturalem; erit enim talis illa apprehensio propter peculiarem suum modum tendendi, vt in ordine ad mouendam voluntatem æquiualeat iudicio; quare eadem argumenta, quæ probant, iudicium debere esse supernaturale, probabunt de apprehensione proximè præcedente ipsum iudicium, quæ æquiualeat iudicio in ordine ad voluntatem credendi. Loquendo verò, non de apprehensione ad iudicium credibilitatis, sed de apprehensione ad ipsum assensum fidei, quæ diuersa est, & diuersum obiectum habet, sicut diuersum est obiectum iudicij credibilitatis, & obiectum assensus fidei, hæc, inquam, apprehensio non est, cur sit supernaturalis: hæc enim non æquialet actui fidei, cùm nec sit libera, sicut actus fidei, sed necessaria, nec per illam credamus Deo, sed solùm apprehendamus obiectum credendum, quare ab illa non potest moueri voluntas completè, & proximè ad eos actus, ad quos debet moueri à fide, quia illa non est actus fidei, nec procedit à voluntate pia credendi, sed reperitur etiam in hæretico, qui habet omnia requisita ad credendum, inter quæ est illa apprehensio, & tamen non vult credere, nec credit ex defectu voluntatis debitæ.

85 Secundò arguunt, quia ad iudicium præcedunt aliquæ apprehensiones, ergo ad iudicium supernaturale præcedunt apprehensiones supernaturales. Respondetur negãdo Consequentiam, quia ad apprehensionem etiam requiruntur species, & tamen illæ possunt esse naturales, vt vidimus *sect. præcedenti*: & ad vltimam apprehensionem prærequiruntur aliæ præcedentes, in quibus deuenitur ad aliquam naturalem, & saltem prærequiruntur etiam sensationes, & actus phantasiæ à quibus incipit cognitio fidei, & illa omnia sunt naturalia: nec etiam ratio cogens est ad ponendas apprehensiones in eodem ordine supernaturalitatis cum iudicio, quod ex illis sequitur.

Tertiò arguunt, quia conclusio supernaturalis exigit præmissas supernaturales, ergo & iudicium supernaturale exiget apprehensiones supernaturales, cùm sit eadem omnino ratio. Respondetur distinguendo. Antecedens: exigit præmissam aliquam supernaturalem, concedo; exigit vtramque supernaturalem, nego: nam conclusio Theologica supernaturalis procedit ex vna præmissa naturali, vt *suprà* diximus: & tunc negatur Consequentia: nam iudicium supernaturale nullam apprehensionem supernaturalem prærequirit. Ratio autem, cur de facto non possit esse conclusio supernaturalis sine aliqua præmissa supernaturali, ea est, quia conclusio non potest de facto esse supernaturalis, nisi quando habet aliquod motiuum, seu obiectum formale partiale, ad quod de facto attingendum datus est habitus infusus: non potest autem actus conclusionis habere eiusmodi obiectum formale, quin aliqua etiam ex præmissis idem obiectum formale habuerit; quare habitus infusus, qui respicit illud obiectum formale, non minùs concurret ad præmissam, quæ illud totaliter attingit, quàm ad actum conclusionis, qui illud attingit solùm partialiter. Hinc est, quod de facto conclusio supernaturalis semper supponat præmissam aliquam supernaturalem. An verò de possibili dari potuerit habitus infusus, qui ex se solùm posset elicere actum conclusionis, non tamen circa præmissas; parum refert. Sufficit, quod ex hoc saltem capite non repugnaret, nec esset tunc inconueniens, quod ex præmissis naturalibus intellectus eleuatus tali habitu eliceret actus supernaturales circa conclusionem, cui tamen conclusioni non adhæreret firmiùs, quàm præmissis, sicut de facto non adhæret firmiùs conclusioni Theologicæ, quàm præmissæ naturali, ex qua infertur.

Vnde reddenda etiam est ratio, cur de facto fides, quando per discursum formalem ex veracitate, & reuelatione Dei infert assensum mysterij reuelati, præmittat etiam actus supernaturales circa præmissas, vt conclusio sit actus fidei supernaturalis, & non præmittat apprehensiones supernaturales. Ratio enim petenda est ex iis, quæ diximus *disp.* 1. *sect.* 6. vbi diximus præmissas etiam circa veracitatem, & circa reuelationem Dei esse actus supernaturales elicitos ab eodem habitu fidei: quia habitus fidei infusus per se, & primariò ordinatur ad credendum Deo ob eius auctoritatem, & testimonium, quare non magis per se ordinatur ad credenda mysteria, quàm ad veracitatem, & reuelationem, propter quas creduntur mysteria; imò magis per se respicere debet obiectum formale, quàm materialia. Cùm ergo non per accidens, sed per se in ipso actu conclusionis assentiatur veracitati, & reuelationi diuinæ, non est, cur seorsim non possit eisdem assentiri per actus etiam supernaturales. Sicut charitas infusa, quæ potest elicere dilectionem proximi propter Deum, potest etiam elicere actum dilectionis circa Deum solum, ex quo moueatur ad diligendum proximum. Ideo ergo actus fidei in discursu formali prærequirit vtramque præmissam supernaturalem, quia habitus infusus, à quo elicitur, non minùs per se ordinatur ad obiectum formale vtriusque præmissæ, quàm ad

ad obiectum materiale conclusionis, quare non est, cur non concurrat etiam ad actus circa præmissas. Vnde si aliquis vnico actu crederet obiectum reuelatum simul propter motiuum fidei, & propter motiuum scientificum, prout diximus non repugnare *disp. 2. sect. 3.* & hoc fieret per discursum formalem, tunc actus conclusionis præsupponeret quatuor præmissas, & licèt esset verè actus fidei, non tamen prærequireret omnes illas premissas supernaturales, sed duas solas, quibus attingeretur motiuum fidei, nempe veracitas & reuelatio Dei: aliæ autem duæ præmissæ essent naturales; quia fides non ordinatur ad earum motiuum, & solum per accidens actus fidei attingeret illud propter concursum aliarū præmissarum naturalium. Hæ itaque rationes non procedunt in apprehensione præcedente, quæ licèt attingat idem motiuum formale, quod attingit iudicium subsequens; non tamen assentiendo, sed simpliciter proponendo, fides autem non datur ad proponendum, sed ad credendum, & assentiendum, quare habitus non debet extendi etiam ad apprehensiones, sicut extenditur ad præmissas, in quibus assentimur eidem obiecto formali.

88 Vltimò, & magis apparenter posset aliquis arguere, quia habitus infusi voluntatis non solùm eliciunt absolutos, & perfectos circa sua obiecta, sed etiam actus imperfectos, & complacentias simplices supernaturales, quæ videntur esse gratiæ illæ, quæ dicūtur infundi à Spiritu sancto, & appellari solent *inspirationes*. Videntur autem eodem modo se habere apprehensiones simplices in intellectu respectu assensus, & iudicij, sicut complacentiæ simplices in voluntate, respectu consensus & volitionis absolutæ: ergo sicut complacentiæ simplices eliciuntur ab eodem habitu infuso voluntatis, & sunt supernaturales; ita apprehensiones simplices circa obiectum iudicij erunt supernaturales, & elicientur ab eodem habitu infuso intellectuali.

Ad hoc tamen responderi potest, diuersam esse rationem de apprehēsione, & de simplici complacentia; hæc enim verè est actus voluntatis amplectentis idem obiectum, & propter idem omnino obiectum formale; caret tamen libertate propter inaduertentiam ad difficultatem, vel malum, quod est in obiecto, vel etiam aliquando est libera sed non absoluta, sed affectus conditionatus: est tamen verè affectus ad illud bonum, & ideo non mirum, quod habitus, qui non respicit malum, sed bonum obiecti tanquam motiuum adæquatum eliciat illos etiam actus, & effectus. Apprehensio verò simplex non est assensus intellectus, nec absolutus, nec sub conditione, nec liber, nec necessarius, quia per illam intellectus non consentit, nec affirmat obiectum, sed quasi audit solum, id quod sibi proponitur: quare habitus, qui est ad consentiendum intellectualiter, obiecto, non debet eo ipso extendi ad audiendum & apprehendendum id, quod ab obiecto proponitur. Adde, congruentiam maiorem fuisse, vt simplex complacentia esset supernaturalis, quàm apprehensio, quia gratiæ prævenientes in voluntate non poterant consistere in affectu absoluto, & deliberato, cùm hic non fiat in nobis sine nobis, sed accedente libertate nostra: oportebat ergo ipsas complacentias simplices, quæ præueniunt libertatem nostram, esse supernaturales, & dona solius Spiritus sancti. At verò in intellectu gratia præueniens ad fidem potest esse ipsummet iudicium credibilitatis supernaturale, quod licèt sit iudicium absolutum, est tamen necessarium, & ante omnem vsum libertatis, atque ideo fieri potest à Deo in nobis sine nobis. Denique ratio vniuersalis, & à priori, cur simplex complacentia debeat esse supernaturalis, ea est, quod sicut naturalis cognitio boni est principium sufficiens ad amorem naturalem illius, siue absolutum, siue conditionatum, & exigit concursum naturalem ad illum amorem; ita supernaturalis cognitio boni est de se principium sufficiens ad illud amādum siue affectu absoluto, siue conditionato supernaturali, & exigit cōcursum supernaturalē ad illum affectum: omnis enim potentia cognoscitiua exigit potentiam appetitiuam sibi proportionatam, & correspondentem; cùm ergo bonum proponatur nobis per cognitionem supernaturalem, v. g. bonitas Dei per actum fidei illam proponentis, debet correspondere huic cognitioni supernaturali potentia appetitiua proportionata, & supernaturalis ad amandum illud bonum propositum, & debetur concursus ad amorem boni propositi per affectum proportionatum tali cognitioni, & per consequens per simplicem etiam complacentiam; quæ ex bono proposito oriri potest, & debet. Vnde cùm ante simplicem complacentiam supponatur iam bonum diuinum v. g. cognitum cognitione supernaturali, non potest, nisi Deus deneget concursum supernaturalem, non oriri ex tali cognitione amor simplex seu complacentia etiam supernaturalis in bono proposito: quæ ratio non procedit in apprehensione simplici, vt constat.

DISPVTATIO X.

De voluntate necessaria ad credendum, & de eius supernaturalitate & libertate.

SECT. I. *Vtrùm omnis fidei assensus necessariò dependeat à voluntate.*

II. *Aliqua dubia circa voluntatem ad credendum requisitam.*

III. *An voluntas credendi debeat esse in sua entitate supernaturalis, & formaliter honesta.*

IV. *Vtrum omnes actus fidei sint meritorij.*

V. *An voluntas credendi possit esse mala saltem denominatiuè, & extrinsecè ab alia voluntate mala imperante.*

DIXIMVS virtutem fidei in sua latitudine sumptam comprehendere non solùm assensum intellectualem, sed etiam voluntatem piam credendi; quare postquam diximus de actu illo fidei, qui est in intellectu, oportet agere de eiusdem fidei actu, qui est in voluntate, & appellari solet actus piæ affectionis: de qua primò videndum erit, an necessariò requiratur; deinde qualis esse debeat.

SECTIO

SECTIO I.

Vtrum omnis fidei assensus necessariò dependeat à voluntate.

1 *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi est, quia intellectus est potentia necessaria respectu sui obiecti : vel ergo proponuntur motiua sufficientia ad fidem, vel non. Si proponuntur, intellectus necessariò operabitur sine voluntatis imperio, sicut oculus necessariò videt colorem propositum. Si verò non adsint motiua sufficientia, non poterit credere, quantumuis voluntas imperet ; quia non potest ferri nisi ad verum apparens, sicut nec oculus nisi ad colorem, & lucem.

Prima sententia.

Prima sententia docet, adeo esse in potestate voluntatis mouere intellectum ad assensum alicuius obiecti, vt nulla stante ratione, vel motiuo, possit intellectum cogere ad assentiendum. Ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 65. *art.* 4. Hæc sententia improbabilis est, vt experientia constat : sicut enim voluntas non potest cogere se ad amandum, quod non appareat bonum, ita nec potest cogere intellectum ad assentiendum obiecto, in quo non appareat veritas. Ideo nemo potest assertiuè iudicare syderæ esse paria, quia nullum habet fundamentum ad asserendum potiùs esse paria, quàm non paria. Alioquin sequeretur coniugem dubitantem de priori matrimonio posse pro sua voluntate deponere illud dubium, & determinatè credere mortuum esse priorem coniugem : item posset vnusquisque in re dubia asserere quamlibet partem determinatè sine mendacio, credendo priùs illam determinatè : posset etiam quisque lætari, vel tristari pro sua voluntate, credendo determinatè bona, vel mala nuncia. Denique est contra Aristotelem 2. *de anima cap. vlt. textu* 157. dicentem, *posse nos phantasiari*, seu imaginari *cùm volumus : opinari autem non ita.*

2 *Secunda sententia.*

Secunda sententia extrema dixit, actum fidei non pendere ab affectu voluntatis sed intellectum positis motiuis tam necessariò credere, sicut positis præmissis demonstrationis assentitur conclusioni ; quare ad summum subdi poterit voluntati, quatenus ipsa potest cohibere intellectum, ne assentiatur quoad exercitium, non tamen poterit determinare illud quoad specificationem. Tribuitur etiam Holcoth *in* 1. *q.* 1. & aliis.

Tertia sententia.

Tertia sententia concedit dependentiam à voluntate, non tamen à voluntate imperante assensum per actum positiuum, sed à voluntate permittente, seu non resistente. Hæc etiam tribuitur Scoto, licèt non satis ad eius mentem.

Alij dicunt, dependere intellectum à voluntate actuali saltem antequam acquiratur habitus, secus post habitum ; ita videtur sentire Scotus 1 *post. quæst.* 8. *ad vltimum*, & Bañes *in præsenti quæst.* 1. *art.* 4. Alij denique postulant voluntatem ad primum fidei assensum, non tamen ad alios omnes, qui postea sequuntur.

3 *Vera & communis sententia.*

Vera & communis sententia inter Theologos docet, intellectum necessariò pendere à voluntate per actualem, & positiuum affectum imperante assensum fidei, à quo affectu fides denominatur voluntaria, & libera. Hæc est D. Thomæ *quæst.* 1. *art.* 4. & *quæst.* 2. *art.* 1. & 2. & 9. & *quæst.* 4. *art.* 5. Alex. 3. *p. quæst.* 68. *memb.* 8. *art.* 1. Bonauenturæ *in* 3. *d.* 23. *art.* 9. *quæst.* 2. Rich. *art.* 6. *quæst.* 1. Durand. *dist.* 24. *q.* 3. Valentiæ *vbi supra*, & aliorum quos sequitur Suar. *in præsenti disp.* 6. *sect.* 6. *numero* 4. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 4. & *disp.* 9. *n.* 73. & 74. Hurtadi *disp.* 45. & omnium Recentiorum.

Probatur primò ex Scriptura, vbi passim supponitur fidem esse liberam. Marc. vltimo, *Prædicate Euangelium omni creaturæ ; qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit ; qui autem non crediderit, condemnabitur.* ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam :* vbi nomine *cordis* intelligitur voluntas, vt notat ibi S. Thomas. Item ad Rom. 1. *Accepimus gratiam ad obediendum fidei.* Obedientia autem ad voluntatem spectat ; ideo infidelitas est culpabilis. Marc. vlt. *exprobrauit incredulitatem eorum*, & alibi sæpè. Primum Scriptura.

Secundò probatur ex Conciliis, Arausicano 2. *can.* 5. dicitur *initium fidei esse ipsum credulitatis affectum : eumque inesse nobis per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem.* Ecce fides & infidelitas radicaliter sunt in voluntate. Toletano 4. cap. 55. inde probatur neminem cogendum esse ad fidem, *quia sicut homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit, sic propriæ mentis conuersione quisque credendo saluatur.* Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. vbi dicitur homines disponi ad iustitiam, *dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes, vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.* Vide catur Hurtado vbi supra, qui bene hæc testimonia vrget. 4 Trident. Concil.

Tertiò probatur ex Patribus, quorum verba affert Valentia vbi supra, quibus adde Bernardum *s.* de Consideratione cap. 6. *Fides*, inquit, *est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis.* Augustin. tract. 26. in Ioan. *Multa potest facere homo non volens : credere autem non potest nisi volens.* & de prædestinatione sanctorum cap. 5. post medium sic ait : *quisquis audet dicere, ex me ipso habeo fidem : non ergo accepi, profectò contradicit huic apertissimæ veritati : non quia credere, aut non credere, non est in arbitrio humanæ voluntatis, sed in electis præparat voluntas à Domino : ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est* (scilicet radicaliter) *pertinet ; quis enim te discernit ? quid habes quod non accepisti ?* Irenæum lib. 4. cap. 62. *non tantùm in operibus, sed etiam in fide, liberum, & sua potestatis arbitrium hominis seruauit Dominus dicens : secundum fidem tuam fiat tibi.* Origenem hom. 2. in diuersa loca Scripturæ : *A nullo aufertur possibilitas credendi : hoc enim arbitrio hominis, & cooperatione gratiæ constitutum est.* Ambrosium in illa verba Pauli ad Rom. 4. *ei autem qui operatur, &c.* vbi sic ait : *aut credere, aut non credere, voluntatis est ; neque enim cogi potest ad id quod manifestum non est.* 1 Primum Patribus. 8 9

Quartò probatur ratione, & omissis aliis parum efficacibus ; ratio à priori hæc est, quia actus fidei est assensus obscurus & certus excludens omnem formidinem, vt dictum est in superioribus : intellectus autem de se ex vi motiuorum non determinatur sufficienter ad excludendam omnem formidinem, ergo indiget ad hoc determinatione voluntatis. Minor probatur, quia omnia motiua non ostendunt euidenter veritatem articuli, ergo non determinant intellectum ad excludendam omnem formidinem : alioquin demonstrarent obiectum, quid enim est medium euidens, 6 Probatur

euidens, nisi illud, ex vi cuius conuincitur intellectus, & cogitur nec dubitare, nec formidare de veritate? quia verò motiua fidei non sunt eiusmodi; inde est intellectum indigere voluntatis imperio, ex cuius efficacia cohibeatur formido, quæ ex vi motiuorum non potuit cohiberi, & hoc est captiuare intellectum in obsequium fidei.

Confirmatur, quia antecedenter ad voluntatem solum datur iudicium dictans euidenter, illud obiectum esse prudenter credibile sine formidine; hoc est, bonum esse iuxta regulas prudentiæ illud credere: bonum autem, vt bonum non mouet immediatè intellectum sed voluntatem; ergo ab illo iudicio non potest moueri immediatè intellectus, sed mediante voluntate, quæ ex affectu illius boni imperat assensum certum intellectualem.

7 Hinc infero. Primò contra sententias supra relatas, non sufficere ad fidei actum, voluntatem se habere permissiuè, sed exigi actum positiuum: quia sine hoc intellectus manebit indifferens ex vi motiuorum, quæ de se non determinant ad tale genus assensus certi, vt vidimus. Quod etiam constat ex testimoniis supra adductis exigentibus positiuum affectum præsertim ex Concilio Arausicano, vbi petitur aliquis affectus voluntatis, qui sit initium fidei, & ex inspiratione Spiritus sancti. Deinde si illa non resistentia voluntatis sufficeret, sequeretur fidem etiam in homine iusto non esse meritoriam, quia omissio pura voluntaris non est meritoria, vt concedunt auctores, qui defendunt puras omissiones. Consequens autem est falsum, vt videmus infra.

8 Infero secundò non sufficere fidem habitualem, nec etiam voluntatem præteritam, quæ præcessit primum actum credendi: non quidem sufficit habitualis, quia adhuc stante habitu, non habet intellectus motiua, quę ostendant obiectum sufficienter ad credendum sine formidine, neque etiã sufficit voluntas præterita ad determinãdum modò intellectum, quia quod non est, non operatur nec mouet. Adde, omnem actum fidei appellari à patribus liberum: quod si fieret modò ex vi præteritæ voluntatis, vel ex vi solius habitus, non esset liber iste actus, sicut neque quod fit in somno ex vi causæ priùs in vigilia applicatæ, est propriè liberum: quare si habitus, vel prima voluntas posita sunt in statu peccati, actus fidei, qui ex illa voluntate nunc fierent ab homine iusto, non essent meritorij, quia nullum datur meritum sine voluntate libera hominis iusti, quæ omnia absurda sunt.

9 Infero tertiò contra aliquos Recentiores, propositis motiuis humanis, & motiuo testimonij diuini, non sufficere ad credendum propter Dei testimonium voluntatem credendi propter motiua humana, vel voluntatem credendi vt sic: quia adhuc posita illa voluntate, intellectus est indifferens ad credendum vel non credendum propter testimonium diuinum: quare sicut propositis duobus articulis credendis, requiritur voluntas determinata credendi hunc articulum, sic à fortiori, propositis duobus motiuis, requiritur voluntas determinata credendi propter hoc motiuum.

Infero vltimò contra eosdem, non sufficere voluntatem solùm applicandi intellectum ad cogitandum de motiuis; sed requiri voluntatem immediatam credendi: nam quidquid intellectus cogitet circa motiua, adhuc illa non sufficiunt, vt determinatè inferant assensum certum; multi enim perpendunt vim motiuorum, & non credunt, ergo adhuc requiritur aliud determinatiuum, à quo immediatè moueatur intellectus ad eliciendum assensum certum fidei.

10 Contra conclusionem obiicitur primò Aristoteles *vbi suprà* dicens, non posse nos opinari cùm volumus, ergo intellectus non mouetur ad assensum fidei immediatè à voluntate, sed solùm à motiuis propriis & merito eorum. Respondetur, Aristotelem non negare voluntati vim determinandi intellectum ad assensum, quando aliunde motiua sufficientia proponuntur, solùm negat voluntatem habere tale dominium despoticum, nullo posito motiuo ad credendum. *Obiectio 1.*

Secundò obiicitur, Dæmones non habent piam affectionem ad res fidei; & tamen illas credunt, Iacobi 1. *Dæmones credunt, & contremiscunt*, ergo ad credendum non requiritur necessariò pia affectio voluntatis. Respondetur, motiua nostræ fidei, & eorum vim à Dæmonibus propter excellentius lumen intellectuale ita penetrari, vt possint in eis generare euidentiam saltem moralem qua etiam inuiti conuincuntur circa res fidei; nobis tamen qui ea motiua multò minùs percipimus necessaria est affectio pia in voluntate. Adde licèt motiua fidei nos etiam conuincerent independenter à voluntate, requiri tamen voluntatem, vt assentiamur supra omnia, & quod intellectus ex se non est determinatus. *Obiectio 2.*

11 Tertiò obiicitur, quia intellectus non mouetur, nisi à veritate obiecti; voluntas autem non potest ponere, vel augere veritatem obiecti, vt magis moueat intellectum, ergo voluntas non potest mouere intellectum, nisi applicando illum ad inquirenda motiua. Respondeo, intellectum solùm moueri à veritate vt ab obiecto; moueri tamen à voluntate, non vt ab obiecto suadente, sed vt ab extrinseco impellente, & determinante ad assensum circa veritatem sufficienter, licèt non taliter propositam, vt necessitet solum obiectum secluſa voluntate ad assensum. Obiectum enim intellectus dupliciter proponitur: primò itaut se solo inferat necessariò assensum, eo quod proponatur sine vlla specie falsitatis. Secundò itavt licèt habeat speciem veri, habeat tamen speciem aliquam falsitatis ex alio capite, & tunc intellectus manet indifferens; potest tamen determinari à voluntate, vt assentiatur obiecto proposito sub ratione veri, non attendendo ad speciem falsitatis. Confirmatur solutio exemplo ipsius voluntatis, cui obiectum aliquando proponitur solum sub ratione boni, & tunc voluntas necessariò amat: aliquando verò proponitur, vt bonum cum aliqua ratione mali; & tunc voluntas est indifferens: potest tamen pro nutu illud amare propter bonitatem, vel odio habere propter malitiam. Sic ergo intellectus manet indifferens ad assensum, vel dissensum, quando obiectum proponitur cum specie veri, & falsi: cæterùm, quia ipse intellectus non est liber, non potest determinare suam indifferentiam: potest tamen determinari à voluntate, vt assentiatur, vel vt dissentiatur, ad vtrumque enim habet motiuum sufficiens. *Obiectio 3.*

12 Sed contra hanc solutionem potest obiici quartò quia voluntas necessitatur ad amorem, quando obiectum apparet, vt bonum, licèt non vt summum bonum, si pro tunc non apparet ratio mali propter inaduertentiam, qui actus dicuntur *Obiectio 4.*

motus

motus primo primi; ergo similiter si obiectum appareat vt verum, licèt obscurè; si tamen pro tunc non attendit intellectus ad rationem falsi, quæ potest subesse, necessitabitur intellectus ad assensum; ergo si motiua fidei ita appareant, vt non appareant rationes contrariæ, non indigebit intellectus impulsu voluntatis ad assensum fidei. Respondeo, admisso antecedenti, & prima consequentia, de quo dixi in libris de anima, vbi admisi posse intellectum aliquando ex præmissis probabilibus necessitari ad assensum conclusionis quoad exercitium, quando non apparent rationes contrariæ: Nego tamen secundam consequentiam, scilicet illum esse assensum fidei qui debet esse & est assensus certus omnino, & positiuè excludens formidinem; ad hunc autem modum assentiendi (secluso imperio voluntatis) non satis est, quod non appareant rationes contrariæ sed requiritur etiam motiua ita apparere, vt ostendat positiuè, non posse esse rationem aliquam in contrarium. Sicut in exemplo adducto voluntatis, licèt voluntas necessariò amet obiectum, quod apparet bonum, quando non attendit ad rationem mali: non tamen fertur necessariò ad illud amandum super omnia, nisi positiuè videat clarè rationem summi boni, & quod non potest habere aliquod malum. Sic etiam intellectus in prædicto casu, esto assentiretur obiecto, etiam sine impulsu voluntatis, non tamen cum securitate illa positiua, & firmitate, quæ requiritur ad positiuam certitudinem.

13 *Illationes quadam ex dictis.* Vnde obiter infero Primò, minus accuratè loquutum P. Coninch *dicta disp. 13. dub. 4. num. 33.* dum dixit, intellectum nostrum non posse vllo modo assentiri etiam ex imperio voluntatis alicui obiecto, nisi proponatur aliqua probabilis ratio ad assentiendum, quia non potest assentiri obiecto, nisi proponatur vt verū. Ille tamen modus loquēdi corrigi debuit, quia hæreticis non proponitur doctrina sua cum fundamento probabili: alioquin excusarentur à peccato amplectendo iudicium probabile, nec possumus in rigore concedere, quod doctrina Lutheri, vel Caluini sit probabilis, vel quod hæretici habent fundamenta probabilia ad eam credendam: & tamen de facto ex imperio voluntatis obstinatæ eam credunt. Non ergo requiritur fundamentum probabile, vt intellectus ex imperio voluntatis aliquid imprudenter credat. Sufficit, quod proponatur motiuum cum aliqua specie veri, licèt non tanti ponderis, vt attingat probabilitatem, quæ maius pondus requirit. Sicut etiam voluntas potest saltem imprudenter amare obiectum, quod proponitur sub aliqua specie boni, licèt non tanta, vt sit prudenter amabile, ad quod plus requiritur; ita, vt sit probabile, requiritur talis gradus veritatis, sine quo obiectum non est probabile, licèt sit imprudenter credibile.

14 Infero secundò magis displicere, quod idem Coninch dixit *n. 40. & 41.* ad assensum fidei humanæ, vel opinionis non exigi voluntatis actum determinantis intellectum ad assentiendum: quod probat, quia, licèt medium opinionis, aut fidei humanæ, non probent obiecta sua esse euidenter vera; probant tamen clarè ea esse euidenter probabilia, atque ita intellectus ab eius euidentia determinatur, vt credat ea esse probabilia: quia sicut ratio euidenter certa facit suam conclusionem euidenter certam, ita ratio euidenter probabilis facit euidenter suam conclusionem probabilem; ergo quando habeo rationem euidenter probabilem, conclusio apparet mihi euidenter probabilis, atque ita intellectum ad probabilem assensum determinat. Sed in hoc Auctor ille aliàs doctus æquiuocationem passus est confundens hęc duo, credere conclusionem illam esse probabilem, & credere probabiliter illam; quæ sunt valde diuersa; nam qui tenent aliquam opinionem probabilem, concedunt simul contrariam etiam esse probabilem, non tamen credunt esse veram etiam assensu probabili, alioquin haberent simul duos assensus probabiles de obiectis contradictorijs. Nec quoad hoc differentia vlla est inter fidem humanam, & diuinam: nam etiam sine vllo imperio voluntatis intellectus euidenter iudicat obiecta nostræ fidei esse prudenter credibilia, vt suprà vidimus, non tamen iudicat sine imperio voluntatis ea esse vera, etiam assensu probabili: nam hæretici nec probabili assensu affirmant nostram fidem esse veram. Similiter ergo proposito motiuo fidei humanæ vel opinionis, potest intellectus euidenter conuinci, quod conclusio illa sit probabilis: qui assensus non est probabilis, sed euidens, non de veritate, sed de probabilitate obiecti, & tamen nullum assensum etiam probabilem habet de veritate obiecti, nec illum habere potest sine imperio voluntatis, si motiua appareant etiam pro falsitate obiecti; quia motiua probabilitatis non ostendunt euidenter veritatem obiecti, sed probabilitatem, & ideo non determinant intellectum, vt affirmet obiectum esse verum, sed solùm vt euidenter affirmet esse probabile.

Vltimo loco obiici potest, quia experientia constat postquam aliquis sæpè assensum præbuit conclusioni propter præmissas, posse poſtea sine præmissis actualibus assentiri eidem conclusioni, supplente habitu conclusionis defectū præmissarum: ergo similiter postquam aliquis sæpè credidit res fidei ex imperio voluntatis, potest sine imperio actuali credere, supplente habitu defectum imperij; quia non minùs requiruntur præmissæ ad conclusionem, quàm imperium voluntatis ad assensum fidei. Respondent aliqui negando consequentiam. Ita Granado *tract. 9. disp. 2. num. 14.* & conatur rationem differentiæ reddere. Sed melius, & fortasse magis iuxta rationem differentiæ, quam affert, respondetur distinguendo antecedens; potest postea assentiri conclusioni, supplente solo habitu locum præmissarum, interueniente aliquo alio actu, qui suppleat pro præmissis, concedo. Tunc enim intercedit saltem memoria aliqua actualis confusa præmissarum, seu principiorum, quæ memoria mouet ad assensum conclusionis propter principia illa, quorum memoria confusa habetur. Tunc autē negatur consequentia: ratio autem est clara, quia nihil actuale esse potest, quod suppleat pro voluntate actuali, sicut memoria actualis confusa supplet pro præmissis actualibus; hæ enim non requirebantur, nisi vt proponerent motiuum assentiendi conclusioni; memoria autem confusa proponit etiam actū aliquod motiuum saltem in confuso sufficiens ad assentiendum conclusioni: voluntas autem credendi requiritur, vt determinet intellectum indifferentem, quod munus determinandi nihil aliud actuale præstare potest, si non sit actus voluntatis, nam memoria voluntatis prætertæ non determinat, cùm etiam hæreticus recordetur se voluisse olim credere, nec per hanc memoriam etiam expressam determinatur eius intellectus,

lectus, sicut nec pes determinatur ad ambulandum per solam memoriam voluntatis præteritæ, nisi sit actuale aliquod imperium saltem confusum. Vnde retorqueri potiùs potest argumentum, quia ex eo, quod aliquis sæpè assensum præbuerit conclusioni probabili propter præmissas probabiles, licèt postea possit sine præmissis actualibus assentiri conclusioni propter habitum cum sola memoria confusa principiorum, vt diximus: non tamen poterit sine voluntate aliqua actuali saltem confusa determinante intellectum ad assensum conclusionis, quia non magis determinat intellectum memoria præmissarum, quàm determinarent ipsæ præmissæ explicitæ, pro quibus supplet, si adessent: si ergo præmissæ ipsæ probabiles non determinarent sine voluntate, nec etiam memoria præmissarum determinabit: ergo vltra habitum supplentem pro præmissis actualibus requiritur aliquod aliud determinatiuum: & nihil aliud esse potest saltem de lege ordinaria, nisi actus voluntatis, nisi Deus ipse velit determinare intellectum, vt dicemus *sect. seq.* Quando verò dicimus, habitum supplere pro præmissis intelligi debet non immediate, sed mediatè: nam habitus non conducit, nisi quatenus ex facilitate generat actum tenuem sine labore, quo recordamur assensus sæpè præstiti propter principia sufficientia sæpius proposita, qui actus productus ab habitu supplet defectum præmissarum.

SECTIO II.

Aliqua dubia circa Voluntatem ad credendum prærequisitam.

16 *An exigatur voluntas non solùm ad credendum mysterium reuelatum, sed etiam ad credendum reuelationem, &c.*

Dvbitari potest primò. An exigatur voluntas non solùm ad credendum mysterium reuelatum, sed etiam ad credendam reuelationem, & ad credendum, seu iudicandum, Deum esse primam veritatem. Suppono ex *disp.* 1. discursum fidei includere tres assensus realiter, vel virtualiter, scilicet, *Deus est prima veritas, Deus dicit Incarnationem, ergo Incarnatio facta est.* Dubitari potest, an ad singulos requiratur voluntas: de secundo quo creditur reuelatio, non dubito, quod exigat voluntatem, quia obscurus est; imò ad illum potissimè videtur necessaria voluntas; nam si semel credas Deum reuelare Incarnationem, facilè credes Incarnationem. De primo potest esse maior dubitatio, quia potest esse assensus euidens, & ex apprehensione terminorum, vt dixi *disp.* 1. quare non videtur necessarius alius impulsus extrinsecus à volùtate vt intellectum illum eliciat. Cæterùm adhuc dicendum videtur prærequiri piam affectionem, quia per illum actum intellectus non quomodocunque asserit Deum esse veracem, sed assentitur huic obiecto super omnia, vt dictum est in superioribus, præsertim *disp.* 6. Intellectus autem sibi relictus, & ex sola apprehensione terminorum, licèt iudicaret euidenter, Deum esse summè veracem; non tamen assentiretur cum hoc peculiari modo, præferendo illud obiectum aliis omnibus in modo, assentiendi; quare ad assensum iustum requiritur pia affectio voluntatis, quæ imperat illud peculiare obsequium intellectuale erga diuinam veracitatem. Denique de tertio actu, quo credo mysterium reuelatum ex vi vtriusque principij præcedentis, dicendum videtur non exigere nouam voluntatem præter voluntatem assentiendi principiis super omnia: nam si semel assentior principiis, & bonitati consequentiæ super omnia, non possum non assentiri etiam super omnia ipsi conclusioni; nam veritas conclusionis necessaria est ad veritatem principiorum, si enim in aliquo casu, negas conclusionem, arguitur bene contra te ad neganda principia. Sicut si amas finem super omnia, debes amare vnicum medium super omnia: aliquin si non amas medium super omnia, sed cum limitatione aliqua, cogeris ad desistendum etiam à fine in aliquo casu, & per consequens non amas finem super omnia: sic etiam si conclusionem credis non super omnia, sed cum aliqua limitatione, cogeris posita illa limitatione negare præmissas, & per consequens non assentiris eis super omnia. Quando autem dico, medium vnicum debere etiam amari super omnia; intelligitur super omnia præter finem propter quem amatur medium, & quando dico conclusionem etiam credi super omnia, intelligitur præter principia, propter quæ creditur conclusio.

17 *An requiratur etiam voluntas ad asserendam illationem conclusionis ex principiis.*

Dubitabis secundò, an requiratur etiam voluntas ad asserendam illationem conclusionis ex principiis, v. g. illationem incarnationis ex veritate, & reuelatione Dei. Respondeo breuiter, requiri etiam voluntatem ad iudicandum de illa illatione provt requiritur ad fidem: nam licèt illa illatio euidenter cognoscatur; vt tamen assentiamur illi super omnia provt requiritur ad inferendam conclusionem fidei, requiritur etiam voluntas imperans illum modum iudicandi de illatione provt diximus de iudicio euidenti veracitatis Dei; eadem enim est ratio etiam de iudicio illationis, tam enim pendet assensus conclusionis à bonitate illationis, quàm à veritate præmissæ, quare si bonitati illationis non assentior super omnia, non possum assentiri firmiùs conclusioni. Vide quæ dixi *suprà disp. 7. sect. 2. in 6. obiectione.*

18 Contra hanc doctrinam, quam olim etiam tradidi ante 25. annos, opinatur Hurtado *disp.* 45. §. 21. vbi relata hac mea responsione de necessitate piæ voluntatis ad assensum etiam supernaturalem circa veracitatem Dei, licèt euidens sit, vt habeat gradum illum firmitatis super omnia quem ab intellectu sine imperio voluntatis non haberet, eam solutionem impugnat: quia assentiri super omnia nihil addit ex parte intellectus, sed ex parte voluntatis addit affectum discedendi à quouis alio actu, potiùs quàm à fide: qui affectus versatur circa actus intellectus sitos in nostra libertate, non verò circa actus necessarios, quia ab illis nequaquam possumus discedere; vnde concludit, affectum illum terminari ad assensum circa reuelationem, quem possumus per contrarium dissensum abiicere, non verò ad assensus necessarios, quos non possumus ita imperare affectu saltem efficaci.

19 Hæc tamen impugnatio procedit ex principio falso, quod assumit, quod scilicèt assentiri super omnia nihil addat ex parte intellectus, sed solùm explicet affectum voluntatis discedendi potiùs à quouis alio obiecto, quàm ab obiecto fidei. Contrarium autem vt verissimum ego suppono, nempe illam maiorem adhæsionem super omnia, licèt imperatiuè proueniat à voluntate, formaliter tamen esse aliquid intrinsecum, & essentiale in ipso assensu intellectuali. Nam certitudo in ipso

actu fidei non est denominatio extrinsecâ ab affectu firmo voluntatis, quo volumus non discedere vnquam ab illo obiecto, sed est firmitas intrinseca in ipso assensu, ratione cuius excluditur formaliter actualis formido ab intellectu, & ideo diximus *suprà*, actum fidei esse essentialiter certum, quia habet per suam essentiam hanc firmam adhæsionem, & connexionem etiam necessariam cum veritate obiecti. Sicut ergo voluntas potest imperare intellectui assensum intrinsecè firmum: ita potest imperare assensum intrinsecè firmum tali gradu firmitatis. Hæc autem firmitas adhæsionis non consistit in indiuisibili, sed recipit magis, & minus, vt constat in ipsa fide, per quam magis assentimur veracitati, & reuelationi Dei, quàm obiecto reuelato, cui propter illas assentimur, quæ prælatio tenet se ex parte ipsius intellectus, qui semper magis adhæret principijs, quàm conclusioni. Et hoc ipsum constat in assensu euidenti; nam in demonstratione magis etiam assentimur principijs, quàm conclusioni, licèt huic etiam assentiamur euidenter: ergo licèt assensus veracitatis Dei esset euidens, posset tamen ex imperio voluntatis esse intrinsecè magis firmus, quàm aliàs intellectus assentiretur, vel quàm assentiatur aliis obiectis euidentibus sine tali impulsu voluntatis. Quæ maior firmitas adhæsionis non requirit, quod aliis obiectis euidentibus possimus aliquando dissentire, sed est promptitudo conditionata, sed formaliter intrinseca in assensu ipso firmiori, quo intellectus ipse præfert hanc veritatem aliis, & se promptum exhibet ad relinquendas potiùs alias quàm istam. Sicut voluntas de quolibet peccato mortali dolet super omnia per actum pœnitentiæ, magis tamen dolet de peccato graviori, & magis de mortali, quàm de veniali. Qui excessus non requirit, quod aliquando possit gaudere de peccato leuiori, vel illud approbare, sed est prælatio intrinseca in ipso actu voluntatis exhibentis se promptam ad vitandum potiùs peccatum graius, si per possibile, vel impossibile necesse esset eligere ad hoc peccatum minus graue, vt dixi *disp. 5. de Pœnitentia, sect. 4.* Adde, prælationem istam conditionatam posse aliquando in assensu fidei reduci ad actum absolutum, & propter oppositionem cum assensu fidei negari aliqua, quę priùs videbantur euidẽtia, provt negatur existentia panis sub eius accidentibus post consecrationem, & principium illud vniuersale, *quæ sunt eadẽ vni tertio, sunt eadẽ inter se*, quod priùs euidẽs apparebat, & alia his similia.

20 *An saltem de potentia absoluta possit aliquis elicere actum fidei sine impulsu voluntatis.*

Dubitari potest tertiò, an saltem de potentia absoluta possit aliquis elicere actum fidei sine impulsu voluntatis. Ratio dubitandi est, quia motiua de se non sufficiunt ad mouendum intellectum, ergo nec per Dei voluntatem mouere poterunt, quia Deus non potest per extrinsecum decretum facere, quod intellectus assentiatur sine motiuo sufficienti. Verius tamen videtur posse, quia in primis indigentia voluntatis non est, eo quod motiua sint insufficientia: alioquin nec ex imperio voluntatis posset intellectus credere, quia nec voluntas facit, quod intellectus assentiatur sine sufficienti motiuo; sed dependentia à voluntate nascitur ex eo, quod vtrimque proponantur motiua, & maneat intellectus indifferens, & ideo requiritur voluntas ad determinandam eius indifferentiam ad vnam partem potiùs, quàm ad aliam; ad quam determinationem sufficit etiam voluntas Dei. Sicut licèt aliquando species intellectualis excitetur hæc potius, quàm illa ex impulsu voluntatis; potest tamen Deus sine mea voluntate excitare speciem, quam velit, & hoc modo determinare indifferentiam mei intellectus ad operandum circa hoc obiectum, & non circa illud, ad quod etiam habebam speciem. Deinde neque requiritur essentialiter voluntas ad hoc, quod assensus sit super omnia; nam ille modus assentiendi non repugnat, quod proueniat à Deo concurrente cum intellectu ad illum assensum potiùs, quàm ad alium, proposito semel obiecto sufficienti quantum est de se ad terminandum talem assensum; nam licèt repugnet intellectum moueri à Deo ad credendum falsum sub specie falsi; non tamen quod moueatur à Deo ad credendum verum propositum vt verum hoc assensu magis intenso, vel intensione graduali, vel intensione substantiali, quod est assentiri super omnia. Accedit huic sententiæ Granado *tract. 9. disp. 2. num. 18. dicta disp. 13. dub. 4. in fine.*

Dubitari potest quartò, an voluntas requisita ad credendum, debeat esse voluntas liberaan sufficiat volnntas necessaria. Videtur sufficere aliquando necessaria: nam voluntas requiritur ad tollendam indifferentiam intellectus, & ad imperandum assensum super omnia; vtrumque æque fit per voluntatem necessariam; ergo hæc sufficit, sicut etiam ad assentiendum obiecto probabili æquè conducet voluntas necessaria, ac voluntas libera. Potest autem in præsenti dari voluntas credendi necessaria, si ponamus honestatem fidei proponi voluntati sine vlla attentione ad rationem mali, quæ potest cogitari in actu fidei; tunc enim voluntas non libere, sed ex necessitate amabit, & imperabit actum fidei. Et Confirmari potest, quia alij habitus supernaturales non solùm concurrunt ad actus liberos, sed etiam ad necessarios; nam claritas elicit in patria amorem necessarium, & in via elicit complacentias & affectiones quasdam necessarias, quæ præcedunt actum dilectionis; & in quibus consistit magna pars auxilij supernaturalis prouenientis; cur ergo similiter habitus piæ affectionis non potuit elicere voluntatem necessariam credendi, qua posita sequatur actus fidei?

Ego sanè non audeo concedere actum fidei ortum ex sola voluntate necessaria; nam licèt Auctores expresè non negent, quia non attingunt hanc quæstionem: omnes tamen videntur supponere contrarium: imò & PP. ac Concilia dum in vniuersum docent, actum fidei esse meritorium vt videbimus infra. Deinde si semel daretur actus fidei ortus ex sola voluntate necessaria; non esset cur non posset ex illo excitari voluntas ad habendum verum actum liberum contritionis; nam licèt voluntas credendi esset necessaria ex defectu attentionis ad malum, quod ipsa fides potest habere; contritio tamen posset esse libera, quia posset voluntas actu attendere ad difficultatem contritionis, seu ipsius obiecti, & perconsequens posset peccator iustificari sine fide libera. Consequens autem videtur esse contra Tridentinum vbi supra postulans fidem liberam ad omnem iustificationem. Nec obstat, ibi etiam numerari alias dispositiones, quæ licèt regulariter interueniant, non tamen in vniuersum: non, inquam, obstat, quia fides est dispositio semper requisita, vt ex scriptura & PP. infra videbimus; fides autem simpliciter non stat pro actu necessario, sed solùm pro libero, sicut cùm dicitur, posita con-

trittione

tritione hominem infallibiliter iustificari; nō sumitur contritio provt extendi potest etiam ad necessariam; sed solùm pro libera, quæ sola dicitur simpliciter contritio.

23 Confirmatur, quia ponamus, hominem, qui per peccatum hæresis perdidit fidem; habeat postea voluntatem necessariam credendi, & fidem necessariam, & ex ipsa prodeat in contritionem liberam: ecce hic iustificaretur, & per consequens recuperaret habitum fidei sine fide libera; quod videtur satis absurdum: quia hic homo non conseretur adhuc fidelis moraliter loquendo, voluntariè enim negauit fidem, quā postea non liberè, & humano modo, sed necessariò confessus est: quare sicut peccator: qui postea eliceret actum necessarium amoris Dei, non diceretur moraliter loquendo dilector Dei, quia non retractauit liberè priorem voluntatem; sic neque ille diceretur fidelis, sed potiùs infidelis; quia ex priori hæresi paratus videtur ad negandam iterum fidem; ex fide autem necessaria non videtur paratus ad profitendam fidem propositam cum libertate, & aduertentia: ergo dicendum est, illum non habere fidem sufficientem ad contritionem, ergo neque propriam fidem: quia propria fides sufficiès videtur ad contritionem cùm proponat, Deum summè amabilem, & possit dari libertas requisita ad non amandum illum.

24 *Assensus elicitus ex viribus naturalibus voluntatis potest esse, non est tamen proprie actus supernaturalis fidei.* Dicendum ergo videtur, assensum elicitum ex viillius voluntatis necessariæ, non esse vere & propriè actum supernaturalem fidei, de qua Patres, & scriptura loquuntur: fides enim sine qua impossibile est placere Deo, & quæ requiritur ad iustificationem, est assensus voluntarius, & liber; sicut etiam contritio, & aliæ dispositiones requisitæ semper accipiuntur pro actu libero, non pro necessario: quare licèt actus fidei sit actus intellectus, quia tamen est voluntarius, & necessariò dependet à voluntate, conuenit cum actibus ipsius volūtatis in hoc, quod semper supponat pro actu libero. Ille ergo assensus, qui non esset liber, esset naturalis, & per consequens non efficeret ad contritionem supernaturalem. Ratio autem, cur magis cognitio fidei petatur libera, quam aliæ cognitiones requisitæ ad conuersionem, vt cognitio euidens credibilitatis, & aliæ similes: ea videtur esse quod Deus voluit hominem adultū disponere se per liberam cooperationem ad iustificationem; quare sicut noluit dare habitum gratiæ sine cooperatione & dispositione libera præcedenti ex parte hominis, sic noluit concurrere ad actum fidei, vel habitū sine dispositione libera ex parte hominis, qua liberè velit credere, & qua intellectus quoad fieri possit, subiiciat se, & voluntariè, ac liberè suscipiat visum spiritualem: sicut cœcus ille euangelicus, non priùs vidit, quàm rogatus à Christo quid vellet? responderet, *Domine vt videam.* Aliæ verò cognitiones, illuminationes, & affectiones, quæ ex natura sua non pendent ab alia priori voluntate, etiam si sint necessariæ, possunt esse supernaturales, & disponere, ac præuenire ad iustificationem

25 *Quid si voluntas credendi non sit necessaria, sed libera, non tamen cum plena deliberatione.* Petes: quid si voluntas illa credendi, non sit necessaria, sed libera, nontamen cum plena deliberatione eo quod difficultas credendi non cognoscatur perfectè, sed cum imperfecta attentione. Videtur enim hæc semiplena libertas sufficere ad actus supernaturales & ad meritum aliquod de condigno; si in actu malo sufficit ad demeritum: alioquin si actus boni ex semiplena deliberatione non essent supernaturales, non essent meritorij, iuxta communiorem sententiam in materia de merito: quod videtur durum, cùm illi habeant bonitatem, & placeant Deo; sicut actus malus cum simili deliberatione displicet Deo, & meretur pœnam.

Respondeo, transeat actus semiplenæ libertatis in aliis materiis, & virtutibus supernaturales esse & meritorios; quod non videtur negari cum sufficienti fundamento: Cæterùm in materia fidei actum semiplenè liberum suspicor non esse saltem semper supernaturalem propter rationem supra politam, quia scilicet in peccatore, imo & in hæretico ille actus sufficeret ad excitandum actum contritionis perfectæ literum, vt supra vidimus, & per consequens ad perfectam iustificationem, & recuperationem etiam habitus fidei: quod videtur durum: tum quia hic homo non esset perfectè fidelis, moraliter loquendo, per illam imperfectam retractationem hæresis, sicut nec peccator, qui cum semiplena libertate diligeret Deum, conuerteretur perfectè ad Deum; tum etiam quia scriptura, & Concilia exigunt fidem simpliciter & absolutè ad iustificationem; illa autem non esset fides simpliciter, sed imperfectè; sicut nec infidelitas cum semiplena deliberatione est infidelitas simpliciter, sed secundùm quid, nec detestatio peccati cum semipleña libertate sufficeret ad iustificationem, eo quod Cōcilia exigunt contritionem simpliciter: illa autem non esset contritio simpliciter, sed secundū quid, & valdè insufficiens, vt cum Zumelio notauit Granado in materia de Gratia *tract. 9. disput. 1. num. 6.* vbi concedit etiam eos actus sufficere ad augmētum meriti, non tamen ad iustificationem. Ne ergo demus, ex illo actu fidei excitari in peccatore hæretico actum contritionis perfectè liberum: dicere debemus, fidem supernaturalem non habere semper concursum ad eliciendum actum, nisi perfectè & plenè liberum: nam esto fides posset quidem illum elicere etiam cum semiplena libertate, in peccatore tamen hæretico, qui ex actu fidei potest prodire in contritionem, non concurret Deus ad actum fidei nisi plenè liberum, ne sequatur iustificatio sine fide simpliciter & absolute libera.

Fidei supernaturalis non habet semper concursum ad eliciendum actum, nisi perfectè & plenè liberū.

26 Dices, ergo neque poterit dari actus charitatis cum semiplena libertate; ne fortè peccator iustificetur per talem dilectionem. Respondeo, negando sequelam: quia ille actus, licèt sit supernaturalis & in peccatore, non est sufficiens dispositio proxima ad iustificationem; sed habebit se sicut alia bona opera peccatoris, quibus mereatur de congruo auxilia vberiora ad perfectam contritionem; & ideo sine inconuenienti poterit dari ille actus in peccatore: at verò actus fidei si datur in hæretico, licèt sit semiplenè liber, posset sufficienter mouere ad perfectam contritionem, quod esset inconueniens, quia iustificaretur sine fide simpliciter; & ideo negamus talem actum reperiri saltem in illo casu in peccatore.

27 Hæc omnia olim dixeram, dum ante 25. annos hanc materiam dictarem, & dubium hoc excitassem: postea verò P. Hurtado *disp. 46. sect. 4.* iis, quæ dixeram, ferè consensit; addit tamen, non minùs repugnare actum fidei cum semiplena deliberatione in homine iusto, quàm in homine infideli, vel peccatore: quod quidem ego non æquè pro comperto affirmaueram. Rationem autem à

priori,& ex principiis intrinsecis fidei hanc affert: quia fides dependet ab applicatione repræsentante euidenter obligationem credendi adeò, vt iudicet homo,non licere sibi de iis obiectis dubitare: cognitio autem euidens de obligatione non dubitandi, & de euidenti credibilitate obiecti, est tam perfecta, vt non relinquat locum deliberationi semiplenæ; sed afferat plenam deliberationem; quæ enim cognitio non erit indeliberata,si hæc deliberata plene non est?ergo affectus supernaturalis credendi semper debet esse plenè liber.

28 Hæc tamen ratio difficultate maxima non caret.Primò, quia probari forè posset eodem argumento, nunquam dari peccatum veniale ex defectu plenæ deliberationis in aliis etiam materiis: non peccatur enim sine cognitione euidenti obligationis, vel certè obligationis inquirendi, & examinandi propter dubium saltem de obligatione directa, datur ego semper plena aduertentia ad malitiam, cùm detur cognitio euidens de obligatione directa,vel reflexa. Secundò, quia certum est apud omnes, quod etiam contra fidem possumus peccare venialiter ex defectu plenæ aduertentiæ: si ergo tunc verè peccatur, saltem venialiter; ergo erat obligatio credendi, vel non dubitandi de rebus fidei: ergo erat iudicium euidens de tali obligatione, sine quo per te non potest esse obligatio ad fidem; & per consequens cum iudicio illo euidenti potest esse defectus plenæ deliberationis requisitæ ad peccatum mortale. Tertiò,quia etiamsi esset iudicium euidens cum plena aduertentia ad obligationem credendi, potest adhuc actus fidei, seu voluntas credendi esse solùm semiplenè libera; nimirum si non sit aduertentia plena ad difficultatem & incommodum, quod fides affert. Ad libertatem enim requiritur cognitio boni,& mali,quod est in obiecto; potest autem esse plena aduertentia ad bonum, quod est in obiecto,& non plena ad malum, sed vel nulla, vel solùm semiplena. Vnde, quamuis obligatio credendi,& bonitas,atque honestas fidei plenissimè,ac euidenter cognoscatur; potest tamen difficultas, & incommodum eiusdem fidei non plenè cognosci, sed imperfecta, & semiplena aduertentia: quo casu voluntas credendi non habebit plenam libertatem; nam sicut nullam haberet libertatem, si solùm cognosceretur obligatio, & honestas credendi,& nullo modo eius malum, & difficultas; ita non habebit plenam & perfectam libertatem, si idem malum,& difficultas non plenè, sed imperfectè & semiplenè cognoscatur. Ex quibus constat difficilè posse probari ex natura,& conditione fidei, quod ei ex natura rei repugnet semiplena libertas.

29 *Quando de nouo homo incipit credere, vel recuperare fidem, requiritur actus fidei plenè liber, nec sufficit cum semiplena libertate.*

Sufficit ergo, si dicamus, de facto, quando de nouo homo incipit credere, vel recuperare fidem per peccatum infidelitatis amissam, requiri actum fidei plenè liberum, nec sufficere cum semiplena libertate ob rationes suprà adductas,quæ fortasse probant etiam, debere dari actum fidei plenè liberum libertate noua post peccatum in peccatore se disponente ad iustificationem,vt in eo reperiatur fides aliqua plena & perfecta disponens ad primam gratiam. In homine autem iam iustificato an debeat dari nouus actus fidei liber libertate plena ad singula bona opera, an verò sufficiat actus fidei semiplenè liber ortus ex alio actu fidei plenè libero, non videtur ita certum.Posset enim aliquis dicere, sufficere esse semiplenè liberum illum actum fidei, quo hic & nunc proponitur honestas talis virtutis, dummodo sit plenè liber in causa quatenus regulariter homo mouetur ad volendum credere hic & nunc propter motiua fidei quæ recordatur à se iam plenè discussa, & accepta libertate, & deliberatione plena, itaut memoria illa moueat ad volendum credere; sed tamen assensus fidei habeat solùm pro motiuo auctoritatem, & reuelationem Dei. Iam enim hoc modo verificatur omnia opera bona, & meritoria procedere ex fonte fidei, & quidem ex fide plenè libera, siquidem hæc etiam fides actualis semiplenè libera procedit ex fide præcedenti plenè libera. Præsertim cùm actus fidei non possit habere libertatem formalem in se,sed solùm in causa:itaque quo ad hoc nihil videtur posse omnino certò definiri.

SECTIO III.

An voluntas credendi debeat esse in sua entitate supernaturalis, & formaliter honesta.

30 DVplex potest considerari malitia in aliquo actu. Prima formalis, & intrinseca, vel quasi intrinseca, quatenus immediatè competit alicui actui, & non solùm extrinsecè, seu mediate, & denominatiuè ab alio actu malo à quo procedit.Secunda appellatur extrinseca, & denominatiua, qualem habent actiones externæ ex eo,quod imperatur, & procedunt ab actu interno malo: quæ etiam potest competere actibus internis, quando hi efficaciter imperantur per aliquem alium actum malum. Nunc agendum est de primo genere malitiæ, & videndum, an voluntas credendi, à qua immediatè, & proximè imperatur assensus intellectualis fidei possit esse mala, malitia formali & intrinseca. Postea verò sect.5. agemus de secundo genere malitiæ, an possit voluntas credendi esse mala saltem denominatiuè ab alia voluntate antecedenti mala, à qua imperetur.Priùs autem videndum est, an hæc voluntas proxima, qua immediatè imperatur actus fidei, debeat esse supernaturalis.

Prima sententia concedit, fidei assensum imperari aliquando à voluntate naturali secundùm substantiam, orta tamen ex speciali Dei beneficio. Hæc tribuitur Scoto *in* 3. *d.* 25.*quæst.* 2.& à fortiori hanc partem docebunt, qui dicunt assensum fidei esse solùm supernaturalem quoad modum; & in eam inclinant aliqui Recentiores. *Prima sententia.*

31 Communis & verior sententia asserit, illam voluntatem esse semper supernaturalem secundùm substantiam; ita communiter Theologi, quos sequitur Molina *in Concord. disp.*8.& Suarez 1.*tom.in* 3.*p.quæst.*7. *art.*3.*& lib.* 2.*de gratia, cap.* 5. & *in præsenti disp.*6.*sect.*7. Granado *tract.* 9.*disp.*3.Hurtado *disp.*46.*sect.* 1.& 2. Coninch. *disp.*13.*dub.*5.& alij communiter, quæ sententia primò, & potissimùm probatur ex Concilijs, & PP. tribuentibus illam voluntatem gratiæ Dei, non minus quàm ipsum fidei assensum. Arausic. 2.can.4. *Si quis sicut augumentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*, &c. *sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius probatur,* *Communis & verior sententia.*

batur, &c. Item can. 6. & 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare, aut eligere siue saluari, id est, euangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu.* Fauet etiam Mileuitanum cap. 4. Cœlestinus *epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 9. vsque ad* 12. Augustinus passim, præsertim *lib. de spiritu, & littera cap. 33. & 34 & quæst. 2. ad Simplicianum*, Prosper, & Hilarius *epist. ad August.* quæ habentur ante librum de prædestinatione Sanctorum. Fulg. *de Incarnatione cap. 18* Petrus Diaconus *de Incarnatione cap. 6. in fine*, & alij PP. communiter, quorum plura loca referuntur in annotatione vigesima Censoria super Cassianum, ex quibus omnibus fit efficax argumentum pro conclusione: nam si voluntas non esset supernaturalis secundùm substantiam, non esset cur PP. adeo exigerent gratiæ adiutorium ad illam. Voluntas enim naturalis ad credendum, cur non posset haberi ex ipsis naturæ viribus, præsertim propositis per externam prædicationem sufficienter mysteriis fidei: ex qua propositione externa naturaliter resultat cognitio credibilitatis, seu decentiæ, quæ inuenitur in assentiendo fidei; post quam etiam cognitionem naturaliter sequi potest voluntas naturalis credendi?

Nec satisfacis, si dicas, ad hanc voluntatem, licèt naturalis sit, exigi gratiæ adiutorium propter eximiam difficultatem, quam habeat; quia hæreticus etiam cum debilioribus motiuis firmiter vult adhærere suis articulis sine gratiæ adiutorio, ergo Christianus non requirit gratiæ auxilium propter solam difficultatem illius voluntatis, sed propter specialem, & superiorem eius naturam.

32 Confirmatur primò, nam ad istam voluntatem non solùm requiritur auxilium præueniens, sed etiam adiuuans, vt insinuatur in Tridentino *sess. 6. cap 6.* vbi ait, arbitrium non solùm esse *excitatum*, sed etiam *adiutum* ad huiusmodi actum eliciendum, quod etiam indicatur in Arausi. can. 9. *Quando bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur*; numeraucrat autem inter hæc bona affectum credulitatis.

Confirmatur secundò, quia hoc auxilium appellatur à Conciliis & PP. *Inspiratio Spiritus sancti, & infusio Spiritus sancti*, quibus nominibus videtur significari aliquid diuinũ, & supernaturale, Arausi. *c. 5. & 6 & c. 7.* Trid. *sess. 6. c. 5. & 6. & can. 3.* Aug. *l. 3. de spiritu, & littera, c. 33. & 34 & de prædestinatione Sanctorum, P. 5 in fine, & c. 6. initio, & cap. 8.* Gregor. *hom. 30. in Euangelia circa principium.* Isidor. *lib. 3. de summo bono, cap. 10.* Quod si prædictum auxilium solùm requireretur ob difficultatem, sufficeret protectio externa, quia tollerentur difficultates, vel impediretur attentio ad illas; & tunc per vires naturæ posset arbitrium elicere illam voluntatem sine alia inspiratione Spiritus sancti, qualem Patres exigunt, & Concilia.

33 Dices, hanc necessitatem gratiæ ad volendum credere verificari posse propter necessitatem cogitationis congruæ ad volendum credere, quæ cogitatio est specialis gratia Dei, licèt illa voluntas naturalis sit. Sed contra primò, quia hæc necessitas gratiæ oritur ex attenuatione arbitrij, vel inclinatione, quam incurrit homo propter peccatum, vt constat ex Arausi. *can. 25.* Et quidem non oritur ob difficultatem, & inclinationem ob propria commoda, quia non est semper opus adeò difficile, vt vidimus *supra*: ergo oritur ex attenuatione, quatenus per peccatum amisit homo ius ad auxilia supernaturalia, quæ illi in statu innocentiæ erant debita: ergo hæc gratiæ necessitas non est ob necessitatem cogitationis congruæ; hæc enim necessitas non incursa est propter peccatum; nam etiam in statu naturæ integræ erat necessaria cogitatio congrua, quæ esset specialis gratia; sed est necessitas alicuius auxilij, vel virium; quæ propter peccatum perditæ fuerunt. Loquitur autem Concilium ibi non de solo assensu fidei intellectuali, sed de voluntate etiam credendi, nam loquitur de fide pro vt laudabilis est, & pro vt in Patribus antiquis laudatur ab Apostolo Paulo; non est autem laudabilis fides nisi pro vt est volita.

Ratio à priori. Omne meritum fundatur in voluntate supernaturali.

Vnde secundò formari potest ratio vniuersalis, & à priori, quia fides Christiana est meritoria in ordine ad salutem saltem de congruo: omne autem meritum fundatur in voluntate supernaturali, vt suppono ex *tractatu de Gratia*; ergo quoties datur fides pro vt oportet ad salutem, id est, quæ possit esse principium operandi meritoriè debet procedere ex actu voluntatis supernaturali; quia de omni fide pro vt oportet ad salutem supponunt Patres esse ex gratia Dei, & esse meritoriam.

Difficilius est reddere rationem huius supernaturalitatis; cur enim voluntas naturalis non poterit imperare illum assensum fidei, præsertim si intellectus supponatur instructus habitu fidei, vel (quod ad nostrum propositum idem est) si Deus habeat paratum auxilium actuale ad fidei assensum? Aliqui dicunt, illam voluntatem debere esse supernaturalem, quia habet pro obiecto aliquid supernaturale, nempe ipsum fidei assensum eliciendum. Sed contra, quia etiam conuersio panis in Corpus Christi est aliquid supernaturale, & tamen potest Sacerdos per voluntatem non solùm naturalem, sed malam velle consecrare, vt fiat illa conuersio; ergo posset etiam voluntas naturalis terminari ad actum fidei supernaturalem. 34

Alij dicunt esse necessariò supernaturalem, quia si illa voluntas esset naturalis, assensus fidei postea elicitus esset etiam naturalis, nam sicut ex cognitione naturali non potest sequi voluntas supernaturalis, sic neque ex voluntate naturali potest sequi assensus supernaturalis. Sed contra, quia licèt ad volitionem supernaturalem prærequiratur cognitio supernaturalis, non tamen requiritur hæc proportio inter actum imperantem, & imperatum; nam per voluntatem supernaturalem possumus imperare actus naturales & cognitiones phantasiæ; ergo è contra per voluntatem naturalem poterimus etiam imperare actum supernaturalem intellectus. Quod à fortiori constabit ex dicendis *sect. 5.* vbi dicemus, posse voluntatem bonam credendi imperari extrinsecè à voluntate naturali mala.

Dices fortasse, ideò hanc voluntatem esse semper supernaturalem, quia semper est voluntas bona, & ex bono fine: cùm autem Deus concurrat semper ad actum supernaturalem, quandocunque ex parte obiecti proponitur aliquid, quod terminare potest voluntatem conducentẽ ad salutem, hinc est hanc voluntatem credendi sæpe prodire 35

supernaturalem, quia semper conducit per modum bonæ dispositionis ad salutem.

Sed contra, quia hæc voluntas vel potest conducere ad salutem per modum dispositionis meritoriæ saltem de congruo, vel per modum meræ occasionis, qua posita Deus concurrit ad actum fidei supernaturalem eliciendum. Si hoc secundo modo solum conducat, non videtur ad hoc requiri, quod ipsa voluntas sit supernaturalis; nam etiam voluntas audiendi concionẽ conducit hoc modo ad salutem, scilicet, vt occasio in qua Deus illuminat hominis mẽtem, & afficit eius voluntatem? & tamen volitio audiendi concionẽ potuit esse naturalis & mala, cum hoc enim stat initium gratiæ non esse ex nobis, nam semper prima gratia dabitur gratis, hoc est sine vllo prorsus nostro merito præcedenti. Si verò dicas, voluntatem conducere ad gratiam primo modo, hoc est, per modum meriti; hoc restat probandum, cur repugnet dari aliquam voluntatem credendi, quæ nec sit bona, nec meritoria, sed potiùs mala, ex vana gloria, v.g. vel alio affectu minus bono.

36 Dices, voluntatem credendi semper esse bonam, quia semper præsupponit iudicium euidens dictans mysterium esse prudenter credibile: non potest autem dictari esse prudenter credibile hic & nunc, quod hic & nunc creditur ex malo fine; nam simpliciter & absolutè hic & nunc non est iusta, sed contra rectam prudentiam illud credere, cùm ipsum credere sit ex malo affectu, ergo vt detur tale iudicium prudentis credibilitatis, necesse est voluntatem non procedere ad credendum ex malo affectu, & per consequens quandocunque datur illud iudicium, voluntas operatur iuxta regulã rationis per actum bonum.

Sed contra, quia licet ad fidei assensum necessaria sit cognitio euidens credibilitatis mysterij. Cæterum quod prærequiratur cognitio prudens de bonitate assensus, & de defectu malæ circumstantiæ, hoc est quod dubitamus, & cuius rationem inquirimus. Requiritur sane cognoscere, quod obiectum illud est credibile, quia si hoc deficeret, iam ipse assensus arguitiuè haberet aliquem defectum intrinsecum, nimirum non haberet sufficientem connexionem extremorum, vel motiua ad credendum Deum reuelasse Incarnationem; qui defectus cùm esset intrinsecus in actu fidei, iam argueretur non esse illum actum eiusdem speciei cum aliis, quos habemus, & per consequens non esse fidem, sed leuitatem in credendo; cæterum cùm defectus boni finis sit omnino extrinsecus ad fidei assensum, non apparet, cur prærequiratur cognitio boni finis ad imperandum illum assensum. Fateor, illam voluntatem non fore in illo casu prudentem omnino, esset tamen prudens prout sufficeret ad hoc, quòd non haberet leuitatem credulitatis, cùm præsupponeret euidentem notitiam sufficientis credibilitatis.

37 Dices iterùm, actum fidei ex natura sua esse actum bonum, quare ex se postulat non imperari à volitione mala: ne ipse assensus fiat malus. Sed contra, quia actus intellectus, [qualis est actus fidei) de se nec sunt formaliter boni bonitate morali, nec meritorij, sed solùm de nominatiue à voluntate, & licèt ipse in se esset bonus, adhuc posset accipere aliquam malitiam denominatiuã à voluntate; nam attritio supernaturalis est bona, & meritoria; & tamen potest imperari à voluntate vanæ gloriæ venialiter culpabili, vt suppono ex materia de pœnitẽtia, quia hæc malitia denominatiua solùm est, quod procedat à mala causa, quod non minuit propriam ipsius bonitatem, si aliquam habet.

Dices: ergo iam Deus concurreret formaliter ad actum malum; probatur sequela, quia concurreret speciali concursu supernaturali ad actum fidei; hic autem esset malus, si procedit à mala voluntate. Respondeo, distinguendo sequelam; concurreret Deus ad actum formaliter malum, nego; ad actum malum solùm denominatiue; concedo, hoc enim non est concurrere Deum ad malitiam, sed ad entitatẽ actus, qui extrinsecè dicitur malus per malitiam omnino extrinsecum iam positam: ad quam Deus formaliter non concurrit.

Propter hæc aliqui concedunt, illam voluntatem credendi posse esse malam. ita Caietan. Medina, & alij, quos refert Suarez *disput. 6. sect. 7. num. 10.* non tamen negant esse ex speciali Dei auxilio propter loca Conciliorum suprà adducta, & propter illud Ioan. *6. Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit illum*; & alia similia. Quare videntur supponere voluntatem supernaturalem posse esse malam. Ego tamen nullo modo concederem voluntatem illam, cùm supernaturalis sit, esse malam, & peccaminosam: quare si supernaturalis ponenda est, (vt prædicta testimonia probare videntur) consequenter dicẽdum videtur illam voluntatem semper esse bonam, & honestam formaliter. Quod potissimùm probandum videtur ex præfatis locis, vbi hæc voluntas semper tanquàm speciale donum, & beneficium Deo tribuitur, & vniuersaliter dicitur neminem posse habere hunc affectum credendi sine peculiari diuinæ gratiæ adiutorio. Videatur Suarez ubi *suprà num. 11.* & Hurtado *disp. 46. §. 24.*

Ratio quidem à priori huius necessitatis difficile redditur, vt constat ex dictis. Forsitan fundatur in eo, quod actus fidei, licèt sit cognitio intellectualis, est tamen ex natura sua cultus quidam, & obsequium, quod intellectus exhibet humilians se eo modo, quo potest, in reuerentiam sui Creatoris, iuxta illud Pauli, *captiuantes intellectum in obsequium fidei*. Nam licèt intellectus non possit per affectum Deum colere, potest tamen per effectum exercendo obsequiosam fidem, quæ in actu exercito est maximus cultus Dei. Quare licèt assensus fidei, quatenus precisè est cognitio quædam sui obiecti, posset imperari per quamlibet voluntatem: quatenus tamen est cultus & obsequiũ Dei, postulat necessariò imperari à voluntate bona & honesta; quia vt tale obsequium connotat voluntatem subiiciendi intellectum in recognitionem infinitæ auctoritatis Dei, quæ voluntas cùm moueatur à bonitate talis subiectionis, bona est, & honesta. Cum ergo assensus fidei christianæ habeat vtrumque, nempe assentiri suo obiecto, & simul exhibere cultum intellectualem Deo: hinc est, ex natura sua cõnotare voluntatem honestam, à qua imperetur, & per consequens supernaturalem, nam vt suppono, quandocunque agitur negotium nostræ salutis, & proponitur obiectum potens terminare actum supernaturalem, habet Deus paratum concursum ad actum supernaturalem debitum hominis in statu eleuationis.

Dices, genuflexio coram Eucharistia est etiam cultus Dei, & tamen potest imperari à voluntate vanæ gloriæ, ergo licèt assensus fidei sit cultus Dei,

Dei, poterit tamen imperari à voluntate mala. Respondeo, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod genuflexio constituitur in ratione cultus veri per hoc solum quod ex hominum institutione sit nota, & signum exterius interioris voluntatis, qua quis vult se submittere Deo propter eius excellentiam, quæ quidem voluntas bona est; non est tamen necesse quod genuflexio imperetur ab hac voluntate: potest enim quis interius se submittere Deo, & tamen nolle exhibere notam externam huius voluntatis, & potest etiam postea ex affectu, vanæ gloriæ velle exhibere notam externam illius prioris voluntatis bonæ. At verò fides non constituitur in ratione obsequij per hoc quod aliunde ex hominum placito sit nota voluntatis subiicientis intellectũ Deo; sed per hoc potissimum, quod imperetur à tali voluntate; non enim potest esse voluntas subiiciendi intellectum Deo, quin eo ipso intellectus exhibeat assensum Deo; ergo ille assensus in ratione obsequij intellectualis connotat voluntatem bonam non vtcumque, sed vt imperantem illum assensum.

41 Vrgebit aliquis, posse dari illam voluntatem subiiciendi intellectũ diuinę auctoritati propter bonum ipsius subiectionis, & tamẽ quod illa voluntas, sit mala, vel ex alio motiuo partiali, vel ex alia circumstantia, & per consequens quod non sit supernaturalis. Hæc obiectio tangit quæstionẽ aliam, an possit aliquis actus voluntatis esse bonus ex vno obiecto, & malus ex alio, vel ex alia circumstantia quam quæstionem non possumus hîc disputare, cum pertineat ad materiam de actibus humanis. Sufficit pro nunc supponere partem negatiuam, quam probabiliorem existimo suo loco examinandam & probandam.

Addo tamen, præscindere nos posse ab hac quæstione, an assensus fidei ex sua essentia, aut natura, habeat hanc necessitatem intrinsecam, vt quia cultus intellectualis est, nõ possit imperari, nisi à voluntate bona: sufficit enim nobis, esto id non proueniat ex intrinseca necessitate ipsius assensus, quod Deus tamen voluerit de facto non concurrere ad assensum fidei supernaturalem, nisi quando exhibetur verus cultus talis per eum assensum, & per consequens non nisi quando procedit à voluntate bona imperante. Ad quam legem fuit eadem omnino cogruitas, propter quam Deus de facto noluit in hoc statu concurrere ad actus supernaturales voluntatis, nisi quãdo præcedit cognitio fidei, nec ad aliquos actus supernaturales in intellectu, qui nõ sint actus fidei, vel pertineant aliquo modo ad ipsam fidem, provt pertinet iudicium credibilitatis præcedẽs, de quo dicemus *disp. seq.* Voluit nimirum Deus, vt in negotio nostræ salutis initium, & progressus totus procedat à fide, in qua ipse solus sit magister, & non caro, & sanguis; & vt homo prius reuerenter accipiat doctrinam cælestem. Omnia enim dona supernaturalia, quæ Deus confert adultis, sunt in duplici differentia: (loquor autem de iis, quæ pertinent ad gratam sanctificantem, non de iis, quæ pertinent ad gratias gratis datas.) quædam enim fiunt à Deo in nobis sine nobis, id est, sine nostra dispositione, aut cooperatione: quædam verò exigunt dispositionem, vel cooperationem nostram; quæ dispositio, vel cooperatio debet esse bona, & honesta, alioquin non deseruit. Vnde licet Deus conferat vocationes, illustrationes, inspirationes, & alia auxilia supernaturalia sine dispositione, aut cooperatione nostra: habitus tamen fidei, spei, charitatis, & alios omnes nõ infundit sine dispositione nostra bona, & honesta, & idem est de omnibus, quæ voluntariè accipiuntur, hoc est, mediante voluntate nostra: in iis enim semper Deus exigit voluntatem bonam, quæ sit simul dispositio & meritum congruum ex parte nostra. Cùm ergo concursus ad actum fidei supernaturalem sit donum magnum Dei, & initium aliorum bonorum, quæ consequuntur, & sit ex iis, quæ homini non dantur nisi volenti, cùm nemo inuitus credat, sed libere volens; consequens est, vt ex parte hominis exigatur dispositio, & voluntas bona, & honesta. Nam sicut habitus ipse fidei non infunditur de nouo homini adulto, nisi præcedente saltem fide actuali bona & honesta; sic auxilium actuale extrinsecum, vel intrinsecum, quod supplet defectum habitus, non datur homini adulto, nisi præcedente dispositione ex parte saltem voluntatis, quæ se piè & religiosè disponat per voluntatem honestam credendi: quæ voluntas bona si desit, Deus non concurrit concursu supernaturali deficiente dispositione requisita ex parte hominis.

Omnia dona supernaturalia quæ Deus confert adultis sunt in duplici differentia.

42 Hinc infero, cur dixerit Augustinus *de prædestinatione Sanctorum cap.* 2. omnem actum fidei esse meritorium (scilicet saltem de congruo) & impetratorium in illis verbis. *Quis enim dicat, eum, qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri?* Ratio enim sumitur ex dictis, quod *credere*, licèt in se formaliter non sit meritorium, cum sit actus intellectus, per quem formaliter non meremur, sed solùm denominatiuè: quia tamen ipsum *credere* est quoddam genus obsequij Deo exhibitum, necessario connotat voluntatem bonam exhibendi illud obsequium, & captiuandi intellectum in honorem Dei, quæ voluntas semper est meritoria saltem de congruo.

Cur dixerit Augustinus, omnem actũ fidei esse meritorium, & impetratorium.

43 Contra præcedentem doctrinam sunt aliquæ obiectiones. Prima quia contingit aliquem infidelem conuerti ad fidem propter diuitias, vel cõmoda temporalia; ergo voluntas illa credendi non est supernaturalis. Negatur communiter antecedens ex doctrina August *lib. de catechizandis rudibus cap.* 15. vbi ait, numquam aliquem velle esse Christianum, nisi aliquo Dei timore perculsum: eos autem qui Christiani fiunt ex voluntate alicuius commodi, aut placendi hominibus, non tam velle fieri, quàm fingere se Christianos; *quia fides*, inquit, *non est res saluandi corporis, sed credentis animi*, hoc est, quia licèt confessio externa fidei cõducere possit ad aliquod temporale emolumentum: fides tamen interior non videtur deseruire nisi ad spiritualia. Quæ quidem doctrina regulariter, & moraliter loquendo verissima est. Metaphysicè tamen non videtur negari posse, quin ipsa fides interior aliquando concipi posset vt vtilis ad res temporales & per consequens ex illo humano affectu imperari. Nam posset aliquis velle credere primo ex nimio affectu obtinendi à Deo diuitias, vel voluptates. Secundò ex affectu nimio ad aliquam personam creatam, cui existimat fore gratam suam fidem. Tertio ex malo fine obtinendi ab hominibus aliquid temporale, verbi gratiâ, regnum; nam licèt ad hoc sufficeret, simulata fides externa; potest tamen apprehendi ipsa fides interna vt vtilis ad loquutionem externam, ne scilicet aliquando incautè prodatur sensus interior, & appareat fidei defectus; ex quibus, &

Obiectio 1.

Fides interior concipi potest vt vtilis ad res temporales, & ex humano affectu imperari.

ex aliis causis posset aliquando imperari assensus fidei ex malo fine. Cæterùm in nullo casu ille esset assensus fidei, quia non procederet à voluntate elicita per auxilium gratiæ, quod Recentiores exigunt ad omnem fidei assensum, & quia non esset obsequium & cultus intellectualis Dei, cùm non connotaret voluntatem honestam illius cultus, sed voluntatem malam propter alium finem, & non propter honestatem colendi Deum per subiectionem nostri intellectus ad ipsum.

44 *Obiectio 2.* Sed adhuc secundò obiici potest, quia ex fine malo venialiter, ex vana gloria, v.g. possum velle confiteri, vt satisfaciam, v.g. bonæ existimationi, quàm Confessarius habet de me, & ex eodem fine volo me disponere ad confessionem per veram attritionem peccatorum, ad quam concipiendam requiritur actus fidei; ergo ex fine malo venialiter possum imperare assensum fidei. Respondeo, quidquid sit de antecedenti, an ex vana gloria possit imperari attritio interna, de quo *in disp. 15. de Pœnitentia sect. 9.* & aliquid dicemus *sect. sequent.* admisso illo antecedenti, distinguo consequens: possum ex voluntate mala immediatè imperare assensum fidei, nego, mediatè concedo; nam licet ex affectu vanæ gloriæ imperetur fides, non tamen immediatè, sed prius imperatur alia voluntas bona credendi, ex qua voluntate bona oritur postea immediatè assensus fidei. Cur autem illa voluntas bona, & supernaturalis credendi possit imperari à voluntate mala vanitatis; non verò possit actus fidei imperari immediatè ab illa mala voluntate. Ratio petenda est ex superioribus, quibus probauimus conclusionem, quæ non probant de ipsa voluntate credendi, quod non possit prodire ab alia voluntate mala.

45 *Obiectio 3.* Tertiò obiici potest, quia si ante assensum requiritur voluntas bona supernaturalis, ergo ante actum fidei datur aliquod meritum in homine saltem de congruo, quo possit mereri ipsam fidem. Consequens autem videtur contra Augustinum, & PP. ponentes fidem vt initium omnis meriti. Respondetur negando sequelam, quia illa voluntas non ponit in numero ratione meriti cum assensu fidei, nec fidei assensus est nouum meritum, provt condistinguitur ab illa voluntate; quare licèt illa voluntas, provt antecedit fidei assensum sit meritoria, non tamen sequitur, fidem non esse primum meritum; quia fides in ratione meriti includit illam voluntatem credendi, quæ est principium meriti iuxta Augustinum, & Patres.

Obiectio 4. Obiicies quartò, ergo ad illam voluntatem credendi oportet poni alium habitum supernaturalem in voluntate, qui maneat etiam in peccatore. Respondetur, concedendo, dari hunc habitum. An verò maneat etiam in peccatore *infra* videbimus *disp. 17.*

Obiectio vltima. Obiicies vltimò: ergo ad istam voluntatem supernaturalem antecedit alia cognitio eiusdem ordinis supernaturalis, ergo ante cognitionem fidei datur alia cognitio supernaturalis. Respondetur concedendo sequelam: qualis autem sit illa cognitio constabit *disp. sequenti.*

46 *An possit actus fidei infusæ imperari simul à duplici voluntate, qua-* Dubitabis primò, An possit actus fidei infusæ imperari simul à duplici voluntate, quarum altera sit bona, & supernaturalis, altera naturalis & mala. Suppono enim posse eandem actionem externam imperari simul à duplici voluntate interna, altera bona, altera mala. Quare licet idem actus internus voluntatis non possit simul esse bonus & malus, bonitate & malitia formali, & immediata, actus tamen externus potest esse bonus & malus bonitate & malitia extrinseca, & denominatiua, contra quam non procedunt rationes, quæ faciunt contra malitiam, & bonitatem formalem eiusdem actus interni. Cùm autem assensus fidei non habeat bonitatem formalem intrinsecam, sicut nec libertatem, sed solùm extrinsecam, & denominatiuam, videtur idem quoad hoc concedendum esse de actu fidei, quod de actione externa. Iam enim actus ille fidei esset verus cultus intellectualis, provt procederet à voluntate bona illum imperante ex affectu reuerentiæ, & subiectionis erga diuinam auctoritatem. Sicut etiam genuflexio externa facta ex effectu colendi Deum esset verus, & honestus cultus Dei, licet simul fieret propter finem vitandi defatigationem, quæ ex longa continuatione alterius situs prouenire posset: imò licèt simul fieret ex alio affectu malo complacendi alicui, vel aucupandi honoris, & laudis.

47 Cæterùm P. Suarez *disp. 6. sect. 7. num. 13.* licèt concedat posse interuenire casum, quo quis simul ex honestate fidei, & ex lucro velit accepetare fidem christianam; negat tamen, assensum fidei procedere ab vtraque illa voluntate, aut ab vtraque imperari, sed fieri assensum supernaturalem & imperari à sola voluntate bona supernaturali. Rationem autem videtur paulo inferius eam reddere, quia voluntas praua non posset mouere virtute sua ad talem actum supernaturalem fidei, & ideo non est causa illius, vt talis est, nec respectu illius comparatur actus fidei vt effectus, sed solùm vt obiectum volitum, seu materia, circa quam versatur voluntas praua ordinando eam ad suum finem, vel vtilitatem: quod non sufficit, vt malitia voluntatis prauæ actum fidei afficiat, vel denominet, cùm ea voluntas non sit causa talis actus. Quæ tamen ratio difficilis apparet: nam voluntas illa naturalis non est simplex complacentia, vel gaudium de assensu fidei, sed ita absolutè & efficaciter, quantum est de se, imperat assensum, sicut volitio supernaturalis, nec imperat assensum in communi, sed talem, & ad tale obiectum & sub tali motiuo formali. Aliunde verò tota causalitas actus imperantis videtur esse in genere causæ formalis, quatenus informans animam, eam formaliter disponit, mouet, & determinat ad eliciendum actum imperatum: ergo vtraque volitio influit suo modo in illum.

Potest tamen hæc ratio sustineri, & explicari supponendo causalitatem harum dispositionum, causæ formalis & extrinsecæ consistere in hoc, quod talis forma posita in subiecto petat expulsionem, vel introductionem alterius formæ, vel effectus, & Deus intuitu talis formæ antecedentis destruat aliquam aliam, vel concurrat ad eam introducendam. Sic calor introductus dicitur expellere frigus in genere causæ formalis, quatenus pro priori naturæ introductus exigit à Deo auctore naturæ, ne conseruet vlteriùs talem frigoris gradum in eodem subiecto, & Deus intuitu talis caloris, & propter eius exigentiam desinit concurrere ad conseruationem frigoris. Sic etiam vltima dispositio ad formam substantialem, quæ in probabilissima sententia non concurrit ad formæ ipsius generationem, vt causa efficiens physica, sed solùm vt dispositio, nó aliter causat, nisi expellendo accidentia contraria eo modo, quo

quò diximus, & exigendo à Deo auctore naturæ productionem, & introductionem formæ substantialis ab ipso solo Deo, vel simul cum agente creato naturali ponendam, & Deus intuitu illius dispositionis, & exigentiæ concurrit ad formam substantialem producendam & introducendam.

49 *Cur volitio naturalis, licet ex se absolutè & efficaciter imperet assensum fidei, non tamen ponat illum, sed sola volitio supernaturalis.*

Quo supposito, reddi iam potest ratio, cur volitio illa naturalis, licet ex se absolutè, & efficaciter imperet assensum fidei, non tamen ponat illū, sed sola volitio supernaturalis. Quia nimirum Deus postea non dat concursum supernaturalem ad assensum fidei intuitu voluntatis & imperij naturalis, sed intuitu voluntatis & imperij supernaturalis, & ideo meritò dicimus ex vi solà huius, & non illius voluntatis poni actum fidei infusæ. Nam voluntas & imperium naturale exigunt solùm à Deo, quod ponatur assensus fidei naturalis. Cùm ergo hic non ponatur, eo quod Deus velit, poni supernaturalem, & non sit connaturale poni duos actus fidei simul circa idem obiectum materiale, & formale, & cum eodem modo tendendi, Deus consequenter negat concursum ad assensum naturalem, & concurrit ad supernaturalem intuitu solius imperij supernaturalis, & ideo imperium naturale non habet influxum simpliciter, & absolutè in assensum supernaturalem etiam in genere causæ formalis.

50 Vnde constat primò, quo sensu verum esse possit id, quod *ibidem* dixit Suarez, voluntatem prauam non esse causam illius actus supernaturalis, vt talis est, sed secundùm generalem rationem quatenus cognitio quædam est de tali materia. Hoc, inquam, vt verum sit debet ita intelligi, quod voluntas naturalis exigebat ex se à Deo concursum ad actum fidei naturalem, ad quem de facto non datur concursus, sed ad alium actum supernaturalem, qui in ratione generica fidei, & assensus circa tale obiectum materiale & formale, conueniat cum assensu illo, ad quem voluntas naturalis exigebat concursum Dei; quare in aliquo sensu Deus mouetur ab exigentia, & intuitu illius etiam volitionis naturalis, vt det concursum ad aliquem assensum fidei; quem tamen vult esse hunc, & supernaturalem, non intuitu illius voluntati naturalis, sed alterius supernaturalis.

51 Constat secundò, quod dictum est de voluntate, & imperio duplici, quorum vnum sit supernaturale, alterum naturale, alterum bonum, & alterum prauum, locum etiam habere quando esset duplex imperium, & duplex simul voluntas, quarum vna esset supernaturalis, altera naturalis non praua, sed vel indifferens, vel etiam bona ex alio motiuo: tunc enim etiam poneretur assensus fidei supernaturalis, qui vt talis non esset à voluntate naturali etiam bona, sed solùm à voluntate supernaturali; à naturali vero esset solum aliquo modo secundùm rationem communem, & generica. Ratio quippe adducta eodem modo procedit, siue alia voluntas naturalis sit mala, siue sit indifferens, vel etiam bona, vt consideranti patebit.

52 *Quale sit obiectum formale huius voluntatis, & ad quam virtutem pertineat?*

Dubitabis secundò quale sit obiectum formale huius voluntatis, & ad quam virtutem pertineat, Certum mihi est, hanc voluntatem non respicere motiuum charitatis (quidquid alij dicant) nam hæc voluntas datur in peccatore, quandiu est in peccato, & quandiu nullam exercet charitatē. Aliqui dicunt, hanc voluntatem respicere motiuum obedientiæ iuxta illud ad Rom. 1. *Accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.* iuxta quem sensum videtur loqui S. Thom. infrà quæst. 4. art. 2. *per hanc virtutem fieri voluntatem promptam ad obediendum*, & 3. p. quæst. 7. art. 3. ad 2. meritum fidei consistere in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt. Verùm ipse sanctus Doctor se manifestè explicat, de qua obedientia loquatur; nam *infrà quæst. 4. art. 7. ad 3.* expresè dicit, se loqui de obedientia latè sumpta, quatenus significat inclinationem voluntatis ad implenda diuina mandata, quod commune est omnibus virtutibus, quæ versantur circa materiam præceptam; non vero de obedientia peculiari, quæ inclinat ad obediendum superiori, quia superior est, neque enim apparet, cur hæc voluntas procedat magis ex peculiari motiuo obedientiæ, quàm voluntas circa castitatem, vel iustitiam, &c.

Ideo alij, quos sequitur Valentia *in præsenti q. 1. p. 4. §. 1. ad 3.* dicunt, hanc esse virtutem studiositatis infusæ, nam sicut studiositas acquisita inclinat ad cognitionem eorum, quæ conducunt naturaliter, ita studiositas supernaturalis inclinat ad cognitionem eorum, quæ conducunt ad finem supernaturalem. Ego sane videor mihi discrimen reperire inter studiositatem, & voluntatē credendi. Primò quia studiositas est species quædam temperantiæ in addiscendo, cui opponuntur curiositas, & ignauia: voluntati autem credendi magis opponuntur leuitas, & duritics: quare infidelitas non est curiositas, sed duritics, ex quo apparet obiectum huius volūtatis esse statuere medium inter leuitatem & duritiem, vt nec ex leuitate credamus sine sufficiēti motiuo, nec ex duritie dissentiamus obiecto sufficienter proposito. 53

Deinde studiositas (vt optimè notauit S. Thomas *infrà quæst. 167. art. 1.*) non versatur immediatè circa cognitionem, sed circa appetitum cognoscendi, hoc est, non tam inclinat ad eliciendum assensum circa obiecta proposita, quàm ad moderandum appetitum circa doctrinam addiscendā, vt nec simus nimij, neque etiam desidiosi in addiscendo, sed cum debito moderamine applicemus mentem ad inuestigandam vtilem doctrinam; non est autem idem inuestigare doctrinam, & assentire rebus propositis: potest enim aliquis diligentissimè inquirere, & examinare motiua nostræ fidei, & in hoc excedere, multos fideles, (quod est proprium munus studiositatis) & tamen ex duritie nolle credere fidei mysteria. Melius ergo dicitur hanc voluntatem respicere formaliter honestatem, quæ apparet in assentiendo reuelationi sufficienter propositæ, & in subiiciendo intellectu diuinæ auctoritati circa obiecta ineuidentia, attendendo ad infinitam Dei auctoritatem, cui hæc subiectio & reuerentia intellectualis debetur: quod motiuum cùm honestissimum sit, non est, cur non possit terminare peculiarem virtutem infusam, quæ licet sit virtus ab aliis omnibus distincta, facilè poterit ad religionem reduci, quatenus inclinat ad exhibendum Deo hunc cultum, & obsequium intellectuale. Videatur Coninch. *disp. 13. dub. 6. n. 68.* & Hurtado *disp. 46. §. 7.* qui nobiscum sentiunt. 54

Obiici solet primò contra hanc virtutem specialem, quā ponimus in voluntate, quia ad imperandam fidem humanam non datur specialis virtus in voluntate, ergo nec necessaria est ad imperandam fidem diuinam. Respondet Coninch. 55 *Obiectio 1.*

*n.*79. negando consequentiam, quia assensus fidei humanæ non indiget imperio voluntatis, sicut indiget assensus fidei diuinæ. Hæc tamen responsio in primis supponit falsum: nam, vt *suprà* vidimus, fides etiam humana requirit voluntatem, à qua determinetur saltem, quando in obiecto credendo apparet aliqua ratio falsi. Deinde, etiamsi ad assensum fidei humanæ non esset necessarium imperium voluntatis, negari non potest, quod posset adhuc imperari: alioquin frustra rogaremus amicum, vt nobis crederet, si fidei illius assensus nullo modo subiaceat imperio, & voluntati credentis. Si autem imperari potest, restat difficultas, cur illud imperium non pertineat ad specialem virtutem, sicut pertinet voluntas credendi Deo: Quare melius & facilius responderi potest negando antecedens. Nam præterquam quod Augustinus *libro de vtilitate credendi* latè probat contra Manichæos necessariam esse fidem humanam ad vitam politicam; negari non potest, fieri contra reuerentiam debitam viro graui, aut Principi aliquid testanti, & asseueranti, si ei non credatur: quare etiam inter homines dabitur virtus inclinans ad mediocritatem inter leuitatem credulitatis, & obstinatam duritiem in respuendo omnium testimonio; quod etiam vitium reprehensibile est, & odio communiter habentur ciusmodi dura capita, quibus persuaderi nihil possit.

56 Obiicitur Secundò, quia si assensus fidei terminare potest specialem virtutem, quæ illum propter suam honestatem amet, dabitur etiam alia specialis virtus, quæ amet ipsam voluntatem credendi propter eius specialem bonitatè & rursus alia virtus, quæ hanc secundam virtutem amet, & sic in infinitum: quare multiplicandi erunt habitus infusi diuersi infiniti, vel penè infiniti. Respondetur, hoc idem argumentum fieri posse de aliis virtutibus: nam charitas erga Deum amabilis quidem est propter eius specialem bonitatem, qui amor non erit actus charitatis, cum non habeat pro obiecto formali bonitatem Dei increatam, sed bonitatem charitatis, quæ est bonitas creata: & rursus hæc secunda virtus poterit reflexè amari per aliam virtutem, & sic deinceps: quod idem argumentum fieri poterit de aliis omnibus virtutibus infusis.

Obiectio 2.

57 Dupliciter itaque huic difficultati responderi solet. Primò ad hos actus reflexos, quibus amamus, & volumus actus directos virtutum, non dari habitus infusos, quia hi actus raro fiunt, sed fieri per auxilium actuale vel forte dari vnum habitum infusum, qui idem deseruiat ad omnes actus quibus amamus actus omnes virtutum omnium infusarum. Ad volendum tamen assensum fidei dari habitum specialem; tum quia assensus fidei nunquam fieri potest sine imperio præcedente voluntatis; tum quia hæc voluntas credendi frequens est & necessaria ad salutem. Ita Hurtado *dictà disp.* 46. §. 8. Posset addere, assensum fidei non esse actum voluntatis, sed alterius potentiæ, atque ideo, sicut in voluntate dantur habitus speciales infusi ad volendas actiones honestas honestate obiectiua aliarum potentiarum; sic debuit dari ad volendum assensum fidei, in quo est etiam peculiaris honestas obiectiua.

58 Secundò respondent alij, non esse multiplicandos habitus infusos ex hoc capite, quia singuli habitus infusi eliciunt actus non solum directos circa obiectum talis virtutis, sed etiam reflexos circa suos actus directos, si vterque actus tam reflexus, quàm directus, ob eandem honestatem eliciatur. Si enim propter aliam honestatè ametur actus directus vnius virtutis, tunc ad illam virtutem pertinebit actus ille reflexus, ad quam pertinet honestas, ob quam amatur actus directus, v.g. si volo elicere actum internum temperantiæ, vt placeam Deo, hæc volitio reflexa erit actus charitatis, & sic de aliis. Ita Coninch. *dicta disp.* 13. *n.*77.

59 Vtraque responsio difficilis est. Prima quidem, quia ponit nimis imperfectum, & incompletum ordinem supernaturalem, cùm gratia iustificans, quæ est prima radix habituum & actuum supernaturalium non afferat secum habitus sufficientes ad omnes actus supernaturales, qui in hoc ordine possunt occurrere iuxta exigentiam ipsius status; sicut si esset voluntas naturalis, quæ solum haberet virtutem intrinsecam ad actus directos, non verò ad actus reflexos circa suos actus directos. Neque etiam videtur cõcedendus vnicus habitus infusus ad omnes actus directos omnium virtutum amandos, & volendos: quia non minus differunt inter se actus elicitus misericordiæ, & iustitiæ & eorum honestates formales, quàm differrent actio externa misericordiæ, & iustitiæ & earum honestates obiectiuæ, ergo sicut ob diuersitatem inter honestates obiectiuas ponuntur duo habitus infusi ad eas volendas; sic propter æqualem diuersitatem inter actus internos, & eorum honestates formales debent poni duo habitus ad eas volendas.

60 Secunda etiam responsio difficilis est, quia nõ respondet ad casum in argumento propositum. Neque enim est dubium, quando actus directus & reflexus respicit vterque formaliter eandẽ honestatem, vtrumque posse elici ab eodem habitu infuso, vt si velim reflexè elicere actum directum castitatis & hoc propter idem bonum castitatis externæ, quod est motiuum formale etiam actus directi, actus reflexus elicietur etiam ab eodem habitu infuso castitatis. Nec etiam est dubium, quod si velim reflexè actum elicitum castitatis, vt placeam Deo, actus reflexus pertinebit ad charitatem. Dubium verò erat, quando reflexè volo actum charitatis, non quidem vt placeam Deo, (quod est motiuum formale charitatis) neque etiam propter bonum alterius virtutis, sed propter honestatem, & bonitatem formalem, quam in se habet actus directus charitatis, quæ bonitas est honestè amabilis, cùm deceat ipsam naturam rationalem talem bonitatem habere: quo casu videtur amor reflexus non pertinere ad charitatem, sed exigere habitum specialem diuersum. Ad quod P. Coninch non respondit, sed transtulit difficultatem ad alios casus diuersos.

60 obiectio

61 Ego magis credo, non dari alios diuersos habitus infusos ad hos actus reflexos, sed eosdem habitus singularum virtutum deseruire ad volendos & amandos actus directos earumdẽ virtutum, etiam si non amentur propter bonitatem, & honestatem obiectiuam, quæ est in materia directa illius virtutis, sed propter honestatem formalem, quæ est in ipsis actibus directis. Quod in primis probari potest ex absurdo, quod infertur in ipsa obiectione, nempe multiplicatione infinita, vel certè incredibili habituum infusorum, quæ ponenda esset. Quare cùm aliunde habitus infusi habeant multò maiorem sphæram actuum,

actuum, quàm habitus acquisiti, eo quod non acquirantur per actus, sed dentur ad modum potentiarum; magis iuxta naturam ipsius gratiæ, & status supernaturalis esse videtur, quod singularum virtutum habitus extendi possent ad eiusmodi actus reflexos supra suos actus directos. Quia licet in rigore loquendo, motiuum formale actus directi, & reflexi non sit omnino idem physicè vt diximus, videtur tamen esse moraliter seu æquialenter aliquo modo idem. Cùm enim honestas, quæ est in amore castitatis, desumatur potissimum ab honestate obiectiua ipsius castitatis, consequens est vt qui amat honestatem formalem illius amoris, æquialenter, & arguitiuè videatur habere etiam affectum erga bonitatem obiectiuam ipsius castitatis, à qua dependet, & desumitur bonitas formalis, quæ est in amore castitatis, quare licet ille actus reflexus non sit proprius actus castitatis, qui simpliciter, & absolutè appellatur talis; meritò tamen reducitur ad eandem virtutem, & habitum infusum propter connexionem magnam, quam habet cum actibus directis castitatis. Fateor, actum, quo amamus dilectionem Dei non esse dilectionem Dei, nec habere eius priuilegia; reducitur tamen ad charitatem propter rationem dictam, & licet non dicatur simpliciter, & absolutè *actus Charitatis*, quia hoc nomen supponit simpliciter pro actu directo, & primario: appellabitur tamen actus elicitus ab eodē habitu charitatis, qui per extēsionem quandam eos etiam actus elicere potest. Quam doctrinam, & responsionē post hæc scripta inueni latiùs explicatam, & propugnatam apud Ripaldam *tom. 1. de ente supernaturali disp. 64.* per totam. Alias obiectiones leuioris momenti contra hunc habitum specialem infusum ad piam affectionem credendi videre poteris apud eundem Coninch. loco citato, qui bene eas dissoluit.

62 Difficilius posset obiici tertiò, quia omnis virtus specialis, & omnis voluntas honesta debet habere obiectum, quod ex se, & provt condistinguitur ab ipsa voluntate, & provt eam antecedit, habeat bonitatem, & honestatem aliquam obiectiuam, nam voluntas honesta fertur in honestatem obiecti tanquam in motiuum formale; atque adeò debet inuenire iam in ipso obiecto aliquam honestatem obiectiuam, & fundamentalem, in quam feratur, non enim habet se ipsam pro motiuo formali sui. Atqui in assensu fidei intellectuali, non videtur inueniri honestas aliqua condistincta ab ipso actu voluntatis, quo imperatur. Si enim aliqua esset, maximè honestas cultus erga diuinam veracitatem, & reuelationem, vt diximus: hæc autem honestas non videtur posse considerari ex parte assensus intellectualis solius, provt condistinguitur ab omni actu voluntatis. Quod probari, & explicari potest exemplo cultus externi: nam genuflexio, v.g. non est in se honesta, nec honestè volibilis, nisi quatenus est nota summissionis internæ, quam per illum actū externum profitemur & testamur: quare duplex debet ibi interuenire voluntatis actus: vnus, quo volumus nos Deo summittere propter eius excellentiam infinitam, & ei in omnibus cedere: alter postea, quo volumus hanc primam voluntatem manifestare aliquo actu externo, v.g. genuflexione, quæ sit nota illius primæ voluntatis & summissionis, quæ secunda voluntas honesta est, quia obiectum illius, provt ab ipsa condistinguitur, est honestum obiectiuè, nempe exhibere notam primæ voluntatis, & summissionis internæ; de qua dixi *disput. 23. de Incarnatione sect. 2.* ille ergo actus, qui amatur honestè, provt est cultus, debet habere in se rationem cultus, provt condistinguitur ab ipsa voluntate honesta, qua amatur. Quod deficere videtur in assensu fidei: ipse enim secundùm se, & provt condistinguitur à voluntate pia, qua imperatur, non habet vllam rationem cultus, nec est, sicut genuflexio, quæ antecedenter ad secundam voluntatem, qua imperatur, habet de se esse significatiuam primæ voluntatis, & summissionis internæ. Ad assensum verò fidei non præcedit duplex voluntas, vna summittendi se auctoritati diuinæ, altera imperans assensum fidei ad significandam priorem voluntatem; nam velle se Deo intellectualiter summittere, & velle elicere assensum fidei super omnia, idem sunt. Vnde sequitur, si voluntas illa vult assensum fidei propter honestatem, quam habet, provt est nota, & signū voluntatis subiiciendi intellectum Deo, velle illū, provt est signum eiusdem voluntatis, quæ imperat eundem assensum, atque adeo habere se ipsam pro obiecto, si quidem non vult assensum, nisi quatenus honestus est ex eo, quod procedat à tali voluntate, quam significat postea idem assensus.

63 Hæc tamen difficultas vrgere posset, si nos diceremus, hanc specialem virtutem, quæ imperat assensum fidei, esse propriè virtutem religionis, aut voluntatem illam habere pro motiuo formali cultum intellectualem similem in omnibus cultui, quem exhibemus in genuflexione, & aliis actibus adorationis. Neutrum autem diximus, sed solùm posse virtutem hanc reduci ad religionem; quam imitatur quidem, non tamen in omnibus: nam obiectum illius, quod vult, non est cultus formalis Dei, nec vult notam summissionis, provt talis nota est, sed vult summissionem ipsam intellectualem, quæ potest appellari cultus radicalis & materialis. Quod etiam explicari potest eodem exēplo genuflexionis, in quo diximus interuenire duplicem voluntatem: prima vult summissionem solam, & cedere Deo in omnibus propter eius excellentiam, quæ non est propriè voluntas adorandi, aut colendi, nec vult cultum formalem, qui est sola nota summissionis internæ, & signum huius prioris voluntatis, sed vult cultum radicalem, seu materialem. Secunda autem voluntas est propriè voluntas adorandi, & colendi quia vult notam summissionis internæ, provt talis nota est: voluntas ergo credendi imitatur priorem illam voluntatem, non posteriorem: vult enim quod intellectus cedat, & submittat se auctoritati diuinæ: non tamen vult illum assensum, quia est nota summissionis præcedentis, sed solùm, quia est summissio intellectualis. Potest autem idem fidei assensus amari per alium actum remotum voluntatis, etiam formaliter provt cultus est, & provt est nota summissionis. Cùm enim assensus fidei ex se sit nota summissionis, id est, voluntatis piæ, à qua immediatè imperatur, potest alia voluntas remota ad ostendendam summissionem internam, & affectum illius priùs conceptum imperare voluntatem piam, & immediatam credendi, vt actus ipse fidei, sit aliqualis nota summissionis illius generalis priùs conceptæ. Differt tamen in hoc assensus fidei à genuflexione, quæ aliunde, nempe ex hominum placito, & institutione, habet esse notam summissionis internæ, & eam significare:

vnde

vnde fit, vt possit exhiberi, vt signum, summissionis internæ, absque eo quod imperetur ab eadem voluntate submittendi se, quam significat: quia posita voluntate illa submittendi se, potest postea homo velle illam significare, & ad hoc velle genuflexionem. At verò assensus fidei non potest esse nota submissionis, nisi imperetur ab ipsa volitione submissionis, quia cùm non habeat aliunde ex institutione hominũ eam significationem, restat, vt ideo solùm illam significet, quia imperatur è voluntate subiiciente intellectum auctoritati diuinæ.

Ad difficultatem ergo propositam dicimus, piam affectionem non terminari ad se ipsam, nec ad honestatem, quæ ex ipsa proueniat, sed ad solum assensum intellectualem, qui ex se, & prout condistinguitur ab ipsa pia affectione, licèt non sit cultus formalis, est tamen cultus materialia, & habet honestatem obiectiuam amabilem, sicut abstinere à furto, vel crapula ex se & prout condistinguitur à voluntate abstinendi, est bonum, & honestum obiectiuè. Ita credere Deo super omnia ex se, & prout condistinguuntur à voluntate credendi, est bonum, & sufficiens ad terminandam voluntatem honestam & laudabilem.

64 Dices, si hæc specialis virtus, qua volumus credere, reducitur ad religionem; ergo respicit saltem in obliquo excellẽtiam Dei, ratione cuius vult subiicere intellectum, vt exhibeat Deo intellectualem illum actum: ergo ante hanc voluntatem præcedit cognitio excellentiæ diuinæ, quæ quidem non potest esse actus fidei, alioquin ante illam præcederet alia voluntas credendi, & sic in finitum: erit ergo cognitio euidens lumine naturæ circa exellentiam diuinam, ex qua oriatur voluntas credendi, & totum fidei meritum. Respondeo, in hoc non esse peculiarem difficultatem; siue enim voluntas credendi reducatur ad religionem, siue ad aliam virtutem nominatam, vel innominatam, semper debet præsupponere cognitionem de honestate sui obiecti, quæ cognitio non potest esse actus fidei, cum præcedat omnem actum fidei: omnes ergò debemus respondere, cognitionem illam non esse actum fidi, sed iudicium euidens de honestate, & obligatione credendi, & subiiciendi intellectum infinitæ Dei auctoritati; nec necesse est, quod exprimat totam excellentiam Dei, sed excellentiam veracitatis, & infallibilitatis diuinæ, cui formaliter loquendo cultus ille intellectualis exhibendus est. Nec etiam necesse est, quod excellentia veracitatis diuinæ euidenter cognoscatur: nam licet aliqui eam euidenter cognoscant; aliqui tamen non possunt fortasse habere eam euidentiam, vt vidimus *suprà disp. 1. sect. 6.* & vtcunque sit, potest iudicium illud euidens esse de honestate cultus, & obligationis credendi, licèt non sit euidens de excellentia veracitatis diuinæ, cui exhibendus est ille cultus: sicut enim possumus euidenter cognoscere obligationem, vel certè honestatem subueniendi huic indigenti, licet non constet nobis euidenter eius indigentia; sic potest esse euidentia de honestate, & obligatione credendi Deo, & exhibendi talem cultum intellectualem eius auctoritati taliter nobis propositæ, licèt non constet nobis euidenter veracitas, aut testificatio Dei. An verò iudicium hoc, licet non sit actus fidei, debeat esse supernaturale, videbimus *disp. sequenti.*

65 Dubirabis tertiò, an possit assensus fidei imperari immediatè ab aliis virtutibus, v. g. à charitate, & pœnitentia, &c. videtur enim posse, quia quælibet virtus potest eligere, & imperare media omnia, quæ conducunt ad suum finem: fides autem conducit ad finem charitatis placendi Deo, & ad finem pœnitentiæ, placandi Deum, & ad finem aliarum virtutum; ergo possunt omnes immediatè imperare fidem. Quare id concedit Hurtado *vbi sup. §. 6.* Cæterùm consequenter ad doctrinam traditam, dicendum videtur, fidei assensum licèt possit mediatè procedere ab aliis virtutibus, immediatè tamen debere semper exire ab ista peculiari virtute, quam posuimus, quod videtur etiam docere Granado *dicta disp. 3. num. 7.* Ratio autem esse potest, quia cùm actus fidei ex natura sua sit cultus intellectualis Dei, vt *supra* diximus, necessariò connotat voluntatem non quàcumque, sed quæ terminetur ad bonitatem peculiarem colendi Deum: alioquin si non procederet ab ista voluntate, non esset cultus Dei, sed merus assensus sui obiecti; cultus enim vt cultus verus necessario supponit submissionem, seu voluntatem submittendi se propter reuerentiam illius, qui colitur: ergo vt assensus fidei sit cultus diuinæ auctoritatis, debet supponere huiusmodi voluntatem, & non solam voluntatem placendi Deo, vel placandi Deum. Poterit ergo charitas, vel alia virtus imperare fidem mediate, imperando immediatè illam aliam voluntatem piæ affectionis à qua procedat immediatè assensus fidei, ipsa tamen charitas sola non poterit imperare assensum fidei: quia siue id habeat fides ex natura sua, siue ex lege Dei, de facto tamen Deus exigit fidem simpliciter, & absolutè ad iustificationem peccatoris; fides autem simpliciter, & absolutè non supponit pro solo assensu intellectuali, nam assensus ille, si non esset imperatus à voluntate libera & honesta, sed fieret necessario, non esset proculdubio dispositio sufficiens ad iustificationem; quando ergo exigitur fides simpliciter, & absolutè, intelligi debet de fide in ratione virtutis completæ, & habente honestatem fidei. Hinc autem colligere possumus, requiri non solum assensum, sed vt procedentem à voluntate honesta, quæ habeat propriam honestatem fidei: nam quotiescunque exigitur actus alicuius virtutis simpliciter, & absolutè, intelligitur de actu, qui versetur circa obiectum formale proprium illius virtutis: vnde quando exigitur actus charitatis ad iustificationem extra Sacramentum, id intelligitur de actu, qui versatur circa obiectum formale charitatis, tanquam circa propriam motiuum; nec sufficiet, si aliquis ex desiderio beatitudinis, vel satisfaciendi pro peccatis, vel ex alio fine honesto velit placere Deo in omnibus, nisi id fiat ex desiderio placendi Deo propter infinitam Dei bonitatem: quia charitatis honestas tota interiùs consummatur, & consistit in tendentia ad tale obiectum formale. Cum ergo fidei virtus, & eius etiam honestas interiùs consummetur, consequens est, vt quando actus virtuosus fidei ad iustificationem exigitur, id intelligi debeat de actu habente pro obiecto formali honestatem proprium fidei. Honestas autem propria fidei, vt distinguitur ab aliis virtutibus, est subiicere intellectum Deo propter excellentiam diuinæ auctoritatis; ergo dum exigitur actus virtuosus fidei simpliciter, & absolutè, intelligi debet de actu proprio virtutis fidei, vt talis virtus est, & vt habet honestatem, & laudabilitatem

propriam

propriam talis virtutis, quæ desumitur ex eo, quod credatur Deo, cuius credulitatis honestas ametur, & intendatur. Vnde idem consequenter dicendum erit non solùm de actu fidei necessario ad iustificationem, sed de omni alio, quia sicut ad iustificationem exigitur vt dispositio fides simpliciter, & absolutè; ita ad quolibet opus meritorium exigitur etiam fides simpliciter, & absolutè, vt suppono, itaut fides sit principium cuiuslibet meriti, & ex fidei lumine merita omnia procedant: non autem esset fides simpliciter, & absolutè, & omnino completa in ratione talis virtutis, quæ non tenderet tanquam in motiuum formale in honestatem propriam fidei, sed esset actus potiùs alterius virtutis, cuius honestatem intenderet: si ergo ad quodlibet meritum salutis æternæ exigitur fides propria, & simpliciter, exigetur fides præcedens à voluntate habente pro motiuo formali honestatem propriam ipsius fidei.

66 Dixi tamen, non posse *charitatem solam* imperare assensum fidei: non nego enim, quodpossit imperari simul assensus fidei à duplici voluntate honesta, vel ab vna habente duplex motiuum, quorum alterum sit honestas propria fidei, & alterum sit honestas alterius virtutis, vel etiam motiuum charitatis. Tunc enim iam assensus fidei esset formalis cultus Dei denominatiuè à voluntate intendente talem submissionem intellectualem, & eius honestatem. Tunc etiam daretur verè fides completa in ratione virtutis habens honestatem propriam fidei, licèt simul haberet honestatem etiam alterius virtutis, per quam nihil demitur de honestate, & complemento fidei: quare quoad hoc consentio facilè cum Hurtado *dicto* §. 6. quod aliæ virtutes possint non solùm mediatè sed etiam immediatè imperare assensum fidei, quatenus hic vtilis esse potest ad finem vniuscuiusque virtutis.

67 Dubitabis quartò, an huiusmodi voluntas supernaturalis reperiatur etiã ante assensum illum, quem rusticus ex errore tribuit articulo falso à Parocho proposito. Respondeo, licèt assensus falsus erroris non sit actus fidei nec supernaturalis; voluntatem tamen antecedentem esse bonam & supernaturalem, quia habet ex parte obiecti honestatem sufficientem, quæ apparet in conando ad assensum præstandum obiecto taliter proposito hic & nunc; nam licèt obiectum sit falsum: cæterùm hic & nunc iste homo tenetur illi assentiri, vt suppono; ergo bonum est hîc & nunc illud credere, ergo voluntas illud credendi hîc & nunc bona erit, & supernaturalis, sicut quando volumus credere verum articulum, cum eadem honestas reperiatur in vtroque casu. Cur autem circa obiectum falsum non possit esse assensus supernaturalis, licèt possit esse voluntas supernaturalis circa honestatem apparentem, diximus *supra*.

SECTIO IV.

Vtrum omnes actus fidei sint meritorij.

68 Resolutio facilis erit ex principiis supra positis, & ex iis, quæ communiter, traduntur in materia de merito, in primis ergo finem esse meritoriam, præscindendo à merito de condigno, vel de congruo, certissimum est propter aperta testimonia scripturæ Genes. 15 *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* 2. Timoth. 4. *fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Ad Hebr. 11. dicitur propter fidem parasse Deum Patribus æternam ciuitatem, & per fidem adeptos esse repromissionem. Ioan. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Luc. 2. *Beata, quæ credidisti.* Cyprian. *lib.* 4. *ep.* 6. Deum in die iudicij mercedem fidei, & deuotionis exsoluere. Augustinus *tractatu* 68. *in Ioan.* post medium latè probat, fidem, colligere meritum, & parare mansiones in cœlo,

Contra hanc veritatem sensisse videntur in primis aliqui Philosophi gentiles, qui nihil credendum putabant, nisi quod rationibus probaretur; sicut de Platone fertur, postquam Genesim legit dixisse, *bene aut barbarus si probasset*, & prima Corinth. *cap.* 1. Iudæi *signa quærunt, & Græci sapientiam petunt.* Hunc etiam errorem tenuerunt Manichæi, qui teste Augustino dicebant vanum esse credere, quæ non videntur, nec manifesta ratione comprobantur: idem tenuit postea Petrus Abailardus teste Bernado *ep.* 190. Arnaldus etiam Brixiensis, vt referunt Sanderus 7. *Monarchiæ* sub anno Domini 1159. & Genebrardus Chronographiæ sub anno Domini 1141. Cõtra hunc errorẽ scripsit latè Augustinus *lib. de vtilitate credendi*, & tractatu 27. *in Ioan. & ep.* 155. *& lib. de fide rerum inuisibilium* c. 1. 2. & 3. Vide Basilium 2. in Eunomium prope finem, Gregorium *hom.* 26. *Euangelia in* Bernadum, *vbi supra* qui pluribus rationibus vtilitatem credendi demonstrant,

69 *Fides hominis grati est etiam meritoria de condigno vitæ æternæ.*

Hoc ergo supposito, dicendum est primò fidem hominis grati esse etiam meritoriam de condigno vitæ æternæ. Hæc est certa, & intenditur potissimè à S. Thoma *quæst.* 2. *art* 9. qui magis videtur agere de merito de condigno, quàm de congruo, vt constat ex solutione ad primũ. Ratio autem est clara, quia omnes actus boni, & supernaturales eliciti ab homine iusto sunt meritorij vitæ æternæ, vt constat in materia de merito; ergo actus fidei elicitus ab homine iusto erit etiam meritorius: in quo aduerte, actum fidei, cùm sit actus intellectus & non sit formaliter liber, sed solum denominatiuè à voluntate imperante, non esse etiam meritorium formaliter, sed denominatiuè à voluntate: tota enim ratio meriti formaliter competit voluntati, imperanti, respectu cuius habet se actus fidei, sicut actio exterior respectu interioris, ex quo fit, vt ad hoc meritum parum referat, quod assensus intellectus sit naturalis, vel supernaturalis; imo nec quod sit actus fidei, vel erroris propter deceptionem proponentis; dummodo enim oriatur ex pia voluntatis affectione, habebit idem meritum cæteris paribus. Imò in assensu alicuius opinionis, quam ex pia aliqua voluntate admittimus, reperitur etiam meritum de condigno; qualis est assensus quo existimamus B. Virginem fuisse conceptam sine peccato originali; voluntas enim huius assensus laudabilis esse potest & meritoria, alioquin ille assensus, non esset materia voti, sicut de facto videmus esse, & tale votum à prælatis dassim & laudari, & admitti.

An primus actus fidei per quem disponitur homo ad iustificationem in ipso instanti

Dubitari potest, an primus actus fidei, per quem disponitur homo ad iustificationem in ipso instanti, quo iustificatur, si meritorius de condigno vitæ æternæ per gratiam, quæ tunc infunditur. Eadem est quæstio de ipso actu contritionis, & de

quo iustificatur, sit meritorius de condigno vitæ æternæ per gratiam, quæ tunc infunditur.

aliis dispositionibus tunc existentibus; de quibus communis sententia affirmat; veriorem tamen existimo partem negantem, de qua dixi *disp. 6. de Incarnatione sect. 3.*

Dico secundò actus fidei eliciti à peccatore sunt meritorij de congruo in ordine ad iustificationem. Hæc est expressa sententia Augustini multis in locis: epist. 105. *Remissio*, inquit, *peccatorum non est sine aliquo merito, si fides illam impetrat.* Et epist. 106. *Si quis dicat, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus.* Et de prædestinatione Sanctorum cap. 2. *quis dicat, eum qui incepit credere, nihil mereri ab eo, in quem cepit credere?* idem S. Prosper contra Cassianum cap. 5. *nonnullius meriti haberi potest petentis fides?* & primo de vocatione gentium c. 26. *omne bonum meritum ab initio fidei est donum Dei.* Solutiones verò ad hæc Augustini loca refert, & reiicit bene Turrianus *disp. 30. dub. 2.* Ratio est, quia fides etiam in peccatore est actus bonus, & eiusdem ordinis supernaturalis cum ipsa iustificatione; ergo habet proportionem ad merendum de congruo ipsam gratiam iustificationis.

70

71

Contra hanc conclusionem est difficilis locus Tridentini *sess. 6. cap. 8.* vbi dicitur, *ideo hominem iustificari gratis, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Huic testimonio variæ interpretationes reddūtur in materia de merito. Valentia *ibi disp. 8. quæst. 6. punct. 4.* & alij negant omnino meritum de congruo respectu iustificationis. Sed videtur esse contra Augustinum, & Prosperum suprà adductos. Alij dicunt, Concilium loqui de iustificatione completa, provt includit etiam fidem, à qua incipit gratia iustificationis, & ad iustificationem in hoc sensu sumptam verissimum est, non præcedere meritum de congruo, quia ad gratiam iustificationis, provt includit donum fidei non præcedit ipsa fides; qui modus loquendi non videtur alienus ab Augustino & Concilio Mileuitano; cæterum videtur alienus à Tridentino, vbi iustificatio sæpè distinguitur à fide, tanquam à dispositionibus præcedentibus. Sic enim *c. 7.* dicitur de fide & aliis actibus præcedentibus: *hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur*, quod idem habetur *can. 4. & 9.* & alibi passim; ergo cùm *c. 8.* dicitur fidem, quæ præcedit, non promereri gratiam iustificationis, sermo etiam est de iustificatione provt condistinguitur à fide.

72

Ideo alij melius dicunt, ibi excludi solum meritum de condigno, non verò de congruo, quod non est meritum simpliciter, sed secundùm quid. Ad hoc enim quod aliquid dicatur dari gratis, sufficit non dari intuitu alicuius meriti de condigno, licèt detur intuitu alicuius meriti de congruo: nam oratio, quæ impetrat illud donum, habet rationem meriti de congruo, & tamen non tollit, quod donum detur gratis, & sit vera, & propria gratia: imò ex ipsa oratione, qua petitur, arguunt PP. ad probandum donum quod petitur, esse veram gratiam; sicut dicunt PP. Concilij Carthaginensis in ep. ad Innocentium. *Oratio clarissima est gratiæ testificatio*; ergo ex eo quod donum detur intuitu alicuius meriti de congruo, non tollitur quod detur verè gratis. Quare huic nostræ explicationi consensit etiam Hurtad. *disp. 47. §. 2.*

73

Dices, si domus cuius valor sit centum, detur pro decem, non datur gratis, licet non detur pro pretio condigno, ergo licet gratia iustificationis non detur merito condigno, non tamen datur gratis, si datur intuitu alicuius meriti. Respondeo, negãdo consequentiam, quia illa decem pro quibus datur domus, licèt non sint pretium condignum adæquatum, sunt tamen pretium condignum partiale, hoc est partis domus, vel pars pretij condigni totius domus; at verò fides nullo modo est pretium condignum, neque etiam partiale iustificationis: quod autem non est pretium condignum, non est simpliciter pretium, & per consequens simpliciter datur iustificatio sine pretio, & gratis.

Dices iterum, ergo licèt prima gratia daretur intuitu operum procedentium ex sola natura, nõ ideo tolleretur ratio gratiæ, sicut nec tollitur à iustificatione ratio gratiæ, eo quod detur intuitu fidei præcedentis. Respondetur negando sequelam; nam si gratia daretur intuitu operis naturalis, sequeretur ipsam gratiam habere aliquam proportionem cum illo opere, & per consequens esse in ordine naturæ, & non in ordine gratiæ propriè dictæ, & ideo non esse propriè gratiam. Ratio ergo gratiæ tollitur, vel ex eo quod detur propter meritum condignum, vel ex eo quod detur propter meritum etiam de congruo meritè naturale, non tamen ex eo quod detur propter meritum congruum supernaturale qualis est fides. De hoc tamen latius dixi in materia de gratia.

Ex dictis infero, omnes actus fidei esse meritorios saltem de congruo, quia in primis omnes sunt liberi, vt vidimus; omnes procedunt à voluntate supernaturali, & bona, vt vidimus. Ergo nihil illis deficit ad rationem meriti.

S. Thomas *q. 2. art. 10.* quærit, an rationes inductiuæ ad ea quæ sunt fidei, minuant meritum fidei. Respondetque, rationes, quæ antecedunt voluntatem credendi, minuere; eas verò, quæ consequuntur, augere potius meritum, quia procedunt ex affectu maiori ad fidem. Vt hæc resolutio clarior sit; omissis aliis sententiis (quarum est non magni momenti) distinguamus duplex genus rationum ad fidem. Aliæ enim sunt, quæ per alia media suadent veritatem obiecti reuelati, vt cum Philosophus habet rationes naturales, quæ ostendunt existentiam Dei, quæ etiam est reuelata per fidem. Aliæ sunt rationes, quæ ostendunt credibilitatem reuelationis, seu obiectum fidei esse reipsa reuelatum.

Si ergo sermo sit de priori genere rationum, illæ vel sunt antecedentes ad voluntatem credendi, vel consequentes. Antecedentes dico, illas quæ aliquomodo influunt ad voluntatem credendi, saltem per accidens, & remouendo prohibens, quia facilius credimus obiectum, quod aliunde constat per demonstrationem, atque etiam per rationes, & congruentias probabiles. Huiusmodi ergo rationes antecedentes, cæteris paribus, minuunt meritum fidei, quia minuunt difficultatem fidei; quare sicut, qui seruat iustitiam sine vehementi tentatione ad furtum, minus meretur cæteris paribus, quàm qui habet vehementem tentationem, sic etiam in præsenti. Aduertit tamen optimè S. Thomas, non ideo fidem hominis docti esse minoris, imo esse maioris meriti; quia licèt rationes, quas habet pro conclusione, minuant difficultatem; inuenit tamen alias rationes, & argumenta contra fidem, quæ non occurrunt rustico, & quæ augent etiam fidei difficultatem.

At

75 Rationes consequentes quæ.

At verò rationes consequentes dicuntur, quas aliquis ex voluntate credendi, & affectu ad fidem, inquirit ad probandam veritatem reuelatam ratione naturali, vel alia via: & huiusmodi rationes possunt comparari in ordine ad meritum voluntatis precedentis, respectu cuius dicuntur consequentes, & eius meritum augent saltem arguitiuè, quatenus inuestigatio harum rationum arguit maiorem affectum ad credendum; vel possunt comparari in ordine ad aliam volũtatem sequentem credendi, respectu cuius eiusmodi rationes potiùs sunt antecedentes, quatenus remouẽt prohibens & minuunt difficultatem credendi, quare respectu eiusmodi voluntatis minuunt etiam meritum fidei cæteris paribus.

76 Aliter dicendum est de secundo genere rationum, quæ tendunt ad ostendendam existentiam reuelationis, vel credibilitatem mysterij: quæ si sint maiora motiua, vt suppono supra ea, quæ exiguntur, & sufficiunt ad credendum, & antecedentes voluntatem credendi, partim per accidens minuunt, partim augent meritum fidei per se loquendo: minuunt quidem quatenus minuũt difficultatem fidei, augent verò, quia ostendunt maiorem obligationem ad credendum; & cæteris paribus, quò maior est obligatio præcepti, eò

77 magis honestus est actus: in quo differunt hæ rationes ab aliis prioris generis, quia illæ non tam ostendunt maiorem obligationẽ credendi, quàm tollunt difficultatem extrinsecam fidei ob argumenta contraria, & ideo per se non augent meritum, nisi saltem intrent etiam rationem motiui credibilitatis, vt infra explicabimus; sicut carentia tentationis ad furtum non tam ponit maiorem obligationem iustitiæ, quàm tollit difficultatem, & ideo non auget, imò minuit meritum iustitiæ: at verò rationes posteriores mouent ad fidem ostendendo meliùs honestatem, & debitum ipsius fidei; sicut cognitio maioris honestatis iustitiæ conduceret ad maius meritum operationis circa eius obiectum. Denique si hæ rationes sint

78 consequentes, hoc est, ortæ ex priori voluntate credendi, qua quis excitatur ad inquirẽda maiora fidei motiua, possunt quidem arguere maius meritum prioris voluntatis, quatenus ex maiori affectu ad res fidei conatur illas magis inuestigare, quod laudabile est iuxta illud Eccles. 24. *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Vel potest procedere ex aliqua duritie, & tarditate ad credendum, ex qua desiderat maiora motiua, & hoc reprehensibile est, iuxta illud Ioan. 4. *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*; & tunc arguitur in illa voluntate, non solum minus meritum, sed etiam aliquando nullum, imo potiùs culpa maior, vel minor pro maiori, vel minori promptitudine ad credendum sine maioribus motiuis. Si verò hæc motiua, & rationes consequentes comparentur respectu voluntatis alterius sequentis, iam erunt antecedentes respectu illius, vt suprà dixi, & per consequens partim augebunt meritum, quatenus magis ostendunt debitum credendi, & partim minuent, quatenus minuũt difficultatem fidei, & aliquando tollent omne meritum, si voluntas taliter acquiescat illis motiuis, vt parata sit non credere propter minora, etiamsi essent sufficientia.

79 Dixi autem sæpè *cæteris paribus*: quia contingere potest, vt illud quod rationes minuunt de merito propter minorem difficultatem, compensetur aliunde ex maiori intensione, qua ablata difficultate operamur, vel ex promptitudine qua paratus est homo credere, etiamsi non essent tot rationes naturales, vel tot motiua, nec tolleretur difficultas.

Huic doctrinæ nostræ opponit se ex parte Hurtado *dicta disp.* 47. §. 5. vbi contendit euidentiam antecedentem aliunde habitam circa obiectum reuelatum non minuere meritum fidei, sed potiùs cæteris paribus magis augere: quia maior illa assentiendi facilitas, & credendi tunc est magis consentanea naturæ fidei, quæ exigit euidentiam credibilitatis, vt prudenter imperetur assensus: quò ergo plura fuerint motiua, quæ ostendant, non posse prudenter dissentiri, prudentior erit assensus, & voluntas assentiendi, & per consequens magis iuxta naturam fidei, qua quò magis prudenter credimus, magis cõsentancè ad virtutẽ operamur, quæ exigit non nisi prudenter credere, atque adeo magis laudabiliter, & meritoriè. Secus esset, si vinceretur ab vno maior difficultas aliunde orta, v. g. ex natura, & indole duriori ad credendum; hæc enim difficultatis victoria augeret meritum: quando verò maior facilitas auget honestatem propriam virtutis, vt contingit, quando prouenit ex maiori euidentia credibilitatis, illa maior facilitas nõn minuit, sed auget meritum. 80

Hæc tria omnia sunt contra communem sensum omnium, qui meritò iudicant maiorem difficultatem cæteris paribus, augere meritum, & ècontra maiorem facilitatem illud minuere, vndecumque facilitas, aut difficultas proueniant. Neque enim sufficit apparere magis, aut maiorem honestatem in obiecto vt crescat simpliciter meritum, vt constat in Beatis, quibus magis clarè apparet honestas obseruandi legem diuinam, & diligendi Deum; & tamen tantum abest, quod ideo crescat meritum, vt potiùs ex hoc capite cessaret omnimo potestas merendi, eo quod clarissima illa cognitio honestatis aufert libertatem indifferentiæ requisitam essentialiter ad meritum. ergo in viatore etiam cognitio clarior de honestate, licèt non auferat omnino libertatem, nec meritum; poterit tamen minuere, quatenus minuit eandem libertatem indifferentiæ ad oppositum: nam id quod in gradu summo tollit omnino indifferentiam, in gradu etiam non summo, sed maiori, sufficiet ad minuendam libertatem, sicut sufficit ad imminuendam indifferentiam, quæ eò minor est, quo magis inclinatur voluntas ad vnam partem propter maiora motiua, & meliorem cognitionem. Vnde lumine ipso rationis naturalis, quilibet magis est promptus ad gratias agendas, & ad retribuendum ei, à quo obsequium, aut beneficium accepit tunc, quando benefactor plures rationes habebat inclinãtes ad oppositum, quàm si pauciora motiua contraria habuisset. Crescit ergo laudabilitas, & meritum ex eo, quod propter rationes ad partem contrariam plures, & propter pauciores ad partem honestam, maior sit indifferentia, seu potestas desistendi ab honesto. 81

Ratio autem à priori est, quia laudabilitas & meritum non fundatur solùm in honestate obiecti, licèt hæc etiam requiratur, sed etiam in potestate relinquendi honestum, sine qua potestate relinquendi saltem hunc gradum tantæ honestatis, cessat omnino libertas in genere moris, & laudabilitas, vt dixi latè *disp.* 26. *de Incarnatione sect.* 10. Vnde ex hoc potissimùm capite commendatur, & laudatur *qui potuit transgredi, & non* 82 *Laudabilitas & meritum in quo fundatur.*

est transgressus, facere mala, & non fecit. si ergo laudabilior est, qui potuit relinquere honestum, quod non reliquit, quàm qui non potuit, & hoc solùm propter potentiam ad contrarium, quam habuit, & quam ille alius non habuit: consequens est, vt quò maior fuerit potentia ad relinquendum honestum, eò sit laudabilior, qui illud non reliquit; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita & magis ad magis. Non potest autem negari, quod plus potentiæ & inclinationis habeat ad dissentiendum fidei cui plures rationes contra illam proponuntur, quàm cui pauciores, & debiliores, & è contra minorem potentiam habeat ad dissentiendum fidei ille, qui aliunde habet euidentiam de obiecto reuelato, quamuis non habeat euidentiam de reuelatione, & ideo possit non credere reuelationem quàm ille, qui talem euidentiam non habet; si quidem euidentia illa de obiecto reuelato debilitat, & eneruat motiua omnia, quæ possent esse pro eius falsitate deterrentes à fide: ergo ille, qui talem euidentiam non habet, plus habet potentiæ ad dissentiendum fidei, & per consequens credit cum maiori potestate ad non credendum, atque adeo ex hoc saltem capite cum maiori laudabilitate, & merito cæteris paribus.

83 Confirmatur primò, quia ex duobus, quorum alter maius lumen habuit, & meliùs cognouit honestatem obiecti, & alter minùs, grauiùs peccat, & acriùs reprehenditur primus quam secundus si vterque præcepto credendi non satisfacit: ergo minùs laudabitur, si æquè obseruent ambo præceptũ cæteris paribus: nã quo plus adiutorij habuit, eò minùs contulit de suo, quam alter, qui cum minoribus viribus æquè operatus est. Confirmatur secundò, quia ab eo, qui plus accipit, plus exigitur. Vnde si acceptis quinque talentis, seruus ille alia quinque superlucratus non fuisset, sed sola duo, sicut qui duo acceperat, non ita suo debito satisfecisset, sicut qui duobus solis acceptis duo alia lucratus est; si ergo acceptis solis duobus superlucretur quinque, sicut ille qui quinque acceperat, laudabilior erit quàm si quinque accepisset, ergo si cum inæquali lumine & cognitione honestatis æqualem fidem habeat ei, qui maius lumen accepit, plus merebitur cæteris paribus; & per consequens maius illud lumen alterius computatur ad hoc, vt minus mereatur quàm si cum minori lumine æqualem fidem habuisset.

84 Restat respondere ad fundamentum illius auctoris, qui ideo vult, euidentiam aliunde habitam non minuere, sed augere meritum fidei, quia apparere magis facit honestum actum credendi. Pro cuius solutione aduerto, nos non negare in vniuersum de omnibus rationibus antecedentibus, quod augeant meritum fidei; sed de illis solis, quæ non ostendunt maiorem, aut meliùs honestatem fidei, sed solùm auferunt difficultatem aliquam contrariam, quales possunt esse rationes aliquæ, quæ non tam ostendunt veritatem obiecti, quàm soluunt argumenta aliqua contraria atque ideo solùm concurrunt remouendo prohibens, indirectè, non directè & positiuè vt motiuum credibilitatis, & per consequens non ostendunt magis honestatem fidei, sed minuunt difficultatem credendi, vel etiam si posset intrare motiuum credibilitatis, non tamen vtimur positiuè illo motiuo, sed aliis: de his itaque rationibus diximus non augere, sed minuere cæteris paribus meritum fidei: in his enim non procedit argumentum, cùm non magis, vel maiorem honestatem fidei nobis ostendant. Rursus de illis rationibus, quæ nobis ostendunt magis honestatem fidei & de euidentia obiecti aliunde habita, si hæc deseruire potest ad ostendendam meliùs honestatem credendi, quatenus ostendit obiectum illud credendum aliunde esse conforme rationi, diximus partim augere posse, & partim minuere meritum fidei: minuere quidem, quatenus minuit difficultatem credendi: augere verò, quatenus ostendit maius debitum, & maiorem honestatem fidei. Ille verò auctor solùm vult rationes illas augere, non tamen vllo modo minuere meritum; quod falsum esse ostendimus; quia qua parte minuunt difficultatem, minuunt meritum, quod ceteris paribus, est maius, quo difficilius est opus honestum, quod proponitur. An verò plus augeant, quàm minuant meritum, & ideo simpliciter augeant, & non minuant, potest dubitari. Quod tamen non est contra doctrinam traditam, nec possumus de hoc aliquid certum statuere: pendet enim ex circumstantiis particularibus, cùm possit contingere, quod plus difficultatis auferatur, quàm ostendatur honestatis maioris in fide. Potest etiam contingere, vt licèt plus ostendatur honestatis, voluntas tamen credendi non habeat pro motiuo illam maiorem honestatem, quæ accrescit, sed solùm debitum, & honestatem credendi, vt sic: quo casu, licèt rationes illæ ostendant ex se maiorem honestarem, non tamen conducunt efficaciter ad maius meritum, cùm voluntas non moueatur ab illo excessu honestatis, pro vt necesse esset, vt ex illo excessu refunderetur maior honestas, & maius meritum in ipsam voluntatem credendi. Sed de his satis, quia non sunt magni momenti.

Rationes quæ non ostendunt maiorem, aut meliùs honestatem fidei, sed solùm auferunt difficultatem aliquam cõtrariam non augent meritum fidei.

SECTIO V.

An voluntas credendi possit esse mala saltem denominatiuè, & extrinsecè ab alia voluntate mala imperante.

DIximus *suprà*, non posse de facto assensum fidei infusæ exerceri sine voluntate imperante honesta, & supernaturali, siue hoc proueniat ex natura talis assensus, siue ex lege Dei, atque adeo prærequiri voluntatem imperantem, quæ non sit mala malitia formali. Quæstio nunc est, an voluntas illa imperans assensum fidei, quæ ex suo obiecto, & ex se est formaliter bona, & honesta, possit esse extrinsecè, & denominatiuè mala quatenus imperatur ab alia voluntate mala, vt si aliquis, v.g. ex fine vanæ gloriæ, vel ex alio fine inhonesto, desideret habere verum actum fidei, & ad hoc imperet sibi affectionem piam credendi, à qua postea immediatè procedit assensus fidei. Quo casu voluntas immediatè imperans assensum fidei, esset quidem in se bona formaliter & honesta atque supernaturalis habens pro motiuo intrinseco honestatem solam credendi; esset tamen extrinsecè mala malitia denominatiua, quatenus procederet ab alia voluntate mala imperante, quæ esset mera denominatio extrinseca in voluntate bona prouenies formaliter à sola malitia prioris voluntatis. Quæ quidem quæstio longiorem exigeret tractationem in hoc loco, nisi generalis esset ad omnes actus supernaturales, imo ad omnes actus honestos, an possint esse boni in

ni in se, & placentes Deo, licet simul denominentur extrinsecè mali ex eo, quod aliquo modo procedant extrinsecè ab alia voluntate mala imperante. De qua quæstione egi ante 25. annos, dum hanc materiam discipulis dictarem, & postea latius *disp. 15. de Pœnitentia, sect. 9. & 10.* vbi partem affirmantem latè probaui, & dixi locum etiam habere in actibus fidei infusæ, & voluntatis credendi: quæ voluntas potest simul retinere suam propriam moralitatem, honestatem, & libertatem formalem, licèt habeat malitiam extrinsecam, & denominatiuam à voluntate mala imperante; dum tamen non imperetur imperio determinante omnino ad hoc instans, quo actus imperatus exercetur, sed cum latitudine aliqua temporis. Tunc enim actus imperatus retinere potest nouam & propriam libertatem, cùm nihil præcedat in actu primo proximo inferens necessariò actum imperatum, nec pro hoc instanti, nec pro tempore sequenti. Non quidem pro hoc instanti, quia supponimus, non imperari actu imperatum, vt fiat hoc instanti, sed hac hora, v.g. sed neque etiam præcedit aliquid inferens necessariò actum imperatum pro tempore sequenti, nihil enim aliud præcedit, nisi actus imperans existens hoc instanti pro priori naturæ: hoc autem totum non infert necessario actum imperatum pro hac hora: nam postquam actus imperans existit hoc instanti, potest voluntas tempore sequenti ab eo imperio cessare, atque ita non impellere se ad actum imperatum. Si ergo hoc instanti ponatur actus imperatus, ponitur liberè libertate propria & formali, cùm in actu primo proximo nihil prorsus præcedat, quod inferat necessariò actum imperatum, nec pro hoc instanti, quo ponitur, nec etiam pro reliqua parte horæ. Quæ omnia loco citato latius explicata, & probata sunt, & postea approbata inueni apud Ripaldam *tom. 1. de ente supernaturali, disp. 65. n. 9.*

Sententia Auctoris.

86 His, quæ ibi dicta sunt, nihil addendum occurrit, nisi quod P. Hurtado *in præsenti disp. 46. sect. 3. §. 46. & sequentibus* conatur adhuc probare non posse assensum fidei, vel affectum pium credulitatis vitiari extrinsecè ab actu imperante etiam remoto. Qui reiectis aliorum rationibus, quæ à nobis iam solutæ fuerant, alias affert ad id probandum, quibus nunc breuiter respondebimus. Primò itaque arguit §. 54. quia sequeretur affectum credulitatis non habere tunc aliam libertatem, & moralitatem, nisi quam extrinsecè participaret ab actu imperante malo, nam imperium adimit immediatam libertatem, & bonitatem actui imperato, vt supponit ex §. 46. consequens autem est absurdum: ergo. Hoc tamen argumentum non indiget solutione, cùm ipsemet in illo §. 46. vnde dicit se supponere illud principium, falsus fuerit, & meritò, non benè probari contra nos, quod imperium adimat libertatem actui imperato, quippe qui consequenter & libertatem & moralitatem propriam in eo ponimus.

Soluuntur argumenta P. Hurtado.

Obiectio 1.

87 Secundò arguit §. 55. quia actus naturalis non potest imperare actum supernaturalem, multóque minus id poterit actus vitiosus, quod latius probauerat §. 19. *& sequentibus* ex eo, quod actus ignobilior non potest imperare nobiliorem, quia imperare pertinet ad superiorem, obedire verò ad inferiorem. Hæ tamen metaphoræ sunt sine fundamento solido: nam re ipsa nec actus imperans imperat, nec imperatus obedit, sed anima est, quæ per actum vnum imperat, vel quasi imperat impropriè sibimet actum alterum: actus autem non magis imperat, quàm voces, per quas Dominus seruo imperat, nec certè qualitas illa accidentalis est capax dominij, vel obedientiæ: quare ex hoc capite non apparet repugnantia in eo, quod eadem anima possit sibimet per actum naturalem imperare actum supernaturalem. Nec ex eo probauimus *suprà* supernaturalitatem piæ affectionis, quod per illam imperetur assensus fidei supernaturalis, & requiratur proportio talis inter actum imperantem, & imperatum. Sed potius ex eo, quod per piam affectionem debet homo disponi ex parte sua de congruo ad habendum concursum, & alia principia necessaria ad assensum fidei supernaturalem, cum Deus ad hæc dona supernaturalia, quantum fieri potest, exigat semper ex parte hominis dispositionem congruam supernaturalem.

Obiectio 2.

88 Dicunt, actum amoris supernaturalem non procedere à cognitione naturali, sed prærequirere cognitionem eiusdem ordinis supernaturalem: ergo & actus imperatus supernaturalis non procedet, nisi ab actu imperante eiusdem ordinis, & supernaturali. Respondetur negando consequentiam: maior enim proportio exigitur inter cognitionem, & amorem, quam inter actum imperantem, & imperatum, quod quidem ab omnibus concedi debet: nam actus amoris non potest procedere à cognitione, quæ sit ordinis inferioris, vel etiam superioris: neque enim actus amoris spiritualis potest procedere à cognitione materiali, neque è cõtra amor materialis potest procedere à cognitione spirituali; & tamen actus materialis potest imperari ab imperante spirituali, & actus naturalis ab imperante supernaturali; non potest ergo argui ab vna proportione ad aliam, Ratio autem differentiæ est, quod omnis appetitus elicitus comparatur ad principium cognoscitiuum, sicut appetitus innatus ad naturam: quare sicut cuilibet naturæ correspondet diuersus appetitus innatus; ita cuilibet principio cognoscitiuo correspondet appetitus elicitus sui ordinis, vnde principio cognoscitiuo materiali non potest correspondere appetitus elicitus spiritualis, neque è contra. Quæ ratio non procedit in actu imperante, & imperato, in quibus experientia ostendit non requiri, quod sint eiusdẽ ordinis, sicut eadem experientia ostendit id requiri in cognitione, & appetitu, qui ex illa procedit; Cuius ratio esse videtur, quod naturæ viuenti datur principium cognoscitiuum, vt possit quærere bonum sibi conueniens, & fugere malũ sibi etiam noxium. Vbi autem datur duplex vita, prout datur in homine; altera materialis, & sensitiua; altera spiritualis, & rationalis; debet correspondere duplex appetitus diuersus. Quãdo verò aduenit tertia vita supernaturalis, qualis aduenit per gratiam, sicut debetur illi principium cognoscitiuum eiusdẽ ordinis, ita debetur etiam appetitus supernaturalis, sicut cuilibet vitæ cognoscitiuæ naturali debetur appetitus eiusmodi vitæ proportionatus. Non est ergo arguendum à proportione appetitus cum cognitione ad proportionem æqualem inter actum imperantem, & imperatum, qui etiamsi pertineant ad diuersi generis vitas, seruant ordinem sufficientem inter se.

89 Vrgebis ex eodem auctore §. 21. quia appetitus sensitiuus nunquam potest imperare actum intellectus, aut voluntatis, quia hi sunt in ordine

superiori: ergo licèt non requiratur vnitas ordinis inter actum imperantem, & imperatum, requiritur tamen, quod actus imperans non sit inferior, provt est actus naturalis respectu supernaturalis. Respondetur, absque eo quod recurramus ad inferioritatem ordinis, reddi posse rationem claram, cur appetitus materialis non possit imperare actus potentiæ spiritualis; quia nimirum nulla potentia potest imperare, nisi actus, quos habet pro obiecto: actus autem spirituales, sicut non possunt esse obiectum sensuum externorum, vel internorum; ita nec appetitus sensitiui, qui solum potest amare obiecta sensibilia, & materialia, sicut ipse materialis est.

90 *Obiectio 3.* Tertiò arguit illo §. 55. quia actus supernaturalis est eleuatio naturæ, quam perficit, & dirigit ad finem supernaturalem, quæ directio debet esse specialissime à Deo: relatio autem praua, hoc est, in finem prauum, & omnis actus, qui ab ea oritur, est deflexio à perfectione, & à fine non solum supernaturali, sed etiam naturali. Sed certè immeritò hoc argumento vtitur ad hoc probandum; cum ipse paulò ante, nempe §. 47. & 48. ingenuè confessus fuisset, in nostra sententia bene, & consequenter nos distinguere malitiam totam ab illo actu supernaturali imperato, qui totus est bonus, & placet Deo, nec per ipsum deflectimus à Deo, sed solùm per imperantem, in quo solo residet tota malitia, & deflexio à Deo: actus verò imperatus solùm denominatur malus extrinsecè, hoc est, proueniens ab imperio malo, & à deflexione præcedenti, per quam defleximus à recto, per actum verò imperatum non deflectimus, sed accedimus ad Deum, & dirigimur ad finem supernaturalem, atque ideo Deus est specialis auctor illius; non est tamen Auctor Deus, vt imperetur ab actu malo, sed quod supposito iam actu malo, & tota eius malitia fiat actus supernaturalis, qui nullam addit malitiam nouam, sed solam bonitatem.

91 *Obiectio 4.* Arguit quarto §. 55. ad hominem, quia si potest vitiari affectus credulitatis, ergo & assensus fidei vitiari poterit: consequens autem non admittimus: ideo enim dicimus debere assensum fidei imperari immediatè à voluntate honesta, quia est cultus Dei, sed non minus voluntas credendi est cultus, & obsequium Dei, cùm sit voluntas libera colendi Deum per assensum; ergo vel assensus fidei poterit imperari immediatè à voluntate mala, vel pia affectio non poterit. Respondeo, in primis assensum etiam fidei posse mediatè vitiari, quando nimirum voluntas pia credendi imperaretur à voluntate mala; tunc enim etiam assensus fidei subsequens esset malus denominatiuè à mala radice remota. Est tamen differentia inter piam affectionem, & assensū fidei quod illa potest imperari immediatè à sola voluntate mala præcedente, & ita nullum imperium bonum præsupponere: at assensus fidei debet semper imperari immediatè à voluntate bona, licèt mediatè possit procedere, & imperari à voluntate mala. Ratio autem huius differentiæ constat satis ex supradictis. Primò quia assensus fidei, si non imperetur à voluntate bona, non erit bonus, cùm de se nullam habeat bonitatem, aut libertatem; ideo, vt sit cultus Dei, indiget bonitate prouenie̅te ab actu imperante. At verò pia affectio, licet imperetur extrinsecè ab actu malo, in se tamen retinet propriam libertatem, & honestatem, ratione cuius placeat Deo, & ipsum colat. Secundò, quia piaaffectio bona imperans assensum fidei requiritur, tanquam dispositio cungrua, vt diximus, ad habendum à Deo concursum, & principia necessaria ad assensum fidei supernaturalem. Ad ipsam verò piam affectionem non requiritur alia dispositio præuia meritoria de congruo, cum ipsa sit primum meritum congruum: ideo ipsa poni potest absque alio imperio bono, & cum solo imperio prauo, vel sine vllo prorsus imperio præcedente.

Sed contra hoc potest argui quintò, quia etiāsi concedatur posse aliquem actu reflexo velle piam affectionem credendi referendo eam ad finem prauum, adhuc pia affectio supernaturalis subsequens non erit effectus illius voluntatis praue, atque ideo non vitiabitur extrinsecè, aut denominatiuè ab eius malitia: ad hoc enim requiritur, quod actus imperatus verè procedat ab actu imperante prauo. Quod autem pia affectio eo casu non procedat ab actu imperante prauo, probari potest ex iis, quæ cum P. Suarez diximus *supra sect. 3. nimirum*; casu, quo aliquis vna voluntate bona, & simul altera praua imperaret immediatè assensum fidei, non infici etiam extrinsecè assensum fidei ab imperio prauo, nec denominari malum ab eius malitia, quia reuera, non procederet ab illo, sed solum ab imperio bono. Cuius rationem diximus esse, quod Deus non daret concursum ad assensum fidei intuitu imperij praui, sed solum intuitu imperij boni; procedere autem assensum fidei ab hoc imperio, non est solùm procedere imperiū, & subsequi assensum, sed vlterius includit, quod Deus intuitu talis imperij, & ad exigentiam det suum concursum, & alia principia necessaria ad talem assensum, quod tamen Deus tunc non faceret intuitu imperij praui, sed solùm intuitu imperij boni. Hoc autem idem videtur dicendum in casu nostro, quo aliquis imperio prauo imperaret sibi piam voluntatem credendi, Tunc enim Deus non daret concursum, & principia necessaria ad piam affectionem intuitu imperij praui, sed intuitu iudicij credibilitatis, & motiui honesti aliunde propositi ad volendum credere, quare voluntas credendi, licet præcedat imperium prauum, non procedet ab illo, atque ideo, nec ab eo vitiabitur extrinsecè, ad quod non sufficit præcedere imperium, nisi actus imperatus re ipsa à tali imperio procedat. 91 Obiectio

Respondetur tamen negando primum antecedens, & ad exemplum, quod in eius probationem affertur ex assensu fidei, quem diximus non infici ab imperio malo, nec ab illo procedere, negamus esse paritatem. Ratio autem differentiæ petenda est ex proximè dictis: ideo enim assensus fidei non procederet immediatè ab imperio malo, quia Deus decreuit non concurrere ad assensum fidei supernaturalem, nisi posito imperio immediato bono supernaturali, & eius intuitu: quo non posito, Deus non concurreret, atque ideo etiamsi sit alterum imperium prauum, non mouetur Deus ab eo, vt concurrat ad talem fidei assensum. Ad hoc autem, vt Deus concurrat ad affectum pium credulitatis supernaturalē, non prærequirit aliam dispositionem, vel imperium bonum, sed sufficit, quod motiua sufficienter posita sint: quis hunc concursum non debet dare Deus intuitu solum alterius dispositionis, aut meriti congrui, sed ex decreto, & lege communi sua quoties obiectum proponitur, & aliæ causæ naturales exigerent cō-

cursum

cursum ad affectum naturalem, Deus eleuat ex lege communi ad affectum supernaturalem. Quãnis ergo Deo displiceat voluntas illa mala imperans affectum credulitatis, ea tamen posita dat ex lege sua eius intuitu concursum ad affectum credulitatis supernaturalem eliciendum. Sicut displicet etiam Deo voluntas mala Sacerdotis volentis consecrare ad finem sacrilegum: & tamen ea voluntate, & intentione posita, Deus eius intuitu concurrit ad conuersionem supernaturalem; quia ad hanc non præexigit dispositionem, aut meritum congruum ex parte ministri, sed solam eius intentionem, etiamsi sacrilega sit.

Alia argumenta, quæ fieri possunt contra hanc nostram sententiam, proposuimus, & dissoluimus latè in loco citato de Pœnitentia. Nunc addo eandem laudatæ P. Suarez *in 1. 2. tract. 3. disp. 8. de actibus humanis, sect. 1. num. 15. & sequentibus*, vbi dicit, valde probabile esse, quod actus fidei supernaturalis possit esse extrinsecè malus ex imperio malo. Plus etiam concedit Granado *in præsenti tract. 10. post disp. 4. comment. in art. 9. num. 4.* vbi concedit, posse actum fidei infusæ denominari extrinsecè malum ab imperio immediato malo, dum tamen non ab illo solo imperetur, sed etiam ab alio imperio bono.

94 Denique aduerto, me olim in hac materia, & postea *in loco citato tomo de Pœnitentia*, inter alia argumenta adduxisse ad probandum, quod actus supernaturalis possit imperari extrinsecè ab actu malo, exemplum illius, qui ex fine vanæ gloriæ vult confiteri, & imperat sibi detestationem peccatorum, cui argumento vt responderet P. Hurtado *in præsenti dicta disp. 46. §. 59.* plusquam deberet, meo iudicio, concessit. Progreditur enim, vt concedat, quoties aliquis suo etiam legitimo Confessario peccata sua confitetur, in iis tamen circumstantiis, in quibus confessio ipsa culpam venialem contineat, quia v. g. Prælatus sub veniali præceperat, ne tunc confiteretur, vel quia propter capitis defatigationem debebat tunc non confiteri, vel ob quamlibet temporis, loci, vel alterius generis circumstantiam, confessionem esse inualidam, & Sacramentum irritum, imò, nisi ignorantia excuset, sacrilegium grauissimum, quia non potuit voluntas illa confitendi esse bo-

97 , & supernaturalis, qualis ad Sacramentum requiritur; in hoc tamen excessit, ni fallor, vir alioquin doctus, & acris ingenij, & sine causa reuocat in dubium, vel damnat frequentissimè valorem confessionum, in quibus Pœnitentes non solent adeo scrupulosè circumspicere, & examinare circumstantias omnes, an immunes sint ab omni prorsus culpa. Imò sæpè sine necessitate Confessarium adeunt viri etiam religiosi, non ea hora, quæ à Prælatis designata erat, sed alia contra Prælati directionem quod vix potest communiter à culpa veniali excusari, maximè propter leue aliquod scandalum non obseruatæ ordinationis Prælatorum. Aliquando etiam confitentur die aliqua ad vitandum ruborem, & verecundiam, & ne parum spirituales æstimentur, alioquin die illa non confessuri: aliquando ex alio fine humano, & non honesto, in quibus casibus, si aliunde confessio integra fit, & doleant de peccatis, nemo certè coget eos ad repetendas eiusmodi confessiones, vt inualidas, & non parum argueretur falsa ea doctrina, ad quam defendendam necesse esset pœnitentes ad has angustias reducere contra communem omnium sensum, & praxim, & vt verum fatear, non erat necesse tanto dispendio argumentum illud soluere hæc omnia concedendo: Nam licèt dolor de peccatis debeat esse actus supernaturalis ad effectum obtinendum in Sacramento Pœnitentiæ; voluntas tamen ipsa confitendi, & manifestandi peccata, non video vnde necesse sit, quod sit semper supernaturalis; sicut etiam in baptismo adulti requiritur ad remissionem peccatorum dolor de peccatis, qui sit actus supernaturalis: non tamen videtur necessarium, quod voluntas ipsa, & intentio recipiendi baptismum sit supernaturalis, nec credo negari posse, quod iustificetur in baptismo, qui cum debito dolore de peccatis, illum recipit, licèt intentio illum recipiendi sit naturalis. Quare alij minori dispendio respondent ad illud argumentum nostrum dicendo, confessiones illas esse validas communiter loquendo, etiamsi pœnitens ex fine venialiter malo ad confessionem accedat; quia quamuis voluntas confitendi sit mala venialiter, actus tamen doloris, & propositi non est malus, sed bonus, & supernaturalis, nec vitiatur ab illa alia voluntate mala, quia ab illa non procedit, sed à voluntate non faciendi, aut suscipiendi Sacramentum inualidum, & vitandi sacrilegij. Quam responsionem licèt non existimem sufficientem, & ideo in prædictis locis eam impugnarim; minùs tamen difficile ita responderi posset, quam condemnando, vt inualidas (& secluſa ignorantia) vt sacrilegas tot confessiones, quas adeo frequenter viri etiam timoratæ conscientiæ facere solent. Post hæc autem scripta vidi quæstionem hanc latè disputatam apud Ripaldam *dicto tom. 1. de ente supernaturali*, qui nostræ sententiæ subscribit, & multa eruditè, & ingeniosè ad eam defendendam addit *disp. 50. per totam*, quæ apud ipsum videri possunt.

DISPVTATIO XI.

De iudicio credibilitatis, quod præcedit piam voluntatem credendi.

SECTIO I. *An iudicium euidens de credibilitate, debeat esse supernaturale.*

II. *A quo habitu infuso eliciatur iudicium credibilitatis.*

III. *Vtrùm simplex apprehensio de credibilitate sine alio iudicio sufficiat ad piam voluntatem credendi.*

DE necessitate, & euidentia huius iudicij præcedentis diximus *supra disp. 5. sect. 1.* nunc reliqua, quæ ad ipsum pertinent, examinanda sunt; nempe de eius supernaturalitate de eius obiecto, & habitu, à quo procedit, & an suppleri possit aliquando per simplicem apprehensionem.

SECTIO I.

An iudicium euidens de credibilitate debeat esse supernaturale?

1 *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi difficilis est pro vtraque parte, nam si dicas esse supernaturale, ergo elicitur à fide; nam omnis cognitio supernaturalis, vel est fidei, vel supponit cognitiones fidei, ex quibus deducatur; ergo ante actum fidei omnes aliæ sunt cognitiones naturales. Si verò dicas, esse naturalem, ergo non potest deseruire immediatè ad voluntatem supernaturalem. Sicut cognitio materialis non deseruit immediatè ad amorem spiritualem.

Variæ sententiæ.

Propter hæc insinuantur varij dicendi modi circa hanc difficultatem, quorum aliqui nullam habent probabilitatis speciem, ideo sufficit eos breuiter recensere. Aliqui dicunt, illud iudicium non solùm esse naturale, sed incertum, & fidei humanæ, vel opinionis. Contrarium tamen probauimus *disp.5.* vbi vidimus, ad omnes fidei assensus prærequiri euidentiam prudentis credibilitatis. Alij dicunt, iudicium illud esse supernaturale, & elicitum à fide; quia per vnicum actum iudicij asserimus (inquiunt) Trinitatem esse credibilem, & esse veram: provt hic actus dicit, esse credibilem, præcedit voluntatem credendi, provt verò dicit, esse veram, subsequitur voluntatem, & dependet ab ea. Hic modus dicendi multa inuoluit impossibilia, scilicet eundem simplicem actum esse priorem realiter prioritate naturæ se ipso secundùm diuersas formalitates; quod tam repugnat, quàm idem esse causam sui ipsius secundùm diuersas formalitates. Deinde si quidem post cognitionem credibilitatis, manet homo liber ad volendum credere Trinitatem, ergo post illam primam formalitatem iudicij, potest non sequi voluntas, & per consequens nec alia formalitas eiusdem iudicij, quod etiam apertè repugnat: vel dicendum est, subsequi aliam formalitatem inuita voluntate, quod etiam est absurdum.

2 Propter hæc alij planè admittunt, illud iudicium esse euidens, sed naturale secundùm substantiam, licèt punquam habeatur, nisi ex supernaturali prouidentia, & gratia Dei: quod iudicium licèt prærequiratur ad introductionem fidei, dicunt tamen non esse fundamentum fidei, quia fides introducta firmiùs, & certiùs iudicat res fidei esse credendas.

Huic sententiæ fauent Gabriel, Almainus, Aragon, & alij, quos affert Ripalda *1. tom. de ente supernaturali disp.49. sect.5. num.27.* Fauet etiam P. Suarez, qui *in præsenti, disp.6. sect.8. num.12.* fatetur iudicium hoc esse naturale in substantia, & elici posse naturali discursu, & lumine intellectus cum generali concursu Dei, & supposita sufficienti experientia signorum, seu motiuorum fundantium talem credibilitatem. Addit tamen *num.13. & 14.* illud iudicium non sufficere ad piam voluntatem supernaturalem credendi nisi adsint, provt adsunt, illuminationes supernaturales in intellectu, quæ adiuuent iudicium illud, quas illuminationes supernaturales, ipse videtur ponere ita, vt sint solùm simplices apprehensiones supernaturales, quæ faciant concipere res fidei, provt oportet ad salutem. Citari etiam potest pro eadē sententia P. Coninch. *in præsenti disp.13. dub.3.* vbi docet, iudicium illud esse naturale in substantia, & supernaturale quoad modum: tum quia supponit reuelationem, & propositionem obiecti supernaturalis: tum quia dirigitur ad finem supernaturalem, & propter debilitatem, & obscuritatem nostri intellectus indigemus illustratione gratuita, vt debito modo res fidei proponantur. P. Granado satis obscurè loquitur in hoc puncto: nam *tract.2. disp.2.* dicit, euidentiam credibilitatis non esse actum supernaturalem, sed ordinis naturalis: postea verò *tract.9. disp.4. n.4.* dicit, iudicium euidens prærequisitum ad voluntatem credendi debere esse supernaturale in substantia. Sed tamen in priori loco loquitur solùm de iudicio speculatiuo, quod est conclusio de credibilitatate deducta ex principiis, & motiuis, quæ eam probant; in posteriori autem loco agit de iudicio vltimo practico, dictante hic & nunc esse bonum credere mysteria fidei. Ex quibus tandem constat meritò ab Hurtado *disp.63. §.6.* reprehendi Lorcam, qui *disp.31. num.6.* dicit esse temerarium explicare necessitatem gratiæ, quam Concilia exigunt ad huiusmodi actus, negando eos esse supernaturales in substantia, & ponendo eos solùm supernaturales quoad modum, seu necessitatem gratiæ ad eos eliciendos: quod quidem multi, & graues auctores dixerunt.

Contraria tamen sententia verior est, & communis iam inter nostros Recentiores, iudicium illud esse supernaturale secundùm substantiam, sicut & ipsam voluntatem credendi. Quam tenent Hurtado *loco citato*, Ripalda *dict. disp.49.* Granado citatus in posteriori loco, & alij Recentiores communiter. Probatur primò ex Concil. Arausi. 2. *can.7.* Cœlestino *epist. ad Episcopos Galliæ cap. 9.* vbi dicitur, cogitationem, seu pium consilium, quod ad vitam æternam pertinet, ex Dei gratia esse. Concilio Mileuitano *can. 4.* Vbi dicitur, *Donum Dei esse scire, quid facere debeamus*, ergo cùm scire credibilitatem fidei, sit scire, quid debeamus agere, fateri debemus hanc scientiam esse donum gratuitum Dei. Magis expresè Augustinus *lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8.* ponderans illud Pauli 2. ad Corint. 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, &c.* Sic ait, *quis non videat prius esse cogitare, quàm credere; nullus enim credit, nisi prius cogitet esse credendum, & hoc vult Apostolus, non esse ex nobis, sed ex gratia.* idem de bono perseuerantiæ cap. 8. ait. *Deum dare cordi humano cogitationes pias per quas habeat fidem,* & cap. 13. tractans prædicta verba Pauli. *Cogitantes,* inquit, *credimus, & agimus quidquid credimus. Quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non sumus sufficientes cogitare,* &c. Idem de prædestinatione Sanctorum cap. 2. Isidor. lib.3. de summo bono cap.10. sic ait: *Doctrina sine adiuuante gratia, quamuis infundatur in auribus, ad cor non descendit. Tunc autem Dei sermo auribus infusus ad cordis intima peruenit, quando Dei gratia mentem interius, vt intelligat, tangit.* Ecce Patres non solùm ad volendum credere, sed ad intelligendum, cognoscendum, & cogitandum gratiam desiderant. Ideo hanc gratiam non solùm *inspirationem*, sed *illuminationem* etiam appellant, vt habetur in Arausi. *can. 5.* vbi dicitur, *ad consentiendum prædicationi salutari esse necessariam illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti*

1 *Sententia communis.*

Primus Concilij Patres

sancti. Ergo sicut ex eo quod exigant gratiam ad volendum credere, deduximus *sup. disp. 10. sect. 3.* supernaturalitatem voluntatis, sic debemus colligere supernaturalitatem cogitationis ex auxilio gratiæ, quod exigunt ad cogitandum, & intelligendum.

4 Nec satisfacit, si dicas, istam cogitationem licèt sit naturalis, esse tamen ex supernaturali prouidentia, & peculiari Dei beneficio. Non enim aliter loquuntur Patres, & Concilia de auxilio gratiæ necessario ad assensum fidei, & ad affectum credendi, quàm de illuminatione necessaria ex parte intellectus ad voluntatem credendi. Ratio deinde id suadet: quia si ad affectum supernaturalem credendi sufficit cognitio naturalis in substantia, non apparet, cur actus fidei debuerint esse supernaturales, cùm ex illis, licèt naturales fuissent potuissent procedere actus dilectionis, & aliarum virtutum supernaturales.

Dices, licèt ipsa cogitatio secundum se non sit ex supernaturali prouidentia, & speciali gratia: cæterùm vt congruam ad illam voluntatem posse esse ex tali prouidentia, quia subista consideratione connotat voluntatem supernaturalem, quæ ex tali cogitatione sequetur, & conducentiam ad finem supernaturalem. Sed contra, quia in hoc sensu speciale adiutorium gratiæ non tam requireretur ad cogitandum, quam ad volendum credere, à qua voluntate denominatur cogitatio congrua. Hoc autem non videtur cõsonum Scripturæ, & Patribus à quibus ipsa cogitatio dicitur indigere auxilio Dei, *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis*: non dixit: non sumus sufficientes cogitatione congrua, sed *cogitare*, & ideo addit: *sufficientia nostra ex Deo est*, non dixit solã efficaciam, seu congruitatem, sed ipsammet *sufficientiã* ex Deo esse, ideo etiam Mileuitanum dixit, *donum Dei esse scire quid facere debeamus*: nec addidit *quando id facturi sumus*, quia ipsum *scire* antecedenter ad operationem requirit auxilium gratiæ, & ipsa cogitatio in ratione propria cogitationis appellatur *illuminatio Dei*, vt ostendatur gratiam non solùm consistere in coniunctione cogitationis cum consensu, sed etiam in cognitione obiecti, quæ non debebatur naturæ, nisi Deus ex sua liberalitate vellet mentis nostræ oculos illuminare. Deinde in hoc sensu ipsa creatio animæ dici posset non fieri sine speciali gratia Dei; nam etiam illa creatio præuidetur coniungenda cum bonis operibus supernaturalibus eliciendis ab anima. Denique, si hoc solum intenderent Patres, sane nihil decreuissent contra semipelagianos, neque enim semipelagiani, nec aliquis vnquam dubitare potuit, quin antecedenter ad voluntatem credendi necessaria esset aliqua cogitatio, quæ esset congrua, si consensus voluntatis sequeretur; ergo Patres vltra hanc necessitatem cogitationis congruæ, quàm ipsi negare non poterant; probare voluerunt vlterius aliam necessitatem auxilij Dei peculiaris, sine quo illa cogitatio haberi non poterat, eo quod esset cogitatio superioris ordinis & indebita toti naturæ. Denique Concilia, & Patres non solum exigunt congruitatem, quæ supra cognitionem solum addit consensum voluntatis, sed etiam exigunt illuminationem, quæ tota se tenet ex parte intellectus, & quæ etiam deficiente consensu datur in eo, qui resistit, & forrasse maior, quàm in eo, qui consensit, & hanc illuminationem dicunt esse gratiam Spiritus sancti.

Secundò ergo à priori probatur conclusio, quia si ad voluntatem credendi supernaturalem sufficeret cogitatio naturalis, ergo & ad alios omnes actus voluntatis supernaturalis sufficeret cognitiones naturales obiectorum: cur enim magis potest amari supernaturaliter bonitas credendi naturaliter cognita, & non etiam bonitas Dei naturaliter cognita poterit supernaturaliter amari; sanè nullum sufficiens discrimen poteris reddere: ergo dicendum est, ad omnem volitionem supernaturalem prærequiri cognitionem proportionatam, & eiusdem ordinis: sicut etiam ad amorem voluntatis non sufficit cognitio materialis Phantasiæ, sed cognitio intellectualis, & eiusdem ordinis. Habet enim se, vt *supra* diximus appetitus elicitus ad cognitionem, sicut appetitus innatus ad naturam; quare sicut ponitur diuersus appetitus innatus pro diuersitate naturæ, sic etiam pro diuersitate principij cognoscitiui diuersificantur appetitus eliciti. Est enim potentia appetitiua passio essentialiter orta à potentia cognoscitiua; & ideo omnis potentia appetitiua supponit cognoscitiuam sibi correspondentem, & proportionatam cui connaturaliter talis appetitiua debeatur, ergo sicut potentia volitiua spiritualis supponit cognoscitiuam spiritualem; sic volitiua supernaturalis supponit cognoscitiuam supernaturalem, vt diximus, & explicuimus *disp. præcedenti sect. vltima*.

5 *Probatur ratione à priori.*

6 *Impugnatur P. Suarez.*

Vnde obiter impugnari potest id, quod dicebat P. Suarez, interuenire debere apprehensiones supernaturales, quibus mediis illuminat nos Spiritus sanctus ad volendum credere: ipsum tamen iudicium credibilitatis esse naturale, & ex solis viribus naturæ. Hoc, inquam, impugnari potest primò, quia vel apprehensiones illæ solæ absque vllo iudicio sufficiunt ad volendum credere, vt aliqui dicunt, quos postea referemus; vel non sufficiunt sine iudicio. Quod secundum ipse Suarez supponit; nam *n.* 14. post medium sic ait: *vt voluntas moueatur, præsertim honestè ac prudenter, duo sunt necessaria, scilicet sufficiens apprehensio obiecti, & iudicium quod expediat illud credere: quia ergo voluntas credendi honesta est etiam supernaturalis, requirit ex vna parte iudicium prudens de credibilitate obiecti: quia verò illud iudicium datur de obiecto supernaturali per medium naturale, ideo necessaria est illuminatio diuina, quæ eleuet intellectum ad concipiendum illud obiectum altiori, & supernaturaliori modo*, &c. Quo supposito, argui potest contra ipsum, quia in primis, si ad voluntatem illam vtrumque prærequiritur, non apparet, cur magis apprehensio, quàm iudicium debeat esse supernaturalis, & cur non è contra apprehensio possit esse naturalis, dum iudicum sit supernaturale: imo magis videtur requiri supernaturalitas in iudicio, quàm in apprehensione; nam apprehensio non videtur concurrere immediatè, aut mouere proximè voluntatem, sed remotè, & mediatè, quatenus proponit obiectum, quod postea iudicetur; alioquin si apprehensiones possunt immediatè mouere voluntatem non requireretur iudicium, quod tamen necessariò requiri dicit ipse Suarez. Non ergo conducunt apprehensiones, nisi mediatè generando iudicium, quod immediatè voluntatem moueat. Non enim est sermo de aliis apprehensionibus requisitis ad assensum fidei intellectualem; nam illæ proponunt aliud obiectum diuersum, nempe illud, in quod fertur assensus fidei; quæ

quæ apprehensiones non possunt concurrere saltem immediatè ad voluntatem credendi, quæ voluntas non versatur circa verum bonum, vt constat, atque ideo non potest moueri immediatè à veritate obiecti, sed à bonitate credendi obiectum taliter propositum: quare sermo est solum de apprehensione bonitatis credendi, ex qua generatur iudicium de eadem bonitate. Quod ergo apprehensio hæc sit supernaturalis, parum refert si iudicium ipsum, quod immediatè & proximè mouet voluntatem, non est supernaturale, sed naturale. Nec satisfacit, quod dicit Suarez paulo antea, deesse in illo iudicio naturali potestatem, seu efficacitatem ad mouendam voluntatem, & quasi eleuandam ad actum supernaturalem & ad hoc coniungendam esse illuminationem illam supernaturalem. Hoc, inquam, non satisfacit, quia apprehẽsio illa supernaturalis non eleuat vtcumque voluntatem, solùm quasi comprincipium, sicut habitus infusus ad supplendum defectum potentiæ naturalis in ordine ad actum, & effectum supernaturalem: sed debet eleuare per modum illuminationis, proponendo bonitatem obiecti, & illuminando. Hoc autem non potest facere apprehensio, si iudicium necessarium etiam est; nam licèt aliqui dicant, posse voluntatem moueri à simplici apprehensione sine iudicio, vt postea videbimus: illi tamen omnes, qui dicunt requiri iudicium nec sufficere apprehensionem simplicem, consequenter dicunt, id esse, quia apprehensio solùm illuminat immediatè intellectum ad iudicandum, à quo solo iudicio potest illuminari proximè voluntas, & moueri saltem ad affectus absolutos; Alioquin vt dixi, apprehensio illa sola supernaturalis sufficeret sine alio iudicio de bonitate credulitatis: quare illa duo non videntur satis consequenter asseri, & coniungi in hoc modo dicendi.

7 Vnde arguitur secundò, quia obiectum illius apprehensionis, siue sit naturale, siue supernaturale, non apparet, cur non possit terminare etiam actum iudicij supernaturalis, cùm terminet apprehensionem supernaturalem, & omnis apprehensio, maximè quæ proponit euidenter bonitatem obiecti (provt per hanc apprehensionem proponi debet bonitas credendi) apta sit ad generandum actum iudicij circa idem obiectum; si ergo interuenit apprehensio supernaturalis, & hæc debet esse de bonitate credendi, (alioquin non posset mouere voluntatem ad volendam fidem, & credulitatem, quia bona est) non apparet, quomodo ex illa apprehensione non generetur iudicium etiam supernaturale de eodem obiecto, & de tali bonitate credendi.

8 Tertiò impugnatur, quia si ad voluntatem supernaturalem credendi sufficit iudicium naturale, interueniente illustratione, & apprehensione supernaturali, idem dici posset in aliis voluntatibus supernaturalibus elicitis ab aliis virtutibus, sufficere ad illas iudicium vltimum naturale, requiri tamen simul aliquam illustrationem, & apprehensionem supernaturalem, quæ eleuet voluntatem, & illuminet sufficienter ad effectum supernaturalem, atque adeo tolletur de medio necessitas iudicij supernaturalis ad quoslibet affectus supernaturales aliarum virtutum, & solùm requiretur iudicium naturale cum apprehensione supernaturali.

9 Nec etiam idem inconsequentiæ periculum *Arguitur in-* fugit P. Coninch. *loco supra citato*, dum argumenta quibus probare vult supernaturalitatem quoad modum in eò iudicio, probare videntur supernaturalitatem etiam in substantia, quam ipse negat. Probat enim in primis *num.* 21. non esse supernaturale in substantia, primò, quia alioquin fides non esset initium, & fundamentum vitæ, & status supernaturalis, sed initium inchoaretur ab illo iudicio præcedente voluntatem credendi, quod videtur esse contra Patres non agnoscentes initium aliud præter fidem. Secundò quia fides, spes, & charitas ideo ponuntur supernaturales, quia sunt media per se ordinata ad finem supernaturalem, cum quo debent habere proportionem, & ad meritum præmij omnino supernaturalis: illud verò iudicium non constituit nos vllo modo etiam inchoatiuè in statu merendi, neque per se meretur, aut ordinatur ad meritum vitæ æternæ, nisi remotè, & ratione alterius, quatenus est conditio prærequisita ad fidem.

Vtraque ratio probaret, nec esse supernaturale 10
quoad modum, prima; quia Patres dicentes, fidem esse initium vitæ spiritualis, non loquuntur solùm de initio supernaturali in substantia, sed de quolibet initio, imò potissimè dicebant ad excludenda opera facta viribus naturæ, ne ab ipsis sumeretur initium salutis, & iustificationis aut meriti in ordine ad salutem, loquebantur quippe contra Pelagium ponentem initium salutis ex operibus naturalibus; Vnde Augustinus ep. 105. concludit. *Restat igitur, vt ipsa fides, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis meritis, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita.* Ad quod videri possunt plura alia loca apud Suarez *lib.* 1. *de Gratia cap.* 20. *num.* 11. & 12. Non minùs ergo esset contra Patres ponere initium salutis ante fidem, quod esset supernaturale quoad modum, quàm si esset supernaturale quoad substantiam: neque enim Pelagius ponebat ante fidem initium salutis supernaturale in substantia, sed omnino naturale, quod tamen Patres omnino excludere contendebant.

Vnde secunda etiam ratio non minùs retor- 11
queri potest contra eundem auctorem; quia non minùs iudicium illud credibilitatis ordinatur ad salutem & ad meritum, quàm actus fidei; si quidem iudicium illud est prærequisitum, & proximè mouet ad piam voluntatem credendi, quæ non minùs est meritoria salutis, quàm aliæ voluntates bonæ, quæ oriuntur ex fide; nam sicut aliæ in peccatore sunt solùm merita de congruo, & in homine iusto sunt merita condigna, ita pia voluntas credendi in peccatore est meritoria de congruo, & in homine iusto est de condigno; nec aliunde, nisi ab illa pia voluntate fides ipsa denominatur meritum congruum, vel condignum in ordine ad salutem; non est ergo maior ratio, cur assensus fidei debeat esse supernaturalis in substantia, quàm iudicium præcedens credibilitatis.

Omnes ergo respondere debemus, quando Pa- 12
tres dicunt, fidem esse initium meritorum, & vitæ spiritualis nomine *fidei* comprehendere ipsam etiam volũtatem credendi à qua assensus fidei habet suam bonitatem moralem formalem, & totam rationem meriti, itavt & ipsa etiam voluntas credendi, sit ex gratia peculiari per Christum, & illuminatio

illuminatio etiam præcedens ad volendum credere sit donum Spiritus sancti, provt ipsimet Patres in verbis suprà relatis expressè docuerunt. Imò inde probant initium salutis esse debere ex gratia, quia fides & voluntas credendi, quæ est initium salutis, & primum meritum, procedere debet ex gratia, & illuminatione præcedenti Spiritus sancti: non ergo excludunt iudicium credibilitatis, imo illud includunt in ipso initio salutis completè sumpto.

13 Objectio 1. Restat nunc breuiter respondere ad fundamenta eorum, qui volunt iudicium hoc esse naturale. Primò arguunt, quia hoc iudicium supernaturale non potest esse obscurum, quia esset actus fidei, vel certè prærequireret voluntatem aliam determinantem intellectum, ad quam voluntatem prærequireretur aliud iudicium, de quo esset eadem difficultas. Sed nec posset esse euidens, quia in via non habemus actus euidentes supernaturales, sed solùm obscuros: tota enim euidentia, quam habemus, oritur ex lumine naturæ, & ratione naturali conuincente intellectum ad assensum: quæ naturalis euidentia non inducit necessitatem, nisi respectu virium naturalium intellectus. Hoc tamen, & ferè alia argumenta quæ afferunt, procedunt ex principio falso, quod supponunt, nempe non posse esse actum supernaturalem in substantia nisi versetur circa obiectum supernaturale, hoc est tale, vt non posset actu naturali cognosci, sed exigat actum supernaturalem. In quo quidem non video quomodo consequenter loquantur ponentes voluntatem credēdi supernaturalem in substantia, & id de iudicio præcedente negantes. Voluntas enim nec habet, nec habere potest obiectum aliud, nisi quod ab intellectu proponitur amandum. Peto ergo an voluntas credendi, quæ supernaturalis est, habeat obiectum aliquod supernaturale? quod si id concedant, quia habet pro obiecto honestatem fidei, quam amat, idem certè obiectum habet iudicium præcedens; non potest enim voluntas ferri, nisi in illam eandem bonitatem, & honestatem, quam priùs intellectus ei proponit. Sicut ergo bonitas illa fidei potest terminare voluntatem supernaturalem, cur non poterit eadem terminare cognitionem etiam supernaturalem. Aliqui ergo dicunt, iudicium hoc esse supernaturale ex obiecto, quia repræsentat honestatem credendi absque formidine repertam in assensu supernaturali. Ita Hurtado *disp.* 63. §. 10. Alij meliùs, & faciliùs negant supernaturalitatem iudicij prouenire ex supernaturalitate obiecti; supponunt enim potuisse esse actus naturales circa eadem obiecta, circa quæ versantur de facto actus intellectus, & voluntatis, quos habemus in via; ita cum aliis Ripalda *dicta disp.* 49. *de ente supernaturali sect.* 5. *num.* 31. obiectum itaque de se indifferens est, vt cognoscatur, vel ametur per actum naturalem, vel supernaturalem: Deus tamen eleuans hominem ad finem supernaturalem eleuat etiam ad actus supernaturales proportionatos fini supernaturali, & statui gratiæ supernaturali. Vnde nec est repugnantia, quod de facto habeamus actus aliquos supernaturales euidentes, qui necessarij sunt ad hanc seriem actuum fidei, & aliarum virtutum, quos exercemus. Sic enim diximus *disp.* 1. *sect.* 6. posse aliquando esse euidentem actum supernaturalem, quo iudicamus infinitam veracitatem Dei. Imò idem Ripalda *vbi suprà*, dicit, de facto prudentiam infusam elicere assensus euidentes, quibus iudicat, Deum esse amandum, superiori esse obediendum, & alia similia. Quod tamen loquendo saltem de iudicio non vltimo circa honestatem operis, mihi difficilius est, quia prudentia infusa in ordine ad operationem aliarum virtutum præter ipsam fidem, subordinatur eidem fidei, & proponit honestatem operis dependenter ab aliqua reuelatione Dei, vel ab aliqua veritate reuelata, vt dixi *disp.* 1. *sect.* 13. vt ita verum sit, merita earum virtutum procedere ex fide, & fidem esse principium, & fontem totius meriti; in ordine tamen ad ipsam fidem, quæ non potest fundari in eadem fide, non est inconueniens dari aliquam cognitionem euidentem supernaturalem.

Sed contra vrget secundò Suarez *dicta sect.* 8. *num.* 2. quia ratio, & medium, per quod habetur indicium illud, est naturale, & per discursum naturalem potest fieri, videlicet hoc modo: *Quidquid sufficienter proponitur est credibile: hoc obiectum sufficienter proponitur; ergo est credibile.* in quo discursu maior est nota per se lumine naturali, minor etiam experimento cognoscitur; ergo iudicium de conclusione naturale est. Granado licèt *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 5. dixisset euidentiam credibilitatis esse conclusionem elicitam virtute præmissarum; postea tamen *tract.* 9. *disput.* 4. *num.* 11. loquens de vltimo iudicio practico euidenti, quod præcedit affectum credibilitatis, dicit non esse discursum, sed simplicem assensum, quem intellectus facit, supposita aliqua propositione mysteriorum fidei, qualis requiritur ad credendum. Ripalda verò d. disp. 49. num. 32. dicit, *iudicium hoc non esse quidem acquisitum per discursum præcedentibus aliis iudiciis supernaturalibus, esse tamen quemdam virtualem discursum continentem iudicium euidens credibilitatis, vt obiecti materialis, & testimoniorum, quæ mysteria fidei reddunt sufficienter credibilia, vt obiecti formalis; quemadmodum discursus quidam virtualis est assensus supernaturalis fidei, & cognitio supernaturalis Angelica de existentia diuina: id enim præuia apprehensione perfecta argumentorum fidei, facilè potest contingere.* Hæc ille, in quibus in primis non placent exempla, quæ affert: nam cognitio, quam Angelus naturaliter habet de existentia Dei per creaturas, non est propriè discursus virtualis, vt diximus *supra disp.* 7. *sect.* 2. quia non infert vnum ex alio, sed cognoscit vnum in alio, tanquam in medio, quod quidem non sit medium *ex quo*, sed medium *in quo* aliud cognoscitur; in quo nullus prorsus discursus intercedit, quia non est duplex assensus etiam virtualiter, sed vnicus indiuisibilis, & simplicissimus, quo dicitur, *creatura hæc pendet à Deo existenti*: esset autem discursus virtualis, si diceret, *Deus existit, quia creatura dicit ordinem ad ipsum*: vt ibi latiùs explicuimus. Quare si iudicium credibilitatis est, sicut cognitio illa Angelica, non erit discursus nec formalis, nec virtualis. Vnde non bene affertur illud alterum exemplum assensus fidei: in illo enim datur verè, & propriè discursus saltem virtualis, quo dicitur, *Incarnatio facta est, quia Deus est summè verax, & illam reuelauit.* Omnis autem talis discursus virtualis resolui potest in formalem, in quo eadem conclusio inferatur ex præcedentibus præmissis; quare si iudicium credibilitatis est similis assensui fidei, consequens est, vt sicut in fide potest interuenire discursus formalis, vt concedit idem auctor *disp.* 55. *sect.* 5. *n.* 31. Sic etiam iudicium credibilitatis

14 Objectio 2.

litatis possit ex præcedentibus præmissis inferri.

15 Ego existimo, iudicium hoc posse vtroque modo fieri, nempe per discursum, & sine discursu, & vtroque casu posse esse supernaturale. Et in primis potest fieri per discursum formalem, vel virtualem, quo ex modo, quo res fidei proponuntur, inferamus euidenter, eas esse prudenter credibiles, & debere credi. Nec video, cur hoc non possit esse iudicium vltimum, & proximè ac sufficienter mouens ad piam voluntatem credendi: nam esse genitum ex discursu non tollit, quod sit practicum, & ostendat vltimò amabilem, seu volibilem honestatem & bonitatem fidei. Et quamuis ante voluntatem credendi supponatur etiam cognitio reflexa de certitudine radicali actuum præcedentium, quibus proponitur obligatio credendi, vt explicuimus *disp.* 5. *sect.* 1. quam cognitionem diximus esse intuitiuam, cùm versetur circa statum, quem habent in intellectu obiecta fidei, & circa modum, quo proponuntur, qui modus cùm sit intra nos, potest intuitiuè à nobis percipi ea ratione, qua percipimus nostros actus intellectus, & voluntatis: illa tamen cognitio reflexa, non videtur esse vltima, vel certè non est necesse, quod sit vltima; nam iudicium vltimum proponens voluntati obiectũ amandum debet iudicare de bonitate obiecti amandi: illa autem cognitio reflexa non tam videtur iudicare de bonitate actus fidei, quàm de certitudine actuum præcedentium, quibus proponitur obligatio, & honestas credendi: quare restat, quod ex illa cognitione inferatur alia de honestate & bonitate credendi, quod solum vltimum iudicium proximè mouens voluntatem, vt velit assensum fidei propter eius bonitatem, oportet quod sit supernaturale, vt habeat proportionem cum affectu piæ affectionis, qui debet esse supernaturalis. Nec obstat, quod præmissæ sint naturales: quia iam vidimus *suprà disp.* 1. *sect.* 13. assensum conclusionis Theologicæ esse posse supernaturalem, licèt vna præmissa sit naturalis. Nam vt sæpe diximus, supernaturalitas horum actuum non prouenit ex obiecto exigente de se actum supernaturalem, sed ex eo, quod Deus eleuat per concursum, & principia supernaturalia ad actus voluntatis pertinentes ad salutem, & ad cognitiones saltem proximè conducentes & mouentes ad eiusmodi actus voluntatis. Aliunde verò non debemus ponere supernaturales omnes actus intellectus, qui remotè possunt deseruire ad affectum voluntatis supernaturalem, vt vidimus *suprà disp.* 9. *sect.* 4. quia alioquin maxima pars nostrarum cogitationum esset supernaturalis in substantia. Quod si adhuc aliquis velit, illam etiam esse priorem notitiam euidentem de certitudine obligationis, ex qua infertur vltima conclusio practica, esse supernaturalem, non erit multum de hoc contendendum.

16 Addo ergo, posse etiam iudicium illud vltimum euidens credibilitatis poni sine discursu, sed vt notitiam quandam immediatam de bonitate, & honestate credendi, provt indicant auctores citati. Posita enim notitia motiuorum credibilitatis, & cognitione reflexa, de modo, quo apprehenduntur, & proponuntur, potest intellectus sine vllo discursu, sed immediatè iudicare, in his circumstantiis, & cum his notitiis præcedentibus, honestum, & necessarium esse credere propter diuinam reuelationem ea, quæ proponuntur credenda. Quod in exercitio etiam aliarum virtutum contingere videtur: ad voluntatem enim honestam subueniendi huic indigenti non est necesse semper formare hunc discursum: *honestum est subuenire indigenti: iste nunc indiget: ergo honestum est ei subuenire.* Sed visa eius indigentia, possumus formare sine discursu iudicium vltimum practicum immediatum dictans, in his circumstantiis, & cum tali notitia indigentiæ honestum esse huic subuenire, quod iudicium pertinet ad prudentiam. Similiter ergo honestas fidei poterit practicè iudicari absque discursu, attentis circumstantiis, & notitia reflexa de modo, quo motiua nobis proposita sunt: tunc enim ex terminis patet, honestum esse in his circumstantiis non dissentire, sed credere, quæ proponuntur.

Vnde obiter infero, prudentiam infusam posse fortassè aliquando vtriusque generis actus elicere, scilicet mediatos cum discursu, atque etiam immediatos, & sine discursu. Cum enim vtrique actus deseruire possint immediatè, & proximè per modum iudicij practici vltimi ad voluntatem supernaturalem, vtrique debent esse supernaturales, & eliciti, vt suppono à prudentia infusa. Cum hoc tamẽ discrimine, quod iudicia siue cum discursu siue sine illo, quæ deseruiunt immediatè ad voluntatem piam credendi, non debeant fundari in fide, nec in auctoritate diuina, sed aliunde debeant iudicare de bonitate, & honestate credendi. Cùm enim præsupponãtur ad fidem, non debent oriri ex fide, sed aliquo modo fidem inchoare. At verò iudicia practica vltima circa honestatem aliarum virtutum infusarum, debent, si aliquando fiunt, fundari in fide, & auctoritate diuina, vt hoc modo merita omnia supernaturalia præter ipsam fidem oriantur à fide. Et quidem quando iudicium practicum vltimum fit per discursum, facilè intelligitur, quo modo oriatur ex fide; procedere enim potest ex vna præmissa de fide, qua creditur, v.g. eleemosynam esse honestam, quia Deus ita testatur, & ex altera, qua iudicatur in his circumstantiis concurrere conditiones saltem apparentes eleemosynæ, ex quibus concluditur bonum esse hîc & nunc subuenire huic proximo petenti, &c. Quæ conclusio practica pertinet ad prudentiam infusam, vt diximus *suprà disp.* 1. *sect.* 13. Quando verò iudicium practicum vltimum non est conclusio deducta per discursum, sed cognitio immediata dictans bonum esse hîc & nunc subuenire huic petenti, quem actum diximus pertinere posse aliquando etiam ad prudentiam infusam, quando immediatè mouere potest ad voluntatem supernaturalem eleemosynæ: tunc, inquam, hic etiam actus fundatur in fide, & oritur à fide: quia licèt non habeat pro motiuo formali intrinseco obiectum formale fidei (non enim credit bonam esse hanc eleemosynam, quia id Deus dicit, sed ex terminis iudicat bonam esse in his circumstantiis) supponitur tamen præcognita bonitas huius eleemosynæ ex motiuo fidei, & post factam reflexionem supra has omnes notitias, & supra earum certitudinem, & modum, quo hæc omnia proponuntur intellectui, succedit iudicium illud practicum immediatum, quo ex ipsis terminis intellectus dictat, in his circumstantiis, hoc est, stantibus talibus notitiis de bonitate eleemosynæ, bonum, & aliquando etiam obligatorium esse subuenire petenti: quod iudicium oritur etiam ex fide: non itavt habeat pro motiuo etiam partiali

tiali testimonium Dei, sed ita vt notitia præcedens fidei de bonitate, aut necessitate eleemosynæ, sit vna ex circumstantiis, in quibus ex terminis apparet bonitas eleemosynæ huius hîc & nunc eligendæ, quod sufficit, vt voluntas dandi hanc eleemosynam ortum habeat ex fide, & fundetur in fide, si quidem vltima bonitas practica huius eleemosynæ eligendæ resultat partialiter ex præcedente notitia fidei de bonitate eleemosynæ, debet autem iudicium hoc vltimum practicum esse supernaturale, cùm ex ipso immediatè, & proximè moueatur voluntas ad electionem huius eleemosynæ. Addo tamen, communiter, & regulariter non videri posse contingere eiusmodi actus prudentiæ infusæ circa materias aliarum virtutum sine discursu ex fide: quia fides communiter non docet, eleemosynam hîc & nunc esse honestam, sed reuelat solùm honestatem misericordiæ, castitatis, &c. in communi, quare cùm vnde constat ex circumstantiis præsentibus, interuenire obiectum illius virtutis, inferendis per discursum honestatem huius actionis in particulari. Si tamen aliquando fide constare posset honestas particularis hîc & nunc, posset prudentia ex reflexione supra hanc notitiam iudicare immediate hîc & nunc stante tali notitia fidei ita esse operandum.

17

18 *An vtriusque generis iudicia eliciantur ab eodem habitu infuso prudentiæ, an à diuersis?*

Posset tamen dubitari, an vtriusque generis iudicia eliciantur ab eodem habitu infuso prudentiæ, an à diuersis. Videntur enim non posse pertinere ad eundem habitum, cùm nullum habeant obiectum formale etiam partiale commune: nam licèt conclusiones omnes prudentiæ infusæ in materia earum virtutum respiciant tanquam motiuum formale partiale auctoritatem diuini testimonij, & ideo possint pertinere ad eundem habitum infusum prudentiæ: iudicia tamen immediata practica non habent vllo modo pro motiuo etiam partiali auctoritatem diuinam, sed singula habent pro motiuo veritatem honestatis particularis practicæ, quæ consurgit ex circumstantiis præsentibus, quæ honestas peculiaris affirmatur immediatè per singula illa iudicia practica, quare non minùs videntur differre inter se iudicia illa, quàm differant volitiones consequentes eorum obiectorum; quæ tamen, quia singulæ habent pro motiuo adæquato honestatem propriæ virtutis, non pertinent ad eundem habitum infusum voluntatis, sed ad plures diuersos.

19 Potest autem hoc confirmari primò ex iis, quæ diximus *vbi supra dicta disp.* 1 *sect.* 13. ideò vnum habitum infusum sufficere ad omnes conclusiones practicas circa honestatem virtutum moralium diuersarum, licèt in voluntate sint plures habitus infusi ad ea obiecta amplectenda; quia voluntas non respicit intrinsecè motiuum fidei, sed solam honestatem obiecti; prudentia autem infusa in omnibus iis conclusionibus practicis respicit intrinsecè saltem partialiter motiuum fidei: vnde fieri videtur, quod quando iudicia practica prudentiæ infusæ, non respiciunt intrinsecè motiuum fidei, sed solam honestatem obiecti, non possint magis pertinere ad eundem habitum infusum, quàm actus voluntatis, qui versantur circa honestates diuersarum virtutum.

Confirmatur secundò ex dictis *eodem loco*, vbi diximus, iudicium credibilitatis supernaturale non pertinere ad eundem realiter habitum prudentiæ infusæ, à quo eliciuntur iudicia practica circa honestates aliarum virtutum; quia nimirum alia omnia iudicia habent pro motiuo intrinseco partiali auctoritatem diuinam, seu motiuum fidei, quod motiuum non habet iudicium credibilitatis, cùm non affirmet honestatem credendi, quia Deus eam reuelauit, sed propter alia motiua, vel immediatè, & ex terminis. Propter eandem ergo rationem hæc iudicia practica, quæ non sunt conclusiones deductæ ex fide, non pertinebunt ad eundem habitum, ad quem pertinent illæ conclusiones, quia non magis habent pro motiuo intrinseco partiali testimonium Dei, quàm illud habeat iudicium euidens credibilitatis.

Hæc sanè probabilem reddunt hanc partem, 20
pro qua sunt Auctores graues, quos *loco citato* adduximus, docentes prudentiam infusam non esse vnum simplicem habitum, sed aggregatum ex pluribus partialibus. Sed neque in hoc puncto aliquid possumus certò definire: responderi enim posset, hæc omnia iudicia practica pertinere adhuc ad eundem simplicem habitum infusum: nam licèt non sint conclusiones deductæ ex eodem motiuo formali partiali testificationis diuinæ, sed cognitiones practicæ immediatæ de honestate obiecti: videntur tamen habere aliquam vnitatem, & communicationem in obiecto formali, quia ipsamet honestas practica operationis, de qua fertur vltimum iudicium practicum, resultat partialiter ex eo, quod proposita sit taliter honestas eleemosynæ, v. g. vel temperantiæ, per notitiam fidei præcedentem circa honestatem talium obiectorum, quæ notitia fidei taliter propositæ est vna ex circumstantiis, ex quarum circumspectione, & reflexione fit postea iudicium illud practicum immediatum; quare in iis omnibus videtur esse aliquid commune ex parte obiecti, nempe notitia fidei præcedens circa honestatem communem talis virtutis, quod videtur sufficere, vt idem habitus infusus possit ad ea omnia extendi. Præsertim cùm hæc omnia iudicia practica eodem modo subordinentur fidei, eámque supponant, & in ea fundentur modo suprà explicato. Nec eadem est ratio de actibus voluntatis virtutum infusarum; ij enim nullo modo attingunt formaliter intrinsecè fidem, vel eius obiectum formale, vt obiectum suum, sed solam honestatem, & conuenientiam cum natura rationali, cùm tamen iudicium practicum respiciat formaliter fidem, cùm ex terminis ipsis, hoc est, ex tali propositione honestatis reuelatæ, & talibus circumstantiis iudicet, operationem hanc esse honestam. Denique nec videtur esse eadem ratio de iudicio credibilitatis, vt illud etiam pertineat ad eundem habitum infusum: nam iudicium illud nec fundatur in fide, nec habet fidem, aut eius obiectum pro motiuo, vel obiecto formali partiali; quare minùs conuenit cum iudiciis practicis circa alias virtutes, quàm ipsa iudicia conueniant inter se.

Videó, hæc omnia exposita esse obiectionibus, 21
& responsionibus: posset enim opponi, quod sicut iudicia illa practica immediata attingunt ex parte obiecti partialiter ipsam fidei notitiam tanquam circumstantiam constituentem vltimam honestatem practicam talis operationis; sic etiam voluntas eleemosynę subsequens respiciat intrinsecè eandem notitiam fidei, debet enim attingere eandem omnino honestatem, quæ vltimò, & proximè proponitur per iudicium vltimum practicum: quare si iudicium practicum proponit honestatem practicam constitutam partialiter ex circun

cunstantiis, quarum vna est notitia fidei præceden; eandem honestatem constitutam ex eisdem circumstantiis debet attingere voluntas consequens: vnde iam omnes voluntates supernaturales diuersarum virtutum ortæ ex talibus iudiciis practicis immediatis possent habere inter se eandem vnitatem sufficientem, vt possent procedere ab eodem habitu infuso voluntatis, quam habent iudicia practica præcedentia.

Contra discrimen etiam assignatum iudicij credibilitatis opponi posset, quod licet iudicium illud non supponat actum fidei, nec illum attingat ex parte obiecti tãquam circumstantiam honestatis; supponit tamen propositum obiectum fidei, & eius motiua, & ex hac propositione, tanquam ex motiuo, vel circumstantia præcedente iudicat obligationem credendi, & eius honestatem; quare iam videtur attingere ex hac parte obiecti aliquid commune cum illis aliis iudiciis, ratione cuius possent pertinere ad eundem habitum infusum, si omnia illa possunt ad eundem habitum pertinere propter non multò maiorem conuenientiam, quàm habere videntur ex parte obiecti

22 Vides totum hoc punctum problematicum esse in quo pro neutra parte firmũ sit fundamentum ad oppugnandum, vel propugnandum. Ego sanè ægrè feror ad multiplicandos habitus infusos sine aliqua necessitate: quare, licèt facilè concedam in prudentia acquisita non esse eundem adæquatè habitum, qui eliciat iudicium practicum per discursum, & ex aliis præmissis, & qui eliciat iudicium practicum sine vllo discursu etiã virtuali, sed ex terminis; quia obiectum formale vtriusque iudicij est diuersũ: loquendo tamen de habitu infuso non est tanta necessitas multiplicandi habitus; neque enim debemus solum attendere ad obiecta, sed etiam ad finem, ad quem eiusmodi habitus infunduntur, vt fiant operationes proportionatæ nostræ saluti supernaturali. Quare si in ordine ad eum finem vnus actus, vel vnum obiectum æquiualet ferè alteri; non debẽt dari habitus infusi diuersi, licet in se habeant differentiam specificam, vel etiam maiorem, propter quod diximus supra *disp. præcedenti*, eundem habitum infusum elicere actus reflexos supra honestatem formalem actus sui directi, quia vtraque bonitas æquiualet ad finem salutis. Similiter ergo in casu nostro videtur esse æquiualentia inter iudicium de honestate, quod sit conclusio deducta ex actu fidei, & alia præmissa, & inter iudicium de eadem honestate, quod non sit conclusio, sed assensus immediatus ex terminis, quo practicè iudicamus, in his circumstantiis, & stante tali propositione obiecti, & tali notitia fidei de honestate in communi talis virtutis, honestum, & necessarium esse credere. Ad finem enim horum actuum supernaturalium parum videtur referre, quod iudicium illud fiat cum discursu, vel sine discursu ex apprehensione circumstantiarum; quare non immeritò possumus credere eundem habitum ad vtrumque iudicij genus extendi. Vnde rursus videtur inferri, non esse plures habitus infusos ad hæc iudicia pro diuersitate honestatum, quas proponunt: quia cum dixerimus *dicta sect.* 13. eundem habitum infusum elicere conclusiones illas practicas circa honestates omnium virtutum, & aliunde nunc ponamus in ordine ad finem horũ habituum supernaturalium æquialere conclusiones practicas, & iudicia etiam practica sine discursu circa easdem honestatec: consequens est, vt vnus, & idem habitus infusus, qui sufficit ad omnes illas conclusiones practicas, sufficiat etiam ad iudicia illa omnia practica sine discursu circa easdem honestates, dummodo ea omnia iudicia practica fundentur in fide eo modo, quem *sup.* explicuimus.

Cum hoc denique stare potest, quod ad iudicium euidens vltimum, & practicum credibilitatis, siue illud cum discursu, siue sine discursu fiat, detur habitus infusus distinctus ab habitu, qui elicit iudicia practica circa honestates aliarum virtutum. Vidimus enim aliquam maiorem diuersitatem esse inter iudicium illud credibilitatis quod non fundatur in fide, & illa alia iudicia circa honestates aliarum virtutum, quæ omnia fundantur in fide, quàm sit inter iudicium circa misericordiam, & iudicium circa temperantiam, &c. quando vtrumque fundatur in fide. Qui excessus diuersitatis, licet magnus fortasse non sit, potuit tamen sufficere per modum congruentiæ ad distinguendos eos habitus infusos, quorum distinctio expediebat ad hanc seriem actuum, & habituum supernaturalium, in qua sicut Deus voluit fidem esse separabilem à spe, & spem à charitate, & ideo multiplicauit realiter eos habitus; ita voluit etiam, quod in peccatore simul cum actibus fidei, quos in statu peccati exercet, præcedant iudicia credibilitatis supernaturalia necessaria ad eas voluntates credendi, atque adeo sicut manet etiam habitus infusus piæ affectionis ad volendum credere, maneat etiam in intellectu habitus infusus necessarius ad iudicia credibilitatis, cùm sit eadem ratio de permanentia vtriusque habitus. Cùm ergo aliunde communis sententia supponat non manere in peccatore habitus infusos aliarum virtutum moralium, consequens videtur, quod nec maneat in intellectu prudentia infusa in ordine ad actus earum virtutum; oportebat ergo, vt in hac serie, & ordine darentur separabiles, & distincti habitus infusi ad iudicium circa honestatem credendi, & ad iudicia circa honestates aliarum virtutum: quæ distinctio habitum non erat etiam violenta, cum maior vnitas reperiatur, vt diximus, inter obiecta iudiciorum aliorum, quæ omnia fundantur in fide ad inuicem comparata, quàm inter illa iudicia, & iudicium credibilitatis, quod neque oritur ex fide, neque illa fundatur: & hæc sufficiat dixisse occasione illius argumenti. in quo petebatur, an iudicium hoc credibilitatis fiat cum discursu, vel sine illo; quæ fortè quæstio non erat tanti ponderis, cùm vtroque modo possit esse iudicium supernaturale; sed ne quispiam fortasse putaret, magnum in ea latere mysterium, oportuit. breuiter insinuare difficultatis capita, quæ pro vtraque parte poterat occurrere.

Vltimò itaque contra supernaturalitatem iudicij credibilitatis argui solet, quia non potest explicari ad quem habitum infusum pertineat iudicium illud, nec quale principium supernaturale habeat. Ad hoc tamen respondebitur sectione sequenti. Circa ma.

SECTIO

SECTIO II.

A quo habitu infuso eliciatur iudicium credibilitatis.

24 *Prima sententia.*

PRima sententia multorum dicit, hoc iudicium elici ab ipso eodem habitu infuso fidei. Hanc tamen impugnauimus *suprà disput. 5. sect. 3.* vbi vidimus non posse elici ab habitu fidei, ad quem verò habitum spectet, reseruauimus in hunc locum. Vide, quæ *ibi* dicta sunt, ne iterum ea nunc repetamus.

Secunda sententia.

Supposito ergo, quod non elicitur ab habitu fidei, est secunda sententia aliorum, quos refert Granado *tract. 9. disp. 4. num. 9.* qui dicunt, hunc actum elici ab aliquo dono Spiritus sancti. Quos tamen ipse impugnat *ibi*, & latiùs Suarez *disput. 6. sect. 8. num. 11.* quia dona Spiritus sancti non sunt in peccatore. Ad hoc tamen dici posset, suppleri tunc per auxilium actuale extrinsecum, vel intrinsecum. Quare meliùs arguunt ex eo, quòd dona illa Spiritus sancti dantur ad extraordinarios effectus gratiæ, qui sunt præter communem, & ordinarium modum, iuxta specialem motionem extraordinariam Spiritus sancti: motio verò ad volendum credere non est talis, sed communis & ordinaria omnibus adultis; ideo ipse Suarez putat, iudicium hoc non esse supernaturale in substantia, quia non potest elici à prudentia infusa propter argumenta, quæ ex ipso adduximus, & dissoluimus *sect. præcedenti.*

25 *Sententia communis.*

Communis ergo sententia, quæ mihi semper placuit, docet elici ab habitu prudentiæ infusæ, ita Valentia *in præsenti disput. 1. quæst. 1. puncto 4.* Coninch. *disput. 13 dub. 2.* ipse tamen *dub. 3.* dicit esse solùm supernaturale quoad modum. Hurtado *disp. 63. sect. 2. §. 8. & 10.* concedit, esse supernaturale in substantia, & esse actum prudentiæ. Item Ripalda *disputatione 49. de ente supernaturali numero 33.* & alij Recentiores communiter.

Duo iudicia credibilitatis distinguunt quidam auctores.

Aduerte tamen aliquos ex his auctoribus distinguere duo iudicia credibilitatis; vnum primum quo cognoscitur honestas credendi, vt explicat Hurtado, seu obiectum propositum esse euidenter credibile, vt explicat Coninch. Alterum verò iudicium requiritur postea dictans hîc & nunc esse credendum. Primum iudicium dicunt non esse actum prudentiæ, sed solùm secundum, quod est practicum, & dirigit ad operandum.

26 *Quid sentiat author de hac iudiciorum diuersitate.*

Hanc diuersitatem iudiciorum nunquam satis capere potui, vel certè modus, quo eam explicant, reddit eam difficilem. Dicit enim Hurtado §. 8. primum illud iudicium non pertinere ad prudentiam in aliis virtutibus: nam prudentia, verbi gratia, non considerat honestatem misericordiæ (alioquin omne iudicium supernaturale præcedens actus virtutum infusarum pertineret ad prudentiam) sed præcisè repræsentat conuenientiam, vt hîc & nunc exerceantur virtutes, quas dirigit. Quod quidem dictum difficile intelligitur: nam vel prudentia dictat solum circa voluntatem eleemosynæ, verbi gratia, vel dictat etiam circa ipsam eleemosynam externam. Primum dici non potest: tum quia non requiritur cognitio reflexa supra voluntatem bonam, quoties volumus opus virtutis, sed sufficit cognoscere honestatem obiecti: illud autem secundum iudicium prudentiæ ponitur ab eo Auctore necessarium ad quodlibet opus honestum: tum etiam, quia iudicium prudentiæ dictans voluntatem eleemosynæ non potest illam dictare, nisi ostendat bonitatem illius voluntatis: frustra enim aliquid proponeret voluntati, nisi ostendat simul esse bonum: ergo prudentia ostendit honestatem illius voluntatis, quia nullam aliam rationem boni potest in ea ostendere: ergo prudentia considerat honestatem misericordiæ contra id, quod ille Auctor supponit. Si verò dicat, prudentiam dictare ipsam eleemosynam externam; vrget fortiùs idem argumentum, quia non potest dictare voluntati eleemosynam, nisi ostendat ei bonitatem aliquam eleemosynæ: ergo honestatem misericordiæ, cùm nullam aliam bonitatem possit ostendere. Falsò ergo supponitur prudentiam non considerare honestatem operis honesti, quod præscribit, nec per hoc possunt distingui illa duo iudicia.

27

Difficiliùs tamen explicat Coninch *vbi suprà numero decimoquinto*, differentiam inter illa duo iudicia; dicit enim primum illud iudicium non esse actum prudentiæ, quia est speculatiuum probans credibilitatem solam obiecti, vt dixerat etiam Turrianus *in præsenti disputatione 7. numero 4. versùs finem*, addit autem Coninch, illud primum iudicium posse esse etiam in eo, qui ob malam voluntatem iudicat, res fidei hîc & nunc non esse sibi credendas: quo loquendi modo videtur indicare, secundum iudicium, quod dicit pertinere ad prudentiam, non posse esse in eo, qui ex deprauato affectu non vult credere. Quæ omnia difficilia sunt. Primò, quia primum iudicium dictans credibilitatem fidei non dicit solum res fidei posse credi, sed etiam dicit debere credi: alioquin non erit iudicium credibilitatis, hoc est, ostendens motiua proposita tanti esse ponderis, vt obligent ad credendum, nec hæreticus peccaret contra fidem, si solum cognosceret res fidei posse credi, non tamen cognosceret obligationem credendi. Primum ergo iudicium, quod datur etiam in hæretico, dictat debere res fidei nostræ hîc & nunc credi: quomodo ergo cum hoc iudicio potest simul stare aliud dicens hîc & nunc non esse credendum? Peto enim quid negat hoc secundum iudicium? Solum ne actum fidei futurum, an etiam debitum, seu conuenientiam credendi? Primum dici non potest, nam in eo, qui credit, non prærequiritur iudicium affirmans assensum fidei futurum, nec etiamsi daretur, posset influere, aut mouere ad fidem, quam iam supponit futuram; sicut nec scientia visionis potest esse causa sui obiecti propter eandem rationem: quare nec potest iudicium illud pertinere ad prudentiam, cùm non sit practicum, sed magis speculatiuum, quam primum. Vnde arguitur Secundò, quia iudicium credibilitatis vltimum non debet esse tale, cum quo non possit stare dissensus ad fidem: alioquin hæreticus non haberet omnia prærequisita in actu primo proximo ad volendum credere, atque ideo non peccaret: ergo ex hoc capite quod cum primo iudicio possit esse voluntas non credendi, non debet negari illud esse practicum & vltimum. Vnde rursus tertiò arguitur, quia si primum iudicium affirmat obligationem credendi, non potest cum illo stare aliud secundum iudicium negans conuenientiam credendi; nam contradiceret primo, nec possunt esse simul duo iudicia contradictoria; solùm ergo potest cum illo iudicio stare aliud dicens fidem esse difficilem,

vel noxiam ad aliqua alia, quod iudicium requiritur ad libertatem fidei, & datur etiam in homine fideli; non tamen potest esse iudicium dicens absolutè non esse credendum hîc & nunc, seu non debere credi, quia esset contra euidentiam prioris iudicij affirmantis debere credi. Restat ergo, quod primum illud iudicium si verè affirmat, attentis omnibus circunstantiis, credibilitatem obiecti, hoc est, obligationem credendi, sit practicum, atque adeò possit pertinere ad prudentiam directiuam.

28 Dixi, si affirmat, *attentis omnibus circunstantiis* credibilitatem, &c. quia si solum affirmaret credibilitatem in abstracto, hoc est, aliquando posse, vel debere credi, non esset sufficiens, vt moueret proximè voluntatem, quia non ostenderet bonitatem fidei in his circunstantiis: nos autem loquimur de iudicio dictante credibilitatem vel in omnibus, vel saltem in his circunstantiis; hoc enim solum est propriè iudicium credibilitatis, quod debet præcedere voluntatem credendi, & de quo quærimus, ad quem habitum pertineat. Nam illud dictans solum credibilitatem, seu debitum credendi, abstrahendo ab his circunstantiis; non esset iudicium practicum, nisi fortè partialiter, & remotè, magis autem esset speculatiuum: sicut iudicium dictans obligationem puniendi malefactores auctoritate publica, non est practicum respectu illius, qui non habet publicam auctoritatem. Quare si de illo solo iudicio loquuntur, quando negant, illud esse practicum, vel pertinere ad prudentiam, facilè id concedemus, sed non est ad rem, quia quæstio præsens est de iudicio illo, quod necessariò prærequiritur ad voluntatem credendi, & quod ostendit credibilitatem, seu motiuorum pondus inducens necessitatem, & obligationem non dissentiendi, sed credendi, quod dicimus esse practicum, & pertinere ad prudentiam infusam.

29 *An iudicium hoc vocari debeat actus prudentiæ.*

Aduerte tamen primò in hoc posse esse quæstionem de nomine, an iudicium hoc vocari debeat actus prudentiæ: nam prudentia solet communiter assignari inter virtutes morales, & vna ex quatuor Cardinalibus, quatenus inclinat ad iudicandum, quid sit agendum attentis omnibus circunstantiis circa materias virtutum moralium: hoc autem iudicium non dictat, quid sit agendum circa materiam alicuius virtutis moralis, sed circa fidem, quæ est virtus theologica. Vnde Granado *vbi supra num.* 11. fatetur hoc iudicium non pertinere ad prudentiam illam, quæ est vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus, sed ad specialem aliam prudentiam, quæ inclinat ad iudicandum hîc & nunc esse honestum credere, sicut prudentia communis inclinat ad iudicandum, quid sit agendum, attentis omnibus circunstantiis circa materias aliarum virtutum moralium, in quo, vt dixi, erit quæstio de nomine, & iam nos *sectione* 1. admisimus, hunc esse habitum distinctum ab habitu infuso prudentiæ, qui versatur circa materias aliarum virtutum, quare dum res ipsa intelligatur, de nomine prudentiæ specialis, vel communis parum curabimus.

30 Vnde aduerto Secundò, eodem modo posse esse quæstionem de nomine, quatenus aliqui in vniuersum dicunt, prudẽtiam infusam in suis actibus supponere necessariò actus fidei, cui subordinatur, vt ex S. Thoma, & aliis probat Turrianus *dicto dub.* 4. & ideo dicit, iudicium hoc credibilitatis non posse pertinere ad prudentiam infusam, cùm non præsupponat fidem, sed potiùs ad fidem præsupponatur; hoc tamen, vt dixi, pertinebit etiam ad quæstionem de nomine, & nos concessimus iam *sectione præcedenti*, iudicium hoc non pertinere ad eum habitum infusum prudentiæ, cuius actus inseruntur ex actibus fidei vel fundantur in fide, sed ad alium habitum specialem, quem distinguimus à prudentia illa infusa communi, quæ deseruit ad alias virtutes & subordinatur fidei: quia tamen illam imitatur diligendo voluntatem circa materias fidei; sicut illa diligit circa materias aliarum virtutum, ideo appellari potest prudentia infusa specialis in ordine ad credendum.

Dices, illud iudicium credibilitatis est ante fidem, & est à prudentia infusa, ergo ante fidem datur in intellectu habitus infusus prudentiæ. Respondeo negando consequentiam: quia sicut primus actus fidei, & charitatis non elicitur ab habitu, sed per auxilium intrinsecum, vel extrinsecum, vt suppono: sic illud primum iudicium, licèt sit prudentiæ supernaturalis non elicitur ab habitu, sed per auxilium. 31

Dices iterum; ergo saltem, sicut posito actu dilectionis, statim datur habitus charitatis, & posito primo assensu fidei: datur etiam habitus fidei iuxta probabilem sententiam (de qua infrà) sic etiam quando primùm datur illud iudicium credibilitatis, dabitur habitus prudentiæ infusæ etiam ante assensum fidei, & voluntatem credendi. Respondeo, negando consequentiam; ratio discriminis est, quod per actum fidei & actus dilectionis disponit se homo meritoriè ad infusionem habituum: at verò iudicium illud cùm sit euidens, & necessarium, saltem quoad specificationem; non est sufficiens dispositio, vt intuitu eius, Deus infundat habitum prudentiæ.

Sed contra; ergo saltem quando infunditur habitus fidei, infunditur etiam habitus prudentiæ, & quandiu manet habitus fidei etiam in peccatore manebit prudentia infusa ad eliciendum illud iudicium prærequisitum ad volendum credere. Respondeo, de hoc habitu, quoad infusionem & permanentiam, philosophandum esse, sicut de habitu piæ affectionis, de quo dicemus *disputatione decimæ sexta*. Pro nunc respondeo, habitum infusum, à quo oritur hoc iudicium, non esse eundem realiter cum habitu prudentiæ infusæ requisito ad operationes aliarum virtutum supernaturalium. Nam prudentia infusa, quæ deseruit ad actus aliarum virtutum, oritur ex lumine fidei, & applicat doctrinam fidei ad circunstantias particulares, vt diximus, atque ideo habet saltem partialiter auctoritatem diuinam pro motiuo formali vltimo: at verò prudentia infusa, quæ dictat honestatem fidei, non nititur motiuo fidei, sed procedit omnino euidenter, & mouetur ab honestate credendi euidenter cognita: quare hæc pars prudentiæ infusæ habet habitum distinctum, qui ex hoc capite potest manere in peccatore, qui ex hoc capite potest manere in peccatore sine alio habitu prudentiæ: an verò ille alius etiam maneat in peccatore, non est huius loci. 32

Obiici potest vlteriùs ex Hurtado *vbi supra* §. 8. quia si esset actus prudentiæ iudicium ostendens honestatem fidei, in aliis etiam virtutibus prudentia ostenderet honestates obiectorum singularum virtutum, atque ideo sola prudentia Obiectio

prudentia sufficeret ad operationes omnium virtutum, nec esset fides necessaria, nec vllum iudicium supernaturale præter actus solius prudentiæ: ergo fatendum est, prudentiam non ostendere honestatem obiecti, sed solùm præscribit hîc & nunc exercitium virtutis, quam dictat. Respondeo, iam nos ostendisse contra hanc doctrinam, repugnare, quod prudentia præscribat exercitium virtutis hîc & nunc, quin ostendat honestatem illius in his circunstantiis. Negamus tamen, quòd sola prudentia habeat actus supernaturales: requiritur enim, vel potiùs prærequiritur fides ad exercitium aliarum virtutum præter ipsam fidem; nam actus prudentiæ infusæ prærequisitus ad illas alias virtutes, vel est conclusio deducta ex vno principio reuelato & credito per fidem, vel certè, si est iudicium immediatum sine discursu, debet esse reflexiuum supra omnes circunstantias præsentes, quarum vna est, quod honestas virtutis hîc & nunc constat per fidem; vt suprà explicuimus, quare non sequitur, solam prudentiam infusam sufficere sine fide, cùm illa non possit sine fide suos actus elicere, nisi in ordine ad volendam ipsam fidem.

34 *Prudentia strictè accipitur pro actu qui versatur circa electionem mediorum velcirca consultationem.*

Denique aduerte, aliquando prudentiam accipi strictè pro actu, qui versatur circa electionem mediorum, vel circa consultationem, &c. Vnde Turrianus *dicto dubio quarto* conatur ostendere, hoc iudicium credibilitatis non pertinere ad prudentiam, sed in iis non est immorandum: loquimur enim de prudentia minùs strictè, & provt comprehendit omnia iudicia practica, quæ vltimò, & proximè ostendunt honestatem actionis hîc & nunc, & attentis omnibus circunstantiis particularibus, quidquid sit de aliquibus actibus prudentiæ magis strictè acceptæ, quibus competunt aliæ proprietates, quæcunque illæ sint.

SECTIO III.

Vtrùm simplex apprehensio de credibilitate sine alio iudicio sufficiat ad piam voluntatem credendi.

35 QVæstio hæc posset esse generalis de omni voluntate bona, & honesta, imo de qualibet voluntate etiam mala, vel indifferenti, an possit oriri ex sola simplici apprehensione absque iudicio de bonitate, vel malitia obiecti, quod amatur, vel odio habetur, de quo egi olim *in libro de Anima*, vbi dixi, non repugnare in genere, quod voluntas moueatur ex aliqua apprehensione simplici ad amorem obiecti, cum Vasquez *in* 1. 2. *disputatione* 44. *cap.* 2. *&* 3. quia appetitus sensitiuus mouetur, ad amorem, vel fugam obiecti ex cognitione sensus materialis, quæ non potest esse iudicium, sed simplex apprehensio; non videtur autem minùs perfecta simplex apprehensio intellectualis, quàm materialis, nec minùs efficax ad mouendam voluntatem. Quam sententiam postea amplexi sunt P. Ripalda *disputatione* 62. *de ente supernaturali numero septimo*, qui latè argumenta contraria dissoluit, & Pater Arriaga *disputatione septima de anima*, *sectione tertia*, *numero* 62. sed specialis difficultas esse potest in ordine ad voluntates supernaturales, qualis est voluntas pia credendi, an sufficiat etiam apprehensio simplex supernaturalis sine iudicio præcedenti.

Et in primis in vniuersum id negabunt in ordine ad voluntatem supernaturalem, qui vniuersaliter id negant ad omnem voluntatem. Valentia, Azor, Tannerus, Granadus, Bellarminus, Medina, & Lorca apud Ripaldam *vbi suprà numero* 11. quibus adde eundem Granadum iterum *in præsenti tractatu* 9. *disputatione* 4. *numero* 2. idem docet Suarez *in Metaphysic. disputatione* 23. *sectione* 7. *& in* 1. 2. *disputatione* 6. *sectione* 5. *numero* 4. Nec contrarium docuit *in præsenti disputatione* 6. *sect.* 8. *num.* 14. dum ponit ad voluntatem credendi solam apprehensionem supernaturalem: nam reuera ibidem paulò inferiùs dicit, requiri etiam iudicium, sed hoc iudicium esse naturale, & apprehensionem solam supernaturalem; quam sententiam supra impugnaui *sectione* 1. Quo etiam sensu intelligendus est Turrianus *disputatione* 46. *dub.* 5. *&* 6. quem minùs exactè refert Hurtado *disputatione* 63. *sectione* 3. tanquam ponentem voluntatem credendi sine alio iudicio præcedenti. Nam licèt Turrianus cum Patre Vasquez concedat, posse aliquando voluntatem moueri à sola apprehensione: ipse tamen in ordine ad voluntates supernaturales exigit semper iudicium *dicto dub.* 6. versùs finem, & in ordine ad voluntatem credendi, licèt ponat solam apprehensionem supernaturalem, exigit tamen necessariò iudicium aliquod credibilitatis naturale, vt legenti manifestè constabit. 36

Alij fatentur, posse oriri voluntatem inefficacem ex sola apprehensione simplici, quod etiam dicunt de efficaci, & absoluta indeliberata propter exemplum brutorum, & hominis dormientis, qui ex sola apprehensione exercere solent motus locales, imo & homo vigilans per motum primo primum aliquando percutit inimicum. Ita Hurtado *vbi supra* §. 15. in hoc tamen non satis consequenter videntur loqui: nam in primis bruta habent appetitus non solum inefficaces, sed absolutos, & efficaces. Deinde deliberatio, vel indeliberatio parum refert: quia deliberatio supra indeliberationem præcedentem solùm addit notitiam mali, quod est in obiecto, & antea latebat, proposito solùm bono. Si ergo antea cum sola apprehensione boni poterat voluntas illud amare; poterit etiam postea apparente etiam malo per aliam simplicem apprehensionem; manet enim adhuc tota notitia boni, quæ erat antea, & quæ per se sufficiebat, vt moueretur voluntas ad amandum illud. 37

Ego quidem in primis puto, vt dixi in Philosophia, non repugnare quod voluntas aliquando ex sola apprehensione moueatur ad actum etiam efficacem, & deliberatum. Quod aliqui probant. Primò, quia potest dari voluntas supernaturalis circa obiectum reipsa inhonestum, quod falsò putatur honestum, & laudabile: tunc autem non potest præcedere iudicium supernaturale de honestate obiecti, quia esset falsum: ergo præcedit sola apprehensio supernaturalis de honestate, quæ cùm non sit iudicium, non est falsa, & ideo potest esse supernaturalis; ita arguit Ripalda *n.* 8. Hoc tamen argumentum facilè soluetur ab aduersariis negando, neri eam voluntatem supernaturalem sine iudicio supernaturali de honestate, quod quidé erit verum; 38 *Nō repugnat quòd voluntas aliquādo ex sola apprehensione moueatur ad actum etiam efficacem, & deliberatum.*

nam in iis circunſtantiis honeſtum eſt illud obiectum : in quibus circunſtantiis conſideratur etiam totus modus, quo obiectum illud proponitur : quia in eiuſmodi actibus , vt vidimus *ſuprà diſp. 5. ſect. 2.* agentes de euidentia credibilitatis, iudicium practicum vltimum eſt communiter reflexum ſupra totum ſtatum antecedentem , quem obiectum habet in intellectu , & de toto illo ſtatu decernit.

39 Probat ſecundò idem Auctor , quia poteſt fieri voluntas bona ſupernaturalis ex ſola illuſtratione gratiæ præuenientis : hæc autem aliquando eſt ſola ſimplex apprehenſio , ſicut in voluntate eſt ſola ſimplex affectio : ergo ex ſola ſimplici apprehenſione poteſt procedere voluntas ſupernaturalis. Ad hoc etiam facilè negabunt aduerſarij, illuſtrari ſufficienter intellectum per ſolam ſimplicem apprehenſionem: ita enim debent dicere, quicunque negant poſſe amari obiectum ex ſola apprehenſione boni ſine iudicio.

Sola illa apprehenſio ſimplex mouere poteſt ad amorem vel odium , quæ poteſt generare aſſenſum, vel diſſenſum in intellectu.

Meliùs ergo probatur exemplo adducto appetitus ſenſitiui , cuius actum non præcedit melior notitia boni , quàm ſit apprehenſio intellectualis. Pro cuius tamen explicatione notabam , non quamlibet apprehenſionem ſimplicem mouere poſſe ad amorem , vel odium , ſed ſolam illam, quæ eſt talis , vt poſſit generare aſſenſum , vel diſſenſum in intellectu : neque enim omnes apprehenſiones ſimplices poſſunt generare iudicium, vt conſtat de apprehenſione ſyderum parium, quæ non ſufficit , vt iudicemus , ſydera eſſe paria,& de aliis ſimilibus. Ad iudicium itaque præcedunt non ſolùm apprehenſiones ſimplices incomplexæ de extremis, hoc eſt, de ſubiecto, & de prædicato , ſed etiam apprehenſio complexa de tota propoſitione obiectiua : nihil enim affirmamus per aſſenſum , aut negamus per diſſenſum, quod non fuerit apprehenſum ; quare cùm affirmemus , vel negemus identitatem prædicati cum ſubiecto , illam etiam eandem identitatem apprehendimus , vt iudicium de illa feramus, nec differunt prima & ſecunda operatio ex parte obiecti, ſed ſolùm penes diuerſum modum tendendi, quatenus per apprehenſiones , quaſi audimus obiecta , per iudicium verò ſententiam proferimus, ſubſcribimus , vel diſſentimus obiecto per apprehenſionem propoſito, quæ omnia explicui in Philoſophia.

40 Addo , neque etiam omnem apprehenſionem complexam , qua concipitur etiam identitas inter extrema , ſufficere ad generandum aſſenſum, vel diſſenſum : poſſum enim ego audire hanc totam propoſitionem *ſydera ſunt paria* , & apprehendere , ac concipere totum eius obiectum , & per conſequens identitatem inter prædicatum , & ſubiectum , & non ideo poſſum aſſentire : ſicut etiam audimus & apprehendimus errores , & hæreſes abſque vllo fundamento aſſertas , quibus tamen nec aſſentimur , nec frequenter aſſentiri poſſumus : eſt ergo aliud peculiare genus apprehenſionum , quæ taliter proponunt obiectum , vt ex modo proponendi aptæ ſint ad generandum aſſenſum , vel diſſenſum. Poteſt autem dubitari, an huiuſmodi apprehenſiones differant ab illis aliis , quæ non ſunt aptæ ad generandum aſſenſum , ſolùm penes diuerſum modum manifeſtandi obiectum , an verò etiam ex parte obiecti. Ad quod dicendum eſt , differre potiùs ex parte obiecti : nam licèt apprehenſiones has dixerimus differre ab aſſenſu ſolùm penes diuerſum modum tendendi ad obiectum , & non penes diuerſum obiectum , nihil enim manifeſtatur , aut repræſentatur per aſſenſum , quod non obiiciatur etiam apprehenſioni complexæ præcedenti ; comparando tamen vtrumque apprehenſionum genus inter ſe , apparet diſcrimen inter illas etiam ex parte obiecti. Apprehenſio enim ſimplex concipiens , quod ſydera ſint paria, licet repræſenter extrema, & identitatem inter illa ; non tamen repræſentat extrema manifeſtantia talem identitatem , quia nullum prædicatum concipitur in extremis , ratione cuius intellectus poſſit aſſentiri tali identitati. At verò apprehenſio ſimplex ponens totum maius ſua parte repræſentat extrema cum talibus prædicatis , quæ ſimul oſtendunt fundamentum identitatis : plus ergo repræſentat ex parte obiecti hæc ſecunda apprehenſio , quàm illa prima , & ideo hæc , & non illa ſufficit ad generandum aſſenſum. De hac ergo apprehenſione ſola , & non de quacumque in genere , intelligendi ſunt , qui dicunt ex ſola apprehenſione boni poſſe voluntatem moueri ad amorem , vel odium obiecti propoſiti : quia nimirum hæc apprehenſio , licèt non ſit iudicium formaliter : eſt tamen iudicium virtualiter , quatenus taliter proponit obiectum , vt ex vi illius poſſit generari aſſenſus, & iudicium formale. Et quidem quamuis cognitiones brutorum , & noſtri etiam ſenſus interni non poſſint generare aſſenſum , quia potentiæ materiales non ſunt capaces iudicij formalis ; tales tamen ſunt , & tale obiectum , & taliter repræſentant , vt ſi potentiæ capaces eſſent iudicandi , poſſent ex vi illius notitiæ aſſentiri obiecto propoſito per iudicium formale , quod ſufficit, vt poſſint mouere ad proſequutionem , vel fugam obiecti.

Non omnis apprehenſio complexa, qua concipitur etiam identitas inter extrema, ſufficit ad generandum aſſenſum, vel diſſenſum.

Obiiciunt aliqui , quia non poteſt voluntas velle affectu abſoluto , & deliberato obiectum, quod intellectus iudicat eſſe impoſſibile : poteſt autem præcedere apprehenſio de poſſibilitate obiecti , & apprehenſio etiam de impoſſibilitate illius , vtraque ſufficiens ad iudicium probabile: tunc ergo ſi intellectus aſſenſum præbeat impoſſibilitati, voluntas non poterit affectu abſoluto velle illud obiectum , & tamen adeſt apprehenſio poſſibilitatis ſufficiens ad generandum iudicium: ergo apprehenſio ſola non ſufficit ad voluntatem abſolutam , & deliberatam , apprehenſio enim non excludit iudicium contrarium, ſeu diſſenſum. Reſpondeo , omiſſis aliis ſolutionibus diſtinguendo maiorem : non poteſt voluntas ita velle, ſi non adſit tunc apprehenſio poſſibilitatis obiecti ſufficiens ex ſe ad generandum aſſenſum, concedo ; ſi adſit talis apprehenſio, nego. Quamuis enim intellectus iudicet probabiliter , eſſe obiectum impoſſibile , proponit tamen ſimul per apprehenſionem probabilem eſſe poſſibile , quam apprehenſionem ſequi poteſt voluntas contra iudicium proprium, & ſententiam probabilè ipſius intellectus. Exemplum habemus in re morali : contingit enim ſæpè doctorem Theologum priuata ſententia iudicare contractum aliquem vſurarium ; quia tamen ſcit probabilem eſſe aliorum ſententiam id negantium, contractum illum exercet. Tunc autem ſimul habet iudicium , & aſſenſum , quod contractus ſit vſurarius , nec ab ea ſententia diſcedit, vt contractum exerceat : ſed tamen licitè agit, quia non ſequitur propriam ſententiam, ſed ſententiam aliorum , quos videt probabiliter contrarium dicere. Sic ergo ſe habet voluntas in caſu noſtro : nam licèt

licèt intellectus ex propria, & priuata sententia iudicet, obiectum esse impossibile, proponit tamen apprehensionem probabilem de possibilitate, hoc est, sufficientem ad generandum assensum probabilem; quæ apprehensio est quasi sententia aliorum de possibilitate, quam sententiam intellectus non amplectitur, sed tamen per apprehensionem quasi audit, & proponit voluntati: potest ergo voluntas non sequi priuatam sententiam intellectus de impossibilitate, sed illam aliam, quæ per apprehensionem probabilem proposita est, & iuxta eam velle obiectum affectu absoluto: minus enim requiritur, vt voluntas physicè hoc possit, quàm vt prudenter & licitè possit, provt in primo casu potest.

42 Dices, exemplum non esse ad rem; quia eo casu voluntas non sequitur solam apprehensionem, sed iudicium vltimum proprium de contractu licito; nam licèt ex propria sententia doctor ille iudicet contractum illum secundùm se, & ex intrinsecis esse vsurarium; habet tamen simul iudicium aliud, quo iudicat hîc & nunc esse licitum, quia licitum est sequi sententiam probabilem aliorum. At in casu nostro voluntas nullum iudicium proprium sequeretur circa possibilitatem, sed meram apprehensionem contra iudicium proprium. Respondeo, exemplum esse maximè ad rem si attentè consideretur; & retorqueo argumentum; nam si intercedit iudicium illud vltimum dictans, licitum esse sequi sententiam aliorum probabilem; ergo ante illud iudicium verum erat, quod licebat contra propriam sententiam sequi aliorum sententiam probabilem: ideo enim iudicium illud vltimum est verum, quia obiectum, quod affirmat, verum est. Non dicit autem illud iudicium vltimum, id licitum esse, quia per idem iudicium redditur licitum; non enim habet se pro obiecto suo; sed præscindendo à se ipso, affirmat ex se licitum esse sequi practicè sententiam aliorum sufficienter propositam etiam contra proprium iudicium, & sententiam: ergo etiam ante illud iudicium vltimum licitum hoc erat: ergo etiam si iudicium illud vltimum, & reflexum non fuisset, operaretur licitè voluntas sequendo sententiam probabilem aliorum contra sententiam priuatam propriam. Si ergo licitè id posset facere, poterit à fortiori saltem physicè voluntas sequi apprehensionem probabilem de possibilitate obiecti contra iudicium priuatum probabile de impossibilitate, cùm apprehensio illa sit quasi sententia alia proposita de possibilitate talis obiecti.

43 His itaque de quæstione in genere suppositis, vt veniamus ad casum nostrum addo, licet in ordine ad voluntates naturales id non repugnet, in ordine tamen ad voluntates supernaturales non debere admitti de facto, quod procedant à sola simplici apprehensione; in quo dissentio à Ripalda *loco citato*. Et in primis loquendo de actibus voluntatis; qui diriguntur à fide immediatè, certum videtur, quod prærequiratur iudicium; requiritur enim actus fidei, qui quidem non potest esse sola simplex apprehensio, in qua non contineatur certitudo, & firmitas fidei eo modo, quo euidentia iudicij euidentis continetur virtualiter in apprehensione, quæ illud præcedit. Cùm enim videtimus suprà, assensum fidei elici firmissimum firmitate adhæsionis ex imperio voluntatis talem assensum ita firmum imperantis, consequens est, vt apprehensio præcedens non possit participare talem firmitatem, cùm per apprehensiones intellectus non adhæreat obiecto, nec voluntas imperet, aut imperare possit adhæsionem, aut firmitatem in apprehensione, sed solùm in assensu, in quo intellectus taliter, vel taliter sententiam de suo profert.

Voluntates supernaturales non procedunt à sola simplici apprehensione.

Deinde loquendo de voluntate pia credendi, 44
non videtur de facto posse procedere ex sola apprehensione credibilitatis: quia voluntas hæc debet procedere ex iudicio euidenti credibilitatis; & quamuis hoc ipsum iudicium præcedat apprehensio cum euidentia virtuali de eadem credibilitate, quæ apprehensio etiam sine iudicio posset mouere voluntatem iuxta suprà dicta: de facto tamen non videtur possibile, quod stante illa apprehensione non sequatur iudicium euidens: nam apprehensio apta ad generandum iudicium euidens est causa necessaria, quæ statim operatur, & generabit eiusmodi iudicium. Quod autem voluntas cohibeat intellectum ab assensu, & iudicio credibilitatis, stante tali apprehensione in primis non est casus de facto contingens, nec fortasse contingere potest: quare de facto semper voluntas illa procedit non ex sola apprehensione simplici, sed ex iudicio formali.

Denique quidquid sit de hoc, in vniuersum ita 45
dicendum videtur in nostra sententia, de facto nullam voluntatem supernaturalem procedere ex sola apprehensione sine iudicio supernaturali: quia cùm voluntas supernaturalis præsupponat de facto cognitionem etiam supernaturalem, & sibi proportionatam, & aliunde dixerimus *suprà disp. 9. sect. 5.* non requiri, nec dari de facto apprehensiones supernaturales in substantia ad actus supernaturales, consequenter dicendum est, de facto requiri iudicium supernaturale ad omnem voluntatem supernaturalem. Facilè tamen concedam cum Ripalda, si de facto posset dari apprehensio supernaturalis sufficiens ad iudicium supernaturale generandum sine ipso iudicio, non esse specialem repugnantiam ex conceptu voluntatis supernaturalis, quod ex apprehensione illa posset procedere voluntas supernaturalis, sicut ex apprehensione naturali posset procedere voluntas naturalis. Argumenta autem contraria videri possunt apud eundem, qui bene ea dissoluit.

Dicet aliquis, ex hac doctrina fieri, quod nec 46
etiam voluntas naturalis possit de facto procedere ex apprehensione sola sine iudicio; quia illa etiam apprehensio, si est sufficiens ad generandum iudicium, generabit illud, cùm sit causa necessaria; si verò non est sufficiens ad generandum iudicium, nec etiam erit sufficiens ad mouendam voluntatem iuxta doctrinam traditam. Respondeo, in primis difficile & rarum satis esse, quod de facto posita tali apprehensione sistat intellectus in ipsa, & non generetur iudicium de eodem obiecto: non tamen videri omnino impossibile, nam in primis potest fortasse ex imperio voluntatis cohiberi intellectus ab assensu præstando, & à ferendo iudicio: quo casu manere poterit apprehensio sola sufficiens ad mouendam voluntatem. Deinde casus faciliùs contingere potest, quando apprehensiones sunt pro vtraque parte, solùm cum probabilitate radicali, itavt sufficiant ad iudicandum probabiliter, quod Petrus, v. g. sit tibi inimicus, & quod sit tibi amicus: quo casu intellectus de se solo sine imperio voluntatis, à quo determinetur, neutri parti adhærebit, cùm apprehensiones ad neutrum iudicium determinent, sed singulæ sufficiant de se ad iudicium probabile

pro illa parte ferendum. Tunc ergo, quandiù voluntas non determinat intellectum ad assensum vnius partis, manebit vtraque apprehensio sine iudicio, & cùm vtraque apprehensio proponat obiectum, altera ad odium, altera ad amorem Petri, poterit voluntas alteram earum sequi, & elicere actum absolutum amoris, vel odij, sicut posset ex iudicio probabili. Hic tamen casus rarò, vt dixi, continget, quia voluntas regulariter solet applicare intellectum, & cogere, vt sententiam proferat iudicando de maiori saltem probabilitate vnius partis, vel de æqualitate probabilitatis, vel aliquo alio modo.

DISPVTATIO XII.

De necessitate fidei ad salutem, & prius de necessitate medij.

SECTIO I. *Vtrùm fides sit necessaria ad salutem necessitate medij.*

II. *Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis æternæ.*

III. *Argumenta contra fidei necessitatem proponuntur, & dissoluuntur.*

IV. *Vtrùm semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate medij fides explicita Trinitatis & Christi.*

V. *An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medij.*

DE hoc agit Sanctus Thomas *quæstione 2. articulo 3.4.5.6.7. & 8.* vbi aduerte titulum articuli tertij non esse positum iuxta mentem S. Thomæ. Sic enim habetur: *Vtrum credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.* Et tamen postea in fine responsionis in corpore solùm concludit: *ad hoc quod homo perueniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo*; non autem dicit *supra rationem naturalem*; & in principio articuli, vnde titulus articuli desumi solet, solùm dicit; *videtur quòd credere non sit necessarium ad salutem*; quare hic deberet esse titulus. *Vtrum credere sit necessarium ad salutem*: non enim agitur in hoc articulo de qualitate obiecti credendi, sed de necessitate aliquid credendi. Est autem hæc necessitas duplex; altera medij; altera præcepti: de prima agemus in *hac disputatione*, de secunda *disputatione sequenti* comprehendentes doctrinam horum articulorum.

SECTIO I.

Vtrùm fides sit necessaria ad salutem necessitate medij.

Necessarium necessitate medij quid dicatur. 1

NEcessitate medij dicitur necessarium illud, sine quo etiam inculpabiliter omisso non potest haberi salus. De differentia autem inter necessitatem medij, & præcepti dixi *disput. 3.* de Eucharistia *sect. 1.* quæ videri possunt; neque hic sunt iterum repetenda. Nunc ergo agimus de necessitate medij: & in hoc sensu est grauis difficultas, an fides sit ita necessaria, vt nullus vnquam sine fide saluari possit, cum sola naturali cognitione Dei, & boni honesti. In qua fuit opinio, vel error Pelagij docentis, non solùm hominem sine auxilio gratiæ posse credere, sed etiam in lege naturæ potuisse hominem saluari sine notitia alicuius veritatis reuelatæ, sed cum notitia ex viribus naturæ, vt refert Augustinus *hæresi 88.* & *1. de gratia Christi cap. 41.* & *lib. 2 cap. 26.* omitto etiam Manichæos, qui contendebant, nihil esse credendum, quod non possit euidenti ratione demonstrari, contra quos latè Augustinus *lib. de vtilitate credendi.*

Inter Catholicos non desunt, qui dicant, hominem posse in aliquo casu iustificari sine actu fidei. Ita docuit Vega *lib. 6. in Tridentinum, capite 17. 20. & 21.* Vbi dicit, se multis annis de re hac cogitasse, & cum viris doctissimis contulisse. Idem tenuit Sotus *2. de natura & gratia, cap. 11. in 1. edit.* postea tamen re melius inspecta, eam sententiam prudenter retractauit *in 2. edit. & in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 3.* & *in fine 4. retract. 4.* Differt tamen Vega à sententia Sori, quod Sotus postulet auxilium gratiæ saltem ad actum voluntatis, quo se homo ad iustitiam disponit: Vega verò nullam supernaturalitatem videtur desiderare, nec quoad substantiam, nec etiam quoad modum ex parte intellectus, & voluntatis. Alij tamen prædictam sententiam temperant postulantes etiam ex parte intellectus aliquod auxilium gratiæ, licèt non ad credendum; ad cognoscendum tamen obiectum honestum, vel bonitatem Dei per nobiliorem notitiam, quàm ex viribus naturæ haberent. Fundamenta verò huius sententiæ postea adducemus. Alij è contra ita necessariam esse dicunt fidem ad salutem, vt nec de potentia Dei absoluta potuerit fieri voluntas supernaturalis sine cognitione supernaturali rerum fidei: quos refert Turrianus *disp. 25. dub. 3.* & Coninch. *disput. 14. dub. 8. num. 94.* 2 Reprouatur opinio, quæ docet posse quem iustificari sine actu fidei.

Communis, & vera sententia docet, neminem adultum de facto posse iustificari sine aliquo actu fidei. Dixi *iustificari*: quia si ponatur aliquis puer habens iam habitum gratiæ in baptismo susceptum, & qui postquam ad vsum rationis venit, statim moritur absque eo quod habuerit occasionem credendi, vel negandi, imo nec cogitandi de rebus fidei; non video, cur iste non saluetur sine actu fidei, nam licèt moriatur adultus, non tamen fuit adultus, quasi formaliter in illa materia, cùm circa eam nunquam vt adultus habuerit occasionem operandi, quod idem notauit Suarez *in præsenti disput. 12. sect. 2. num. 10.* quam quia non vidit Granado, dixit *tract. 10. disput. 1. num. 9.* neminem dicere, quod ille puer possit saluari sine actu fidei. Quæstio igitur solùm procedit de adulto peccatore, qui debet iustificari, vt saluetur; & de hoc dicimus cum communi, debere habere actum fidei ante ipsam iustificationem. Auctores pro hac sententia vide apud Valentiam *in præsenti quæst. 2. puncto 2.* quam etiam sequitur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 28. sect. 2.* & *in præsenti disput. 12. sect. 2.* & alij omnes communiter. 3 Communis, & vera sententia.

Probatur primò ex Scriptura passim docente, sine fide neminem accipere salutem. Paulus *ad Rom.* 4 Probatur primò ex Scriptura.

*Rom.*1. & ad Galat.3. probat ex illo Habacuc. *Iustus ex fide viuit.* Item ad Galat.2. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis, sed per fidem.* Ad Hebr.11.*Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem ad Deum oportet credere.* Et passim in suis epistolis.Afferri etiam potest illud Sap.9. *Per sapientiam sanati sunt quicunque tibi placuerunt à principio*, id est, per fidem, vt explicat Ambros.1. *Timoth.*3.

Probatur ex Conciliis. Secundo probatur ex Conciliis, Arausic. & Mileuitan. quæ adducit Valentia *vbi suprà*, Tridentino sessione 6.cap.7.vbi de Baptismo dicitur, *quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contingit iustificatio.* Et cap.8. *Fides dicitur esse humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis*, & cap.6. dicit, disponi homines ad iustitiam, *dum diuina gratia adiuti, fidem ex auditu concipientes; liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt.*

Probatur ex Patribus. Tertiò probatur ex PP.Augustino sermone 38.de tempore: *Sine fide*, inquit, *nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa neque in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam*; vide alia plura testimonia Augustini, Irenæi, Basilij, Ambrosij, & Leonis apud Valentiam, quibus adde eundem Augustinum lib.de natura & gratia cap.2. vbi sic ait. *Si natura humana sibi posset sufficere ad implendam legem; perficiendamque iustitiam, de præmio debet esse secura, etiamsi fides aliquo tempore eam latuit sanguinis Christi*, & postea. *Quod si potuit, aut potest: hoc & ego dico quod de lege dicit Apost. ad Galat.2. ergo Christus gratis mortuus est.* Loquitur verò Augustinus de lege naturali: ait ibidem. *Si hoc ille dixit de lege, quam accepit gens Iudæorum, quantò iustius dicet de lege naturæ, quam accepit vniuersum genus hominum: si per naturam iustitia, ergo gratis mortuus est Christus*, & postea subdit: *si autem non gratis, ergo omnis humana natura iustificari ab ira iustissima Dei nullo modo potest, nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.*

5 Dices, prædicta loca intelligi de fide habituali, vel de fide in re, vel in voto, sine qua non potest haberi salus.Sed contra, quia Paulus expresè agit de actu credendi,quando ait:*accedentem ad Deum oportet credere.* Credere enim ipsum actum significat,nec Patres de habitibus, sed de actibus curarunt, & loquuti sunt. Deinde non loquuntur de fide solùm in voto: quia si hæc sufficeret,non benè argueret Paulus,Henoch habuisse fidem ex eo, quod placuit Deo:potuisset enim placere sine fide, solùm cum voto habendi illam. Item non benè diceretur fides principium omnis salutis, & iustitiæ,si sufficeret voluntas habendi illam: illa enim voluntas esset fundamentum salutis. Deinde de aliis,quæ sufficiunt in voto,id colligitur ex eadem Scriptura alibi promittente salutem contritioni, aut voto baptismi, &c. quod nunquam inuenitur de voto fidei.

6 *Sententia media quorumdam Recentiorum.* Aduerte tamen, Theologos aliquos Recentiores ingeniosè excogitasse sententiam aliam mediam, qua ita definitiones Conciliorum, & Patrum tuerentur, vt tamen necessitatem hanc ad salutem magna ex parte temperarent:dicunt enim requiri verè ad salutem cognitionem, quæ sit non ex viribus solius naturæ, sed ex beneficio, & gratia Dei, imò quæ sit supernaturalis in substantia: quod potissimum Concilia, & Patres aduersùs Pelagium voluerunt contendentem, posse hominem per notitiam ex solius naturæ viribus habitam disponi sufficienter ad iustificationem, & salutem. Addunt tamen, hanc notitiam supernaturalem non semper esse fidem strictè acceptam, id est,qua credatur aliquid propter testimonium Dei reuelantis, prout communiter fide credimus, quæ ab Ecclesia proponuntur, sed sufficere notitiam de eisdem obiectis comparatam ex creaturis ostendentibus nobis bonitatem Dei creatoris, & honestatem virtutis, vel ex aliis rationibus comparatam: quam tamen notitiam dicunt de facto esse supernaturalem; quia postquam Deus eleuauit hominem ad finem supernaturalem, præsto est ex parte sua, vt quoties proponitur nobis obiectum aliquod, quod possit terminare voluntatem honestam, vndecunque nobis proponatur, Deus eleuet nostras potentias, vt simul cum actibus intellectus, & voluntatis naturalibus, quos circa obiectum illud exercet, eliciat etiam alios actus supernaturales intellectus, & voluntatis circa idem obiectum, qui proportionem habeant cum fine supernaturali, ad quem homo de facto supponitur eleuatus. Vnde quando Philosophi Ethnici ex cognitione creaturarum, verbi gratia, deueniebant in cognitionem Creatoris, & vnius Dei supremi,Deus eleuabat eorum mentes, vt haberent cognitionem aliam supernaturalem eiusdem Dei per creaturas, vt possent per actum etiam supernaturalem voluntatis Deum colere, & ipsum amare dilectione super omnia, ex vi cuius disponerentur vltimò, & proximè ad gratiam iustificationis: quod idem concedunt quoties circa aliquam aliam materiam moralem exercebant actum aliquem honestum; semper enim disponebant se saltem remotè ad salutem, non per actus naturales, sed supernaturales, quos simul cum actibus naturalibus eliciebant. Hanc autem notitiam supernaturalem, quæ sæpe erat euidens, sicut & notitia naturalis de Deo, & honestate obiecti honesti, plerumque est euidens; dicunt appellari posse fidem non strictè, sed latè acceptam: sicut, & creaturæ ipsæ dicuntur loqui nobis, & enarrare suum Creatorem tanquam linguæ ipsius Dei, seu vt liber, in quo legere possumus diuinas perfectiones, in quo sensu *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, & ideo nemo excusari potest, quia *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Vnde colligunt, quomodo Deus sufficienter prouiderit omnibus media ad salutem, etiam iis, ad quos Christianæ fidei, & Euangelij notitia numquam peruenit. Omnes enim habent aliunde notitiam supernaturalem sufficientem, cui, si voluntate consentiant, elicere poterunt actus supernaturales vtiles ad salutem, imò poterunt peccata detestari, & Deum super omnia diligere, & iustificari, quomodo de facto per similem cognitionem, & dilectionem ex ea ortam iustificati sunt Iob, & alij similes: non quidem omnino sine fide saltem latè sumpta, sed tamen sine fide illa stricta, quæ in reuelatione fundatur. Ad quod probandum multa latè, & doctè congerit Ripalda *tom.*1. *de ente supernaturali disput.*20. *sect.*21.22. *& 23. & disputat.*63. *per totam*, qui quamuis *disput.*20. *num.*123. *& disp.*63. *num.*19. *& 25.* fateatur, se id totum in disputationem solùm adducere nihil de re ipsa definiendo, propter communem Theologorum sensum exigentium propriam & strictam fidem ad salutem; satis tamen

men indicat, quantum in sententiam illam propendeat, & quantum probabilitatis ei tribuat. Cuius proculdubio sententiæ meminit P. Hurtado, qui licèt eam typis editam nondum legisset, vidit tamen in manuscriptis illius Auctoris, qui ei Collega erat, & ideo *disp.40. sect.6. §.30.* fatetur hanc opinionem nihil contra fidem Catholicam continere, quia Paulus Apostolus & Concilia voluerunt tantùm probare imbecillitatem naturæ ad iustificationem, & necessitatem gratiæ, quæ datur ex meritis Christi.

7 Ego fateor, hanc sententiam distare ab illa Andreæ Vegæ, & Soti, quam ipse Sotus postea retractauit, & quam acerbiori censura notare solent Theologi: nam Suarez *in præsenti disputatione 12. sectione 2. numero 5.* dicit, esse errorem in fide, Cano, cuius censuram approbat Granado *tract.10. disputatione 1. num.5.* dicit esse erroneam, & fortasse hæreticam, Hurtado *vbi suprà §.22.* cum aliis, quos affert, dicit esse hæreticam: & tamen de hac alia sententia subdit, nihil contra fidem continere: quia nimirum Vega, & Sotus dicebant, per notitiam solius naturæ viribus comparatam posse hominem ad iustificationis gratiam peruenire, quod tamen hæc alia sententia negat, & exigit notitiam supernaturalem & infusam ex meritis Christi.

8 Addo deinde, si sensus huius opinionis esset solùm quod sine actu fidei orto ex propositione Ecclesiæ potest aliquis disponi ad iustificationem, nihil nouum aut falsum diceret, sed iuxta probabilissimam multorum sententiam, qui ad actum fidei diuinæ ortum etiam ex habitu, quem habemus, dicit, non requiri necessariò, quod obiectum credendum proponatur per Ecclesiam. Quem sensum indicat aliquando idem Ripalda, qui sæpe dicit, nomine *fidei strictæ*, quam negat esse necessariam ad singula merita, vel ad omnem iustificationem, intelligi fidem fundatam in testimonio Dei per Ecclesiam proposito. Sic loquitur disputatione 20. numero 115. in fine concludens, *quod ante doctrinam externam fidei potest illustrari intellectus cognitione supernaturali ad dilectionem Dei necessariæ, & sufficienti.* In quibus verbis solùm excludit necessitatem doctrinæ externæ. Item numero 120. in fine eodem modo concludit. *Ad fidem igitur necessariam ad salutem reuocantur plures cognitiones supernaturales, quæ fiunt ante propositionem Ecclesiæ, & assensum intellectus præstitum prepter reuelationem externam Dei.* Et clarius postea disputatione 63. num.7. vbi dicit *fidem strictam voco assensum obiecti propter testimonium Dei propositum ab Ecclesia ministerio externo, & vocali hominum, qualem habent fideles regulariter fidem Theologicam ex auditu concipientes.* Quo eodem modo loquitur *numero 20.* probans ex Augustino, *assistente misericordia & prouidentia supernaturali Dei absque instructione externa ministrorum Ecclesiæ, posse omnes homines amore prosequi Deum.* Quod idem repetit numero 21. in principio excludens propositionem externam Ecclesiæ, & postea *numero 22. in principio* dicit, *seorsim à fide Theologica, quæ innititur testimonio ab Ecclesia proposito, prouidetur à Deo cognitio supernaturalis bonitatis diuinæ, & malitiæ peccatorum oppositæ Deo.* Et iterum numero 24. paulò post principium dicit: *cognitio autem Dei parta ex sola meditatione creaturarum non pertinet ad fidem strictam, quæ solum innititur testimonio Dei ab Ecclesia proposito,* & denique numero 26. initio dicit: *cæterùm non est requisita fides stricta quæ sit assensus reuelationis diuinæ ab Ecclesia propositæ.* Quæ repetitio adeò frequens propositionis Ecclesiæ, quam dicit non requiri, videtur limitare prædictam sententiam; sed reuera mens illius auctoris non fuit illorum solùm sententiam probare, qui dicunt, posse dari actum fidei diuinæ sufficientis ad salutem in eo, qui ignorat Ecclesiæ propositionem: illa enim sententia non est singularis, quam singularitatem ipse fatetur in hac alia sententia, quam idcirco non audet omnino asserere: & constat satis ex discursu vtriusque disputationis, in quo vult probare, sufficere actum supernaturalem ortum ex notitia comparata ex creaturis, vel aliis principiis naturalibus secluſa omni reuelatione, aut testificatione Dei, dum tamen actus ille sit supernaturalis, prout semper dicit esse, assistente, & eleuante Deo mentem nostram per concursum supernaturalem.

Addo præterea, si sententia illa ita temperatetur, vt non excluderetur omnis reuelatio, & testificatio à motiuo illius assensus supernaturalis, magis apparenter, & minùs durè sustineri posset, dicendo nimirum per illum etiam actum, hominem credere Deo testificanti, & manifestanti se ipsum per creaturas, quasi per voces, aut librum à Deo editum ad se ipsum hominibus manifestandum. Nam sicut miracula, signa, atque portenta appellantur à Patribus voces, & signa, quibus mysteria abscondita Deus hominibus constatur, & confirmat; posset etiam aliquo modo dici, quod Deus per effectus, & opera naturalia manifestare intendit nobis attributa sua, quæ scientia supernaturalis illo modo comparata dici posset saltem latè fides, quâ homo Deo credit testificanti, & manifestanti hominibus suas perfectiones. Quem sensum videtur etiam ille Auctor aliquando indicare; nam *dicta disp.20. numero 117.* ita loquitur: *Tertiò, esto, fides stricta elicita ab habitu fidei in re necessaria sit, non improbabiliter dicitur cognitionem Dei in creaturis elicitam esse ab habitu fidei, & habitum fidei non solum ad reuelationem Dei factam per verbum ipsius, sed etiam factam ministerio creaturarum extendi posse.* Vbi illam etiam appellat reuelationem Dei; & clariùs *numero 120.* ad hoc ipsum affert & ponderat verba Pauli ad Rom.10. *Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et dicta disput.63. num.7. sic ait: *Fidem latam voco aliam, quamcunque cognitionem supernaturalem bonæ partam ex testimonio externo creaturarum irrationalium, aut ex inspiratione interna Dei, quem Deus seu vocem inserit auditui mentis, eruditam in interiori schola hominem absque voce extrinsecus sonante, vt frequenter docet Augustinus propterea que cum ipso vocationem diuinam vocant Theologi, quod amuletur vocem externam ministrorum Ecclesiæ, quæ in auditum externum fidelium testimonium defert.* Et *numero 8.* latiùs ex Scriptura, & Patribus probat, Deum nobis per creaturas irrationales loqui adducto iterum testimonio illo Pauli ad Roman.10. *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei:* quod verbum Dei dicit Paulus, auditum esse ab omnibus, iuxta illud Psalm.18. *Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum,* &c. quæ Psalmi verba Augustinus, Cassiodorus, Arnobius, & alij Patres de vocibus creaturarum irrationalium intelligunt; & ideo Chrysostom. homil.9.

homil.9. ad popul. Antioch. post multa concludit: *Scriba, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super terram incedens, hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram*, & iterum idem Chrysostom. *Non simpliciter*, inquit, *auditum dixit, quod humana verba, audire oporteat, & credere sed sublimis est hic auditus: est enim auditus per verbum Dei. Deo siquidem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti æquè credere, & obedire oportet.* Ad quod etiam affert verba Pauli Act. 14. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de Cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*, ex quibus ille Auctor concludit: *Itaque fides, qua Deo credimus, auditus, quo Dei verba capimus non solum Deo loquenti, sed etiam operanti creaturas, quæ suo aspectu nos prouocant in amorem, & gratitudinem Dei exhiberi potest.* Et iterùm, *præteritas generationes adorantes alios Deos, & à vera fide declinantes inexcusabiles prædicat Paulus quod testimonio veri Dei, quod cœli, & pluuiæ, tempora fructifera, & prouidentia quotidiana vniuersi reddunt, assensum fidei non præbuerint.* In quibus omnibus locis videtur ideo hanc notitiam infusam appellare fidem, quia habeat pro motiuo testimonium, & voces Dei loquentis nobis, & testificantis per creaturas suas, quæ cùm non possint ex se loqui, necesse est, vt si voces sunt, sint voces Creatoris, qui loquitur per ipsas.

10 Cæterùm, licet Auctor ille hanc explicationem indicet, vt vidimus, credo tamen eam ad maiorem abundantiam attulisse, non vt doctrinam ad eam adstringeret: non enim erat vniuersalis, cùm ipse non solum ponat actus illos supernaturales supplentes pro fide stricta, quando cognoscimus ex creaturis aliqua Dei attributa, quæ possunt nobis à creaturis manifestari, sed etiam quoties proponitur nobis honestas, vel turpitudo moralis cuiuslibet obiecti, in quod voluntas possit per amorem, vel fugam honestè tendere. Illa autem notitia non accipitur à creaturis, quasi exprimentibus loquutionem Dei; quàdo enim videmus proximum indigentem, vel benefactorem nostrum opem nostram implorantem, dictamen rationis iudicat honestum subuenire indigenti, benefactori etiam gratos esse, nec tunc recordamur vllo modo Dei, quasi id nobis Deus per dictamen rationis loquatur, sed ex terminis cognoscimus honestatem eorum obiectorum; illa ergo notitia nõ innititur vllo testimonio vel reuelationi Dei per se, vel per creaturas loquentis, nec ex eo capite poterit vllo modo fides appellari, quidquid sit de aliis actibus, quibus ex creaturis cognoscimus perfectiones Dei. qui sese nobis per creaturas manifestant.

11 Sententia Auctoris. Ego de re ipsa ita iudico, difficile, & durum in primis videri concedere, quod absque fide illa, quam strictam vocant, & quæ habet pro motiuo veram, & proprium reuelationem Dei, de facto aliquis adultus iustificetur: deinde non ita durum esse, quod ante fidem strictam præcedant illustrationes, & cognitiones supernaturales, ex quibus procedant aliquæ voluntates supernaturales, quibus homo de congruo se disponat ad fidem, & remotè ad iustificationem; hoc tamen ipsum in vniuersum, & cum hac generalitate apud me falsum esse. Prima pars huius assertionis, qua negamus iustificationem adulti contingere ante fidem strictam à nobis explicatam, colligi videtur ex communi Theologorum consensu, propter quem Luisius Turrianus *in disputationibus selectis centuria 1. censurarum Theologicarum, dub. 64.* dixit id non posse fine temeritate, & errore negari. Colligitur etiam ex verbis Scripturæ & Conciliorum supra adductis, quę ad minus hoc videntur significare. Hoc enim significare videtur Paulus, dum dicit, *accedentem ad Deum oportet credere*: ille quippe, & tunc potissimè accedit ad Deum, qui ex statu peccati, in quo erat longè à Deo positus, transit ad statum filij Dei per iustificationem, nec potest de fide in voto intelligi, nam Paulus fidem actualem probare volebat in Henoch, quam probat ex eo, quod omnis accedens ad Deum, necesse est, quod credat Deum esse, & remuneratorem esse; quæ probatio fallax esset, si sufficeret fides in voto; sicut nõ bene probaretur aliquem restituisse iniustè ablata, ex eo, quod pœnitentiam egit, cùm eam potuisset agere, & non restituere, excusante eum impotentia, vel ignorantia, & habendo solum votum restituendi.

12 Nec etiam prædicta verba possunt intelligi de fide illa lata, hoc est de notitia Dei ex creaturis comparata: quia Concilium Tridentinum *dicta sess. 6. c. 6.* expresè dicit verba illa Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere*, &c. intelligi de fide illa, qua homo liberè mouetur in Deum credens vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Notitia autem illa, qua ex creaturis cognoscitur Deus earum auctor, in primis non est libera, sed necessaria, cùm sit plerumque euidẽs, prout aduersarij etiam eam euidentem fatentur esse. Deinde non habet pro obiecto reuelationem, aut promissionem Dei, cùm creaturæ non ostendant, Deum aliquid reuelasse aut promisisse: reuelatio enim, & promissio libera fuit Deo, & potuit neutra poni etiam positis creaturis. De alia ergo fide loquitur Paulus, & de alia intellexit illum Tridentinum, nempe de fide propria, quæ fundatur in reuelatione Dei nobis obscurè proposita, & quam ideò liberè acceptare possumus; vel respuere, non de cognitione euidenti Creatoris comparata non ex auctoritate, sed ex ratione à posteriori, & quam non liberè, sed necessariò accipimus. Fides autem necessaria ad salutem semper apud Concilia & Patres exigitur cum libertate: ideo enim in Concilio Toletano IV. cap. 23. generaliter dicitur, *quod fides debet esse libera*, & Augustinus vniuersaliter dixit: *Cætera potest homo nolens, credere autem non nisi volens.* Et alia ad duximus supra agentes de necessitate imperij voluntatis ad fidem. Vnde confirmari rursus potest, quia fides, quam ex Paulo exigit Tridentinum, tanquam dispositionem ad iustificationem, est de Deo remuneratore, vt constat ex verbis Pauli, & Concilij: vbi nomine *remunerationis* intelligi remunerationẽ supernaturalis beatitudinis, quam Deus promisit, certum omnino esse ex Theologorum omnium sententia, docet Suarez *illo lib. 6. sect. 3 num. 8.* certum autem est, hanc remunerationem supernaturalem credi non posse sine reuelatione diuinæ promissionis, cum creaturæ naturales ostendere nobis non possint, quod Deus talem remunerationem decreuerit. Fides ergo, de qua Paulus loquituri debet esse fides in diuina reuelatione fundata, & de hac fide intelligit ea verba Basilius cõcione in psalm. 115. super illa verba *Credidi propter quod loquutus sum*: vbi commendans fidem, quæ *supra rationales methodos animam ad assensum trahit*, hoc

Fides necessaria ad salutem, semper apud Concilia & Patres exigitur cum libertate.

hoc est, supra rationes aliunde habitas, dicit de hac fide loqui Paulum verbis illis: *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. Notitia autem Dei ex creaturis non est supra rationales methodos, sed ex ipsa naturali ratione deducta, vt constat: vnde licèt sit actus supernaturalis, innititur tamè ratione naturali, & ideo nomine *fidei* intelligi non potuit à Paulo. Alij etiam Patres similiter semper distinguunt fidem ab ea notitia, quæ discursu, vel ratione humana nititur, eo quod fides sola diuina auctoritate mouetur. Sic loquitur Chrysostom. homil. 32. in Ioannem: *Fide*, inquit, *nobis opus est dilectissimi*, (ecce loquitur de fide, quæ necessaria est) *fide inquam, bonorum matre, salutis medicina.* Cui fidei postea opponit notitiam ex rationibus comparatam. *Qui suis*, inquit, *nituntur rationibus, ante cognitam veritatem naufragium faciunt*, eodem modo loquitur Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 41. his verbis: *quid agit, aut quò, vel quà, vt ad beatitudinem perueniatur, humana se porrigit infelicitas* (loquitur de discursibus Philosophorum) *si diuina non ducit auctoritas.* Quamuis autem ponatur cognitio illa supernaturalis, tota tamen innititur rationi humanæ desumptæ ex creaturis, nec transcendit ex parte obiecti, aut motiui argumenta Philosophica, cùm nullo modo nitatur authoritate diuina, nec ad eos assensus diuina ducat auctoritas, sed naturalis ratio, & humani discursus argumenta, quæ apud Concilia & Patres distinguuntur à fide, sine qua tamen nulli vnquam contingit gratia iustificationis, vt dixit Tridentinum *dict. sess. 6. cap. 7.* Hæc de prima parte nostræ assertionis: nunc transeamus ad alteram de fidei necessitate ad opera alia meritoria in ordine ad salutem æternam.

SECTIO II.

Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis æternæ.

13 DIxi, minus durum esse concedere actus bonos supernaturales ante fidem propriam ortos ex cognitione supernaturali Dei ex creaturis, vel honestatis moralis: *ad tamen absolutè*, & cum illa vniuersalitate falsum apud me esse. Scio enim, aliquos graues doctores ponere de facto ante fidem actus bonos naturales ortos ex cogitatione congrua naturali, quæ tamen sit gratia per Christum, qui actus naturales disponant, vt merita congrua ad percipiendam fidem, & remotè ad iustificationem. Faciliùs autem id defendi potest ponendo eiusmodi actus bonos morales supernaturales in substantia, & ortos ex cogitatione supernaturali, prout proponuntur à Ripalda, qui, quoad hoc magis Theologicè, & consequenter videtur mihi loqui. Et quidem P. Vasquez 1. 2. *disp.* 189. *num.* 136. *& disp.* 190. *num.* 132. planè concedit, ante fidem dari in infidelibus actus bonos naturales, qui mereantur de congruo, & disponant, ad obtinendum donum fidei: quam sententiam ex parte tuetur Luisius Turrianus *de gratia opusculo 2. disp. 4. dubio 26. & 27.* vbi admittit illa opera fieri ex gratia per Christum, negat tamen esse merita congrua respectu fidei. Vtrumque verò concedit Coninch. *in tract. de fide, spe, & charitate disputat. 14 dub. 6.*

Contraria sententia communis est omnium ferè Theologorum, qui docent, ante fidem nullum dari meritum ipsius fidei, & in hoc sensu fidem esse initium, & fundamentum nostræ iustificationis. Videatur Suarez *lib. 1. de gratia, cap. 17. & lib. 1 de prædestinatione. cap 16. num. 24.* & videtur esse omnino de mente Augustini, qui semper reducit primam Dei gratiam in illud auxilium, quod datur ad credendum; quod quia non datur ex meritis, ideo dicit primam gratiam non esse ex meritis. Ita loquitur libro de gratia, & libero arbitrio c. 7. vbi ait, *ideò Apostolum docere, iustificari hominem ex fide, non autem ex operibus, non vt opera excludat, sed quia opera iustitiæ sunt ex fide, non ex operibus fidei, ac per hoc ab illo sunt opera iustitiæ, à quo est fides.* Et de prædestinatione Sanctorum, cap. 7 *ideò*, inquit, *Apostolus docet iustificari hominem ex fide, non ex operibus, quia ipsa prima datur, vnde impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Et præfatione in psal. 31. hac ratione ait, conciliari sententiã Pauli, & Iacobi, quorum Paulus dicit, iustificari hominem per fidem, non ex operibus, Iacobus autem dicit iustificari ex operibus, & non ex fide tantùm, quia Paulus loquitur de operibus factis ante fidem, Iacobus verò de operibus, quæ consequuntur fidem, vnde concludit; *debemus ergo nulla opera præponere fidei, ita vt ante fidem dicatur quispiam bene operari*; & postea inferat opus illud Abrahæ, cùm voluit immolare filiũ, habuisse fundamentum, & radicem in fide, quia quælecunque illud opus esset præter fidem, nihil illi prodesset. Hoc ipsum repetit lib. 83. quæstionum, quæst. 76 ep. 106. vbi cùm diceret, non exigendam solam gratiam remissionis peccatorum à Pelegio, rationem reddit, *quia hæc non est omnino sine merito, quando quidem fides illam imperat*, & concludit *Restat igitur, vt ipsam fidem vnde omnis iustitiæ sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis meritis, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus; quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita.* Probat autem hoc Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 3. ex illo Pauli ad Ephes. 2. *gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ex quibus verbis sic concludit: *illud ergo*, vnde incipit omne meritum, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Videatur idem Augustinus *quæst. 2. ad Simplicianum in principio*, vbi multa habet ad hoc propositum, præsertim, ne aliquis arbitretur, se ideo percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam; & rursus *infra*, sine præcedente misericordia Dei non posse aliquem credere, vt ex hoc accipiat facultatem benè operandi, & alia similia, quæ ibi videri possunt, & lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 20. ait *non esse opus bonum, nisi quod procedit ex fide summi Dei.* Videantur alia plura loca apud Suarez *lib. 1. de gratia, capite vigesimo, numero, vndecimo & duodecimo.*

Eodem modo loquuntur cæteri PP. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 7. super illa verba, *quid molesti estis*, &c. *misericordia*, inquit; *præfertur fides, quia misericordia tunc habet meritum, si fides præcedente conferatur.* S. Gregorius homil. 19. in Ezechielem

Ezechielem super illa verba: *fenestra autem eius & vestibulum*, &c. sic ait: *non virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes.* S. Leo serm. 6. in quadragesima loquens de potu aquæ frigidæ, &c. sic ait: *de hoc tamen calice non frustra admonet Dominus, vt nomine ipsius præbeatur, quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa, & quæ ab infidelibus ministrantur etiam si sumptu sint magna, omni tamen iustificatione sunt vacua*, & serm. 7. addit rationem his verbis: *quia quod non ex fidei procedit veritate, ad præmia æterna non peruenit; alia est conditio operum cælestium, alia terrenorum: mundana beneuolentia in his, quos adiuuat, habet finem: Christiana pietas in suum transit auctorem.* Eodem modo loquitur S. Prosper lib. 1. de vocatione gentium c. 24. initio *Abundè*, inquit, *his testimoniis demonstratum est, fidem, qua iustificatur impius, non nisi ex Dei munere haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, vt principium possit esse meritorum; vt cum ipsa data fuerit non petit ex ipsis iam petitionibus cætera consequantur.* His adde Cyrillum Alex. *lib. 4. in Ioannem c. 31.* Petrum Diaconum cum aliis Patribus orientalibus, *lib. de Incarnatione Verbi c. 6. circa finem.*

16 Ad hæc testimonia non potest responderi, fermonem ibi esse de merito condigno: quod non potest esse ante fidem, non verò de merito congruo, & imperfecto. Hæc enim responsio reiicitur Primò, ex verbis Augustini suprà adductis, vbi concedit meritum ante remissionem peccatorum, negat autem meritum ante fidem, & quidem ante remissionem peccatorum non potuit concedere meritum condignum, sed congruum, ergo hoc etiam negat ante fidem. Secundò ex eod. Augustino de prædestinatione Sanctorum cap. 7. vbi probat, *Cornelium habuisse iam fidem ante aduentum Petri, quia alioquin eius eleemosyna non fuissent accepta*, quod etiam argumentum ad idem vsurpauit S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. vbi sermo est de merito congruo; nam eleemosynæ Cornelij non meruerunt de condigno sed de congruo aduentum Petri, & tamen ex hoc merito colligunt Augustinus & S. Thomas, quod processerunt ex fide. Denique si semel admittas opus procedens ex alia cognitione, quàm fidei posse esse meritorium de congruo, difficilè probabis, non posse in homine iusto idem opus ortum ex illa cognitione esse meritorium etiam de condigno. Meliùs ergo, & cõsequentius dicitur, fidem esse principium totius meriti etiam de congruo, quia est principium omnium actuum supernaturaliũ, qui soli possunt habere rationem meriti condigni, vel congrui in ordine ad finem supernaturalẽ. Hac etiam de causa fides appellatur in Conc. Trid. sess. 6. c. 8. humanæ salutis initium, fundamẽtum & radix omnis iustificationis, quia nimirum ante ipsam nondum est inchoatũ negotium salutis, vel iustificationis, quia omnia, quæ ipsam fidem præcedũt, sunt opera naturalia, quæ cum fine supernaturali nullam habent proportionem. Quibus consonant Arausicanum 2. c. vlt. dicens. *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos incipimus, sed ipse nullis nostris præcedentibus meritis prius fidem inspirat.* Et Patres Concilij Mileuitani in ep. ad Innocentium, quæ apud Augustinum est 95. dicunt gratiam præuenientem ad omnem affectum supernaturalem necessariam pertinere ad fidem, & esse Christianorum propriam.

Suprædicta Patrum testimonia vt intelligenda.

17 P. Vasq. respondet, ideo fidem appellari initium, non quia semper sit primum meritum, sed quia inter ea, quæ necessaria sunt ad salutem, fides est prima, cætera enim, quæ aliquando præcedunt, etiam si sint merita, nõ sunt necessaria. Hæc tamen expositio videtur valde violẽta, quia non dicitur bene principium alicuius negotij, illud quod est necessarium, si tamen oritur ex alia radice, quæcumque illa sit v. g. inter ea, quæ sunt necessaria ad damnationem æternam primum est peccatum mortale, & tamen nemo negabit initium perditionis Iudæ fuisse propensionem nimiam ad pecunias, & negligentiam, quam habuit in ea corrigenda, antequam perueniret ad peccatum mortale: ergo etiam è contra, licèt fides sit prima inter necessaria ad salutem: si tamen fides oritur ex merito antecedenti, tunc illud meritum antecedens dicetur principium salutis: nam in hoc sensu Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 5.* definit contra Pelagium & semipelagianos, iustificationis exordium in adultis sumendum esse à gratia præueniente, quibus verbis non solum significat, gratiam præuenientem esse primam inter ea, quæ sunt necessaria ad iustificationem, sed etiam ita esse primam vt nihil aliud præcedat, ex quo ipsa oriatur, nam totum hoc significat, qui dicit, aliquid esse initium, seu exordium alicuius negotij, alioquin non satis clarè definisset contra semipelagianos, non præcedere meritum aliquod ante primam vocationem gratiæ: nam semipelagiani fatebantur, vocationem gratiæ esse primam inter ea, quæ sunt necessaria ad iustificationem, atque ideo ab ipsa sumi exordium necessarium, posse tamen aliquando præcedere aliud exordium non necessarium. Hæc autem euasio reuera non habet locum contra verba Concilij, dum vniuersaliter dicit, vocationem gratiæ esse exordium iustificationis, quia eo ipso excluditur omne aliud exordium, siue necessarium, siue non necessarium; ergo similiter, dum fides dicitur simpliciter initium salutis, eo ipso excluditur omne aliud initium etiam non necessarium. Adde, Patres vniuersaliter negare, esse aliquod meritum, quod non oriatur ex fide vt constat ex locis supra adductis.

18 Eodẽ modo reiicitur interpretatio P. Coninch. dicentis, fidem esse initium inter actus supernaturales pertinentes ad nostram salutem; posse tamen præcedere aliud initium naturale, nempe actus bonos naturales elicitos ex gratia per Christum. Hic tamen etiam est improprius modus loquendi: non enim est simpliciter initium salutis illud, quod inter actus supernaturales est primum; alioquin possemus etiam dicere, initium totius salutis esse primam gratiam habitualem, quia inter gratias formaliter sanctificantes illa est prima, sicut inter dona supernaturalia fides est prima: neutrũ ergo poterit dici simpliciter primum initium salutis, si præcedit aliud meritum prius. Ratio denique congruentiæ, cur Deus voluerit fidem esse initium nostræ salutis, seu (quod idem est) quare noluerit, eos actus bonos, qui aliquando præcedunt in infideli, esse supernaturales, desumi potest ex Paulo primæ ad Corint. 1. primo, in illis verbis: *nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Quasi diceret, quia nouit Deus, quàm sint imbecilles rationes omnes, quæ ex naturæ lumine nobis occurrunt, vt nos ad diuinum obsequium efficaciter

Reiicitur interpretatio Patris Coninch.

moueant; voluit, totum negotium nostræ salutis reducere in scholam fidei, cuius rationem reddit in vltimis verbis illius capitis, *vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur*, seu vt prius dixerat, *vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*, ne scilicet nostræ ratiocinationi, & speculationi attribuamus nostræ salutis initium, si meritum nostrum inniteretur in cognitione aliunde, quàm ex Dei reuelatione habita.

19 *Non satisfacit responsio Ripalda.*

Vnde non satisfacit responsio Ripaldæ dicentis, requiri fidem ad omne meritum congruum, vel condignum salutis æternæ non tamen fidem strictam, quæ fundetur in reuelatione Dei, sed latam, nempe notitiam supernaturalem comparatam per discursum, vel ratiocinationes ex creaturis, vel qua virtutis honestas in se ipsa quomodocumque cognoscatur. Hoc, inquam, non satisfacit: quia Patres, quando fidem dicunt, esse principium bonorum operum, & meritorum omnium, loquuntur planè de fide, quæ fundetur in doctrina, & reuelatione Dei, prout opponitur notitiæ, quæ aliunde haberi potest ex motiuis, & rationibus humanis. Vnde supponunt, posse contingere, quod aliquando proponantur nobis argumenta & motiua humana bona, propter quæ tamen si operemur, non mereamur salutem æternam, quia opus illud tunc ex fidei fonte non procedit. Ita enim loquitur S. Leo Papa supra adductus sermone 6. in quadragesimain illis verbis: *de hoc tamen calice non frustra admonet Dominus, vt in nomine ipsius præbeatur: quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa.* Hæc autem admonitio superflua esset, si quoties homo etiam infidelis ex motiuo misericordiæ calicem aquæ præbet, id faceret per actum supernaturalem & ex notitia supernaturali. Quæ verè sit actus fidei: cuius tamen contrarium supponit S. Leo, dum statim addit; *& quæ ab infidelibus ministrantur; etiamsi sumptu sint magna, omni tamen iustificatione sunt vacua.* Et rationem reddit serm. 7. *quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non peruenit: alia enim conditio est operum cælestium, alia terrenorum.* Vbi aduerte, hanc differentiam, quam Patres inculcant, non consistere solùm in eo, quod vnus actus sit naturalis, & alter supernaturalis, sed debere se tenere aliquo modo ex parte motiui saltem intellectualis; nam sanctus Leo notat differentiam illam, vt moneat nos, ne inutiliter opera bona faciamus, sed curemus, quod sint ex fidei motiuo, vt prosint ad salutem: quod quidem curare, & præcauere nos possumus. Curare autem, quod sint actus supernaturales, non pertinet immediatè ad nostram diligentiam, si, vt aduersarij volunt, Deus semper dat cognitionem supernaturalem cuiuscumque motiui honesti, quæ cognitio sit fides, & ex qua oriatur voluntas supernaturalis, & meritoria: quare sufficeret admonere, vt in nostris operibus habeamus bonam intentionem, & finem honestum.

20 Ad hoc etiam ponderari possunt verba Augustini *lib. de spiritu, & littera, cap. 27.* qui licèt in infidelibus vix vnquam voluerit bona opera agnoscere, aliquando tamen ea, licet exigua, & rara concedit: inutilia tamen ad salutem de quibus sic ait: *de eis quædam facta legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ secundum iustitiæ regulas, non solùm vituperare non possumus, verum etiam meritò rectè laudamus: quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ decitam laudem defensionémve mereantur. Verùntamen, quia non vsque adeo in anima humanæ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; vnde meritò dici posset etiam in ipsa impietate vitæ facere aliqua legis, vel sapere, &c.* Ac denique concludit: *sicut non impedimunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus desipientissimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Et ep. 5. ad Marcellinum de antiquis Romanis ait, quamuis caruerint vera pietate, quæ eos ad vitam æternã posset salubri religione perducere; custodisse tamen quandam sui generis probitatem, quæ possit terrenæ ciuitati sufficere, id est ad finem moralem. Vbi notandum est, Augustinum loqui de opere etiam bono externo, & non solum de voluntate naturali interna: vnde supponit, non debuisse semper interuenire voluntatem supernaturalem ortam ex fide: alioquin nullum bonum opus potuisset Augustinus legere, vel audire de Romanis aut Ethnicis, quod non fuisset vile ad salutem de congruo, si quidem omne opus bonum ortum fuisset ex fide supernaturali. Supponit ergo Augustinus, eiusmodi opera bona externa non profuisse ad salutem; quia non procedebant ex fide, sed ex ductu naturæ.

Clarius hoc explicat idem Augustinus *q. 2. ad Simplicianum*, vbi declarat, quid intelligat nomine *fidei*, ex qua debent opera procedere, vt ea sint meritoria; & dicit, fidem esse debere illam, qua creditur Deo, & hanc debere esse initium retius meriti. *Non quis se arbitretur* inquit, *idei percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiæ: incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.* Ille autem, qui ex principiis solum Philosophicis agnoscit mendacium, aut furtum esse turpe, nihil prorsus credit Deo, cum de Deo, aut eius testimonio non cogitet, ergo apud Augustinum, & Patres, voluntas illa non furandi non procedit ex fide, sed naturæ ductu quem fidei opponunt: ita enim loquitur Chrysostomus hom. 67. ad populum, vbi ait, *melius esse adeo malum, qui non interdum aliquid boni naturæ ductu operetur, cuius in hac vita aliquod præmium à Deo non recipiat.* Et Hieronymus in cap. 1. ad Galat expresè dicit, *homines carentes fide operari interdum aliquid sanctè*, id est, honestè, & sine peccati macula. Et pollea in caput quintum dicit sine fide posse esse bona opera, sicut fides potest esse sine charitate. S. Prosper *lib. contra Collatorem, cap. 26.* dicit, etiam post peccatum manere in homine rationem, per quam possit aliqua opera facere, quæ præsentem vitam honestare possunt, æternam autem vitam conferre non possunt. Fulgentius *lib. de Incarnatione, & gratia, cap. 26.* dicit, posse esse in infidelibus, aut peccatoribus aliqua bona opera, quæ quia, vel ex charitate non fiunt, vel etiam neque ex fide, ad salutem non prosunt. Qui omnes apertè supponunt, reperiri de facto opera bona, & honesta, & laudabilia externa, quæ ex cognitione fidei nõ procedant, atque ideo non interuenire veram fidem actualem, quoties homini proponitur aliquod bonum morale operandum, prout illa sententia volebat.

Confirmari potest primo, quia si *fides* nomine intelligeretur notitia illa ex ratione philosophica vel

vel aliunde prouenies circa honestatem virtutis, vel turpitudiem vitij, frustra & inutiliter quæreretur an possit ante fidem dari opus bonum in infidelibus, hoc enim esset quærere, an sine cognitione boni, & honesti possit aliquis habere voluntatem honestam, quod est omnino impossibile. Si ergo quoties homo cognoscit honestum, habet actum fidei supernaturalem, non potest quæri, an sine fide detur opus honestum: non ergo intelligunt Patres, & Doctores nomine *fidei*, nisi actum illum, quo credimus propter reuelationem Dei quando dicunt, omne opus meritorium debere procedere ex fide. Confirmatur secũdo, quia fides de qua Patres & Concilia loquuntur, debet esse libera, & voluntaria, vt supra ex eorum verbis vidimus: illa autem cognitio etiam supernaturalis ex argumentis Philosophicis habita non est libera, sed necessaria, & euidens: ergo illa non est fides, de qua dicunt esse principium & fontem totius meriti, & operis vtilis ad salutem. Restat nunc soluere argumenta, quæ contra hanc communem doctrinam opponi possunt.

SECTIO III.

Argumenta contra fidei necessitatem proponuntur, & dissoluuntur.

23 *Soluuntur argumenta, quibus probatur posse dari meritum aliquod ad salutem remotum vel proximũ ante fidem. Obiectio 1.*

PRimo loco afferemus argumenta, quibus probatur posse dari meritum aliquod ad salutem remotum, vel proximum ante fidem; postea verò proponemus ea argumenta, quibus probatur, sufficere fides illa lata, nempe cognitio supernaturalis non fundata in testimonio, & reuelatione Dei. Primo ergo contra necessitatem fidei ad omne meritum opponi solet, quia ante assensum fidei præcedit voluntas credendi, quæ quidem est meritoria, imo ipsa est ratio, cur actus fidei sit meritorius, nam tota libertas fidei præcedit in illa voluntate credendi, ac per consequens tota ratio meriti: iam ergo datur aliquod meritum, quod non procedat ex fide; sed præcedat fidem, Respõdetur facile, apud Patres voluntatem credendi cum ipsamet fide computari; fides enim completè sumpta includit assensum intellectus, & imperium voluntatis, sine quo fides non esset meritoria, atque adeò cum dicitur, omnia bona merita procedere ex fide, intelligitur semper excepta ipsa fides, & voluntas credendi, quæ non potest procedere à se ipsa.

24 *Obiectio 2.*

Sed contra obiici potest secundo de eo, qui antequam conuertatur ad fidem, orat Deum, & petit ab eo lumen, & donum fidei: quæ quidem oratio non videtur inutilis: alioquin frustra eiusmodi hominibus consuleremus, quod orarent. Et tamen illa oratio non procedit ex fide, ergo aliqui actus, qui non procedunt ex fide possunt esse meritorij saltem de congruo in ordine ad salutem. Respondeti potest eodem ferè modo, nimirum, orationem, qua aliquis serio, & ardenter petit fidem cum vero desiderio credendi Deo super omnia, iam pertinere aliquo modo ad ipsam fidem, & in ratione doni computari cum dono fidei. Hoc enim modo loquitur Gregorius Magnus homil. 9. in Ezechielem colum. 2. dicens: *Opera sine fide non adiuuare, nisi fortasse pro fide percipienda fiant; sicut Cornelius* inquit, *ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret. Qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab Angelo dicitur, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & mox pro eadem ascensione præcipitur, vt ad Simonem mittat qui & veniens prædicare debeat; constat, quia hoc petiit, vnde meruit exaudiri.* Hæc Gregorius, cuius sententia circa fidem Cornelij, licet fortasse verior non sit; id tamen quod supponit, verum est, scilicet opera facta ante fidem non prodesse nisi quando fiunt pro impetranda fide, nam tunc iam videntur pertinere ad ipsam fidem, & integrare, seu inchoare donum fidei. Ratio autem esse potest quia iam tunc oriuntur aliquo modo ex ipso lumine fidei, si enim nullo modo illuminaret ipsa fides, nunquam homo verè desideraret credere Deo super omnia, nec adeò seriò, & ex animo quæreret doctrinam diuinam. Non ergo mirum, quod Deus concurrat iam tunc auxilio supernaturali ad illam voluntatem, quæ non procedit merè ex lumine rationis naturalis, sed ex lumine fidei subobscuro, & quasi ab aurora fidei, & eius crepusculo, vt quærat idẽ lumen clarius, & oret pro illo obtinendo. Quæ ratio à fortiori locum habet in voluntate ipsa credendi, quæ licèt non procedat ex assensu fidei, nec ex reuelatione iam credita; oritur tamen ex reuelatione Dei sufficienter proposita; quare non mirum, quod ea voluntas non sit naturalis, quia iam secundùm affectum extraxit hominẽ à schola naturæ, constituens illum in schola diuina, in qua ipse Deus vult esse magister, & formare caracteres aureos, & supernaturales, quibus eius doctrina scribatur in nostra mente. Quæ doctrina videtur esse S. Thomæ *infrà quæst.* 83. *art.* 16. *in corpore*, quatenus in vniuersum docet, quod Deus exaudit orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem, qua piè & perseuerantèr petit necessaria ad propriam salutem. Per illa autem verba, *ex bono naturæ desiderio procedentem*, non intelligit, quod procedat ex solis viribus naturæ, subiungit enim debere esse orationem *piè* factam, & quidam ad omne opus pium requiritur gratia, & eius auxilium: sed intelligit, quod non procedat à peccatore, vt peccator est. Distinguit enim ibi S. Thomas in peccatore duo, nempe naturam, quam diligit Deus, & culpam, quam odit: & dicit, orationem, quæ procedit à peccatore formaliter in quantum peccator est, non exaudiri à Deo; illam verò, quæ procedit à natura peccatoris bona exaudiri, non tamen dicit procedere à natura non adiuta viribus gratiæ. Eandem doctrinam magis expresse explicuit Granado *in* 1. 2. *controuers.* 8. *de gratia tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 5. *num.* 39. vbi dicit, quoties homo infidelis orat pro obtinendo lumine fidei etiam in confuso cognitæ, præcedere illustrationes supernaturales, vt dixerã *n.* 37. & orationem illam exaudiri à Deo.

25 *Obiectio 3. Referuntur quædam exẽpla eorum, qui absque vera fide operibus impetrarunt de congruo suam salutem, vel donum fidei &c.*

Tertiò obiici possunt exempla aliqua eorum, qui absque vera fide suis operibus impetrarunt de congruo suam salutem, vel donum fidei, vel aliquid aliud ad salutẽ pertinens. Alioquin enim frustrà Daniel *cap.* 4. consuluisset Nabuchodonosori Regi infideli, vt eleemosynis peccata sua redimeret, & impendentem Dei iram auerteret, si illæ eleemosynæ ante fidem factæ nihil possent mereri, vel impetrare. Legimus etiam in Martyrologio Romano die 30. Iunij de S. Basilide, qui cùm adhuc esset infidelis, & B. Potamiænam Virginem, quam ad martyrium cum aliis satellitibus duce

ducebat, à quorumdam peruersorum hominum petulantia defendisset, post triduum ab eadem Potamiæna iam gloriosa mirabiliter ad fidem conuersus est, & ad martyrij etiam coronam confortatus in præmium religiosi obsequij, quod ei præstiterat. Item apud Card. Baronium tom. 7. anno Christi 537. legitur ex Sophronio de quadam Virgine nondum Christiana, quæ homini volenti suspendio se interimere, vt creditorum importunitatem fugeret, sua bona omnia dedit quibus debita extingueret, & pro opere hoc misericordiæ meruit post vitam luxuriosè actam, in extremo mortis articulo spiritu compunctionis, & baptismi gratia mirabiliter donari. Denique, nisi opera ante fidem facta vim aliquam impetrandi haberent, frustrà consulimus hæreticis, & paganis Deum agnoscentibus, vt à Deo fidei, & veritatis lumen petant, illæ enim orationes nihil impetrarent. Fatendum ergo est, opera omnia bona, etiàsi à fide non procedant, habere vim aliquam ad impetrandum saltem de congruo donum fidei, & auxilia supernaturalia.

26 *Respondetur ad allata exempla.* Ad hæc tamen exempla respondeti potest; & quidem ad aliqua ex illis dici posset, vel opera illa non processisse ab infidelibus, vel certè non meruisse præmium supernaturale etiam de congruo; nam in primis eleemosynæ, quas Daniel consuluit Regi Nabuchodonosor, vt peccata redimet, non videbantur ordinari, nisi ad aduertendam pœnam temporalem iam imminentem, cuius auersio non esset præmium supernaturale, vt constat, vel si velis, ex intentione Danielis fuisse etiã ordinatas, vt Rex placaret Deum in ordine ad supplicium æternum: tunc dicendum erit, Danielem implicitè consuluisse etiam Regi fidem in Deum; nam eo ipso, quod vellet placare Deum offensum, supponeretur quod cognoscebat, & credebat esse Deum, quem placare volebat. Quomodo autem orationes ab hæretico, vel pagano factæ pro impetranda fide, possint esse supernaturales, & ideo vtiliter eis consulantur, diximus paulò ante ex Gregorio & aliis.

27 Ad illud verò de fœmina illa, quæ meruit in articulo mortis gratiam Baptismi propter hominem multò ante liberatum à voluntario suspendio, negari posset illam Virginem fuisse tunc infidelem; aliud enim est, nondum esse baptizatam, aliud verò esse infidelem; imo ex contextu narrationis videtur colligi; iam tunc temporis credidisse; nam ex desiderio, ne ille miser perderetur, dedit ei omnia sua, vt creditoribus satisfaceret, & & non moreretur: postea verò in ægritudine non dicitur illuminata ad fidem, sed spiritu compunctionis motam desiderasse baptismum. Nec obstat quod dicatur nondum christiana quando eleemosynam dedit, quia hoc solum significat nondum fuisse baptizatam, qui modus loquendi valde vsitatus est apud antiquos Patres, vt constat ex Augustino *lib. 9. confessionum cap. 3.* difficilius est illud, quod de S. Basilide obiiciebamus, cui ob honestum officium erga Potamiænam Virginem præstitum, datum fuit donum fidei & gratia etiam martyrij. Quare ac hos, & alios similes casus, qui facilè poterunt inueniri, Respondeti potest, Basilidem per illud opus in infidelitate factum, nihil saltem supernaturale apud Deum meruisse etiam de congruo; Deum tamen dedisse illi gratiam fidei non vt præmium sui operis, sed vt præmiaret in eo præclara merita Potamiænæ, quæ pro eo interceſſerat, & quam sibi Basilides ille obsequio aliquo modo deuinxerat. Sic enim aliquis homo sanctus orat sæpe Deum pro aliquo amico, vel consanguineo; Deus autem concedens illi, quod petitur, non præmiat amicitiam vel consanguinitatem illius, sed præmiat hominem sanctum in suo amico, vel consanguineo.

Dices, sicut Basilides per opus illud naturale potuit à Potamiæna mereri de congruo eius intercessionem pro obtinenda gratia supernaturali cur eodem opere bono naturali non potuit etiam immediatè apud Deum, qui liberalior est, mereri de congruo auxilium supernaturale; Respondeo discrimen magnum esse inter Deum, & homines: nam homines, vt retribuant pro beneficio accepto, non debent supponere proportionem inter id, quod dant, & id quod acceperunt, Deus autem si retribuit, debet inuenire illam proportionem. Ratio autem est, quia homines retribuunt aliquando ex gratitudine, gratitudo autem non attendit ad æqualitatem, vel proportionem inter beneficium, & retributionem: imo quantò minor est proportio, eò maior est gratitudo, quia gratitudo habet reddere aliquid indebitum & superans omne debitum, vt probat egregiè S. Th. 2. *quæst. 106. art. 6. in corpore*; quare quò magis superat debitum, maior est gratitudo, ad hoc enim tendit gratus, vt vincat liberalitatem benefactoris per aliam maiorem liberalitatem. Deus autem non est capax gratitudinis, quippe quæ in suo conceptu formali dicit imperfectionem, vt agens de meritis nostris probat ex professo P. Suarez *lib. 12. de gratia cap. 30. num. 12.* & sequentibus; si ergo retribuit, oportet quod retribuat tanquam remunerans & præmians. Præmium verò debet supponere aliquam æqualitatem vel saltem proportionem in opere, quod præmiatur. Hinc est, illud opus naturale, licèt non potuerit mereri apud Deum etiam de congruo præmium supernaturale propter improportionem, quam habebat cum eo præmio, potuisse tamen obtinere à virgine illa ex gratitudine auxilium ad donum fidei supernaturalis consequendum.

Nec aduertatur huic doctrinæ id, quod dixi *disp. 24. de Sacramento Pœnit. sect. 4. num. 64. in fine, & numero 68.* nempe Deum ex gratitudine posse plus dare martyri reuera occiso, quàm illi, qui occidi voluit; aut ei, qui plures peccatores conuertit, quàm ei qui conuertere solùm voluit, & desiderauit, vbi supposui, in Deo etiam habere posse locũ actum gratitudinis. Respondeo enim, gratitudinem duos habere actus diuersos. Primus est, quo qui beneficium accepit, vult benefactori retribuere, vt debitum illud extinguat quod motiuum extinguendi debitum honestum est. Secundus actus est, quo, qui beneficium accepit, vult benefactori aliquid retribuere, non solùm vt extinguat debitum, sed etiam, vt benefactoris liberalitatem maiori liberalitate vincat. Hunc secundum actum dicimus repugnare in Deo propter imperfectionem, quam inuoluit: nam licèt homo possit hunc actum exercere, quia potuit liberalitatem alicuius experiri, à quo liberaliter aliquid accepit, quam liberalitate vult postea maiori liberalitate superare: Deus tamen non potest alterius in se liberalitatem velle maiori liberalitate superare: quia nemo potuit prior erga Deum esse liberalis: quis enim prior ei dedit? aut quis aliquid Deo reddidit quod non esset in immensum minus, quam quod ab ipso Deo prius acceperat? Hunc ergo gratitudinis actum, Deus

Deus habere non potest: potuit autem eum habere virgo Potamiæna, quæ prior?, à Basilide beneficio affecta fuit, atque ideo potuit ex hoc gratitudinis motiuo impetrare suo benefactori longè maiora dona,& quæ sine proportione beneficium acceptum superarent, vt benefactoris liberalitatem maiori longè liberalitate superaret. Ad hoc enim gratitudinis genus non requiritur proportio inter datum, & acceptum: imò quò minor est proportio,& quò maior est in retributione excessus, eo maior est gratitudo. Secus dicendum de primo actu, cuius motiuum est extinguere debitum illud qualecunque, de quo actu loquuti sumus *in dicto loco de Pœnitentia*, qui actus nullam inuoluit imperfectionem,& potest esse in Deo, qui eo modo, quo gloriam extrinsecam à ministro Euangelico accipit, & sanguinem, ac vitam à martyre, debet ei aliquam retributionem, quod debitum potest ex gratitudine velle extinguere. Ad hoc autem requiritur, licèt non omnimoda æqualitas,aliqua tamen proportio inter datum & acceptum: sicut enim non potest censeri donatio remuneratoria, in qua id, quod accepisti, nullam habebat proportionem cum eo, quod reddis, sed erit donatio merè liberalis, vt dicunt Iuristæ: ita gratitudo non habet pro motiuo remunerationem, & extinctionem debiti, si id, quod acceptum fuit, non habeat proportionem cum eo,quod redditur.Si ergo actus, qui non procedunt à fide, sunt naturales, & actus naturales non habent proportionem cum præmio supernaturali, consequens est, vt Deus non possit ex gratitudine dare donum fidei vel aliquid supernaturale intuitu operum naturalium præcedentium.

30 *Obiicitur 4.*

Instabis tamen quartò, quia licèt opera bona naturalia non habeant æqualitatem cum præmio supernaturali,atque ideo non mereantur illud de condigno, adhuc videntur habere aliquam proportionem congruitatis. Quis enim credat,opus honestum naturale egregium, quale esset, omnia sua indigenti largiri, non habere aliquam congruitatem, vt hic homo vocaretur ad fidem, vel pœnitentiam? Respondetur, suppositis principiis reuelatis, ex quibus colligi videtur,naturam non habere vires ad merendam, vel impetrandam gratiam, reddi posse aliquam rationem à priori huius improportionis, supponendo non quodlibet opus habere proportionem etiam congruitatis cum quolibet præmio; nam licet congruitatis non sit condignitas, nec æqualitas; est tamen aliquis valor, ratione cuius præmians censeatur prudenter moueri ab eo opere ad dandum tantum præmium intuitu illius. Quis enim dicat saltationem Puellæ habuisse congruitatem ad merendum apud Herodem de congruo dimidium Regni? Congruitas ergo etiam ponderat genus operis,& circumstantias personæ, vt in eo genere etiam supra æqualitatem præmietur:alioquin non mouetur prudenter præmians,vt intuitu illius operis reddatur tale præmium.Hoc supposito,dicendum videtur, quodlibet opus naturale non habere proportionem cum præmio supernaturali; quia sicut operatio bruti, si esset præmiabilis, non exigeret, nisi bonum proportionatum bruto; & opus puerile solùm exigeret præmium proportionatum puero; ita opus hominis naturalis solùm habet proportionem cum bono, quod conuenit homini in statu naturali; & sicut non habet proportionem cum præmio Angelico, multò minus cum præmio ordinis diuini. Ridiculum esset, si Rex famulum vilem hospitij,quia curam habuit canis, vel equi in diuersorio, adoptaret in filium, & hæredem Regni; minorem autem habet proportionem obsequium naturale vilissimæ creaturæ,vt adoptetur in filiam Dei,& eleuetur ad Regnum cæleste,& hæreditatem diuinam.

Quare opus naturale non habeat proportionem cũ præmio supernaturali.

Dices,licèt opera naturalia non possint mereri gratiam vel præmium aliquod supernaturale propter improportionem, poterunt tamen illud impetrare: nam qui orat, & impetrat, non proponit merita, quibus retributio,aut remuneratio reddenda sit, sed exponit suam indigentiam, & implorat liberalitatem, & gratiam illius, quem orat: ergo actus naturales etiam sine proportione cum præmio supernaturali possent deseruire ad impetrandum de congruo donum fidei,vel aliquid supernaturale. Respondeo, impetrationem esse duplicem, prima est, quando concedens id, quod petitur, non mouetur à petitione ipsa, sed ab indigentia postulantis, quæ per petitionem manifestatur, & hæc non est propria impetratio, quia preces non sunt titulus,vel motiuum, cuius intuitu res obtinetur: & talis plerunque est impetratio pauperis petentis eleemosynam à diuite, qui ad dandum non mouetur à precibus, sed ab indigentia proximi sibi manifestata, hoc autem modo oratio naturalis non diceretur impetrare à Deo aliquid supernaturale;quia si Deus mouetur solùm ab indigentia petentis; hanc indigentiam perfectissimè intuetur Deus independenter à tali oratione,nec per orationem eam cognoscit, cum illud esset medium ex se fallibile.Secunda impetratio est, quando preces ipsæ sunt motiuum, & titulus ad concedendum;vt Rex ille Euangelicus concessit remissionem debiti seruo petenti,& ipse testatus est dicens: *Omne debitum dimisi tibi,quoniam rogasti me*:& hoc impetrationis genus non caret aliquo merito; vnde Augustinus impetrationem & meritum pro eodem accipit,vt constat ex epistola 105. Vbi dicit,non solam remissionem peccatorũ esse gratiam concedendã à Pelagio:*quia hæc* inquit, *non est omnino sine merito, quomodo quidem fides illam impetrat*. Et ideo contra Massilienses definitum fuit, non dari petentibus, pulsantibus, &c. quia gratia debet esse sine vllis meritis. Ratio autem à priori est, quia quoties oratio ipsa mouet,& non sola indigentia petentis,ideo mouet,quia omnis oratio continet aliquem cultum, & obsequium erga illum, qui oratur, cui orans se submittit, & cuius dignitatem, & potentiam agnoscit, & ideo ratio numeratur inter actus religionis erga Deum, quia per illam verè colimus Deum.Si ergo,oratio ipsa mouet, debet mouere,propter bonitatem, quam habet,& non solum,quia proponit necessitatem petentis: alioquin etiamsi oratio ipsa esset non solùm naturalis,sed etiam actus indifferens, vel etiã malus, posset æquè impetrare à Deo, cùm æquè proponeret necessitatem petẽtis.Quod ergo oratione à Deo impetratur, ita impetratur, vt Deus id concedat intuitu orationis, in qua bonitatem inuenit, & meritum aliquod congruum ad talem remunerationem,& per consequens debet habere proportionem aliquam cum re, quæ conceditur, quam proportionem non habet oratio naturalis cum donis supernaturalibus.

31 *Impetratio duplex.*

Prima,quando concedens mouetur ab indigentia postulantis.

Secunda,quæ de mouetur à petitione.

Dicunt aliqui, durum videri, & incredibile, quod opera bona naturalia egregia,eo quod na- 32

turalia sunt, nullam habeant congruitatem, vt Deus intuitu illorum moueri aliquando possit ad concedendum aliquid supernaturale. Potest enim Princeps absque imprudentiæ nota moueri ab obsequiis rusticis, quæ rusticus ei exhibet, etiam quatenus rusticus est, vt eum eleuet ad altiorem statum, & non solùm præmiet donis, & dignitate, qua maneat in suo rustico statu. Cur ergo Deus hominem per vires naturæ laudabiliter operantem, & egregiè Deo seruientem non posset eorum obsequiorum intuitu moueri de congruo, vt eum ad altiorem statum supernaturalem eleuaret, & disponeret ad gratiam adoptionis? Quod confirmari posset, quia in statu etiam puræ naturæ posset homo in suis necessitatibus petere, & impetrare à Deo miracula, quæ cum sint supra ordinem causarum naturalium videntur proportionem non supponere in operibus, & orationibus naturalibus. Respondeo, quoad hoc posse esse fortasse controuersiam de nomine, & ideo de hoc non esse multum cõtendendum, dum constet de re ipsa. Si enim aliquis velit, opera bona naturalia posse esse ideo bona, & egregia vt Deus non imprudenter operetur eleuando hominem ad statum supernaturalem intuitu eorum operum, non multùm contendam de hoc: de facto tamen dicimus, Deum non moueri nisi ab operibus, quæ procedunt ex fide, vel ipsam fidem aliquo modo concernunt; quia voluit de facto, fidem esse initium, & radicem totius meriti, vt loca Conciliorum, & Patrum supra adducta significant. Addo, ea opera naturalia etiam egregia non apellari simpliciter merita congrua in ordine ad salutem: quia *congruitas* videtur significare virtutem aliquam, saltem incompletam, & insufficientem ad aliquem effectum ponendum. Sicut autem potentia merè obedientialis ad effectus supernaturales non appellatur simpliciter potentia, & virtus, quia nullo modo etiam incompletè exigit tales effectus: ita illa non appellatur simpliciter congruitas, quia de se non ordinaretur ad tales effectus impetrandos. Quod autem subditur de miraculis, quæ homo in natura pura posset petere, & impetrare de congruo, facilius admitti potest; quia donum, quod homini concederetur, esset tandem aliquid naturale in sua entitate, & solum supernaturale quoad modum; imo licèt intercederet aliqua Dei actio supernaturalis in sua substantia, id parum referret: quia proportio, vel improportio inter meritum & præmium debet attendi secundum excellentiam solum doni, quod datur: quod si in se non superaret ordinem naturæ, non excederet etiam congruitatem meriti naturalis. Secus verò dicendum, quando homini datur status supernaturalis, & beatitudo supernaturalis, cum qua nullam habent proportionem merita naturalia.

33 Obiectio 5. Sed contra vrgebis adhuc (& sit quinta obiectio) quia ex hoc sequitur, eum, qui naturaliter scit euidenter Deum esse, non posse iustificari quia iste non potest habere assensum fidei, circa obiectum euidenter scitum iuxta multorum opinionem; ergo dicendum est posse iustificari cum notitia Dei abstrahente à fide, vel scientia. Can. 12. *de locis c.4.* respondet, obiectum scitum esse Deum, vt auctorem naturalem, obiectum verò creditum esse aliud, nempe Deum vt auctorem supernaturalem; quam solutionem bene impugnat Molina 1.part.quæst.1.art.1.disp.1. ex verbis Pauli dicentis, *accedentem ad Deum oportet credere quòd est*; vbi hoc ipsum, quod est Deum existere, quod est obiectum scitum, dicitur esse credendum. Meliùs ergo respõdetur iuxta doctrinam traditam suprà, posse vtique idem obiectum euidenter scitum credi per fidem, etiam dum scitur. Quod si hoc negaueris, teneris dicere, illum posse iustificari, quam primum non aduertat ad rationes, quibus demonstratur esse Dei: pro tunc enim iam poterit illud credere ex motiuo fidei.

Sextò obiicitur, quia etiam Baptismus dicitur medium necessarium ad salutem, & tamen hoc sufficienter explicatur de Baptismo in re, vel in voto; ergo licèt fides dicatur eodem modo necessaria, poterit hoc intelligi de fide in re, vel in voto. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis sumitur præsertim ex Ecclesiastica traditione, quæ diuersimodè intellexit necessitatem Baptismi, & fidei, vt aduertit Valentia in præsenti puncto §. *id autem*, & Suarez in præsenti disp. 12. sect. 2. n. 10. vbi adducit Bernardum epist. 77. ponderantem, & colligentem hoc discrimen ex ipsis verbis Christi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*: in quibus aduertit, cùm priùs loquutus esset de fide & Baptismo, postea tamen de sola fide dixisse: *qui non crediderit condemnabitur*, quia Baptismus poterit aliter suppleri, non verò fides, quæ non sufficit in voto. Denique colligitur ex natura etiam fidei, quæ non requiritur ad iustitiam solùm vt causa ex diuina ordinatione, sed vt cognitio, sine qua non proponitur sufficienter voluntati obiectum amandum; quare ipsa fides non potuit sufficienter in aliquo alio contineri, neque eam solùm in voto exigit Paulus, vt suprà vidimus.

Septimò obiicitur Paulus ad Roman. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sunt sibi lex*, &c. Vbi videtur Apostolus ad iustificationem solùm exigere naturalem cognitionem, qua lex impleatur: sic enim videtur accipienda illa particula *naturaliter*. Respondetur, si *naturaliter* apud Paulum non excludere auxilium gratiæ, & cognitionem fidei necessariam ad implendam legem; sed solum excludere cognitionem legis scriptæ, quam gentes non habebant sicut Iudæi; ita interpretatur Augustinus l.1. *de spiritu, & litera c.27.*

Octauò obiicitur, quia si cognitio fidei esset medium necessarium ad iustificationem, ergo ille qui habet ignorantiam inuincibilẽ fidei, non habet medium saluris, quantumcunque legem naturalem obseruet: ponamus enim hominem apud barbaros nullam notitiam fidei habentem, quid faciet, vt saluus fiat. Si dicas, illuminandum miraculosè de rebus fidei à Deo, vel Angelo; si tamen faciat, quod in se est circa obseruantiam legis naturalis. Contra, primò, quia iuxta Apostolum nemo credit sine prædicatione humana: deinde quid est, quod ad miracula recurramus in mediis necessariis ad salutem, cùm sine miraculo potuisset huic prouideri conferendo illi iustitiam per cognitionem legis naturalis?

Respondetur, neminem esse adeo barbarum, quem Deus non excitet, & illuminet ex gratia per Christum in primis ad obseruantiam legis naturæ, quam si obseruet per aliquod tempus, ad prudentiam Dei spectat illuminare illum circa res fidei, vel per humanam prædicationem, vel alio

alio modo, qui non esset miraculosus attenta lege communi Dei, qua decreuit illuminare sufficienter omnem hominem venientem in hunc mundum, & facienti quod in se est per auxilia, quæ tunc habet, non denegare gratiam illuminationis ad fidem, quæ illuminatio sit actus supernaturalis dictans obligationem orandi, vel quærendi doctrinam veræ salutis; non ita vt opera illa naturalia sint merita congrua ad gratiam, sed solum impedierint obicem peccati, vt alibi dixi. Cæterum vt benè aduertit noster Molina *in Concord. quæst. 14 art. 3. disp. 9* rarus aut nullus ad fidem conuertitur, ad quem mediis hominibus prædicatio non peruenerit, quia si qui sunt, ad quos nulla fidei notitia venerit, rarò faciunt, quod in se est; ideo Deus rarissimè per se, vel per Angelum necesse habet credenda proponere.

37 *Quæ, vel quantum tempus est illud quo Deus exigit obseruantiam legis à barbaro vt eum illuminet circa res fidei.*

Peres, quale, vel quantum tempus est illud, quo Deus expectat obseruantiam legis à barbaro, vt eum illuminet circa res fidei; Potest enim contingere, quod vna hora obseruet, & non tamen vno anno, quid ergo requiritur, vt dicatur fecisse, quod in se est; Respondeo, hoc tempus non posse à nobis certo præfiniri. Possumus autem verisimiliter credere, hoc tempus non tam ex diuturnitate, quam ex occasionum occurrentia mensurandum esse: deinde censeo non expectare Deum, quod omnia præcepta naturalia occurrant: alioquin sicut nemo potest ea omnia sine fide implere, vt postea videbimus; sic nulli Deus relinqueret potestatem moralem faciendi, quod sufficeret ad salutem. Quare crediderim Deum tale tempus vnicuique designare, in quo etiam sine fide non solum physicè, sed etiam moraliter possit occurrentia præcepta seruare; ita vt facienti, quod in se est moraliter per auxilia, quæ habet per Christum, Deus non deneget suam gratiam illuminationis ad fidem. Durè enim se gereret Deus cum homine, cui suam salutem vndequaque moraliter impossibilem reddidit. Ad hoc autem, quod sit moraliter possibile seruare legem illo tempore: satis erit, si in eisdem circumstantiis inueniantur alij, licet pauci, qui eam obseruauerint: quod credo de facto ita semper contingere, neminemque damnari, cui non possit Deus obiicere alium, qui æqualibus viribus, & sub iisdem circunstantiis fecerit, quod in se erat, & de facto consequutus fuerit gratiam iustificationis, vel illuminationis ad fidem.

38 *Obiectio 9.*

Sed adhuc contra prædicta potest esse noua obiectio, quia ad iustificationem solum necessario prærequiritur dilectio Dei; ad hanc autem sufficit cognitio Dei, vt summè boni, quæ cognitio lumine naturæ haberi potest, ergo ante vllam fidei notitiam poterit se homo disponere sufficienter ad iustificationem Dicet aliquis non requiri dilectionem Dei vtcunque, sed dilectionem supernaturalem, ad quam necessario prærequiritur cognitio supernaturalis. Sed contra, quia dilectio naturalis, & supernaturalis non differunt ex parte obiecti, vt diximus: vtraque enim potest terminari ad Deum, vt creatorem, & benefactorem per dona naturalia: ergo etiam sine fide potest haberi dilectio supernaturalis sufficiens ad iustificationem.

Respondeo admittendo, dilectionem Dei super omnia, vt creatoris, & benefactoris, &c. sufficere ad iustificationem: Cæterum ad hanc dilectionem supernaturalem habendam prærequiritur cognitio supernaturalis eiusdē ordinis, quæ iam deberet esse orta ex fide. Sed contra obiicies: quia voluntas piæ affectionis prærequisitæ ad fidem est supernaturalis, vt diximus *disp. 10. sect. 3.* & tamen ad hanc voluntatem non oportet supponi cognitionem fidei, sed cognitionem supernaturalem prudentiæ infusæ, qua euidenter cognoscitur honestas credendi, quæ honestas posset etiā cognosci naturali cognitione; ergo similiter ad dilectionem supernaturalem Dei vt creatoris potest supponi cognitio euidens supernaturalis, qua cognoscatur bonitas summa Dei, licet eadem omnino bonitas posset cognosci actu euidenti naturali: cur enim ad hanc summam Dei bonitatem non poterit terminari cognitio euidens supernaturalis, sicut ad credibilitatem mysteriorum, quæ naturaliter cognosci poterat, potest terminari cognitio euidens supernaturalis?

Vrgeri potest adhuc difficultas, quia non semper ad iustificationem prærequiritur actus dilectionis Dei: potest enim quis iustificari in Sacramento cum attritione, seu detestatione peccati orta ex cognitione turpitudinis ipsius peccati: quæ turpitudo peccati, furti v.g. & honestas iustitiæ, non est cur non cognoscantur independenter à fide sufficienter ad habendam detestationem supernaturalem furti, sicut honestas credendi cognita euidenter, sufficit ad excitandum amorem supernaturalem credendi, & detestationem infidelitatis; præsertim cum diximus actus naturales, & supernaturales non differre penes obiecta diuersa, ergo potest haberi attritio supernaturalis sufficiens ad iustificandum cum Sacramento independenter à fide, ergo fides non est medium necessarium ad omnem iustificationem. Quod argumentum non solum procedit de secunda iustificatione, sed etiam de prima: potest enim quis ante baptismum solum commisisse peccatum furti: quare potest ex detestatione furti dolere per attritionem, & ignorare inuincibiliter obligationem credendi, quam habebat, & baptizari Cur hic non iustificabitur cum illa attritione supernaturali? aut cur non poterit habere illam detestationem supernaturalem furti independenter ab actu fidei, sicut potest habere detestationem infidelitatis, & voluntatem credendi sine aliquo actu præuio fidei? 39

Confirmatur item, quia ponamus hominem, qui solum peccauerit peccato infidelitatis; & per prudentiam supernaturalem cognoscit honestatem credendi, & turpitudinem infidelitatis: & ex hac cognitione detestatur infidelitatem præteritam, & vult post mediam horam credere; non enim existimat se habere obligationem ad positiue credendum statim, sed censet, sufficere non dissentire, & credere etiam post aliquam moram, interim autem cum hac detestatione, & proposito confitetur; cur non dicemus hunc hominem habuisse sufficientem attritionem cum Sacramento ad iustificationem? & tamen nondum habuit actum fidei, voluntas enim supernaturalis credendi, & detestatio infidelitatis fit ex vi cognitionis supernaturalis præcedentis ad assensum fidei, ergo non est medium necessarium ad omnem iustificationem assensus. 40

Fateor difficultatem obiectionis, præsertim in mea sententia concedente posse esse actum supernaturalem etiam respectu motiui honesti naturalis, quod reperitur in qualibet virtute. Adhuc tamen dicendum videtur fidem necessariam 41

ad omnem iustificationem, vt loquutiones Scripturæ vniuersales vniuersaliter omnino intelligamus; ad obiectionem Respondeo, actum dilectionis supernaturalem præsupponere necessariò cognitionem fidei; quia licèt secluſa fide Deus cognoscatur vt bonus, & amabilis: non tamen sufficit tota ista cognitio Dei ex motiuo illo ita proposito, moraliter loquendo, ad excitandum amorem Dei super omnia; mansit enim natura ex peccato adeo ad se ipsam conuersa, & ad bonum proprium; vt licèt aliqualem Dei notitiam debilem possit habere, non tamen talem, quæ efficaciter moueat ad diligendum illum super omnia: ideo dici solet naturam insinuare quidem amorem Dei, id est, aliqualiter ostendere eius amabilitatem, non tamen perficere, quod satis apparet, considerando quàm parum tota Philosophia & eius sectatores, secluſa fide, in hoc amore excelluerint, & quomodo nullus eorum dilexerit Deum super omnia, vt benè aduertit P. Vasquez *tom. 2. in 1. 2. disp. 195. num. 25. & 26.* in quo sensu dixit Augustinus ep. 107. *nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse*: quia scilicet cognitio Dei ex creaturis, & rationibus naturalibus adeo debilis est, vt licet ad aliquem Dei amorem excitet; non tamen ad eum, quo aliquis Deum sibimet, & omnibus suis commodis, & incommodis præferat: ad quem gradum amoris excitandum, requiritur cognitio fidei, quæ melius, & efficacius ostendit Dei bonitatem, amabilitatem, & vincula, quibus nos ad suum amorem trahit, & allicit, ex qua cognitione facilè elicitur cognitio Dei super omnia, quam nullus Philosophus creditur habuisse: quod à posteriori optimè ostendit debilitatem cognitionis naturalis ad excitandum illum amorem super omnia, & efficaciam nostræ fidei.

42 Ex quo etiam responderi potest ad confirmationem obiectionis extendendo doctrinam traditam: nam sicut cognitio naturalis bonitatis Dei non sufficit moraliter ad excitandum amorem illius honestatis super omnia: multo minus sufficiet moraliter loquendo cognitio bonitatis iustitiæ, v. g. aut temperantiæ ad amorem illius honestatis super omnia, nec vnquam in aliquo Philosopho talis amor honestatis inuentus fuit. Potest quidem de facto ista cognitio excitare amorem alicuius honestatis, & detestationis vitij, quales in Philosophis inueniuntur: non tamen super omnia. Cum ergo ad iustificationem etiam in Sacramento requiratur detestatio peccati, non vtcumque, sed super omnia, vt suppono ex materia de Pœnitentia: non satis erit illa, quæ ex cognitione alia haberi potest; sed oporteret nasci ex notitia fidei, quæ altiori, & efficaciori modo proponit fœditatem peccati, & obligationem quam habemus illud super omnia vitandi. Fateor ergo, cognitionem honestatis credendi, quæ præcedit ad piam affectionem, non esse actum fidei: nego tamen illam cognitionem excitare sufficienter detestationē infidelitatis, vel amorem fidei super omnia, sed solum detestationem, & amorem absolutum in gradu aliquo inferiori, qui non sufficiat ad veram attritionem, qualis requiritur ad iustificationem, ad quod sunt verba Gregorij homilia 9. super Ezechiel. parum à principio, vbi sic ait: *Nisi enim aliquid de æternitate in mente videremus, nunquam in facie nostra pœnitendo caderemus.* Quamuis autem Deus posset dare cognitionem supernaturalem euidentem adeo robustam, vt vinceret illas difficultates; noluit tamen, quia de facto vult nostram salutem incipere à fide propter congruentias, quas adduximus; ad ipsam vero fidem oportuit præcedere iudicium euidens supernaturale prudentiæ infusæ, quia cum ad fidem non posset præcedere fides, debuit vinci difficultas credendi per aliquod iudicium euidens supernaturale.

Dices licet natura humana ex peccato sit debilis, & omnis cognitio naturalis ex ratione humana deducta non possit naturaliter excitare illi amorem Dei, vel detestationem peccati super omnia: cæterum cognitio supernaturalis (etiam secluſa fide) bonitatis Dei, vel fœditatis peccati qualis est cognitio, quæ antecedit piam affectionem credendi, cur non poterit excitare affectum super omnia? illa enim cognitio sicut est supra naturam, sic affert nouas vires ad roborandam naturam. 41

Respondeo, ex eo quod cognitio naturalis non sufficit, non sufficere etiam hanc supernaturalem ad excitandum affectum super omnia: quia hæc licet in sua entitate sit supernaturalis, non tamen est cognitio obiecti per aliquod lumen infusum, sicut erat scientia infusa Christi: sed cognitio ex eodem omnino motiuo, & eiusdem omnino obiecti, quod habet cognitio naturalis: à qua solum differt in sua entitate per ordinem ad diuersum principium non tamen in modo tendendi ad obiectum, nec explicandi, aut repræsentandi illud magis, aut clarius, aut efficaciùs, quam cognitio naturalis, quia solum repræsentat obiectum, quatenus per discursum ex creaturis cognosci potest: quare illa repræsentatio non habet maiores vires ad persuadendum, quam cognitio naturalis, sicut litteræ aureæ non magis persuadent, quam litteræ ex attramento, si eandem omnino veritatem, & eadem omnino motiua contineant. Altior ergo cognitio requiritur ad detestationem peccati super omnia scilicet ex fide, quæ efficacius, & robustius suadet odibilitatem peccati super omnia. 44

Decimo obici potest, quod fides Christi erit exigatur sæpè vt necessaria ad salutem: & tamen hæc necessitas explicari solet, vel de fide implicita, vel de necessitate solum ex præcepto, ergo licet fides vt sic exigatur vt necessaria, potest intelligi de fide implicita, vel solum ex præcepto. Christi

Respondeo negando consequentiam, quia fides Christi petitur inæqualiter, scilicet ante Christi aduentum solum implicitè; & postea explicitè, quare cum tunc iustificaretur homo sine ea fide explicita, non est credibile, actum dilectionis non habere modo eandem vim ad iustificandum: at vero fides Dei æqualiter exigitur ad omnem actum, nec potest esse implicite in alio, & ex modo loquendi, & arguendi Pauli satis colligitur ipsum agere de necessitate fidei actualis, non fidei virtualis, vel in voto.

Ex dictis autem infertur obiter, quomodo sit vera doctrina illa quam multi ex antiquis & modernis tradunt in materia de merito; scilicet, opera bona, vt sint meritoria vitæ æternæ, debere referri in Deum, & fieri propter Deum: de quo videri potest Suarez *lib. 12. de gratia, cap. 10.* Quæ doctrina difficilis videtur, nam tollerentur de medio multa merita, nempe omnes actus virtutum moralium, quæ non habent Deum pro obiecto, sed proximum, vel aliquid aliud. Cæterum ex 45

ex dictis defendi potest in hoc sensu quod licet non requiratur imperium charitatis strictè sumptæ; requiratur tamen aliqua ordinario in Deum, seu habere aliquo modo Deum ex parte obiecti motiui. Hoc enim ad minus videntur exigere ad rationem menti PP. dum exigunt ad meritum, quod opera fiant propter Deum, & videtur colligi ex illis verbis Matth. 5. *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam meredē habebitis?* & Matth. 10. *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*, & Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel patrem aut matrem, aut sorores, &c. propter nomen meum* & Marc. 9. *qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo.* & Luc. 9. *qui recipit vnum ex his pusillis in nomine meo.* Hæc enim omnia videntur aliquid exigere supra meram substantiam operis, nempe quod fiat in nomine, seu cum memoria Dei, &c. Hæc autem relatio in Deum ex parte obiecti motiui habetur aliquo modo, quoties homo ex fide mouetur ad illud opus faciendum, iam enim mouetur ex reuelatione Dei, seu amplectitur illud obiectum, quia Deus dicit esse amplectendum atque adeo in actu exercito videtur obedire regulæ, seu consilio Dei: sicut, qui eligit viam, quam amicus ei suadet, & proponit eligendam; iam videtur referre illud opus ad amicum, & obedire amico, & licet non faciat id, propter vtilitatem, aut bonum amici, sed propter vtilitatem ipsius operis, quam amicus approbat, iam videtur operari in nomine amici. Sic enim dixit Petrus ad Christum Luc 5. *In verbo tuo laxabo retè*: hoc est, sequens consiliū, vel præceptum tuum. Sic etiam qui dat calicem aquæ propter dictum Christi, dat illum in nomine, seu in verbo Christi, id est fidem præstando verbo Christi illud consulentis, & præcipientis: quare in actu exercito honorat Deum, approbando re ipsa, & sequendo eius consilia propter ipsius auctoritatem, quam, vt vidimus habet aliquo modo ex parte motiui.

46 *Hæc relatio in Deum necessaria est ad omne meritum, non solum condignum, sed etiam congruum.*

Hæc autem relatio in Deum in nostra sententia necessaria est ad omne meritum non solum condignum, sed etiam congruum in ordine ad vitam æternam: omnia enim merita debent procedere ex fide vt probant testimonia Patrum adducta, qui videntur hoc ipsum sumpsisse ex modo loquendi sacræ scripturæ: nam in hoc sensu Paulus dicit læpe, hominem non iustificari ex operibus, sed ex fide vbi non solum loquitur de prima iustificatione, sed de secunda. Nam de Abraham dicit ad Rom. 4. non fuisse iustificatum ex operibus, sed ex fide iuxta illud quod scriptum est *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam* quod de secunda & non de prima iustificatione oportet intelligi vt notauit. Suar. *lib* 12. *de gratia cap.* 10. *num.* 17. distinguit autem Paulus fidem ab operibus, hoc est ab operibus, quæ non procedunt ex fide, hæc enim non prosunt ad augendam, vel introducendam iustitiam supernaturalem, & ideo infert bene idem Paulus, *si Abraham ex operibus iustificatus est habet gloriam, sed non apud Deum.* Hoc est, si per ea opera, quæ non procedunt ex fide, auxit suam iustitiam: posset gloriari in se, quia ea opera aliquando fiunt per vires naturales, vt notauit bene Bellarm. libro 2. de iustificatione cap. 19. §. *Respondeo.* Adduci etiam potest illud ex Iacobi epist. cap. 2. vbi ait, *Abraham ex operibus iustificatum esse offerentem filium suum Isaac super altare.* Addit autem ea opera debuisse procedere ex fide, ne contradiceret Paulo. *Vides* (inquit) *quoniam fides cooperatur operibus illius*; id est, fides erat radix illorum operum, alioquin opera non prodessent.

47 Dices hoc modo reddi inutilia multa opera bona, quæ quotidie faciunt homines iusti nihil; cogitantes de motiuo fidei, sed attendentes v. g. ad miseriam proximi, & ad honestatem eleemosynæ; quod tamen durum videtur, & contra mentem fidelium. Respondeo negando sequelam, quia rarò, vel numquam accidit, vt homo, qui semel concepit fidem christianam, & eam habet tanquam certissimam regulam suarum actionum, non attendat illam, quoties vult operari honestè, vel inhonestè. Hæc enim est natura intellectus, vt quando agitur de examinanda aliqua veritate, statim recurrat ad securiorem regulam, vt viterur periculum falsitatis: & hæc etiam est natura voluntatis, vt quando inclinatur ad aliquod obiectum, consulat regulas certiores, vt certificetur de bonitate illius obiecti. Hinc est, difficillimum esse, quod quando christiano occurrit occasio eleemosynæ, vel alterius operis pij, non statim consulat regulam fidei, quæ est prima, & potissima in lege christiana, ad iudicandum de honestate illius obiecti. Quod si aliquando raro ad eam regulam non attenderit, tunc merebitur solum præmium naturale; id tamen vt dixi rarissimum erit. Hoc autem non solum habet locum in homine iusto, sed etiam in peccatore fideli, qui cum habeat fidem, iuxta quam possit regulare suos actus; de ipso pariter dicendum est, quando operatur honestè, elicere semper, aut ferè semper actus supernaturales circa materia omnium virtutum: quod quidem immerito negauit. Salas 2. *tom. in* 1. 2. *tract.* 11. *disp.* 7. *n.* 6. exceptis actibus fidei, spei, & attritionis, quam non ausus est negare, quia per attritionem disponit se ad gratiam cum Sacramento: sed certè eodem modo debet concedi de actibus aliarum virtutum, nam per eleemosynas etiam, & per ieunia, & alia pia opera disponit se peccator, & meretur de congruo spiritum compunctionis, vt constat ex Scriptura & Patribus: fatendum ergo etiam est, eos actus procedere ex auxilio gratiæ, & habere proportionem cum gratia, ad quam disponit, atque adeo esse supernaturales, quod iuxta nostra principia facile declaratur, cum illi etiam actus in peccatore fideli procedant ex fide, ideo enim ieiunat, & dat eleemosynam, &c. quia fides dictat, illa esse opera bona, & honesta; quare iam ex parte obiecti habet motiuum diuinum, vt vidimus.

48 *Soluuntur argumenta quibus probatur sufficere fides lata nempe cognitio supernaturalis non fundata in testimonio & reuelatione Dei.*

Hæc sunt, quæ olim circa hoc punctum notaueram, nunc autem respondere oportet ad ea, quæ P. Ripalda in vtroque loco *supra* citato addidit ad probandum, posse ante fidem strictam reperiri de facto merita supernaturalia, imò & dispositionem vltimam ad iustificationem ortam ex fide lata, quæ est cognitio euidens, non ex motiuo reuelationis diuinæ, sed creaturarum, vel aliarum rationum, quæ lumine naturæ occurrunt. Et in primis *dicta disp.* 20. *sect.* 22. *n.* 113. *& sequentibus* arguit, quia nisi id concedatur, difficilè defenditur, quo modo Deus omnibus infidelibus prouideat media sufficientia ad iustificationem, & ad salutem. Quod enim dici solet si homo ille faciat, quod in se est, per actus naturales, & obseruet legem naturalem, Deum illuminaturum illum ad fidem, innumeris pa-

ret

ter difficultatibus, v.g. An debeat prius obseruare totam legem, an partem. Si vero totam; ergo diliget Deum super omnia actu naturali. Quid autem, si id faciat, in articulo mortis vltimo, quando iam non potest instrui circa fidem? Ad hoc tamen iam responsum est, Deum scire, quantum temporis, & quanta legis obseruantia à singulis expectetur, vt illuminari debeant ad fidem. Certum est, posse Deum sæpe ante illud tempus illuminare. Certum etiam mihi est, non exigi integram legis totius obseruantiam, nec dilectionem Dei super omnia; si quidem neque hanc contingere credo, nisi oriatur ex fide propria. Addo nomine illuminationis ad fidem, quam Deus dat facienti, quod in se est, per actus naturales ortos tamen ex gratia per Christum, non intelligi à nobis reuelationem, qua Deus per se immediatè, vel Angelos instruat illum circa res fidei, neque enim opus est in communi prouidentia recurrere ad hæc media extraordinaria; sed intelligi illustrationes supernaturales, quibus homo cogitet de obligatione examinandi, & inquirendi salutis viam, ex qua cogitatione excitetur ad Deum orandum pro veritate inuenienda, vel ad eam serio quærendam? quod si faciat, Deus magis, & magis eum illuminabit; iam enim per illam bonam voluntatem cœpit mereri de congruo, cum admittamus eam esse supernaturalem, Si autem iis omnibus illustrationibus correspondent, & suo debito satisfecerit, Deus res ita disponet, vt notitiam habeat aliquam veræ religionis, vel modi, & loci, quo eam debet inquirere.

49 Nec video, si res attentè consideretur, quomodo ponendo actus illos supernaturales, & dispositionem vltimam ad iustificationem ante fidem, facilior reddatur salus, & iustificatio eorum, qui fidem non habent. Nam in primis quod actus aliarum virtutum in ea sententia directè disponant, & vt merita congrua, quia supernaturales sunt, in nostra vero sententia solum disponant indirectè remouendo prohibens, vt homo illuminetur circa fidem, parum refert, cum merita congrua non habeant magis infallibiliter suum effectum, quam dispositiones indirectæ, vnde ex eo capite non plures peruenient ad salutem, vel ad iustificationem propter merita illa supernaturalia, quam si fuissent actus naturales disponētes indirectè. Loquendo vero de vltima dispositione ad iustificationem, quæ est dilectio Dei super omnia, vel actus contritionis perfectæ, certè in ordine ad praxim parum, vel nihil addit facilitatis sententia illa. Dato enim, quod ille actus possit etiā sine fide stricta haberi supernaturalis, & prout oportet ad salutem; vbi tandem reperiemus infideles, qui illum de facto habuerint? Pro quo aduerto, eos, qui cum Catholica ecclesia non credunt, diuidi posse in plures classes. Nā in iis, aliqui sunt, qui licet non credant dogmata omnia Catholicæ religionis, agnoscunt tamen Deum vnum, & verum, quales sunt Turcæ, & omnes Mahometani, atque etiam Iudæi: alij agnoscunt etiam Deum trinum, imo & Christum, vt plures hæretici quibus omnibus non redditur facilior salus, & iustificatio in illa sententia, quam in nostra. Nam vel excusantur à peccato infidelitatis, & credibilitatis circa nostram fidem, vel non excusantur. Si non excusantur, in neutra sententia saluari possunt; quandiu fidem Catholicam non amplectūtur. Si verò excusantur propter ignorantiam inuincibilem, in vtraque sententia saluari possunt. Nam errantes inuincibiliter circa aliquos articulos, & credentes alios, non sunt formaliter hæretici, sed habent fidem supernaturalem, qua credunt veros articulos, atque adeo ex ea possunt procedere actus perfectæ contritionis, quibus iustificentur, & saluentur. Quod idem dicendum est de Iudæis, si qui sint, qui inuincibiliter errent circa christianam religionē: possunt enim adhuc habere veram fidem supernaturalem circa Deum, & alios articulos, fundatā in Scriptura sacra, quā recipiunt, atque ideo ex ea fide possent habere contritionem, qua iustificarentur, & saluarentur, si fides explicita Christi non sit necessaria necessitate medij, prout illa sententia admittit, de quo postea Denique Turcæ, & Mahometani, si qui 51 essent, qui inuincibiliter etiam errarent circa Christum, & eius diuinitatem; non est, cur non possint vera fide supernaturali credere vnum Deū remuneratorum supernaturalem: hoc enim ipsi non credunt propter argumenta ex creaturis naturalibus desumpta, sed dogma hoc ex traditione habent, quæ traditio processit à vera ecclesia fidelium, & ad ipsos vsque peruenit, licet alij errores admixti sint in eorum secta: quare cum habeant quoad illud verum dogma sufficientia credibilitatis motiua pro eorum captu, non apparet, cur circa illud non possint exercere veram fidem supernaturalem, si aliunde contra fidem non peccant, & consequenter poterunt aliquando in actu contritionis perfectæ ex tali fide prodire. Quod idem dicendum puto de Philosophis antiquis, si qui fuerunt, qui verum Deum crediderint super omnia: neque enim ipsi ignorarunt fidem, quæ apud alios erat de vno Deo deriuata, vel per scripturas, vel per traditionem parentum ad posteros. Quam fidem amplecti & ipsi potuerunt, sicut & filij eam à parentibus sibi traditam amplectuntur. Notitia vero illa de vno Deo, quam ex ratiocinatione Philosophica assequebantur, nunquā fuit in ipsis adeo efficax, vt firmissimo assensu, & super omnia assentirentur illi conclusioni. Vnde si aliqui eorum dolorem de peccatis super omnia, & veram contritionem conceperunt, non fuit ex assensu per discursum Philosophicum comparato, sed ex illo alio, quem de Deo ex fide vera potuerunt habere vt diximus. Ex quibus omnibus constat non reddi in sententia illa magis facilem, aut peruiam salutem, vel iustificationem gentilibus, quàm in nostra. Cum experientia ipsa constet, eos, qui veri Dei notitiam habuerunt, si qui ad religiosum eius cultum ea vsi sunt, non habuisse notitiam illā ex solis ratiocinationibus Philosophicis, & è contra, neminem, qui talem notitiam ex illis ratiocinationibus comparauit, peruenisse ad religiosum Dei cultum, vel ad veram pœnitentiam, & dolorem de peccatis super omnia, qui ad iustificationem sufficeret: nec eiusmodi conuersiones perfectæ in tot infidelium nullibus, qui apud Barbaros quotidie de nouo inueniuntur, in vno etiam vel altero à ministris euangelij ante fidei doctrinam deprehendi potuerunt.

50 *Qui cum catholica Ecclesia non credunt, diuidi possūt in plures classes.*

Sed contra arguit secundo Auctor ille *eadem* 52 *disp. 20. num. 52. & 118.* & vrget illud Pauli ad Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna*

sempiterna huoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Vbi Philosophi gentiles inexcusabiles redduntur, non solum quia ductu rationis naturalis, sed etiam quia illustratione, & reuelatione Dei infusa diuinitas, & virtus eius ipsis manifestata fuit: ita enim videtur explicare Anselmus his verbis: *Dominus manifestauit, id est, non solum naturalis ratio profuit, sed Deus quotidie adiuuit, ne sola natura sufficere videretur, & quia Deus eorum cordibus notitiam sui dignatur infundere.* & S. Thomas lect. 6. *Manifestauit*, inquit, *vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus, sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur.* Augustinus item de spiritu, & littera c. 12. *Ab ipso*, inquit, *lumine incommutabilis veritatis auersi sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. Non enim sapiens cor, quamuis cognouisset Deum, sed insipiens potius, quia non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Hieronymus in ea verba c. 1. ad Galatas, *cum autem placuit ei, qui me segregauit*, &c. sic ait. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ex quo perspicuum fit, naturam omnibus ineſſe Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & habere in se semina sapientiæ, & iustitiæ, reliquarumque virtutum. Vnde multi absque fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequatur, vt inopi manum porrigant; magisque iudicio Dei obnoxij fiant, quod habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credunt in eo, sine quo esse non possunt.* Fulgentius de Incarnat. & gratia cap. 17. vbi videtur pœnitentiam gentilium concedere ante fidem his verbis: *Nempe cum ipse Saluator noster propriæ vocis imperio humanam conuertit voluntatem dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Claret tamen, quia vt homo in Deum credere incipiat à Deo accipit pœnitentiam ad vitam; itaut omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit.* Clemens etiam Romanus lib. 7. constit. Apostolic. cap. 34. significat Abrahamum ante fidem notitiam Dei salutarem habuisse his verbis: *Abraham enim progenitorem nostrum viam veritatis ex ipsa naturæ facultate capessentem, cum ei appareres tanquam dux deduxisti, eumque quid tandem esset hoc seculum docuisti, ac fidem eius antegressa est cognitio, cognitioni verò consequens fuit fides, fidem autem insequuta pactio.* Accedunt plures Patres dicentes, ad hoc conditas esse creaturas visibiles vt ex earum consideratione homo excitaretur ad colendum, & diligendum earum Auctorem. Chrysost. *in c. 2. ad Rom.* Greg. & Hier. ibi, Ambr. *in c. 1. eiusd. ep.* Prosp. *lib. 2. de vocatione gentium c. 4.* & alij.

53 Hæc, & alia testimonia similia probant ad summum, ante fidem dari in homine notitiam Dei, & vtij talem, quæ reddat illum inexcusabilem; non tamen probant, quod ea notitia sit supernaturalis in entitate. Et in primis verba Pauli adducta non minus essent vera, licet detur sola cognitio naturalis, & Deus non eleuet ad alium actum supernaturalem concomitantem de eodem obiecto: nam actus ille supernaturalis, quem contraria sententia addit, non est de alio obiecto formali, aut materiali. Sed de eodem, quod terminat actum naturalem, quare non magis illuminat hominem, cum nullum aliud motiuum proponat. Quamuis autem confortet, vt fiat voluntas supernaturalis: non tamen minus illuminat, & confortat cognitio naturalis, vt fiat voluntas naturalis: quare nō minus inexcusabilis esse homo, si habens solam illam cognitionem naturalem non eliceret volūtatem naturalem circa Deum, vel honestatem, quam sit cum actu cognitionis supernaturali non eliciens voluntatem supernaturalem: ergo ex inexcusabilitate hominis, quam Paulus ponit, non infertur supernaturalitas illorum actuum, sed solum eorum sufficientia ad non peccandum. Deus enim per creaturas, & lumen rationis sufficienter manifestauit se hominibus, licèt non infundat eis notitiam supernaturalem.

Anselmus his verbis relatis non agit de supernaturalitate cognitionis, sed de applicatione speciali, qua Deus applicat mentem nostram, vt attentius scrutemur opera Dei, ad Deum inueniendum. Sic enim post pauca illud explicat. *Nam si vigilanter*, inquit, *exteriora conspicimus per ipsa eadem ad interiora reuocamur.* Et prosequitur explicando, quomodo Deus adiuuet interius mentem nostram, vt attentius inuigilemus, & cognoscamus cum ex creaturis. *Vestigia quippe*, inquit, *creatoris sunt mira opera inuisibilis creaturæ, quoniam per hæc, quæ ab ipso sunt, imus ad ipsum: menti enim nostræ peccato suo exterius sparsæ, nec dum Deus sic interius innotescit: sed dum factura suæ decus foras proponit, quasi quibusdam nutibus innuit, & quæ intus sequamur, ostendit, ac nouo modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit. Via quippe ad creatorem sunt opera considerata creaturæ, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. Nam quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Dominum inuenit, per quæ reliquit; eiusque potentiam eorum rursum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; & per quæ auersa cecidit, per hæc conuersa reuocatur. Vbi enim lapsi sumus, ibi incumbimus, vt surgamus Et quasi ibi surgendi manum considerationis figimus, vbi pede amoris lubrici corruentes, negligendo iacebamus.* Totum ergo illud Dei adiutorium stat in applicatione mentis lubricæ ad considerationē attentam, & vigilantem creaturarum Cum ergo in sententia contraria actus naturalis & supernaturalis circa idem omnino obiectum, & motiuum versentur, & vterque attendat ad eaidem ratiocinationes & discursus, non minus in meditatione naturali attenta stabit adiutorium speciale, de quo loquitur Anselmus, quam in supernaturali: ad neutram enim attentionem mens peccato corrupta perueniret, nisi speciali applicatione à Deo adiuta, & ideo dicit, naturam solam non fuisse satis, scilicet naturam corruptam, & non specialiter adiutam ad hanc attentam considerationem: quod tamen totum potuit esse naturale in substantia, cum aduersarij duplicem actum æquè ponant, quorum alter est naturalis. 54

Verba S. Thomæ in illa lectione 6. immeritò afferuntur; quia in verbis illis solum dicit, Deum debuisse manifestare, *vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus sicut in quodam libro Dei cognitio legeretur*; quia hi duo modi sunt, quibus Deus aliquid manifestat. Postea vero explicat, & determinat in particulari, quo ex his modis Deus Philosophis manifestarit, & dicit secundo solum modo manifestasse, *Secundo*, inquit, *considerandum est, per quod medium illa cognouerunt, quod designatur, cum dicit, per ea quæ facta sunt: sicut enim ars manifestatur per artificis opera, ita & Dei sapientia manifestatur* 55

festatur per creaturas. Non ergo posuit manifestationem per lumen infusum respectu eorũ Philosophorum. Verba etiam Augustini nihil probant: neque enim negamus, Philosophos debuisse Deum glorificare, & ei gratias agere pro notitia illa, imo ex tract. de gratia suppono, eas etiam cogitationes naturales, quæ deseruire possunt ad præcepta implenda, & vitanda peccata, esse auxilia gratiæ per Christum: ex debito ergo gratias agendi, quod ponit Augustinus, non infertur supernaturalitas. Quod manifestè constat, nam Philosophi non agnouerunt, notitiam illam esse supernaturalem in substantia, & tamen reprehenduntur, eo quod gratias non egerint; ergo agnoscebant debitum agendi gratias, etiamsi notitia illa non esset supernaturalis.

56 Hieronyni verba magis sunt contra illam sententiam, cum dicat, *natura omnibus ineſſe Dei notitiam:* Vnde quando subdit, *multi absque fide, & Euangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sanctè*; debet in eodem sensu intelligi de operibus sanctis naturalibus, cum id inferat ex notitia Dei, quæ natura ipsa omnibus inest. Quod autem addit, habere in se omnes natura ipsa Christi, & fidei semina, ideo dicit, quia ipsa naturalis ratio dictat aliqua principia, quæ multum conducunt, vt proposita postea fide Christi, cognoscatur eius sanctitas, & credibilitas præceptorum, quæ fides reuelat, in quo sensu dixit etiam Fulgentius de Incarn. & gratia, cap. 22. 23. & 25. *hominem naturaliter credere licet ei diuinitus donetur vt credat*; vt explicat Suarez lib. 1. de gratia cap. 8. num. 36. sicut Auctor Commentarij quod Ambrosio tribuitur, dixit, *hominem duce natura credere in Deum & Christum.*

57 Quod autem affertur ex eodem Fulgentio *cap.* 17. exigente & supponente pœnitentiam ante fidem, ab aduersarijs etiam explicari debet, cùm certum sit, non semper præsupponi debere pœnitentiam perfectam & absolutam ante fidem, sed regulariter saltem pœnitentiam oriri ex fide stricta, & tamen Fulgentius ibi dicit, neminem posse credere, nisi à Deo pœnitentiam acceperit. Quare intelligi debet de pœnitentia imperfecta, qua aliquis dolet de infidelitate, & ab ea recedit, quæ sicut appellari solet *conuersio*, ita appellari potest pœnitentia, & recessus à priori vita, & infidelitate. Verba etiam Clementis Romani (licet libri illi Constitutionum non magnam habeant auctoritatem, nec erroribus additis ab hæreticis careant, vt notauit Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente Romano) facilè explicantur. Nam præterquam quod Abraham iuxta veriorem sententiam à Patre suo in vera fide, & religione educatus creditur, vt Pererius, & alij docent, dato quod ex se ad Dei cultum peruenerit, facilè respondemus, potuisse ex naturali cognitione creaturarum paulatim ad notitiam creatoris venire, & postea tandem Deum orasse pro notitia veræ religionis, quam orationem supra concessimus esse actum supernaturalem, & procedere etiam ex aliqua illustratione supernaturali, & tunc à Deo ad veram fidem fuisse illuminatum; Et quidem verba Clementis explicari etiam debent ab Aduersarijs, cum dicat Abraham viam veritatis *ex ipsa naturæ facultate capessentem*, vbi non videtur agnoscere notitiam supernaturalem ante diuinam reuelationem: quod tamen vt dixi, explicari potest, vel de prima notitia remota, vel itaut per *naturæ facultatem* non excludantur vires gratiæ, sed motiua reuelationis, vel alia ex parte obiecti præter illa, quæ ratio, & argumenta ex rerum natura dictabant: quæ tamen potuerunt actu supernaturali cognosci, vt Deum vtiliter oraret, pro fidei lumine obtinendo. Denique Patres, qui dicunt, creaturas visibiles ad hoc conditas esse, vt nos ad cultum, & dilectionem Dei earum consideratio conducat, nihil contra nos docent. Fatemur enim, notitiam eam, quæ ex creaturis haberi potest, licet naturalis sit, obligare hominem ad cultum, & dilectionem creatoris, & ideo imputari ad peccatum, quod Philosophi Deum verum non coluerint. Deinde earumdem creaturarum consideratio multum adiuuat fideles, & excitat ad cultum & dilectionem Dei, vt experientia constat: stante enim fide, quod Deus sit earum auctor, & visa earum pulchritudine, & mirabili artificio, inferimus conclusionem supernaturalem Theologicam de infinita sapientia, & perfectione Dei, quæ in creaturis splendet, quę consideratio excitat nos magis ac magis ad creatoris reuerentiam, & dilectionem.

Tertio principaliter arguit idem Auctor *dicta disp. 20. n. 60.* ex illo Pauli ad Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur. Cùm enim gentes, qua legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Vbi Paulus de obseruatione legis sufficienti ad iustificationem & salutem loquitur, cũ dicat, *factores legis iustificabuntur*; & loquitur de gentibus etiam infidelibus, vt ex Patribus probat latè Suarez dicto c. 8. & confirmatur ex versu præcedenti. *gloriari, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco*, vbi gentilibus etiam gloria & pax promittitur. Accedit Chrysostom. hom. 37. in Matth. colum. penult. *Qui ante Christum*, inquit, *obierunt, atque ideo ipsum non cognouerunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona, & beatitudinem adipiscentur.* Ergo habuerunt virtutes supernaturales. Addit, *n. 61.* Augustl. *lib. 2. de serm. Domini in Monte c. 15.* & Cyrillum, Alexandr. *lib. 3. contra Iulianum* dicentes, Deum scripsisse legem suam in cordibus gentilium: hæc tamen & similia verissimè dicuntur de notitia etiam naturali, quam de Deo ex creaturis accipiunt, & de honestate virtutis, & turpitudine vitij.

Ad verba Pauli respondetur, illa non eodem modo, sed variis solere intelligi. Aliqui enim volunt, verba illa, *gentes quæ legem, non habent*, intelligi de gentibus ad fidem Christi conuertis, quos, & eorum fundamenta refert latè Suarez *dict. cap. 8. num. 16. & sequentibus.* Alij intelligunt de omnibus gentibus, quæ vllo tempore fideles fuerunt, non tamen de infidelibus, & idololatris. Ita Toletus apud Suarez *ibi num. 18.* Alij intelligunt de gentibus solis, quæ tempore legis naturæ, & legis Moysi seruabant legem naturæ, fide tamen & gratia adiuti. Ita Salmeron apud eundem Suarez *num. 19.* Alij intelligunt de gẽtibus infidelibus & idololatris. Ita multi, quos affert, & tandem sequitur Suarez *num. 20. & 26.* non tamen excludens gentiles fideles. Nemo tamen horum doctorum intellexerit ea verba de gẽtibus obseruantibus totam legem & recipientibus gratiam iustificationis absque fide stricta Dei. Admisso ergo, quod intelligantur de gentibus carentibus

carentibus lege scripta, atque etiam fide, nego quod in iis concedarur obseruatio legis per actus supernaturales: imò cùm dicatur, quod naturaliter, *quæ legis sunt, faciunt*, posset potiùs ex eo argui, quod absque supernaturalibus actibus id fiat. Vtcunque id sit, non arguitur, quod ante fidem, quoties bene operantur, eliciant actus supernaturales. Nec obstant in primis verba præcedentia *factores legis iustificabuntur*: nam vt bene probat, & explicat idem Suarez *n.* 27. verba illa non referuntur ad gentes, sed ad Iudæos, de quibus proximè dixerat, *& quicunque in lege peccauerunt*, qui nimirum habebunt legem scriptam, per legem iudicabuntur, quod probat statim, quia non auditores legis iusti sunt apud Deum, *sed factores legis iustificabuntur*: hoc est non sufficit Iudæo ad salutem habere legem, nisi eam totam obseruet. Quod autem sequitur. *Cùm enim gentes, que legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, &c. non affert ad probandum, quod eiusmodi gentiles sine fide iustificentur, facientes, quæ legis sunt, sed ad probandam partem alteram propositionis, nempe, *quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*: quia nimirum licet careant lege scripta, & sine lege non possit esse præuaricatio, habent tamen legem naturalem scriptam in cordibus, quam aliquando obseruant, dictante ipsa conscientia ex rationis lumine, *Qui ostendunt*, inquit, *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm iudicabit Dominus occulta hominum.* Quia nimirum aliquando eiusmodi infideles obseruant legem ex dictamine cõscientiæ, aliquando, & sæpius eam violant, & ideo etiam sine lege scripta peribunt propter legem naturalem scriptam in cordibus eorum. Nec etiam obstât verba illa præcedentia: *gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco*: illa enim verba intelliguntur de Græco operante bonum cum fide retributionis æternæ: sunt quippe explicatio verborum præcedentium, quibus dixerat, Deum non esse acceptorem personarum, *qui reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt*, id est, qui per obseruantiam patientem, & perseuerantem totius legis, siue scriptæ, siue naturalis, quærunt immortalitatem, *vitam æternam.* Sicut & operanti malum *ira, & indignatio.* Itaque verba sequentia, *cùm enim gentes, quæ legem non habent*, &c. non sunt ad probandum, quod gentes fide carentes iustificantur, vel consequuntur vitam æternam, sed ad probandum, quod illæ etiam gentes sine lege peribunt, & incurrent iram, & indignationem: quod videbatur difficile, eo quod, cum ignorantia legis non poterat esse peccatum. Et ideo id probat, quia non carent omnino lege, cùm eam in conscientia habeant, & aliquando naturalis rationis ductu eam obseruant.

60 Denique Chrysostomus in verbis adductis non dixit, eos sine fide saluos fore, sed saluos fore, etiam si Christum non cognouerint: supponit enim obseruantiam totius legis non potuisse in eis esse sine fide vnius Dei. Quod expresse explicuit Augustinus *lib. 4. contra Iulianum c. 3.* explicans, ad quid deseruiant gentibus infidelibus opera illa legis, quæ iuxta prædicta verba Pauli aliquando operantur, de quibus si fide careant, ita dicit. *Aut si fidem non habent Christi, profectò nec iusti sunt, nec Deo placent, cùm sine fide impossibile sit placere Deo; sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, vt tolerabiliùs puniatur, quia naturaliter, quæ legis sunt, vtcumque fecerunt scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent, quod perpeti nollent.* Vides, Augustinum non appellare fidem notitiam illam legis naturalis, nec illam putare sufficientẽ ad salutem sine fide Christiana, sed solum ad vitanda aliqua peccata, & minuendã pœnam.

Quartò arguit *eadem disp. 20. num. 219.* quia 61
multi probabiliter docent, gentilem obseruantem *Obiectio 4.*
legem naturæ priuata à Deo reuelatione illuminandum: multi etiam docent, assensum propter reuelationem ptiuatam non elici ab habitu fidei Theologicæ omnibus fidelibus communi, sed ab alio habitu peculiari: ergo probabile est, sine actu fidei strictæ ex habitu omnibus communi posse salutem obtineri. Respondetur facilè, in primis eos, qui ponunt habitus diuersos ad reuelationes communes, & ad ptiuatas, non negare vtriusque actus esse fidem propriam, & strictam, sed quòd sint ab eodem habitu, vt fatetur Sotus *lib. 3. de natura, & gratia cap. 2.* & notauit Coninch *disp. 9. de obiecto fidei dub. 6. num. 87.* Deinde ipsi facile admittent, reuelationem illam etiam à Deo immediatè factam pertinere ad eundem habitum fidei communem, quia obiectum reuelatum est commune omnibus fidelibus, & pertinet ad fidem Catholicam, & communem, prout admittere videtur Lorca *disp. 7. de fide n. 8.*

Quintò arguit ibidem, quia probabilis sententia docet, non differre virtutes infusas, & acquisitas penes diuersam honestatem, vel motiuum formale; si autem potest esse illustratio, & affectio supernaturalis circa honestatem temperantiæ, v.g. circa quam versatur cognitio, & affectio naturalis, non apparet, cur nõ detur cognitio, & affectio supernaturalis circa ipsum Deum, quatenus ex parte obiecti terminat etiam cognitionem, & affectionem Respondetur concedendam esse paritatem: nam in temperantia, v.g. & aliis virtutibus moralibus actus voluntatis naturales, & supernaturales habent idem obiectum materiale, & formale; cognitiones vero præcedentes non habent idem motiuum formale: quia cognitio supernaturalis probat honestatem temperãtiæ mediatè, vel immediatè ex reuelatione, vel eam supponit; voluit quippe Deus, de facto omnia nostra merita procedere ex fide, vt vidimus: cognitio verò naturalis cognoscit honestatem vel ex terminis, vel ex aliis argumentis, & rationibus. Sic etiam dilectio Dei, religio, & aliæ virtutes, quæ versantur circa Deum, attingunt per actus voluntatis naturales, vel supernaturales idem obiectum materiale, & formale: cognitiones verò præcedentes differunt penes motiuum; quia bonitas, excellentia, vel potestas Dei cognoscitur vel ex reuelatione per actus supernaturales, vel ex creaturis per actus naturales. 62 *Obiectio 5.*

Sextò *eadem disp. 20. num. 121.* affert aliqua 63
Patrum loca ad probandum nomine *fidei* intel- *Obiectio 6.*
ligi cognitionem etiam de Deo per creaturas, vel argumenta Philosophica comparatam. Primò Ambrosium in cap. 2. ad Rom. super illa verba; *gentes, quæ legem non habent* vbi sic ait: *dum natura duce credunt, opus legis ostendunt, non per*

litteram, sed per conscientiam: opus autem legis est fides. Ecce notitia illa appellatur fides, & gentes dicuntur *credere* natura duce. item Hieronymum in cap. 1. ad Galat. *vnde multi*, inquit, *absque fide & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè: magisque iudicio Dei obnoxij fiunt, quod habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credunt in eo, sine quo esse non possunt.* Vbi ab eis exigitur, quod credant. Clementem Alexandr. lib. 6. stromat. fol. penult. *Prouidentia*, inquit, *vnicuique distribuit pro meritis ea, quæ conueniunt. Merito ergo Iudæis quidem lex, Græcis autem data est Philosophia vsque ad aduentum Christi. Hinc autem est vniuersa, ac generalis vocatio ad peculiarem populum iustitiæ per eam, quæ est ex fide doctrinam.* Item Prosperum ad capita Gallorum 8. postquam enim dixit, *omnium hominum curam esse Deo, & neminem esse, quem non aut euangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conueniat*; subiungit: *sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus. Fidem autem hominum donum Dei esse fateamur, sine cuius gratia nemo currit ad gratiam.* Vbi infidelitatis peccatum videtur agnoscere in iis, qui à natura conuenti non agnoscunt, & colunt verum Deum.

64 Respondetur in primis, licèt ab his Patribus pellaretur latiùs fidei nomine, & impropriè ea notitia, parum referret. Sed nec ita eam vocant. Ambrosius enim loquitur de vera, & proptia fide, & gentes, quæ legem non habent, & naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligit eas, quæ ex gentilitate ad fidem conuersæ fuerant: quare per *naturam* ibi sicut ex Aduersariorum confessione non intelligit vires solas naturæ, sic nec intelligit argumenta ex creaturis secluſa reuelatione ad cognoscendum Deum, sed lumen rationis provt condistinguitur à lege scripta, nempe lumen illud quod homines habebant in lege naturæ, antequam daretur lex scripta, quod lumen non excludit fidem. Quod manifestè constat ex verbis Ambrosij, qui eo lumine dicit, gentes credere Trinitatis, & Incarnationis mysterium. Verba Ambrosij sunt. *Gentes Christianos dicit alio loco: vobis enim dico gentibus, qui ineircuncisi neque neomenias, neque sabbatum, neque eſcarum legem seruant, & duce natura credunt in Deum, & Christum, id est, in Patrem, & filium. Hoc est enim legem seruare, Deum legis agnoscere. Prima enim sapientiæ pars hæc est, timere Deum Patrem, ex quo sunt omnia; & Dominum Iesum Filium eius per quem sunt omnia. Ipsa ergo natura proprio iudicio creatorem suum agnoscit, non per legem, sed per rationem naturæ.* Et postea subdit verba illa: *quia dum natura duce credunt, opus legis ostendunt non per litteram, sed per conscientiam. Opus autem legis est fides, quam cùm dictis exhibet Deo, naturali iudicio ostendit semetipsum legem sibi esse: quia quod mandat lex, vltro facit, vt credat in Christum.* Vides non excludere fidem strictam, cùm includat fidem in Christum, quam tamen dicit absque lege haberi ex iudicio naturæ, quia ratio ipsa dictat, credenda omnino esse, quæ taliter proponuntur. Vnde concludit: *Teste interiore sua conscientia credunt, quia conscij sibi sunt conuenire sibi quod credunt. Congruum enim est, creatura credere, & venerari suum conditorem.*

65 Hieronymus in verbis adductis eundem sensum habet: dixerat enim, neminem nasci sine Christo, quia habet in se semina virtutum, & rationis, per quam potest venire ad agnoscendam veritatem fidei christianæ, & credere in Christi, & ideo inexcusabilem reddi, si fidem non amplectatur. Quo etiam sensu loquitur Clemens Alexandr. qui non dixit, Philosophiam fuisse fidem, sed disposuisse ad acceptandam fidem, quando Christus appareret; sicut enim lex ad hoc disponebat Iudæos, sic Philosophia disponebat Gentiles, vt postea viderent, quàm consona esset rationi naturali doctrina Christi. Quem sensum in illis verbis agnouerat ipse Ripalda *eadem disp. 20. n. 58.* dicit enim ostendi à Clemente, Philosophiam & rerum naturalium notitiam à Deo ante Christi aduentum prouisam, vt Deus opportunam in salutem vocationem infunderet. Nimirum postea, quàdo fides proponeretur. Denique idem est sensus S. Prosperi, qui ideo peccatum infidelitatis imputari dicit, quia vel ex prædicatione, vel ex lege notitia sufficiens fidei datur, vel certè natura ipsa dictat, quærendam esse religionem veram, quæ verum Dei cultum doceat, cui debito naturali infideles nõ satisfaciunt.

Septimò tamen idem Auctor addit alia loca ad hoc ipsum probandum, quod *fidei* nomen competat notitiæ illi, quæ, secluſa reuelatione, sumitur ex ipsis creaturis. *disp. 64. num. 8. & sequentibus* & in primis ponderat verba Christi Matth. 6. *Si ergo fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Vbi *fides* appellatur certitudo prouidentiæ diuinæ comparata ex argumento creaturarum irrationalium, cùm dicat defectum esse fidei, in eo, qui tali argumento non mouetur; item ex Paulo ad Rom. 10. vbi postquam dixit, fidem ex auditu concipi: *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, probat timen, neminem excusari, eo quod non audierit; ad quod affert verba illa ex psal. 18. *numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ psalmi verba de cœlis, & creaturis irrationabilibus intelliguntur à Patribus, de quibus Dauid præmittit, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Quare Chrysostomus in eum locum Pauli dicit: *non simpliciter auditum dixit, quod humana verba audire oporteat, & credere, sed sublimiorem hic auditus: est enim auditus per verbum Dei. Deo si quidem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti, æquè credere, & obedire oportet.* Denique idem Paulus act. 14. de Deo dixit: *non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* Vbi ergo cæli testimonium Dei dant, fides exigitur propter eorum testificationem.

Sed neque hæc firma sunt. Nam Christus in 67
primis illis verbis, *quanto magis vos modicæ fidei?* non de fide intellectuali, sed de confidentia, seu fiducia loquebatur, vt cum aliis notauit Salmeron in eum locum. Sed neque si de fide intellectuali loqueretur, probaret illam sine reuelatione poni: nam certitudo prouidentiæ diuinæ erga Apostolos non debebat gigni ex sola consideratione fœni, & herbarum, sed simul ex fide, qua credebant, Deum magis curare de hominibus, & de seruis suis, quàm de fœno agri, ex cuius fidei imbecillitate vacillare poterat certitudo de diuina prouidentia erga ipsos, quare meritò ex effectu exprobrari eis poterat fidei defectus.

Ad

68 Ad verba Pauli ad Rom. 10. communis interpretatio est, Apostolum ibi ad litteram non de cælis, sed de Apostolis loqui, quorum verba exierunt in omnes terræ fines: & licèt aliqui velint antea de cælis dicta fuisse in Psalmo ad litteram, & Paulum ea attulisse in sensu allegorico: sed tamen Salmeron in illum Pauli locum latè & doctè probat ex Patribus, & rationibus, in Psalmo etiã sensum litteralem fuisse de Apostolis, & non de cælis, de quibus non nisi per tropum poterant verificari: quare ibi prædicatoris opera exigitur, qui à Deo mittatur, & loquatur. Chrysostomus autem non dicit, quod ibi per *auditum* intelligatur visio creaturarum quarumcunque, quæ manifestant virtutem Dei, sed loquitur de solis prædicatoribus, qui tamen ostendebant simul signa, & miracula, quæ non audiebantur, sed videbantur, & ideo dicit, non esse sermonem de simplici auditu, sed de auditu verbi Dei, qui auditus excellentior, & sublimior est. Verba Chrisostomi ex versione Volfangi Musculi hæc sunt: *Non enim simpliciter*, inquit, *audiendum esse dixi, neque quod humana verba audire oporteat, & credere, sed sublimis est hic auditus, de quo loquor: est enim auditus per verbum Dei. Neque enim, quæ sua essent sed quæ à Deo didicerunt, annuntiarunt, hoc, scilicet, excellentius est signum; Deo siquidem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti, æquè credere, & obedire oportet, quandoquidem & opera illius, & mirabilia ex verbis illius sunt.* Denique quod Paulus Act. 14. dixit, Deum dantem pluuiam, & fructus non sine testimonio se reliquisse, non probat notitiam Dei ex eiusmodi effectibus comparatam esse propriè fidem, sed non esse sine argumento, aut probatione; quæ non magis propriè est fides, quàm sit propriè testificatio, in qua fundatur, cùm certum sit, pluuiam & fructus non nisi per tropum, & figuram testificari, aut loqui.

69 Obiectio 8. Octauò affert ad idem probandum *dicta disp. 63. num. 9.* exemplum Cornelij Centurionis, qui antequam fides ei Petri ministerio proponeretur, faciebat opera meritoria, vt constat ex cap. 10. Act. vbi ei ab Angelo dictum est, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei.* Ad hoc tamen iam suprà diximus, Cornelium ante aduentum Petri fidem strictam vnius Dei habuisse, sicut & habuit Iob, & alij, non quidem notitiam Dei ex sola ratione Philosophica, sed ex scripturis, vel traditione, quam certè Cornelius inter iudæos diu degens ignorare non poterat: accepit autem postea à Petro fidem Christi, quam nondum habebat.

70 Vrget tamen ex Augustino *lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. prope initium*, vbi de Cornelio dicit: *an vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui Angelus mitteretur? Sed nullo modo ista operaretur, nisi antea credidisset. Nullo autem modo credidisset, nisi vel secretis per visa mentis, aut spiritus admonitionibus vocaretur.* Sed in his Augustinus nullo modo reducit fidem illam Cornelij ad notitiam ex creaturis, sed potiùs recurrit ad visiones vel admonitiones internas: quod quidem fieri potuit, licèt posset etiam sufficere notitia ex scripturis, vel traditione comparata, vt diximus.

71 Affert etiam ad hoc ipsum *num. 10.* Hieronymum *in cap. 3. ad Galatas*, vbi de eodem Cornelio dicit: *Si autem à contrario dicitur; ergo sine auditione fidei accipi spiritus potest. Nos respondebimus, accepisse quidem eum spiritum; sed ex auditu fidei, & naturali lege, qua loquitur in cordibus nostris, bona quæque facienda, & mala vitanda, per quam dudum Abraham, & Mosem, & cæteros sanctos iustificatos retulimus.* Sed in his Hieronymus solùm excludit legem scriptam, vt constat ex verbis proximè antecedentibus, non verò excludit reuelationem, quam includebat etiam lex naturalis, id est lex, quam Sancti obseruabant in statu legis naturæ ante legem Iudaicam, quos tamen certum est habuisse fidem strictam: vnde affert exemplum Moysis, qui certè antequam legem acciperet, fidem strictam habebat cùm esset in populo fideli, in quo Dei cultus cum vera religione obseruabatur.

72 Obiectio 9. Nono *ibidem n. 12.* arguit ab exemplo charitatis, quæ quidem apud Patres aliquando strictè accipitur pro dilectione Dei ex motiuo bonitatis diuinæ; aliquando latè pro quacunque voluntate pia, & honesta in quo sensu vsurpari sæpe ab August. *charitatis* nomen, docet P. Vasquez *in 1. 2. disp. 192.* Cur ergo similiter non possumus dicere, *fidei* nomen apud Patres aliquando strictè vsurpari, aliquando latè pro qualibet notitia Dei, vel honestatis, quæ conducat ad salutem, & in hoc sensu exigi fidem necessariò ad salutẽ, vel ad quodlibet opus meritorium? Respondeo in primis maius fuisse fundamentum in nomine *charitatis* quàm in nomine *fidei* ad illam duplicem vsurpationem. Nam *fides* est virtus, cuius opus interiùs consummatur, quare videtur semper importare motiuum formale proprium, à quo actus internus accipit suam essentiam, & denominationem; *charitas* autem, seu *dilectio* est amor: amare verò est velle bonum alicui, quod quidem non cõsummatur interiùs, seu transit ad ponendum exteriùs bonum volitum: quare licèt non benefacias Petro, quia ipse bonus est, sed propter motiuum misericordiæ, vel obedientiæ, aut iustitiæ, diceris diligere Petrum; & eodem modo qui facit quæ Deo placent, dicitur diligere aliquo modo Deum, licèt non faciat ex motiuo formali placendi Deo: quia re vera ponit exteriùs totum obiectum dilectionis Dei. Deinde, etiamsi nomen *fidei* capax esset illius extensionis; non tamen possumus ita Concilia, vel Patres interpretari, quia eam fidem exigunt, cuius proprietates non possint competere notitiæ ex creaturis, vel argumentis Philosophicis depromptæ, vt vidimus *sect. 1. & 2.* nimirum quod sit libera; quod sit de remuneratione æterna, & supernaturali, quæ ex naturalibus argumentis probari certò non posset: item quod non sit per ratiocinationem, & argumenta humana, quod per illam credamus Deo, quod quidem fieri non potest, nisi nitatur auctoritate diuina, vt motiuo formali. Denique, quod sit talis notitia, qualis de facto non intercedit, quoties homo aliquid boni, & honesti operatur, quæ omnia, adductis Patrum testimoniis probauimus *loc. cit.*

73 Obiectio 10. Decimò arguit *ibidem n. 15.* ab exemplo actus piæ affectionis, qui fit ante fidem strictam; & tamen est supernaturalis, sicut, & desiderium etiam fidei, ergo ante fidem possunt fieri actus supernaturales. Ad hoc tamen iam supra diximus & ostendimus differentiam voluntatis credendi, & aliorum actuum, qui fidem concernunt ab actibus aliarum virtutum, quæ ad fidem nullo modo pertinent.

Obiectio 11. Vndecimò *ibidem num. 16.* congerit alia Patrum loca ad probandum verum meritum ante fidem.

dem. In primis ex Clemente Rom. lib. 1. recognit. in principio, vbi de se ante fidem susceptam sic ait: *inerat mihi comes optima, quæ me quiescere non sinebat, immortalitatis cupido. Vt enim post rerum exitus docuit, & gratia omnipotentis ostendit, ea me animi intensio ad inquisitionem veritatis, & agnitionem veræ lucis adduxit.* Sed inprimis ibi non dicit, illud desiderium fuisse meritorium, sed solum fuisse causam, quod de causalitate physica posset intelligi. Deinde iam nos concessimus, desideria fidei, & salutis inueniendæ esse supernaturalia. Addit ex eodem Clemente *l. 4. recognit.* Petrum dicentem de gentibus, quibus nondum erat prædicatum euangelium, *occulta Dei virtute, quem debeant diligere, prius etiam quam doceantur, agnoscunt. Videtis enim eos quasi bonos seruos desiderare eum, quem sibi sperant aduentum sui Domini nuntiare. Desiderium ergo audiendi verbi Dei, & voluntatem eius faciendi ex Deo habent; & hoc est initium doni Dei, quod gentibus datur, vt possit per hoc doctrinam recipere veritatis.* Hæc tamen verba potiùs nostram sententiam ostendunt, nempe primum actum supernaturalē in iis esse desiderium illud audiendi verbi Dei, quod dicit esse initiū doni Dei, quod gentibus datur. Alij ergo actus virtutum præcedentes non sunt supernaturales; alioquin illi, & non hoc desiderium, essent initium doni Dei.

74 Rursus affert Nazianzenum orat. 19. in laudem Parentis sui mortui colum. 4. vbi Patris iustitiam commendat, *vt quamuis in magnis Reipublicæ muneribus, administrationibúsque versatus ne teruntio quidem facultates suas auxerit:* & statim subdit. *Pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmij loco retulit.* & eodem sensu ante præmiserat: *Quemadmodum ex nostris plerique nobiscum non sunt, quos scilicet à communi corpore flagitiosæ vitæ ratio separat; sic contra permulti exterorum à nobis stant, quicunque nimirum fidem moribus anteuertunt, ac solo christiano nomine carent, cùm rem ipsam habeant; quo in numero meus quoque Pater erat, ramus quidem alienus, cæterum morum honestate ad nos propendens.* Ad hæc verba duplex potest esse responsio: prima quod patet Gregorij, licèt circa aliqua erraret, fidem tamen habebat vnius Dei & remuneratoris. Ita intelligit Nazianzenum eius fidelis interpres Elias Cretensis, qui eo in loco notat, non fuisse Gregorij patrem. *omnino sine fide, etiamsi minimè perfecta. Quoniam enim veterem legem suscipiebat, etiamsi non omni ex parte, fieri aliter non poterat, quin ipse de iudicio, ac retributione aliquid sciret: quorum metu ad bonorum operum studium, vt plurimum incitamur. Nā cum opera citra fidem mortua sint, & contra: quonam modo, nisi sermonem ita constituamus, magnum hoc virum* (nempe *Gregorium*) *istud dicere existimabimus, quod eum nobis orthodoxis etiam ante fidem mores vendicabant? Quæ autem deinceps sequuntur, idem probant.* Hæc Elias, qui ideo dicit, fidem in illo antea fuisse Dei remuneratoris, quia ex verbis proximè præcedentibus Gregorij constat, eum amplexum fuisse magna ex parte legem Iudæorum, & vnum solum Deum adorasse: quare potuit ex desiderio quærendæ salutis bona illa facere, atque ideo cum merito congruo. vt supra concessimus. Secunda explicatio esse potest, quam aliter eiusdem Nazianzeni Scholiastes ibidem tradit. Nimirum fidem appellari præmium non propriè, sed quia opera illa bona disposuerunt, scilicèt indirectè, provt opera etiam naturalia possunt disponere. *Hæc verba*, inquit, *pro his rebus fidem præmij loco retulit; non ita intelligenda sunt, quasi quispiam vllis moralium virtutum officiis fidem mereri possit; fides enim Dei donum est non operum merces, sed quia bona opera hominem ad suscipiendam fidem præparant.* Hæc ille, qui cum excludat meritum, debet necessariò loqui de præparatione indirecta. Mihi magis placet prior Eliæ Cretensis responsio, in quo obiter obseruo quanto studio conetur liberare Nazianzenum ab ea sententia, quod opera bona ante fidem facta potuerint mereri ipsam fidem, quam dicit à viro tanto alienam esse debere.

Affert deinde numer. 17. Augustinum lib. 10. Confess. cap. 6. dicentem: *Cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles.* Sed certè Augustinus *ibi* nihil aliud probat, nisi obligationem amandi Deum, quæ ex cognitione naturali creaturarum oritur, quam non negamus, & quam ipsi etiam Aduersarij fatentur, quamuis Deus, vt poterat, non concurret auxilio supernaturali ad amorem supernaturalem: adhuc enim cœlum, & terra intimarent nobis amorem sui Creatoris. Vrget tamen ex eod. Augustino, vt probet, ibi esse sermonem de dilectione supernaturali: subdit enim Augustin. *Altius autem tu misereberis, cui misertus fueris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris alioquin Cœlum & terra surdis loquentur laudes tuas.* Nimirum, quia vt fiat actus supernaturalis, Dens miscet prouidentiam supernaturalem, sine qua fieret solum actus naturalis. Sed certè hæc explicatio longè abest à mente Augustini, qui eam misericordiam Dei exigit, sine qua cœlum & terra surdis loquerentur; ergo sine qua non solum actus supernaturalis, sed neque naturalis amor fieret: si enim amor naturalis fieret, non possent dici surdis loqui, sed audientibus, & consensum præstantibus. Per auxilium ergo altius, & misericordiam Dei specialem intelligit Augustinus cogitationem efficacem, quam nos diximus non dari de facto ad dilectionem Dei, nisi oriatur ex fide: fideles enim soli ex consideratione cœli, & terræ mouentur efficaciter ad diligendum Deum super omnia: quippe qui credentes firmissimè Deum esse harum creaturarum Conditorem, earum voces audiunt, cooperante fide, sine qua surdis loquuntur.

Ad idem affert Prosperum lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. vbi ita loquitur. *Quis ambigat eos, qui de quibuscunque nationibus quibuslibet temporibus, Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ fuisse directos, quæ etsi parcior antea, atque occultior fuerit, nullis tamen sæculis se negauit, tantæ vnā, quantitate diuersa, opere multiformi. &c. 10. Denique, si ad ipsa mundi exordia recurramus, inueniemus, omnium Sanctorum, qui diluuium præcesserunt, Dei spiritum fuisse rectorem. Propter quod & filij Dei nominati sunt. Gen. 6. quoniam, vt ait Apostolus, quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Hæc tamen loca frustra ad hoc afferuntur, nam si quid probarent, deberent probare, nullum fuisse iustum aut sanctum in statu legis naturæ, qui fidem strictam haberet, de omnibus enim iis generaliter Prosper loquitur: quod tamen nemo turò dicere auderet. Regi ergo, vel agi spiritu Dei, vel spiritu gratiæ non est habere solùm

solùm notitiam Dei ex creaturis,& non ex reuelatione, vel doctrina Ecclesiæ, sed habere illam debito modo,nempe vel per reuelationem internam, vel per traditionem, & doctrinam ex fide parentum,vel maiorum deriuata,sine lege tamen scripta, vel Scripturis sacris, quæ eo tempore non erant. Affert denique ibi Fulgentium,& Clementem Romanum, quorum verba iam *suprà* explicuimus.

77 Obiectio 12. Duodecimò arguit *num.*18.quia vt fiant actus supernaturales virtutum moralium, sufficit cognitio proponens honestatem obiecti: hæc autem cognitio non potest plerumque esse à fide, quia Deus non reuelauit honestatem obiectiuam circa omnes virtutes in particulari,& quia homo sepe ignorat talem reuelationem, vel non recordatur illius,sed attendit ad bonum misericordiæ, v.g. vel temperantiæ, quod sibi à Prædicatore commendatur,& operatur circa materiam earum virtutum:quis autem excludat omnino hæc omnia opera bona à ratione meritoria? Respondetur, fideles regulariter in suis operibus bonis consulere potissimùm regulam fidei, vel doctrinam Ecclesiæ, vtpotè firmissimam omnium regulam: vix autem reperitur virtus vlla,cuius honestas in Scriptura sacra non commendetur,vt discurrenti patebit. Adde, in virtutibus, quæ respiciunt aliquo modo Deum, ut sunt religio, obedientia, pœnitentia & similes, non esse difficultatem, quomodo pendeant à fide ostendente excellentiam, dominium, & alias perfectiones Dei propter quas honestum est colere, obedire, pœnitere,&c. in aliis etiam virtutibus fideles plerũque attendunt, quod vel earum opera Deo placent, vel ab eo consuluntur, vel certè conducunt ad Deum, seu beatitudinem consequendam, quæ vltima consideratio nunquam,aut ferè nunquam deficit in Christiano honestè operante:difficillimum enim est, quod amans, & desiderans aliquem finem eligat medium aliquod, quod scit vtile esse ad illum finem,& non moueatur saltem partialiter ab eo fine. Cùm ergo honestas,& probitas morum habeat tantam,& adeo manifestam connexionem cum negotio salutis spiritualis, impossibile ferè est, vt quoties de honestate eligenda agitur,non occurrat statim vtilitas eius ad salutem,& moueat saltem partialiter ad eam electionem honestam.

78 Obiectio 13. Decimotertiò arguit *n.*23. ex Prospero lib.1. de vocatione gentium,cap.4.qui de sapientibus, qui Deum ex creaturis cognouerunt, nec Deo gratias egerunt,sed in se ipsis gloriati sunt, subdit: *Euanuerunt in cogitationibus suis,& quod illuminante Dei gratia inuenerunt, obcœcante superbia perdiderunt relapsi à superna luce ad tenebras suas.* Vbi notitiam illam Dei ex gratiæ illuminatione esse dicit, & supernam lucem appellat, quæ omnia significant aliquid supernaturale. Respondetur,in primis eas voces non semper significare lumen supernaturale in substantia: nam illuminationes etiam naturales ad vitandum peccatum concedimus esse ex gratia per Christum, vt suppono ex tract. de gratia, atque ideo verè sunt *ex illuminante Dei gratia*, & cùm dentur à Deo in ordine ad finem supernaturalem, possunt dici *superna lux*.Deinde concedo,lumen illud datum Philosophis, quando deseruire poterat ad desiderandam,& quærendam veram religionem, & fidem, potuisse esse supernaturale in substantia, quia affectus etiam ille fuisset supernaturalis:non tamen deseruiret proximè ad diligendum Deum super omnia ante fidem propter suam debilitatem,& quia sine fide impossibile est placere Deo prout placeret,qui dilectione supernaturali eum diligeret.

79 Obiectio 14. Decimoquartò arguit *ibid.n.*24.quia cognitiones Theologicæ sunt supernaturales in multorum sententia, ergo perfectiones diuinæ possunt cognosci per actum supernaturalem,qui non pertineat ad fidem strictam. Ad hoc iam dictum est *suprà*, actus Theologicos esse supernaturales, quia supponunt fidem,& eliciuntur partialiter ab habitu fidei, atque adeo voluntas bona ex illis procedens poterit etiam esse supernaturalis.

Obiectio 15. Decimoquintò arguit *ibidem*, quia incredibile est, rusticos fideles,& alios pios homines, qui ex meditatione creaturarum accenduntur in ardentissimum amorem Dei propositi,vt creatoris, sapientis, benefactoris,&c. absque vlla memoria reuelationis, non elicere actum vtilem ad salutem.Respondetur ex dictis,actus illos amoris esse supernaturales, sed non fieri fide non cooperante & dictante, Deum esse auctorem illarum creaturarum, cùm infideles nunquam in eiusmodi actus dilectionis Dei super omnia accendi videamus.

80 Obiectio 16. Decimosextò arguit *ibidem*,quia multi dicunt, non posse simul stare actum fidei cum cognitione scientifica: quid ergo dicemus de homine fideli habente actum scientificum circa bonitatem infinitam Dei,& eum ardentissimè amante? illane dilectio erit inutilis ad salutem?Respondetur, ideo nos sententiam illam superiùs reliquisse,sed ea data, homo non diligeret Deum super omnia stante illa cognitione euidenti, quia cognitio scientifica sola sine fide debilis est, & inefficax ad talem amorem, vt experientia testatur in iis omnibus, qui fide carent.

Obiectio 17. Decimoseptimò arguit *ibidem* ex S.Thoma 2. 2. quæst.171.art.2.ad 3. dicente, *diligere Deum, & cognoscere ipsum in speculo creaturarum esse supernaturale quoad modum*: vbi S.Thomas non negat eos actus esse intrinsecè supernaturales, vt eius interpretes communiter notant, sed significat, eos non habere supernaturalitatem ex ratione generica,sed ex ratione tantum specifica: igitur supponit, cognitionem Dei in speculo creaturarum, quæ non sit ex testimonio Dei, adhuc esse supernaturalem.Respondetur,omnes interpretes supponere pro comperto,quod S.Thomas ibi loquatur de actu fidei, & de dilectione Dei,quæ à fide oritur, vt supponit Suar. *lib.2.de Gratia,cap.5. num.4.* & alij omnes,qui illum locum opponunt contra communem doctrinam de supernaturalitate actus fidei quoad substantiam, & omnes illum explicant,cõcedentes tamen esse ibi sermonem de vero, & stricto actu fidei. Dicimus autem per actum fidei cognoscere Deum *in speculo creaturarum*,non quia habeat creaturas pro medio, aut motiuo assentiendi, sed quia per fidem non videmus Deum in se, sicut videtur in patria,sed cognoscimus eum per speciem creaturarum,& ad similitudinem rei creatæ, & ideo dicitur à S.Thoma supernaturalis solum quoad modum,quia potest esse etiam ex genere suo cognitio illa naturalis, cùm possimus habere actus etiam naturales tendentes in Deum per speculum, hoc est, per species rerum creatarum, sicut tendit fides.

81 Obiectio 18. Decimo octauò arguit ibidem ex Concil.Moguntino

guntino cap.7. de iustificatione dicente, *Præuenientem gratiam, cùm per alia media, tum potissimum in prædicatione Verbi ad conuersionem hominis operari.* Ergo secluſa etiam prædicatione Verbi diuini, quæ ad fidem strictam necessaria est, potest esse gratia præueniens ad conuersionem. Respondetur, esse quidem alia media præter prædicationem, nempe lectionem librorum piorum, illuminationem internam, & alia similia. Omitto alia argumenta leuiora, quæ ex dictis facilè solui possunt: hæc sufficiat breuiter tetigisse, vt mentem meam circa hoc placitum manifestarem. Nam licèt olim probabile existimauerim, dari concursum supernaturalem Dei, quoties occurrit occasio actus honesti, etiam si non ex fide proponeretur, nunquam tamen dixi, posse absque propria fide, & stricta hominem adultum iustificari, & postea etiam magis attentè considerata Conciliorum, & Patrum mente, concursum illum ita vniuersalem supernaturalem ad omnes virtutes morales, deficiente etiam fidei propositione, negaui.

SECTIO IV.

Vtrùm semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate medij fides explicita, Trinitatis, & Christi.

82 *Fides explicita quænam dicatur.*

DE hoc latè, & optimè Suarez *in præsenti disput.* 12. *sect.* 4. Supponendum autem est, fidem explicitam appellari, quæ sufficit ad reddendam rationem de tali obiecto in particulari, v.g. de Incarnatione, aut Christo. Implicita verò ad id non sufficit, qualis est fides, qua rusticus credit, & tenet omnia quæ credit Romana Ecclesia; ex vi cuius fidei non poterit respondere, an credat, iustificationem fieri per formam inhærentem, & alia eiusmodi. Quare de fide implicita horum mysteriorum non est quæstio: ad minus enim omnes, & singuli fideles credebant, vera esse omnia, quæ Deus reuelasset, in quibus continebatur aduentus Christi, quem Deus iam aliquibus reuelauerat; alioquin non potuisset esse quæstio de necessitate fidei de hoc mysterio, si nulla præcessisset reuelatio, cùm nunc nulla potuisset esse fides illius.

83 *Fidei explicitæ plures gradus.*

Rursus fides explicita Incarnationis diuiditur bene à Suarez *dicta sect.* 3. *num.* 16. in plures gradus magis, & minùs expliciti. Primus gradus est, quando Deus creditur, vt iustificator, & saluator hominum per media ab eo disposita, non cogitando de mediis in particulari, quorum vnum est Incarnatio. Secundus gradus est, quando creditur aliquis redemptor, & mediator inter Deum, & homines ad illos saluandos, non cognoscendo modum redemptionis, nec an mediator ille sit Deus. Tertius gradus est, quando crederetur etiã diuinitas Redemptoris, ignorato modo redemptionis. Quartus denique gradus est, quando creditur explicitè diuinitas, & humanitas Christi, & modus, quo per passionem, mortem, & resurrectionem consummanda esset redemptio nostra.

84 *An in iis qui Christum præcesserunt, necessaria fuerit fides de ipso explicita necessitate medij.*

Hoc supposito, quæritur in primis, an in iis, qui Christum præcesserunt, necessaria fuerit fides de ipso explicita necessitate medij. Affirmant aliqui, Corduba *in suo quæstionario lib.* 2. *qu.* 5. *ad* 3. Lorca *disp.* 21. *num.* 4. licèt postea *num.* 11. vi-

deatur ab ea sententia discedere; idem tenet P. Coninch *disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 147. qui tamen loquuntur de fide explicita mediatoris secundo modo explicita. Aliqui volunt, hoc non intelligi de iis, qui fuerunt in statu legis naturæ, sed de iis, qui legem scriptam acceperunt, ita Aragonius *in præsenti quæst.* 2. *art.* 5. *conclus.* 4. & 5. quem sequitur granado *controuers.* 1. *tract.* 10. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 11. & fauet Alensis 3. *part. quæst.* 69. *membr.* 3. *art.* 1. *ad* 2. & denique de vtrisque hominibus probabilem putat talem necessitatem Suar. *dict. sect.* 3. *num.* 17.

Contraria communis, & verior sententia est negans pro eo tempore talem necessitatem illius fidei explicitæ vt medij, quam vt certã supponit Valentia *in præsenti quæst.* 2. *puncto* 4. *propositione* 1. eandem tenet Suar. *vbi supra num.* 17. Turrianus *disp.* 27. *dub.* 3. Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 2. *num.* 7. Hurtado *disp.* 44. *sect.* 1. §. 1. & sumitur ex S. Thoma *quæst.* 2. *art.* 7. & clariùs *in* 3. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiuncula* 2. & aliis, quos affert Suarez *n.* 14.

Probatur primò ex illo Pauli ad Galat. 3. *Antequam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat.* vbi statum legis antiquæ videtur appellare implicitum, & obscurum respectu posterioris fidei explicitæ; licèt hæc verba alium possint habere sensum, vt postea videbimus. Probari etiam potest ex Chrysostomo *homil.* 37. *in Matth.* vbi ait, multos gentiles saluos fuisse sine fide explicita Christi, idem docet Clemens Alexand. *lib.* 5. & 6. *stromatum.* Euseb. 7. *præparationis cap.* 3. Irenæus *lib.* 2. *contra hæreses.* Hugo de S. Victore *lib.* 1. *de sacramentis parte* 10. *cap.* 6. Bernardus *epist.* 77. & alij apud eundem Suarez. Ratione probatur, quia fides explicita Christi, neque ex natura rei, neque ex decreto Dei erat necessaria ad iustificationem, non quidem ex natura rei, vt patet; nam sufficit cognitio vnius Dei remuneratoris supernaturalis ad excitandum actum dilectionis, & contritionis, neque Paulus aliud exigit ad Heb. 11. in illa verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* Sed neque ex decreto Dei, cùm neque ex Scriptura, neque ex Conciliis constet: ergo cùm aliúde cognitio illa explicita Christi difficilis esset, non est cur ab omnibus exigeretur necessitate medij. Quòd si aliqua sunt testimonia, quæ oppositum videantur insinuare, facilè explicãtur de fide implicita, vel de fide Christi, non vt obiecti, sed vt causæ meritoriæ, propter què scilicet dabatur fides, & iustitia, vel de necessitate præcepti, vt postea dicemus difficultate sequenti, ex cuius decisione ampliùs constabit à fortiori hæc cõclusio.

Confirmari potest ex Tridentino *sess.* 6. *c.* 2. dicente, ante aduentum Christi mysterium illud fuisse à Deo aliquibus Patribus declaratum, ac promissum, vbi significatur, non fuisse omnibus generaliter manifestum, atque adeo fidem illam explicitam non fuisse omnibus necessariam, quia media omnibus necessaria, omnibus communicantur. Quo argumento vtitur Suarez *n.* 15. non est tamen satis efficax: quia licèt nõ omnibus, sed aliquibus fuerit immediatè reuelatũ, per illos tamen tanquam per Principes, & capita fides illa proponi potuit aliis omnibus, & loquẽdo de necessitate præcepti, difficile est, quod postea fallẽ Abrahæ, quibus circunciso impositã fuit tanquam signum & protestatio Messiæ venturi, non habuerint obligationem credendi, & profitendi aduentum

aduentum futurum Messiæ toties à Deo illis propositi,& prænuntiati. Similiter nec videtur efficax argumentum, quod affert ibidem Suarez ex eo,quod antiqui non habebant notitiam, vel fidem explicitam peccati originalis,in cuius remedium Christus venturus erat. Nam,quidquid sit, an cognouerint explicitè peccatum originale, certum tamen est, eos de facto credidisse communiter Messiam venturum, imò & hodie falsò id credunt Iudæi:potuit ergo exigi vna fides explicita sine alia.

87 Obiici solent aliqua loca Augustini,qui videtur necessitatem talis fidei explicitæ posuisse in omni statu. De iis tamen dicendum est difficultate sequenti. Difficiliùs obiici posset Nazianzenus oratione 20. de sanctis Machabæis vbi generaliter dicit: *Quin etiam mystica quædam & occulta ratio mihi quidem, atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi aduentum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.* Quæ verba Hurtado *vbi supra §. 2.* explicat de fide implicita in Christum. Sed Nazianzeni verbis sine violentia applicari hæc explicatio non potest. Præmiserat enim ab aliquibus Machabæos non ita honorari, eo quod Christum præcesserunt. Ad quod respondet,imo ideo magis esse honorandos. *Qui enim ante Christi supplicia martyrium subierunt,quid tandem erant facturi, si post Christi tempora vexati fuissent, eiusque mortem nostræ saluti causa suscepram ad imitandum proposítam habuissent; Nam qui nullo huiusmodi exemplo ob oculos posito, tanta virtutis laude floruerunt, cui dubium esse potest,quin iidem tale exemplar intuentes,multò generosius, fortiúsque se periculis obiecturi fuerint;* Postea verò addit, non passos fuisse absque Christi recordatione,scilicet explicita,nam implicita illa, qua credebãt Deum esse iustificatorem per aliqua media sibi ignota,impertinens esset ad propositum, quod manifestiùs patet ex verbis sequentibus: si enim de fide illa solùm implicita loqueretur, non debuisset dicere,id sibi *probabile* esse; nec illam esse *mysticam,& occultam rationem;* imò aperta; manifesta, & certa omnino ratio esset, de qua nemo vnquã dubitasset, omnes iustos fideles, & martyres antiquos, fidem implicitam Christi habuisse, cùm omnes crederent in communi,vera esse quæcunque Deus reuelasset, & Deum etiam iustificatorem, & saluatorem hominum esse per media ipsi cognita: non ergo agebat Nazianzenus de fide illa solùm implicita in Christum,sed de alia magis explicita, quã probabile putat fuisse de facto in omnibus martyribus antiquis: non enim loquitur de omnibus fidelibus, sed de aliquibus eximiis, quales in primis fuerunt martyres, qui olim non multi fuerunt.Quam fidem explicitam Christi non dicit fuisse illis necessariam necessitate medij: nam licèt in versione *suprà* relata dicat, *neminem martyrum id sine fide in Christum consequi potuisse.*: in versione tamen Billij solùm dicit, non esse de facto consequutum; & reddit rationem, quia mentibus puris, hoc est, puritate cordis spirituali nitentibus, Deus eiusmodi notitiam communicare solebat. Verba ipsius ex translatione Iacobi Billij hæc sunt. *Ac simul arcana hæc doctrina est, nec mysterio vacans, mihi quidem, piisque omnibus viris admodum probabilis: neminem videlicet eorum, qui ante Christum natum martyrio perfuncti sunt, id citra Christi fidem esse consequutum. Quanquam enim verbum suo postea tempore liberè promulgatum est: puris tamen animis etiam ante innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsius natiuitatem honoribus effecti sunt, liquido perspici potest.* Ex quibus verbis argumentum potiùs desumi potest pro nostra sententia:si enim solis puris animis ea notitia explicita Christi communicabatur,non ergo erat necessaria necessitate medij ad salutem;alioquin omnibus fidelibus debuisset communicari,non solùm puris,sed etiam iustis minùs puris, atque etiam peccatoribus.

88 *An saltem in statu legis gratiæ requiratur necessitate medij fides explicita Christi. Prima sententia.*

Secunda ergo difficultas est, vtrum saltem in statu legis gratiæ requiratur de necessitate medij fides explicita Christi. Prima sententia docet,requiri fidem explicitam Christi, non quidem ad primam iustificationem,sed ad gloriæ consequutionem. Ita Canus *in relect. de Sacrament.in genere parte secunda conclusione* 3. Ioan. de Bononia *tract. de prædestinatione in responsione ad obiectiones.*Ledesma,Castro,Bañes,& Aragon.quos refert Suarez *vbi suprà sect.*4. *num.*9. fundatur autem hæc sententia potissimùm in eo quod Cornelius *act.* 10.cùm esset iustus,necesse habuit instrui à Petro de fide Christi, vt saluus fieret,ergo ideo, quia illa fides necessaria erat ad gloriæ consequutionem; deinde,quia hoc pacto videntur solui difficultates vtriusque extremi; si enim dicas fidem explicitam Christi esse necessariam ad primam iustificationum,difficile videtur,quomodo homo credens in Deum, & inuincibiliter ignorans mysterium Christi, non possit conteri ex Dei dilectione ad iustificationem; si verò dicas, fidem Christi non esse necessariam, obstant plura Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ videntur per hanc sententiam conciliari.

89 Cæterùm hæc sententia communiter reiicitur, & meritò, nam in primis testimonia scripturæ si quid probant, probant etiam de prima iustificatione, vt ex eorum verbis, quæ postea proponemus,manifestè constabit: non enim loquuntur de gloria,sed de iustitia,& remissione peccatorum. Deinde, quia gratia affert secum semper ius ad gloriam; ergo ea solum ad gloriam requiruntur, quæ requiruntur, ad primam gratiam; ideo in scriptura solum requiritur ad gloriam carentia peccati, Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.*2. ad Timoth.2. *non coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit.* Denique Augustinus sæpè arguit contra Pelagium asserentem paruulos non baptizatos carere omni peccato, & tamen excludi à Regno Dei; ergo si iustificatus sine fide explicita Christi caret omni peccato,non est cur non possit assequi regnum; præsertim cùm possit contingere hominem statim post primam iustificationem mori antequam habeat fidem explicitã Christi. Addit Suarez *n.*16. posse cathecumenum esse sufficienter instructum circa alios articulos,& petiisse baptismum,& incidere mortis articulum cum carentia vsus rationis:quo casu nemo dicet non esse baptizandum. si autem baptizetur, & moriatur, saluabitur vtique cùm doluerit antea de peccatis: ergo consequetur gloriam absque fide explicita Christi.

90 *Secunda sententia.*

Secunda sententia satiscommunis docet,fidem explicitam Christi necessariam esse, vt medium in lege gratiæ ad primam iustificationem. Hanc vltra alios quos referunt,tenent Valentia *vbi suprà*,Lorca *in præsenti disput.*22. & Thomas Sanchez *in primo præcepto decalogi lib.*2. *cap.*2. licèt

plures ex auctoribus, quos referunt, non loquantur de necessitate medij, sed solùm de necessitate præcepti, vt bene de Magistro Scoto, Gabriele, & aliis probat Coninch *d.14.à n.134.* Alij eam modificant, vt Scotus, qui censet illam neneceſſitatem solùm procedere quando adest copia prædicatoris: alioquin posse suppleri per fidē implicitam. Cæterùm hæc modificatio destruit totam sententiam; nam posita copia prædicatoris, & notitia obligationis, iam esset ignorantia vincibilis, & culpabilis, qua stante non posset homo iustificari. Eandem tamen sententiam tenent Granad. *tract.10. disp.2. sect.2.* Molin. *1. parte, art.1. disp.2.* Lorinus *in c.10. Act. vers.2.*

91 *Tertia sententia probabilior.* Tertia sententia probabilior negat esse necessariam necessitate medij fidem explicitam Christi ad iustificationem, vel salutem. Hanc tenet Mich. de Medina *lib.4. de recta in Deum fide c.10.* Vega *lib.6. in Tridentinum c.22.* Iauell. *2. part. Christianæ philosophiæ tract.1. cap.1. ad finem,* Zumell. *1. 2. quæst.89. art.6. disp.4.* & alij, quos sequitur Suarez *dict. sect.4. num.10.* Turrianus *in præsenti disp.27. dub.4.* Hurtado *disput.44. sect.1.* qui alios plures affert, & notat, Lorcam in eandem sententiam relabi *disput.22. num.11.* vbi dicit, sufficere eam fidem explicitam in voto. Denique plures alios congerit Coninch *disp.14. n.163.* ipsum tamen ego non computo, quia licèt eam videatur tenere, sed reuera solùm negat esse necessariam fidem explicitam, qua credatur Christum esse Deum & hominem, & secundam personam Trinitatis, sed dicit sufficere implicitam, *credendo implicitè eum esse mediatorem, & saluatorem nostrum*; in quibus verbis multum discedit ab Auctoribus huius sententiæ, qui nec eam necessitatem agnoscunt. Et denique hæc est communis sententia inter nostros Recentiores, & videtur esse S. Thom. *3.3. part. quæst.69. art.4. ad 2.*

92 *Probatur ex Scriptura.* Probari potest primò ex Paulo *ad Hebr.11.* vbi solùm videtur exigere ad salutem fidem vnius Dei remuneratoris, ex qua fide sufficienter excitatur homo ad considerationem bonitatis Dei, & ad diligendum ipsum super omnia, & dolendum de peccatis per veram contritionem; ergo sine fide explicita Christi potest iustificari. Confirmatur primò quia ad iustificationem cum sacramento baptismi, vel pœnitentiæ sufficit attritio ad quam non requiritur cognitio Christi, sed potest concipi ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati; ergo, qui inuincibiliter ignoraret Incarnationem, posset iustificari in Sacramento ritè susceptо. Quod autem Deus peculiari prouidentia amoueat vsum Sacramentorum ab his, qui ignorant Christum, est incredibile, & contra id quod non solum apud Indos sed etiam apud rusticos nostros quotidie experimur, quam plures inuincibiliter ignorantes Incarnationem, quod si cum hac ignorantia non possunt iustificari, deberent sanè repetere confessiones totius vitæ, nec sufficeret instrui nunc à Confessario de Incarnatione, nam omnes præcedentes confessiones non habuerunt effectum, nec valorem, defectu dispositionis requisitæ, scilicet fidei explicitæ Incarnationis, alioquin si habuissent valorem, habuissent effectum, sacramentum enim causat gratiam in non habente obicem peccati. Quis autem obliget pœnitentem ignarum Incarnationis ad repetendas confessiones totius vitæ? Sanè opinio, ex qua illud sequitur, licet alioquin ad cathedram probabilis sit; ad praxim tamen, & ad rusticorum conscientias tractandas durissima est. Quos enim millies doceas incarnationem, toties obliuiscuntur, quæ audierunt, nec poterunt cras, si rogentur, reddere rationem. Non ergo credibile est, horum iustificationem dependere semper, tanquam à medio necessario à notitia explicita Incarnationis.

Confirmatur secundò, quia si ad primam iustificationem prærequiritur hæc notitia, requireretur etiam ad secundam & tertiam, & quoties aliquis relabitur in peccatum, & de nouo accipit primam gratiam in sacramento, vel extra sacramentum. Hoc autem planè videtur durissimum: esset enim reddere dubium valorem multarum confessionum, ad quas pœnitens sæpe accedit sine memoria Christi, sed ex desiderio suæ salutis, ex odio peccati, & amore Dei, &c. Respondet Lorca *vbi supra memb.4. in fine* sufficere ad secundam iustificationem memoriam implicitam Christi, postquam aliquis semel Christum explicitè credidit: sicut etiam sufficit detestatio, vel propositum implicitum non peccandi contentum in actu dilectionis super omnia, si non occurrat memoria peccati. Sed contrà; in primis exemplum non est ad rem, quia detestatio, & propositum taliter continetur in actu dilectionis super omnia, vt non solum contineatur in ordine ad secundam iustificationem, sed etiam in ordine ad primam, licèt aliquis nunquam habuerit formaliter detestationem, & propositum; ergo si exemplum aliquid probat; probaret etiam fidem explicitam Christi posse suppleri in ordine ad primam iustificationem. Deinde testimonia Scripturæ, & Patrum, si probant fidem explicitam Christi habere necessitatem medij ad iustificationem, probant æqualiter de prima, & de secunda iustificatione, quale est illud Ioan.3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vbi videtur exigi fides in Christum crucifixum ad salutem à peccato, sicut Iudæi adspicientes ad serpentem exaltatum sanabantur à vulneribus: ergo sicut ad salutem corpoream exigebatur visus actualis, nec sufficiebat prius aspexisse; sic etiam ad salutem spiritualem à nouo vulnere exigetur de nouo adspicere in Christum, nec sufficiet antea credidisse. Simile est illud Pauli ad Galat.2. quod pro contraria sententia affertur; *scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Vbi vides, fidem Christi exigi tanquam id, per quod homo iustificatur, sed ante commissum peccatum non iustificatur ab ipso, ergo post ipsum peccatum requiritur fides Christi: ergo vel ad secundam iustificationem non exigitur necessariò fides explicita Christi, vel requiritur ad omnes.

Denique probatur hæc sententia, quia fides explicita Christi, neque ex natura rei necessaria est, vt de se patet, neque ex Dei decreto, vt patebit respondendo ad omnia Scripturæ loca, ex quibus tale decretum colligi potest. Pro quorum explicatione in vniuersum notare oportet, plura ex illis solùm agere de necessitate præcepti, quale est illud Marc. vltimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* vbi non est sermo solùm de fide Incarnationis, sed de fide totius euangelij: præmittebat enim Christus, *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ.* nemo autem dixerit, fidem

94 *Probatur* explici

explicitam totius doctrinæ Euangelicæ esse de necessitate medij, imo nec præcepti; requiritur tamen fides implicita circa omnem illam doctrinam item illud Act. 16. vbi interroganti, *quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Respondent Paulus, & Silas: *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris:* & illud Ioann. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Filij Dei*, &c. & cap. 8. *Qui incredulus est Filio, ira Dei manet super illum*, & illud ad Rom. 10. *Si confiteatis ore tuo Dominum Iesum, & corde credideris, quòd Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris.* Vbi certum est, non agere Paulum de necessitate medij, alioquin confessio etiam externa fidei esset medium necessarium. quod nemo dixerit.

95 Alia sunt loca, quibus fides Christi ponitur vt necessaria, & vt fundamentum: non tamen agitur tam de fide Christi vt obiecti, quàm de fide Christi, vt causæ meritoriæ, & vt condistinguitur à notitia legis, ex qua non iustificatur homo, sed ex gratia, seu fide per Christum: nam, vt ait Augustinus *de fide & operibus, cap. 16.* non solùm fides Christi appellatur, qua Christum credimus, sed quam per Christum accepimus: qui modus loquendi familiarissimus est Paulo, præsertim tota epistola ad Rom. vnde cap. 3. ait. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eo*: & subdit: *iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium dilectorum in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi*, quo loco planè non loquitur solùm de iustis noui testamenti; sed de omnibus iustis, vt constat ex illis verbis, *propter remissionem præcedentium dilectorum.* Non fuit autem omnibus iustis necessaria fides explicita Christi, vt *suprà* vidimus, & fatentur aduersarij; ergo fatendum est, paulum non tribuere virtutem iustificandi fidei in Christum, vt in obiectum, tanquam causæ necessariæ, sed vt causæ habenti sufficientem virtutem ad iustificandum inchoatiuè, sicut eam etiam habet fides in Deum. Fides autem Christi vt principij meritorij, est causa necessaria omnibus in vtroque testamento, quia omnis fides per quam iustificati sunt, prouenit à meritis Christi. Huc etiam spectat illud ad Galatas 2. *scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Et illud. *Et nos in Christo credimus, vt iustificemur ex fide Christi*, vbi cùm priùs agat de fide, per quam semper homines iustificati sunt, non potest inferre necessitatem fidei explicitæ in Christum ad iustitiam, sed infert particularem ex vniuersali; quia scilicet semper iustitia oritur ex fide per Christum, ideo nos habemus fidem in ipsum Christum, quæ à fortiori erit per Christum, vt per ipsam iustificemur. Et illud: *nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, &c. Et illud act. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Nec longè abest illud Pauli 1. ad Cor. 3. *vt sapiens architectus fundamentum posui, vnusquisque videat quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præterid, quod positum est; quod est Christus Iesus.* Vbi non est specialis sermo de fide explicita Christi, quasi ea sola sit vnicum, & necessarium fundamentum iustitiæ: alioquin fides explicita Trinitatis non esset necessarium fundamentum, quod est cõtra aduersarios, qui æquiualenter docent necessitatem vtriusque notitiæ: potest ergo Paulus intelligi de fide Christiana, seu doctrina Christi, quæ quidem est fundamentum iustitiæ; nam sine hac fide nemo potest iustificari: in quo sensu accipienda sunt verba Gregorij relati in cap. *cùm Paulus* 26. 1. quæst. 1. *Cùm Paulus*, inquit, *dicat, fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. consequenter probatur, quod vbi Christus fundamentum non est, nullius boni operis potest esse ædificatio.*

Alia etiam sunt testimonia, quæ solùm probant, notitiam explicitam Christi habere virtutem ad iustificandum eo modo, quo iustificari possumus per fidem: non verò probant necessitatem talis notitiæ: quale est illud Ioann. 3. *exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Et illud Pauli ad Rom. 3. *Iustitia Dei in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Et illud Ioann. 6. *qui credit in me habet vitam æternam.* Et Ioann. 11. *Omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*; & illud Ioann. 17. *hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Ioann. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius*, alibi sæpè. Quæ omnia si probarent necessitatem fidei explicitæ Christi, probarent etiam contra aduersarios illam solam sufficere, sine fide explicita Trinitatis; potest enim benè cognosci explicitè Christus, sine fide explicita Spiritus sancti. 96

Afferri etiam solet testimonium Pauli ad Galat. 3. *sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Vbi videtur Paulus significare, ante aduentum Christi fuisse necessariam notitiam implicitam Christi, in qua, tanquam in nebula, inclusi erant fideles, donec adueniente Christo reuelata fuit ea fides, & facta explicita, itaut sicut antea exigebatur implicita, iam exigatur explicita. Verùm ex hoc loco nihil probatur, nam licèt demus, Paulum loqui de fide implicita Christi, & sub ea dicat olim contineri iustos, vsque ad Christi aduentum; non tamen dicit fidem illam implicitam fuisse olim necessariam, nec modò esse necessariam explicitam, sed solùm, quod PP. antiqui habuerint implicitam, & nos explicitam. Alij tamen verba Pauli aliter intelligunt, non de fide implicita Christi, sed de lege Moysis, intra quam tenebantur homines metu pœnæ, vsque ad legem gratiæ, quæ est lex amoris. Denique alij dicunt, Paulum in illis verbis: *priùs autem quàm veniret fides*: non loqui de prioritate temporis legis scriptæ ad tempus legis gratiæ; sed de prioritate secundùm considerationem nostram, qua etiam ante aduentum Christi considerabatur homo præcisè cum notitia legis, sine spiritu fidei, quæ etiã tunc dabatur per Christum; nam in illa priori consideratione erat quasi incluſus in carcere legis, quæ sola sine aduentu Christi futuro non dabat vires ad non peccandum; donec considerarẽtur idẽm homo per aduentum Christi futurum habet spiritum fidei, à quo poterat iustificari. 97

Vltimò affertur locus Act. 10. vbi Cornelius Centurio vir iustus, religiosus, ac timens Deum, cuius 98

cuius orationes, & eleemosynæ acceptæ erant coram Deo, admonitus tamen fuit ab Angelo, vt vocaret Petrum, qui prædicaret ipsi fidē Christi, vt saluus fieret. Ex quo loco infert Augustinus necessitatem notitiæ Christi de prædestinatione Sanctorum cap. 7. vbi de Cornelio sic ait: *Cuius acceptæ sunt elemosynæ, & auditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat: nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrum.* Verùm hic locus videtur probare plusquam intendit contraria sententia; cùm enim Cornelius esset iam iustus, ergo si adhuc indiguit fide explicita Christi, non ideo fuit, quia hæc esset medium necessarium ad iustificationem, sed ad gloriæ consequutionem, vt volebat Canus. Dicunt, in Cornelio, licèt iam esset iustus, fuisse necessariam, quia Cornelius iustificatus fuerat vigente adhuc statu veteris Testamenti ante Christi ascensionem, quo tempore fides explicita Christi non erat medium necessarium, quare cùm postea cœperit esse necessaria, debuit requiri in Cornelio non ad iustificationem, sed ad perseuerantiam. Verum in hoc non videntur procedere satis consequenter contra Canum auctores huius sententiæ; nam ipsimet Canum impugnant, quòd posuerit aliquod medium necessarium ad vltimam salutem, præter ea, quæ necessaria sunt ad primam. Cùm ergo ipsi hoc admittant in Cornelio, & cæteris iustis illius temporis; facilè poterit Canus eam necessitatem extendere ad iustos etiā nostri temporis; præsertim quia tunc ex eo solùm poterat aliquis iustificari ex fide vnius Dei, quia nondum erat perfectè promulgatum Euangelium in illa regione; ergo cùm nunc etiam non sit perfectè promulgatum in multis regionibus; eadem debet ibi ratio militare; imò & circa singulos homines; nam si respectu huius hominis non est perfectè promulgatum Euangelium, & fides Christi, quid refert promulgatum esse aliis hominibus, quominus iste possit iustificari ex fido vnius Dei?

99 Ad argumentum ergo dupliciter possumus respondere. Primò negando, fuisse Cornelium iustum iustitia supernaturali ante aduentum Petri, sed solùm iustitia quadam morali, qua regulariter legem naturalem obseruabat, & bonis operibus studebat, licèt in aliquo deficeret, vt cum aliis tenet Vasquez 1. 2. *disp.* 192. *cap.* 1. & est sententia Chrysostomi *tom.* 3. in sermone de fide, & lege naturæ, vbi sic ait: &c. *Et vis planè videre: quod opera sine fide non viuificantur? testimonium bonum habuit Cornelius de elemosyna, & precibus, & Christum ignorabat: & quia magnus ille iustitiæ, & veritatis iudex personarum respectum nesciens vidit bona quidem opera, sed mortua, quia fidem non habebat, mittit diuinum Angelum,* &c. idem docuit S. Gregorius homil. 9. in Ezech. vbi sic ait: *Vnum sine altero nihil prodesse valet quia nec fides sine operibus, nec opera sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda: sicut Cornelius pro bonis operibus meruit audiri antequam fidelis existeret;* pro quo sunt Basil. in regulis breuioribus, regula 224. Oecumenius in 10. cap. Actorum, & denique Augustinus expressè in multis locis, quæ congerit Vasquez vbi suprà. Quare si Cornelius nondum erat iustus, non mirum, quod necesse sit esset instrui à Petro, vt iustificaretur.

Secundò respondere possumus admittendo, Cornelium fuisse verè iustum apud Deum, etiam ante aduentum Petri, quæ est communis sententia, & videtur colligi ex ipso contextu; adhuc tamen indiguit instructione Petri, quia fides Christi explicita incipiebat obligare præcepto grauí in illa regione, vt aduertit Alex. 3. part. quæst. 82. memb. 4. art. 2. & constat ex verbis Petri ibi, *Vos scitis quod factum est Verbum per vniuersam Iudæam*, &c. Quod si Petrus non veniret ad Cornelium; facile esset ipsum habere ignorantiam vincibilem Christi, & damnari, ad quod periculum præcauendum monitus fuit propter sua opera bona, vt vocaret Petrum.

Secundò asserunt pro se plura testimonia Petrum, quæ congerunt Valentia *in præsenti quæst.* 2. *puncto* 4. & Lorca *vbi suprà memb.* 2. Sed ex iis plura loquūtur de necessitate præcepti, quam etiam extendunt ad totum symbolum, & ideo immeritò afferuntur in hac quæstione: alia loquuntur de fide Christi, id est, doctrina Christi, quam iam suprà diximus esse medium necessarium. Alia possunt intelligi regulariter loquendo: nam de facto ferè nullus saluus fit sine fide explicita Christi. Alia denique possunt explicari de fide implicita, vel de fide explicita in voto.

Vnus supereſt Augustinus, cuius verba difficiliorem habent explicationem. Afferri autem solet *in lib. de natura & gratia cap.* 2. vbi ex eo, quod aliquis posset habere salutem sine fide explicita passionis Christi, infert, Christum gratis mortuum esse. Sed hic locus vtcunque posset explicari in eo sensu, quod Augustinus solùm neget naturam sibi relictam posse comparare notitiam Dei sufficientem ad salutem sine fide Christi, id est, sine fide per Christum Difficilius loquitur idem Augustinus *in lib. de correctione & gratia c.* 7. & *de prædestinatione Sanctorum c.* 7. & *lib.* 2. *contra Pelagium, qui est de peccato originali c.* 24. & *epist.* 89. & *lib.* 1. *ad Simplicianum q.* 2. vbi videtur exigere expressè cognitionē explicitam Christi. Verūm loca Augustini, si aliquid probant contra nostram sententiam, probant etiam fidem explicitam Christi necessariam fuisse eodem modo ante ipsius aduentum, licèt in nobis magis explicita sit quoad aliquas circunstantias Incarnationis; nam in prædicta epistola 89. ait, commendari Christum ab Apostolo ad Rom. 3. ad iustificationem, *vt sciamus* (ait Augustinus) *etiam antiquos iustos, quicunque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut à nobis facta enunciatur: ideo idem Christum hominem dicit, cùm sit & Deus, ne quis antiquis existimet iustos per Deum tantummodo, id est, per Verbum, quod erat in principio non etiam per fidem Incarnationis eius, quia & homo Christus dicitur liberare potuisse.* Hæc Augustinus, vbi vides, non constitui differentiam ab ipso inter iustos veteris, & noui Testamenti, quod illi omnino implicitè cognouerint mediatorem in aliquo vniuersali principio; ait enim habuisse fidem Incarnationis, quæ eis prænunciabatur: non potest autem prænunciari, nisi fiat mentio eius quod prænunciatur: licèt hanc fidē antiquorum appellet velatam, & occultam; nostram autem reuelatam, & apertam, quia quoad omnes circunstantias maior sit notitia mysterij in nouo Testamento. Cæterùm aliquam notitiam illis fuisse necessariam docet expressè *in d. lib.* 2.

lib.2.contra Pelagium cap.26. vbi ait, ideo illos in resurrectione venturos esse vitæ æternæ, quia in Christo iustificati, ideo autem in Christo viuificatos, quoniam ad illius corpus pertinent, quia & ipsis caput est Christus, & ideo ipsis caput esse, quia vnus mediator Dei & hominis est Christus, quod eis non fuisset, nisi in eius resurrectionem per eius gratiam credidissent: & hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum esse nescissent? Hæc Augustinus, quem fateri debemus esse contra aduersarios etiam quatenus fidem explicitam Christi, & multo magis resurrectionis Christi negant fuisse medium necessarium ad salutem in lege veteri, vel si ab eis explicetur loqui de necessitate aliqua morali, quia fides diuina regulariter non poterit alicui proponi sine fide explicita mediatoris, eodem modo poterit explicari de tempore legis gratiæ.

101 Difficiliùs fortasse explicari possunt verba eiusdem Augustini *lib.18. de Ciuit. Dei cap.47.* vbi agens de iis, qui olim ex gentibus saluati sunt, ait: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum venisse nobis nuntiatus est; vt vna eadémque fides per ipsum omnes in Dei Ciuitatem, in Domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.* P. Suarez *dicta disp.12.sect.3. n.13.* relatis his Augustini verbis, fatetur Augustinum in ea fuisse sententia, vt semper necessaria fuerit fides explicita Christi; postea verò *n.17.* dicit, explicandum esse Augustinum, sicut eum explicat Hugo de sancto victore, quod necessaria semper fuerit ea fides explicita in corpore Ecclesiæ, non verò in singulis personis; quæ tamen expositio difficilis est, si verba Augustini considerentur. Certè verba illa, si quid probant, non minùs probant necessitatem illam pro tempore legis scripturæ, & legis naturæ, quàm pro tempore præsenti, cùm expressè loquatur de iustis antiquis, qui extra legem scriptam salui facti fuerunt, dici posset, Augustinum ibi non negasse potestatem iustitiæ acquirendæ sine ea fide explicita, sed solùm circa quæstionem de facto in ea sententia, quod de facto nullus fuisset iustus, & sanctus in aliquo statu, qui fidem explicitam vnius mediatoris non habuerit. Nam sicut de facto probabile videtur nullum apud Christianos reperiri hominem fidelem & iustum, qui aliquid de Christo non audierit, & crediderit; sic idem apud Iudæos ante aduentum Christi existimari potest, in quibus tam communis erat notitia Messiæ venturi, quàm apud nos Christi iam nati. Extra illum verò populum, qui fideles erant apud gentes, & iusti, vel illuminati fuerant diuinitùs per Angelos, vt videtur supponere Dionysius *de cælesti Hierarchia cap.9.* quem affert Leonardus Coquæus explicans verba illa Augustini proximè citata *de Ciuitate Dei*; & hi non est credibile, quod non illuminarentur etiam circa aduentum Christi futurum. Vel notitiam fidei per homines acceperant: & id fieri non poterat, nisi vel quia è Iudæis eam acciperent, vel per traditionem in aliquibus familiis conseruatam & in vtroque casu difficile erat non accipere etiam notitiam Mediatoris futuri, sine qua fides Iudæorum non communicabatur, & quæ etiam ex traditione Patriarcharum simul cum notitia veri Dei cõseruabatur apud eos, in quibus conseruabatur vera religio, & fides vnius Dei. Quidquid tamen sit circa factum, nobis sufficiat, hanc non esse necessitatem medij, sine quo non sit potentia iustitiæ, vel gloriæ comparandæ.

Video, vrgeri adhuc posse ex eodem Augustino alibi exigente hanc fidem explicitam, vt homo possit iustificari à peccato. Nam lib.2. de gratia Christi, qui est de peccato originali, c.24. Sic loquitur; *Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide vnius Mediatoris Dei, & hominum, hominis Christi Iesu, sine fide, inquam, resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ vtique sine Incarnatione eius, ac morte non potest veraciter credi: sine fide ergo Incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas christiana non dubitat: sine in iis iustis, quos sancta Scriptura commemorat, sine in iis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt; vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob.*

Hæc tamen verba non solùm nostram, sed omnium ferè sententias impugnare videntur, cùm non solùm in lege gratiæ, sed in lege scripta, & in lege etiam naturæ eam fidem explicitam exigat; & quidem explicitam non solùm de vno mediatore, sed de modo redemptionis per carnis assumptionem, mortem, & resurrectionem, quam fidem ita explicitam, in omni tempore nemo exigit de necessitate medij. Quare ego magis crediderim, Augustinum in longè diuerso sensu ponere necessitatem ita vniuersalem illius explicitæ fidei; nimirum in eo sensu, in quo in Symbolo Athanasij dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Cùm tamen non omnia, quæ in eo symbolo continentur, debeant necessariò à singulis fidelibus explicitè credi, vel cognosci, vt constat: dicitur tamen necessaria illa fides, quatenus sine peccato infidelitatis negari non potest. Qui sensus in verbis Augustini colligi potest ex contextu in capite præcedenti, & subsequenti, ex quibus constat, totum illum Augustini discursum esse contra aliquos Pelagianos, qui contendebant, controuersias illas de peccato originali, & de necessitate gratiæ non esse circa res ad fidem pertinentes, sed circa aliquas quæstiones ad fidem non necessarias. Augustinus verò id impugnat & dicit, res illas esse ad fidem pertinentes, & non esse sicut quæstionem de paradiso, vbi sit, vel alias similes, quas enumerat; sed esse tales, sine quarum fide nemo vnquã iustus esse potuit, hoc est, illas negando (vt volebant illi hæretici) quia semper fuerant sufficienter reuelatæ: quod probat, quia etiam olim multi petebant liberari à peccato, in quo concepti fuerant, & confitebantur diuinitatem Christi venturi, vt ex multis Scripturæ locis ostendit, ex quo exemplo peccati originalis colligitur rursus Augustini mens: nemo enim dicet, fuisse olim necessariam necessitate medij fidem explicitam peccati originalis: non ergo de eo necessitatis genere loquitur; sed de illa necessitate, quæ ad intentum præsens spectabat, nimirum, qua veritates illæ nunquam salua fide negari potuerint, hoc enim solum hæretici volebant, quod salua fide in iis posset quilibet in alteram partem liberè opinari.

Opponi

103 Opponi etiam solet auctoritas S.Thomæ in præsenti quæst.2. art.7. & 8. vbi asserit esse necessariam fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis. Verum S.Thomas expressè loquitur de necessitate præcepti ; nam in art.7. in corpore eodem modo docet teneri hominem credere explicitè articulos Christi omnes, qui solemniter celebrantur, quod non potest intelligi de necessitate medij, præsertim cum sæpe vtatur verbo illo *tenentur* quod propriè significat præceptum.

Nec etiam obstat Tridentinum *sess.6. cap.6.* vbi inter præcipuas dispositiones ad iustificationem ponit fidem explicitam redemptionis per Christum. Nam certum est, non omnes dispositiones ibi positas esse necessarias necessitate medij. Sed Patres numerasse eas, quæ regulariter solent interuenire, vt notauit etiam Suarez *dicta sect.4. num.22.*

104 Lorca *vbi supra membr.2.* affert duas rationes contra nostram sententiam. Prima est, quia baptismus est necessarius necessitate medij, sed baptismus est professio explicita fidei Christi, ergo fides Christi explicita est necessaria necessitate medij. Vndequaque claudicat hæc ratio, nam baptismus non est professio explicita Christi, cùm constet posse validè suscipi ab eo, qui omnino ignorat Christum, licèt eo ipso implicitè Christum profiteatur. Deinde baptismus in re susceptus non est medium necessarium ad salutem, sed in re vel in voto.

Secunda ratio est, quia ex nostra sententia sequeretur Iudæum vel Gentilem saluari posse, seu aliquem non Christianum; nam posset habere fidem supernaturalem vnius Dei, & ignorare inuincibiliter Christum, & per consequens nõ esset Christianus, quia Christianus dicitur aliquis propter notitiam Christi, quam habet. Consequens autem videtur esse durissimum, & contra Pontificem in extrau. *Vnam sanctam*, de maiorit. & obed. & in c. *firmiter*, de summa Trinitate, vbi dicitur extra ecclesiam non esse salutem. Respondetur, illum casum ex natura rei non repugnare; illum tamen hominem non esse dicendum non Christianum, quia licèt visibiliter in Ecclesia non fuerit receptus, formaliter tamen & interiùs vnam fidem habitualem, & actualem habuit communem cum Ecclesia, & coram Deo cum Christianis numerebitur: de quo videri potest Iauellus *2.p. christianæ philosophiæ tract.1. cap.1. ad finem* & Suarez *sect.4. num.22.*

105 *An fides explicita Trinitatis sit necessaria necessitate medij.*

Restat iam tertia difficultas, an fides explicita Trinitatis sit necessaria necessitate medij. Affirmant quotquot id asserunt de Incarnatione, licèt non sit consequentia necessaria; nam licèt, ad credendam explicitè Incarnationem necesse sit cognoscere Patrem, & Filium; non tamen Spiritum sanctum, nisi ad quandam circumstantiam non omnino necessitate medij necessariam, quod scilicet Christus conceptus fuerit de Spiritu sancto: nam si aliquis crederet Christum conceptum ex virgine sine opera viri, & cooperante Deo per amorem suum; crederet, quod per se spectat ad Incarnationem filij: Ex dictis ergo circa præcedentem difficultatem constat, Trinitatis fidem explicitam non esse medium necessarium ad salutem, tum quia nullum est fundamentum in scriptura, & Conciliis; tum quia mysterium obscurius & difficilius est, quàm Incarnatio, quare sicut Incarnatio explicitè cognita non est necessaria, vt medium, sic nec Trinitas personarum. Ita docent omnes adducti pro nostra sententia in puncto præcedenti.

Quarta difficultas est vtrùm fides vtriusque mysterij saltem in voto necessaria sit necessitate medij ad iustificationem. Suppono, vorum illius esse medium necessarium in adultis ad iustificationem, sicut votum aliorum præceptorum; quia cùm ad iustificationem requiratur in adultis propositum seruandi præcepta siue formale siue virtuale inclusum in actu dilectionis, vel detestationis, &c. vnum autem ex iis præceptis sit credere explicitè hæc mysteria, non dubium, quin votum huius fidei sit medium necessarium adultis ad iustificationem. Difficultas tamen esse potest, an peculiari ratione possit dici hæc fides explicita medium necessarium in re, vel in voto, sicut Sacramentum pœnitentiæ, & alia huiusmodi. Pro quo recolenda sunt, quæ dixi *disp.3. de Eucharistia, sect.1.* circa differentiam necessitatis medij, & solius præcepti: quo supposito. Respondeo breuiter, fidem explicitam horum mysteriorum esse medium necessarium adultis ad primam iustificationem in re, vel in voto, quia vel ipsa fides, vel votum illius debet antecedere vt dispositio positiua requisita ad primam iustificationem. Quod non inuenitur in aliis præceptis, nam licèt votum eorum sit dispositio requisita, ipsa tamen præcepti impletio quando præcedit ad iustificationem, non est dispositio requisita positiuè influens in iustificationem. At verò fides horum mysteriorum exigitur per se ad primam iustificationem, vt per debitam præparationem intellectus disponatur homo melius ad iustitiam suscipiendam. Dixi autem *ad primam iustificationem*: hæc enim fides non exigitur quotiescunque homo post baptismum relabitur, & iustificetur per Sacramentum pœnitentiæ. At verò ad ipsum baptismum, & eius effectum requiritur per se fides explicita horum mysteriorum. Matth. vltimo. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Marc. vltimo *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Vbi vides doctrinam, & fidem per se præcedere ad effectum baptismi, & ita habet Ecclesiæ vsus, vt priùs instruantur in fide, quàm baptizentur; vt constat ex Greg.2. ep.3. ad bonifacium & 6. Synodo generali cap.48. Clemente ep.3. & aliis relatis de consecratione dist.4. & licèt quis primò iustificetur post baptismum in sacramento pœnitentiæ, etiam tunc continetur hæc fides in voto vt medium per se requisitum ad gratiam illam quatenus etiam est effectus baptismi præcedentis: ad illam enim per se deberet præcedere hæc fides explicita: præcedit autem hæc fides non vtcunque, sed vt dispositio ad gratiam: disponit enim per modum meriti de congruo, & per consequens, vt medium per se requisitum ad gratiam; quare quando non datur hæc fides explicita, præcedit saltem in voto, in quo non continetur solum, vt alia præcepta, sed aliquid, quod per se deberet præcedere vt medium requisitum ad illam gratiam: quod aliis præceptis non conuenit, vt facile consideranti patebit. Vnde vltimò addere possumus cum Suarez *dict. sect.4. num.18.* fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse in lege gratiæ, medium necessarium omnibus ad salutem, nam per se loquendo, debet hæc fides præcedere susceptionem baptismi; si autem aliquando non præcedit, hoc est propter ignorantiam, vel impotentiam

potentiam,& per accidens:vnde sicut dolor formalis de peccatis est medium per se necessarium ad iustificationem, licèt per accidens contingat aliquem iustificari per solam dilectionem Dei,in qua virtualiter continetur ille dolor:sic fides explicita horum mysteriorum potest dici medium necessarium ad salutem, licèt aliquando possit non præcedere formaliter, sed virtualiter, & in hoc sensu possunt intelligi plura testimonia supra adducta.

107 *Quomodo verum sit, hanc fidē explicitam esse medium necessarium ad salutem?*

Sed potest dubitari,quomodo verum sit,hanc fidem explicitam Trinitatis,& Incarnationis esse medium necessarium ad salutem, cùm possit per se loquendo, homo iustificari ante baptismum per actum contritionis, quo casu,licèt præcedat votum illius fidei explicitæ,sicut votum aliorum præceptorum, non tamen necesse est, præcedere ipsam fidem explicitam horum mysteriorum,neque etiam votum illius, vt alicuius, quod per se loquendo debuisset præcedere ante iustificationem.Respondere tamen possumus,non esse quoad hoc maiorem difficultatem de fide illa explicita,quàm sit de ipso baptismo: sicut enim baptismus est medium necessarium ad salutem in re, vel in voto,quia vel baptismus realis, vel saltem votum illius debet præcedere iustificationem,& quia quando percedit siue baptismus,siue votum illius, positiuè concurrit, & directè ad iustificationem; sic dicendum est,de fide illa explicita, quæ necessaria est eodem necessitatis gradu,quo baptismus, loquendo de adultis; cùm enim fides illa per se præcedere debeat baptismum, nisi per accidens ignorantia,vel inaduertentia,aut impotentia excuset,consequens est,vt sicut baptismus est necessarius, sic & fides illa, quæ baptismum præcedere debet,& sicut votum baptismi supplet pro baptismo,ita & votum illius fidei, quod includitur in voto baptismi, supplet pro eadem fide explicita:& sicut baptismus re ipsa positus cõduceret positiuè ad salutem,& votum illius conducit etiam positiuè; & ideo verè dicitur baptismus esse medium necessarium in re, vel in voto: ita fides illa explicita conduceret positiuè ad salutem,cùm semper esset bona,& meritoria de cõgruo, & votum illius conducit etiam positiuè, atque ideo verè dicitur fides illa explicita esse medium necessarium ad salutem in re, vel in voto. Denique sicut iustificatus ante baptismum, debet postea illum recipere,quia per votum illius tanquam medij necessarij iustificatus fuit: ita iustificatus ante fidem illam explicitam debet postea cessante ignorantia, vel impotentia,eam habere,quia per votum illius tanquam medij necessarij iustificatus fuerat.Quare eadem est ratio de necessitate baptismi,& de necessitate illius fidei, & sicut baptismus,ita & illa dici potest medium necessarium ad salutem,in re,vel in voto.

SECTIO V.

An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medy.

108 *Sententia affirmans communior.*

Affirmant communiter Theologi propter illud Pauli ad Hebr.11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum.quia est.& inquirentibus se remunerator sit.* Vbi Apostolus ex eo quod Henoch placuisset Deo, infert ipsum habuisse fidem, sine qua impossibile est placere Deo, quod probat,*quia accedentem ad Deum oportet credere*, &c.quem locum affert Tridentinum sess.6.cap.6. commendans fidem, quæ disponit ad iustificationem, *de hac*, inquit, *dispositione scriptum est accedentem ad Deum oportet credere*,&c. Verumtamen Concilium ibi aliquas dispositiones ponit,quæ non semper necessariò exiguntur.

Proponitur difficultas.

Contra hanc communem sententiam aliquæ fieri solent obiectiones, quæ facilè dissoluuntur. Videatur Suarez *disp.12. sect.3.num.4.& sequentibus.* Coninch.*disp.14.num.115. & sequentibus*, & Hurtado *disp.41.* quos alios referunt. Vnica restat ex supradictis difficultas non exigua, quia ad iustificationem extra Sacramentum sufficit dilectio Dei super omnia: hæc autem haberi potest ex fide, qua credimus Deum esse in se summè bonum,vel sapientem,vel potentem&c. Charitas enim non alligatur ad beneficentiam Dei, aut ad aliquod peculiare attributum, sed ad omnia,& ad singula potest tendere;ergo licèt aliquis non cognoscat explicitè Deum, vt remuneratorem,potest eum diligere super omnia,& per consequens iustificari,item ad iustificationem in Sacramento sufficit attritio, seu detestatio peccati propter eius fœditatem, & turpitudinem: hæc autem potest cognosci & credi non cognito explicitè Deo, vt remuneratore; ergo sine fide explicita remunerationis potest haberi iustitia.

109

Hæc difficultas(meo iudicio)grauior est,quàm vt ab auctoribus in præsenti debuisset omnino præmitti,sicut verè prætermittitur. Neque enim dicere auderem, hominem qui Deum propter eius infinitam perfectionem super omnia diligeret, & (si necesse est) ideo peccata detestetur, non iustificari,cùm scriptum etiam sit: *qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo.* Nec tamen aliunde audeo eneruare Pauli testimonium supra adductum, quod ab omnibus accipi video, de necessitate medij, non solùm ad perseuerandum diù in obseruantia legis, sed etiam ad iustitiam accipiendam.

110

Dicamus, si placet, iuxta doctrinam superiùs traditam hanc impossibilitatem esse quidem moralem ortam ex difficultate,quam post peccatum habet homo ad diligendum Deum plusquam seipsum: manet enim adeò ad se, suaque propensus,vt difficillimum sit ei se à se ipso omnino abdicare; & licèt per auxilia gratiæ hæc difficultas magnopere minuatur: ipsa tamen auxilia non disponunt hominem ita instantaneè,vt ex peccatore fiat diligens Deum super omnia sine interuentu aliarum dispositionum,nam licèt facile sit Deo subitò honestare pauperem;hæc tamen mutatio fit per dispositiones proportionatas, quæ incipiunt ab amore bono sui ipsius, à timore gehennę,à desiderio beatitudinis,vt tandem ad Dei dilectionem perueniat;ideo enim dicitur Eccles. 1. *Radix sapientia est timere Dominum*: illius scilicet sapientiæ, de qua ibidem dicitur. *Dilectio Dei honorabilis sapientia*; & Eccles.25. in vniuersum dicitur: *Timor Domini initium dilectionis eius.* Quia planè nisi homo aspiciat in remunerationem,& in pœnam,non poterit ad Dei dilectionem peruenire: *Qui enim* (air Theodoretus super prædicta verba Pauli ad Hebr.) *non hæc ita habere crediderit,virtutis labores non sustinet: neque enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructus relaturum speraret,ita etiam gubernator ad portum respiciens, multos la-*

bores perpetitur.. Hæc Theodor. cui concordat S. Thomas in eundem Pauli locum: *Aliter enim* (inquit) *nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.* Ex quibus constat desiderium remunerationis, & metum supplicij, esse gradus, quibus peccator semper venit ad actum dilectionis Dei, quem ex illo priori affectu imperat, vt medium ad præmium assequendum, vel fugiendum supplicium. Videatur Connich disp. 19. de spe, dub. 9. vbi impossibilitatem hanc moralem agnoscit obseruandi præcepta sine spe remunerationis.

111 Fateor, aliquem reperiri, qui adeo ingenua dilectione amet Deum, vt etiamsi certò sciret se damnandum, vel annihilandum, adhuc diligeret: cæterùm ad hanc ipsam dilectionem peccator nunquam ascendit nisi paulatim, & per gradum timoris, qui radix est totius dilectionis: difficile enim est ab extremo ad extremum, nisi per medium, & per suos quasi gradus transire; ideo enim timor assimilatur setæ Sutoris ab Augustino relato in cap. *sicut Seta*, de pœnitentia distinct. 2. *Sicut Seta introducit linum, ita timor introducit charitatem; crescit charitas, minuitur timor, & è conuerso.* Quod si aliquis enixè contendat aliquam extraordinariam conuersionem fieri, ex affectu solius amoris, quod de Magdalena aliqui credunt; non erit in hoc nimis repugnãdum, licèt de nulla possit cum sufficienti fundamento affirmari: dummodo adhuc in illo casu necessaria concedatur fides Dei remuneratoris, vt excitetur peccator ad eius dilectionem: facilius enim diligimus eum, quem nobis beneficum apprehendimus, quàm quem in se ipso, & sibi soli bonũ cognoscimus, oporteret ergo in eo casu credere Deum non solùm esse bonum in se, sed bonum etiam nobis non vtcumque, sed vt benefactorem liberalissimum & largitorem æternę beatitudinis, vt sine affectu spei, & timoris præuio diligeretur; quia licèt non diligatur propter hominem, vt finem cui, sed propter ipsum Deum, (alioquin non esset charitas, sed actus spei, vel alterius virtutis) diligitur tamen quia beneficus homini, ita vt bonitas talis beneficentiæ & communicationis sit ratio motiua ad diligendum: quæ quidem bonitas magis mouet ad amorem, quàm alia bonitas; qua sibi est bonus, vt docet experientia.

112 Dices, ad iustificationem cum Sacramento sufficit attritio ex fœditate peccati: ad hanc autem non requiritur cognitio præmij, vel supplicij, ergo nec ad iustificationem. Respondeo, fœditatem peccati dupliciter posse cognosci. Primò vt furtum, v.g. opponitur solùm contra naturam rationalem, & vt sic nunquam moueret ad detestationem super omnia, nisi præcederet fides remunerationis, seu alterius vitæ: tunc enim ex affectu timoris, vel spei posset imperari detestatio furti super omnia propter turpitudinem ipsius furti. Secundò potest considerari furtum vt habens talem *tantúmque* malitiam, cui debeatur tanta pœna sensus, vel damni, & ex consideratione huius fœditatis excitatur attritio sufficiens cum Sacramento, sed non sine fide remunerationis, vt constat.

Fœditas peccati dupliciter potest cõsiderari.

113 Contra hunc explicandi modum, quem olim in hac materia insinuaui, aliqua opposuerunt Theologi recentiores. Primò, quia sine fundamẽto dicimus cognitionem supernaturalem euidentem de turpitudine peccati esse minùs efficacem ad mouendam voluntatem nostram ad detestandum illud super omnia, quàm sit assensus fidei, & ideo de facto ante fidem formalem non fieri talem detestationem sufficientem ad iustificationem etiam in Sacramento: nam ex vna parte cognitio illa excederet assensum fidei in claritate, cùm esset euidens, & fides sit obscura; ex alia parte non esset minùs certa, & firma, quàm fides, cùm esset assensus supernaturalis habens ita connexionem cum veritate obiecti, sicut assensus fidei: cur ergo esset minùs efficax ad mouendam voluntatem?

Opponuntur quædam.

Secundò, quia non apparet, cur sicut Deus cognitus per fidem, vt remunerator mouet ad dilectionem sui super omnia, non possit etiam mouere nos ad similem dilectionem cognitus per fidem, non vt remunerator, sed sub aliis perfectionibus diuinis: cùm enim omnes perfectiones diuinæ sint infinitæ, & æqualis, & amabilis oriatur ex bonitate obiecti, consequens est, vt proposita æquali bonitate in sapientia, vel in sanctitate Dei, æquè moueri possit voluntas ad eum diligendum, licèt nondum proponatur vt remunerator.

Tertiò, quia non minùs mouetur homo timore pœnæ, quàm desiderio præmij, vt experientia testatur in multis, qui timore inferni fugiunt peccata ergo licèt Deus nondum proponeretur per fidem vt largitor præmij, sed solùm vt iudex puniens peccatores pœna æterna, non minùs posset voluntas excitari ad detestationem peccati super omnia ex metu inferni, & per consequens cum illa attritione posset homo iustificari saltem in sacramento sine fide Dei remuneratoris.

Quartò, quia si illa impotentia moralis prouenit ex eo, quod magis excitetur homo ad affectum ex fide remuneratoris, quàm ex fide aliorum perfectionum Dei, quæ non ita cedunt in bonum hominis, consequens videtur, quòd dilectio illa erga Deum non sit actus charitatis, sed potiùs amor concupiscentiæ: moueretur enim homo ex vtilitate sibi ipsi proueniente, atque adeo ille excessus efficaciæ, quam fides remunerationis habet, non esset formaliter ad excitandum affectum dilectionis ex charitate, sed alium affectum diuersum, qui non sufficeret ad iustificationem saltem extra Sacramentum.

Propter hæc ergo ipsi aliter explicant necessitatem hanc fidei de Deo remuneratore ad iustificationem, quam dicunt prouenire, non tam ex natura rei, quàm ex Dei decreto, qui de facto noluit iustificare hominem adultum sine dispositione congrua, & proportionata ex parte ipsius: hæc autem dispositio, sicut est actus dilectionis super omnia extra Sacramentum, vel actus attritionis in Sacramento, ad habitum charitatis, & ad formam essentialem iustificantem: ita ad habitus supernaturales fidei, & spei, quorum infusio est etiam pars integralis nostræ iustificationis, dispositio requisita sunt actus fidei, & spei. Cùm ergo non possit elici actus spei sine fide Dei remuneratoris, non poterit homo disponi sufficienter ad iustificationem sine vlla fide, quia nolluit Deus de facto iustificare hominẽ non dispositum priùs dispositione proportionata ad omnes illos habitus. Quare licèt fides Dei infinite sancti, & potentis sufficeret ex se ad excitandam Dei dilectionem: Deus tamen de facto homini, qui non se disponit per actum spei adhuc saltem virtualiter, & moraliter perseuerantem, hoc est, non dum per desperationem retractarum, non dat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

auxilium actuale ad dilectionem, vel ad detestationem peccati super omnia, ne iustificetur, sine dispositione peculiari requisita ad infusionem habitus spei. Ita Theologi illi discurrunt quibus ex parte consensisse videtur Hurtado *disp.* 41. §. 5. & 8. dicens, hoc magna ex parte pendere ex voluntate Dei, quæ nobis in Scripturis reuelata est. Sed tamen postea eodem §. 8. magis videtur nobis adhæsisse, dicens hoc fundari in hominum conditione, qui agrè mouentur ad amorem Dei super omnia auocantem nos à voluptatibus sensibilibus, nisi alliciantur meliorum voluptatum expectatione, imò affert etiam fundamentum aliud physicum, ex eo, quod in hac vita cognoscimus Deum non immediatè, sed per creaturas quæ Dei potentia conditæ sunt, & prouidentia gubernantur; quare simul cognoscimus & Dei potentiam & prouidentiam etiam, ad quam pertinet remuneratio, nec homines vnam perfectionem sine alia in Deo cognoscunt.

116 Hæc tamen secunda ratio Hurtadi non videtur omnino subsistere; tum quia non est necesse, quod vbi primum ex creaturis cognoscitur Deus, vt prima causa creaturarum, cognoscatur, vt remunerator, imò aliqui Philosophi putarunt, Deum non habere prouidentiam de rebus creatis, nec de illis curare, quare potuerunt aliàs diuinas perfectiones cognoscere sine cognitione Dei remuneratoris: tum etiam, quia fides vtramque perfectionem Dei seorsim reuelat, & priùs proponit nobis Deum vt primam causam, & ens à se, quàm proponat remunerationem nobis promissam; neque hoc prædicatum credimus de Deo, quatenus ex cognitione creaturarum ad id confitendum adducimur, sed quia Deus id reuelauit. Quamuis enim in hac vita non possimus Deum cognoscere, nisi per creaturas, hoc est, per species creaturarum, & ad earum similitudinem ablatis imperfectionibus: per fidem tamen non cognoscimus Deum per creaturas, tanquam per medium, & motiuum assentiendi, sed per reuelationem, & auctoritatem ipsius Dei, alioquin non esset fides, sed scientia de Deo habita per notitiam creaturarum.

117 Quod verò Recentiores illi dicebant reducendam totam necessitatem huius fidei de Deo remuneratore ad decretum, & legem Dei, nobis non placet: quia si obiecta ipsa, nempe turpitudo peccati, & aliæ diuinæ perfectiones, eodem modo, quo nobis de facto proponuntur, haberent efficaciam ad excitandum in nobis affectum dilectionis Dei, & detestationem peccati super omnia ante fidem remuneratoris, non posset de facto hæc excitatio impediri sine violentia aliqua, quam Deus inferret ipsis obiectis, & nostris potentiis, quando ea obiecta nobis proponuntur. Nam de facto aliæ perfectiones diuinæ, & turpitudo peccati eodem modo proponuntur à Concionatoribus, vel libris, antequam proponatur, vel concipiatur, & eliciatur fides explicita Dei remuneratoris; sicut postea proponuntur; si ergo modus ille proponendi sufficit ad generandam notitiam, & fidem eorum obiectorum, generabitur, nisi Deus impediat actiuitatem illarum specierum, vel saltem neget concursum ad actum supernaturalem. Vtrumque autem non videtur fieri sine violentia: nam impedire actiuitatem obiecti sufficienter propositi, ne generet notitiam naturalem, quam posset generare, esset contra debitum naturale, quod Deus habet vt auctor naturæ: negare autem concursum supernaturalem ad actum supernaturalem tunc eliciendum, esset contra statum eleuationis, in quo Deus proposito sufficienter obiecto apto ad terminandum actum supernaturalem, nunquam negat concursum ad actum supernaturalem: & quidem durissimum esset dicere, quod homo non posset tunc illa obiecta reuelata sibi sufficienter proposita credere fide diuina, sed solum fide naturali, & acquisita, antequam proponatur etiam, & credatur articulus de Deo remuneratore. Quis enim dicat, puerum baptizatum venientem ad vsum rationis, cui proponitur credendus articulus reuelatus de omnipotentia Dei, cui nondum est propositus articulus de Deo remuneratore, vel qui inculpabiliter errat circa illum, non posse credere fide diuina Deum vnum omnipotentem, cùm tamen habeat habitum fidei infusæ, cui debetur concursus ad actus supernaturales, & obiecta illa, & obligatio credendi sint sufficienter proposita? Posito autem assensu fidei circa illa obiecta, & quidem tali, qualis esset, si creditus iam fuisset Deus remunerator, non potest sine violentia noua negari à Deo concursus ad actum dilectionis supernaturalis, si fides illa efficaciam habet, vt moueat ad talem actum, nam sicut posita cognitione naturali efficaci ex se ad amorem naturalem, Deus, vt auctor naturæ debet dare concursum in actu primo, ad eum amorem naturalem: ita posita cognitione supernaturali sufficienti, & efficaci ex se, vt excitet amorem sui obiecti, debet Deus vt auctor supernaturalis dare concursum in actu primo ad amorem supernaturalem, quia omni principio cognoscitiuo debetur in suo ordine principium appetitiuum boni propositi. Non posset ergo sine violentia impediri, vel cognitio obiecti propositi, vel amor obiecti cogniti, ad quem cognitio ex se sufficienter excitat.

118 *Respondetur ad argumenta superiùs proposita,*

Nunc respondeamus ad argumenta contra nostram explicationem proposita. Ad primum negamus, sine fundamento poni à nobis debilitatem illam ad excitandum amorem Dei, vel detestationem peccati super omnia in ea cognitione, quæ non sit fidei: nam experientia perpetua testatur omnem aliam notitiam de Deo, aut de peccatis in infidelibus nunquam excitasse efficaciter ad actus etiam naturales dilectionis Dei, vel detestationis peccati super omnia. Nec obstat cognitionem illam esse posse euidentem, qualis non est actus fidei, sed obscurus: quia in primis actus fidei firmior est, cùm intellectus per illum prudentissimè firmiùs credat obiectum quàm per illum alium actum ex discursu Philosophico generatum credidisset; quæ maior firmitas, sicut magis excludit dubium, & formidinem, ita magis firmiter, & efficaciter mouet voluntatem ad volendum obiectum, quod magis sine formidine proponit intellectus. Adde, experientia etiam cõstare quod licèt omnes habeant euidentiam moralem de existentia Romæ, magis tamen quispiã, qui eam non vidit, mouetur ad desiderium eam videndi, quando aliquem oculatum testem audit narrantem, & describentem, quæ Romæ vidit, quàm antea moueretur à notitia moraliter euidenti, quam habebat. Imò licèt fideles omnes per fidem credant pœnas inferni, & earum intolerabile tormentum, magis tamen mouentur, quando aliquis rediuiuus narrat quæ apud inferos vidit, vel passus est. Experientia enim maximam vim

habet ad mouendam voluntatem, & narratio illa testis oculati, & experti habet nescio quam vim proponendi nobis experientiam narrantis, quasi si nostris etiam oculis, & sensibus experiremur. Quam energiã planè non habent discursus Philosophici, in quibus defatigata mentis & animæ acie in eruenda conclusione occulta ex suis principiis, cuius obiectum minùs etiam distinctè cõcipit, contentus manet homo veritate indagata, & facilius in speculatione sistit, nec progreditur ab nouum conatum, & laborem, in amplectendo obiecto sustinendum: quando verò absque defatigatione ex simplici narratione rem cognoscit, concipit illam magis distinctè, & in particulari, & vt aliquid de suo addat, mouetur ad bonum illud procurandum Denique experientia, vt dixi, testatur, facilius nunc vetulam rudem moueri ex simplici fide de bonitate Dei, & magnitudine præmij ad Deum diligendum, & procurandam salutem, quàm olim sapientissimi Philosophi ex notitia Philosophica mouerentur, quod non potest, nisi in debilitatem illius notitiæ, & in energiam, & efficaciam nostræ fidei refundi.

119 Nec etiam obstat, quod cognitio euidens de honestate fidei, v.g. de fœditate infidelitatis possit esse, & sit etiam supernaturalis, vnde potest esse æque efficax, vt moueat ad detestationem infidelitatis super omnia: hoc, inquam, non obstat, quia, vt dixi *sect.* 1. supernaturalitas illa non auget energiam ad mouendam voluntatem, cùm ipsa non cognoscatur, nec sentiatur: & quamuis cognitio illa ratione supernaturalitatis habeat maiorem connexionem cum veritate, atque adeò ex hoc capite habeat maiorem certitudinem, quàm haberet cognitio euidens naturalis de eodem obiecto: hic tamen excessus certitudinis impertinens est ad magis mouendam voluntatem, cùm nullo modo percipiatur, sicut percipitur maior firmitas adhæsionis, in qua assensus fidei excedit cognitionem illam euidentem de honestate fidei: nam vt vidimus *supra disp. 6. sect.* 3. firmiùs credimus per fidem obiectum reuelatum, quàm antea per iudiciũ euidens credibilitatis crederemus honestatem credendi. Quare sicut iudicium euidens naturale de turpitudine peccati non mouet sufficienter, moraliter loquendo, ad detestandum illud super omnia, sic nec iudicium euidens supernaturale cuius supernaturalitas nõ percipitur, nec maiori firmitate assentitur, sed proponit obiectum eodem planè modo, quo proponeretur per iudicium euidens naturale, quod tamen debile esset ad illam motionem propter minorem suam firmitatem, vt experientia comprobauit.

120 *Fides Dei remuneratoris cur requiratur?* Ad secundum argumentum respondetur ex dictis, fidem Dei remuneratoris non ideo requiri, quia maior perfectio, aut bonitas Dei resplendent in eo attributo, quàm in aliis perfectionibus diuinis, sed quia magis nos mouet eadem Dei bonitas, præcedente notitia remunerationis. Quam maiorem efficaciam dupliciter possumus explicare. *Duplex efficacia in fide Dei remuneratoris explicatur.* Primò quasi extrinsecè, quatenus desiderium beatitudinis impellit nos, quasi motiuum extrinsecum ad dilectionem Dei: nam sicut ex amore beatitudinis possumus eligere alia media, & imperare nobis alios actus aliarum virtutum, qui necessarij, vel vtiles sint ad salutem; sic possumus imperare nobis actum dilectionis Dei, qui maximè vtilis & necessarius concipitur ad salutem, & sine quo motiuo extrinseco peccator non applicaret se ad dilectionem, nec eam sibi imperaret, quare ex hoc saltem capite requiritur fides remuneratoris. Secundò potest esse maior efficacia intrinseca; quatenus illa perfectio Dei remuneratoris, licèt in se non sit maior quàm aliæ perfectiones diuinæ, est tamen aptior ad conciliandũ sibi nostrum amorem, vt fateri videtur Hurtado, & experientia manifestè constat, facilius & ardentius nos amare etiam amore amicitiæ eos, à quibus scimus nos diligi, & multò melius apprehendi, & ponderari à nobis eorum perfectiones, quæ ipsos amabiles reddunt, vt meritò ille dixerit, *vt ameris, ama.* Vnde & facilius eorum defectus excusamus, & dubia interpretamur in meliorem partem, siue hoc proueniat ex eo, quod applicemus magis mentem ad ponderanda motiua amoris erga illos, quæ tamen respectu aliarum leuiter cogitamus, siue quia amor tendit ad coniunctionem, & vnionem amantis cum obiecto amato. Quare quando vidimus aliquem iam nos amantem, & volentem eandem cum nobis cõiunctionem, facilius mouemur ad complendam coniunctionem hanc, quam iam ex altera parte videmus inchoatam; siue id denique ex alio capite proueniat; experientia tamen certissimè ostendit, facilius multò nos moueri affectu amicitiæ erga illos, qui nos amant. Quid ergo mirum, si homo difficiliùs moueatur ad diligendum Deum super omnia propter alias perfectiones diuinas, quàm postquam nouit eum ita promptum ad remunerandũ ipsum remuneratione adeò liberali, & sublimi, atque ideò prærequiri hanc fidem explicitam Dei remuneratoris ad extorquendum à nobis difficilem affectum dilectionis super omnia.

121 Tertium argumentum exigit decisionem alterius quæstionis, quæ in præsenti posset occurrere; an scilicet sufficiat aliquando ad iustificationem fides explicita de pœna inferni, quam Deus ob peccata mortalia statuit, & infligit, an verò ea de re requiratur etiam fides de præmio æterno bonis meritis correspondente. Ratio autem dubitandi esse potest, quæ in obiectione attingitur, quia nimirum non videtur minùs efficax ad retrahendum à peccatis timor pœnæ, quàm sit spes præmij, nec minùs videntur homines moueri ad relinquenda vitia ex metu inferni, vnde initium sapientiæ dicitur esse timor Domini, & attritio sufficiens ad iustificationem in Sacramento concipi potest ex metu gehennæ, vt constat ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ad illam verò attritionem videtur sufficere fides explicita de pœnis gehennæ, ex quarum metu concipitur. Quæ potest minùs strictè appellari etiam fides remunerationis: nam aliquod remunerationis genus esse videtur condonare pœnam debitam auertenti se à peccato cum dolore, & detestatione illius, & corrigenti in posterum mores suos. Ego tamen non auderem excludere necessitatem alicuius fidei de remuneratione, præscindendo nunc à remuneratione naturali, & supernaturali, de quo postea; nam verba Pauli id videntur exigere, & pœna non est propriè remuneratio. Et quidem difficillimum, & moraliter impossibile videtur, quod aliquis in Deo concipiat prouidentiam ad punienda peccata sine prouidentia ad remuneranda bona opera. Denique dolor ipse de peccatis efficax, & absolutus ex quocunque motiuo sit, non sufficit ad iustificationem etiam in Sacramento nisi sit cum spe veniæ, vt dixit Tridentinum *ibi sess.* 14. *cap.* 4. hæc autem veniæ spes haberi non potest, nisi concipiatur Deus attendens ad dolorem

dolorem de peccatis, & ad desiderium, ac petitionem veniæ, vt moueatur ad eam concedendã, quæ est aliqua species remunerationis, qua boni actus peccatoris, vt merita saltem congrua præmiantur concessione veniæ, qua Deus remunerat iam peccatores inquirentes ipsum: quare ex hoc saltem capite iam concipitur Deus remunerator inquirentibus se, & non solùm vt vindex, & merus castigator delictorum.

122 *Quomodo fides Dei remuneratoris posit conducere ad amorem Dei.*

Ad quartum denique argumentum constat ex dictis, quomodo fides Dei remuneratoris possit conducere ad amorem Dei non solùm concupiscentiæ, quo diligatur, vt bonum nostrum, sed etiam beneuolentiæ, & amicitiæ, quo diligatur propter se: nempe vel excitando spem, & desiderium beatitudinis promissæ, ex quibus extrinsecè moueatur voluntas ad dilectionem Dei super omnia tanquam ad medium vtile, & necessarium ad salutem, ex cuius salutis desiderio imperetur ille actus; vel etiam quatenus Deus cognitus, vt remunerator, & vt bonus erga nos, & desiderans, ac procurans nostrum bonum, mouet nos ad faciliùs eum diligendum amore amicitiæ, sicut faciliùs eo amoris genere diligimus eos, qui nos diligunt, vt paulò antè explicuimus.

123 *Fides explicita de existentia Dei est necessaria.*

Ex dictis autem inferri potest primò necessariam esse fidem explicitam de existentia Dei, vt colligitur ex verbis Pauli, *oportet credere, quia est*, & cum S. Thoma *quæst. 2. art. 4.* docet Suarez *dict. disp. 12. sect. 3. num. 4.* & alij communiter contra Canum *lib. 12. de locis cap. 4.* & Caiet. *in cap. 6. ad Hebræos*, qui dixerunt, non esse necessariam fidem de existentia naturali Dei, sed de Deo existente, vt est auctor supernaturalis. Quam sententiam latiùs impugnat Hurtado *disp. 42.* & breuiter impugnari potest, quia vel in Deo existentia supernaturalis addit prædicatũ diuersum supra existentiam diuinam, qua Deus, est Deus, vel nihil addit, sed idem omnino est Deum esse Deum, ac Deum supernaturaliter existere. Si dicas secundum, frustra ergo distinguitur existentia naturalis, & supernaturalis Dei, ita vt de secunda exigatur fides, & non de prima. Si verò dicatur primum, prout auctores illi supponere videntur, negari non potest, quod existentia Dei debeat etiam credi: tum quia Paulus non dicit solum *oportet credere, quod remunerator sit*, sed prius dixit, *oportet credere, quia est*, & postea tanquam aliud addens subiungit, *& inquirentibus se remunerator sit.* Oportet ergo credere etiam, quòd Deus sit Deus, & deinde, quod sit remunerator. Tum etiam, quia repugnat fide credere, quod Deus sit remunerator, & non credere simul eadem fide, quod Deus sit. Nam, vt dici solet in summulis, prædicata de secundo adiacente supponunt propositiones de primo, nec potest aliquis credere, Petrum esse album, quin credat simul Petrum esse, quod includitur essentialiter in hoc, quod est esse album: qui ergo fide credit, Deum esse remuneratorem, eadem fide credit, Deum esse, & per consequens existentiam, qua Deus existit Deus. Vide alia argumenta apud prædictos auctores.

124 *Necesse etiam est credere prædicata illa Dei, per quæ distinguitur à creaturis.*

Infertur secundò, necesse etiam esse credere prædicata illa Dei, per quæ distinguitur à creaturis, seu sine quibus à creaturis non distinguere-tur, quia aliàs non creditur esse Deum, sed esse aliquod ens creatum excellentius, & sublimius nobis, quales Dij ab Ethnicis credebantur. Vnde Suarez *dicta sess. 3. num. 7.* infert, credi debere,

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuinæ.

eum esse vnum, independentem ab omni alio, ens necessarium, & à se, rerum omnium auctorem, summe etiam veracem, in hac enim Dei veracitate fides nostra fundatur, vt in superioribus visum est. Quibus consentit Coninch. *disp. 14. num. 116. & sequentibus*, & addit debere etiam necessariò credi, Deum esse supremum, habere prouidentiam rerum omnium, ei placere virtutem, & displicere peccata. Si enim homo ignoret, Deo peccata displicere, etiamsi eum super omnia diligeret, eiusmodi dilectio non esset sufficiens dispositio ad iustificationem, quia nec virtute contineret contritionem de peccatis, qui enim ignorat, Deo peccata displicere, etiamsi Deum diligat, non est paratus ad dolendum de peccatis, si eorum memoria occurreret, nec ad ea vitanda, ne Deum offendat. Vnde infert. *n. 119.* in hoc rerum ordine non expedire, quod Deus de facto auxilium præstet ad eiusmodi sui dilectionem homini tali ignorantia habituali laboranti. Faciliùs tamen dici potest eam dilectionem de facto non posse dari sine fide Dei remuneratoris propter rationes *suprà* adductas, nec Deum posse concipi remuneratorem bonorum operum, quin appareat hæc ei placere, & vitia displicere. Vnde eo etiam ipso creditur prouidentia Dei; non potest enim esse remunerator, sine cura & prouidentia bonæ gubernationi necessaria.

125 *Item fides explicita de immortalitate animæ est necessaria.*

Eodem modo necessaria est fides explicita de immortalitate animæ, vt notant Suarez *dict. c. 3. in fine*, & Coninch. *vbi suprà num. 122.* quia vt ponderauit Suarez, præmia, aut supplicia temporalia non mouerent sufficienter ad conuersionem, & detestationem peccatorum ita vniuersalem. Non explicant verò, an sit necesse necessitate medij credere, animam ex natura sua esse immortalem, neque ego video fundamentum cogens ad eam necessitatem ponendam. Si enim concipiatur anima in æternum duratura, præscindendo ab eo quod id proueniat ex natura nostræ animæ, vel ex Dei beneficio supernaturali, æquè homo moueri posset, quantum est ex parte obiecti, ad fugienda peccata; si tamen explicitè crederetur, eam immortalitatem non esse animæ connaturalem iam actus ille esset falsus, atque adeo non esset actus fidei diuinæ sufficiens, aut idoneus ad iustificationem.

126 *Necessaria est fides explicita, qua homo credat, se non posse suis viribus à miseriis erui, & æterna præmia consequi.*

Addit idem Coninch. *num. 123.* eadem necessitate requiri fidem explicitam, qua homo credat, se non posse suis viribus à miseriis erui, & æterna illa præmia consequi, quia sine hac fide non est sufficienter dispositus, vt conuenienter tanta bona à Deo recipiat, qui hæc ab eo nullo modo sperat accipere, sed putat absque Dei auxilio suis viribus ea se assequi debere. Minùs tamen strictè loquitur Suarez *dict. sess. 3. num. 19.* vbi, licèt per se loquendo dicat exigi sufficientem fidem de necessitate gratiæ, & auxilij diuini ad iustitiã, & remissionem peccatorum obtinendam, non tamen videri dicit necessarium, vt in omni euentu id credatur per fidem adeo explicitam, vt per diuersos conceptus; & per actus differentes habeatur. Et quidem, si credi debet remuneratio supernaturalis, satis videtur ibi contineri necessitas auxilij diuini, cùm ad consequendum aliquid supra vires naturæ, necessarium sit auxiliũ aliquod supra vires nostras. Rursus, qui veniam petit, aut sperat peccatorum, eo ipso agnoscit necessitatem gratiæ diuinæ; omnis enim, qui debitum remittit, gratiam aliquam præstat. Denique eo ipso,

quod Deus credatur remunerator, & ſupremus, ac omnipotens Dominus, creditur dependentia ab ipſo in conſequutione noſtræ ſalutis, & quod vtiliter orare poſſumus eum, qui cùm omnipotens Dominus ſit, poteſt nos ſaluos facere, vel permittere ruinam noſtram.

127 *An per fidem neceſſariam de Deo remuneratore debeat credi explicitè remuneratio ſupernaturalis.*

Maior eſt difficultas, an per fidem neceſſariam de Deo remuneratore debeat credi explicitè remuneratio ſupernaturalis, Affirmant communiter plures, Suarez *dicta ſeſſ.3. n.8.* idem videtur ſupponere Coninch. *dicta diſp.14.dub.9.n.115. in fine*, vbi dicit, neceſſariam fidem explicitam de vita æterna, quam Deus promiſit, & expreſsè Granado *controuerſia prima de fide tract.10. diſp. 2.ſect.1. num.2.* cum Michaële Medina *lib.4. de rectâ in Deum fide, cap.8. ad finem*, eandem ſententiam tenent Caietanus, Bañes, Valentia, Aragonius, Lorca, & Turrianus, quos affert Hurtado *in præſenti diſp.43.ſect.1.* vbi tamen dicit S. Thomam *in præſenti quæſt.2. art.3.* loqui de neceſſitate ſaltem præcepti, & *in 11.ad Hebr.* non exigere explicitum conceptum de ſupernaturalitate remunerationis.

128

Ipſe verò Hurtado *ibidem ſect.7.* probabile putat, ſufficere de neceſſitate medij. fidem, qua explicitè credatur Deus, vt remunerator præſcindendo à ſupernaturalitate remunerationis. Pro qua ſententia affert Molinam 1.1. *quæſt.1. art.1. diſp.1.* & Victoriam, & alios, quos tacito nomine refert Turrianus *diſp.26. dub.4.* & ſectionibus præcedentibus explicat loca Patrum, Scripturæ, & Conciliorum, in quibus vel ſolùm exigitur fides ſupernaturalis in entitate, non verò de obiecto materiali ſupernaturali, vel agitur de neceſſitate præcepti, vel explicatur aliquorum fides de obiecto ſupernaturali ratione cuius iuſtificari potuerunt, non verò adſtruitur neceſſitas talis fidei explicitæ in omnibus, vt iuſtificari poſſint. Eandémque ſententiam amplecti videtur Ripalda *de ente ſupernatuli diſp.63. num.24.* Vbi loquens de fide requiſita ad diſputationem vltimam, vt homo iuſtificetur, probat, eam poſſe eſſe cognitionem ſupernaturalem euidentem ortam ex notitia creaturarum naturalium; *nam ruſtici*, inquit, *homines nulla memoria reuelationis diuinæ, cui aſſentitur fides ſtricta, diligunt ardentiſſimè Deum propoſitum, vt Creatorem, ſapientem, largitorem munerum naturalium, & aliis attributis perfectum, quæ aſſequuntur ex notione creaturarum viſibilium. Hunc autem amorem non eſſe illis ſalutarem, & ſupernaturalem, impium eſt credere.*

129 *Caſus quæſtionis multipliciter proponitur.*

Suppono, multipliciter poſſe caſum quæſtionis proponi. Primò, vt aliquis explicitè credat, Deum concedere hominibus ſuam gratiam in hac vitâ, & viſionem claram ſui in altera vita, non tamen explicitè hæc omnia concipiantur eſſe ſupernaturalia. Secundò, vt aliquis explicitè ſolùm credat, Deum eſſe remuneratorem, non concipiendo qualis ea remuneratio ſit, ſed præſcindendo à præmio naturali, vel ſupernaturali, à beatitudine in alio bonorum genere, & à beatitudine cæleſti, qualis de facto datur. Tertiò, vt concipiatur explicitè remuneratio ſupernaturalis, & eius ſupernaturalitas. Quartò, vt credatur explicitè remuneratio aliqua naturalis. Quintò, deniq; vt ita ſola credatur remuneratio illa naturalis, vt negetur omnis alia ſupernaturalis. Ex his itaque modis ſecundum non credo eſſe neceſſarium neceſſitate medij. Nam vt bene probat Hurtadus §.35. prædicatum ſupernaturalitatis rariſſimè concipitur explicitè extra ſcholas, & ſcholaſticos diſputantes de ſupernaturalitate viſionis beatæ, gratiæ habitualis, &c. Quare ſi credatur explicitè remuneratio talis, quæ ſpecificatiuè eſt ſupernaturalis iuxta primum modum ſuprà poſitum, licèt non concipiatur explicitè vt ſupernaturalis, non videtur dubium, quòd ſufficiat de neceſſitate medij. Rurſùs ſi credatur explicitè remuneratio naturalis cum excluſione alterius ſupernaturalis iuxta quintum modum poſitum, actus erit falſus, atque adeò non erit actus fidei, nec ſufficiens ad iuſtificationem.

Difficultas eſt de quarto modo (& eadem eſt ferè de tertio) quando concipitur remuneratio naturalis abſque excluſione ſupernaturalis; & in hoc ſenſu puto negari à Theologis communiter eam fidem ſufficere, ſed debere concipi explicitè remunerationem talis & tantæ perfectionis, quæ ſpecificatiuè ſaltem ſit ſupernaturalis, quamuis eius ſupernaturalitas explicitè non concipiatur. Et videtur ſanè eſſe iuxta mentem Pauli, & eius contexturam, qui illo cap.11.ad Hebræos, poſtquam dixit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et inde probauit, Henoch habuiſſe hanc fidem, & aliorum etiam Patriarcharum, & Sanctorum fidem propoſuit, concluſit de illis omnibus dicens: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iuſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*; nimirum cæleſtem, de qua ſubiungit: *Nunc autem meliorem inquirunt, id eſt, cæleſtem.* Quare de iis omnibus videtur ſupponere, habuiſſe fidem remunerationis cæleſtis, quam tamen fidem in Henoch non aliter probauerat, niſi ex principio illo generali, quòd *accedentem ad Deum oportet credere, quòd remunerator ſit*: Illud ergo principium vniuerſaliter intellexit de fide remunerationis cæleſtis; alioquin non potuiſſet poſtea concludere vniuerſaliter de omnibus illis, quorum vnus erat Henoch, quòd fidem habuerunt remunerationis cæleſtis.

Ratio etiam huius neceſſitatis ex dictis redditi poteſt. Primò, quia de facto non eſt reuelata à Deo remuneratio aliqua naturalis æterna, ſed ſola ſupernaturalis & cæleſtis. Si ergo fides credit remunerationem æternam, debet credere eam, quam Deus de facto promiſit, & reuelauit, quæ eſt ſola ſupernaturalis, atque adeò concipitur remuneratio ſupernaturalis ſaltem ſpecificatiuè. & ideo Tridentinum *ſeſſ.6. cap.6.* dixit, hominem diſponi ad iuſtificationem credendo vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt. Secundò, quia omnis alia remuneratio naturalis etiam æterna non eſſet ſufficiens ad extorquendam obſeruantiam totius legis, & abnegationem ſui ipſius per deteſtationem, & fugam peccatorum ſuper omnia: quis enim propter ſolum ſtatum puerorum, qui ſunt in limbo, ad id moueretur? quos tamen pueros aliqui graues Theologi dicunt habituros felicitatem quandam naturalem æternam, quos & eorum fundamenta referre latè Salas *tom.2. in 1.2. tract.13. diſp.11. ſect.6. numero 88. & ſequentibus.* Requiritur ergo fides de ſuperiori, & excellentiori præmio quale Chriſtiana fides nobis proponit. Nec denique ſufficit fides ſola de pœna æterna inferni abſque vlla fide remuneratoris; quia vt ſuprà vidimus, vt attritio ex

ex metu gehennæ disponat sufficienter ad iustificationem in sacramento, requiritur quod sit cum spe veniæ: hæc autem spes supponit ad minus fidem de liberalitate Dei remunerantis merita congrua, & dispositiones nostras concessione veniæ, quæ quidem non est remuneratio naturalis, sed supernaturalis, cùm remissio peccati obtineri non possit per vires naturæ, nec sit naturæ debita, præsertim remissio peccati includens remissionem pœnæ æternæ quæ de facto datur, cuius potissima pars est pœna damni consistens in carentia gloriæ cælestis. Atque vt dicebamus, de facto non contingit aliquem habere fidem de inferno, & non de gloria cælesti, cùm vtrumque externum simul per fidem proponatur, & infernus ipse non proponatur, nisi vt exilium, & ablegatio perpetua à gloria cælesti.

132 Fateor tamen, adhuc mihi restat scrupulus circa prædicta Pauli verba: *Credere oportet accedentem ad Deum*, &c. quibus hanc communem sententiam probant Theologi; nam vel Paulus loquitur ibi de necessitate fidei horum obiectorum ad iustificationem, vel de necessitate ad perseverandum in accepta iustitia per diuturnam mandatorum obseruantiam. Si loquitur de necessitate ad iustificationem: quomodo ergo ex eo quod Henoch placuit Deo, colligit ipsum habuisse fidem horum obiectorum. Credibile enim omnino est Henoch non fuisse primò iustificatum per propriam dispositionem, sed per remedium, quod in lege naturæ applicabatur paruulis ad tollendum peccatum originale: nam licèt vnus Erasmus, quem viderim super illum Pauli locum insinuet Henoch ortum fuisse ex parentibus iustis; hoc tamen non video, quo fundamento asseratur, nec etiam ex hoc colligitur eius parentes fuisse infideles; præsertim cùm ortus fuerit ab ea familia, in qua potissimùm fides & cultus veri Dei seruatus fuit ab Adam vsque ad Abraham: quare licèt non fuissent iusti, fuerunt tamen fideles, & per consequens applicarunt proculdubio suo filio remedium peccati originalis: ergo ex eo, quod fides horum obiectorum necessaria sit ad iustificationem, non colligeret bene Paulus, Henoch habuisse hanc fidem: cùm Henoch in infantia fuerit iustificatus. Si verò Paulus non loquatur de necessitate ad iustificationem, sed ad perseverantiam in iustitia per obseruantiam mandatorum: obstat in primis Tridentinum *vbi suprà*, vbi numeratis dispositionibus, præparationéque ad iustificationem, subiungitur: *De hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est & quod inquirentibus se remunerator sit.* Ergo Paulus de dispositione ad iustificationem loquitur. Obstat deinde communis Theologorum consensus ex prædicto Pauli testimonio colligens necessitatem huius fidei ad iustificationem. Obstat denique proprietas illius vocis *accedentem*, quia vtitur Paulus, quæ in rigore videtur sonare conuersionem, non perseverantiam; & denique obstat, quia post acceptam iustificationem nō videtur necessaria fides actualis horum articulorum: nam paruulus in infantia baptizatus, quando venit ad vsum rationis potest instrui priùs de fide vnius Dei, quàm de remuneratione; & ex illa fide potest vnum, vel aliud opus bonum, & meritorium elicere, præsertim in sententia Vasquez, & aliorum, concedente meritum de condigno actibus bonis naturalibus factis ab homine grato: ergo sine fide vtriusque articuli explicita placet Deo, & accedit ad Deum iste per merita actualia. Hæ sanè difficultates, nec leuiter attinguntur ab interpretibus illius loci; nec à scholasticis, qui ex illo loco passim conclusiones Theologicas solent comprobare.

133 In re tamen difficili dicendum videtur Paulum nomine *accedentem ad Deum*, non intelligere solùm accedentem per primam iustificationem, neque etiam solum perseuerantem per diuturnam mandatorum obseruantiam, sed vtrumque: vterque enim dicitur verè accedens ad Deum: ille scilicet, qui per peccatum longè erat, & per iustitiam propriè accedit; & ille etiam, qui per mandatorum obseruantiam priùs accedit; neque enim longè distabat Iacob, cùm audiuit ab Isaac Genes. 27. *Accede huc vt tangam te fili mi.* Neque etiam erant in statu peccati fideles ij, ad quos idem Paulus ad Hebr. 10. ait: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, &c. & alibi passim: Sensus itaque Apostoli est, accedētem ad Deum, siue per primam iustificationem, siue per progressum diuturnum iustificationis, qualiter accessit Henoch, necessariò habere fidem Dei remuneratoris, sine qua, vt suprà dixi moraliter, est impossibile conuerti hominem ad Deum super omnia, vel etiam tentationes occurrentes per longum tempus superare; licèt alioquin vnum, vel aliud opus meritorium sine illa fide elici possit. Ex quo arguit bene ad probandam fidem Henoch. Ipse enim accessit ad Deum, siue per primam iustificationem, siue per longam legis obseruantiam, ergo habuit fidem Dei remuneratoris, sine qua neutrum posset habere accessum ad Deum: quia licèt sine illa fide explicita posset vnum, vel aliud exiguum opus bonum elicere: illud tamen non est propriè accedere, cùm ferè tam distans adhuc maneat à Deo post illud opus: sicut neque si accedat per medium digitum spacij dicitur simpliciter accedere homo ambulaturus.

Nomine accedentis ad Deum, quid Paulus intellexerit.

134 Ita scripseram, & responderam ante 25. annos dum materiam de fide in scholis Auditoribus meis in Hispania dictarem: qua occasione P. Hurtado *disp.* 40. *sect.* 3. §. 16. hanc difficultatem de Henoch tetigit, & tandem *ibi*, & *disp.* 41. §. 3. concludit Paulum loquutum fuisse de fide, quæ per se est necessaria ad primam iustificationem, quæ eadem est etiam necessaria ad totam, & diuturnam obseruantiam legis, in qua lege includitur actus dilectionis, & spei, qui sine ea fide esse non possunt, in quibus nobiscum conuenit. Addit tamen in priori loco Procopium Gazæum putasse, Henoch fuisse peccatorem, & adeò dignam pœnitentiam egisse, vt fuerit exemplo sanctitatis, quod nec pro se, nec contra se graue fundamentum habet: ipse verò concludit §. 18. probabile satis sibi esse, Henoch propria dispositione fuisse iustificatum, siue quia ex infidelibus parentibus ortus fuerit, vt voluit Erasmus, siue quia illi non contulerunt ei Sacramentum legis naturæ ad remedium peccati originalis. Ego tamen id non credam, nec vllum fundamentum video eam negligentiam parentibus Henoch imponendi. Vnde Pererius lib. 4. in Genesim in verba illa capitis quinti *ambulauitque cum Deo*, adducta Gazæo dicente, Henoch fuisse priùs peccatorem, & postea pœnitentem, subdit. *Quod mihi sanè non sit verisimile, cùm nihil tale vspiam significet scriptura, nec de tali, & de tanto viro id sentire consentaneum est, quinimo Caietanus ex eo quod bis dicitur hoc loco Henoch ambulasse cum*

Henoch an fuerit peccator, & post-modum pœnitentiam egerit?

Deo, indicari existimat eum per totam vitam, & à pueritia vsque fuisse sanctum, & charum Deo.

Parentes Henoch, nec infideles fuere, nec impij.

Hæc Pererius. Et quidem non video quomodo possit probabiliter affirmari, vel parentes Henoch infideles fuisse, vel impios in non conferendo sacramento legis illius paruulo suo filio, cum sancti Patres & interpretes omnes sacri pro comperto supponant, veram religionem, pietatem, fidem, & cultum veri Dei in familia illa, & progenie Sethi vsque ad Noë perduraſſe, in iisq; potissimùm Ecclesiam Dei eo tempore conseruatam fuisse: ideo *cap.6.* nota illa progenies filij Dei appellantur propter pietatem, & cultum veri Dei in ipsa permanentem, vt testantur Chrysostomus. Cyrillus, Theodoretus Rupertus, & Hilarius apud Cornelium in cap.6. Genes. Auguſt.lib.15.de Ciuit.Dei cap.23.quibus addi potest Iosephus lib.11. antiq. cap.4. dicens, *filios Seth per septem generationes perseuerasse vnum Deum colentes omnium rerum Dominum, semperque virtutis respectum habuisse.* Imò addit Salianus anno mundi 623.Henoch datum esse à Deo eius parentibus ob eorum pias preces,& votum, quo eum Deo dedicauerant,ideóque ipsum eo nomine appellasse,quia *Henoch* interpretari possumus quasi *dedicatus.* Vide obsecro, quo fundamento possimus probabiliter iudicare eiusmodi homines vel infideles fuisse,vel impios,vt filium suum sacramento fidei priuare voluerint.

135 Concedit denique idem Hurtado *dicta disp.* 41.§.1.& 2.non esse necessariam fidem illam explicitam Dei remuneratoris ad quodlibet incrementum gratiæ habitualis: quia ex aliis actibus fidei haberi potest motiuum sufficiens ad exercendum aliquem actum bonum supernaturalem, quo gratia augeatur,licèt non sit sufficiens ad detestationem peccatorum disponẽtem ad primam iustificationem, nec ad diuturnam perseuerantiã in bonis operibus.Addit tamen§.4.non ideo necessariam esse hanc fidem remuneratoris,quia necessarius sit actus sæpi propriè dictæ,vt distinguitur à charitate,& aliis virtutibus,sed necessariam esse cognitionem retributionis,quam amare possumus ex formali charitatis obiecto. Est enim feruentior actus charitatis, qui oritur ex cognitione bonitatis diuinæ, vt clarè concipitur, vt fons,& scaturigo retributionis æternæ:tunc enim & Deus amatur propter eam bonitatem, & propter hanc amatur eius retributio, propter quam vt propter proximum obiectum formale possumus ferre patienter ærumnas. Hæc ille,quæ mihi probari non possunt; opponuntur enim fundamentis,quibus necessitas fidei de remuneratione nititur, & aliena proculdubio sunt à mente Patrum, qui ideo, vt vidimus,necessariam dicunt esse retributionis notitiam, quia nisi homo fructum sibi,& commodum speret,labores,& põdus diuinę legis obseruandæ non sustinebit.Sic enim dixit Theodoretus suprà adductus: *Qui non hæc ita habere credidertt, virtutis labores non sustinet: neque enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructus relaturum speraret,* &c. & S. Thomas suprà etiam adductus: *Aliter enim* (inquit) *nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.* Nec satisfacit dicere, quod sperat quidem homo beatitudinem, sed hanc ipsam non amat vltimò vt bonum suum, sed vt bonum Dei, & ad Dei gloriam, atque ideo non est actus proprius spei, vt est virtus distincta à charitate, sed sola charitas sufficit, ex qua diligitur Deus,& propter Deum desideratur, & speratur beatitudo nostra, non sistendo in nobis, sed quia resultat in bonum Dei. Hoc (inquam) non satisfacit, quia Patres notitiam remunerationis ideo necessariam esse volunt, quia homo, nisi allectus à bono proprio, non sustineret patienter onus diuinæ legis. Si autem remuneratio solùm desideratur ex motiuo charitatis propter gloriã,quæ Deo resultat,non esset necessaria talis retributionis notitia ad eos labores patiendos. Si enim mouetur homo sufficienter ex desiderio gloriæ Deo resultãtis,eodem modo moueri posset credens,quod ex bonis suis operibus resultat gloria Deo, & diuina voluntas impletur, imo etiãsi sciret se esse perpetuò apud inferos cruciandum,cùm tunc etiam maneret totum charitatis motiuum.Patres autem, vt vidimus,volunt necessariam esse retributionis notitiam, vt homo efficaciter moueatur:& meritò, quia licèt aliquis vir sanctus, & perfectus possit aliquando Deum ita ingenuè ex charitate diligere,vt etiamsi sciret se reprobũ esse,adhuc eum diligeret:ad hunc tamen dilectionis gradum non peruenit, nisi præcedente in initio notitia retributionis, & incipiendo ab eius desiderio, nec etiam longo tempore in illo charitatis affectu,& obseruantia legis perseueraret,nisi retributionis spe interdum subleuaretur.Denique quando Paulus 1. Corint.13. de charitate dicit, *quod omnia sperat*, non confundit illam cum virtute spei, sicut nec cum virtute fidei, cùm dicit, quòd charitas *omnia credit*, sed ostendit efficaciam charitatis ad imperandos actus proprios aliarum virtutum Theologicarum,qui sint actus propriè fidei,& spei,vt notauit S. Thomas in eum locum *lectione* 2.

DISPVTATIO XIII.

De necessitate præcepti, qua fides necessaria est.

SECTIO I. *An detur præceptum de actu interno fidei, & quale illud sit.*

II. *Ad quam virtutem spectet præceptum fidei.*

III. *Quorum obiectorum necessaria fuerit ex præcepto fides explicita ante aduentum Christi.*

IV. *Quorum obiectorum fides explicita necessaria sit ex præcepto in lege euangelica.*

V. *De aliis,quorum fides, vel notitia explicita fidelibus necessaria est.*

VI. *Vtrum hæc obligatio fidei explicitæ sit de iure diuino,vel humano.*

DIximvs de necessitate medij; nunc dicendum est de necessitate præcepti. Est autem duplex præceptum fidei. Primum de actu interno: secundum de confessione externa nostræ fidei;nunc agimus de primo præcepto, de secundo autem dicemus *disputatione sequenti.*

SECTIO I.

SECTIO I.

An detur præceptum de actu interno fidei, & quale illud sit.

1 ACtum fidei esse sub obligatione præcepti grauis, dubitari non potest: id enim constat ex scriptura comminante damnationem æternam ei, qui non habuerit fidem, Marc. vltimo. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ad Hebr. 10. *iustus ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* 1. Ioann. cap. 3. Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius. Et constat clarè ex supradictis, quia cùm fidei actus sit medium necessarium ad salutem, non potest non esse sub præcepto; homo enim tenetur quærere, & apponere media omnia necessaria sibi ad salutem. Videatur Suarez *disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 1. & 2.

Vnde etiam constat præceptum hoc non esse iuris positiui humani. Nam Ecclesia non potest præcipere actus merè internos, qualis est assensus fidei: & quia obligatio hæc non solùm comprehendit homines baptizatos, qui sunt Ecclesiæ subditi, sed etiam eos, qui sunt extra Ecclesiam, imò ij sunt, qui communiter peccant peccato infidelitatis, eo quod non recipiant, & credant res nostræ fidei sufficienter propositas. Denique ex Scriptura constat esse præceptum ad minus iuris positiui diuini, sicut præceptum baptismi, Eucharistiæ, & similia.

2 *An præceptum de actu interno fidei sit seruans iuris positiui, an verò de iure naturæ?*

Difficultas prima esse potest, an sit solum præceptum iuris positiui, an verò de iure naturæ. Præcepta iuris diuini positiui appello, quæ versantur circa obiectum quod nisi positiuè præciperetur à Deo, non deberetur, qualis est baptismus. Confessio, sumptio Eucharistiæ, &c. Alia autem obiecta, ad quæ dictamen ipsum rationis ostendit esse obligationem, & ideo præcipi à Deo, appellare possumus de iure naturæ, accipiendo *naturæ* vocem in latiori significatione, vt præscindamus à materia naturali, & supernaturali, de quo dicemus postea. Respondeo itaque breuiter distinguendo: nam in præcepto fidei altera pars est negatiua non dissentiendi iis, quæ sufficienter proponuntur reuelata à Deo: altera est affirmatiua credendi positiuè eiusmodi obiecta. Prior pars, proculdubio est de iure naturæ antecedenter ad omnem legem positiuam Dei; quia sicut de iure naturæ est non inhonorare Deum, ita non dissentire eius dictis, cùm dissensus ille esset grauissima Dei inhonoratio, vt constat, quia eo ipso in actu exercito esset reputare Deum fallacem, vel fallibilem, quorum neutrum posset sine grauissima irreuerentia Deo imputari. Nec obstat, quod aliquis posset dicere, se credere Deum esse summè veracem, nec posse decipi, vel decipere, non tamen credere se, quod Deus hæc obiecta de facto reuelauerit. Hoc, inquam, non obstat, quia vt vidimus in superioribus, & notauit etiam Suarez *dicta sect.* 1. *num.* 6. non solum est irreuerentia dissentire iis, quæ fatemur ab aliquo dici, sed etiam dissentire iis, quæ sufficienter constat ab eo dici, ita vt de hoc possimus prudenter dubitare. Nam si summus Pontifex aliquid mihi diceret per nuntium authenticum, vel per litteras etiam authenticas suo sigillo munitas, & ego adhuc obstinatè dissentirem, non excusaret dicendo, me de veracitate Pontificis non dubitare, sed negare nuntium illum, vel litteras Pontificis esse. Ratio autem est, quia sicut obedientia non solum obligat ad exequenda mãdata superioris, quando fateor esse eius mandata sed etiam ad obediendum, quando non possum prudenter dubitare de veritate mandati, nec possum tunc, salua obedientia, excusari negando id, à superiore præcipi: & sicut obseruantia obligat me ad debitum cultum exhibendum Principi, non solum, quando fateor illum esse Principem, sed etiam quando non possum de hoc prudenter dubitare; nec possum me excusare tunc dicendo, me non credere, quod ipse sit Princeps: sit etiam debitum fidei diuinæ non solum exigit fidem, quando fatemur, reuelationem esse à Deo, sed etiam quando sufficienter proponitur talis, reuelatio, nec possumus nos excusare dicendo nos non credere Deum id reuelasse, nisi fortasse aliunde esset ratio prudenter de hoc dubitandi: alioquin licèt non in actu signato, sed tamen in actu exercito, imputaremus Deo mendacium iudicando falsum id, quod prudenter non possumus iudicare non esse à Deo reuelatum.

3 De posteriori autem præcepti parte affirmatiua, qua obligamur ad positiuè credendum id, quod Deus reuelat, rursus distinguẽdum est: nam certum videtur, esse aliquo modo præceptum positiuum diuinum aliqua obiecta explicitè credendi v.g. Trinitatem, Incarnationem, mortem, & resurrectionem Christi, & his similia, quæ attento præcisè iure naturæ sufficeret implicitè, & in genere credere, nisi Deus fidem etiam explicitam horum obiectorum præciperet, provt de facto præcipit, vt inferiùs videbimus. Fides autem implicita, & confusa eorum omnium, quæ Deus nobis reuelat, videtur esse ex lege naturæ, ex suppositione, quod Deus ea nobis reueler. Ratio autem huius præcepti videtur desumi ex auctoritate diuina, cui non solum detrahi videtur, cùm eius dictis dissentimus, sed quoties ei loquenti non præstamus assensum.

4 Dices non teneor ego positiuè credere ea, quæ Deus aliis omnibus reuelauerit, sufficit cohibere dissensum, etsi mihi constet de credibilitate reuelationis: cur ergo teneat positiuè credere obiecta mihi per fidem reuelata. Respondeo, admisso antecedenti, negando consequentiam: nam quæ Deus aliis, non mihi reuelat, non mihi loquitur, nec ad me attinent; ideo possum de illis tanquam de impertinentibus mihi non curare, neque assentiendo, nec dissentiendo. At verò, quæ mihi reuelantur (qualia esse omnia obiecta fidei diximus *disp.* 1.) ea loquitur mihi Deus. Loqui autem est ordinare Deum ad me illud obiectum ex intentione manifestandi mihi suam mentem, seu, ex intentione, vt à me illa doctrina accipiatur: quare si in iis obiectis me haberem negatiuè, hæc esset irreuerentia in auctoritatem diuinam non accipiendo eius testimonium, & doctrinam, ex cuius intensione Deus mihi eam manifestare dignatur. Nam sicut si Christus Dominus nobis appareret, teneremur præcepto affirmatiuo religionis exhibere ei debitum cultum & reuerentiam, ita quando reuelatio Dei nobis apparet, tenemur eam debito cultu & reuerentia excipere, quæ reuerentia potissimè consistit in amplectendo eo testimonio, & præstando assensu cum debita summissione rei testificatæ.

5 Dices, hoc argumento, si quid probat, probari exigi

exigi à nobis fidem explicitam horum omnium obiectorum: qui enim alicui loquitur, non id facit ea solum intensione, vt audiens credat in genere vera esse, quæ loquitur, quęcunque illa sint, sed vt notitiam habeat in particulari eorum obiectorum, & ea credat. Si ergo Deus hæc omnia nobis de facto reuelat, exigit à nobis fidem explicitam de iis obiectis: quando verò mediatè solum, prout nunc communiter fidelibus proponuntur obiecta fidei nostræ, non semper exigere assensum explicitum circa singula. Ratio à priori est, quia ille, qui alicui immediatè loquitur, ad hoc planè ei loquitur, vt communicet ei suam mentem, & quidem vt explicitè eam illi communicet, sicut explicitè ei loquitur, quare vult ab audiente attentionem, & assensum, & non posset ab irreuerentia graui excusari alteruter defectus, si Deo tibi immediatè loquenti nolles vel credere, vel etiam attendere. Exigitur ergo à te, & fides, & attentio, & per consequens fides explicita. Quando verò Deus solùm mediatè nobis loquitur, seu per alios reuelat, & communicat suam mentem, semper quidem exigit fidem, non tamen semper exigit attentionem explicitam ad singula quæ dicit. Potest enim Deus mediatè per alios aliqua nobis reuelare cum intentione determinata, & exigendo determinatè, vt ea omnia nobis explicitè proponantur, & tunc exigit à nobis attentionem, & fidem explicitam de singulis, sicut quando immediatè loquitur, exigit hanc attentionem & fidem explicitam de singulis ab eo cui loquitur. Vel potest etiam ea reuelare per alios exigendo solum, vt aliqua nobis saltem explicitè proponantur, & reliqua saltem in communi, permittendo tamen, vt singula etiam nobis eius nomine proponantur; & tunc exigit attentionem, & fidem explicitam ad aliqua, ad reliqua verò solum implicitè, & in communi. Hoc autem modo reuelat Deus, quæ in fide nostra continentur, exigendo vt fides Christiana omnibus eius nomine proponatur, & præcipua quædam capita explicitè, & quoad hæc exigit à nobis attentionem & fidem explicitam, quoad reliqua verò implicitam, & in communi; permittit tamen explicitam, quia permittit, quod explicitè etiam nobis eius nomine proponantur. Hæc autem Dei intentio de notitia & fide explicita horum vel illorum obiectorum colliganda de facto est ex modo, quo Deus fidei promulgationem imposuit, & ex scripturis, & traditione, ac vsu Ecclesiæ, vt postea videbimus examinando, quorum obiectorum fides explicita à nobis de facto requiratur.

6 *An hoc præceptum fidei sit iuris naturalis, vel supernaturalis.*

Hinc autem oritur secunda difficultas, an hoc præceptum fidei sit iuris naturalis, vel supernaturalis. Ratio dubitandi est, quia lex naturalis non potest obligare ad id, quod viribus naturæ fieri potest, qualis est actus fidei diuinæ: ergo hæc obligatio non potest esse ex solo iure naturæ, nec natura potest dictare obligationem, quam nisi ex ipsa fide cognoscere non possumus, quæ fuerunt argumenta Caietani *in præsenti quæst.* 10. *art.* 1. ad quæ Suarez *dicta sect.* 1. latè respondet. Ipse verò Suarez *num.* 3. 6. & 8. dicit, hoc præceptum aliquo modo appellari naturale, quatenus homini eleuato ad gratiam, & ad actus supernaturales est connaturale, sicut appellari solet status legis naturæ, in quo homines saluari poterant ante legem scriptam; quia licèt contineret aliqua præcepta supernaturalia, erant tamen connaturalia homini eleuato ad finem supernaturalem, & ex ipsa eleuatione ad gratiam orientur sine alio præcepto positiuo superaddito. Aliquo tamen modo præceptum hoc est supernaturale, quia licèt natura ipsa dictaret obligationem cognoscendi Deum ad eum diligendum, & colendum, quam dilectionem, & cultum lex ipsa naturalis imponeret: non tamen dictaret obligationem cognoscendi Deum per fidem, cùm cognitio hæc sit supernaturalis, & superet naturæ terminos, & vires. Addit denique licèt præceptum hoc sit supernaturale, esse tamen consentaneum ipsi rationi merè naturali, & quodammodo in illa radicaliter fundatum saltem remotè. Primò, quia, vt dixit Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *posse habere fidem natura est hominum, habere autem gratia est fidelium.* Secundò, quia vt dixit S. Thomas dicta quæst. 10. art. 1. ad 1. *Habere fidem non est in natura humana, in natura tamen humana est, vt mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi.* Tertiò, quia ratio naturalis dictat dandam esse fidem, vbi secundum iudicium prudentiæ constat, rem esse maximè credibilem, sicut euidenter conuincitur de fide catholica sufficienter proposita: ergo facta tali propositione, est fides conformis dictamini rationis naturalis. Quartò, quia primæ veritati non solùm debemus non dissentire, sed etiam debemus positiuè credere; nam homini etiam magnæ auctoritatis iniuria fieret non credendo, cùm hæc ipsa suspensio assensus includat dubitationem tacitam de veritate illius. Quintò denique, quia homo non credendo exponit se periculo damnationis, quod est contra naturalem rationem.

7 *Propositio prima de hoc obligationis capite ad.*

In hoc puncto non videtur esse posse quæstio, nisi de vocibus quas solùm explicare oportet, vt in re conueniamus. Nam in primis præceptum naturale intelligi potest, provt conditinguitur à præcepto positiuo, & in hoc sensu iam diximus obligationem credendi non esse de lege positiua, sed ex iure naturæ; nam secluso omni lege positiua, lex ipsa naturæ, & ratio clara dictat saltem obligationem, licèt obligatio credendi explicitè aliqua obiecta particularia sit ex præcepto positiuo, vt vidimus.

Alio modo intelligi potest præceptum naturale, seu de iure naturę, provt significat præceptum, cuius obligationem, secluso omni reuelatione, qua Deus obligationem reuelet, ipsa naturalis ratio sufficienter ostenderet. Et in hoc etiam sensu præceptum credendi est de iure naturæ; quia licèt Deus non reuelaret nobis talem obligationem, lumen ipsum naturæ clarè ostendit, esse obligationem in primis non dissentiendi iis, quæ Deus diceret, & sufficienter proponeret cum euidentia credibilitatis, nec de iis dubitandi, imò ostendit etiam obligationem positiuè assentiendi, & credendi assensu firmo, & super omnia, provt diuinam veracitatem, & auctoritatē decet. Nam sicut lumen naturæ ostendit obligationem amandi Deum super omnia, & illum colendi supremo reuerentiæ cultu: ita ostendit obligationem exhibendi Deo supremum cultum intellectualem, captiuando intellectum nostrum in obsequium diuinæ auctoritatis. Et sicut lumen naturæ ostendit deberi Principi magnæ auctoritatis, & prudentiæ fidem in iis, quæ ferìò refertur, & quorum fidem à subditis exigit, atque adeò fieri contra reuerentiam Principi debitam, si vel subditi dis-

seu

sentiant, vel fidem non adhibeant Principi asseueranti: ita idem lumen ostendit à fortiori Deo supremo Principi, & summæ eius auctoritati, & veracitati deberi summam fidem in iis, quæ Deus asseuerat, cui obligationi repugnaret, qui dissentiret, vel fidem non adhiberet. Quare in natura etiam pura, & licèt homo non esset ad finem supernaturalem eleuatus, Deus sicut posset hominibus aliqua præcipere, ita posset mediatè, vel immediatè cum iis loqui, sine qua loquutione nec præcipere eis posset, atque adeo tunc etiam ipso naturæ lumine constaret obligatio credendi Deo in iis, quæ diceret, vnde tota obligatio credendi lumine naturæ cognosci potest, & in hoc sensu præceptum hoc meritò appellari potest de iure naturæ.

8 Nec obstat, quod de facto hæc etiam obligatio credendi cognoscatur per reuelationem Dei, cùm Deus de facto in Scripturis reuelauerit etiã obligationem credendi: hoc, inquam, non obstat, quia semper prærequiritur etiam de facto cognitio huius obligationis aliunde, quàm ex reuelatione Dei: nam ille idem actus fidei, quo credimus obligationem credendi, quia reuelata est à Deo, debet procedere ex imperio aliquo piæ affectionis, quam præcedat non actus fidei, ne detur processus in infinitum, sed iudicium euidens credibilitatis, seu de obligatione credendi aliunde, quàm ex reuelatione cognita.

9 Nec etiam obstat, quod iudicium illud credibilitatis de facto sit supernaturale; hoc enim non tollit, quod præceptum per illud propositum, & obligatio credendi appellari possit de iure naturæ. Nam etiam de facto obligatio ad non occidendum cognoscitur per actum supernaturalem, imò per actum fidei, & ex reuelatione Dei, qui illam etiam obligationem reuelauit: & hoc non tollit, quod tota illa obligatio iustitiæ, quæ cognoscitur, sit de iure naturæ, quia nimirum est talis, vt sine reuelatione etiam Dei per naturæ lumen constare possit, & quia Deus hanc ipsam obligationem, quæ de iure naturæ inest, reuelat, & nos actu fidei supernaturalis credimus homicidium prohibitum esse de iure naturæ, & ideo simpliciter dicimur obseruare præceptum naturale, quando ex fide mouemur ad vitandum homicidium, vel quid simile,

Obligatio inquirendi verum Deum, & discendi ea quæ ad eum cultum debitum necessaria sunt, constare potest lumine naturæ.

Idem à fortiori dicendum est de alio præcepto magis vniuersali, quod lumine etiam naturæ constare potest, & de obligatione inquirendi verum Deum, & discendi ea, quæ ad eius cultum debitum necessaria sunt. Nam sicut lumine naturæ cognosci potest, esse aliquod supremum numen, & auctorem Vniuersi, ita cognosci potest debitum inuestigandi, & inquirendi modum, quo Deum illum colere debemus, cui obligationi satisfit audiendo, & credendo ea, quæ nobis in ordine ad hunc finem per fidem proponuntur. Quæ obligatio de iure etiam naturæ dici potest, quatenus sine vlla Dei reuelatione potest nobis constare, licèt ei de facto non nisi per actus supernaturales satisfaciamus, vt de obligatione credendi dictum est.

An præceptum credendi, quod nunc habemus, dicendum sit supernaturale?

10 His suppositis, restare potest quæstio, an de facto præceptum credendi, quod nunc habemus, dicendum sit supernaturale, vel de iure supernaturali, eo quod huic præcepto de facto satisfieri non possit, nisi per actus fidei supernaturales: nam de facto non solum oportet vtcunque credere Deo, sed credere fide supernaturali: quia de facto homo eleuatus est ad finem beatitudinis supernaturalis, quam assequi non potest, nisi per actus supernaturales, & ideo fides supernaturalis necessaria est ad salutem, & fide supernaturali debemus colere Deum, & captiuare intellectum nostrum in obsequium veracitatis, & auctoritatis diuinæ. Aliqui videntur, velle de facto præceptum hoc ideo esse supernaturale, quia obligat non solum ad credenda, quæ Deus dicit, ad quod etiam obligaretur homo de iure naturali, & per vires naturæ, sed etiam ad credendum propter testimonium diuinum sistendo in ipso, & non resoluendo fidem in alia motiua humana, & denique assensu firmissimo, qui modus credendi & assentiendi superat vires naturæ, & solum haberi potest ex eleuatione supernaturali, qua homo de facto eleuatur.

Hic tamen explicandi modus nobis placere 11
non potest, suppositis principiis nostris, quæ præsertim disp. 1. & in tota hac materia posuimus. Nam modus ille credendi propter diuinum testimonium, & sistendo vltimo in ipso, & assensu firmissimo, & super omnia, non ita superat vires naturæ, vt secluſa etiam eleuatione supernaturali: non posset lumine naturæ cognosci obligatio credendi Deo super omnia, & propter eius testimonium sistendo in ipso, & quidem ante primum actum fidei, quando homini adulto prædicantur mysteria nostræ fidei, & obligatio credendi, non prædicatur ei, vel saltem in ipso initio prædicationis non proponitur, quod Deus reuelauerit, hoc peculiari modo esse credendum, quia Deus eleuat intellectum ad credendum supra eum modum, quo ipse aliàs conari potuisset; & tamen homo conuictus euidentia credibilitatis imperat sibi assensum firmissimum, & sistentem in testimonio diuino: ergo etiam antequam credat eleuandum intellectum supra suam naturam ad assensum aliàs impossibilem, cognoscit, modum illum credendi debitum esse Deo & esse obligationem ita credendi, atque adeo non esse supra omnes vires intellectus, quantum est ex parte modi assentiendi; alioquin non imperaret sibi absolutè talem assensum. Rationem autem cur apprehendat illo modo credendum esse assensu sistente in ipso testimonio, & auctoritate Dei, reddidimus *supra disp.* 1. explicando resolutionem vltimam fidei: quia nimirũ eo ipso quod apprehenditur obligatio credendi Deo loquenti mediatè, vel immediatè, apprehenditur etiã obligatio aliter & magis Deo credendi, quàm hominibus vel rationibus aliunde petitis, atque adeo assensu firmiori, & firmissimo. Hinc autem rursus apparet obligatio credẽdi per assensum, qui sistat vltimò in testimonio diuino: nam si resolueretur vltimò in testimonium humanum, non posset prudenter imperari assensus firmissimus, & super omnia; hic enim modus adhæsionis ita firmæ debetur diuinæ soli auctoritati, non humanæ, in quam vltimò resolueretur ille assensus, per quem crederemus potius hominibus, quàm Deo, cùm vltimò resolueremus fidem nostram in auctoritatem humanam. Sicut ergo lumen naturæ ostendit obligationem diligendi Deum super omnia, & ideo ostendit etiam obligationem diligendi Deum, non solùm vt bonum nostrum referendo eum ad nos, sed etiam in se ipso, & ita vt affectus sistat vltimò in Deo, non referendo eum ad nos, quia alioquin non diligeremus Deum super omnia, nam per amorem concupiscentiæ non di-

ligimus

ligimus Deum supra nos, quantum est ex vi illius actus; sic etiam lumen ipsum naturæ ostendens obligationem credendi Deo super omnia, eo ipso ostendit obligationem credendi Deo per assensum, qui sistat vltimò in ipsa diuina auctoritate; nam si ibi non sisteret, sed progrederetur vlteriùs, & resolueretur in auctoritatem humanam, vel rationes aliunde petitas, iam ex vi illius assensus magis crederemus hominibus, vel rationibus nostris, quàm Deo. Tota ergo illa obligatio credendi Deo per assensum firmissimum, & qui vltimò sistat in ipso Deo, non superat notitiam, quæ lumine naturæ haberi posset, licèt de facto in statu eleuationis assensus ille, & notitia etiam obligationis sint actus supernaturales, vt dictum est.

12 Restat ergo, vt dicamus in primis præceptum hoc esse sicut præceptum contritionis, vel dilectionis Dei, quare eodem modo, quo hoc dicetur præceptum naturale, vel supernaturale, idem dici potest de præcepto fidei, de quo dicere possumus esse in aliquo sensu supernaturale, & in aliquo etiam sensu naturale. Nam in primis est supernaturale de facto ex parte obiecti saltem materialiter; non loquor autem de obiecto, quod creditur, sed de obiecto, quod præcipitur, quod est proprium obiectum legis; nam lex non præcipit Trinitatem, v.g. vel Incarnationem, sed assensum Trinitatis, vel Incarnationis. Hic autem assensus de facto est supernaturalis; quia posita pia affectione, & aliis circunstantiis requisitis, Deus, vt suppono, non concurrit ad assensum naturalem, sed solùm ad supernaturalem: ergo actus, quo de facto satisfit huic obligationi, debet esse supernaturalis, atque adeo lex hæc de facto obligat ad actum supernaturalem, cùm obliget ad eum actum, qui de facto haberi potest, & de facto non possit haberi nisi supernaturalis, eo quod Deus non concurrat ad naturalem. Vnde secundò potest dici præceptum hoc supernaturale præsuppositiuè, quatenus in tantum impleri potest de facto per solum actum supernaturalem in quantum Deus eleuauit hominem de facto ad finem supernaturalem per talia media supernaturalia, & ratione huius eleuationis, & status consequitur, quod præcepto fidei non possit satisfieri, nisi per actum supernaturalem. Denique dici potest, præceptum hoc supernaturale, quatenus eius obligatio non proponitur de facto, nec cognoscitur hîc & nunc practicè, & iudicio proximo, nisi per actum supernaturalem, quod præcedit piam voluntatem credendi, & dictat obligationem assentiendi. Quare licèt eadem obligatio cognosci potuisset mero lumine naturæ non eleuato, nunc tamen non cognoscitur, nec proponitur iudicio vltimo practico naturali, sed supernaturali, eo quod Deus in statu eleuationis non concurrit nisi ad iudicium supernaturale credibilitatis vltimò mouens ad piam voluntatem credendi supernaturalem.

13 Aliunde tamen vt diximus, potest præceptum hoc appellari naturale primò, quatenus absque vllo præcepto positiuo superaddito, & absque reuelatione de tali obligatione, cognosci potest; nam primum iudicium de hac obligatione non fundatur in reuelatione, nec credit propter auctoritatem Dei, cùm præcedat omnem actum fidei. Secundò, quatenus obligatio, quæ formaliter nobis proponitur, & manifestatur, potuisset eadem tota proponi, & manifestari per actum naturalem, nec refert, quod de facto proponatur vltimo per iudicium credibilitatis, quod de facto est actus supernaturalis: nam malitia etiam homicidij v. g. proponitur, & manifestatur nobis de facto per actum supernaturalem, quando per actum fidei cognoscimus homicidium esse peccatum: & tamen tunc etiam cognoscimus esse contra præceptum naturale, hoc enim ipsum docet fides, homicidium esse contra legem naturæ. Quod idem constat clariùs in præcepto diligendi Deum super omnia, quod secluso fide nunquam proponitur nobis efficaciter ad eius obseruantiam: & tamen dicimus illud esse præceptum naturale, seu de iure naturæ.

Dixi tamen, eandem obligationem credendi, quæ *formaliter* nobis proponitur, & manifestatur, potuisse totam proponi, & manifestari per actum naturalem; ne loquerer de obligatione materiali, quam paulò ante dixeram posse appellari supernaturalem, quatenus de facto præceptum credendi obligat materialiter ad assensum supernaturalem, eo quod de facto Deus ad illum solum dat concursum, & non ad naturalem. Hæc tamen obligatio ad assensum supernaturalem non proponitur nobis formaliter; quia iudicium credibilitatis non explicat nobis obligationem credendi actu supernaturali, sed solum credendi assensu firmissimo propter Dei testimonium. Quare obligatio ad actum supernaturalem proponitur solùm materialiter, quatenus proponitur obligatio ad assensum, qui de facto aliunde non potest esse supernaturalis.

Tertiò, appellari potest præceptum hoc naturale, quia ex suppositione, quod Deus eleuauerit hominem ad finem supernaturalem acquirendum per actus supernaturales; eo ipso absque alio nouo præcepto obligatur homo ad habendos actus supernaturales necessarios ad finem illum acquirendum: quia ex obligatione diligendi seipsum obligatur ad procurandum finem illum adeò sublimem, & perfectum, ad quem ordinatus est, & per consequens ad adhibenda media necessaria ad eum finem, quorum vnum est assensus fidei supernaturalis.

Quartò denique dici potest præceptum naturale, quia licèt lex naturalis, secluso eleuatione, non obligat determinatè, seu distinctè & absolutè ad assensum supernaturalem: obligat tamen etiam ad illum saltem in confuso, & sub conditione eleuationis. Proponitur enim, & apprehenditur obligatio credendi eo modo, & eo actu, qui homini possibilis fuerit: quare eo ipso implicitè sub illa vniuersalitate confusa contineretur obligatio credendi actu supernaturali, si alius naturalis firmissimus possibilis non sit, eo quod Deus ratione eleuationis non concurrat nisi ad assensum fidei supernaturalem. Illi ergo eidem obligationi vniuersali credendi, quam ratio naturalis etiam non eleuata ostendere poterat, satisfacit voluntas nostra, quando de facto imperat assensum fidei, ex quo imperio intellectus elicit de facto assensum supernaturalem. Nam voluntas non imperat distinctè assensum supernaturalem, sed cum eadem confessione imperat intellectui assensum, quem ipse elicere possit, quicunque ille sit: ergo hic etiam assensus supernaturalis, quem intellectus elicit de facto ex imperio voluntatis, continebatur saltem in confuso sub obligatione illa vniuersali, siquidem de facto per hunc assensum satisfit illi obligationi, quam ratio

ratio naturalis proponere poterat. Quare meritò potest ex his capitibus appellari præceptum iuris naturalis, licèt ex aliis possit etiam appellari iuris supernaturalis: quæ tota erit quæstio, de vocibus vt diximus.

16 *An præceptum credendi explicitè ea obiecta, quorum fides explicita à nobis exigitur, sit etiam dicendum naturale, an solùm positiuũ.*

Hoc ergo supposito, secundò dubitari potest, an præceptum credendi explicitè ea obiecta, quorum fides explicita à nobis exigitur, sit etiam dicendum naturale, an solùm præceptum positiuũ. Respondeo in primis, præceptum negatiuum scilicet non dissentiendi obiecto reuelato esse præceptum naturale; item præceptum credendi explicitè ea, quorum fides necessaria est necessitate medij, esse etiam naturale ex obligatione, qua quisque debet procurare suam salutem. Denique præceptum credendi hanc fidei doctrinam saltem in communi, & implicitè, vt constat ex dubitatione prima. Deinde præceptum credendi explicitè vnum Deum ex natura etiam rei obligat statim; quia si obligatur statim homo ad credendam fidei doctrinam saltem in communi; eo ipso obligatur ad credendum Deum esse, cùm nihil possit credi nisi credatur Deum esse, qui reuelat tenetur etiam credere esse remuneratorem, quia sine hac fide explicita non potest moraliter loquendo seruare mandata, vt diximus; ergo cum ex notitia rei teneatur homo ponere media necessaria ad obseruantiam legis; tenebitur etiam ad hanc fidem explicitam remunerationis.

17 Si vero sermo sit de fide explicita Trinitatis, Incarnationis, & symboli, hoc præceptum non videtur esse naturale omnino, sed aliquo modo positiuum; quia præcepto naturali satisfieri videtur, si homo credat doctrinam religionis christianæ in communi, & sicut non tenetur ad credenda explicitè alia mysteria reuelata, sic etiam nec teneretur ad illa. Nam cultus debitus diuinæ auctoritati aliqua obiecta testificanti, non obligat ad explicitè inquirenda & intelligenda illa omnia obiecta, sed ad credenda illa sub aliqua communi apprehensione, & amplectendam doctrinam, in qua illa omnia continentur. Sed tamen in rigore videtur dicendum præceptum naturale, quia licèt requiratur aliqua voluntas positiua Dei obligandi ad hanc fidem explicitam, & illam à nobis exigendi; posita tamen illa voluntate loquendi tali modo nobis, eo ipso obligatio naturalis oritur credendi obiecta illa explicitè. Sicut obligatio colendi Eucharistiam, & Christum in ea latentem, non est ex præcepto positiuo, sed ex iure naturæ; nam licèt prærequiratur voluntas libera Dei ponendi Corpus Christi sub speciebus, & manifestandi nobis eius præsentiam: ea tamen voluntate posita statim absque alio præcepto, ex natura rei oritur obligatio colendi Christum ibi existentem propter eius excellentiam. Sic etiam, licèt potuisset Deus non loqui nobis, nec exigere à nobis fidem eorum, quæ loquitur: sed tamen eo ipso quod loquitur, & exigit à nobis attentionem determinatam ad talia obiecta, quæ vult distinctè à nobis percipi, oritur obligatio ea credendi explicitè, quia lumen naturæ, secluso omni alio præcepto positiuo, ostendit irreuerenter agi, cum persona maximæ auctoritatis, si ei loquenti fidem non præstamus, ad quam fidem, & notitiam nostram ex natura sua ordinatur omnis eiusmodi loquutio: quare sicut obligatio colendi Deum nobis apparentem est de iure naturæ, licèt apparitio, & voluntas apparendi fuerit libera: ita obligatio attendendi, & credendi Deo taliter nobis loquenti vi-

detur esse de iure naturæ, licèt voluntas taliter loquendi fuerit Deo libera.

18 Dices, hinc sequi, obligationem etiam circa omnia præcepta positiua Dei, imo etiam hominum, esse de iure naturæ: nam licet Deus, vel etiam superiores creati libere præcipiant; posita tamen voluntate diuina, vel humana præcipiendi, & intimato præcepto, lex ipsa naturalis dictat esse obligationem obediendi. Consequens autem est contra doctrinam communem distinguentem inter præcepta naturalia, & positiua, siue humana, siue etiam diuina. Respondetur negando sequelam: ratio differentiæ est, quia quando Deus, vel homo positiuè aliquid præcipit, quod antea lex naturalis non præcipiebat, tota obligatio oritur immediatè ex præcepto illo habente pro obiecto obligationem nouam, quamuis mediatè, & consequenter lex etiam naturalis obliget ad obediendum, quatenus generaliter dictat obediendum esse Deo, vel homini legitimè præcipienti, & obliganti: ideo præcepta illa dicuntur positiua, quia obligatio immediatè non oritur ex lege naturali, sed priùs, & immediatè oritur ex lege alia superaddita à legitimo superiore. At verò obligatio credendi Deo oritur immediatè, & primò ex lege naturali, non ex lege aliqua superaddita. Nam loquutio, & reuelatio, qua Deus manifestat nobis obiecta credenda, non est lex, vel præceptum, nec habet pro obiecto volito obligationem, sed est loquutio, & manifestatio, ac communicatio mentis diuinæ circa talia obiecta: qua tamen loquutione, & manifestatione posita, lex naturalis immediatè obligat ad adhibendam fidem, ita vt tota obligatio oriatur immediatè ex sola lege naturali, reuelatione ipsa diuina habente se, non vt legem, vel præceptum obligans ad fidem, sed vt conditionem, & circunstantiam, in qua lex naturalis colendi diuinam auctoritatem obligat ad credendum propter irreuerentiam, quæ inferretur Deo, non credendo, quæ dicit, cùm omnis loquutio talis ordinetur ad communicandum mentem, & ad generandum in audiente notitiam, & assensum eorum, quæ dicuntur: quem assensum non exigit per modum legis, sed magis per modum desiderij, quod loquens habet communicandi suam mentem audienti, & generandi in eo assensum similem suo, cui desiderio, & ordinationi mentis propriæ fit irreuerentia, si diuinam mentem humiliter non amplectamur.

19 *Obligatio duplex in audiente.*

Dixi autem, ex loquutione tali Dei resultare obligationem iuris naturalis percipiendi, & credédi, quæ Deus dicit; possumus enim distinguere duplicem obligationem in audiente; alterâ percipiendi id, quod dicit; alterâ id credendi. Vtrumq; quippe exigere videtur ab audiéte ille, qui loquitur, nempe quod attendat, & audiat, atque etiam quod credat; & vtroq; modo peccari potest contra reuerentiam loquenti debitã, si aut ei non credas, aut negligas etiã eius voces percipere, & sensum concipere. Imò primo loco videtur loquens exigere auditum & attentionẽ, vt percipiatur, & postea fidẽ: nec minus videtur despici, & contemni, si ei nobis loquenti nolimus attendere, quam si attendentes nolimus ei credere; nam in secundò casu, licèt non habeamus assensum, habemus tamen notitiam saltem apprehensiuam de illius mente. In primo autem casu, nec assensum nec etiam notitiam vllam suæ mentis in nobis generat. Quamuis fides autem non amittatur fortasse

nisi per dissensum, aut dubitationem, de quo *infra* dicendum erit; vtroque tamen modo peccatur contra cultum intellectualem Deo loquenti debitum; & ideo eo ipso quod scimus, Deum aliqua reuelasse, vt ea à nobis distinctè, & explicitè percipiantur, & credantur, debemus attendere, & inquirere, quæ & qualia sint ea obiecta. Sicut non posset sine graui irreuerentia subditus Principi ei de rebus seriis loquenti nolle attendere, aut eius litteras de rebus seriis ad ipsum scriptas nolle legere: sic multò maior irreuerentia erit nolle Deum audire, aut eius litteras nolle legere, quas hoc animo scripsit, vt à nobis distinctè legantur, & percipiantur.

20 Vnde rursus infertur, præceptum hoc explicitè credendi aliqua obiecta, licèt in aliquo sensu videatur esse ex parte positiuum, non tamen esse solùm iuris positiui humani, sed etiam diuini, & impositum à Deo, atque etiam à Christo, & suis Apostolis intimatum. Moueor primò, quia Christus Dominus iussit Apostolis prædicare, & docere priùs eos, qui baptizandi erant: ergo eos etiam voluit explicitam notitiam habere, non vtique mysteriorum in communi, sed in speciali, vt patet de articulo iudicij finalis iuxta illud act. 10. *Nobis præcepit Dominus prædicare, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Secundò, quia Ecclesia non potest præcipere actus merè internos vt suppono ex communiori sententia in materia de legibus, credere autem explicita hæc vel illa obiecta, est actus merè internus, ergo Ecclesia, seu Apostoli non potuerunt illud præcipere, ergo hoc præceptum à solo Christo Domino ortum habuit. An verò teneamur memoriter scire symbolum, & de aliis circunstantiis huius præcepti, postea videbimus.

21 *Quo potissimum tempore obliget hoc præceptum affirmatiuum credendi.* Dubitari potest tertiò, quo potissimum tempore obliget hoc præceptum affirmatiuum credendi. Theologi, qui de hoc agunt, communiter dicunt obligare, quando primùm alicui fides sufficienter proponitur, quod non solum de non baptizatis, sed etiam de pueris baptizatis intelligendum est, quando veniunt ad vsum rationis: postea verò inquit Aragon *in præsenti quæst. 2. art. 6. colum. penult.* non teneri eum amplius fidei actum elicere, nisi occurrat necessitas fidem confitendi. Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 2.* addit, obligare etiam, quando quis grauem tentationem contra fidem patitur; tunc enim debet positiuè resistere per actus contrarios. Alij verò casus, vt cùm tenetur confiteri, vel conteri, vel alia exercere ad quæ fidei actus exigatur, non tam obligant ex hoc fidei præcepto, quàm per accidens ex vi aliorum præceptorum, quæ sine fide impleri non possunt.

22 Contra hæc tamen est grauis difficultas: nam præceptum dilectionis Dei non obligat, quando primùm Deus proponitur summè amabilis, nec quando incipit rationis vsus, vt cum communi Doctorum probat idem Sanchez *vbi suprà c. 35. n. 7.* nec præceptum conuersionis, vel iustificationis obligat, quando primùm habetur notitia Dei, & grauitatis peccati: nam licèt communiter dicatur præceptum baptismi suscipiendi obligare statim, quando primùm possit suscipi, & per consequens teneretur etiam homo habere attritionem ad effectum baptismi consequendum: cæterùm hæc obligatio esset per accidens: ponamus enim hominem, qui habeat iam nostræ fidei sufficientem notitiam, & tamen non possit baptizari ob aliquod impedimentum; iste quidem non teneretur habere statim contritionem, cur ergo teneretur statim elicere assensum fidei, cùm tota fidei necessitas sit in ordine ad salutem, ad quam iste homo non tenetur statim procurare omnia media necessaria? Quod autem ille non teneatur statim ad contritionem, vel attritionem probatur, quia alioquin etiam adultus, qui post baptismum peccat, teneretur statim post peccatum ad contritionem, vel pœnitentiam, quæ ipsi tam necessaria omninò est, quàm homini nondum baptizato, ergo sicut baptizatus non tenetur statim iustificari, vel conuerti post peccatum, ita nec tenebitur non baptizatus, quando primùm habet notitiam Dei, de quo vide, quæ dixi late *disp. 7. de Pœnit. sect. 11.*

Adhuc tamen non videtur recedendum à communi sententia, quam omnes supponere videntur, licèt eam ex professo non tractent Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 31. sect. 2. §. dicendum nihilominus, & disp. 13. de fide, sect. 5. num. 6.* Coninch. *in præsenti disp. 14. dub. 10. n. 205.* Valquez *2. tom. in 3. p. disp. 149. n. 36.* & alij communiter. Omissis autem aliis rationibus, quas afferunt Suarez, & Coninch *locis citatis.* Ratio videtur colligi ex supra dictis, quia fidei præceptum, licèt sit affirmatiuum, & non obliget pro semper: est tamen cultus, & reuerentia, quæ debetur diuinæ auctoritati aliquid nobis proponenti, & testificanti; quare sicut ille, cui occurreret Rex, teneretur statim ei exhibere reuerentiam, quam si non exhibeat, non solùm peccaret contra Regem tunc, sed etiam quandiu Rex permaneret præsens, & ipse maneret etiam sine vlla cultus exhibitione; sic etiam quando nobis primùm occurrit diuina auctoritas sufficienter proposita, peccamus, si non eam debita reuerentia excipimus, & quandiu ita manemus, continuatur idem peccatum, sicut continuatur in eo, qui non restituit ablatum; quia adhuc perseuerat eadem obligatio restituendi. At verò in præcepto pœnitentiæ, & conuersionis non militat hæc ratio, quia præceptum pœnitentiæ ita est affirmatiuum, vt non obliget ex natura rei statim: nam licèt peccatum mortale habeat aliquam malitiam irreuerentiæ in Deum, quatenus Deus postponitur creaturæ per peccatum; Cæterùm omissio, vel dilatio conuersionis non est grauis irreuerentia noua in Deum, quia non statim adest aliqua occasio determinata, in qua necesse sit Deum colere, nec per ipsam dilationem continuat homo irreuerentiam præteritam; sicut etiam ille, qui Patri, vel Prælato aliquid præcipienti non obediret, non censeretur committere nouam irreuerentiam ex eo quod postea absentem patrem, vel Prælatum non adiret statim ad veniam petendam: præceptum enim obedientiæ solùm obligat pro occasionibus occurrentibus; fidei autem occasio semper adest, quia semper manet proposita diuina auctoritas reuelans obiecta, & exigens cultum fidei, donec ei exhibeatur. Quod idem de præcepto dilectionis dicendum est: hæc enim non obligat ad diligendum obiectum, quando primùm proponitur, sed ad diligendum moraliter loquendo ad summum toties repetita dilectione, quoties sufficiat ad hoc quod iste homo moraliter dicatur amicus Dei: debitum autem reuerentiæ, qualis per fidem exhibetur, obligat quando primùm occurrit, vel saltem loquitur nobis persona, cui reuerentiam debemus, vt

reuerentiam debemus, vt constat in humanis. Vide, quæ dixi loco citato de Pœnitentia vbi latiùs hanc differentiam explicui. Addi autem potest congruentia, quam afferunt Suarez, & Coninch *locis citatis*, quod is, qui assensum non præstat iis, quæ sibi à Deo proponuntur, & quorum assensus explicitus ab eo exigitur, vix potest moraliter contingere, quod id non faciat ex hæsitatione vel dubitatione circa veritatem obiecti propositi, quæ dubitatio iam esset culpabilis. Quomodo autem non sit eadem obligatio assensus circa ea, quorum fides explicita à nobis non exigitur, explicuimus supra; quare cùm perseueret propositio actualis sufficiens diuinæ auctoritatis, eadem videtur perseuerare irreuerentia per omissionem fidei, & reuerentiæ debitæ Deo loquenti. Circa hanc obligationem aduertendum est primò, fidelem non solum teneri credere, sed aliquando assensum fidei, & notitiæ horum obiectorum repetere, toties scilicet, quoties satis sit vt moraliter dicatur hic homo scire hæc obiecta habitualiter, & profiteri, seu amplecti hanc doctrinam fidei, cui obligationi nemo est, qui christianam religionem profiteatur, qui non satisfaciat quoad fidei assensum repetendum.

24 *An possit dari ignorantia inuincibilis fidei?*

Vltimò dubitari solet, an possit dari, vel detur ignorantia inuincibilis fidei. Ex duplici autem capite videtur non posse dari hæc ignorantia. Primò, quia fides est medium necessarium ad salutē, vt suprà vidimus: nemini autem negantur media necessaria ad salutem. Secundò, quia obiecta fidei aliqua saltem sunt ita lumine naturæ nota, vt à nemine possint ignorari, nisi ab ignorare volente. Communis tamē sententia affirmat, dari posse in aliquo adulto eam ignorantiam, quam cum aliis latè probant Suar. *d.* 17. *sect.* 1. & 2. & Coninch. *d.* 18. *dub.* 2. & quidem si sermo sit de fide non solùm pro materiali, sed pro formali; res videtur clara: quia potest aliquis ignorare Deum reuelasse hæc mysteria, eo quòd nunquā ei talis reuelatio proposita fuerit, nec in eius mentem venerit, vnde ignorat inuincibiliter obligationem credendi ex fide hæc obiecta. Quomodo autem illi homini Deus prouiderit media necessaria ad salutem, pertinet ad tractatum de gratia, vbi explicui quomodo homo ille habeat media remota ad salutem, nempe auxilia ad obseruanda præcepta naturalia quæ nouit, quibus si bene vtatur, illuminabitur, Deo ita prouidente, circa obiecta fidei, vt ea possit credere, & habeat media proxima ad salutem. Si autem præcepta naturalia violet, iam tunc iustè damnabitur, non ob peccatum infidelitatis, quod non potuit esse voluntarium, cùm fuerit omnino ignoratum, sed ob alia peccata mortalia, in quibus ob ignorantiam non excusatur. Quia verò quæstio hæc pertinet, vt dixi, ad materiam de gratia, non est in hunc locum alienum transferenda: aliqua tamen diximus suprà, & dicemus inferius.

Si autem sermo sit de ipso obiecto materiali fidei, certum videtur, aliqua fidei obiecta posse inuincibiliter ignorari. De aliquibus tamen est peculiaris difficultas, vt de existentia Dei, de eius prouidentia, de remuneratione bonorum, & pœna impiorum, quæ videntur esse cardines totius humanæ vitæ, & naturæ lumine notissima. Hæc autem Quæstio non est etiam huius loci, sed pertinet *ad* 1. 2. vbi agitur de ignorantia, & de ea videri etiam possunt Suarez & Coninch *locis citatis* & Salas *in* 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 8. *sect.* 4. qui alios afferunt.

SECTIO II.

Ad quam virtutem spectet præceptum fidei.

HOc dubium tractat ex professo P. Suarez *in præsenti disp.* 13. *sect.* 2. & vt clariùs percipiatur, distinguit duplicem modum huius obligationis. Primus est directus ex ipsa virtute fidei, quæ per se, & immediatè obligat ad credendum. Secundus est indirectus & per accidens, quo ex obligatione alterius virtutis oritur obligatio credendi, quatenus actus fidei est medium necessarium ad obseruandum alterius virtutis præceptū. Sicut enim ieiunium aliquando obligat ex virtute temperantiæ, & oratio ex virtute religionis: aliquando verò vtraque obligatio oritur ex obligatione alterius virtutis ad quam ieiunium, vel oratio sunt in his circumstantiis media necessaria: ita actus fidei poterit aliquando exigi necessariò ab ipsa virtute fidei, & hæc erit obligatio directa orta ex virtute fidei: aliquando verò poterit esse obligatio solum indirecta, & per accidens, quatenus ad obseruandum aliud præceptum alterius virtutis est medium necessarium assensus fidei. Quare eo casu omissio actus fidei non erit peccatum diuersum à peccato, quod fit contra præceptum illius alterius virtutis, propter quod necessarius erat assensus fidei, vt cum aliis notarunt Suarez *vbi supra n.* 1. & Thomas Sanchez *l.* 2. *in decalog. c.* 1. *n.* 3. 25

Hoc supposito, idem Suarez *n.* 4. *& seqq.* dicit primò, esse obligationem directam & per se ex ipsa virtute fidei credendi ea, quæ pertinent ad ipsum Deum: quia Deus est primarium, ac per se obiectum fidei, & quia in Dei cognitione maiori ex parte hominis perfectio consistit, vt dixit Dionys. *c.* 4. *de diuin. nominibus* & in ordine ipso naturali cognouit Arist. 10. *Ethic. cap.* 7. *&* 8. ponens summam perfectionem hominis in cognitione summi veri. Similiter ergo in ordine supernaturali cognitio supernaturalis Dei, quæ habetur per fidem per se, ac directè præcipietur propter perfectionē ipsius hominis, non solum, quia ordinatur cognitio illa ad amorem Dei, vel ad spem nobis necessariam, sed etiam sistendo in ipsa fide quatenus affert cognitionem Dei. Addit autem statim, hanc Dei cognitionem præcipi, non solum vt medium ad charitatem, & spem, sed etiam propter honestatem, & perfectionem, quā in se habet, vt intellectus specialiter subiiciatur Deo iuxta illud Pauli 2. Cor. 10. *in captiuitatem redigentes intellectum in obsequium Christi*. Quæ tamen honestas differt ab honestate, quam respicit formaliter Religio, quia Religio respicit Deum, vt supremum dominum, & quatenus habet supremam quandam excellentiam propter quam honorandus est. Fides verò respicit Deum, vt primam veritatem, cui peculiari modo intellectus subiiciendus, & captiuandus est. *Sententia P. Suarez.*

Addit rationem aliam ad hoc ipsum probandum *illo num.* 5. quia nimirum Dei cognitio est se primò necessaria ad iustitiam, & quidem non solum vt dispositio (provt sic enim obligatio hæc non esset per se, & directa sed indirecta ex debito acquirendi iustitiam, ad quam fides Dei est medium necessarium) sed fides hæc est etiam necessaria vt pars quædam ipsius iustitiæ, seu inchoatio, & fundamentum eius, & in ea suo mo- 27

do consistit huius vitæ participata felicitas, iuxta illud Ioan. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum.*

Loquendo denique de fide, prout versatur etiam circa materiam moralem, addit *num. 6.* eius obligationem non esse solum ex præcepto aliarum virtutum, ad quas hæc fides est necessaria, sed etiam per se, & directè ex ipsa virtute fidei. Primò quia hanc etiam materiam fides non attingit practico modo imperando, & dictando in particulari, quid sit agendum, quod pertinet ad prudentiam, sed speculatiuo modo cognoscendo veritatē illorum principiorum moralium. Secundò, Quia hæc etiā cognitio est per se necessaria ad perfectionem status hominis christiani, vt christianus est, nimirum, vt sit proximè aptus, & bene instructus ad christianè viuendum. Ad hoc autē tenetur homo ex præcepto alicuius virtutis peculiaris, quæ non potest alia assignari præter fidē ipsam: nec potest solū oriri ex obligatione generali honestè viuēdi: quia hic est specialis actus, & debet habere honestatem specialē, & non generalem. Denique, quia ignorantia fidei etiam in hac materia est speciale peccatum, & in ea potest cōmitti peccatum hæresis, quod certè est contra specialem virtutem fidei, ergo fides ipsa per se, & ratione sui obligabat directe etiam in hac materia. Hæc est doctrina Suarij circa illam primam obligationem, quæ oritur per se, & directè ex ipsa virtute fidei.

28 *Sententia Auctoris.* Ego paulò aliter sentio, totam illam obligationem directam, quæ oritur specialiter ex virtute fidei, fundari solùm in debito colendi diuinam auctoritatem nobis loquētem, cui eo ipso debemus cultum supremū intellectualē, quem exhibere debemus per assensum firmissimum præstando fidē iis, quæ Deus nobis determinatè dicit, quam fidē eo ipso, quod nobis determinatè aliquid dicit, à nobis videtur exigere, nec possumus sine graui irreuerētia eam negare, vt supra explicuimus: quare omnes aliæ rationes, quas Suarez accumulat ad eam obligationem probandam, non videntur mihi satis efficaces, nisi ad hanc vnam reducantur, imò videtur in iis aliquando confundi obligatio directa, de qua sola nunc agimus, cum indirecta, & per accidens, de qua postea agendum erit.

29 Et in primis, Deum esse obiectum primarium nostræ fidei, non probat hanc obligationem directam circa materiam, quæ pertinet ad cognoscēdum ipsum Deū, nisi aliunde constet, voluisse nobis Deum hæc ipsa reuelare eo animo, vt omnino deberemus talem reuelationē specialiter audire, & percipere. Diximus enim supra, non obligari nos de facto ad credenda explicitè, & determinatè omnia, quæ Deus in scripturis sacris, vel aliter reuelauit, quia non ea omnia Deus eo animo reuelauit, vt obligaret nos ad ea in particulari audienda, & vt exigeret à nobis specialem attentionem circa singula, & ideo non ita loquutus est, vt exigeret fidē specialem circa singula in particulari, sed circa aliqua, quorum notitiam specialem, & mentem suam circa talia obiecta voluit nobis omnino cōmunicare. Potuisset ergo etiam Deus, si voluisset, reuelare nobis liberè, ea omnia, quæ de se ipso reuelauit, hoc est, non exigendo fidem, nec attentionem specialem ad ea, sicut nunc de facto multa nobis de se ipso ita reuelauit. Quo etiam casu Deus potuisset esse obiectum primarium, & attributionis fidei, quia licèt fides per se nō obligaret ad explicitam cognitionem eorum, quæ ad Deum etiam pertinerent; potuisset tamen Deus ea omnia ad hunc finem reuelare, vt si homo vellet attendere, posset per fidem notitiam explicitam diuinitatis comparare. Sicut nunc de facto in iis etiam, ad quorum fidem explicitam non obligamur, non minus est Deus obiectum attributionis primarium nostræ fidei: quia nimirum ea etiam de facto eo animo reuelauit Deus, vt possemus meliorem notitiam per fidem comparare de eius perfectionibus, & attributis, quamvis ad eam meliorem notitiam per fidem comparandam non omnes adstrinxerit.

Similiter nec videtur efficax ad probandam hanc obligationem directam argumentum illud, quod affert, & inculcat Suarez ex eo, quod perfectio hominis, & quasi felicitas participata huius vitæ consistat in cognitione Dei, atq; adeo independēter ab omni alia obligatione consequēti amandi Deum, colendi, &c. videatur esse obligatio directa circa cognitionem ipsam Dei, quæ in statu supernaturali debet esse cognitio supernaturalis per fidē. Hoc, inquā, difficile videtur, quia in primis hoc argumento probaretur esse etiam obligationem directam, ex virtute fidei, vt omnes procurarent credere explicitè quidquid fides tradit de perfectionibus, & attributis intrinsecis Dei: nam perfectio hominis non est cognitio confusa Dei, sed distincta, qualis saltem in hac vita comparari potest. Deinde non satis efficaciter probatur, attento iure naturæ esse obligationem procurandi perfectionem quam natura humana habere potest ex notitia Dei sistendo in ipsa, fateor, esse obligationem etiam in natura pura inuestigandi, & cognoscendi Deum, quia nimirum est obligatio illum diligendi, colendi, & gratias ei agendi, quæ omnia sine Dei notitia fieri non possunt, sicut nec potest homo Deo obedire, & legem eius seruare, nisi sciat Deum esse supernum legislatorem. Hæc tamen obligatio non videtur sistere in sola notitia, sed propter alia omnia, quæ sine Dei notitia, non possunt impleri, & ad quæ homo aliunde tenetur. Ratio autem esse videtur, quia status huius vitæ est solum status viæ in ordine ad terminum, qui est status vitæ futuræ, & æternæ, in quo dandū est præmium, quare homo non debet procurare perfectiones huius vitæ tanquā finem, sed tanquam media ad finem, ad quem assequendum ordinatur. Cùm ergo finis ille consequendus sit per merita, hæc solum procuranda sunt & in ordine ad hæc merita, & opera bona procuranda, est cognitio præsens Dei, & aliorum obiectorum: non est ergo obligatio per se, & directa huius notitiæ habendæ in hac vita, sed quatenus conducit ad finem melioris notitiæ, ad quam tanquam ad finem ordinatus est homo.

Nec etiam est magis efficax argumentum quod affert Suarez ex eo, quod fides sit necessaria tanquam pars ipsius iustitiæ, quam iustitiā per se, & directè debet homo procurare. Nam vel sermo est de fide habituali, vel de actuali. Et quidem fides actualis nō est pars iustitiæ, à qua formaliter homo dicitur iustus, sed dispositio remota ad illam: quare ex hoc capite non obligatur homo, nisi indirectè quatenus obligatur homo ad comparandam iustitiam, & consequenter ad dispositiones, quibus cōparatur, quarum vna est actus fidei. Si verò sermo sit de fide habituali, non est ad rem: nam præceptū de quo agimus, non est de habitu, sed de actu ipso, qui solum potest exigi, tanquam dispositio ad habitū, atq; ideò obligatio hæc non erit nisi indirecta de actu, & propter aliud, nempe

propter

propter comparandum habitum. Adde,ad comparandum habitum fidei non prærequiri assensum fidei circa Trinitatem, vel alia similia, cùm sufficiat assensus fidei circa Deum remuneratorem, vt *suprà* vidimus; quare ex hoc capite non probaretur obligatio directa ex virtute fidei ad alios assensus.

32 Denique,quod idē Suarez addit de assensu fidei circa materias etiam morales, non probatur efficaciter hæc obligatio directa ex virtute fidei ad eos assensus argumentis,quæ ad hoc probandū ex ipso retulimus.Non primo argumēto ex eo,quod fides non practico modo,sed speculatiuo proponat hæc obiecta. Per hoc enim non excluditur obligatio indirecta:nam omne illud potest cadere sub obligationem indirectam alicuius virtutis, quod potest esse medium necessarium ad id, ad quod virtus illa directè,& per se obligat: si ergo actus fidei circa materias morales est medium necessarium ad finem aliarum virtutum,v.g. ad spē, ad charitatem,ad castitatem,&c. possunt hæ virtutes obligare indirectè,& cōsequenter ad talem assensum fidei, siue is dicatur actus speculatiuus siue practicus;sicut etiam de facto virtus moralis potest obligare ad comparandam notitiam aliquā speculatiuam,prout Gubernator aliquando debet legere,&scire historias præteritas,vt possit postea prudenter suo munere fungi:quantò magis poterit virtus aliqua obligare indirectè ad notitiam obiecti moralis ex fide,quæ notitia minùs speculatiua est,quàm notitia historiæ antiquæ.

33 Secundum etiam argumentum quod affert,videtur confundere obligationem directam cum indirecta:si enim oritur ex eo,quod hæc fidei cognitio circa materias morales est per se necessaria ad perfectionem hominis Christiani,vt Christianus est, & vt sit aptus, & instructus ad bene viuendum,iam ergo non est obligatio per se, sed propter aliud,nēpe,quia est medium necessarium ad bene,& Christianè viuendum. Quod verò in eodem argumento additur, debere hanc obligationem pertinere ad aliquam virtutem specialem, nec posse assignari aliam,nisi fidem,quia obligatio generalis honestè viuendi, non est specialis, sed generalis omnium virtutum: facilè soluitur quia potest esse actus specialis,& in specie atoma per ordinem ad honestatem vniuersalem;sicut intellectio habēs pro obiecto substantiam in communi,vel rationem communem entis,habet speciem infimam intellectionis desumptam ex obiecto satis communi:ad obiectum enim commune potest esse ordo non communis,sed specialis,distinguens actum illum ab omni alio actu,quicunque sit.Sic ergo potest esse actus honestus honestate formali, speciali, & infima per ordinem ad honestatem obiectiuam communem, & potest etiam ad eum actum dari specialis virtus innominata,quæ inclinet ad studiosè viuendum,& operandum, de quo habitu & virtute videri potest latè P.Salas 1.*tom.in* 1.2.*tract.*7.*disp.*2.*sect.*7.*n.*6. *& seqq.* vbi varias Theologorum sententias, & argumenta congerit. Nobis pro nunc sufficit, quod possit quælibet virtus particularis obligare ad comparādam notitiam necessariam circa suum obiectum, & rursus virtus illa alia inclinans ad fugiēdam inhonestatem potest inclinare ad comparandam notitiam omnem necessariam circa materias morales ad viuendum honestè, seu fugiendam turpitudinem, & contra hanc virtutem poterit esse peccatum,si ea notitia negligetur.

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuinæ.

Denique,quod etiam in ignorantia fidei circa 34
materias morales possit interuenire peccatū hæresis,non probat,fidem per se obligare ad assensus fidei circa eas materias:alioquin æquè probaretur quòd fides per se obligat de facto ad assensus circa omnem materiam reuelatam,cùm circa omnē illam possit de facto committi speciale peccatum hæresis negando quemlibet articulum,vel de illo dubitando.Distinguenda est ergo duplex obligatio suprà indicata.Altera est ad non dissentiendū, vel dubitandum circa materiam reuelatam,quæcunque illa sit,& hæc obligatio est directè,& per se à virtute fidei, cui opponitur directè irreuerētia talis peccati circa diuinam auctoritatem, & hoc esset peccatū hæresis,quando esset circa materiam ab Ecclesia Catholicam creditam. Altera est obligatio,de qua nunc loquimur,assentiendi explicite rei reuelatæ:& hæc non datur circa omne obiectum reuelatū vt constat,sed circa aliqua, & de hac obligatione, quærimus an proueniat per se,& directè à virtute fidei,an per accidens,& indirectè propter obligationem alterius virtutis, ad quam assensus ille fidei sit necessariū medium, nec probatur esse directè à fide ex eo,quod circa eam materiam committi possit peccatum hæresis contra fidem, quia hoc peccatum esset contra primam obligationem,non contra secundam.

Ratio ergo,& regula generalis ad cognoscendam obligationem directam, & per se ortam ex virtute ipsi fidei ad assensum est,quam suprà posuimus: vta quippe fidei obligatio fundatur in reuerentia debita diuinæ veritati, quam colere debemus cultu intellectuali supremo: cui obligationi directè, & per se opponitur in primis dissensus, vel dubium de virtute obiecti,in quibus continetur irreuerentia positiua, vt ita dicam, opponitur etiam directè, & per se omissio assensus, tunc scilicet quando reuerentia erga diuinam veritatem assensum positiuum exigit. Non enim semper illum exigit determinatè circa omnia; quæ reuelat, vt vidimus, sed tunc quando nobis determinatè aliquid reuelat,& dicit,eo animo,& tali modo, vt attentionem à nobis exigat vt mentem suam determinatè circa tale obiectum nobis communicet. Sicut esset irreuerentia contra Principem humanum magnæ auctoritatis, si ei loquenti seorsim cum subdito, & res magni ponderis manifestanti,subditus vel non attenderet, vel non crederet, cùm Princeps ab eo attentionem & fidem exigeret. Non tamen esset talis irreuerentia, si Principe euulgante librum, vt gesta sua à subditis sciri possent, subditus ea non legeret, vel non explicitè, & in particulari crederet;quia Princeps, licèt mentem suam subditis manifestare intendisset, non tamen ita vt attentionem ab eis exigeret, sed vt possent,si vellent eius mentem cognoscere; esset tamen tunc etiam irreuerentia in Principem positiuè negare ea,quæ in libro narraret; ita ergo de obligatione fidei diuinæ cum proportione loquendum est,dum obligationem solùm directam fidei inquirimus.

35 *Tota fidei obligatio fundatur in reuerentia debita diuinæ veritati.*

Ex hac autem regula, & ratione sic explicata infero primò de facto virtutem ipsam fidei directè & per se obligare ad assensum explicitum eorum obiectorum spectantium ad Deum ipsum, & eius perfectiones, de quibus de facto fides explicita à Deo requiritur. Si enim Deus fidem explicitam exigit, ergo reuelat nobis hæc obiecta eo animo, vt à nobis percipiantur,

36 *Virtus fidei directè obligat ad assensum explicitum obiectorum spectantium ad Deū ipsum, & eius perfectiones.*

& attendamus, & fidem præstemus iis, quæ nobis dicit: ergo non attendere, vel non credere hæc obiecta esset contra reuerentiam diuini testimonij, quam fidei virtus per se & directè præcipit.

37 *Item ad assensum obiectorum, quæ versantur circa materias morales, & quarum fidem etiam nobis exigit.*

Vnde secundò infero idem dicendum esse de iis etiam obiectis fidei, quæ versantur circa materias morales; & quarum fidem explicitam Deus à nobis exigit, quia necessaria est ad non errandum in iis materiis: sunt enim aliquæ etiam materiæ morales, quarum obligationem aliunde non possemus noscere, nisi fides illam nobis manifestaret. Huiusmodi sunt susceptio baptismi, Eucharistiæ, Sacramenti Pœnitentiæ, & alia eiusmodi, quorum obligatio secluſa fide cognosci non posset. Cùm ergo Deus ad hæc voluerit nos obligare, voluit etiam eam obligationem manifestare, & reuelare ita, vt deberemus attendere ad hanc reuelationem, & eius obiectum credere. Non est autem hæc obligatio credendi solum indirecta, & propter solam obligationem obseruandi illa alia præcepta, sed etiam per se, & directè oritur ex virtute fidei. Nam licèt Deus ideo illam obligationem nobis reuelet, vt ei satisfacere possimus, ita vt obseruantia illorum præceptorum sit finis extrinsecus Dei reuelantis: sed tamen eo ipso, quod id reuelet, reuelatio ipsa tali modo facta obligat per se, & directè ad fidem rei reuelatæ: quia reuelatio tali modo facta habet per se, & directè pro fine intrinseco fidem nostram. Sicut enim loquutio ex quocunque fine extrinseco fiat, habet semper pro fine intrinseco, immediato, & directo communicationem mentis loquentis, sic habet exigere ab audiente attentionem, & fidem. Sic dominus creatus, quando præcipit seruo aliquod opus, habet quidem pro fine extrinseco, quod opus illud à seruo fiat; ipsa tamen loquutio, & intimatio præcepti exigit immediatè, & directè à seruo attentionem & fidem de voluntate præcipiendi in Domino, quam voces illæ significant: ipsamet ergo virtus fidei diuinæ obligat directè ad credendum in iis etiam materiis, quas Deus ad hoc nobis reuelat, vt omnino sciamus talem obligationem, quam aliàs sine Dei reuelatione scire non possemus.

38 *Fidei virtus obligat directè ad positiuè credendas materias morales quas Deus per fidem nobis reuelauit.*

Hinc autem tertiò infero, loquendo etiam de iis materiis moralibus, quas Deus per fidem nobis reuelauit, & quæ aliunde nobis innotescere etiam potuissent, fidei virtutem obligare directè, & per se ad eas positiuè credendas: quia nimirum aliqui ob suam imperitiam, & tarditatem eiusmodi obligationes alia via percipere non possunt, nisi per fidem eis proponantur. Sunt enim materiæ morales, in quibus, licèt lumine naturæ cognosci posset aliunde obligatio, voluit tamen Deus expressam legem, & præceptum interponere, provt fecit de facto in præceptis decalogi, quæ Moysi dedit populo Dei nomine proponenda, & in aliis similibus, in quibus dicimus virtutem fidei obligare etiam per se, & directè ad assensum fidei circa hanc obligationem. Nam eo ipso, quod Deus præcipit, & reuelat præceptum suum, loquitur eo modo, & eo animo, vt velit percipi à subditis, & exigat ab eis auditum, & fidem: nemo enim præcipit, vt subditus solum possit audire, & obedire, sed vt re ipsa audiat, & credat, se velle præcipere: ergo in iis omnibus præceptis satis iudicat Deus, se exigere auditum à subditis, & fidem circa veritatem præcepti reuelati, ac per consequens fidei illa non est solùm necessaria indirectè, & propter obseruantiam præcepti (hoc enim seruari posset ex notitia obligationis aliunde habita) sed etiam per se, & directè ex obligatione fidei, quam per se exigit Deus loquens eo modo, & eo animo, vt audiatur, & percipiatur à subditis.

Hinc etiam solui facilè possunt aliqua, quæ sibi obiicit Suarez *dicta sect. 1. n. 3.* nempe, quod fides pertinet ad perfectionem merè intellectualem: hæc autem si consideretur præcisè secundùm se, & sine ordine ad dirigendam voluntatem, vt benè operetur, non videtur cadere sub præceptum, sicut nec scientiæ speculatiuæ, imò nec de ipsa prudentia videtur esse speciale præceptum, nisi quatenus eius defectus redundat in defectum voluntatis, quæ ea de causa deficit circa aliam virtutem necessariam. Si verò fides consideretur vt necessaria ad actus bonos voluntatis, iam obligatio illius oritur ex obligatione ad actus voluntatis pertinentes ad varias virtutes, & non ex præcisa obligatione ipsius fidei.

Ad hoc respondet idem Suarez *n. 8.* actum etiam fidei non præcipi, nisi provt dicit ordinem ad voluntatem, hoc est, quatenus ex voluntatis imperio potest liberè elici. Hoc tamen non solvit difficultatem: nemo enim dubitauit, quod præceptū quodcunque sit, debeat dirigi immediatè ad voluntatem, quæ sola est immediatè capax præcepti sicut ipsa sola potest immediatè obedire. Quare illi Doctores, quos in argumento retulit ipse Suarez, dicentes, actus intellectus non cadere sub præceptum, non intendebant solùm quod non præciperentur immediatè, & independenter à voluntate; hoc enim erat euidens ex terminis, sed quod non præciperetur voluntati imperium talium actuum, nisi quando ipsi essent vtiles ad dirigendam voluntatem in ordine ad bonum, provt præcipitur prudentia, quia est necessaria ad dirigendas virtutes voluntatis.

Facilius ergo ad argumentum Respondetur concedendo, nullum esse præceptum iuris naturalis de actibus intellectus sistendo in perfectione, quam ij actus afferunt intellectui in hac vita: esse tamen præcepta de iis actibus aliquando, attendendo ad bonum honestum, quod in iis elucet, quatenus, v.g. ij actus necessarij sunt, vt per ipsos debitus honor, aut reuerentia alis debita exerceatur. Nam sicut potest præcipi genuflexio externa, quatenus est cultus externus personæ superiori debitus, etiamsi ipsa genuflexio non sit necessaria ad alios actus bonos voluntatis subsequentes, ita potest esse præceptum iudicij intellectualis, & de facto iure naturæ prohibetur iudicium intellectuale temerarium de malo proximi, quia per ipsum infertur proximo damnum, & iniuria, & præcipitur iudicium contrarium ex suppositione, quod ferendum sit iudicium, licet in vtroque iudicio non consideretur vtilitas, vel nocumentum ad alios actus voluntatis subsequentes; sic ergo, Deo nobis loquente, præcipitur assensus firmus fidei: non quidem propter perfectionem, quam assensus ille affert intellectui, sed quia per assensum illum exhiberur reuerentia debita diuinæ veritati, ex quo capite assensus ipse habet honestatem obiectiuam, ratione cuius sit materia præcepti independenter ab vtilitate, quam habet dirigendi voluntatem ad alios actus bonos.

Cæterùm, quoniam diximus, virtutem fidei per

An sit duplex virtus fidei, vna qua obliget ad attendendum, altera ad credendum Deo loquenti.

per se, & directè obligare, vt Deo tali modo nobis loquenti attentionem, & fidem præbeamus, dubitari posset an sit duplex virtus realiter, vel formaliter, altera quæ inclinet, & obliget ad audiendum, & attendendum Deo loquenti; altera; quæ inclinet, & obliget ad credendum. Videtur enim esse ex parte obiecti duplex honestas obiectiua, & quidè prima separabilis à secunda, cùm possit aliquis attendere Petro loquenti, & velle distinctè percipere, quæ dicit, & tamen postea nolle ei credere. Quòd si sit duplex virtus, dubitari potest, an quatenus inclinat præcisè ad audiendum Deum, & percipienda, quæ dicit, sit propriè virtus fidei; vel aliqua alia; de hoc tamen non est quod multum contendamus: potest enim dici, quod non sit duplex virtus simpliciter, loquendo etiam ex parte obiecti, sed vna cuius obiectum conflatur ex duabus partibus quasi integrantibus vnicam honestatem completam, quæ consistit in reuerentia debita exhibenda diuinæ veritati, quæ reuerentia exhiberi debet, & attentè audiendo Dei nobis loquentis verba, & ea credendo; quare ad vtrumque procul dubio extenditur fidei virtus, quia primum sine secundo non sufficeret ad reuerétiam diuinæ veritati debitam. Posset etiam dici, has duas partes non æquè formaliter respici à virtute fidei, sed secundam, nempe credere Deo respici formaliter, & per se, quia in eo assensu firmo credulitatis consistit potissima reuerentia diuinæ veritatis. Primam verò partem, nempe audire Dei verba, & iis attendere, respici à virtute fidei quasi materialiter, & propter aliud, nempe quatenus est medium necessarium ad credendum Deo, & ad reuerentiam credulitatis exhibendam. Ratio autem esse potest ex dictis, quia ille, qui mihi loquitur, intendit formaliter, vt diximus, communicare mihi suam mentem, seu quod ego eandem cum illo mentem habeam, & idem cum ipso sentiam; quare licèt loquendo eo ipso exigat à me attentionem simul, & fidem, sed tamen attentionem ipsam, non videtur exigere formaliter, sed materialiter, quatenus necessaria est, vt obtineatur finis loquutionis, nempe quod idem cum ipso sentiam, ad quod prærequiritur auditio, & attentio. Virtus ergo fidei, licèt nos ad vtrumque inclinet, & obliget diuerso tamen modo: nam ad assensum inclinat tanquam ad finem intentum à loquente; ad auditionem verò & attentionem, tanquam ad medium necessarium ad eumfinem: quare non est necesse considerare duas honestates diuersas etiam ex parte obiecti, sed vnicam, nempe reuerentiam debitam diuinæ veritati, quæ formaliter consistit in assensu, & propter quam debetur auditio, & attentio tanquam medium, & ideo qui solùm audit, & non credit, nullo modo est fidelis: nam Iudæi etiam volebant audire ex ore Christi, an ipse esset filius Dei, & tamen non id faciebant ex virtute fidei, quia non id quærebant ad credendum, sed potius ad calumniandum. Et hæc dicta sint de obligatione directa, qua virtus fidei per se, & directè obligat ad assensum fidei; nunc dicendum est aliquid de obligatione indirecta.

§. Vnic.
Quando ad actum fidei obligemur indirectè.

43 DIximus initio huius sectionis, aliquando nos obligari directè, & per se ad assensum fidei, quam obligationem huc vsque explicuimus; aliquando verò indirectè, & propter aliud, eo quod assensus fidei necessarius tunc sit ad alia præcepta implenda, de quo genere obligationis dicendum nunc est. Regula generalis est, toties esse obligationem eliciendi assensum fidei, quoties is necessarius est ad obseruandum aliud præceptum, quod tunc obliget; quia qui tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam ad ponenda media necessaria præsertim proportionata, & facilia: obligatio autem hæc non erit ex ipsa virtute fidei sed ex illo alio præcepto, ad cuius obseruantiam erat medium necessarium actus fidei, contra quod solum præceptum peccabitur omisso actu fidei, nec erit duplex peccatum explicandum in confessione, sed vnicum contra illud aliud præceptum, quod vrgebat, vt monet benè Thomas Sanchez *lib. 2. in decalogum cap. 1. num. 3.* & ex ipso docet idem Coninch *disputat. 14. dub. 10. num. 215.*

Regula generalis: Toties est obligatio elicendi assensum fidei, quoties is necessarius est ad aliud præceptum, quod tunc obliget.

44 Hinc sequitur, esse obligationem eliciendi fidei actum, quando homo vult se ad iustificationem in Sacramento comparandam præparare: quia debet præmittere detestationem absolutam, & efficacem suorum peccatorum, ad quam debet præcedere actus fidei, vt diximus *supra*. Vnde obiter aduerto, stultè aliquos scrupulis angi, eo quod non recordentur, an habuerint actum fidei ante confessionem: non enim oportet de hoc esse sollicitos: quia si cogitarunt de dolore peccatorum præmittendo debent omninò putare, quod habuerunt etiam actum fidei, quia motiuum doloris illius efficacis proponi debuit priùs ab intellectu; de facto autem, secluſa fide, non proponitur tale motiuum per vllas alias rationes, saltem, vt sequatur dolor efficax de peccatis super omnia, qualis ad iustificationem etiam in Sacramento, requiritur: quare licèt non habuerint reflectionem supra ipsam fidem, illam tamen procul dubio exercuerunt, quando voluntati proposuerunt motiuum ad dolendum efficaciter de peccatis super omnia.

Tenetur homo elicere actum fidei, quando vult se ad iustificationem in Sacramento comparandã procurare.

45 Similiter ex obligatione diligendi Deum, quando illud præceptum obligat, erit etiam obligatio habendi actum fidei, sine quo non elicitur dilectio Dei super omnia, quod idem dicendum est de actu spei, quando præceptum illius actus vrget, quem etiam debet præcedere actus fidei: imò cùm non possit homo sine fide seruare legem Dei per longum tempus, consequens est, vt ad illam seruandam debeat etiam fidei actus exercere. De hac tamen obligatione non est necesse, quod Confessarius pœnitentem interroget, nec pœnitens se ipsum examinet, vel accuset, quia non contingit moraliter, quod ei non satisfaciat, repetendo sæpe fidei actus. Vnde inutilem etiam existimo quæstionem illam, quam plures mouent de tempore, quo tenetur fidelis actus fidei repetere, vt satisfaciat obligationi directæ ipsius fidei, cui obligationi non videtur satisfacere semel amplectendo fidem Christianam, & eam credendo, nec etiam in articulo mortis eum actum eliciendo, sed debet aliquoties fidei actus exercere, & ideo aliqui dicunt, debere id fieri saltem diebus festis: alij volunt in singulis saltem festis debere elici actum fidei circa mysterium illud, quòd eo die celebratur. Alij dicunt, obligare hoc præceptum saltem semel in anno, sicut præceptum confessionis, & communionis; quas sententias & eorum auctores videre poteris apud Sanchez, vbi

Item quando obligatur elicere actum charitatis & spei.

supra *n.*3.& apud Suarez *disput.*13.*sect.*5.*num.*2. & sequentibus, qui eas bene impugnant. Cæterùm hæc quæstio, vt dixi, parum vtilis mihi videtur, quia non potest contingere moraliter loquendo, quod homo christianus, qui fidem christianam semel toto corde amplexus est, nec postea ab ea defecit, nec de eius veritate dubitauit, non repetat sæpiùs actus fidei, itavt non solum ratione primæ voluntatis non retractatæ, sed etiam ob repetitos sæpe actus, censeatur habitualiter, & moraliter in eadem fide perseuerare, & eam credere: imò, vt notaui in tractatu de gratia, vix contingit, hominem Christianum exercere aliquod opus honestum, vel resistere alicui tentationi, & satisfacere alicui præcepto ex fine bono nisi intercueniente aliquo fidei actu, fine quo S. Augustinus vix agnouit in homine infideli actum aliquem vndequaque honestum, & per consequens actus omnes honesti, & vndequaque laudabiles, qui reperiuntur in homine fidei, fidei tribuendi sunt, cuius regulam, & directionem, vt magis certam, & securam, consulit statim homo, quoties opus aliquod honestum exercendum occurrit. Quare cùm materia hæc honestè, & inhonestè operandi adeo frequenter occurrat, non est dubitandum de exercitio plusquam sufficienti actuum fidei ad satisfaciendum eus præcepto.

45 *Alij casus enumerantur in quibus est obligatio indirecta exercendi actum fidei.* *Quando vrget grauis tentatio.* *Quando est necessaria oratio ex fide orta.*

Aliqui præterea casus enumerari solent, in quibus sit obligatio indirecta exercendi actum fidei. Primus est, quando vrget grauis tentatio, quæ non nisi fidei scuto superari possit, iuxta illud 2. Petri 5. *cui resistite fortes in fide.* Quod idem est, quando sit necessaria oratio ex fide orta. Quem casum earum esse notat Coninch vbi suprà *num.* 215. Addo ego, frequentiùs aliquem obligari in iis casibus ad orationem iuxta illud Christi consilium, *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*; de quo etiam monemur in Tridentino sess.6.cap. 11. in illis verbis: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Rarò autem obligatur tunc homo ad fidem: quia licèt oratio ipsa debeat oriri ex fide: *quomodo enim inuocabunt eum, in quem non crediderunt?* ipsa tamen fides iam præcedit, cùm vix contingat, hominem graui adeo tentatione oppugnari, quin statim fides proponat motiua reuelata ad resistendum tentationi præsenti.

47 *Et maximè quando tentatio vehemens sit contra ipsam fidem.*

Hæc obligatio fidei habendæ ad vincendam tentationem à fortiori, & multo magis locum habebit, quando tentatio vehemens sit contra ipsammet fidem, quo casu continget aliquando actum fidei necessarium esse ad resistendum tentationi contra fidem. Addit autem Suarez *sect.*5. *n.*6. obligationem tunc non esse indirectè, sed directè ad ipsa virtute fidei: quod verissimum est, cùm tunc non exigatur fides propter aliud, sed ad conseruandam ipsam fidem, & ex obligatione solùm ipsius fidei. Monet tamen Coninch *vbi suprà n.*214. rarò contingere, quod actus positiuus fidei sit necessarius ad resistendum, cùm possit sæpe id fieri cogitationem ad aliud diuertendo: imò nota cum Sanchez *vbi suprà n.*3. qui affert Ledesmam, scrupulosis consulendum non esse in eo casu hoc remedium exercendi tunc actum fidei, qui scrupulis vexati fingunt sibi semper periculum amittendi fidem, cùm tamen in ea sint firmi, & ideo torquent se repetendo continuò actum fidei, vt certi sint, quod fidem non negarunt.

Secundus casus est similis huic, quando occurrit occasio confitendi exteriùs fidem præsertim coram Tyranno. Ita cum aliis Suarez *sect.*5.*n.*6. Sanchez *d.c.*1.*n.*3. Coninch. *vbi suprà n.*217. & alios quos refert, & sequitur Castro Palao *tom.*1.*operis moralis tr.*4.*disp.*1.*puncto* 12.*n.*6. supponit autem Suarez obligationem tunc esse directam ex ipsa virtute fidei: quod tamen negare videtur Sanchez dicens, obligationem illam esse per accidens ratione præcepti adiuncti, quod videtur intelligere de præcepto confitendi fidem, ad cuius obseruantiam necesse est eam fidem interiùs amplecti. Sed certè si periculum sit in ea graui oppugnatione succumbendi, & à fide deficiendi, ipsa fides obligabit iam directè ad suum actum, ne deficiat fides vt diximus de patiente grauem tentationem contra fidem, ad quam superandam necessarius sit actus fidei. Quando verò non esset periculum amittendi interiùs fidem, sed solum illam exteriùs fictè negandi ad fugienda tormenta, obligatio ad actum internum non erit directa, & per se ex præcepto credendi, sed ex præcepto confitendi fidem. An verò præceptum confitendi fidem exteriùs oriatur ex virtute fidei, an ex alia peculiari virtute, dicemus inferiùs agentes de actu fidei externo, seu de præcepto confessione fidei. Aliqui tamen hunc casum intelligere videntur solùm, quando coram tyranno ita grauiter vrgetur fidelis, vt periclitetur eius constantia, nisi se ipsum per fidem actualem confirmet; in indicat Sanchez ponens hanc obligationem, *quando tenetur quispiam aliquid exterius facere, quod nequit commodè præstare sine interno actu fidei, vt si teneatur tunc ipsam fidem exterius confiteri.* Quare si ita esset firmus habituliter in fide, vt sine repetitione noui actus expliciti, posset commodè illam confiteri, non videtur agnoscere eam obligationem: idem videtur sentire Castro Palao loco citato ponens hanc obligationem. *Si grauiter ab aliquo tyranno de fide tenerù; & quia aliquo medio te debes munire in tam graui conflictu ne pereas.* Si ergo ob firmitatem habitualem tota illa tentatio leuiter aliquem oppugnet, non videtur agnosci obligatio noua repetendi assensum fidei. Quod verò addunt Coninch, & Castro Palao, nisi tunc actu credamus fidem nostram esse veram, vix, aut nullo modo percipi, quomodo possimus eam constanter confiteri: difficile est. Nam frequenter, qui fidem in eo conflictu negant, non eam negant, interiùs, sed solum exteriùs ad vitandam mortem, vel tormenta, ex quorum metu procedit defectio illa externa, & non ex defectu fidei internæ, cùm ea non amittatur. Quare licèt actu crederent eam esse veram, non minùs negarent exteriùs ex metu tormentorum. Quod si interiùs etiam à fide deficiant, iam tunc manifestè peccatur contra obligationem directam ipsius fidei ad actum internum. Aliunde verò ex ipsa rei natura non videtur simpliciter necessarius actualis assensus fidei ad illam exterius etiam verè confitendam. Nam qui interrogatur de sua sententia in aliquo alio puncto, sufficit, quod recorderur, se semper fuisse in tali sententia, nec eam vnquam mutasse. vt possit verè dicere, se habere talem sententiam, licèt actu non formet nouum assensum illius. Verba enim illa satis verificantur de sententia, quam habitualiter habet, & hunc sensum apud audientes generant. Similiter ergo

ad

ad verè confitendam fidem sufficiat ex natura rei quod recordetur, se eam amplexum fuisse, nec vnquam retractasse, sed semper in eadem moraliter perseuerasse: hunc enim habitualem statum, & sensum suum significat. Credo itaque de facto, moraliter loquendo, vix vnquã contingere, quod homo fidelis, præsertim à tyranno cum minis interrogatus, fidem confiteatur sine actu interno eiusdem fidei. Quia propositis nouis motiuis saltem extrinsecis ad fidem deferendam, statim fides ad examen vocatur; quod si in ea persistitur, non id fit sine amore, & affectu efficaci erga fidem. Sicut si propositis magnis motiuis ad violandam castitatem, in ea persistit homo, non id contingit sine affectu efficaci positiuo erga castitatem. Posito autem efficaci affectu nouo erga fidem, statim fides ipsa in intellectu exercetur, qui omnino dependet in eo assensu, & determinatur ab affectu efficaci voluntatis. Non tamen apparet repugnantia physica, quod homo vellet non negare, sed confiteri fidem absque actu positiuo, quo actu repeteret assensum nouum fidei. Neque etiam video repugnantiam physicam, quod aliquis non neget interiùs fidem, & tamen eam non confiteatur exteriùs, sed potiùs neget, & hoc absque nouo actu fidei positiuo, & solum nolendo eam interiùs negare, sed solùm exteriùs ad vitanda tormenta, vel mortem. Denique non probatur vniuersalis obligatio repetendi semper eo casu actum positiuum fidei, cùm non probetur esse semper medium necessarium per modum causæ ad confitendam fidem, licèt fatear necessitate quadam quasi concomitanti interuenire semper aut ferè semper assensum nouum fidei, quoties in eo conflictu profitetur homo exteriùs fidem suam, vel saltem ab ea interiùs non deficit. Si autem necessarius sit actus positiuus fidei ad eam tunc profitendam, vel etiam interiùs retinendam iam tunc erit obligatio exercendi talem actum iuxta regulas suprà traditas.

49 *Fides actus ex præcepto necessarius est in articulo mortis.*

Tertius casus, quo fidei actus ex præcepto necessarius est, assignari solet articulus mortis. Ita cum aliis Suar. *sect. 5. n. 6.* Castro Palao *vbi suprà n. 2.* quam obligationem Suarez videtur probare ex periculo, Palao autem ex obligatione exercendi tunc alios actus spei, charitatis, &c. ad quos prærequiritur fides. Hoc tamen non approbat Sanchez (à quo immeritò pro se citatur Suarez) imò *dicto num. 3.* apertè dicit, id sibi non placere, quia nullo textu aut ratione probatur, atque ideò ex hac articuli mortis ratione non teneri hominem ad fidei actum eliciendum, nisi concurrerent aliæ circumstantiæ, quæ tunc obligarent, vt graues fidei tentationes. Et postea *c. 35. n. 9.* reprobat etiam sententiam ponentem obligationem ad actum charitatis propter articulum mortis instantem, quia aliis remediis, inquit, potest se homo tunc aduersùs dæmonis tentationes communire, vt oratione inuocando diuinam opem, & incumbendo in ea virtutis opera, contra quam tentationes infestant. Et quidem quod attinet ad tentationes, & remedium contra illas, non videtur illa esse vniuersalis obligatio, cùm plures moribundi eas tunc non patiantur. Quod verò attinet ad necessitatem fidei ad actum charitatis, & spei, quos tunc oporteat elici, pendet ex ea quæstione, an præceptum charitatis obliget ad eius actum in articulo mortis, quando iam homo in vita charitatis actus exercuerat; de quo dicendum est *infrà*, agendo de præcepto charitatis.

50 *Item quando quis suscipere debet aliquod Sacramentum.*

Quartus casus assignari solet, quando quis suscipere debet aliquod Sacramentum, tunc enim debet præmittere actum fidei circa veritatem, & efficaciam illius Sacramenti, ita Castro Palao, *vbi suprà n. 2.* & Coninch *n. 217.* dicentes, id præsertim habere locum in susceptione Eucharistiæ in qua tenemur credere, Christum in ea contineri. Hi autem Auctores, meo iudicio, idem multò magis deberent dicere in casu, quo aliquis ministrat & confert actiuè aliquod Sacramentum: nam minister conficiens Sacramentum, debet habere intentionem illud conficiendi, & per consequens debet habere intentionem operandi, vt minister Christi; alioquin non potest conficere Sacramentum, nisi nomine Christi, & vt eius minister operetur: debet ergo credere, Sacramentum illud institutum fuisse à Christo, cuius nomine confici debet, imò idem debent etiam consequenter dicere de oblatione sacrificij Missæ, vt non solùm requiratur actus fidei in Sacerdote offerente, (hic enim cùm & conficiat, & suscipiat Sacramentum, iam aliunde debet ratione Sacramenti actum fidei exercere in ea sententia) sed etiam in aliis Missam audire volentibus, qui eo ipso volunt suo modo medio Sacerdote, & cum ipso sacrificium illud offerre, debent ergo credere ibi contineri verum sacrificium à Christo institutum habens efficaciam ex Christi institutione ad plures effectus, vt hac intentione offerant illud sacrificium ex potestate à Christo relicta ad consequendos eius effectus. Quæ cùm ita sint, adhuc P. Suarez vbi suprà sect. 5. num. 2. dicit *actum fidei non esse simpliciter necessarium ad audiendam Missam modo sufficienti ad illud præceptum implendum. Satis enim est, ibi adesse cum attentione & intentione colendi Deum, vel offerendi sacrificium, quæ omnia possunt fieri etiamsi proprius actus internus fidei non exerceatur, quamuis ergo illa sit optima opportunitas exercendi actus fidei; non possumus tamen cum fundamento dicere, quod sit necessitas præcepta.* Hæc Suarez, cui subscribit Palao *vbi suprà n. 2.* nullum assignans discrimen inter oblationem sacrificij, & receptionem Sacramenti cuiuslibet, ad quam dixerat esse necessarium ex præcepto exercere actum fidei, Suarez autem de susceptione Sacramenti nihil dixit.

51

Ego magis credo, in iis omnibus interuenire debere aliquem actum fidei saltem implicitum, & in confuso, quatenus ex memoria notitiæ per fidem comparatæ habet fidelis intentionem ministrandi, vel suscipiendi sacramenti, vel offerendi sacrificium, aut saltem coofferẽdi cum sacerdote, quando adesse vult oblationi. Nam licèt ad valorem horum actuũ sufficeret intentio orta etiam ex fide humana, qua homo velit facere illũ actum validum, quantum valere possit; hoc enim modo Iudæus etiam, & paganus validè baptizaret volens id facere iuxta Christi institutionem, si fortè fuerit talis institutio: de facto tamen in homine fideli videtur requiri, vt debito modo operetur, intentio absoluta orta aliquo modo ex doctrina ipsius Christi. Quod videtur à posteriori ex eo quod omnes supponunt requiri de facto necessitate præcepti omnibus fidem explicitam de iis saltem sacramentis, quæ omnibus necessaria sunt necessitate medij, vel præcepti; de aliis verò sacramentis requiri fidem explicitam in iis, qui ea susceperuri sunt. Voluit ergo Christus, vt sua reuelatio de sacramẽtis ad eos explicitè peruenirer,

&

& ab eis attentionem & fidem explicitam de iis obiectis petiit. Non videtur autem hanc fidem explicitam ab iis petiisse ad alium magis finem, quam ad hunc, vt cum ea fide, & intentione inde orta conferrent, vel susciperent eiusmodi sacramenta, alioquin cur magis eam fidem explicitam petiit ab eo, qui susceperurus est Sacramentum matrimonij, v.g. quàm ab eo, qui non est susceperturus, nisi vt ea fide instructus debito modo intendat illud sacramentum suscipere? Ratio autem congruentiæ esse potuit, quia vt ea sacramenta debito modo conferantur, vel recipiantur, oportet per se loquendo ea cognoscere, & discernere ab aliis signis, & rebus non solùm prophanis, sed etiam sacris, quæ talem efficaciam infallibilem non habent ad eos effectus causandos: ex eo enim quod conferant infallibiliter gratiam sanctificantem, oritur obligatio in conferente ea conferendi in statu gratiæ, vt probaui *disput. 8. de Sacrament. in genere sect. 9. num. 142. & sequentibus*, & obligatio etiam in suscipiente afferendi statum gratiæ vel saltem dispositionem ad illam in iis sacramentis, quæ per se ordinantur ad dandam primam gratiam. Requiritur ergo notitia diiudicans signa illa ab aliis signis non habentibus illam infallibilem significationem, & efficaciam. Vnde Paulus in suscipiente Eucharistiam petiit, quod diiudicaret cibum illum ab aliis cibis: quod idem cum proportione dici potuit de aliis sacramentis. Hæc autem notitia non solum debuit esse de infallibili efficacia sacramenti, sed etiam infallibilis ipsa in se, quantum fieri poterat, & per consequens orta aliquo modo ex fide, & fundata in diuino testimonio. Nam ad hoc, vt efficaciter, & debito modo intendat effectum sacramenti, qui illud, vel confert, vel suscipit, multum refert, quod infallibiliter credat, & cognoscat sacramenti efficaciam, & vt reuerenter & debito modo afficiatur, v.g. erga venerabilem Eucharistiam, multum refert infallibiliter credere Christi præsentiam in eo sacramento. Quare cùm Christus exigat fidem explicitam de sacramentis ab iis, qui ea debent vel conferre, vel suscipere, non apparet vt dixi, ad quid magis eam fidem exigeret, quàm vt debito modo conferrentur, & reciperentur, & per consequens, vt voluntas conferendi, vel recipiendi ab ea fide procederet, cùm fides quoad eam partem magis sit practica, quàm speculatiua. Quod idem cum proportione dicendum videtur de sacrificio Missæ, cuius fides explicita ad hoc potissimum exigi videtur in offerentibus, vt debito modo illud offerant, cognoscentes ex diuino testimonio quid ibi offeratur, & diiudicantes actionem illam ab aliis actionibus non solum prophanis, sed etiam sacris, quæ talem efficaciam, aut dignitatem non habent. Nec oportet anxium aliquem esse, aut sollicitum hac de causa de eliciendo & exercendo actu fidei, antequam sacramentum conferat, vel recipiat, vel Missæ interfit: nam si semel fidem habuit explicitam de his mysteriis, & obiectis, prout debuit habere; eo ipso quoties vult actiones illas sacras exercere, voluntas illa procedit à fide saltem confusa, quam in memoriam reuocat: quia vult obiectum illud propter bonitatem in ipso apparentem: hanc autem bonitatem exquirit ab intellectu per meliorem, & certiorem viam qua eius notitia ab intellectu habetur: quare eo ipso intellectus proponit notitiam ex fide habitam, quæ certissima & tutissima est: sicut si haberet notitiam vnam probabilem, & alteram euidentem de bonitate obiecti, non proponeret solum probabilem, relicta euidenti, sed hanc potiùs primo loco proponeret, vt magis suam sententiam firmaret.

SECTIO III.

Quorum obiectorum necessaria fuerit ex præcepto fides explicita ante aduentum Christi.

REstat nunc in particulari videre, quorum obiectorum necessaria sit ex præcepto fides explicita, in quibus non numeramus illa, quorum fidem explicitam diximus supra esse necessariam necessitate medij. Quia tamen hæc obligatio non est eadem, & æqualis pro omni statu, & pro omnibus personis: agemus in primis de statu legis antiquæ, & ante euangelium, & postea de statu legis euangelicæ, & de variis classibus personarum, quæ in eo statu continentur. 1

In primis certum est, necessariam fuisse in eo illo tempore ex præcepto fidem eorum obiectorum, quam *disp. præcedenti* diximus esse necessariam necessitate medij, atque ideo fidem vnius Dei remuneratoris; quia media omnia necessaria ad salutem, quæ pendent à nobis, necessaria etiam sunt de necessitate præcepti, cùm homo debeat sub peccato procurare salutem æternam, & per consequens apponere media omnia ad eandem salutem necessaria. Vnde necessaria etiam erat fides de immortalitate animæ, saltem præscindendo ab eo, quod anima esset immortalis ex natura sua, vel ex dono, & voluntate Dei superaddito, quam fidem diximus *disp. præcedenti sect. 1.* necessariam esse necessitate medij, cùm non possit credi sufficienter remuneratio Dei æterna, nisi credatur anima ipsa in æternum victura. Quid autem dicendum sit de aliis attributis Dei, vt creatoris, gubernatoris, &c. constat ex iis, quæ eo loco dicta sunt.

Dubitat Suarez *in præsenti disp. 13. sect. 3. n. 3.* an in statu legis naturæ esset obligatio credendi æternitatem pœnarum, quod ipse dubium iudicat propter imperfectionem illius status, licèt per se loquendo probabilem puter partem affirmantem: quam ego proculdubio vetam existimo: quia fides sola pœnæ temporalis non sufficeret moraliter loquendo, ad coërcendam licentiam peccandi in natura corrupta, & ad continendos homines in perfecta obseruantia totius legis naturalis. Vnde in veteri etiam testamento æternitas pœnæ credebatur, vtique non nisi ex reuelatione Dei, quæ habebatur per traditionem perpetuam. Isaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* & cap. vlt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Iudith. 16. *dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Quo etiam sensu intelligi solet Iud Ecclesiastes 11. *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et quidem cùm crederent impium, non posse ad vitam ingredi, & vnumquemque iudicandum esse secundùm opera, quæ in hac vita gessit, non poterant credere, pœnam impiorum habitu 2

habituram finem, vt tandem aliquando impij ad requiem transirent: alioquin idem credidissent de diabolo, aliquando à pœna soluendum, & beatum futurum; quam ignorantiam adeo crassam non possumus fidelibus legis antiquæ tribuere.

54 *An esset obligatio credendi resurrectionem.*

Dubitat etiam secundò Suarez *n.* 4. de fide resurrectionis, quia hæc fides nec ita est per se necessaria, nec expressè, aut distinctè in lege naturæ omnibus proponebatur. Ego tamen in primis non dubito, quod Deus hunc etiam articulum in eo statu reuelauerit: Nam Iob, qui extra legem scriptam erat, satis distinctè & expressè resurrectionis fidem profitebatur, vt constat ex verbis illis cap. 19. *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*, &c. & Machabæi pueri firmissimè eandem fidem profitebantur Machab. 2. cap. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et rursus tertius frater, cùm lingua, & manus ei amputarentur, dicebat: *E Cœlo ista possideo, sed propter Dei legem nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Et quartus itidem repetebat; *Potius est ab hominibus mortis datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit:* hoc est, ad vitam beatam. Quam nimirum fidem à beata eorum matre didicerant dicente, *Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Denique hanc fidem communem fuisse iustis, & fidelibus, constat ex iis, quæ in eodem lib. cap. 12. in fine dicuntur de Iuda, *qui duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant optimam haberent repositam gratiam.* Quæ omnia ostendunt apertè, præcessisse Dei reuelationem de resurrectione futura, sine qua reuelatione non potuisset ita firmiter credi, quæ reuelatio per traditionem perpetuam apud fideles conseruabatur. Si autem Deus eum articulum expressè reuelauerat, prout fatendum videtur, eo certè animo id fecit, vt ab omnibus explicitè crederetur, & hac fide, & spe resurrectionis futuræ excitarentur ad diuinæ legis obseruantiam, & ad patientiam religiosam in laboribus vitæ præsentis: quam necessitatem huius fidei agnouerunt Apostoli, dum in symbolo hunc etiam articulum resurrectionis futuræ, necessariò ab omnibus explicitè credendum proposuerunt.

55 *An fides explicita de resurrectione originali sit hodie necessaria.*

Dubitatur tertiò de peccato originali, an fides explicita illius fuerit tunc necessaria. Granado *in præsenti controuersia 1. tract. 10. disp. 3. n. 3.* dicit, debuisse credi saltem notitia aliqua confusa, vitiatam esse naturam humanam, & indigere aliquo remedio etiam in paruulis. P. Suarez *vbi supra num.* 4. & alij cognitionem etiam explicitam necessariam fuisse dicunt: quod ego etiam per se loquendo, verum puto. Deus enim non solùm manifestauerat vitium aliquod naturæ in confuso, sed maculam spiritualem peccati à posteris Adæ contrahendam: quod totum ex Dei reuelatione credebatur, vt constat ex *cap.* 6. Oseæ, vbi de Adæ posteris dicitur: *ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prauaricati sunt in me*; id est, in paradiso, vt exponit Hieronymus ibi, & Paulus id etiam explicuit dicens, *Omnes in Adam peccauisse.* Et clariùs id professus est Iob intra cancellos legis naturæ existens, dum capite 14. dixit: *nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius Dei vita super terram*, vt legunt Septuaginta, vel iuxta nostram vulgatam: *quis enim mundus à sorde? at nemo, etsi vnus dies sit vita eius super terram.* Et Dauid psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vbi, vt notauit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 2. *ad* 1. Scripturarum more numerus pluralis pro singulari positus est; seu, vt alij volunt, quia peccatum originale continet virtute alia peccata, quorum est radix: nec potuit loqui Dauid de peccatis suorum parentum in eius generatione commissis, vt notauit idem S. Thomas 4. *contra gentes cap.* 50. cùm Dauid ex legitimo matrimonio, & ex piis, ac honestis parentibus natus sit, in quibus matrimonij legitimus vsus peccatum non erat.

Accedit, quod post peccatum Adæ necessarium 56
erat etiam pro paruulis remedium, vel circumcisionis, vel legis naturæ à Deo institutum ad delendum peccatum originale: ergo debebant homines habere notitiam illius mali, ad cuius remedium necessarium erat illud Sacramentum. Quod quidem probat, non solum in confuso, sed in particulari præceptam fuisse notitiam peccati: non enim sciebant solum fideles, posteros esse vitiatos præscindendo à vitio, & damno corporali, & spirituali; quia experientia ipsa constabat per Sacramentum illud paruulis applicatum nullo prorsus corporali, & visibili malo, vel contagio eos liberari, sed obnoxios adhuc manere morti, morbis, & aliis omnibus malis, & calamitatibus, ac miseriis corporalibus, sicut pueros alios, quibus tale remedium non applicabatur: credebant ergo esse remedium contagij, & morbi inuisibilis, & spiritualis à quo inuisibiliter liberarentur. Adde, necessariam tunc fuisse saltem ex præcepto fidem vnius mediatoris, & redemptoris venturi; non autem debebat credi venturus ad mortem corporalem auferendam, vel alias miserias temporales. Ergo ad viuificandos homines vita spirituali, quam per Adæ peccatum amiserant; Dixi tamen *per se loquendo* necessariam fuisse hanc fidem de peccato originali, quia per accidens ratione ignorantiæ, & imperfectionis illius status, potuit saltem in aliquibus remanere sine culpa notitia valdè confusa ruinæ spiritualis contractæ, præsertim cùm tota ea reuelationis notitia traditione potissimum & doctrina per manus tradita conseruaretur, prout etiam fatetur Suarez *loco citato.*

Quartò. Dubitari potest, an sicut exigebatur 57
fides explicita de Deo creatore huius vniuersi, sic etiam deberet explicitè credi, quod non ab æterno, sed in tempore illud condidisset. Negat Granado *vbi supra num.* 3. & Suarez *disput.* 13. *sect.* 4. *numero* 6. esse, vel fuisse obligationem præsertim grauem de hoc articulo explicitè credendo; non enim videtur adeò necessarius. Bañes verò *in præsenti quæst.* 2. *art.* 8. dicit incertum esse, licèt ipse probabilius putet debere explicitè credi creationem in tempore, ego tamen percipere non possum, quomodo posset stare fides de natura humana vitiata in vniuersum per culpam originalem sine notitia primi hominis, à quo tota humana natura procedit, & in quo tota vitiata fuit.

An etiam tunc deberet explicitè credi mundum non esse conditum ab æterno, sed in tempore?

fuit. Si autem perueniatur ad vnum primum hominem, iam non fuerunt generationes humanæ ab æterno, sed incipere debuerunt in tempore determinato.

58 *An fides Mediatoris venturi fuerit necessaria.*

Denique his omnibus addenda est fides mediatoris venturi, quæ esto non fuerit necessaria necessitate medii; necessitas tamen præcepti non videtur neganda non solum in lege scripta, in qua notitia clarior erat, & omnia sacrificia, & cæremoniæ illius legis Christum significabant, & promittebant, sed etiam in statu legis naturæ, in qua omnes etiam gratiæ conferebantur intuitu Christi venturi & propter eius merita, & ideò ab ipso initio voluit Deus hac spe redemptoris futuri fouere fidem hominum, & eorum spem, quam saltem necessitatem præcepti significant plura loca, quæ adducta sunt *disp. præcedenti*, dum ageremus de fide necessaria necessitate medij. Eodem modo necessaria erat necessitate præcepti fides de efficacia Sacramenti, quod datum fuerat in eo statu in remedium peccati originalis, quodcunque illud esset: quia eo ipso, quod institutum fuit à Deo, vt medium necessarium ad salutem saltem proparuulis, voluit, quod omnes haberent notitiam illius medij, vt possent quando oporteret, illud adhibere. Vnde idem credo de efficacia pœnitentiæ, & contritionis, & de eius necessitate ad salutem post peccatum mortale: nam sicut nunc est obligatio ad fidem de baptismo, & de eius necessitate, eo quod sit institutus à Deo vt medium necessarium ad salutem, ita propter eandem rationem videtur idem dicendum de notitia contritionis & necessitatis illius. Nam sicut baptismus ex libera institutione Dei habet talem efficaciam; ita contritio eam habet ex institutione libera Dei, qui, vt suppono ex dictis in tomo de pœnitentia, potuit non dare hanc efficaciam contritioni, vt ea posita condonaretur peccatum, sicut potuit etiam minus exigere ad illud condonandum, sicut nunc de facto posita sola attritione cum sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ confert primam gratiam. Oportuit ergo in lege etiam naturæ credere efficaciam, & necessitatem contritionis ad expianda peccata, & quid Deus circa hoc statuisset.

59 *In lege scripta fuit ex præcepto fides aliorum etiam obiectorum.*

Iam verò in lege scripta fatendum est fuisse ex præcepto necessariam fidem aliorum etiam obiectorum: nam licèt non omnia, quæ Deus in eo statu reuelauit, ita pertinerent ad omnes, vt à singulis exigeretur notitia, & fides explicata; multa tamen erant, quæ ad omnes pertinebant, & quorum fides explicita à singulis exigebantur. Et quidem Suarez *vbi supra num. 5. & 6.* vult, non fuisse peculiare præceptum in lege scripta de fide explicita, quæ non esset de aliquo obiecto operabili, quod in ea lege præciperetur, vt de circuncisione, de sacrificiis specialibus, &c. pro quo affert S. Thomam *in præsenti quæst. 16. art. 1.* Sed ibi S. Thomas nihil dicit, cùm iam ibi non agat de fide & de re ipsa negari non potest, quod in statu legis scripræ necessaria esset ex præcepto fides aliquorum obiectorum, quæ non erant operabilia, vt de exitu filiorum Israël ex Ægypto, cuius notitiam, & mirabilium, quæ tunc Deus fecit volebat Deus permanere semper in populo illo, iuxta illud psalmi 77. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filiis suis. Filij qui nascentur, & exsurgent & narrabunt filiis suis*, & alibi sæpè. Erit autem quæstio de vocibus, an hæc fides dici possit aliquo modo de obiecto operabili, quatenus conducebat ad meliùs exercenda sacrificia, & cæremonias præceptas, per quas repræsentabatur memoria illorum beneficiorum præceptorum: hoc enim sensu etiam fides Trinitatis, & Incarnationis poterit apud nos dici de obiecto operabili, quatenus conducit ad meliùs exercenda Sacramenta, & sacrificia legis euangelicæ, in quibus mysterium Trinitatis, aut Incarnationis exprimitur, vel supponitur. Negari etiam non potest fuisse tunc necessariam necessitate præcepti vltra fidem, quæ exigebatur in lege naturæ, fidem etiam explicitam de institutione eorum sacrificiorum, Sacramentorum, & rituum, quorum obseruatio omnibus præcipiebatur. Lex enim Dei, cùm vniuersalis esset, ad hoc lata fuerat, vt omnibus intimaretur, & ab omnibus acceptaretur, & per consequens, vt omnes notitiam haberent legis illius à Deo latæ. Ad quem etiam finem puto, necessariam tunc fuisse ex præcepto fidem de lege ipsa decalogi à Deo Moysi data, cuius præcepta, licèt maiori ex parte essent contenta in lege naturæ voluit tamen Deus specialiter eadem præcepta promulgare, vt maiorem haberent auctoritatem apud illum populum, & firmiùs retinerentur, cùm lumen naturæ potuisset sibi relictum facilè in multis illorum errare, vel certè laborare ignorantia culpabili, prout notauit etiam Suarez vbi *supra n. 4.* voluit quippe Deus Magister specialis esse populi illius in iis omnibus, quæ ad salutem ei necessaria erant, vt vel sic ex fide viuerent, & operaretur ea omnia, quæ ad salutem consequendam, vel augendam conducere poterant iuxta illud psalm. 147. *qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel.* Et certè constat legem tanto apparatu à Deo latam, & in duas tabulas reductam, suoque digito exaratam, ad hunc finem ita fuisse promulgatam solemniter, vt ab omnibus Israëliticis compendiosè teneretur, & religiosè obseruaretur, quod sine illius fide fieri non poterat.

SECTIO IV.

Quorum obiectorum fides explicita necessaria sit ex præcepto in lege euangelica.

60

CErtùm est, necessariam in primis esse ex præcepto fidem explicitam illam, quæ est necessaria ex necessitate medij ad salutem, de qua dictum est *disp. præced.* quia vt sæpè diximus, media necessaria ad salutem, quæ à nobis pendent, necessaria etiam sunt necessitate præcepti; quo quis tenetur salutem propriam procurare, & media omnia apponere ad eandem salutem necessaria. Vltra hæc etiam aliqua ex præcepto omnibus fidelibus credenda vel scienda proponuntur, de quibus, quæ, & qualia sint, variæ sunt doctorum sententiæ.

Prima sententia refertur eorum, qui dicunt, *Prima sententia.* sufficere Christiano in communi credere ea omnia, quæ ecclesia catholica credit, licèt non descendat ad particularia. Pro hac sententia D. Thomas, Sanchez *lib. 2. in Decalogum cap. 3. num. 3.* & alij communiter referunt aliquos Canonistas, Innocentium, Ioannem Andream, Abbatem, Hostiensem, Imolam, Ananiam, Baldum, Zanchistienſem, Imolam, Ananiam, Baldum, Zanchistienſem, Imolam, Ananiam, Baldum, Zanchistienſ

*num.*1. petitur solum fides Dei remuneratoris, & punitoris: quibus addi solent Guillelmus Parisiensis *in tract. de fide §. postquam autem* circa finem, & Altisiodor. *lib.*3. *summæ tract.*3. *cap.*1. *q.*5. Quorum sententiam, vt erroneam damnant Valentia, & Ledesma, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà*; imo Bañes apud eundem dicit esse hæreticam. Nam *in direct. Inquisitorum* 2. *p. quæst.*10. *hæresi* 8. refertur ab Eymerico Censura ab Inquisitoribus lata de mandato Gregorij Papæ XI. cum consilio Cardinalium, & Theologorum, qua articulus hic damnatus fuit: *Quod laici non tenentur ad aliquem articulum fidei explicitè credendum, sed sufficit illis ista conclusio in genere, quod credunt omne illud, quod sancta Dei Ecclesia credit.* Sed tamen Suarez *in præsenti disp.*13. *sect.*4. *num.*1. eos Auctores ab hac Censura liberat, quia illi non excluserunt omnes prorsus articulos, cùm fidem saltem vnius Dei remuneratoris explicitam petant.

61 *Secunda sententia communis, & vera.*

Omnes tamen Theologi communiter, & verissimè docent, esse ex præcepto obligationem fidei, & notitiæ explicitæ aliorum articulorum præter illos duos à Deo remuneratore. Quod in primis Suarez *ibi n.*2. dicit esse indubitatum quoad omnia, quæ in statu legis naturæ explicitè credi debebant, nec id sine errore posse negari. Quod tamen non debuit cum ea vniuersalitate tradi; nam in eo statu, vt *suprà* vidimus, necessaria erat ex præcepto fides, & notitia de remedio illo dato à Deo ad expiationem à peccato originali, vt possit debito modo explicari, quæ fides, & notitia explicita nunc non est necessaria, & pauci, ac docti eam habent. Sicut etiam plurium obiectorum notitia explicita exigebatur in lege scripta, quorum à nobis non exigitur, sed aliorum, quæ sunt propria legis Euangelicæ. Restat tamen difficultas in iis assignandis, in quibus nostri doctores non consentiunt.

62 Multi dicunt, eos omnes, & solos articulos debere à singulis explicitè credi, quos Ecclesia solemni ritu celebrat, quos congerit latè Sanchez *vbi suprà n.*5. Ad hoc enim ab Ecclesia solemniter celebrantur, vt ab omnibus cognoscantur explicitè. Quare alij; qui fatentur debere credi explicitè articulos in simbolo contentos, fatentur etiam obligationem sciendi explicitè eos, qui ab Ecclesia celebrantur. Ita Coninch *disp.*14. *dub.*10. *n.*190. Hæc tamen obligatio quoad ea omnia, quæ ab Ecclesia celebrantur, communiter reiicitur apud Sanchez *vbi suprà num.*6. Castro Palao *n.*6. cum aliis, quos affert. Et probari potest, quia ex eo, quod Ecclesia celebret festum alicuius sancti, non sequitur, quod singuli fideles debeant scire merita, & sanctitatem illius, aut noscere illum, præsertim si non sit præceptum obseruandi festum, sed solùm fiat officium de illo: imò licèt obseruandum sit festum, sufficit rustico scire, esse præceptum illa die abstinendi ab operibus seruilibus, & vacandi Deo: ergo licèt celebretur etiam mysterium aliquod Christi, vt transfiguratio, circumcisio; præsentatio in templo, &c. non ideo debet imponi rustico obligatio præsertim grauis credendi explicitè, vel sciendi illa mysteria.

63 Communis ergo, & vera sententia docet, obligari fideles singulos ad credendos, & sciendos explicitè iuxta suam capacitatem articulos, qui in symbolo articulorum continentur, ita Suarez, Sanchez, Coninch. *locis citatis*, & alij multi, quos ipsi congerunt; in quo tamen obseruandum est, sermonem esse de Symbolo Apostolorum, non de Symbolo Athanasij, vel etiam Nicæno, in quibus ad maiorem explicationem aliqua addita sunt, quorum notitia non exigitur à singulis fidelibus, vt de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio fatentur Suarez *numero* 6. Sanchez *num.*17. Coninch. *num.*190. Petrus Hurtado *disp.*44. *sect.*2. §.10. & alij. Vnde nec probo, quod aliqui ex his Auctoribus nomine symboli intelligunt, & explicant aliud quoddam Symbolum, quod in rudimentis Christianæ Doctrinæ idiomate vulgari proponi solet pueris in Hispania, vbi vltra Symbolum Apostolorum proponitur Symbolum aliud sub nomine quatuordecim articulorum fidei, quorum septem spectant ad diuinitatem, & septem ad Christi humanitatem quos quatuordecim articulos ab aliquibus enumerari dixit S. Thomas *in præsenti quæst.*1. *art.*8. in corpore, quamuis aliqualiter differant ab illis, qui in prædicto puerorum catechismo continentur, quorum articulorum setiem pueri memoriter discunt, & iuxta horum articulorum textum aliqui Doctores Hispani explicant fidem explicitam necessariam ex præcepto, ita Suarez *vbi suprà num.*6. *& sequentibus*, Hurtado *dicto* §.10. *&* 11. Sanchez *num.*6. Granado *in præsenti tract.*10. *disp.*3. *sect.*2. *numero* 6. *& sequentibus*, & alij, qui videntur supponere Symbolum illud ex 14. articulis conflatum commune esse toti Ecclesiæ pro instituendis pueris; cùm tamen extra Hispaniam non viderim esse in vsu. Certè Ecclesia Romana in Cathechismo iussu Concilij Trident. & Pij. V. ad Parochos edito, vt plebem instruant, solum Apostolorum Symbolum 12. articulos continens proponit: sicut etiam in Catechismo breui pro pueris instruendis iussu Clementis 8. à Roberto Cardinali Bellarmino composito, & edito vulgari lingua ad vsum populi Romani, & aliarum Ecclesiarum, non proponitur aliud Symbolum nisi Apostolorum, & eius 12. conflatum articulis, in quibus quidem aliqua explicantur, quæ non explicantur in illis aliis 14. articulis. Quare alij meritò solius Symboli Apostolorum meminerunt, quando obligationem fidei explicitæ circa præcipuos articulos adstruunt.

64 *Vnde colligatur obligatio vniuersalis notitiæ explicitæ circa materiam symboli Apostolorum*

Porrò obligatio hæc vniuersalis notitiæ explicitæ circa materiam Symboli Apostolorum colligitur ex vsu perpetuo ipsius Ecclesiæ, quæ hanc notitiam à singulis ante, atque etiam post Baptismum exigit, vt constat ex Conciliis Agathensi, Bracharensi 2. & Cabilonensi relatis *c.*20. *& sequentibus de consecrat dist.*4. & ex Rabano relato *ibi in cap, ante Baptismum*, & ex Catech. Pij V. vbi dicitur in principio, omnes scire, & credere debere ea, quæ Apostoli certis articulis comprehenderunt: & ex cap. *Deus qui*, de pœnitentiis, & remiss. & ex Augustino *lib.*8. *confess. cap.*2.

65 *Ratio huius obligationis.*

Ratio huius obligationis, aliis omissis, hæc est, quia qui Christianam religionem amplectitur, ita debet eam amplecti, vt eam distinguat ab aliis, quæ illa non sunt, & per consequens debet talem fidem credere, quæ distinguat Christianam religionem ab aliis doctrinis, quę vel sint vel fuerint: alioquin non distingueret religionem Christianam à statu legis naturæ in quo etiam fideles credebant Deum vnum remuneratorem supernaturalem, atque etiam credebant vera esse

quæcumque Deus reuelasset & quæ in vera Ecclesia ex Dei reuelatione haberentur. Christianus autem eo ipso, quod Christianismum profitetur, debet agnoscere, quæ, & qualis sit religio, cui nomen dat, saltem quoad substantialia capita, & fundamenta huius religionis: indecens enim est velle fieri Christi discipulum, & sequi eius doctrinam, & simul ignorare prorsus Christi doctrinam, quam profitetur. Debet ergo saltem quoad substantialia capita sciri doctrina Christi, vt aliquis verè sit Christi discipulus; quæ substantialia, & potissima capita ab omnibus scienda Apostoli diuino instinctu disposuerunt in Symbolo, vt breuiter, & facile possent omnes fidem suam, quantum satis esset, profiteri.

66 Obiicitur contra hanc regulam, quia videtur peccare per excessum, & defectum: nam aliqua sunt in symbolo, quorum fides explicita non videtur esse sub obligatione, & è contra requiritur sub præcepto notitia explicita aliorum, quæ non continentur in symbolo. Exempla prioris partis sunt, Christum passum esse sub Pontio Pilato, descensus ad inferos, natiuitas ex Virgine, sanctitas Ecclesiæ, communio sanctorum. Exempla posterioris partis possunt esse mysterium Eucharistiæ, quod dicatur per antonomasiam mysterium fidei, Sacramenta Ecclesiæ, decalogus, & alia eiusmodi, quæ in symbolo non continentur.

Obiectio.

67 Hac occasione de singulis pro vtraque parte enumeratis agere solent Doctores, an, & quomodo credi debeant: & in primis, in symbolo ea potissimùm dicunt posita esse, quorum fides magis intendebatur propter notitiam, quam propter debitum operandi; ea autem, quæ propter notitiam Christianæ Doctrinæ quasi intellectualem desiderabantur, continentur, quantum sufficit, in dicto Symbolo. Nempe vnitas Dei, eius omnipotentia, & quod creator omnium sit, & remunerator remuneratione æterna: immortalitas animæ, & mortuorum resurrectio, peccatorum remissio, mysterium etiam augustissimum Sanctæ Trinitatis, Incarnatio Filij Dei, & eius Conceptio ex Virgine matre sine opera viri, passio, resurrectio, ascensio glorioſa in cœlum, & aduentus ipsius ad vniuersale iudicium: quæ sunt præcipua capita doctrinæ euangelicæ, quæ Apostoli iussi sunt prædicare omni creaturæ. Et quidam de aliquibus articulis spectantibus ad diuinitatem iam diximus *sect.* 2. fuisse eorum fidem explicitam necessariam etiam in lege naturæ & scripta. Fides verò Trinitatis necessaria est in lege gratiæ, in qua eius notitia explicita ata fuit à Christo, & erat maximè necessaria ad notitiam explicitam ipsius Christi, qui erat secunda Trinitatis persona, & ideo in ipsa Baptismi forma, per quem ad Ecclesiam ingredimur fieri voluit perfectionem explicitam huius mysterij, tanquam fundamentum Christianæ religionis.

Quod verò spectat ad Christum, necessaria erat in lege Christiana distincta Christi notitia, cùm vix Christianus possit dici, qui Christum non cognoscit, & quidem non de solo nomine, sed quoad rem ipsam: quod nimirum non sit homo purus, sed Deus factus homo, vt nos redimeret, quod & fecit per passionem, & mortem acerbissimam, ita tamen vt glorioſus etiam resurrexerit, & regnet in cælo ad corroborandam spem nostram, vnde venturus iterum est vniuersorum iudex; quæ est summa & compendium prædicationis euangelicæ, & sine cuius notitia non habent fideles notitiam religionis, quam profitentur etiam quoad substantialia.

Cæterùm in vtrisque articulis, tam qui ad diuinitatem spectant, quàm qui ad Christum, aduertunt duo communiter doctores. Primum est, posse in eorum notitiæ explicitæ defectu reperiri paruitatem materiæ, ratione cuius ignorantia excusetur à culpa saltem graui, v.g. quod Christus passus fuerit sub Pontio Pilato: neque enim multum refert ad substantiam, quod sciat fidelis, sub quo iudice Christus passus fuerit. Alterum est, quod hos ipsos articulos in symbolo contentos satis sit scire notitia quadam rudi, & crassa, ac vulgari, vt cum aliis obseruat Sanchez *vbi supra num.* 17. Quare sufficit scire Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & non esse plures Deos, licèt non intelligatur distinctè pluralitas personarum cum vnitate essentiæ. Similiter sufficit scire, Christum esse Deum & hominem, licèt non intelligatur distinctè vnitas in persona, & distinctio in naturis: & sic de aliis sufficit scire id, quod verba rudi, & crasso modo significant, vt notat etiam Suarez *dicta sect.* 4. *num.* 6. Non tamen sufficit scire symbolum memoriter idiomate, quod non intelligas, v.g. lingua Latina, cuius significationem non intelligas, quia iam tunc non crasso quidem modo de rebus significatis notitiam haberes, vt cum aliis notant prædicti Doctores: quia si magis explicita notitia, à singulis fidelibus exigeretur, magis explicitè debuissent hæc mysteria in simbolo declarari, in quo tradebatur plebi ab Apostolis notitia sufficiens eorum, quæ in particulari credere, & scire debebant.

Vnde sufficit credere, Deum esse vnum, & 69
omnipotentem, & creasse cælum, & terram, in iis enim implicitè continetur, quod creuerit omnia, quæ vtrobique continentur, de Christo autem creditur explicitè esse filium Dei vnicum, per quem satis explicatur esse filium naturalem, qui solus est propriè, & sine addito Filius. Addimus etiam, *Dominum nostrum*, quod non puto solùm apponi honoris gratia, sed vt obiectum explicitè credendum, per quod fatemur potestatem supremam, quam habet, ratione cuius sumus eius subditi, & serui. Quæ fides explicita meritò exigitur à fidelibus: indignum enim est, aliquem in familia, & obsequio Principis alicuius esse, & nescire illum non esse vnum ex familiaribus, sed Principem, caput, & dominum aliorum. Credimus ergo, & profitemur, Christum non esse vnum ex præcipuis sanctis, aut summum solùm inter illos, sed esse Dominum, & Principem illorum omnium.

Dubitatur, an debeant singuli explicitè virginitatem credere perpetuam Deiparæ. Affirmant Suarez *dicta sect.* 4. *n.* 7. Bañes hîc *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. Castro Palao *vbi supra num.* 5. Coninch *vbi supra num.* 189. Granado *tract.* 10. *disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 8. quia id significare videntur verba Symboli, quibus dicitur *natus ex Maria Virgine*: neque enim dicitur simpliciter Virgo, quæ aliquando, & non semper virgo permansit. Addunt, ita explicari in illo alio symbolo 14. articulorum idiomate Hispano, qui populo explicitè credendi proponuntur. Sed iam diximus, in illis articulis aliqua contineri, quæ non explicantur in symbolo Apostolorum, v.g. quod Christus eduxerit animas Patrum ex inferis, vbi eius aduentum expectabant. Nunc verò agimus de iis, quæ in symbolo Apostolorum explicantur, quod

solùm Romana Ecclesia pueris in catechismo proponit, vt diximus.

71 Alij ergo negant, eam fidem explicitam requiri in singulis de perpetua Virginitate Deiparæ; ita Azor, quem refert & sequitur Sanchez *vbi supra n.*17. & alij, quos tacito nomine refert, & sequitur Suarez *loco citato*, quorum sententiam ipse etiam iudicat non esse improbabilem; quia id non videtur satis in symbolo expressum. Ego in primis puto non solùm credendam explicitè Virginitatem Mariæ in conceptione sui filij, sed etiam in partu. Ratio est, quia quando fides docet, Christum conceptum ex Virgine, sensus eorum verborum non est diuisus, vt ita dicam, hoc est conceptum ex ea, quæ antea fuerat Virgo, sed compositus, hoc est ex Virgine manente Virgine, sic enim intelligunt omnes Patres, & Catholici vaticinium illud Isaiæ, *ecce Virgo concipiet*, & in symbolo Nicæno profitemur hoc mysterium in verbis illis: *& incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*, hoc est, manente Virgine: cum ergo in symbolo Apostolorum explicitè profiteamur Christum *natum ex Maria Virgine*, verba hæc facere etiam debent sensum compositum, hoc est, manente Virgine in ipso partu. Sic enim verba eiusdem Isaiæ intelligunt communiter Patres, quos congerit Suarez *2.tom.in 3.parte disp.5.sect.*2. & quia dixit, *Virgo concipiet, & pariet filium*, inde colligunt Deiparæ Virginitatem in ipso etiam partu: cùm ergo in symbolo profiteamur explicitè Christum natum ex Maria Virgine, ibi etiam profitemur Virginitatem matris in ipso partu.

72 Vnde rursus videtur mihi multo verius, quod in eisdem verbis profiteamur explicitè Virginitatem perpetuam Mariæ, etiam toto tempore post partum. Suppono enim de fide etiam esse perpetuam Mariæ Virginitatem, vt ex Conciliis & Patribus probat latè Suarez *dicta disputatione 5. sect.*3. Sed dubium esse potest, an hæc veritas debeat explicitè credi, & mihi magis placet prima sententia affirmans supra relata, & quod hic sit sensus illorum verborum in symbolo, *natus ex Maria Virgine*, & non solùm intelligantur de Virginitate in ipso partu permanente, sed de Virginitate etiam consequenti. Nam si deberent limitari ad illud solùm tempus, diminutè hunc articulum explicuisset symbolum Nicænum, quod in Missa cantatur, in quo non explicatur Christum natum, sed conceptum ex Virgine, in verbis illis: *& Incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est*: In quibus de natiuitate nihil dicitur: non est autem credibile, omissam fuisse in eo symbolo veritatem hanc in symbolo Apostolorum explicatam de Virtute Mariæ etiam in ipso partu: quare fatendum est, verbis illis, *ex Maria Virgine* non significari solùm Virginitatem in Conceptione, sed etiam consequentem, & perpetuam, & ideo in illis explicari Virginitatem etiam in partu perseuerasse.

73 Ratio autem est, quia ecclesiasticus vsus hoc habet, vt Virginis cognomen non attribuatur simpliciter, & absolutè alicui fœminæ nisi virgo semper permanserit: ideo nunquam in sacris precibus Virgines vocat, nisi illas sanctas, quæ Virgines semper fuerunt. Nec sufficit solùm Virginem tunc fuisse, quando contigit id, quod narratur, vt Virginis titulo simpliciter decoretur: quando enim Ecclesia dicit, v. g. *Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis: Hodie concepta est Virgo Maria* &c. certè non est sensus solum, quod erat Virgo, quando concepta fuit, sed quod illa, quæ semper fuit virgo, tunc concepta est. Sicut, & quando proponit celebrandum festum sub nomine Natiuitatis, aut Præsentationis Mariæ Virginis, non significat solùm fuisse Virginem, quando nata, vel præsentata fuit. Alioquin eodemmodo dicere posset, hodie nata, vel concepta est B. Anna Virgo, vel proponere festum natiuitatis B. Annæ Virginis, quia ipsa etiam in natali suo virgo erat; quod certè ab vsu & sensu Ecclesiæ longè abest. Sensus ergo illius tituli, & cognominis non alligatur ad tempus illud, sed extenditur ad futurum: sicut quando Ecclesia loquitur de conuersione sancti Pauli Apostoli, non loquitur de Apostolatu, quem iam tunc haberet, quando conuersus fuit, sed quem postea habuit. Si ergo, quando Ecclesia dicit: hodie concepta, vel nata aut præsentata est Maria Virgo: non intelligit solùm de virginitate, quam tunc habebat, sed etiam de virginitate perpetua, quæ est virginitas simpliciter & absolutè prolata: cur quando dicit *Christus conceptus est, vel natus ex Maria Virgine*, intelligi debet de sola virginitate tempore conceptionis, vel partus, & non de perpetua. Præsertim cùm hic sit perpetuus Ecclesiæ vsus, vt ad significandam perpetuam Mariæ virginitatem, quoties Mariam nominat, addat etiam Virginis titulum, quod notauit Epiphanius hæresi 78. his verbis. *Quis vnquam, aut quo sæculo ausus est proferre Mariæ nomen, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? ex ipsis enim nominibus etiam virtutis signa elucent.* In hoc ergo sensu in symbolo dicitur Christus natus *ex Maria Virgine*, non ad significandam solum eius virginitatem in partu, sed ad demonstrandum, de qua Maria sit sermo, nempè de illa, quæ semper virgo fuit, & per antonomasiam sub solo nomine *Virginis* intelligitur, itavt quoties absolutè, & sine nomine de Virgine loquimur, intelligamus de Dei matre, vt obseruauit Augustinus *in Enchirid. cap.*34. quem esse sensum, & vim illorum verborum, *ex Maria Virgine*, in symbolo obseruauerat etiam Suarez *dicto 2. tom. in 3.p.disp.5.sect.3.§. Secundò præsertim.* Est ergo satis probabile, & pium, quod hic articulus de perpetua Deiparæ virginitate sit necessariò explicitè ab omnibus credendus, & ideo in symbolo positus. Hoc enim non parum refert ad dignitatem Christi, & matris, & vt fideles erga ipsam, & eius cultum magis afficiantur, quàm si putarent, eam fuisse, sicut vnam ex aliis fœminis, quæ aliorum etiam filiorum procreationi, & generationi communi modo attendisset, non contentâ vnico naturali filio, quo etiam vnico filio naturali Æternus ipse patet contentus est.

74 Nec obstant verba Basilij *hom.*25. *de humana Christi generatione*, vbi relata sententia eorum, qui volebant Deiparam post Christum natum alios filios ex Ioseph suscepisse; vel ab eo maritaliter cognitam, sic ait. *Non verò, licèt nihil hoc doctrinæ pietatis officeret: nam donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat virginitas: quid verò postea sit factum ad mysterij huius doctrinam non anxiè coniungendum est. Veruntamen ne hoc eorum, qui Christum amant, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando desierit esse virgo, has rationes sufficere putamus.* Vbi videtur indicare, hunc articulum, non fuisse inter necessariò credendos. Hoc tamen, vt dixi, non ob-

ſtat, quia nimium probaret, nimirum non ſolùm, non fuiſſe neceſſarium fidem explicitam huius veritatis, ſed neque etiam rem ipſam fuiſſe certam ex fide, quod tamen dici non poteſt, vt conſtat ex Auguſtino (vel quiſquis ſit Author) *in lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 69. tom. 2.* vbi dicitur id *firma fide credendum, nec blaſphemiæ Heluidij acquieſcendum.* Omnes ergo debemus Baſilium explicare, cuius mens non erat de certitudine aut neceſſitate ſimpliciter illius articuli agere, ſed ſolùm in ordine ad intentum præſens, nempe quod Chriſtus ſine viri opera de Spiritu ſancto conceptus, & natus fuerat ex Maria ad quod dogma ſuſtinendum neceſſarium non erat illud aliud de perpetua Mariæ Virginitate poſt partum, in quo ſenſu verba illa ſolent à Doctoribus Catholicis communiter intelligi.

75 Per hoc tamen non contento eſſe improbabilem ſecundam ſententiam ſuprà relatam eorum, qui dicunt, non eſſe ex neceſſitate præcepti credendam explicitè perpetuam Mariæ Virginitatem. Pro qua rurſus afferri poſſet, quod Apoſtoli ſymbolum illud compoſuerint anno Chriſti 44. iuxta ſententiam communiorem, quam amplectitur Card. Baronius 1. tom. annal. eo anno 44. quo anno Deipara adhuc in terris agebat iuxta ſententiam eorum, qui volunt ipſam obiiſſe anno ætatis ſuæ 63. vel 72. in quam vltimam inclinat magis Suarez 2. *tomo in 3. partem diſp. 21. ſect. 1.* Difficile autem apparet, quod Apoſtoli propoſuerint in ſymbolo credèdam explicitè de fide ab omnibus fidelibus perpetuam virginitatem Mariæ vſque ad mortem includendo etiam tempus futurum, & quo nondum adhuc conſeruata fuerat eius virginitas. Non ergo debent intelligi ea verba ſymboli de Virginitate perpetua, ſed de virginitate in conceptione, & in partu. Quamuis ad hoc etiam reſponderi poſſet, in primis valdè incertum eſſe tempus mortis B. Virginis, vt ex Card. Baronio, & aliis oſtendit Suarez loco proximè citato, & ſatis communem eſſe opinionem, quod contigerit anno 59. ſuæ ætatis, qui fuit vndecimus à morte Chriſti, & annus 44. Chriſti, quo anno volebant, Apoſtolos ſymbolũ condidiſſe, quare potuerunt illud poſt Virginis obitum componere, quando iam erant in varias orbis partes diſpergendi: Vnde Suarez coniicit Petrum Apoſtolum non diſceſſiſſe à Iudæa ante Virginis obitum, ſed ſtatim poſt illum; nam eo anno Romam primùm venit, nempe ſecundo anno Imperij Claudij teſte Euſebio in Chronicis, & Hieron. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Quod ſi aliquis contendat B. Virginem per plures annos ſuperuixiſſe, & ſymbolum anno illo Chriſti 44. fuiſſe compoſitum, ſimúlque velit ſententiam noſtram tueri de perpetua virginitate in verbis illis contenta, neceſſe eſt, quod dicat, Apoſtolos per verba illa ſignificaſſe virginitatem illam vſque ad tempus illud, quo loquebantur: hoc enim neceſſarium erat, vt tunc ſimpliciter, & abſolutè appellaretur Virgo. Tradidiſſe tamen ſymbolum illud ſub eadem verborum formula futuris etiam temporibus recitandum, quia diuino Spiritu afflati ſciebant permanſuram integritatem, & virginitatem Deiparæ perpetuam (quod certè mirum eſt, quod ipſamet ſaltem Virgo non ſciret ex diuina reuelatione, quæ ſicut de rebus aliis ad ſe ſpectantibus, ita & de hoc potuit Apoſtolos docere) atque adeo potuerunt bene ſymbolum fidelibus ſub iis verbis tradere, quæ ſciebatur, quocunque tempore proferrentur, non continere falſum, ſed verum, & à Deo reuelatum. Nec ex hoc ſequitur, diuerſam eſſe fidem, quam Apoſtoli in ſymbolo profitebantur, ab ea, quam nos profitemur, quando idem ſymbolum nunc recitamus, eo quod illi ſignificarent ſolùm virginitatem Mariæ vſque ad illud tempus; nos verò in eiſdem verbis ſignificamus nunc virginitatem eiuſdem vſque ad finem vitæ: hæc enim diuerſitas tota eſt materialis, & non facit fidem formaliter diuerſam ſicut in eodem ſymbolo, & in ſymbolo etiam Nicæno profitemur reſurrectionem mortuorum, & iudicium, & aduentum Chriſti futurum: per quæ verba Apoſtoli non ſignificabant futura hæc omnia poſt tempus, quo nunc nos ſymbolum recitamus: ipſi enim non ſciebant an tam diù differendus eſſet ſecundus Chriſti aduẽtus: nos autem profitemur hæc futura poſt hoc tempus, quo ſymbolum recitamus, quæ eſt diuerſitas materialis ex diuerſo tempore, quo ſymbolum recitatur. Apoſtoli autem compoſuerunt formulam profitendi fidem iis verbis, quæ apta eſſent ad eam verè profitendam, quocunque tempore proferrentur in Eccleſia militante, quia ſemper hæc ſunt futura in ordine ad illud tempus. Sic etiam circa virginitatem Mariæ appoſuerunt verba quibus ſemper fideles firmiſſimè eius fidem profiterentur: quia ſciebant, quocunque tempore ea verba proferrentur, veriſſima eſſe; licèt materiale ſignificatum poſſet variationem aliquam accipere propter diuerſas circumſtantias, quæ variari poterant, manente tamen eadem formula profeſſionis, quoad formale ſymbolum, & quoad eadem verba, quibus fidem profitemur.

Sequitur iam articulus de Chriſti paſſione in verbis illis, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*, in quibus verbis certum videtur in primis, non eſſe obligationem ſaltem grauem ſciendi Chriſtum paſſum ſub Pontio Pilato, cùm ea circumſtantia, & nomen, ac cognomen Iudicis non multum referat ſingulis ad ſalutem; certum etiam videtur, debere explicitè credi, Chriſtum paſſum, & mortuum eſſe propter noſtram ſalutem; cùm enim Chriſtus debeat explicitè credi, vt Redemptor noſter, oportet credere nos ſuo ſanguine redemiſſe, & ita omnino expediebat ad debitam gratitudinem erga ipſum concipiendam; & id conſtat à fortiori ex dictis *diſp. præcedenti*: ſi enim iuxta communem ſatis ſententiam fides explicita Chriſti mediatoris neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medij, oportet ergo credere propter Chriſtum dari ſalutem, atque adeo ex Chriſti meritis, quorum præcipua fuerunt mors, & paſſio, remitti peccata, & pœ conſequens ad hunc finem paſſum eſſe, prout explicatur in ſymbolo Nicæno illis verbis, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem &c.* cur autem hæc cauſa finalis paſſionis Chriſti nõ fuerit, ita explicita, in ſymbolo Apoſtolorum, ratio eſſe potuit quia ſatis explicitè videbatur iã contineri, vel ſupponi. Tum quia profeſſio fidei chriſtianæ ſupponebat ea, quæ de Chriſto credi debebant explicitè in lege antiqua, in qua credi debebat explicitè vnus mediator venturus, quem mediatorem fides chriſtiana profiteretur iam veniſſe, & hunc eſſe Chriſtum, qui mortuus eſt, quare eo ipſo fatetur redemptionem hominum per Chriſtum: tum etiam quia impoſſibile moraliter eſt, quod chriſtiani explicitè confiteantur filium Dei verum Deum, & hominem mortuum eſſe, & eundem

eundem fuisse nostrum redemptorem, & nesciant per passionem, & mortem nos redemisse, & ideo opprobria, & tormenta alioquin Deo indigna suscipere non fuisse dedignatum, quare in illis, quæ in symbolo traduntur sufficienter continebatur & hoc aliud, si illa alia explicitè credantur, vt experientia manifesta testatur.

77 *An genus mortis nempe crucifixio sit de necessitate præcepti explicitè credendum.*

Dubitari potest, an genus mortis nempe crucifixio, sit de necessitate præcepti explicitè credendum, de quo nihil inuenio apud Doctores in particulari; imo aliqui solum videntur ponere necessariò credendum Christum mortuum esse; ita loquitur Suarez in præsenti disp. 13. sect. 4. n. 8. dicens *post hoc sequuntur articuli de passione, morte, & Resurrectione Domini, de quibus omnes Theologi fatentur esse ex præcepto explicitè credendos ab omnibus.* & clariùs Hurtado *disp.* 44. *sect.* 2. §. 11. dicit: non esse necesse cognoscere eum fuisse circumcisum, &c. *Sed sufficit, eum pro salute nostra mortuum fuisse, & à mortuis surrexisse; vt cognoscamus nostram per eius sanguinem redemptionem*; item *vt per resurrectionem concipiamus spem resurgendi.* Eodem ferè modo loquuntur alij, Castro Palao *dict. puncto* 10. *n.* 5. inter credenda explicitè non enumerat crucifixionem, sed passionem, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem, &c. & postea addit: *non est necessarium circumstantias passionis cognoscere, videlicet passum esse sub Pontio Pilato: sufficit si cognoscatur esse passum.* Item Granado dict. tract. 10. disp. 3. sect. 2. n. 8. dicit, *teneri omnes explicitè credere, Christum esse Deum, & hominem, conceptum ex Maria semper Virgine, natum, mortuum, quod resurrexerit, & sit modò in cœlesti gloria, quodque venturus sit ad iudicandum.*

78 Alij tamen de crucifixione in particulari loqui videntur. Ita Coninch *in præsenti disp.* 14. *dub.* 10. *num.* 189. dicit, non teneri omnes scire, Christum passum esse sub Pilato, *sed sufficere rudioribus scire, Christum verè esse Deum & hominem, & verè passum esse, & mortuum in cruce, ac ad cœlos adscendisse.* Idem videntur supponere illi, qui docent, esse obligationem sub mortali, vt singuli fideles sciant signare se signo crucis, prout docent Angelus, Sylvester, Tabiena, & Armilla apud Sanchez *dict. lib.* 2. *in decalogum cap.* 3. *num.* 14. *in fine*: nam ea notitia certè parum deseruit sine notitia mysterij crucis, in qua Christus salutem nostram operatus est. Denique cùm Doctores in vniuersum dicant, esse obligationem grauem credendi explicitè, quæ continentur in symbolo, & non excipiant crucifixionem, neque ego eam excipiendam dicam, quam Apostoli seorsim à passione, & morte explicuerunt, & explicari voluerunt, & adeo accuratè, ac frequenter prædicabant iuxta illud Pauli 1. Cor. 2. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum.* & quidem cùm Christus Dominus voluerit, insigne quasi gentilitium christianæ religionis vnicum esse crucis vexillum, turpissimum esset christiano homini proprium ignorare signum, nec illud noscere potest, si virtute crucis nescit à Christi passione deriuari: vnde meritò crucis mysterium inter præcipua fidei capita oppositum est, nec video, quomodo ob materiæ paruitatem excusari possit ignorantia crucis quam Christus suis asseclis dedit quasi visibile symbolum, quo ab aliis omnibus gentibus dignoscerentur.

79 Vnde obiter infero, cùm in symbolo illo ex 14. articulis conflato, cuius *suprà* meminimus, & quo Hispani auctores tanquam credendorum in præsenti, vtuntur, eo quod apud ipsos in catechismo puerorum proponi solent, cùm, inquam, ibi non explicetur crucifixio, sed solùm mors, & passio Domini, debere Catechistam id explicare, & monere, aliqua esse in symbolo Apostolorum explicitè credenda, quæ in illis articulis desunt, etiam in iis, quæ pertinent ad Christi humanitatem. Vnde miror, Magistrum Ioannem de S. Thoma virum sanè doctum, & pium, & in Complutensi Academia Theologiæ professorem, qui in explicatione christianæ, doctrinæ, quam pro rudioribus instruendis Hispano idiomate vtiliter nuper edidit, cùm in explicatione illius tertij articuli multa alia minutiora addidisset de passionibus, & doloribus Christi internis, & externis; de cruce tamen, & eius mysterio nihil dixisse, cùm tamen crucifixio, quam Apostoli in suo symbolo explicitè appposuerunt, in textu illius articuli desideraretur.

80 *Christi sepultura an sit ex præcepto explicitè credenda?*

Dubitari etiam potest de Christi sepultura, quam in Apostolorum symbolo explicitè profitemur, an sit ex præcepto explicitè credenda. Et quidem aliqui ex Doctoribus citatis enumerantes explicitè credenda, de sepultura nihil dicunt. Petrus Hurtado *dicta disp.* 44. §. 11. dicit sufficere explicitè credere, *Christum pro salute nostra mortuum fuisse, & à mortuis resurrexisse*, &c. de sepultura autem nihil dicit. Similiter Bañes *in præsenti q.* 2. *art.* 3. *dubitatione* 2. *in* 2. *conclusione* de articulis ad Christi humanitatem spectantibus, vbi explicat substantiam credendorum explicitè de Christi humanitate, nihil de sepultura explicat. Nec mirum, quia in illis etiam 14. articulis, quos pro textu, & regula accipiunt, sepultura etiam Christi omissa fuit; idem videtur supponere Coninch *dict. dub.* 10. *n.* 188. dicens sufficere scire, *Christum verum Deum, & hominem verè passum, & mortuum in cruce, & ad cœlos adscendisse.* Vbi crucifixionem quidem enumerat, vt suprà notauimus, atque etiam resurrectionem quatenus dicit abscendisse ad cœlos, nisi enim resurrexisset, non adscendisse Christus in cœlum, sed eius anima: de sepultura verò nihil dixit. Castro Palao *dict. tom. tract.* 4. *disp.* 1. *puncto* 10. ex vna parte videtur agnoscere obligationē circa hunc articulum explicitum, cùm *n.* 3. dicat esse obligationem sciendi, & credēdi explicitè, quæ in Apostolorum symbolo continentur. Ex alia tamen parte videtur id negare, cùm *n.* 5. solùm enumeret credenda explicitè passionem, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem, successionem ad dexteram Patris, & aduentum ad iudicium.

81 Alij videntur hanc obligationem agnoscere, ita Luisius Turrianus *in præsenti disp.* 28. *dub.* 1. dicens, esse obligationem præcepti ad credendos omnes fidei articulos, qui in symbolo continentur. Eodem modo loquitur Lorca *in præsenti disp.* 23. *membr.* 1. vbi *n.* 15. dicit esse præceptum omnibus fidelibus credendi fide explicita articulos fidei, *tam secundum illam numerationem, qua quatuordecim numerantur*, (loquitur de illis 14. articulis, quibus Catechistæ Hispani clariùs explicant Apostolicum symbolum) *quàm eos, qui in symbolo Apostolorum exprimuntur.* Et postea *n.* 18. dicit *non esse verisimile Apostolos, qui in breuem summam, & compendium doctrinam fidei reducere voluerunt, quæ omnibus esset in promptu, aliquid posuisse in symbolo, quod non erat creditu necessarium.*

82 Ego quidem in genere fateor obligationem credendi explicitè, quæ continentur in symbolo Apostolorum, quia ipsi diuino spiritu afflati regulam illam fidelibus omnibus communem tradiderunt ad profitendam suam fidem, iudicantes, ibi contineri substantiam fidei nostræ, quantum satis esset, vt omnes satisfacerent debito credendi explicitè capita saltem substantialia Christianæ religionis. Cùm hoc tamen stat, quod in eodem symbolo sint aliqua adeo minuta, vt propter materiæ paruitatem non possit eorum ignorantia refundere malitiam grauem, quandiu non negantur, sed ignorantur, quoad notitiam explicitam, id enim negari non potest in circunstantia illa iudicis, quod fuerit Pontius Pilatus, quia ignorata, potest adhuc articulus ille passionis Christi quoad substantialia explicitè credi. Totum ergo dubium esse potest in assignandis iis, quæ substantialia sunt articuli credendi, vt ideo ignorari non possint sine culpa graui: quæ verò sint accidentalia, itavt sine illis maneat substantia articuli explicitè credita, & ideo eorum ignorantia non sit culpa grauis. Et quod ad præsens attinet, non videtur improbabile, quod sepultura secundùm se non sit circumstantia adeo grauis, vt defectus fidei explicitæ circa illam sufficiat ad peccatum mortale. Nam ideo in symbolo explicata fuit, non quidem vt articulus diuersus, nec *velut articuli pars, quæ nouam aliquam difficultatem habeat*, (verba sunt Catechismi Pij V. in explicatione articuli quarti symboli §.8.) *præter ea, quæ iam de morte dicta sunt. Nam si Christum mortuum credimus, facilè etiam nobis persuaderi potest, eum sepultum esse. Verum hoc additum, primum vt minus de morte dubitare liceat; cùm maximo argumento sit, aliquem mortuum esse, si eius corpus sepultum probemus, deinde vt resurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat.* Vtraque autem ratio videtur ostendere, sepulturam solùm explicari vt circumstantiam mortis, & resurrectionis: quæ sanè circumstantia non videtur tanti ponderis esse, vt sine illa fides mortis, vel resurrectionis vacillet, cùm aliunde firmissimè credamus mortem ante sepulturam, & stante morte non potuerit resurrectio esse ficta, cùm non possit semel mortuus iterum sine vera resurrectione viuere. Si cui tamen hæc circumstantia maioris momenti videatur, consequenter dicere debet, fidem etiam illius explicitam sub peccato mortali à singulis fidelibus exigi: illud certè fatendum est, non posse hanc omissionem à peccato saltem veniali excusari.

83 *Articulus de descensu ad inferos an debeat à singulis credi fide explicita ex necessitate præcepti?*

Sequitur articulus de descensu ad inferos, qui in symbolo Nicæno omissus est, & ideo de eius necessitate dubitant Theologi: quorum aliqui putant, hanc particulam non fuisse ab Apostolis in symbolo positam, sed additam postea, eo quod aliqui Patres antiqui, dum symbolum explicant, nihil de illa dicant, vt Augustinus *in lib. de fide, & symbolo, & libris de symbolo ad Catechumenos*, Irenæus *lib.1. c.2.* Tertullianus etiam *lib. de velandis virginibus in princip.* & *lib. de præscript. hæret. c.13.* & *lib. contra Praxeam in principio*, & Origenes *in initio librorum περὶ ἀρχῶν*. Alij tamen eam etiam particulam in symbolo exposuerunt vt Chrysostom. *hom.2. de symbolo*, Cyrillus Ierosol. *cap.4.* & Ruffinus *in expositione symboli*, & quamuis hic dicat, non haberi eam particulam in Ecclesiæ Romanæ symbolo, & in Orientis Ecclesiis; id tamen intelligunt de symbolo Nicæno, quo Ecclesia Romana in Missa vtitur, vt putat Suarez *2.tom.in 3.part.disp. 43.sect.2.* versùs finem, qui etiam verius existimat, quod fuerit ab Apostolis apposita. Præsertim cùm idem Augustinus eam etiam in aliis locis addiderit, vt *in serm.115.* vbi illam particulam attribuit Thomæ Apostolo, alij aliis Apostolis, vt videri potest apud Suarez *ibidem*.

Itaque non pauci Doctores sentiunt, hunc articulum non debere à singulis credi fide explicita ex necessitate præcepti. Ita Suarez *loco citato in dicto 2. tom. in 3. partem*, quamuis concedat, fuisse ab Apostolis in symbolo appositum, idem tenet Castro Palao *dict. tract.4. disp.1. puncto 10. num.5.* & videtur supponere Coninch *dicto dub. 10. n.188.* quatenus dicit, rudioribus sufficere credere, Christum verum Deum, & hominem verè passum esse, & mortuum in cruce, ac ad cœlos ascendisse, &c. Clariùs id tenet Granado *dicta sect.3. num.8.* vbi fatetur, non esse obligationem præsertim grauem ad fidem explicitam huius descensus ad inferos. 84

Alij tamen plures videntur agnoscere eiusmodi obligationem. Lorca *in præsenti dicta disp.23. memb.1. num.20.* & Medina apud Suarez *loco proximè citato*, Bañes *vbi supra dicta conclus.2.* & *§. sequenti*, dicens id esse probabilius, & securius, Thomas Sanchez *dicto cap.3. num.6.* vbi dicit regulam huius obligationis non esse symbolum Apostolorum, sed illos quatuordecim articulos, qui in Catechismo pueris proponuntur, qui omnes prout ita recitantur, debent explicitè credi ex præcepto: in illis autem continetur explicitè descensus ad inferos: in quo quidem excessit præsens symbolum illud ex quatuordecim articulis symbolo Apostolorum quoad explicationem obligationis. Posteà verò *num.22.* dicit, omnes etiam rusticos intelligere, & scire saltem crasso modo hunc articulum, quantum sufficit ad satisfaciendum prædictæ obligationi; eodem modo loquitur P. Hurtado *dicta disp.44. §.11.* dicens, hunc descensum ad inferos credendum esse necessitate præcepti crasso modo, non verò singulis exactè, pro quo affert Saucium à nobis proximè adductum. Sed certè Sanchez, licèt videatur contentus esse fide explicita crasso modo huius articuli, re tamen ipsa magis explicitam fidem petit, quàm petatur in symbolo Apostolorum, in quo solum dicit *descendit ad inferos*. At verò in illis quatuordecim articulis, quos Sanchez assumit pro regula meliori huius obligationis, articulus hic multò magis explicitè proponitur his verbis: *Quartus articulus est, quod descendit ad inferos, & inde eduxit animas sanctorum Patrum, qui eius aduentum expectabant.* Denique acerbiùs loquitur Currianus *dicto dubio 1. circa finem* dicens, certum omnino esse præceptum credendi explicitè illos omnes articulos pertinentes ad Christi humanitatem, & in hoc conuenire omnes Theologos, in quo non parum excessit cum ipsemet Bañes, vt retulimus quoad aliquos ex his articulis, solùm dixerit id esse probabilius, & securius. Debuerat itaque sententiam suam sine gradu certitudinis, & sine consensu vniuersali omnium Theologorum proferre.

Ego in primis existimo cum Suario *supra* adducto articulum hunc ab ipso initio ab apostolis fuisse in symbolo positum: nam Apostolorum symbolum purum & integrum, sine vlla prorsus additione, vel variatione, prout ab Apostolis accepit, 85

accepit, retinuit, & conseruauit Romana Ecclesia, vt testatur S. Ambrosius *ep.* 81. ad Syricium Papam: de quo argumento videri potest latè Card. Baronius tom. 1. anno Christi 44. vbi ex Rufino refert causas, ob quas, licèt in aliis Ecclesiis ob varios errores ad eos negandos addita fuerint in symbolo aliqua: in Ecclesia tamè Romana, quæ nullo vnquam errore maculata fuit, nulla vnquam Apostolico symbolo additio facta sit. Vnde rursus, licèt primam sententiam excusantem à peccato graui defectum fidei explicitæ, seu ignorantiam circa hunc articulum, probabilem iudicem, & practicè tutam, cùm habeat pro se tot, & tam graues Auctores, probabilius tamen, & verius puto, esse per se loquendo obligationem grauem circa notitiam huius articuli, quem & Apostoli exprimi voluerunt, & Athanasius in suo etiam symbolo ab ecclesia recepto non omisit. Ratio autem desumitur ex dictis, quia cùm nulla alia regula melior assignari à nobis possit ad discernenda substantialia nostræ fidei, & quorum notitia à singulis fidelibus exigitur, quàm ea, quam accepimus ab Apostolis, qui symbolum nobis tradiderunt, vt ab omnibus fidelibus teneretur, non debemus aliquem articulum in eo symbolo contentum æstimare rem minoris fortasse momenti. Nam licèt id asseri possit de circumstantiis alicuius articuli, provt diximus sepulturam esse circumstantiam mortis, & resurrectionis Christi: at descensus ad inferos non est circumstantia alterius articuli, sed articulus nouus continens aliquid peculiare, quod Apostoli iudicarunt multum referre ad notitiam Christi redemptoris. Nimirum, quia Christus ad opus redemptionis nostræ venisse credendus est, oportuit scire, eum ad hunc finem non solùm in terram, sed etiam ad inferos descendisse: ex quo descensu apparet, & efficacia, & necessitas huius redemptionis. Efficacia quidem, quatenus soluto pretio, & consummata redemptione per Christi mortem statim iure suo detentos spiritus carcere inferorum ob pretium nondum solutum, liberauit omnino, vt ad possessionem æternæ beatitudinis absque mora vlla peruenirent. Necessitas verò huius redemptionis, constat etiam ex eo, quod animæ illæ sanctæ, & ab omni culpæ aut pœnæ reatu sufficiéter expiatæ per tot sæcula debuerint cælorum aditu, & beatitudinis possessione priuari, quam primus parens suo nobis peccato clauserat: Vnde & infectio totius naturæ humanæ, & originalis labes, & necessitas vniuersalis Redemptoris nostri patet. Ad hæc ergo omnia noscenda multum refert descensum Christi ad inferos explicitè profiteri. Quamuis enim in symbolo Apostolorum non explicentur etiam causæ, sed solus descensus ipse, vt & symboli breuitati consuleretur, & multorum rudiorum tarditati: oportuit tamen descensum saltem ipsum ad inferos explicare, qui cognitus daret occasionem fidelibus inuestigandi causas illius prout experientia testatur, vix reperiri, qui descensum ad inferos sciat, & nesciat eductas esse à Christo ex eo loco animas sanctorum Patrum. Quare, sicut diximus suprà, non fuisse explicitè in symbolo additam causam mortis Christi, nempe redemptionem nostram, quia impossibile moraliter erat, quod qui mortem filij Dei crederet, causam ignoraret, vt experientia ipsa testatur: sic de causis descensus ad inferos dici potest, cùm nemo Christianus concipere possit, Christum ob peccata propria, aut ob defectum potentiæ ad inferos descendisse, sed credat potius, sicut ad terras, sic ad inferos filium Dei descendisse propter vtilitatem & salutem humani generis. Quod autem in Nicæno symbolo omissus fuerit descensus ad inferos, non arguit eius fidem non esse necessariam. Ad hoc enim respondit S. Thomas *q.* 1. *art.* 9. *ad* 4. ideo omissum fuisse, quia circa illum nullus error exortus fuerat apud hæreticos, & idcirco potuit supponi ex symbolo Apostolorum, nec enim symbolum posterius abolet symbolum prius, nec tollit eius necessitatem. Sic enim videmus in symbolo Athanasij, quod vtroque priori longius est, multa omittit, quæ erant in vtroque, v. gr. Christum conceptum de Spiritu sancto ex Virgine & Crucifixum esse. Item vnitatem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, communionem sanctorum, & peccatorum remissionem: quia nimirum ad intentum Athanasij, & controuersias tunc agitatas, hæc non erant necessaria, nec ipse intendebat tradere omnia, quorum fides explicita à singulis desideratur.

Regula certa ad discernenda substantialia nostra fidei, quæ?

Descensus ad inferos non est circumstantia alterius articuli, sed articulus nouus.

Cur in symbolo Nicæno omissus fuerit descensus ad Inferos?

86

Sequitur articulus de resurrectione Christi illis verbis: *Tertia die resurrexit à mortuis*. De quo non est controuersia, quod eius fides explicita sit singulis sub præcepto grauissimum sit quasi fundamentum proprium fidei nostræ, vt insinuat Paulus 1. Cor. 5. *Si christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est, & fides nostra*; & *si Christus non resurrexit vana est fides nostra*. & ad Rom. 10. Hæc fides resurrectionis necessaria asseritur illis verbis. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris*. Vt enim Augustinus dixit in psal. centesimo vigesimo: *Non magnum est credere, quia mortuus est Christus: hoc & pagani, & Iudæi, & omnes iniqui credunt: hoc omnes credunt: quia mortuus est. Fides Christianorum resurrectio Christi est: hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse*. Quare ad hunc articulum potissimum prædicandum Apostoli destinati sunt, qui ea de causa quasi per antonomasiam appellabantur testes resurrectionis, *Act.* 1. & 2. de necessitate ergo fidei explicitæ circa hunc articulum non est controuersia.

Articulus Resurrectionis Christi, à singulis fide explicita credendus sub præcepto grauis.

87

Dubitari posset circa verba illa, *tertia die*, an sit præceptum credendi etiam explicitè hanc circumstantiam diei tertij, quæ in symbolo explicira fuit; de quo puncto Auctores citati nihil dicunt. Appositam autem inuenimus circumstantiam illam in symbolo etiam Nicæno, & in symbolo Athanasij, & in illis 14. articulis supracitatis, quare videtur æstimata non leuis, sed magni ponderis. Aliunde tamen plures ex dictis Authoribus, dum necessariò credenda enumerant, circumstantiam illam videntur omittere. Nam Bañes *in præsenti quæst.* 2. *art.* 8. *conclusione* 2. circa articulos humanitatis, dum explicat substantiam singulorum articulorum, dicit, substantiam huius articuli esse, *quod eadem anima Christi fuerit iterum vnita copori, & resurrexit Christus verus homo in carne gloriosa, & immortali*. De die verò tertia nihil dicit. Eodem modo loquitur Castro Palao *dicto puncto* 10. *num.* 5. dicens, credenda esse explicitè de Christo hæc omnia: passionem, mortem descensum ad inferos, resurrectionem, & sessionem ad dexteram Patris, &c. Item Hurtado *disp.* 44. §. 11. dicit, sufficere scire Christum pro salute nostra mortuum fuisse, &

An sit præceptum credendi etiam explicitè circùstantiam dicì tertia.

à mortuis resurrexisse, & ascensum eius in cœlum,&c. Denique Coninch *dicta disp.* 14. *dub.* 10. *num.* 188. dicit, sufficere rudioribus scire, Christum Deum & hominem *vere passum esse, & mortuum in cruce, ac ad cœlos adscendisse*. Vbi nec resurrectionis quidem meminit, quia fortasse, vt supra notaui, sub ascensione eam inclusit, cùm non posset cœlos adscendere Christus, si non viueret. Confirmarique potest ex verbis Pauli Apostoli ad Rom. 10. paulò antè adductis: *si confiteaeris in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, salutis eris*. Vbi de tertia die nihil explicuit.

88 Ego existimo, obligationem aliquam esse sciendi circumstantiam illam, quæ non frustra in omnibus symbolis, & catechismis explicata fuit, & quam Apostoli inculcabant, & apertè in sua prædicatione explicabant iuxta illud eiusdem Pauli 1. ad Cor. 15. *Tradidi vobis in primis, quoniam Christus mortuus est propter peccata, & quoniam resurrexit tertia die*; & Petrus catechizans Cornelium, & domesticos eius, act. cap. 10. dixit *hunc Deus suscitauit tertia die*. quæ etiam verba dixit Paulus Antiochenis act. cap. 13. & quidem notitia huius circumstantiæ conducebat ad confirmandam mortis ipsius veritatem, ne fortè suspicaretur aliquis, quod non fuisset verè mortuus, si statim viuus appareret, & ad veritatem prædictionis agnoscendam, qua sæpius prædixerat se tertia die resurrecturum. Non tamen auderem damnare peccati mortalis ignorantiam huius solius circumstantiæ: præsertim cùm Apostolus Petrus ipsa die Pentecostes, cùm primùm euangelicam doctrinam, & Christi resurrectionem prædicaret *Act.* 2. hanc circumstantiam omiserit, solúmque dixerit: *quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*, quo etiam modo resurrectionem Christi proposuit *act.* 3. & 4. eo quod tota resurrectionis substantia sine illa circumstantia proponi posset, quamuis nec alios grauiores articulos tunc proposuerit, sed potissima capita, quibus viam præpararet ad aliorum articulorum notitiam.

89 Sequitur articulus de ascensu ad cælum verbis illis, *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Quæ etiam verba sunt in symbolo Nicæno, & Athanasij, & in illis quatuordecim articulis suprà commemoratis: de cuius etiam articuli fide explicita, & eius necessitate conueniunt Doctores suprà adducti. Dubitabant tamen de sessione ad dexteram Patris, cuius sensus videtur difficilis, & supra captum vulgi rudioris propter varios explicandi modos, quibus verba illa declarari solent, de quibus latè Suarez 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 51. *sect.* 3. & ideo idem Suarez *in præsenti dicta disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 9. dicit, sufficere credere, *Christum esse in cælo in summo, ac digniſſimo gradu beatitudinis, vt homo est, & aqualis Patri, vt Deus est*. Bañes loco supra citato dicit substantiam credendam sub his verbis esse, *quod Christus secundùm corpus etiam ascendit ad cœlos, & quod sit maximè beatus inter omnes creaturas*. *Quod quidem explicatur per metaphoram sedendi ad dexteram Patris; quia dextera significat prosperitatem; & ita sedere ad dexteram Patris est potiri optimis bonis super omnes creaturas*. Sed tamen Castro Palao *vbi suprà n.* 5. putat, quod Sanchez, & Azor non agnoscunt obligationem credendi explicitè hanc sessionem ad dexteram Patris propter eius obscuritatem, &

An articulus de ascensu ad cœlum credi debeat fide explicita.

An sessio ad dexterã Patris.

difficultatem: quibus tamen ipse non consentit, sed dicit aliqualem illius notitiam exigi, qua credas, *Christum habere in cælo supremum locum, vt homo est, & æqualem Patri, vt Deus est; quia hoc pertinet ad dignam Christi æstimationem, & debitum honorem exhibendum*. Sed reuera Sanchez, & Azor non negant obligationem aliqualis notitiæ: vterque enim dicit, in eo, & in aliis symboli articulis requiri, quod intelligatur id, quod simpliciter, etsi confusè, & generaliter significatur vocibus in articulo contentis. Aliter explicat Magister Ioannes de S. Thoma sensum eorum verborum in Catechismo illo Hispano supra citato nimirum, quod *Christus æqualis est Patri vt Deus, & in eadem persona quæ æqualis est Patri, est etiam humanitas, qua indutus est*. Quæ certè explicatio difficilior est pro captu puerorum, & rudiorum. Aliter explicatur in rudimentis doctrinæ christianæ à Cardinali Bellarmino iussu Clementis VIII. editis, nimirum, *quod Christus in cælo sedet in gloria æquali Patri tanquam Dominus, & gubernator omnium creaturarum*: in quibus verbis non videtur agi de gloria humanitatis, hæc enim non est æqualis gloriæ Patris, cùm sit creata, & finita. Denique Coninch *dicto dub.* 10. *num.* 188. hanc sessionem ad dexteram Patris non videtur numerare inter necessariò de Christo credenda explicitè, sed mortem in cruce, & ascensum ad cœlos, &c.

Ego existimo articulum hunc, quoad rem per ipsum significatam, esse necessariò ab omnibus credendum. Sensum autem illorum verborum melius, & clarius explicuit Catechismus Romanus iussu Pij V. editus c. 7. de 6. articulo §. 3. vbi dicitur *ad explicandam Christi gloriam, quam vt homo præ cæteris omnibus adeptus est, eam in Patris dextera esse confitemur. Sedere autem hoc loco non situm, & figuram corporis significat, sed eam regiæ, summæque potestatis, ac gloriæ firmam & stabilem possessionem, quam à Patre accepit, declarat: de quo ait ad Ephes.* 1. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ac dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius. Ex quibus verbis apparet, hanc gloriam adeo propriam & singularem Domini esse, vt cuiusvis alij creatæ naturæ conuenire non possit. Quare alio loco testatur:* ad Hebr. 1. (*Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis?* Ex quibus verbis colligitur, sensum illorum verborum symboli non limitari ad explicandam solam æqualitatem gloriæ, & potestatis, quam Christus vt Deus habet cum Patre, sed debere etiam ibi intelligi excellentiam, & eminentiam Christi vt hominis, vt fatetur Suarez d. disp. 51. sect. 3. de illo enim dicitur sedere à dextris Dei, de quo dicitur, ascendisse in cælum; neq; ascendit certè, vt Deus, qui in cælo semper mansit, sed vt homo, quem *Deus secundum operationem potentiæ virtutis eius suscitauit à mortuis, & constituit* ad dexteram suam in cælestibus, quæ verba melius aptantur Christo vt homini quàm vt Deo; & ideo Chrysost. homil. 3. in epist. ad Ephes. explicans illa verba dixit: *Hoc de eo, qui ex mortuis exsitatus: de Verbo siquidem ne quaquam.* & Theodoretus, *Clarum est*, inquit, *hæc omnia posuisse tanquam de homine: ea enim de causa etiam admiratione ducitur est; Quod enim qui Deus est vna cum Deo sedeat, & qui est*

est filius, vnà cum Patre regnet, non est admirabile: quod autem sumpta ex nobis natura eiusdem honoris cum eo, qui sumpsit, sit particeps, hoc omne miraculum superat. Scio aliquos Patres, quos congerit Suarez *dicta sect. 3.* ex illa sessione ad dexteram Patris probasse vnitatem naturæ diuinæ communis Patri, & Filio: sed tamen non est excludendus, vt idem Suarez monet, sensus alius, quem ego puto præcipuè intentum, de excellentia, & eminentia peculiari Christi, vt hominis: nam æqualitas, seu identitas potestatis diuinæ, quæ Christo vt Deo communis est cum Patre, iam in aliis articulis credita, & contenta est, in quibus Christus creditur vnigenitus Dei Filius, & verus Deus: in hoc autem articulo explicatur prærogatiua, & excellentia peculiaris Christi etiam vt homo est.

cellētia Christi etiam vt hominis quæ in sessione ad dexterā Patris explicatur.

91 *Duplex prærogatiua, & excellētia peculiaris Christi intelligi potest in illis verbis. Prima.*

Duplex autem prærogatiua, & excellentia peculiaris Christi intelligi potest in illis verbis. Prima est, quod Christus etiam vt homo sedeat ad dexteram Patris, hoc est, in eodem throno, & dignitatis sede, quatenus propter vnitatem personæ eiusdem, quando Christum adoramus, & colimus, vnica adoratione latriæ supremæ, quæ Deo debetur, adoramus totum Christum, atque adeo eius etiam humanitatem, quæ est natura constituens personam illam, cui supremum latriæ cultum deferimus; de quo diximus late *disp. 34. de Incarnat. sect. 2.* Et in hoc sensu de æqualitate honoris & cultus, quem humana etiam natura in Christo participat, non verò de æqualitate in beatitudine, quam humanitas Christi habeat æqualem Deo, intelligi possunt S. Leo Papa *serm. 1. de ascensione*, dum de natura humana in Christo dicit: *neque vllis sublimitatibus modum suæ proiectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio.* Et Theodoretus in verbis suprà adductis dicens: *quod autem sumpta ex nobis natura eiusdem honoris cum eo, qui sumpsit, sit particeps, hoc omne miraculum superat.* Nomine enim *gloriæ*, & *honoris*, hi Patres non videntur intelligere beatitudinem essentialem, sed cultum, venerationem, & reuerentiam, quam ideo S. Leo non dixit *gloriam* simpliciter, sed *gloriam in throno.* Et hunc fortasse sensum intendit Bellarminus in Catechismo Italico doctrinæ Christianæ, dum *sedere ad dexteram Patris*, sic explicat Italicè: *cioè, in gloria vguale al Padre, come Padrone, & Gouernatore di tutte le Creature.* Vbi nomine *gloriæ* in vulgari etiam sermone potuit non beatitudinem, sed honorem, & thronum significare.

92 Si autem hic sit sensus eorum verborum, non est dubium, quod debeat ab omnibus fidelibus credi, & quod de facto credatur, licèt non ita distinctè, dum credunt, Christum eundem, ac vnum esse simul Deum, & hominem: nam eo ipso credunt confusè totum Christum colendum, & honorandum esse supremo latriæ cultu, qui absque diuisione fertur ad totam personam, quam colimus, & per consequens humanitas, quæ personam illam Christi intrinsecè constituit, coadorari debet cum diuinitate, quando totus Christus supremo cultu adoratur. Vnde non videbatur ita necessarius nouus articulus circa hanc veritatem, quæ iam in articulis præcedentibus contenta fuerat.

93 *Secunda ex-*

Secunda ergo excellentia, & eminentia Christi etiam vt hominis, quæ in sessione illa ad Patris dexteram explicari videtur, ea est; quod scilicet Christus etiam vt homo acceperit supremam potestatem in Angelos, homines, & res omnes creatas, vt possit de illis ad nutum disponere, iisque imperare, tanquam supremus Rex, Gubernator, Iudex, & Dominus, ratione cuius supremę potestatis meritò dicitur *sedere* ad dexteram Dei, iuxta communem Scripturæ phrasim, *qua sedere & sedes* accipi solent pro regni, & imperij potestate 3. Reg. 1. *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo.* in quo sensu planè dicitur Christus sedere, vt constat ex psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quæ verba Christus de se ipso explicuit Matth. 22. & in eodem sensu allegauit Paulus ad Hebr. 1. dicens: *ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis?* Porro *sedere* ibi idem esse, *ac regnare* explicuit idem Paulus 1. ad Cor. 15. vbi alludens ad illa psalmi verba dixit: *Oportet autem, illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Vnde Origines tract. 12. in cap. 20. Matthæi dixit: *vide ne fortè, quod dicitur, Christum restitui in Regno suo, recipientem proprium principatum, hoc sit, sedere Christum in solio gloriæ suæ.* Hæc ergo suprema Regni, & Imperij auctoritas, & potestas, quæ Christo vt homini data est, & ipsi soli competit, explicatur potissimùm per verba illa, *sedet ad dexteram Patris*, vt declarauit optimè Catechismus Pij V. in verbis suprà adductis, & colligitur ex verbis illis Ioann. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio:* quod planè intelligitur de Christo, vt homine, cui data est administratio, & gubernatio totius Ecclesiæ, provt ipsemet Christus dixit: *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* quæ suprema, & absoluta potestas, non videbatur explicata in præcedentibus symboli articulis, & necesse erat quod in hoc articulo explicaretur, & quod ab omnibus fidelibus crederetur, & cognosceretur. Puto enim, hanc supremam Christi potestatem, & regnum, quod attinet ad rem ipsam, esse vnum ex iis, quæ à fidelibus cognoscenda, & credenda sunt. Turpe quippe, & indignum esset quod Christiani, qui peculiariter familiam, & Ecclesiam Christi, per eiusdem Christi Baptismum ingrediuntur, ignorarent quem locum idem Christus in hac domo, & familia teneat, & cum sub Christo Principe militent, nesciant Christum non esse commilitonem, sed Principem supremum, & absolutum, ad quem vt ad iudicem, & gubernatorem, ad supremum Regem recurrere debeant: de facto autem non est inter Christianos, qui hoc ignoret, & ideo non est necesse, quod de sensu verborum illorum symboli à Confessario interrogētur, quia rem ipsam verbis illis contentam, omnes norunt, quantum sufficit, vt notitiam de suprema Christi potestate sufficientem habere censeantur.

94 *Articulus de aduentu Christi nouissimo ad iudicium, est necessariò explicitè credēdus.*

Sequitur articulus de aduentu Christi nouissimo ad iudicium in verbis illis: *inde venturus est iudicare viuos, & mortuos*, qui continetur etiam in symbolo Nicæno, & Athanasij, & sine controuersia est necessario credendus, & proponendus explicitè fidelibus, vt constat ex illo act. 10. *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Necessaria enim vel certè vtilissima erat fides huius extremi, & vniuersalis iudicij ad comprimendas passiones nostras, provt

Sancti

Sancti Patres omnes, & experientia ipsa testatur. Sensus autem huius articuli, non est solùm, quod Christus iudicaturus sit omnes honores, sed etiam quod venturus sit iterum ex cœlo ad hoc iudicium exercendum. Hunc enim secundum aduentum suum frequenter inculcauit ipse Christus & statim post adscensionem Angeli ipsi manifestè dixerunt Apostolis: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et ideo ecclesia in symbolo Nicæno addit particulam illam *iterum*, & dicit, *& item venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos*: vt explicet secundum aduentum tealem, & visibilem futurum, sicut & primum, glorioſum tamen, qualis non fuit primus: provt expresè prædixit ipse Christus Matth. 26. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus Cœli.*

95 *An sensus huius articuli sit quod Christus iudicaturus sit solùm vt Deus, an etiã vt homo.*

Maior difficultas esse potest, an sensus huius articuli sit, quod Christus iudicaturus sit solum, vt Deus, an etiam vt homo. Nam aliqui videntur negare Christo, vt homini potestatem iudiciariam, eamque videntur ponere propriam solius diuinitatis, vt Scot. *in 4. dist. 48. q. 1.* quamuis P. Suarez 2 *tom. in 3. p. disp. 52. sect. 1. col. 1.* Scotũ interpretetur quod loquatur solum de potestate suprema iudiciaria, quæ competit soli diuinitati, non de potestate subordinata, & quasi delegata. Fundamentum autẽ sumi potest ex verbis Christi dicentis: *sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis.* Vnde Chrysostom. hom. 38. in Ioannem, Theophilactus item, Euthymius Hilarius, Athanasius, Cyrillus, Tertullianus, & alij, quibus fauet S. Th. 3. p. q. 59. art. 1. Verba illa Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquã, sed omne iudicium dedit Filio:* intelligunt de Filio ratione diuinitatis; quare dicunt potestatem, & actum iudicandi attribui peculiariter Filio non per proprietatem, sed per appropriationem, quatenus Filio ex vi generationis communicatur sapientia, per quam exercetur iudicium; & ideo sicut Pater per generationem dedit Filio sapientiam, ita dedit ei potestatem iudicandi, quæ Christo, vt homini competit per communicationem idiomatum, sicut alia attributa diuina; Vnde & verba illa eiusdem Christi eodem c. 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, quæ clariùs videntur explicare hanc potestatem competere Christo in ipsa humanitate, explicat idem Chrysost. loco citato de potestate, quam Christus habet in natura diuina. Quare verba illa legit aliter cum distinctione, aliter interposita, nempe. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere. Quia filius hominis est, nolite mirari, &c.* ita vt sensus maneat absolutus, & perfectus ante illa verba, *quia filius hominis est.* Postea incipiat alia clausula, & dicat, nolite mirari, aut dubitare eo quod filius hominis sit etiam homo, quam expositionem sequuntur etiam Theophyl. & Euthym.

96 Cæterùm, vt bene aduertit Suarez *d. quæst. 59. art. 2.* in Commentario articuli: aliud est quærere, an Christus vt homo etiam habeat iudiciariam potestatem, aliud an prædicta testimonia sequantur de potestate conueniente Christo secundum naturam humanam. De hoc enim secundo potest esse controuersia: primum autem negari non potest; cùm colligatur satis apertè ex scripturæ testimoniis; quale est illud Matth. 13. *Tunc mittet filium hominis Angelos suos, &c.* & c. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua*, & illud S. Petri act. 10. supra adductum: *& præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Vbi de Christo occiso, & resuscitato, & mediatore ad peccatorum remissionem, dicitur esse constitutum iudicem: sicut ergo illa alia competunt, Christi vt homini, ita & iudiciaria potestas. Quod etiã probant verba illa, *constitutus est à Deo*, quæ significant opus liberum Dei ad extra, qualis non est æterna generatio, qua filio communicatur sapientia. Et idem significauit Paulus act. 17. dicens. *In quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Quare Patres omnes Latini verba illa: *quia filius hominis est*, legerunt, vt in vulgata nostra habetur, coniuncta cum præcedentibus, & intellexerunt in sensu formali de potestate competente humanitati, Augustinus, Hieronym. Tertull. & alij, quos affert Suarez in commentario illius articuli 2. & ita tenendum esse, affirmat S. Th. illo *art. 2.* & Theologi omnes, quos sequitur idem *d. disp. 52. sect. 1.* & ex eiusdem verbis hanc veritatem probat Catechismus Pij V. in explicatione articuli 7. §. 5. & 6. addit rationem (quæ addecta etiam fuerat à S. Thoma) quia cùm iudicium hoc exercendum sit circa bonos, & improbos, nec possit ab improbis diuinitas videri, expediebat iudicem esse ab improbis etiam visibilem, atque ideo Christum etiam vt hominem.

97 *Quomodo humanitas possit habere potestatem iudiciariã.*

Quomodo autem humanitas possit habere potestatem iudiciariã, cùm hæc videatur inuoluere potestatem, & auctoritatem suprematn, quæ Deo soli competit, humanitas verò solum videatur exercere promulgationes sententiæ à Deo latæ explicat latè idem Suarez *d. sect. 1.* & variis modis defendere conatur. Res autem ipsa mihi videtur satis facilis, & clara: nam potestas iudiciaria secùndum se præscindit à suprema, & ab inferiori, sed demandata, & deriuata à potestate superiori demandantis, & vtraque est vera potestas iudiciaria: iudex enim à Principe constitutus, vt secundum leges iudicet, verus est iudex: & licèt solus summus Pontifex habeat supremam in terra potestatem dispensandi in legibus ecclesiæ vniuersalis: ille tamen, cui Pontifex hanc facultatem committit, verè ipse dispensat, & verè habet potestatem dispensandi, licèt à Pontifice dependentem, & communicatam. Si ergo potuerunt de facto homines constitui à Deo iudices ad dimittenda, vel retinenda peccata, & exercere potestatem verè iudiciariam in eo foro, licèt re vera potestas suprema dimittendi peccata in solo Deo esse possit: quantò magis potuit Christo, vt homini communicari, & demandari potestas iudicãdi, & decernẽdi de præmiis, & suppliciis, quamuis ea potestas suprema in solo Deo sit. Neq; erat periculum in ea commissione, cùm ratione summæ sapientiæ à Deo humanitati Christi communicatæ nó posset humanitas in iudicio illo errare, vt non iudicaret, & decerneret iuxta lege à Deo statutas: quare potuit benè Deus dare efficaciam plenam iudicio, & sententiæ, quæ à Christo vt homine proferretur, quod sufficit, vt simpliciter & absolutè dicatur habere potestatem iudiciariam supra omnes homines.

Hinc autem oritur alia difficultas, an Christus vt homo non solum habeat potestatem iudicandi in vltimo iudicio vniuersali, sed etiam in iu-

dicio

dicio particulari singulorum hominum, qui moriuntur. Suppono enim, præter iudicium illud vniuersale dari iudicium particulare, quo singuli homines, quando moriuntur, iudicantur, vt iuxta merita, vel demerita destinentur ad propriam cuiuslibet sortem: quod dogma ex scriptura, & Patribus latè probat Suarez *dict. disp.* 52. *sect.* 2. de hoc itaque iudicio particulari quæri potest, an pertineat etiam ad Christum vt hominem; neque enim tam certum est, quàm illud de iudicio vniuersali. Communis tamen & verissima sententia id affirmat, quam sequitur Suarez *dict. sect.* 2. §. *Tertiò ex dictis*, & colligi potest ex modo loquendi scripturæ sacræ, in qua hora mortis significatur per aduentum filij hominis, vtique ad iudicandum. *Vigilate, quia nescitis qua hora filius hominis veniet.* Matth. 13. & 24. & iterum Ioann. 14. *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam & recipiam vos ad me ipsum.* & 1. ad Timoth. 6. *vt serues mandatum sine macula irreprehensibile vsque in aduentum Domini mei Iesu Christi.* & ratio videtur eadem, cùm maius quid appareat esse iudicem vniuersalem etiam eorum, qui antea præcesserant, quàm particularem eorum, qui quotidie moriuntur, quod confirmant etiam reuelationes plures de iudicio particulari aliquarum animarum, in quibus semper Christus visus est iudicis munus exercere: quarum aliquæ videri possunt apud Cæsarium *lib.* 12. *miraculorum c.* 22. & apud auctores illos, qui narrant iudicium à Christo factum contra Vdonem Archiepiscopum Magdeburgensem, & passim eiusmodi inueniuntur in Ecclesiasticis historiis: ac denique hoc ipsum confirmari poterit à fortiori ex iudiciaria potestate, quam etiam ante mortem Christus exercet, vt nunc dicam.

99 *An non solum in morte, sed etiam in discursu vitæ Christus exerceat iudiciariam potestatem.*

Dubitari etiam solet, ac non solum in morte, sed etiam in discursu vitæ Christus exerceat iudiciariam potestatem: nam in hac etiam vita plura exercentur iudicia circa hominis v.g. quando homini iusto propter bona opera datur augmentum gratiæ, & quando homini propter peccatum aufertur gratia, & quando propter bonum vsum gloriæ dantur maiora, & vberiora auxilia, vel è contra propter malum vsum auxilia vberiora, quæ data fuissent & quando in præmium bonorum operum dantur bona temporalia, vel è contra quando propter peccata punitur homo in bonis temporalibus: imò, & dispositio ipsa cursus rerum humanarum dicitur communiter prouenire ex occulto iudicio Dei, circa quæ omnia est satis verisimile, Christum etiam vt hominem exercere potestatem suam iudiciariam, vel gubernatiuam, quod videtur sentire S. Thom. 3. *part. dicta quæst.* 9. *art.* 4. & sequitur Suarez *ibi dict.* 5. *sect.* 2. §. *Tertiò omisso*, & videtur colligi ex loquutionibus vniuersalibus eiusdem Christi. Matth. vltimò *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* & Ioann. 5. *omne iudicium dedit filio:* cuius rationem adiunxit, *vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: quia nimirum multum cõfert ad Christi honorem quod sciant homines ab ipso pendere totius nostræ vitæ gubernationem, fælicitatem, & infelicitatem. Denique ratio esse videtur, quia cùm iudidiaria potestas Christo competat, quatenus est Rex, & Dominus cum potestatis plenitudine, non videtur coarctanda solum ad iudicium vniuersale de meritis totius causæ: nam Rex, qui ratione suæ supremæ dignitatis potest de maioribus, & vniuersalibus causis cognoscere, posset etiam, quando vellet cognoscere de particularibus causis, licèt eas communiter soleat ad inferiores iudices remittere, eo quod non possit ipse per se ad omnia particularia attendere. Si tamen posset, maior perfectio, & excellentia esset, si omnia, & singula ab eius prudentia, & iudicio penderent. Quod multò magis locum habet in casu nostro, cùm indicia hæc particularia ita præparent materiam iudicij vniuersalis, vel iudicij etiam particularis cuiusque hominis post eius vitam, vt ferè nihil remaneat quod arbitrio iudicis decernatur, sed debeat sententia vltima proferri iuxta ea, quæ per hæc particularia iudicia disposita fuerunt: quare multò plus facit ad dignitatem, & potestatem Christi, quod hæc etiam iudicia particularia ad ipsum spectent, & auxiliorum distributio, vel subtractio, à quibus tota materia dependet posterioris iudicij.

100 *An Christus vt homo visus fuerit hac potestate iudiciaria, statim ab initio suæ conceptionis, an solum à tempore mortis?*

Sed hinc oritur statim dubium, an Christus vt homo visus fuerit hac potestate iudiciaria statim ab initio suæ conceptionis, an solum à tempore mortis, qua pretium redemptionis complete persoluerat. P. Suarez *dict. disp.* 52. *sect.* 1. *versus finem* dicit, potestatem iudiciariam secundum se, & in actu primo habuisse Christi humanitatem ab initio conceptionis: quia hæc potestas erat ei debita ratione vnionis, neque erat necessaria ad nostram redemptionem carentia potestatis pro eo tempore: sicut ergo ab initio habuit dignitatem capitis, & alia eiusmodi; ita dicendum est de potestate iudiciaria. Postea verò *sect.* 2. *in fine* addit vsum huius potestatis non fuisse in Christi humanitate ante mortem suam quia pro toto eo tempore potiùs voluit iudicari, quàm iudicare, iuxta illud Ioan. 12. *Non veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum*: & Paulo ante dixerat: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum* & c. 3. *non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Tunc ergo cœpit vti hac potestate, quando cœpit esse in statu regnantis, & dominantis, & desiit esse in statu passibili, & humili, & ideo tunc dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

101 Ego huic doctrinæ consentio, quatenus negat, Christum vsum fuisse hac potestate ante suam passionem & mortem. Quod rursus probare possumus ex statu, quem Christus tunc habebat, in quo negotiabatur quidem salutem nostram, non tamen disponendo de illa quasi auctoritate propria, sed intercedendo, orando, & petẽdo à Patre vt daret nobis auxilia, remitteret peccata, pœnas, &c. Ideo enim in Cruce dixit. *Pater dimitte illis quia nesciunt quod faciunt*: si verò auctoritate iudiciaria, & gubernatiua vteretur, ipsemet dedisset illis auxilia efficacia, vt dolerent de peccato, & iustificarentur, non ergo distribuebat, & gubernabat, sed negotiabatur, & operabatur salutem nostram; quod verò attinet ad potestatem ipsam, non mihi omnino placet, quod ea simpliciter, & absolutè concedatur in Christi humanitate ab initio suæ conceptionis. Et in primis exemplum de dignitate capitis non est ad rem: quia Christus ab eo initio habuit non solum in actu primo sed etiam in actu secundo munus & officium capitis, si quidem ab initio influebat per sua merita in membra vt propter illa merita darentur eis gratiæ, & auxilia, quod pertinet ad influxum capitis: potestas autem iudiciaria

diciaria non habebat vsum pro eo tempore.

102 Deindè, & à priori hoc ostenditur: quia vel Christus habebat iam tunc potestatem illam expeditam, vel solùm impeditam quoad vsum. Si dicatur hoc secundum, non est in rigore habere potestatem iudiciariam: quia cùm potestas hæc tota non potuerit esse suprema, & independens, debuisset esse commissa, & demandata illi à diuinitate, & quasi delegata. Si autem habebat prohibitionem vtendi potestate illa in hac vita, perinde est, ac non habere pro eo tempore talem potestatem, cùm solùm haberet titulum, vt post mortem exerceret talem potestatem: nam potestas simpliciter inuoluit auctoritatem, & efficaciam, vt eius sententię omnino mandarenture xequutioni, quam efficaciam Christus, vt homo non habebat pro eo tempore, si prohibitus erat pro tunc exercere talem potestatem, & per consequens Deus non dederat efficaciam eiusmodi sententiis. Si autem dicatur primum, quod Christus habebat talem potestatem non impeditam quoad vsum, sed omnino expeditam; in primis hoc videtur esse contra id, quod Suarez supponit, nempe Deum ipsum noluisse, quod ante mortem Christus eam potestatem exerceret, *non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum:* non ergo data fuerat potestas expedita pro eo tempore, sed cum prohibitione in ordine ad vsum. Deinde non facilè apparet, cur eo casu Christus se excusasset ab exercendo illo munere: si enim Deus absolutè ei commisisset cognitionem earum causarum, & iudicium, ac sententiæ prolationem, hoc fuisset ei imponere illud munus, & vt attenderet ad gubernationem, & distributionem gratiarum, & rerum omnium, ad quas officium, & cura illa se poterat extendere, Sicut ergo Christus impositò sibi munere gubernandi visibiliter Ecclesiam, instituendi Sacramenta, ferendi leges, designandi ministros, &c. non debuit se ab vsu excusare, sed fideliter implere omnia, quæ ad munus illud spectabant, sic impositò illo alio munere, debebat eius exercitio fideliter attendere. Nam re ipsa committere Christo iudicia nihil aliud erat, quàm deferre ad ipsum eiusmodi causas omnes, & exquirere eius sententias, vt omnino exequutioni mandarentur: quo posito, non apparet, quomodo Christus requisitus potuerit non dicere sententiam, quæ semel prolata iam ex præcedenti decreto, & delegatione diuina, auctoritatem, & efficaciam omnimodam habebat.

103 Consequentiùs ergo videtur dicendum, sicut humanitati Christi, pro eo tempore non fuit data gloria corporis, nec exaltatio nominis, & alia eiusmodi, sic nec datam fuisse pro eo tempore eam potestatem iudiciariam absoluram, & plenam, quia hæc etiam pertinebat ad statum gloriosum, in quo regnum suum, & imperium plenum spirituale accepturus erat; quam ob causam verissimè post resurrectionem dixit, *data est mihi omnis potestas in cœlo, & interra:* non dixit, datus est mihi vsus potestatis meæ, sed data est mihi *potestas*, ipsa plena, & absoluta: oportebat enim pati Christum, & sic intrare in gloriam suam. Habebat quidem iam ab initio titulum intrinsecum ad eam potestatem accipiendam, nempe vnionem hypostaticam ad diuinam verbi personam, ratione cuius dici posset, præcedere iam tunc in Christo potestatem illam, quasi in radice, & in semine: hoc tamen non erat in rigore habere iam potestatem iudiciariam, imò cùm de ipsa gloria corporis, & aliis eiusmodi dixerimus *disp.27. de Incarnatione, sect.2.n.12.* licèt deberetur Christo ratione vnionis, & visionis beatificæ, de facto tamen datam fuisse præcisè propter merita, nec attendisse Deum ad illum alium titulum, vt testatur Cyrillus, & alij, quos ibi adduximus: idem dicendum videtur de hac potestate iudiciaria, quæ ad gloriam maximam Christi spectabat, & voluit Deus, quod daretur ei in præmium passionis, & meritorum præcedentium. Itaque quia Christus in hac vita humiliauit se, & iudicari voluit ab hominibus iniquis, vt Deo obediret, Deus exaltauit illum ad iudiciariam dignitatem, & regimen absolutum omnium creaturarum. Et qui antea in hac vita præcibus solùm, & meritis salutem humani generis apud Patrem tractabat, factus est rector, & arbiter vniuersalis in posterum, data ei plenissima potestate de omnibus iudicandi, & decernendi.

Solùm posset nobis obiici, quod *disp.30. de Incarnatione, sect.2.n.23.* concesserimus, Christum ab initio suæ conceptionis habuisse etiam vt hominem regnum super omnes creaturas intellectuales, & dominium saltem altum omnium rerum visibilium, licèt non habuerit ab initio vsum regni, nec dominij, nisi circa res aliquas peculiares, quare idem videtur dicendum esse consequenter de potestate iudiciaria, cùm nulla appareat sufficiens differẽtia. Respondeo tamen, magnam esse differentiam inter vtramque potestatem: nam potestas Regia, & dominium altum illarum rerum creatarum non poterat sine indecentia vllo tempore Christo vt homini deesse nam sine illis non potuisset iure suo Christus Angelis, vel aliis hominibus præcipere, quæ illi præcipienti potuissent ipsi obedientiam negare: nec potuisset de re aliqua temporali disponere, nisi eam à proprio Domino petendo, & quasi mendicando, imò potuisset priuatus resistere, ne à Christo res sua vsurparetur, quæ omnia maximè dedecent Christi dignitatem, & excellentiam. At verò defectus huius potestatis iudiciariæ, & gubernariuæ, de qua loquimur, non reddit Christum subditum aliis, sed soli Deo, à quo necesse haberet petere, quæ ipse per se exequi non posset, & quæ dependent à solo Deo cuius potestas communicatur ei data hac potestate, vt sicut ad Deum spectat decernere præmia, & supplicia singulorum, & disponere media ad vtrumque necessaria, ita Christus vt homo, potestate sibi à Deo tradita, hæc omnia decernere possit, & disponere. Expediebat itaque vt in eo mortalitatis statu, in quo Christus humilitatem suam, & obedientiam erga Deum probaturus erat, tantam potestatem non acciperet, sed subditi partes erga Deum perfectè expleret petendo à Deo, & non disponendo in iis, quæ ad Dei gubernationem spectabant, quasi iam ab initio in sede, & throno maiestatis ad ipsam Dei dexteram sederet.

104

Dubitari vlteriùs solet, an Christus in iudicio vniuersali iudicaturus sit non solùm homines, sed etiam Angelos. Prima sententia negat quoad præmium, & pœnam essentialem, licèt id concedat quantum ad eorum ministeria, & accidentalia præmia, vel supplicia, quæ inde resultant. Ita S. Thomas 3. *part. quæst.59. art.6.* & *in 4. dist.47. qu.1. art.3.* quem Thomistæ communiter sequuntur: quia Angelorum iudicium vniuer-

105

beatitudinem eleuati sunt, & mali damnati ad pœnam æternam.

Est tamen satis probabilis aliorum sententia id concedens etiam in ordine ad præmium, & pœnam essentialem: quam docent S. Bonaventura *in 4. disp. 47. art. 1. q. 4.* Richard. *art. 1. q. 6.* & Suar. 2. *tom. in 3. p. disp. 57. sect. 8.* & colligi videtur satis probabiliter ex aliquibus scripturæ locis ex 2. Petr. c. 2. vbi dicitur: *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Hoc est, in iudicij diem reseruatos esse, vt exponit Augustinus *lib. 11. de Ciuit. c. 33. & lib. 21. c. 23.* & lib. de natura boni contra Manich. c. 33. Rursus ex Pauli verbis 1. ad Cor. 6. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* quæ verba de iudicio vniuersali vltimo intelligunt Patres, Chrysost. Theodoret, Ambrosius, Anselm. quos affert Suar. *dicta sect. 8.* Si ergo ab Apostolis iudicandi sunt Angeli, multo magis ab ipso Christo. Addere possumus verba illa generalia à Christo prolata. Ioan. 5. *omne iudicium dedit Filio*, in quibus nullius iudiciū excipitur. Denique in hunc sensum loqui videntur Patres, Clemens Rom. *lib. 7. constit. c. 33.* Lactantius *lib. 7. c. 26.* & alij. Ratio vero congruentiæ esse potest, quia Christus constitutus est Princeps non minùs Angelorum, quàm hominum, quare congruum erat, vt vtrique ab eo, quantum fieri possit, dependerent. Et quidem, si, vt multi volunt, Angeli etiam habuerunt totam suam gratiam ex Christi meritis, non est, cur ab eiusdem Christi iudicio excludantur, sicut non excluduntur antiqui Patres, qui ex meritis Christi præuisis gratiam acceperunt, licèt ante eius aduentum mortui fuerint, & à solo Deo iudicati. Quamuis autem Angeli non habuerint gratiam primam ex Christi meritis, habuerunt tamen ex iis auxilia aliqua, & gratiæ augmentum, vt ostendi *disp. 27. de Incarnat. sect. 3. n. 3.* quare iam dependent à Christo saltem quoad partem suæ sanctitatis, quam ex eius meritis potuerunt habere. Cùm ergo possint habere etiam gloriam dependenter à Christo, & eius sententia, & hoc multum referat ad Principis supremi dignitatem, vt subditi, omnia sua ab eo recognoscant, non est, cur hæc dignitas Christo negetur. Nec enim aliter satis intelligitur, quomodo post diem iudicij omnia erunt Christo perfectè subiecta, vt dixit Paulus 1. *ad Cor. 15.* nisi in Cœlo, in inferno, & vbique omnia ex Christi imperio, & decreto fiant: hoc enim est omnia subiecta habere, nimirum omnia suo nutu, & imperio moderari. Torquebuntur ergo in inferno non solum homines, sed & dæmones ex imperio Christi vbique regnantis, & imperantis, sicut etiam in Cœlo homines, & Angeli ex eiusdem Christi lege, & decreto beatitudine sua potientur.

106 Quod autem id non repugnet, licet Angeli ante aduentum Christi iudicati fuerint, & sententia in vtrisque Angelis bonis & malis fuerit exequutioni mandata (quod videtur esse præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ) explicare, & probare possumus ad hominem: omnes enim fateri debemus, in hoc non esse vllam repugnantiam. Nam animæ etiam sanctorum Patrum, qui Christum præcesserant, acceperant iam à Deo mortis tempore sententiam, & iudicium de tota vita præterita, & de præmio futuro, & animæ iniquorum acceperunt non solùm sententiam, sed & pœnam ipsam essentialem: & tamen iterum à Christo sententiam accipient, ex vi cuius idem præmium, aut supplicium in eis continuabitur: non ergo repugnat, Angelos iam iudicatos fuisse sententia, & iudicio definitiuo, & tamen iterum à Christo in iudicio vniuersali super eisdem meritis, & demeritis iudicari. Quomodo autem id fieri possit; difficile videri potest, cùm sententia iam semel à Deo absolutè prolata reuocari non possit postea à Christo, atque adeo ipsi non tam videatur committi noua discussio causæ, quàm promulgatio prioris sententiæ irreuocabilis à Deo latæ, quam ipse in totum, aut ex parte variare non potest. Id tamen totū facilè explicari potest ex iis, 107
quæ latiùs diximus *disp. 13. de Pœnit sect. 3. n. 73.* vbi declarauimus, quomodo non repugnet, eum, qui iam semel se ad aliquid obligauit iterum se ad idem obligare, & eum, qui semel aliquod debitū remisit, iterum illud idē remittere, & ideo Sacerdotē secundò absoluentē à peccatis iam dimissis, verè absoluere, & formam in omni rigore veram esse, quia ponit nouum titulum, seu cessionem nouam iuris, quod ex peccato præterito ortum Deo fuerat ad auersionem, vel punitionem, &c. Sic etiam, qui semel alicui aliquid adiudicauit, potest iterum adiudicare, & dare secundum titulum ad idem, sicut qui denuo se voto obligat ad idem, quod antea vouerat, ponit nouum obligationis titulum, & rem promissam duplici titulo debet duplicis promissionis. Ex his autem exemplis declarari optimè potest efficacia, & veritas sententiæ vniuersalis à Christo in iudicio extremo proferēdæ post sententias particulares ab eodem Christo, vel à Deo solo antea irreuocabiliter prolatas. Nam confessarius, quando secundò audit pœnitentem de peccatis iam in aliis confessionibus dimissis, verè est iudex, & profert veram sententiam, & iudicat, ac absoluit, licèt per aliam priorem sententiam iam fuerit pœnitens iudicatus, & peccata eadem irreuocabiliter dimissa. Quamuis ergo Christus in iudicio extremo inueniat merita illa, & demerita fuisse antea in suo vel Dei solius iudicio discussa, & sententiam fuisse irreuocabiliter latam; poterit tamen denuò ex Dei commissione eandem causam discutere, & iterum sententiam efficaciter proferre quæ sententia non erit inanis, & inefficax, sed efficax, & vera, dat enim nouum titulum efficacem ad eundem effectum, ita vt etiamsi prior sententia lata non fuisset, ex vi huius posterioris exequutio consequeretur; & de facto in posterum effectus tam quoad præmium, quam quoad supplicium, mandabitur exequutioni ex vi vtriusque sententiæ, & beatitudo continuabitur in sanctis, & supplicium in damnatis dependenter etiam ab hac vltima Christi sententia. Neque enim in his causis moralibus repugnant duæ causæ secundùm se singulæ totales, & sufficientes ad eundem effectum. Sicut etiam damnatus cum decem peccatis mortalibus ita patitur pœnam damni, & carentiam visionis Dei, vt propter singula peccata totam eam carentiam patiatur, cùm singula ad eam inferendam sufficiant. Sic ergo beatus habebit gloriam ex vi sententiæ irreuocabilis à Deo in sua morte prolatæ, & ex vi etiam alterius sententiæ irreuocabilis à Christo in extremo iudicio prolatæ. Poterunt ergo Angeli sancti à Christo efficaciter iudicari, & habere deinceps beatitudinem suam ex vi etiam sententiæ à Christo proferendæ, & dæmones ex vi etiam eiusdem sententiæ pati deinceps damnationis pœnam essentialem.

Quo pacto deinceps omnia perfectè subiecta erunt Christo, & ab eius imperio, atque vltima sententia dependebunt, ex vi cuius omnes meritorum, & demeritorum stipendia accipient, & à Christo supremo Principe in omnibus verissimè dependebunt. Hæc autem omnia non ideo explicata, & examinata à nobis sunt, quia singula necessariò credenda sint à singulis in hoc articulo: cum ex iis aliqua non sint omnino certa, aliqua licèt certa sint, non tamen necessaria ab omnibus explicitè cognoscenda. Congruum tamen visum est occasione huius articuli eorum verborum sensum accuratiùs examinare.

108 *Quid significetur per verba illa, viuos, & mortuos?*

Magis fortasse necessarium videri posset scire, quid significetur per verba illa articuli, *viuos, & mortuos*, quibus profitemur, Christum venturum ad iudicandos non mortuos solum, sed etiam viuos. Sicut etiam act. 10. de Christo dicitur: *ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et ad Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum ac mortuorum dominetur.* Quorum verborum occasione non pauci dixerunt *viuorum* nomine intelligi eos, qui eo tempore adhuc in terris viui superfuerint, eósq; non morituros, sed immutandos, vel ad gloriosum beatorum resurgentium statum, vel ad statum damnatorum. Quam sententiam licèt aliqui hæreticam, alij saltem temerariam iudicent propter regulam scripturæ generalem ab Hebr. 9. *statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Et ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransiit.* Et psal. 88. *quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* sed tamen P. Suarez 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 50. *sect.* 2. *in fine* eam sententiam ab eiusmodi censura liberat. Communis tamen Theologorum consensus est, omnes homines ante iudicium vniuersale morturos, & ideo verba illa, *viuos, & mortuos*, alij explicant, id est *bonos, & malos*; vt Augustinus *de fide, & symbolo c.* 8. & *in Enchirid. cap.* 51. & Chrysost. *hom.* 1. *de symbolo.* Alij explicant *viuos, & mortuos*, id est animas, & corpora, vt Ruffinus in expositione symboli. Alij *viuorum* nomine intelligunt eos, qui vsque ad diem iudicij viuent, licèt ij etiam ipsi tunc morituri sint, vt statim resurgant. Alij denique hanc diuisionem intelligunt cum respectu ad tempus, quo symboli fidem profitemur; testamur enim iis verbis, Christum venturum esse ad iudicandum non solum eos, qui nunc viuunt, sed etiam eos, qui nos præcesserunt, & mortui iam sunt; h enim respectu huius temporis dicuntur propriè *viui* & *mortui* ita Suarez *sect. illa* 2. proximè citata. §. *Ad primam confirmationem*, cui explicationi illud posset obiici, quod recitantes nunc symbolũ non profiteamur iudicium vniuersale exercendum à Christo in omnes homines, si quidem non loquimur de nascituris postea, sed solum de iis, qui præcesserunt, & qui nunc viuunt. Ad hoc tamen responderi posset, ibi in virtute concedi à nobis iudicium vniuersale omnium; si quidem vtimur hac fidei professione, & hoc symbolo tanquam apto ad profitendam fidem christianam, quocunque tempore recitetur in Ecclesia militanti & per consequẽs cuius verba verificari possint, & debeant de quibuscunque hominibus præteritis & præsentibus vsque ad finem mundi. Quidquid autem sit de hoc, ex hac explicationum varietate satis constat, non esse obligatos singulos fideles ad credendum, & cognoscendum in hoc articulo nisi Christum venturum iudicem vniuersalem omnium hominum; quam solam necessitatem in hoc articulo credendo agnouit Catechismus Pij V. in eius explicatione *num.* 1. his verbis: *cuius articuli ea vis est, & ratio, summo illo die Christum Dominum de vniuerso hominum genere iudicaturum esse.* Quo etiam pacto hunc articulum declarauit Card. Bellarminus in Catechismo doctrinæ christianæ iussu Clement. VIII. facto ad instruendos pueros, vbi de viuis, & mortuis nihil dicit, sed de sola hominũ vniuersitate.

Sequitur iam articulus Symboli octauus illis verbis: *Credo in Spiritum sanctum.* de quo nihil speciale dicendum hic ocurrit, suppositis, quæ *disp. præcedenti* dicta sunt de necessitate credendi explicitè mysterium Trinitatis; nam eo mysterio credito, iam creduntur esse tres personæ & vnus Deus, quarùm tertia appellatur Spiritus Sanctus, & est Deus sicut Pater, & Filius: quod autem procedat à Patre, & filio, & non à solo Patre & alia eiusmodi, non sunt sub necessitate à singulis scienda, quamquam vtiliter Parochi, Magistri, & Concionatores in iis explicandis operam suam collocabunt. 109

Sequitur articulus Symboli nouus *Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum Communionem* de quo ferè omnes Theologi conueniunt, quod sit obligatio illum explicitè credendi, quoad rem in ipso contentam. Suarez *in præsenti disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 10. Bañes *quæst.* 2. *art.* 8. §. *ex his etiam sequitur.* Vasquez 1. 2. *disput.* 121. *cap.* 2. Azor 1. *tom. lib.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 6. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 5. & alij omnes recentiores. Addit autem Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 3. *num.* 8. cum Vasquez, quem affert, à nullo Catholico ignorari rem contentam in hoc articulo: omnes enim sciunt dari multitudinem fidelium congregatam sub vno capite Pontifice Romano, extra quam nemo saluari potest. Sed cur in Symbolo specialis mentio facta est huius veritatis, quam nullus fidelis absq; noua instructione ignorat? ego puto, hunc articulum potissimè appositum esse ad explicandam vnitatem Ecclesiæ prout etiam indicauit Coninch *in præsenti disp.* 14. *dub.* 10. *n.* 189. dicens, credendum esse, vnicam esse fidelium congregationem; & ideo fortasse in Symbolo Nicæno explicata magis fuit hæc vnitas in illis verbis: *& vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Apostoli itaque, quia in diuersas prouincias dispergendi erant, & varias Ecclesias fundaturi voluerunt prius vnitatem, & vniuersalitatem Ecclesiæ in Symbolo stabilire; quæ duo in Ecclesia Christiana reperiuntur, cùm antea non ita perfectè in antiquis fidelibus reperirentur. Nam Iudæorum Synagoga vna quidem erat, & sub vno Pontifice summo, sed non erat vniuersalis, cùm solos Iudæos comprehenderet; cæteri autem ex gentibus fideles extra eam synagogam salutem consequi poterant, prout consecutus est Iob, & alij: Ecclesia autem Christiana appellatur, *& est Catholica*, hoc est, vniuersalis, comprehendens omnes vbique fideles cuiuslibet gentis, & nationis, itaut extra hanc Ecclesiam Christianam salus esse non possit. Rursus fideles, si qui erant extra Iudæos, cùm sub Iudæorum synagoga non continerentur, non faciebant vnum corpus, sicut nunc facit Ecclesia Christiana, nec sub vno capite visibili erant, quia in lege naturæ nec erant

Sacra

Sacramenta instituta præter remedium illius status contra peccatum originale, nec sacerdotes habebant iurisdictionem spiritualem ad ferendas leges, vel imponenda præcepta, & ideo tanta vnitas inter illos fideles non requirebatur, vt notauit Suarez *lib.3.ad Regem Angliæ cap.9.n.4. & 5.* Et ideo Apostoli Ecclesiam generantes, quæ ex omnium gentium nationibus conflanda erat, meritò omnibus fidelibus hanc Ecclesiæ vnitatem intelligendam, & credendam proposuerunt, ne fortè ex illius vniuersalitate, qua synagogam superabat, deciperentur, negando vnitatem, & concipiendo plures Ecclesias tanquam arenam sine calce, non vnitas inter se ad componendam vnicam Ecclesiam sub vnico capite visibili. Qui articulus maximè erat cognitu necessarius, cùm necesse sit verum caput, & subordinationē agnoscere, ad debitam obedientiam seruandam, & tollenda schismata; & hoc est, quod potissimum in hoc articulo commendatur, vniuersalitas scilicet Ecclesiæ, quæ ideo Catholica appellatur, & vnitas, quæ significatur, dum non multæ, sed vna Ecclesia creditur, cuius vnitatem omnes sufficienter credunt, dum profitentur debitam obedientiam vni capiti visibili, qui est Romanus Pontifex Vicarius capitis præcipui, & inuisibilis, qui est Christus Dominus.

111 *Cur Apostoli addiderint Sanctam.*

Cur autem addiderint, *sanctam*: aliqui dicunt, id fieri, tum quia in Ecclesia sunt Sacramēta, quibus sanctitas confertur, tū quia licèt nō omnes, aliqui tamen ex Ecclesiæ filiis sancti sunt. Ita Bañes *d.q.2.art.8.§.ex hoc etiam sequitur*, & Bellar. *in d.catechis.doctr. christianæ*, qui addit aliam rationem, nēpe quia Christus Ecclesiæ caput sāctus est. Alij tamen rationem illam, quod in Ecclesia sint aliqui sancti, omittunt, & solùm recurrunt ad Sacramenta sanctificantia, quæ sunt in Ecclesia. Ita Coninch, Granado, & Castro Palao locis suprà citatis, qui nihil dicunt de credendis sanctis actu existentibus intra Ecclesiam, & Sanchez *dicto cap.3.n.8.* reiiciens illam explicationem suprà ex Bañes adductam. Clariùs tamen, & fusiùs hoc explicatur in Catechismo Pij V. *part.1. cap.10. §.15.* Vbi huius appellationis causa illa non affertur, sed aliæ, quia nimirum omnes fideles sancti appellantur. 2.Pet.cap.9. *Vos autem genus electum, gens sancta*: quoniam Ecclesia Deo consecrata est, & dedicata, sicut etiam lapides, vestes, & alia Deo dicata dicuntur sancta. Sicut etiam artifex aliquis appellatur, faber, vel aurifex, qui artem profitetur, licèt artis præcepta non seruet: & ideò Paulus *1.ad Cor.cap.1. & Epist.2. cap.2.* Corinthios Christianos sanctos omnes appellat, & sanctificatos, in quibus aliqui erant, fœdi peccatores. Deinde propter coniunctionem cum capite sancto, qui est Christus. Vnde S. Augustinus in Psal.85. explicans verba illa: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*: sic ait: *si christiani omnes, & fideles, in Christo baptizati ipsum induerunt, &c. membra facti sunt corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt.* Denique additur alia ratio, quod *sola Ecclesia legitimum sacrificij cultum habet, & salutarem Sacramentorum vsum, per quæ tanquam efficacia diuinæ gratiæ instrumenta Deus veram sanctitatem efficit: ita vt quicunque verè sancti sunt, extra hanc ecclesiam esse non possint. Patet igitur ecclesiam esse sanctam, ac sanctam quidem, quoniam corpus est Christi, à quo sanctificatur, cuiusque sanguine abluitur.* Hæc ibi: ex quibus constat, etiamsi nulli existerent sancti in ecclesia militanti, adhuc illam sanctam dici iure posse. Sicut Religiosos ordines appellamus sanctos, præscindendo ab eo, quod eorum alumni sanctè viuant, imo solemus dicere institutū ipsum, & ordinem sanctum esse, sed malè à professoribus obseruari & peculiares etiam ecclesias solemus sanctas nominare, vt sanctam Ecclesiam Toletanam, sanctam Ecclesiam Bononiensem, licèt capitulares sancti non sint. Sicut ergo medicina dicitur sana, quia virtutē habet reddendi hominē sanū, si ea debito modo vtatur: ita ecclesia posset dici sancta, quia leges habet, & Sacramenta, aliaq; media efficacia ad sanctificationē fidelium, si eiusmodi mediis debito modo vtantur. Quia tamen huius appellationis variæ rationes adducūtur, vt vidimus, & res ipsa à nullo fideli ignoratur, sed omnes sciunt, ecclesiā aliquo ex iis modis sanctā esse, nec posse extra illam sanctitatem haberi, hoc sufficit, vt singuli fideles suo debito satisfaciant absque maiori alia huius vocis penetratione.

112 *Verba illa Sanctorum Cōmunionem, explicantur.*

Quod verò in eodem articulo additur *de sanctorum communione*, difficilius est, cū variis modis à doctoribus explicetur: quare aliqui negant obligationem grauem hoc explicitè credendi: ita Sanchez *d.c.3. n.7.* Suarez *in præsenti disp.13. sect.4. n.10.* & Coninch *d.dub.10.n.189.* Alij agnoscunt obligationem: nam Turtianus *in præsenti disp.28. dub.1.col.2.* dicit esse obligationem credendi Sanctorum communionem, per quam intelligitur communio sacramentorum, & communio etiam bonorum operum inter fideles iustos, ratione cuius opera bona vnius aliis prosunt: quo etiam pacto verba hæc explicantur in Catechismo Pij V. *n.24.* & sequentibus: in Catechismo tamen doctrinæ Christianæ Cardinalis Bellarmini solum declaratur de participatione orationum, & bonorum operum, quæ in ecclesia fiunt. Alij è contra solùm dicunt, necesse esse credere participationē, & communionem fidelium in eisdem Sacramentis. Ita Granado *in præsenti tract.10. disp.3. sect.2. n.9.* Alij dicunt esse obligationem credendi in communi, dari aliquam communicationem spiritualium bonorum inter fideles, & hoc sufficere, licet ignoretur, qualis sit. Ita Castro Palao *d.p.10. n.5.* Quod mihi etiam placet, quia hæc verba non continent nouum articulum, sed explicant eundē de vnitate Ecclesiæ, ex qua vnitate consequitur, vt membra sese inuicem iuuent, sicut iuuant sese inuicē membra eiusdē corporis naturalis, vt notatur etiā in Catech. Pij V. §.24. Nullus autem est fidelis, qui non sciat, quantum satis est, hanc cōmunicationem saltem quantū ad rem ipsam, cùm omnes petant aliorum auxilium in orationibus. Solum posset dubitari, an sit etiam obligatio sciendi distinctè, hanc communicationem esse etiā cum animabus, quæ sunt in Purgatorio, eásque posse nostris suffragiis iuuari: quod necessarium videtur, vt ad eas iuuandas excitemur. Non tamen video à doctoribus, imponi hanc obligationē grauem in singulis fidelibus, licèt Prælati, & magistri distinctè debeant hoc scire, & expressè profiteri, quando fidei professionem emittunt.

113 *An necessaria sit fides explicita de remissione peccatorum.*

Sequitur articulus decimus, quo credimus *remissionem peccatorum*, de quo omnes fatentur esse necessariam fidem explicitam, & constat ex dictis *disp. præcedenti*, in qua vidimus, semper fuisse necessariam notitiam remissionis peccatorum, & mediorum ad eam obtinendam, sicut est obligatio eam procurandi: in lege verò gratiæ est obli

obligatio peculiaris sciendi efficaciam baptismi, & sacramenti Pœnitentiæ, atque adeo quod in Ecclesia sit potestas remittendi peccata, per hæc Sacramenta.

114 *An fides explicita de resurrectione carnis sit necessaria.*

Articulus vndecimus continet *carnis resurrectionem :* quem articulum nescio, qua de causa omiserit P.Suarez *dicta sect.4. numer.6. in fine,* enumeratis aliis necessariò credendis : in eius enim necessitate conueniunt Doctores, Bañes *vbi suprà §. Iam verò*, Turrianus *dicto dub.1. col.vlt.* Castro Palao *vbi supra num.5.* Sanchez *dicto. cap.3. num.7.* Granado *vbi supra num.8.* Hurtado *dicta disp.44. §.10.* & eiusmodi necessitas non parum exaggeratur in Catechismo Pij V.*c.12.§.1.* vbi §.2. notatur, ideo potiùs dictum esse, *carnis*, quàm *mortuorum resurrectionem*, vt obiter indicaretur animæ immortalitas, quæ non resurgit, sed sola caro, quæ dissoluta fuerat ; idque factum etiam esse ob errorem Hymenæi, & Phileti, qui vt colligitur ex Paulo 2.*ad Timoth.2.* resurrectionem intelligebant non corpoream, sed spiritualem à morte peccati ad vitam innocentem. Necesse ergo est credere veram resurrectionem omnium mortuorum, & per consequens cum eisdem corporibus, quæ in hac vita habuerunt : neque enim dicitur resurgere, nisi illud idem surgat, quod ceciderat, & perierat : & hoc spectat etiam ad completam glorificationem, quam credimus, & speramus ; non tamen credimus solam resurrectionem gloriosam iustorum, sed etiam iniquorum, qui iuxta Christi verba resurgent in resurrectionem iudicij.

115 *Fides explicita vitæ æternæ omnino necessaria.*

Denique sequitur duodecimus, & vltimus symboli articulus illis verbis *vitam æternam :* quibus verbis confitemur gloriam, & beatitudinem æternam à nobis & iustis omnibus possidendam ; quam fidem explicitam necessariam omnino esse, constat à fortiori ex dictis *disp. præced.* vbi vidimus, fidem Dei remuneratoris esse necessariam necessitate medij. Addunt autem aliqui, necessariò etiam esse credendam pœnã æternam iniquorum ita Bañes *d.§.iam verò*, Hurtado *vbi sup.§.13.* & vtrumque proponit Card.Bellarm. in suo Catechismo in expositione verborum huius articuli, & meritò, cum vtrumque necessarium sit, timor pœnæ, & præmij spes, ad coërcendos impios, & excitandos pios ad studium, & prosequutionem veræ virtutis : & ideo vtraque fortasse sors æterna verbis illis continetur, vt significauit Bellarminus, & indicari videtur in Catechismo Pij V. *cap.13.num.2.* his verbis: *Admonendi igitur sunt fideles, his vocibus*, vitam æternam, *non magis perpetuitatem vitæ, cui etiam dæmones, sceleratique homines addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quæ beatorum desiderium expleat significari.* Nam licèt nomine *vitæ æternæ* aliquando sola cælestis gloria significetur ; nomen tamen ipsum generale est ad vtramque vitam, beatam, & infelicem ; cùm vtrique victuri sint in æternum : & in eo sensu connectitur optimè cũ articulo præcedenti, quo resurrectio creditur futura, non beatorum solùm, sed damnatorum etiam, & vniuersalis : quia verò non sufficiebat resurgere, nisi resurrectionis effectus futurus esset perpetuus ; meritò subiungitur, *vitam æternam* ; vt sciamus, resurrecturos vtrosque non ad tempus finitum, prout in hac vita geniti fuerunt, & aliqui etiam in hoc mundo resuscitati sunt, vt iterum morerentur, sed ad vitam immortalem, & æternam, & nunquam ampliùs morituros ; qui etiam videtur sensus verborum, quibus hic etiam articulus in Symbolo Nicæno proponitur, dum dicitur ; & *vitam venturi sæculi* : nam venturum sæculum vtrumque statum comprehendit, & beatorum, & damnatorum, prout nomen illud *sæculi venturi* vsurpatur etiam Marc.10. *vers.30.* & Luc.18. *vers.30.* in quibus locis relinquentibus sua propter Christum promittitur vita æterna in sæculo venturo, seu futuro, vbi sæculum venturum condistinguitur à beatitudine æterna, quæ in ipso promittitur ; non enim promittitur beatitudo æterna in beatitudine æterna, sed in sæculo venturo, hoc est in duratione æterna, qua victuri sunt homines omnes post vniuersalem resurrectionem. Ethęc dicta sint de iis, quæ in symbolo Apostolorum credenda singulis proponuntur : nunc dicamus de aliis, quorum fides ex aliis capitibus necessaria est.

Pœna æterna an etiam necessario credenda ?

Nomen vitæ æternæ generale est ad vtrãque vitam, beatam, & infelicem.

SECTIO V.

De aliis, quorum fides, vel notitia explicita fidelibus necessaria est.

SVnt alia, quæ credenda sunt, non solùm, vt sciantur, sed propter operationem, quia sunt obiecta operabilia. Et primò loco in hoc ordine occurrunt sacramenta, ex quibus non est controuersia quoad aliqua : nam baptismum sicut omnes recipere debent, ita credere tenentur eius efficaciam, & necessitatem, vt illum debito modo petant, & recipiant, in quo omnes doctores conueniunt : nec obstat, quod is, qui in infantia baptizatus est iam, non habet obligationem baptismi recipiendi : id enim per accidens est, &, vt notauit Suarez in præsenti dict. disp.13. sect.4. n.12. is etiam, quando est adultus, debet scire, se iam præcepto satisfecisse, quo per se loquendo obligatur, & ideo debet habere notitiam baptismi suscepti, & eius effectum, & quam professionem, & obligationem ex eo contraxerit, & quomodo ratione illius est membrum Ecclesiæ, & capax recipiendi cætera sacramenta, & sub obedientia Pontificis Romani. 116 *Baptismus à fidelibus necessario recipiendus.*

Similiter consentiunt omnes, quod sit necessaria fides, & notitia sacramenti Pœnitentiæ, cùm sit etiam præceptum Christi vniuersale recurrendi ad hoc sacramentum omnibus, qui post baptismum habent conscientiam, vel dubium de peccato mortali commisso. Hæc autem notitia habenda est ab omnibus, etiam antequam peccatum mortale post baptismum committant : tum quia regulariter loquendo, omnes necessitatem habet recurrendi ad hoc sacramentum, saltem propter dubium peccati commissi, nec possent communiter suæ obligationi satisfacere, si antecedenter notitiã huius sacramenti non haberent. Sicut nõ seruaretur cõmuniter lex de manifestandis ecclesiæ hæreticis, si subditi notitiam huius legis non haberent, antequã hæreticos aliquos inuenirent : tum etiam quia, cum Christus Vicarios suos sacerdotes constituerit, vt quoties obligatio esset recurrendi ad Deum pro venia peccati commissi, obligatio eadem esset recurrendi ad tribunal sacerdotis, oportuit, hanc obligationẽ notam esse omnibus fidelibus ; alioquin frustra hæc iudiciaria potestas sacerdotibus tributa fuisset, cùm ipsi non possint iudicium hoc ex se incipere, nisi pœnitens 117 *Notitia sacramenti Pœnitentiæ quo tempore necessaria.*

pœnitens, vt accusator ad illos recurrat. Debuit ergo subditis manifestari hæc potestas,& obligatio ad eiusmodi iudices recurrendi,vt ipsi possent potestatem acceptam exercere.

118 *An omnes teneantur scire formam Baptismi?*

Dices,hinc sequi,quod teneantur etiam omnes scire formam baptismi, vt si infans, vel aliquis alius sit in extrema necessitate, possint eis necessarium baptismi remedium adhibere quod facere non possent, si ante illum necessitatis articulum formam baptismi ignorarent. Respondeo,expedire certè, vt quantum fieri posset, omnes scirent necessarium ritum baptismi, cùm omnes pro eo articulo ministri idonei sint,vt monuit etiam Catechismus Pij V. *part.* 2. *c.* 2. de sacramento baptismi §. 12.non tamen esse æqualem obligationem,quia necessitas æqualis non est,sed rarissimè contingens, & baptismi præceptum immediatè fertur ad ipsos baptizandos, vel etiam ad eorum parentes,vel qui ipsorum curam habent, vt offerant eos ecclesiæ ministris vt baptizentur: ad reliquos autem mediatè,& per accidens ex obligatione subueniendi indigenti in casu necessitatis ex debito charitatis.At verò necessitas pœnitentiæ communis est, & frequens, regulariter loquendo,vnde pessimè audit,qui sine confessione vult decedere,& eius præceptum immediatè fertur ad ipsos pœnitentes, vel peccatores, vt veniam sui peccati omnino procurent apud Deum, & apud Iudices, quos in eo foro Deus sibi vicarios necessarios designauit.

119 *Necessaria est fides explicita Sacramenti Eucharistiæ.*

De sacramento etiam Eucharistiæ omnes fatentur necessariam esse fidem explicitam, cùm præceptum sit vniuersale omnibus fidelibus impositum eam sumendi, ad quod necesse est scire, quid in eo sacramento contineatur. Circa quod dubitari in primis potest, an sufficiat credere explicitè, corpus Christi contineri sub speciebus panis,& eius sanguinem sub speciebus vini, non concipiendo explicitè,nec etiam negando contineri totum Christum sub singulis speciebus, an verò sit obligatio credendi explicitè,totum & integrum Christum contineri sub qualibet specie. Aliqui enim solùm videntur exigere fidem Eucharistiæ. ita Granado *dicta disp.* 3. *sect.* 2. §. 10. & Hurtado *dicta disp.* 44. §. 13. Fides autem Eucharistiæ habetur, quando aliquis explicitè credit, quæ ex vi verborum sub singulis speciebus continentur. Vnde Card.Bellarmin.in dicto Cathechismo doctrinæ Christianæ pro puerorum institutione edito solùm explicat, illud non esse panem, sed verum Christi corpus, nec in calice

120 esse vinum, sed verum sanguinem Christi. Alij tamen communiter docent, necessariam esse fidem explicitam de toto Christo sub singulis speciebus contento. Ita Bañes *quæst.* 2. *dict. art.* 8. §. *de Eucharistia:* vbi postquam dixit, requiri fidem expressam Eucharistiæ, *quia nemo potest distinguere cibum illum ab aliis, nisi expresè cognoscat dignitatem illius sacramenti:* addit. *Est ergo substantia huius sacramenti credere, quod ibi Christus absconditus est, & non ibi panis.* Suarez item dicta sect. 4. num. 12. dicit, *teneri fideles omnes ad cognoscendum, & credendum Christum Dominum verè & realiter esse præsentem, quia cùm sacramentum illud adorent, necesse est vt intelligant quid adorant.* Debent ergo credere, ibi esse etiam animam, sine qua non est verè Christus præsens. Eodem modo loquitur Sanch. *dicto cap.* 3. his verbis: *Insuper mysterium Eucharistiæ tenentur omnes explicitè credere, & scire credendo esse sub specie panis & vini, verum & integrum Christum,verum Dei Filium, & verum hominem.* Item Coninch dicta disp. 14. dub. 10. num. 191. vbi dicit teneri omnes explicitè scire, *Sub Eucharistia Christum Deum & hominem, verè ac integrè contineri,& in eo adorandum esse, ac à communicantibus verè sumi, omnésque fideles adultos obligari id suo tempore suscipere, vt cibum animæ spiritualem.* Addit Valentia in præsenti disput. 1. quæ 2. punct. 5. col. 2. omnes fideles teneri explicitè credere,seu cognoscere, *quod in Eucharistia contineatur verè & substantialiter Christus Dominus, nec sit ianua in illis speciebus panis, sed Christus, qui proinde sit ibi adorandus.* Castrus Palao dicto puncto 10. num. 7. dicit,omnes teneri scire Eucharistiam, *vt scias sub illo sacramento Christum contineri, & adorari, & à fidelibus sumi, & ad illius susceptionem suo tempore obligari.* Turrianus in præsenti dicta disp. 28. dub. 1. §. *ad articulum iustificationis*, probat hanc obligationem, *quia nemo potest disponi ad talem cibum sumendum, nisi agnoscat dignitatem eius sacramenti, & credat, Christum esse verè sub speciebus panis & vini.* Ex quibus constat,hunc esse communem sensum circa hanc obligationem, cùm nemo eam expresè neget,& omnes ferè eam expresè fateantur. Ratio autem esse potest, quia cùm certum sit esse obligationem sciendi, quid contineatur sub Eucharistia, non potest ignorari contentum quoad substantiam: multum autem variatur substantia contenti ex eo, quod contineatur solus sanguis Christi,v. g. in aliquo loco, aut quod contineatur totus Christus integer, & viuus,quem præsentem venerari,& alloqui possimus: oportet ergo scire, ibi contineri totum Christum,sicut est in cælo, alioquin ignoramus contentum in eo sacramento quoad substantiam contenti.

121 Faciliùs fortè posset excusari,qui solum sciret, ibi esse Christum verum Deum, & hominem,& nesciret quid contineretur ex vi verborum, & quid per concomitantiam. Præsertim,cùm aliqui dicant quod non pertineat ad fidem in rigore loquendo,hæc distinctio continentiæ ex vi verborum & per concomitantiam,prout renent Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disp.* 51. *sect.* 3. & Ioann. Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 76. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 9. Non ergo potuit esse præceptum vniuersale pro omnibus fidelibus credendi explicitè hanc continentiæ diuersitatem. Vnde Auctores suprà relati solum dicunt esse obligationem sciendi,& credendi, Christum totum in eo sacramento realiter & verè contineri. Addunt verò Bañes & Valentia in verbis suprà adductis,esse etiam obligationem credendi,& sciendi,quod ibi nō sit panis. Quam obligationem alij non explicuerunt, nec apposuerunt: & quidem non facilè suadebitur tanta obligatio pro rudi vulgo ei,qui videt, quod non solùm hæretici, sed etiam ex Catholicis errauerint, putantes manere panis substātiam cum corpore Christi,quos refert Suar. dicto 3. tom. disp. 49. sect. 2. vbi alios grauissimos Doctores refert, qui docuerunt desitionem substantiæ panis non colligi præcisè ex veritate verborum Christi,quæ potuerunt esse in rigore vera,licèt panis substantia perseueraret cum corpore Christi,sed aliunde eandem veritatem,& dogma ab Ecclesia tradi.

122 *Eucharistiam offerri in sacrificium in missa fideles omnes scire debent.*

Faciliùs credam id, quod addit idem Suarez *in præsenti dict. disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 12. debere omnes fideles explicitè scire, quod hoc sacramē-

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

tum offeratur in sacrificium in Missa: & quidem de facto, posito præcepto ecclesiæ de audienda Missa, videtur consequenter obligari fideles ad sciendum, quid sit Missa. Nam obligare illos ad audiendam Missam, non est obligare ad actionem illam solùm materialē, & externam, sed ad actionem sacram, & per consequens ad offerendum sacrificium cum sacerdote, & medio illo, vt per obligationem sacrificij Deum colant: ad quod videtur necesse aliquo modo scire, quod in Missa offerant sacrificium. Nam sicut fideles obligatos ad recipiendum aliquod Sacramentum, diximus consequenter obligari ad notitiam illius Sacramenti: sic obligati ad offerendum sacrificium cōsequenter debebunt notitiam aliquam habere illius sacrificij. Adde, probabile satis esse, Christum instituentem hoc sacrificium vnicum in ecclesia, & abrogantem cætera omnia, obligasse fideles omnes, ad colendum Deum aliquando per oblationem huius sacrificij eo modo, quo singuli illud offerre possunt; vt fatetur idem Suarez 3. *tom. in 3. p. disp.* 88. *sect.* 1. §. *Hinc autem oritur* & *tom.* 1. *de religione tract.* 2. *lib.* 2. *de diebus festis c.* 15. *n.* 2. vbi addit saltem esse de iure quasi naturali obligationem sacrificij. Et quidquid sit de hoc, negari non potest, quod ius ipsum naturæ inclinet homines omnes, ad hunc sacrificij cultum, vnde ab aliquibus appellatur de iure gentiū, & omnes in vniuersum gentes ab initio mūdi sacrificiis vsæ fuerunt ad colendum Deum verum, vel etiam falsos, & ideo notitia vnici sacrificij in lege Christiana instituti, & liciti videtur omnibus Christianis necessaria, vt sciant, quo ritu sacrificiū offerre possint, & debeant, quando iuxta naturæ inclinationem & vsum omnium nationū volucrint hoc cultus genere verū Deum colere.

123 *An notitia aliorum quatuor sacramentorum sit omnibus fidelibus ex præcepto necessaria?*

De aliis verò quatuor sacramentis, an eorum notitia sit etiam omnibus fidelibus ex præcepto necessaria, non est eadem Doctorum sententia. Aliqui eam obligationem in vniuersum affirmant. Ita Lorca *in præsenti dicta disp.* 23. *memb.* 1. *num.* 19. & Castro Palao. *vbi supra n.* 7. Idem ex parte tenet Coninch *vbi supra n.* 192. dicens, esse obligationem saltem sub veniali. Hurtado verò *dicta disp.* 44. *sect.* 2. §. 12. dicit esse obligationem, quoad sex sacramenta, non verò quoad sacramentum matrimonij, nisi pro iis, qui volunt illud contrahere, Confirmationis autem, & extremæ vnctionis, sacramenta omnibus sunt communia, & per illa remittuntur peccata, & perseueratur in gratia. *Et quamuis ordo* inquit, *non est omnibus communis quoad receptionem, est tamen communis omnibus quoad vsum passiuum: debent enim credere, peccata à sacerdotibus remitti, & non ab aliis, per sacramentum pœnitentiæ.* Quæ certè ratio non probat intentum; possent enim fideles scire penes sacerdotes esse talem potestatem, licèt nesciant per susceptionem sacerdotij conferri gratiam, quod tamen requiritur ad sacramenta nouæ legis, Sicut sciunt Vicarium Episcopi conferre sacerdotibus auctoritatem, & potestatem (nempe iurisdictionis) ad absoluendum validè à peccatis, quamuis Vicariatus non sit sacramentum. Possunt ergo scire efficaciam sacramenti Pœnitentiæ, quantum illis sufficit, licèt nesciant, an ea potestas data sit sacerdoti per aliud sacramentum, cùm potuisset Christus eam potestatem ministris dare absque alio sacramento, sed solùm per designationem extrinsecam.

124 Communis ergo aliorum sententia est, notitiam aliorum quatuor Sacramentorum non esse cum obligatione necessariam singulis fidelibus, sed iis, qui ea suscipere volunt, quod à fortiori intelligi debet de iis etiam, qui ea administraturi sunt ita Bañes & Valentia locis supra citatis, Sanchez *d. num.* 9. Suarez *d. n.* 12. Turrianus vbi supra §. *Ad articulum*, Granado vbi supra *num.* 10. & alij communiter. Supponunt enim non esse præceptum vniuersale suscipiendi Sacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis: vnde inferunt non esse obligationem notitiæ explicitæ comparandæ de his quatuor Sacramentis, cùm notitia baptismi, eucharistiæ & pœnitentiæ requiratur ex obligatione propter eorum vsum, quare vbi non est obligatio circa vsum, cessat ratio obligationis circa notitiam. Illi autem, qui volunt aliquod ex iis Sacramentis suscipere, debent eius notitiam comparare, vt sciant, quid suscipiunt, & quomodo illud suscipere debeant.

Post notitiam Sacramentorum addi solet notitia decalogi, & eorum præceptorum, quæ ad omnes vniuersaliter spectant: in quo refertur sententia Medinæ *lib.* 4. *de recta in Deum fide cap.* 5. dicentis sufficere, si fideles sciant illa duo principia: *quod tibi non vis alteri ne facias: & quæcunque vultis, vt faciat vobis homines, & vos facite illis*; quia ex his duobus principiis facilè potest quisque colligere, quid sibi in particulari bonum, vel malum sit in ordine ad operandum. Quam sententiam impugnat Suarez *in præsenti dicta disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 11. & certè non potest habere locum, nisi ad summum in ordine ad præcepta secundæ tabulæ, quæ respiciunt proximum, in ordine ad quem duo illa principia deseruiunt. Addit Suarez, nec in ordine ad præcepta secundæ tabulæ sufficere primò quia ibi etiam prohibetur fornicatio, & similia, ad quæ illa principia non deseruiunt. Secundò, quia etiam in materia iustitiæ prohibentur desideria, quæ prohibitio in illis principiis non explicatur. Tertiò denique, quia principia illa sunt nimis vniuersalia, & difficilis est eorum applicatio ad materias particulares, nisi notitia magis particularis habeatur.

125 Alij ergo communiter docent, notiam decalogi esse necessariam singulis sub obligatione peccati. Ita Suarez ibi, Bannes vbi supra §. *sequitur præterea*. Sanchez *dicto c.* 3. *n.* 10. & alij omnes superiùs adducti. Ratio autem desumi potest ex iis, quæ diximus *supra sect.* 2. nempe quòd Deus aliquid vniuersaliter præcipit, atque hoc præceptum proponit, & reuelat, vt subditis omnibus constet, ipsam virtutem fidei per se, & directè obligare subditos, non solum ad non dissentiendum, sed etiam ad credendum positiuè præceptū, reuelatum, & ad attendendum, & audiendem illud; nam qui reuelat & loquitur ea intentione determinata, vt audiatur, & fides ei adhibeatur, exigit ab iis, ad quos loquitur, non solum fidem, sed auditum, & attentionē, vt ibi diximus, neque hæc possunt ei sine irreuerentia negari. Cum ergo Deus de facto ad depellēdas tenebras, & ignorantias, quas natura peccato corrupta humanæ menti paulatim induxerat, voluerit expressè, & distinctè naturæ legem explicare, suoque præcepto denuò cōfirmare, & nobis omnibus intimare, prout per Moysem Iudæis, & omnibus postea per Christū intimauit, fatendum erit, virtutē fidei obligare ad ea præcepta distinctè cognoscenda, & credenda, ea nimirum distinctione, & explicatione, quam Deus nobis intimare intendit. Cū hoc tamen

tamen stat, non exigi sub eadem obligatione graui memoriter, & eodem ordine scire hæc decalogi præcepta: sufficit ita scire, vt interrogatus sciat aliquis respondere, illud esse in decalogo prohibitum ita Sanchez cum aliis multis *dict. c. 3. n. 16.* & Suarez *dict. disp. 13. sect. 5. n. 8.* & ad hunc sensum posset reduci Medina in contrarium citatus, vt solum neget obligationem sciendi præcepta decalogi memoriter, & habendi in promptu eius seriem, sed sufficiat ita in promptu habere eius substantiam, vt interrogatus de singulis præceptis possit respõdere id esse vnũ ex Dei præceptis.

127 *An præceptorum Ecclesiæ.*

Vltra decalogum addunt communiter prædicti doctores obligationẽ sciendi quinque præcepta Ecclesiæ, quæ in Catechismo christianæ doctrinæ continentur, cùm ad omnes fideles pertineat eorum obseruatio. Imo Card. Bellarminus in citato Catechismo enumerat sex Ecclesiæ præcepta, sextum enim est non celebrandi nuptias temporibus, ab Ecclesia prohibitis, nempe à prima dominica aduentus vsque ad epiphaniam, & à primo die quadragesimæ vsque ad octauam Paschæ. Hoc tamen ab aliis non apponitur: magis enim pertinet eius notitia ad Sacerdotes, ne benedicant iis temporibus nuptias, nec est vniuersale pro omnibus fidelibus, sed pro iis, qui contrahunt matrimonium: nec video, cur non esset magis enumerandum præceptum non celebrãdi matrimonia sine præuiis denuntiationibus cuius exequutio magis pertinet ad ipsos contrahentes, qui possunt aliquando, inuito Parocho, in eius præsentia matrimonium validè, & illicitè contrahere non præmissis denuntiationibus, accipere autem benedictiones nunquam possunt inuito sacerdote benedicente. Eiusmodi ergo præcepta, & eorum notitia ad eos solos pertinẽt, qui matrimoniũ volunt contrahere, vel ei debent assistere.

128

Corrigendus etiam videtur, vel certè interpretandus modus loquendi aliorum, qui absolutè dicunt, teneri omnes fideles ad credenda hæc quinque præcepta ecclesiæ, vt loquitur Hurtado *dicta disp. 44. §. 13.* id tamen intelligi debet in latiori significatione, nam loquendo in rigore de actu *credendi* per fidem, non est talis obligatio, cùm Deus non reuelauerit, hæc præcepta ab ecclesia imposita esse, sed potestatem ea imponendi: quod verò de facto imposita sint, non ex fide diuina, sed aliunde sufficienter nobis constat: quare meliùs alij loquuntur dicentes, esse obligationem hæc præcepta sciendi.

129 *An operum misericordiæ?*

Addunt alij, esse etiam omnibus obligationem sciendi opera misericordiæ, quæ in Catechismo doctrinæ Christianæ numerantur quatuordecim, septem corporalia, & septem spiritualia: quod à fortiori videtur supponere Lorca *vbi supra n. 19.* dum dicit, singulos obligari ad scienda etiam concilia Euangelica. Alij tamen dicunt, sufficere, si sciat aliquis obligationem subueniendi in genere proximo necessitatem patienti. Videantur Sanchez *vbi supra n. 10.* & Palao *vbi supra n. 8.* qui alios referunt, cum quibus etiam Hurtado *vbi supra §. 13.* dicit sufficere scire legem misericordiæ de subueniendo egenti. Vnde nec videtur fundamentum habere obligatio illa sciendi concilia Euangelica, quam Lorca imponebat: præsertim cùm hæc plurima sint, quibus Euangelia plena sunt, nec appareat maior obligatio de his, quàm de aliis sciendis.

130 *An sit obligatio vniuersalis, & grauis eam sciendi?*

Dubitatur de oratione Dominica, an sit obligatio vniuersalis, & grauis eam sciendi: quod licèt non pertineat ad præsens institutum de obligatione credendi, pertinet tamen ad obligationẽ sciendi, & discendi, quæ affinis est: in quo quamuis videatur esse diuersitas sententiarum inter doctores; re tamen ipsa parum differunt. Aliqui enim absolutè dicunt, esse obligationem orationem dominicam sciendi. ita Nider, Palacios, & Paludanus apud Sanchez *d. c. 3. n. 19.* non autem explicant, an sit obligatio sub mortali: eodem modo loquitur Valentia *in præsenti disp. 1. q. 2. punct. 5. vers. Item*, qui tamen negat obligationem memoriter tenendi. Eandem sententiam profitetur Castro Palao *dict. tract. 4. disp. 1. punct. 10. n. 8.* Sed solum dicit, esse obligationem grauem illam sciendi quoad substãtiam, nec explicat quando aliquis censendus sit illam orationem scire quoad substantiam. Coninch. *d. dub. 10. conclus. 5.* dicit, esse obligationem illam sciendi quoad sensum, ita vt de singulis interrogatus scias respondere. Hurtadus *vbi supra §. 13.* dicit, teneri singulos eam orationem scire, non tamen explicat gradum obligationis.

lis & grauis sciendi orationem Dominicam?

131

Alij videntur contrarium docere, sed tamen ferè, non dissentiunt. Nam Sanchez *dicto cap. 3. num. 19.* dicit esse obligationem memoriter eam orationem addiscendi, sed solùm sub veniali, quo etiam modo loquuntur Nauarrus, Angelus Syluester, & Tabiena, quos ibi adducit, & idem docet Azor. *1. tom. lib. 8. cap. 7. quæst. 4. & 5.* Suarez item *in præsenti dicta disp. 13. sect. 4. num. 12.* dicit, probabile esse quod hæc sit obligatio sub veniali, negat tamen esse obligationem grauem, & latius *tom. 2. de religione lib. 3. de oratione cap. 6. num. 6. & sequentibus* nullam etiam sub veniali obligationem agnouisse videtur, sed tamen *n. 8.* fatetur, fideles moraliter loquendo, teneri aliquo modo illam orationem discere, saltem quantum necesse est ad conuenienter orandum, quamuis in rigore præcepti non teneantur verba, & seriem illius orationis memoria retinere. Granado autem *vbi supra num. 11.* negat absolutè obligationem, & Bañes *vbi supra §. segnitur denique*, solum dixit, debere fideles scire Deum esse orandum, & denique Medina *tract. de orat. quæst. 10.* omne præceptum etiam Ecclesiasticum, & sub veniali negat; quia satis est scire substantiam illius orationis, & quid à Deo petendum sit, quamuis nec ordo petitionum nec verba memoria teneantur.

132 *Tenẽtur fideles scire Deũ orãdum esse.*

Conueniunt itaque omnes, quod debeant fideles scire, Deum esse orandum, ab eoque petenda esse bona animæ, & corporis, atque adeo sciendam esse substantiam orationis dominicæ, hoc est, pro singulis bonis acquirendis in ea contentis, & pro singulis malis vitandis, quæ ibi etiã continentur, esse Deum orandum. Quam solam necessitatem, & obligationem asseruisse videtur Catechismus Pij V. *p. 4. c. 1. §. 2.* his verbis: *Primum igitur docendum est, quam sit oratio necessaria, cuius præceptum non solum consilij causa traditum est, sed etiam necessarij iussi vim habet: quod à Christo Domino declaratum est his verbis: oportet semper orare. Hanc orandi necessitatem ipsa etiam illo dominicæ precationis proœmio ostendit ecclesia: Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: itaque cùm esset necessaria precatio Christianis hominibus, & illud à discipulis ipse rogatus esset, Domine doce nos orare, præscripsit eis orandi formulam Dei Filius, & spem attulit impetrationis eorum, quæ postularent*

stularent &c. Vbi necessitas, & obligatio solum orandi statuitur, cui debito, vt meliùs, & securiùs discipuli satisfacerent, Christus ab eis rogatus formulam precationis docuit: quare verba, *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati*, ita videntur in Catechismo diuidi, vt præcepta sint orandi, institutio verò Christi sit de formula orationis, quæ non præcepta, sed tradita discipulis rogantibus fuit.

133 Certum etiam videtur potuisse ab Ecclesia præceptum tradi non solum recitandi hanc orationem, sed etiam eam addiscendi, & sciendi; nam quicquid sit, an Ecclesia possit præcipere actus merè internos, & licèt scire orationem dominicam videatur esse actus internus; sed tamen eam discere, & notitiam eius comparare, sunt actus externi, & habentur per actiones sensibiles, vt in simili notauit Suarez *in præs. disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 14. Vnde extant multa decreta Conciliorum prouincialium circa obligationem sciendi orationem dominicam, vt constat ex Conc. Tolet. 4. c. 9. vel 10. & Conc. Rhemensi c. 2. & ex cap. *Vos ante omnia*, de consecratione dist. 4. quod desumptum est ex Augustino, & ex Concilio Moguntino sub Carolo Magno capitulo 45. & ex Concil. Foroiulienſi sub Carolo, & Pipino, vbi post recitatum fidei symbolum, idem dicitur: quæ tamen, quia Prouincialia fuerunt, non potuerunt inducere præceptum vniuersale pro tota Ecclesia, & saltem obligationem hãc ab ipso vsu explicatam & intellectam non esse sub peccato graui, docent Auctores supra citati, imo aliqui vt vidimus, nec sub veniali eam admittunt. Alij tamen ferè eam sub veniali concedunt, & mihi etiam id placet, quia ipsamet consuetudo, & fidelium existimatio hanc obligationem inducere potuit, & in eiusmodi ignorantia turpitudinem aliquam omnes agnoscunt. Idem autem ferè dicendum videtur de salutatione Angelica, cuius sciendæ, aut recitandæ obligatio vniuersalis grauis non est, vt notat Suarez *dicto, tom.* 2. *de religione cap. illo* 6. *num.* 10. vix tamen potest à culpa aliqua leui excusari, qui cùm commode, & facilè possit, salutationem illam adeo fidelibus omnibus familiarem & vtilem scire negligeret; sicut non posset à culpa excusari, qui patrocinium, & intercessionem Beatissimæ Virginis negligeret, quod quidem, & ad quandam prodigalitatem spiritualem pertineret, dum medium ad salutem vtilissimum, & facillimum à Deo nobis præparatum sine causa negligeretur, & simul in aliqualem irreuerentiam erga ipsam Dei genitricem redundaret: nam sicut ad religionem, & cultum Dei spectat obligatio Deum orandi, vt bonorum nostrorum auctorem, & largitorem, & ideo minùs Deum coleret, quàm debeat, qui Deum non oraret: ita cultus erga Dei matrem debitus exigit, vt eam aliquando oremus, quam Deus mediatricem vniuersalem apud filium constituit, & cuius intercessione media, nobis gratias, & bona omnia concedit, quare non potest sine irreuerentia aliqua omitti eius inuocatio. Sic ergo cum proportione aliqua videtur non posse sine culpa aliqua negligi formula illa eam inuocandi, quam magna ex parte ex scripturæ verbis desumptam Ecclesia vniuersalis ab initio vsurpauit, & fidelibus proposuit, eiúsque vsum adeo commendauit, & quam ipsa B. Virgo gratissimam sibi esse significauit, sub eaque forma preces sibi oblatas libentissimè acceptat, esset enim singularitas vitiosa, & præsumptuosa formulam illam orandi omnino relinquere contra omnium fidelium vsum, & meritò ab omnibus reprehenderetur, quæ omnia ostendunt non esse negligentiam illam totius culpæ etiam venialis expertem. Facilius posset à culpa excusari ignorantia illius alterius orationis, quæ incipit *Salue Regina*, quæ est vna ex antiphonis, quibus Ecclesia vtitur & licèt solemnior sit, & magis in vsu; non est tamen ita antiqua vel vniuersalis, & ideo in ipso officio Ecclesiastico media ferè anni parte omittitur, oppositis eius loco aliis pro temporum varietate diuersis.

134 *An fideles teneantur sub culpa, scire salutationem Angelicam?*

De aliis verò, quæ inter rudimenta Christianæ doctrinæ pro pueris instituendis opponi solent, non inuenio fundamentum sufficiens ad obligandos fideles omnes, vt ea discere, & scire debeant. Eiusmodi sunt Octo Beatitudines; duodecim fructus Spiritus sancti, & septem eiusdem dona, tres animæ inimici, Animæ item potentiæ, & confessio generalis, cuius in Missa, & in officio diuino vsus est, & alia eiusmodi, quæ quidem vtiliter pueris addiscenda traduntur non tamen ideo censenda sunt esse sub obligatione, vt discantur. Quod idem dicendum videtur de septem virtutibus, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus; atque etiam de septem vitiis capitalibus, quæ vulgo septem peccata mortalia dici consueuerunt; quæ licèt in Catechismo etiam Cardinalis Bellarmini pueris tradi soleant, non probatur inde obligatio, cùm tradantur ibidem etiam sex peccata contra Spiritum sanctum, & quatuor alia quæ exigunt vindictam à Deo, quorum aliqua certè non solùm à rusticis, sed etiam à doctis ignoratur.

135 Circa hæc omnia, quæ ex præcepto singulis credenda vel scienda sunt, dubitari solet. Primò, an sit obligatio ea omnia memoriter tenendi v. g. symbolum, orationem dominicam, præcepta decalogi, &c. Paludanus apud Suarez *in præsenti disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 8. affirmat simpliciter, & absolutè. Alij tamen eam obligationem concedunt solùm sub veniali, non sub mortali, si aliquis substantiam sciat ita, vt interrogatus possit respondere, ita Suarez ibi, Sanchez, *dicto cap.* 3. *num.* 16. & 19. Coninch. *vbi supra num.* 194. Castro Palao, *vbi supra num.* 9. Granado *dicta sect.* 2. *num.* 9. qui solùm concedit culpam venialem quando ob negligentiam in addiscendo non mandantur memoriæ. Ratio autem est, quia quod principaliter requiritur, est quod rei substantia intelligatur, & sciatur. Ordo autem verborum, & rerum solum exigitur secundariò, & ad meliùs conseruandam vniformitatem fidei, quam omnes eisdem verbis profitentur, & quia sic melius rerum memoria conseruatur, dum perseuerat etiam memoria verborum, quibus suo ordine res illæ significantur, & meliùs dispositus est homo ad fidem suam profitendam quando oportuerit.

Aduertunt autem meritò prædicti Auctores, nullo modo satisfieri huic obligationi, si aliquis symbolum, & alia similia lingua latina memoriter reciter, cuius linguæ sensum, & significationem ipse non intelligat. Ita Sanchez, *dicto num.* 16. Suarez, *sect.* 4. *num.* 15. Coninch. & Palao, *locis proximè citatis.*

Hinc dubitari potest. Secundò, quæ & quanta diligentia adhibenda sit, vt possit quilibet intelligere, vel etiam memoriter addiscere supradicta.

Constat

Constat autem ex dictis, maiorem diligentia adhibendam esse, vt sciatur, seu intelligatur substantia eorum, quæ scire, vel credere quis explicitè debet, quàm vt ea memoria retineantur, cùm illa sit obligatio grauis, hæc leuis. Vnde monet Suar. *dict. disp.* 13 *sect.* 4. *n.* 15. non sufficere semel & iterum audiisse, si nondum intelligitur, sed diligentiùs inquirendum, & attentius meditandum, & considerandum vt aliquis conceptus explicitus formetur in quo non parum deficere possunt parentes, & Parochi, ad quos spectat filios, vel oues suas docere, & iuxta eorum captum hæc omnia eis proponere, donec ea addiscant. Addunt verò Valentia, Azor, & alij, quos refert Sanch. *dict. c.* 3. *n.* 18. Si aliquis ita hebeti, & rudi genio sit, vt nequeat articulorum substantiam apere excusari ratione impotentiæ. Quam sententiam sequitur etiam Castro Palao *dicto punct.* 10. *n.* 10. eam tamen minus fideliter retulit, dum mediocrem solùm diligentiam videtur exigere; nam neque Sanch. id dicit, neque Azor *illo lib.* 8. *c.* 6. *q.* 6. sed vterque impotentiam percipiendi requirit. Addidit temen Azor ibi sufficere eo casu explicitè credere articulos alios clariores. v. g. mortis, & resurrectionis Christi, ei, qui Trinitatis articulum, & mysterium percipere non potest: quam doctrinam difficilem indicat Sanchez, quia fides explicita Trinitatis necessaria est necessitate medij, quare sine illa non potest obtineri salus, licèt inculpabiliter ob incapacitatem deficiat: quod verissimum est, si fides illa explicita Trinitatis haberet omnimodam necessitatem medij, & saltem de fide explicita Dei remuneratoris, quæ necessaria est necessitate medij, est eadem difficultas; si enim aliquis ob tarditatem ingenij eum articulum non perciperet, non sufficeret fides explicita aliorum articulorum.

138 Ideo ipse Sanchez distinguit inter explicitè credere, & explicitè scire. Ad primũ enim sufficit, quod quando articulus aliquis à Confessario explicitè proponitur, ipse eum credat, & hoc est necessarium necessitate medij, in aliquibus articulis, & id sufficit, licèt postea interrogatus nesciat rationem reddere, quod est explicitè scire, & quod est necessarium necessitate præcepti: à qua obligatione poterunt aliqui ob tarditatem, & impotentiã excusari. Hæc tamen distinctio non videtur posse ad mentem Azorij applicari: nam quando proponit, & explicat Confessarius mysterium Trinitatis, peto, an rusticus concipiat rem sibi dictam, quantum satis est ad eam explicitè credendam, vel non? si dicas primum, iam non sumus in casu de imporente propter tarditatem ingenij percipere explicitè mysterium Trinitatis v. g. & ideo credente illud implicitè in aliis articulis clarioribus, quos explicitè credit. & certè, qui semel explicitè percipit illud mysterium, poterit postea eiusdem recordari: quod si non recordetur, non tam erit propter tarditatem in percipiendo, quàm propter defectum memoriæ. Si autem nec Confessario explicante percepit explicitè Trinitatem, ergo nec etiam tunc concepit fidem explicitam illius mysterij, sed solùm implicitè credidit, quod proponebatur, quicquid id esset.

139 Melius itaque Suarez *dicta sect.* 4. *num.* 15. distinguit intelligentiam à memoria. Et quidem memoriam verborum, vel ordinis articulorum inter se, aut aliarum rerum quæ sciri debent, iam diximus supra non esse necessariam obligatione graui. Memoriam autem rerũ ipsarum secundùm substantiam non minùs puto esse sub obligatione, quàm earum intelligentiam, quare non minor diligentia adhibenda erit ad hanc quàm ad illam. Nam qui semel intellexit, & explicitè credidit aliquos articulos, quorum postea non recordatur, perinde eos ignorat, ac si nunquam eos intellexisset, atque adeo non minùs ignorat suam fidem, quàm qui nunquam explicitè eos credidit: non ergo satisfacit obligationi sciendi potissima fidei christianæ capita. Quod verò attinet ad necessitatem medij, non est concedendũ, quod sit aliquis adeo hebes, & rudis, qui cum sit capax peccandi mortaliter, non possit percipere explicitè articulum de vno Deo remuneratore, quæ fides explicita est medium simpliciter, & vniuersaliter omnibus adultis necessarium ad iustificationem, & salutem: quæ fides non sufficit semel habita, si postea abeat in obliuionem: nam vt vidimus *disp. præcedenti*, sine hac fide actuali explicita nemo potest diu in gratia iustificationis perseuerare. Fidem verò Trinitatis, & Incarnationis explicitam diximus ibidem, licèt per se requiratur, posse per accidens aliquando deesse, nec ex eo defectu tunc impediri iustificationem, & salutem: quare non erit mirum si ratione hebetudinis, & impotentiæ possit per accidens rusticus ille iustificari, & saluari sine memoria, aut fide explicita eorum mysteriorum, quæ tamen implicitè credit in aliis articulis clarioribus, quos explicitè credit. Per se tamen non minus obligatur ad conseruandam memoriam, & notitiam habitualem eorum articulorum, quàm ad eorum intelligentiam comparandam.

140 *Confessarius quid facere debeat cum pœnitente ignaro mysteriorum quorum notitia est omnibus necessaria.*

Tertiò ergo dubitatur, quid debeat confessarius facere cum pœnitente ignaro horum mysteriorum, vel rerum, quarum notitiam diximus esse omnibus necessariam. Aliquid in vniuersum dicunt, Confessarium debere interrogare pœnitentem de obseruatione huius præcepti, sicut de omnibus aliis, saltem quoties probabiliter iudicat, quod hæc ignoret, ita Bañes, Petrus de Ledesma, & Azor apud Sanchez *dict. c.* 3. *n.* 21. Addit autem Azor, non oportere de his interrogare nobiles personas, aut bene educatas, aut quæ studio litterarum vacãt, aut frequenter confitentur, quia præsumuntur hæc non ignorare. Addunt aliqui, non posse absolui pœnitentem, qui hæc ignorat, cùm sit in statu peccati. Ita Medina, Emanuel, & Ludou. Lopez apud enndem Sanchez ibi. Alij dicunt, non esse dimittendum sine absolutione, sed instruendũ à Confessario: quod si didicerit, absoluendum, sin minus, differendam absolutionem, donec didicerit. Ita Bañes & Ledesma proximè adducti. Azor verò dicit, non esse reiiciendos, quia sæpe ignorantia illa fuit inculpabilis: quod si deprehendatur in aliquibus grauiter culpabilis, iudicandum erit de illis, sicut de aliis peccatoribus, & videndum, an propter frequentem reincidentiam præteritam neganda sit eis absolutio. Ipse denique Sanchez dicit in praxi nunquam, aut rarissimè propter ignorãtiam doctrinæ Christianæ absolutionem esse denegandam: quia rustici non habent commodè magistrum, à quo hæc discant, & ipse confessarius potest eos instruere, & docere, quod in Deo sunt tres personæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui non sunt tres dij, sed vnus Deus, & quod Filius factus est homo, & est Christus mortuus propter nostram salutem, & ipse est in Sacramento Eucharistiæ: reliqua enim, quæ in symbolo sunt, & præcepta

præcepta decalogi, & Ecclesiæ, ac omnia alia communiter omnes sciunt, quantum satis est, imo in rigore, neque ad hanc instructionem teneri confessarium, sed satis esse, si proponat mysteria Trinitatis, & Incarnationis, vt circa ea pœnitens actum fidei explicitè eliciat, & excitet eum ad dolorem de negligentia, & culpa præterita, & ad propositum emendæ sicut de aliis peccatis, quo posito est capax absolutionis. Eodem modo sequitur Coninch, *in præsenti disp.* 14. *dub.* 11. *n.* 231. *& sequentibus.*

141 Hæc sunt, quæ à Doctoribus de hoc puncto traduntur: quibus ego addo, in primis iuxta probabilem sententiam, quæ docet, posse saltem per accidens aliquem iustificari, & saluari sine fide explicita Trinitatis, & Incarnationis, non esse ex hoc capite obligationem instruendi pœnitentes de fide horum mysteriorum, vt possint re ipsa iustificari, nisi ad summum in articulo mortis propter periculum, si contraria sententia esset re ipsa vera. Extra illum verò articulum cessat periculum, cùm pœnitens admoneatur de obligatione addiscendi postea illos articulos. Periculum verò frustrandi hoc sacramentum propter illum defectum non videtur obligare confessarium ad illud onus subeundum communiter loquendo. Primò, quia non est ita frequens illa ignorantia, sicut aliqui existimant, vt statim dicam. Secundò, quia illi, qui dicunt, illam fidem explicitam esse medium semper necessarium ad salutem, & iustificationem, consequenter dicunt, sine illa fide non elici actum contritionis, vel detestationis peccati, quæ disponat proximè ad iustificationẽ. Si ergo pœnitens affert eiusmodi contritionem, vel detestationem peccati signum est, quod vel habuit fidem explicitam necessariam ad talem detestationem, vel quod fides explicita eorum mysteriorum non sit ita vniuersaliter necessaria, cùm sine illa detur detestatio sufficiens peccati, quæ in Sacramento saltem disponit semper ad iustificationem. Tertiò, denique quia defectus illi, qui tenent se ex parte pœnitentis, & non ex parte confessarij, licèt sint opiniones diuersæ, an noceant, vel non noceant Sacramento, non tamẽ obligant Confessarium semper, vt de eo periculo admoneat pœnitentem, sed potest se conformare opinioni probabili dicenti, talem defectum non nocere, vt cum Vasquez, & aliis fatetur Sanchez *lib.* 1. *in decalog. cap.* 10. *num.* 34. cùm ergo defectus huius fidei explicitæ teneat se ex parte pœnitentis, & aliunde probabile sit, Sacramentum non fieri irritum, vel informe propter illum defectum, non est, cur, ex hoc capite, nempe propter necessitatem medij teneatur Confessarius instruere semper eiusmodi pœnitentes.

142 Addo, licèt eiusmodi fides explicita sit in omnium sententia necessaria necessitate præcepti, & ideò pœnitens, qui in ea materia peccasse præsumitur, vel timetur, interrogari debeat de huius præcepti obseruantia, sicut de aliis præceptis, in praxi tamen non ita frequenter contingere defectum grauem in hac materia, sicut aliqui existimant dicentes, passim rusticos, & plebeios hoc præceptum non obseruare: nam si à confessario interrogentur de his articulis, vel dicunt, se id nescire, vel respondent contra fidem quatuor esse personas Trinitatis, primam personam assumpsisse carnem, & alia eiusmodi, ex quibus constat, non habere eos fidem explicitam, qualis ex præcepto saltem requiritur de his mysteriis. Ego tamen huic experientiæ non satis fido: aliud enim est credere explicitè hæc mysteria, quantum rusticis sufficit, & prout in symbolo continentur, aliud verò scire de eis reddere rationem, & argumenta soluere vel sub aliis terminis eadem explicare, ad quod illi quidem non tenentur: omnes ergo communiter credunt, & sciunt, esse vnum Deum, sic enim semper de vno Deo loquuntur, vnum Deum orant, per vnum iurant, &c. quando verò interrogantur de singulis personis, an sint Deus, & postea, an sint tres dij, intricantur, & ob ignorantiam, & tarditatem suam fatentur esse tres Deos, cùm tamen semper vnum, & non tres Deos crediderint. Similiter communiter credant in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & id in symbolo, quod ferè omnes sciunt, profitentur, & dum signo Crucis se signant, inuocant omnes tres personas dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & singulas inuocant vt Deum, & agnoscunt inter illas distinctionem iis nominibus significatam: quando tamen interrogantur, quot sint personæ in Trinitate? deterrentur nomine *personæ*, quod ipsi non intelligunt, & temerè respondent esse quatuor, vel quinque, quod tamen ipsi nunquam crediderant, vel cogitauerant. Item sæpe audierant, & in symbolo professi fuerant, Iesum Christum esse Filium Dei vnigenitum, & Filium B. Virginis, & Crucifixum, mortuum, &c. atque adeo credebant esse verum hominem, qui moti, & resurgere poterat, & esse Deum, cùm passim B. Virginem vocent matrem Dei. Quando tamen interrogantur, quæ persona diuinam carnem assumpserit, hallucinantur, & propter suam hebetudinem nesciunt coniungere id, quod antea crasso modo, & seorsim credebant, cum hac interrogatione, & dicunt primam personam assumpsisse, quod nunquam antea crediderant; si autem interrogarentur, an Christus sit filius Dei, facilius id proculdubio cõcessissent, quia id sæpè audierant, & professi fuerant. Quod minùs mirum in rusticis agrestibus videri debet, cùm viderim ego fœminam de rebus spiritualibus, & ad perfectionem spectantibus subtilissimè disputãtem, & quam non pauci, nec ignobiles tanquam magistram in eo genere venerabantur, à qua cùm peterem; an Deus in Cruce pro nobis mortuus esset, idque affirmasset, rursus intuli, ergo Spiritus sanctus, qui Deus est, mortuus est in Cruce, vltro etiam concessit, neque ideo iudicaui, eam non habuisse antea fidem explicitam ex præcepto debitam quantum satis erat, sed argumento oppressam nescisse fidei suæ rationem reddere, eámque iuxta veritatem explicare. Denique ferè, & communiter sciunt, Christum in Eucharistia contineri, & quando hostiam adorant, vel comitantur, putant, se Christum adorare, & comitari, & illum tanquam præsentem alloquuntur, & orant: quando tamen interrogantur, quid ibi contineatur, & an solum corpus, an etiam anima, timent, & sæpe aberrant. Quare non facilè iudicandi sunt, eiusmodi homines non habere, nec habuisse vnquam fidem explicitam earum rerum, quas credere debebant, quantum illis sufficiebat. Parochi tamen, & ij, quibus hoc incumbit curare debent, vt omnes instruantur, & sciant non solum necessaria, sed etiam alia, ad quem finem consultissimè editus fuit Catechismus ad Parochorum vsum iussu Pij V. quo si assumus ad Parochorum vsum iussu Pij V. quo si assumus fiduè vtantur, & populo explicent doctrinam ibi

ibi conten tam,non erit periculum,quod subditi in hac obligatione deficiant.

Aduertit autem Sanchez *vbi supra num.*23. 143 cum moribundis,vel etiam infirmis non ita agendum,vt tunc confessarius doceat eos hæc omnia, quorum notitia explicita necessaria est ex præcepto, sed solum mysterium Trinitatis,& Incarnationis pro eorum captu,quoad alia verò, faciant, quod doleant de negligentia præterita, si culpabilis fuit,& proponant emendationem, neque enim necesse est, vt statim tunc præceptum illud adimpleant,sed quando absque tanto incommodo poterunt.Cum iis verò adultis,& beneualentibus qui baptismum petunt,aliter agendum est, vt notat idem auctor *n.*24. cum Suario, Soto, & aliis,quos affert:ij enim, cum denuo religionem Christianam amplecti velint, instruendi sunt antea,& catechizandi, vt præcipua capita, & præcepta sciant religionis,quam amplectuntur,sicut nouitij, ante professionem probantur, & instruuntur circa regulam, & substantiam religionis,quam profiteri volunt, ne postea difficultate cognita, quæ latebat,deterreantur, & deficiant: quare fidei articulos, præcepta decalogi, orationem dominicam discere debent. Addo ego, proponendam eis esse indissolubilitatem matrimonij, & prohibitionem plurium vxorum explicitè, quia hæc solent eos à fide Christiana suscipienda,vel retinenda multum deterrere,& si quæ alia similia sint.

144 Vltimo dubitari solet de iis,quæ explicitè credere,aut scire debent fideles alij doctiores,Sacerdotes, Parochi, Episcopi,Magistri,& alij similes. Certum est, hanc obligationem non esse æqualem in omnibus fidelibus. Hoc est contra hæreticos recentiores,qui dicunt,singulos fideles etiã simplices,& laicos obligari ad legendam,& intelligendam scripturam sacram, vt inde cognoscere possint sibi explicitè credenda.Quem errorem confutat Valentia 3. *tom.disp.*1.*q.*2.*puncto* 3. & breuiùs Suarez *in præsenti disp.*13.*sect.*6. *num.*2. & *sequentibus*, & affert illud Pauli ad Rom.12. *non omnia membra eundem actum habent : nam si totum corpus esset oculus,vbi esset auditus ?* aliqui ergo debent videre, aliquibus sufficit audire, & constat ex Augustin.contra Epistolam fundamenti c.4. *Turbam*, inquit, *fidelium non intelligendi vinacitas,sed credendi simplicitas tutissima facit :* & in lib.de symbolo & fide cap.1. dicit,in symbolo contineri, quæ satis sunt insipientibus, & rudibus,quod idem dixit Cyrillus Hierosolymit.Cateches.5. & Gregorius Magnus lib.2.moral.cap. 25.super illa verba Iob.c.1. *Boues arabant,& asinæ pascebantur:* vbi per boues intelligit ministros ecclesiæ,& per asinas plebem, quæ ministrorum doctrina sine proprio studio pasci debet.

Quanam explicitè credere, aut scire debent fideles.

145 Addit autem idem Suarez *num.*4. & 5. laicos omnes obligari solum ad credenda explicitè ea, quæ superiùs dicta sunt pro omnibus fidelibus, clericos verò omnes obligari ad magis explicitam cognitionem rerum fidei. Vtraque pars difficilis est:nam in primis quod attinet ad laicos,non potest etiam in illis negari inæqualitas aliqua obligationis:omnes enim vltra res communes debent scire,quæ ad singulorum statum pertinent.Vnde laici magistratus, & qui de controuersiis etiam sæcularibus debent iudicare, debent scire ea omnia, quæ ad iustam, & rectam causarum decisionem spectant,quarum multa supponunt notitiam sacrorum Canonum,& Conciliorum,& testatis,quam Pontifex habet ad præcipiendum, & decernendum, censurarum vim,& efficaciam, ecclesię immunitatem,& potestatem,& alia eiusmodi, quos etiam, & quales contractus ecclesia damnauerit,quid circa illorum valorem,& iustitiam definierit, quæ omnia à singulis fidelibus priuatis non ita distinctè & exactè scienda sunt: plus ergo ij laici, quàm plebs fidelium scire debet. Magistri etiam & doctores, qui certè aliquando laici esse possunt, qui saltem iuris canonici interpretes sunt,& eam disciplinam docent, debent procul dubio de rebus fidei plura scire, quàm rustici,& plebei homines, cùm magna ex parte sacri Canones à fidei principiis pendeant. Datur ergo inter laicos ipsos inæqualitas quoad hanc obligationem,nec omnibus fides æquè implicita sufficere potest.

Magistratus.

146 Secunda etiam pars difficilis est; neque ea regula; & obligatio ita vniuersalis pro omnibus clericis statuitur à S. Thoma; quem ibi Suarez affert, nam *in præsenti qu.*2. *art.*6. *ad* 1. loquitur de iis, qui alios debent instruere, quod quidem munus non pertinet ad omnes clericos, vt constat,imò ex iis verbis S.Thomæ constat id, quod paulo ante diximus hanc obligationem extendi etiam ad laicos, qui alios debent instruere : nam S.Thomas non loquitur de solis clericis, sed de omnibus, ad quos pertinet alios instruere:deinde affertur idem S.Thom.*in add.ad* 3.*part.quæst.*36. *art.*2. sed ibi solum dicit,singulos clericos satisfacere,si sciant, quæ necessaria sunt ad exequendum officium suum : vnde infert, lectorem non debere scire, vel intelligere sacram scripturam, quam legit vel cantat, sed satis esse, si sciat eam legere,& pronuntiare. Et quidem in Tridentino *sect.*23.*c.*4.*de reform.*Solum exigitur,quod accepturus primam tonsuram sciat legere,& scribere, & fidei rudimenta,& c.11.ab iis,qui minores ordines accipiunt, solùm exigitur, quod latinam linguam intelligant. Quamuis autem ij omnes capaces eo ipso sint iurisdictionis spiritualis, ratione cuius maiori tunc scientiæ, & fidei notitia indigebunt,interim tamen dum eam iurisdictionem non accipiunt, non apparet necessitas nisi rerum ad suum gradum pertinentium : sicut simplex sacerdos,licèt capax sit iurisdictionis in foro Sacramentali, quamdiù tamen eam non accipit, non obligatur ad eam scientiam habendam, quæ in Parocho desideratur.Et quidem hæc obligatio sciendi, quæ ad singulorum gradus pertinent, non est propria solum clericorum, nec maior in iis omnibus, quàm si in aliquibus laicis, qui ratione sui muneris plura debent scire, quàm aliqui clerici,vt vidimus.

Quanam explicitè credere, aut scire teneantur clerici.

147 Addit S. Thomas *in præsenti quæst.*2. *art.*5. *in corpore*, laicos simplices non debere credere explicitè omnia,& singula,quæ continentur in scriptura, *sed solum implicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quicquid diuina scriptura continet : sed tunc solum tenetur huiusmodi explicitè credere, quando hoc ei constiterit in diuina scriptura contineri*, quod difficile videtur:durum enim esset obligare singulos fideles etiam doctos ad eliciendum actum explicitum fidei circa singula quæ legunt,aut inueniunt de nouo in scriptura,& quæ priùs,explicitè non crediderant. Quare Valentia *dict. puncto* 3.*concluf.vltima*, & Sanchez *dict.c.*3. *n.*2. id explicant de obligatione quoad specificationẽ, non quoad exercitium, quatenus ea notitia habita tenentur

credere

credere determinatè ea obiecta, si actum circa ea in particulari velimus elicere.

148 Alij ergo hanc obligationem credendi plura explicitè, & hãc obligationis inæqualitatem aliis verbis tradunt magis vniuersalibus, nec eam ad solos clericos videntur limitare. Dicunt enim omnes, quibus incumbit ex officio alios erudire, & confirmare, vt Pastores, & Doctores, non solos fidei articulos in symbolo propositos, sed alias etiam veritates, plures, vel pauciores, pro cuiuscunque officio, & gradu, debere explicitè credere, & illósmet articulos magis distinctè, & explicitè, quàm reliquos fideles, ita Sanchez *dict. num.* 2. Coninch. *dict. disput.* 14. *num.* 196. Castro Palao *dict. puncto* 10. *num.* 11. in fine, Granado *in præsenti tract.* 10. *disp.* 3. *num.* 13. Lorca *disp.* 23. *membr.* 1. *num.* 6. & 7. & alij communiter, qui hanc maiorem obligationem deducunt ex debito docendi, & ideo non solos Pastores, & Prælatos, sed Doctores etiam, & magistros nominant & includunt.

149 Difficultas esse potest in assignando singulis ex his gradu suæ obligationis: certum enim est, non eos omnes æqualiter teneri ad eundem gradum notitiæ explicitæ. Suarez *dicta sect.* 6. *num.* 6. & 7. dicit, Sacerdotes simplices, & alios clericos, qui curam animarum non habent, vltra ea, quæ laici etiam scire debent, non teneri ad fidem magis explicitam, quàm laicos, exceptis his, quæ ad suum munus obeundum spectant, nimirum ad conficiendum sacramentum, & similia. Parochos verò, quia debent confessiones audire, & pascere suum gregem, ad maiorem doctrinam, & cognitionem teneri. Denique Episcopos obligari adhuc ad maiorem cognitionem habendam rerum fidei, & morum, itaut per se possint & difficultates communes intelligere, & fidem defendere si opus sit, iuxta illud Pauli ad Tit. cap. 1. *Oportet Episcopum esse iustum, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt possit exhortari, & eos qui contradicunt, arguere*, de quo videri possunt decreta, quæ congeruntur in decreto Gratiani dist. 23. 36. 38. & septima Synodus sess. vlt. cap. 2. & Concil. Tolet. 11. in princip. & Concil. Lateran. sub Alex. III. relatum in cap. *Cùm in cunctis*, de electione, & Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. & Tridentinum sessione 7. cap. 1. & sess. 22. cap. 2. de reformat. Et ratio est, tum quia Episcopi ex officio succedunt Apostolis, quibus dictum est, *docete omnes gentes*, & habent suffragium in Conciliis, & debent fidem explicare, & defendere: tum etiam quia ad aliquos debuit in Ecclesia spectare ex officio exacta cognitio rerum fidei, vt posset sine errore conseruari: non autem ad alios magis quàm ad Episcopos, qui licèt aliquando possint ob causas occurrentes excusari ab illa perfectione doctrinæ, quæ per se loquendo necessaria est, non tamen ab illa cognitione, quæ sufficiens sit iuxta locorum, & temporum opportunitatem ad suum munus dignè implendum. Hæc Suarez.

150 Consentit Coninch *vbi suprà num.* 196. *& sequentibus*, qui *num.* 201. addit, non requiri, quod Episcopus possit ex tempore ad eiusmodi controuersias, præsertim difficiliores respondere, sed sufficere, quod falsam doctrinam possit à vera dignoscere, & grauiores difficultates obortas, adhibito studio, aut etiam aliis consultis diiudicare & dissoluere: nam consilium priùs aliorum adhibitum non tollit, quod postea per se ipsum diiudicet, & lucear. Addit etiam, non esse damnandam promotionem semper alicuius, qui hunc doctrinæ gradum non habeat, quia cùm in Episcopo alia etiam multa requirantur, vt prudentia, & dexteritas ad gubernandum, potentia, & vires ad resistendum, auctoritas apud subditos, & alia eiusmodi, quæ sæpe in viris eruditis desiderantur, considerandum est, quid omnibus pensatis, magis Ecclesiæ expediat, facilius enim aliquando suppletur doctrinæ defectus aliorum opera vtendo, quam defectus prudentiæ ad gubernandum, quæ si desit maius est errandi periculum semper tamen promotus ad Episcoparum debet, quantum sine graui incommodo potest, curare, vt sufficientem doctrinam sibi acquirat. Hæc ille, cui in omnibus consentit Castro Palao dicto puncto 10. num. 11. & idem ferè dicunt Lorca dicto puncto 1. vbi num. 8. dicit, sufficere, si Episcopus aptus sit, oblatis occasionibus, munus suum præstare, ad quod satis est, si actu sciat, quæ communiter in exequutione sui muneris occurrunt, & reliqua studio, & alterum ope, ac consilio assequi possit. Addit denique Granado, *dicta disp.* 3. *num.* 13. quibusdam videri Episcopis degentibus inter Catholicos, & quibus vix occurrit occasio docendi plebem, & defendendi fidem, exiguam notitiam sufficere, & præsertim cùm adsint tot viri sapientes, quorum doctrina, & consilio possint aliis satisfacere: ipse autem nihil de hoc puncto definit, *sed* remittit ad alium locum, ad quem *hæc* quæstio pertinet.

Quod attinet ad Episcopos, & Prælatos, negari non potest, cùm obligatio illa relativa sit in ordine ad exequendum munus Episcopi, & docendas, atque pascendas oues, mensurandam, & regulandam esse ex necessitate doctrinæ ad munus illud præstandum, quæ necessitas non est semper æqualis, nec etiam negari potest, quod aliquis doctrinæ defectus compensari possit aliis dotibus prudentiæ, auctoritatis, & sanctitatis necessariæ, quando omnibus pensatis Episcopus minùs doctus iudicatur Ecclesiæ vtiliot, quam magis doctus, cùm Ecclesiæ vtilitas sit finis præcipuus, ad quem Episcopi dignitas mensuranda, & ordinanda est. Quod magis videtur locum habere, vbi grauiores fidei controuersiæ ad inquisitores, & tribunal sancti officij pertinere solent, vbique definiri. Et quidem inquisitores ipsi in multis locis non possunt per se ipsos solos res fidei ita exactè examinare. Sunt enim plerumque in Hispania, nõ Theologi, sed iurisperiti, vtuntur tamen consilio doctorum Theologorum ad doctrinæ examen, & censuram, & tunc censentur inquisitores ipsi idonei ad munus suum, quando & eligere sciunt optimos Theologos in consilium, & eorum censuras, & fundamenta ab ipsis allata benè intelligunt, & perpendere possunt, vt iuxta eorum vim, de totius causæ meritis iuxta leges canonicas iudicium ferre possint. Cur ergo limiter Episcopus nõ censeatur idoneus ad grauiores illas fidei controuersias diiudicandas, qui possit optimè præstare id totum, quod Inquisitores ipsi ad id munus specialiter deputati dum præstant, suo muneri satisfecisse iudicantur. Nam si res attentè consideretur, Theologi ipsi ad censuram, & iudicium proferendum de aliqua propositione, vel controuersia circa fidem, magna ex parte consulunt doctorum libros, & eorum

funda

fundamenta. Sic ergo Episcopus, si consulere sciat viuorum doctorum sensum, & eorum fundamenta ponderare, poterit conuenienter iudicium ferre: Quod autem in Conciliis Episcoporum suffragiis fidei controuersiæ definiantur, rarò iam contingit, cùm non sit ita frequens Concilij Congregatio: quia tamen Episcopalis dignitas hoc ius secum affert, & quia docendi munus, & res fidei defendendi primariò ad gradum Episcopalem spectat, oportet sanè, vt si fieri possit, doctrina in iis reperiatur maior; non ita tamen vt non possit hic defectus maioris doctrinæ compensari aliis dotibus magis ad episcopale munus necessariis, habendo semper, vt dixi, præ oculis maius Ecclesiæ bonum in ordine ad salutem spiritualem animarum, ad quem potissimum finem ouibus præficiuntur.

152 Quod verò spectat ad Parochos, & magistros, maior posset esse difficultas in hac doctrina circa res fidei determinanda: nam doctores citati eorundem fidei mysteriorum notitiam eis necessariam esse dicunt, quæ omnibus explicare debent, solùm ergo debent ex rebus fidei eas explicitè scire, quę omnibus explicitè etiam credẽdæ sunt, cùm eas solùm oues docere debeant. Cæterum ex eorundem Auctorum verbis colligi possunt differentiæ peculiares inter obligationem Parochorum, & obligationem communem aliorum fidelium, & obligationem propriam Episcoporum. Prima differentia est, quoad intensionem, vt ita dicam, nam illos eosdem fidei articulos, quos alij fideles crasso modo credere debent, Parochus, & magister debet meliùs, & explicatiùs scire, vt possit eos aliis explicare, & quando ij in aliquo articulo, aut eius sensu errauerint, corrigere, ita Bañes *dict. art.* 8. *conclusione* 3. ante vltimum quæsitum. Addit Coninch *n.* 196. debere Parochum hos articulos ita explicitè scire, vt difficultates, quæ in iis communiter possunt hominibus plebeiis occurrere, possit exponere: hoc enim videtur pertinere ad magistrum, & pastorem, qualis ipse est, saltem pro dubiis communibus: pro grauioribus autem potest ad Episcopum, qui est superior magister, recurrere, sicut & ipsi Episcopi pro grauissimis ad summum Pontificem, qui est supremus in terra magister, & Pastor, recurrere solent; quare Lorca *loco citato* dixit, hanc obligationem in pastoribus esse maiorem quoad intensionem, quia debent ita eam doctrinam callere, vt possint eam rudibus explicare. Secunda differentia esse potest etiam quoad extensionem: plura enim debet Parochus credere explicitè, & scire, quàm eius subditi: quia debet scire, & posse explicare, quando, & qua ratione Sacramenta percipienda sint, & quis fructus ex eorum perceptione accipiatur. Item qua ratione sacrum, atque diuina officia decenter audienda sint, aliáque similia, quæ ad christiani hominis officium spectant. Ita Coninc *loco citato*. Ex quibus tamen aliqua ab ipsis etiam subditis necessariò scienda sunt, vt suprà vidimus, aliqua tamen non semper, v. g. Sacramenta Confirmationis, extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij non sunt scienda sub peccato graui ab iis, qui ea non suscipiunt: Parochus verò debet ea omnia scire, vt possit opportuno tempore subditos docere, imò, & antequam necessitas vrgeat, debet ea populo diebus festis explicare iuxta Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. *de reform.* & *sess.* 24. *c.* 4. *de reform.* debet etiam Parochus scire ea omnia, quæ ad suum munus, & ad Sacramentorum administrationem, & alia similia spectant, quæ notitia, vt constat subditis necessaria non est. Ab obligatione verò Episcoporum differt obligatio Parochi quoad intensionem quia parochus fidei articulos ita debet scire, vt possit eos populo explicare, & difficultates soluere, quæ communiter plebeiis occurrere possunt, vt dixit Coninc, cui addit Castro Palao suprà citatus, vt possit aliqualem rationem de iis reddere. Episcopus verò debet ita scire, vt possit etiam eorum fidem ab aduersariis oppugnantibus defendere, vt cum aliis dixerunt Bañes & Coninch *locis citatis*, ad quod maior vtique scientia exigitur, quàm ad meram explicationem articuli. Quoad extensionem etiam differt, quia episcopus plura debet de mysteriis fidei, & de sacris Canonibus, & sanctionib. scire, quàm Parochus, cùm Episcopus sit magister, & Pastor superior, ad quem Pastores inferiores, tanquam ad communem magistrum in grauioribus dubiis debent recurrere, & qui errores parochorum debet corrigere, & eorum omnes, ac aliorum etiam fidelium spirituales causas definire, atque ideo magis vniuersalis, & extensa in eo proculdubio doctrina desideratur, quàm in Parocho, cuius ex Officio Magister, & Pastor est.

SECTIO VI.

Vtrùm hæc obligatio fidei explicitæ si de iure diuino, vel humano.

153 DE hoc agit breuiter Suarez *in præsenti dicta disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 13. & 14. & concludit, præceptum credendi ea, quorum fides explicita necessaria est necessitate medij, esse de iure diuino, v. g. credendi Deum esse, & esse remuneratorem, & mysterium Trinitatis, & Incarnationis: præceptum verò credendi reliqua esse ecclesiasticum, & humanum. Prior pars constat facilè, quia eo ipso, quod Deus constituat aliquod medium vt necessarium ad salutem, resultat, vel includitur obligatio medium illud adhibendi: ex eodem ergo iure diuino, quo fides illorum obiectorum constituta est à Deo, vt medium necessarium ad salutem oritur obligatio medium illud adhibendi. Posteriorem verò partem probat, quia non constat de aliquo immediato præcepto diuino circa fidem explicitam aliorum obiectorum, & valdè vsitatum est, vt præcepta diuina, quæ generaliùs tradi solent, per Ecclesiam determinentur, vel quoad materiam, vel quoad tempus, vel quoad alias circumstantias, prout Apostoli videntur determinasse de facto hanc obligationem, quando symbolum composuerunt, & tradiderunt omnibus fidelibus: potuit tamen Ecclesia aliquid posteà addere pro temporum varietate. Hæc Suarez, in quibus supponere videtur, præceptum latum fuisse à Christo de fide explicita non solùm eorum obiectorum, quorum fides necessaria est necessitate medij, sed etiam aliorum indeterminatè, relicta ecclesiæ potestate eiusmodi obiecta determinandi.

Sententia Patris Suarez.

Hæc doctrina difficilis est, quia ex ea sequi videtur, quod ecclesia potest auferre obligationem sciendi, aut credendi passionem, & resurrectionẽ Christi, & eius aduẽtum ad extremum iudicium:

Difficultas istius sententiæ.

quare Aragon *in præsenti quæst.2. art.6. dub.2.* horum etiam fidem necessariam dicit esse, ex iure diuino, non verò fidem descensus Christi ad inferos, & communionis sanctorum, sed solùm ex præcepto ecclesiastico.

154 Alij absque distinctione loquuntur de omnibus obiectis, quorum fides explicita exigitur, & dicunt eam necessariam esse ex iure diuino; ita Petrus de Ledesma, quem affert, & sequitur Sanchez *dicto lib.2.in decalog. c.3.n.13.* Bañes *dict. art.8.dub.2.* Azor *1.tom.lib.8.c.6.q.4.* & Lorca *in præsenti disp.23.membr.2.n.25.* dicens, ecclesiam sua auctoritate nullum præceptum statuere credendi, nec illud propriè loquendo confirmare, sed tantum hac in parte exponere, & declarare præceptum Dei. Bañes verò loquens de fide explicita necessaria in lege gratiæ, *in secunda conclusione* expressè asserit, fidem explicitam omnium, quæ continentur in symbolo, esse necessariam ex præcepto diuino, atque etiam ex præcepto ecclesiastico. Denique Azor. *loco citato* distinguit præceptum discendi symbolum à præcepto credendi; hoc dicit esse diuinum, illud verò ecclesiasticum.

Distinguit Azor præceptum discendi Symbolum à præcepto credendi.

155 Mihi hæc vltima distinctio non displicet; quia in primis non satis percipio, quomodo si hoc non esset præceptum diuinum, obligare posset Ecclesia ad actum internum fidei explicitæ circa hos articulos supposita sententia communi, quod Ecclesia non possit præcipere actus merè internos, qualis certè est assensus fidei internus, qui solus circa hos articulos præcipitur, quam difficultatem videtur voluisse præoccupare Suarez *vbi suprà, n.14.* dicens, licèt Ecclesia non possit actus merè internos præcisè consideratos, ac per se præcipere, nihilominus posse illos præcipere, vel prohibere in ordine ad externos, quatenus isti externi ex interioribus oriri possunt, vel quatenus interni ad externos efficiendos necessarij sunt, & eadem ratione posse dirigere internos, aliquid in ordine ad illos præcipiendo, quod exteriùs exercendum est: & hoc, inquit, modo se gerit Ecclesia in hoc præcepto. Vnde in actu fidei duo distinguēda sunt. Vnum est, quod postquam materia fidei est proposita, credatur; & hoc semper spectat ad diuinum præceptum. Aliud est, vt habeatur notitia materiæ credendæ, & hoc est, quod Ecclesia potest præcipere, aut addere in hoc præcepto, nam quia hæc notitia per actus externos, & sensibiles comparatur, ideo sub Ecclesiastico præcepto cadere potest.

156 Hæc tamen omnia, si attentè examinentur, vel negant præceptum Ecclesiasticum de assensu interno fidei, & per consequens relinquunt solū præceptum diuinum, quod intendimus, vel certè non euacuant difficultatem. Fatemur enim, posse Ecclesiam præcipere actum internum necessariū ad actum externum, quem præcipit, provt de facto præcipiendo orationem vocalem, & externā, præcipit consequenter voluntatem, & intentionem orandi, sine qua prolatio vocum non esset oratio, & præcipiendo sacrificium, præcipit intentionem offerendi, sine qua actio externa non esset sacrificium & sic de aliis, vt dixi *disp.15. de Pœnitentia sect.6. n.140.* Hæc autem ratio non procedit in casu nostro, cùm Ecclesia non præcipiat aliquam actionem externam, ad quam sit necessarius assensus fidei explicitæ circa eos omnes articulos: nam si quam actionem eiusmodi præciperet, maximè professionem fidei externam: hanc autem non præcipit explicitam de his articulis omnibus fidelibus vniuersaliter, sed aliquibus, vt constat, non potest ergo applicari ad hunc casum regula illa de præcepto actus interni consequenti propter præceptum actus externi, ad quem talis actus internus requiritur.

Vnde nec potuit etiam Ecclesia determinare 157
quoad hanc partem præceptum fidei explicitæ, quod antea à Deo latum esset indeterminatè, & determinandum ad Ecclesia, quia hæc ipsa determinatio libera ad tales materias esset proculdubio actus iurisdictionis in Ecclesia, sicut nunc est præceptum confessionis, communionis annuæ, & includeret præceptum aliquod ipsius Ecclesiæ, quod tamen esset de actu merè interno, vt vidimus. Et per consequens Ecclesia in præcepto illo posset dispensare, & tollere obligationem credendi explicitè passionem, & resurrectionem Christi, quod certè absurdissimum esset. Similiter illud, quod idem Auctor addit, hanc fidem habere connexionem cum actu aliquo externo, quem Ecclesia potest præcipere, nimirum comparādi notitiam horum mysteriorum, nullo modo satisfacit: quia ad comparandam talem notitiam non est necessarius assensus fidei; nam licèt hic assensus fieri non possit sine notitia comparata; potest tamen è contra comparari notitia sine assensu fidei consequenti, nec sufficit dependentia assensus fidei à notitia comparata, vt qui potest præcipere notitiam, possit etiam præcipere assensum, qui consequi potest alioquin quia meditatio mentalis circa mysteria passionis Christi haberi non potest sine notitia eorum mysteriorum, & quia gaudium de eleemosyna facta non potest haberi, nisi fiat eleemosina, quam Ecclesia potest præcipere, poterit etiam ab eadem Ecclesia præcipi meditatio mentalis circa Christi Passionem, vel gaudium internum de eleemosyna facta, quod nemo concederet negans, posse ab Ecclesia præcipi actus merè internos.

Quod deniq; addit. Ecclesiam præcipere com- 158
parare notitiam, qua notitia proposita, statim ex præcepto ipso diuino oritur obligatio explicitè credēdi, difficilius est, neque enim tenetur homo elicere actus fidei explicitos circa omnes veritates, quas legit, vel audit esse de fide; alioquin qui legit scripturā, vel recitat eius lectiones in officio diuino, deberet sub peccato elicere cōtinuò actus fidei explicitæ circa singula obiecta, quæ continuò legit, quod esset intolerabile onus, & deterreret fideles à lectione sacræ scripturę. Si ergo ecclesia solùm præcipiat notitiæ comparationem externam, & ibi sistat eius præceptum, nō est vnde consequatur obligatio habendi fidem internā explicitam circa ea, quæ continentur v.g. in symbolo, nisi eam fidem Deus præceperit, quod si eam præcipit in particulari, consequenter præcepit comparare notitiam eorum mysteriorum, sine qua notitia talis fides interna explicita haberi non poterat. Vnde eisdem argumētis reiici potest, quod dicebat Bañes supra adductus, hanc obligationem fidei explicitæ esse ex præcepto diuino atque etiam Ecclesiastico humano: neque enim potest Ecclesia actus merè internos præcipere, etiamsi iidem actus præcepto naturali, vel diuino debiti essent: per hoc enim quod aliunde debiti sunt, non fiunt magis sensibiles, & per cōsequens non magis subsunt iurisdictioni visibili ecclesiæ, si semel concedatur cū cōmuni sententia actus merè internos nō posse ab ecclesia præcipi.

Fatendum

159 Fatendum ergo est cum Sanchez, & aliis supra adductis hanc obligationem fidei explicitæ circa hęc obiecta prouenire solum ex præcepto diuino licèt obligatio notitiæ, quæ per actus externos comparatur, possit etiam prouenire ex præcepto ecclesiastico. Quare ecclesia proponens symbolũ declarauit quidem, & proposuit compendiosè ea, quæ ex diuino præcepto quilibet fidelis scire debeat explicitè, & credere. Nam Christus ipse Apostolis præcepit prædicare omnibus & communicare notitiam Euangelij verbis illis Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ:* quare omnibus etiam præcepta fuit auditio, & fides eiusdem euangelij, vt significant verba sequentia: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Sicut ergo verbis præcedentibus non imponitur magistris obligatio docendi, & prædicandi totum euangelium, & singulas eius partes in particulari, sed præcipua capita, & eius substantiam: sic in verbis sequentibus non imponitur obligatio auditoribus audiendi, & credendi explicitè totum euangelium & singulas eius partes; sed ea, quæ pertinent ad substantiam euangelij. Quia verò dubitare aliqui poterant, quæ essent præcipua capita, & ad substantiam euangelij spectantia, quæ ab omnibus explicitè deberent teneri; ideo Apostoli diuino instinctu composuerunt symbolum fidei, quod ea capita complecteretur, vt in superioribus visum est.

160 Ratio autem à priori huius obligationis fundatur in iis quæ diximus *supra sect.* 2. nimirum, quia is, qui alicui determinatè loquitur, & dicit aliquid determinatum, eo ipso exigit ab eo attentionem, & fidem: hoc enim ei loquitur, vt faciat eum venire in notitiam suæ mentis, siue vt suam mentem ei communicet. Tenentur ergo omnes attendere, & credere explicitè Deo aliquid determinatum eis manifestanti, & dicenti. Cùm ergo Deus Euangelij doctrinam ad hunc finem reuelauerit, vt ad omnium hominum notitiam veniat, & ita Apostolis, & eorum successoribus mandauerit, & commiserit, vt eam doctrinam omnibus ex ipsius Dei nomine proponant, quod saltem quoad substantiam doctrinæ, & præcipua capita intelligi debet; consequens est vt ab omnibus auditum, attentionem, & fidem explicitam eiusdem doctrinæ quoad substantiam saltem exigat, & per consequens hæc obligatio ex iure diuino oriatur, quod in tali loquutionis diuinæ genere imbibitum est, vt *citato loco* explicuimus.

161 *Infertur quædam.* Vnde infertur Primò, ex eodem diuino præcepto prouenire obligationem sciendi, & credendi explicitè non solùm ea, quæ in symbolo continentur, sed etiam alia, quæ suprà diximus debere explicitè credi, vt mysterium Eucharistiæ baptismum, Sacramentum Pœnitentiæ, decalogum, & si quæ sunt alia. Nam de iis omnibus procedit eadem ratio, quod nimirum obligatio illa assensus fidei explicitæ non possit prouenire ex præcepto humano Ecclesiastico, cuius materia non potest per se esse actus merè internus; & quod hæc omnia reuelauerit Deus, vt determinatè, & explicitè sciantur, & credantur à fidelibus; quare talis loquutio Dei eo ipso exigit à fidelibus, auditum, attentionem, & fidem explicitam ad ea omnia, quæ tali modo reuelata sunt: si quæ verò sunt in symbolo, vel in aliis omnibus, quæ propter materiæ paruitatem, vel quia sunt circumstantiæ accidentales non obligat ad fidem explicitam sub peccato graui, de quibus in particulari actum est supra, ea omnia neque etiam ex præcepto Ecclesiastico inducent obligationem grauem ad actum fidei explicitæ.

Infertur secundò, ex eodem diuino præcepto 162
prouenire obligationem, peculiarem fidei explicitæ, quæ licèt non sit omnibus fidelibus communis, aliquibus tamen in particulari inest, prout supra diximus eos, qui volunt recipere sacramentum confirmationis, extremæ vnctionis, Ordinis, vel matrimonij, debere habere fidem explicitam circa hæc sacramenta. Quod idem dicendũ videtur de obligatione, quam habent Episcopi, Prælati, Parochi, & alij, quibus ex officio competit alios docere, de quibus supra diximus debere plura explicitè scire, & credere. Ratio autem est eadem cum proportione debita applicata, quia hæc etiam obiecta Deus reuelauit; & licèt non reuelauetit determinatè ad hoc, vt singuli fideles ea explicitè scire deberent; sed tamen reuelauit ad hoc, vt eorum obiectorum fides explicita in Ecclesia conseruaretur saltem penes eos, quibus eorum notitia explicita ad sua munera obeunda necessaria esset, vel qui ex officio debent reliquos hæc docere, quando opportunitas, & necessitas occurrat; ergo Deus ad hoc ea obiecta reuelauit, vt mentem suam explicitè iis saltem personis communicaret, & per consequens ab iis saltem personis exigit auditum attentionem, & fidem explicitam circa ea etiam obiecta, sicut ab aliis omnibus exigit circa obiecta substantialia, & præcipua capita Christianæ religionis.

Infertur tertio, non omnia, quæ Christianus 163
debet scire, debere eum credere fide explicita: nam debet scire præcepta Ecclesiæ, quæ tamen Deus non reuelauit, sed Ecclesia imposuit, & ideo sufficit alia notitia humana horum præceptorum, sicut haberi solet de aliis legibus, & præceptis humanis: item iudex scire debet leges, iuxta quas debet iudicare, & confessarius censuras, & casus reseruatos, & vnusquisque leges, & obligationes sui officij, quæ non debet credere fide diuina explicita, vt constat.

Dubitari potest, an sicut diximus, præcepta 164
decalogi & alia etiam, quæ ad aliquos in particulari spectant, debere, vel ab omnibus, vel ab iis, ad quos spectat, fide explicita cognosci, sic etiam dicendum sit de omnibus aliis, quorum malitia, vel prohibitio ex sacris litteris, vel fidei doctrina constat, licèt vel non contineantur, vel non ita explicitè in decalogo v.g. quod pollutio, seu mollities voluntaria sit peccatum mortale, vel alia eiusmodi. P. Granado *in præsenti dict. tract.* 10. *disp.* 3. *n.* 14. dicit ea, quæ non sunt ex mysteriis fidei, sed pertinent ad proprium statum, non esse necessarium, quod credantur actu fidei diuinæ, sed sufficere, vt cognoscantur ea certitudine etiã naturali, quæ satis sit, vt rectè quis satisfaciat muneri suo. Mysteria verò Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & similia debere credi fide diuina. Vbi de Decalogi præceptis nihil dicit, sed magis videtur inclinare, vt nec de his requirat assensum fidei, non enim apparet, cur magis eam obligationem debeamus credere fide explicita diuinaquàm alia præcepta, quæ Deus nobis imposuit & reuelauit ad nostrum statum.

An ea quorum malitia ex sacris litteris constat, licet non ita explicitè contineantur in decalogo, debeant ab omnibus fide explicita cognosci?

Alij tamen actum fidei explicitæ circa præcepta decalogi exigunt, ita Suarez *in præsenti dict. disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 11. *in fine* his verbis: *Vnde sine dubio dicendum est, explicitam fidem & cognitio*

gnitionem præceptorum decalogi ex præcepto necessariam esse. Hurtado etiam *in præsenti dicta disp.*44.§.13.dicit,teneri singulos credere decem præcepta decalogi. Verum cum statim addat, *& quinque Ecclesiæ*,non constat,an loquatur de fide diuina, cùm quinque Ecclesiæ præcepta non sint à Deo reuelata. Clariùs videtur loqui Lorca *dicta disp.*23. *membr.*1. *n.*19. vbi cùm de præcepto fidei explicitè agat,dicit, *necessarium esse cognoscere, & credere decalogum, & præcepta communia omnibus.* Alij tamen non explicant obligationem credẽdi per actum fidei diuinæ circa decalogum, sed dicunt esse obligationẽ sciendi præcepta decalogi. Sic loquitur Sanchez *dict. c.*3.*n.*10. Azor. *tom.*1.*lib.*8.*c.*7.*q.*5.dicens sufficere,si rusticus rogatus, an furtum, periurium, &c. licita sint, respondeat,non esse licita, quia suapte natura sunt mala, & sic cætera sciat, eodem modo loquitur Coninch. *dicta disput.*14. *dub.*10.*n.*193. & Valentia *disp.*1.*q.*2.*puncto* 5.

166 Ego iuxta ea,quæ dixi *dicta sect.*2.distinguendum puto: aliqua enim præcepta sunt naturalia, quæ Deus in sacris litteris non solum reuelauit; manifestando eorum obiecta naturali iure esse debita, vel prohibita, sed etiam denuo præcepto suo corroborauit, quod præceptum omnibus intimari voluit, qualia fuerunt præcepta decalogi, quæ Deus lege communi denuo lata promulgauit: alia verò sunt quorum obligatio in diuinis litteris inuenitur reuelata, non per modum præcepti denuò additi, sed per modum doctrinæ, provt in epistolis Pauli Apostoli inueniuntur commemorata cum detestatione aliqua peccata contra legem naturæ, vt fideles ab iis caueant. Quamuis ergo de præceptis prioris generis concedatur debere ea credi per actum fidei explicitæ ob rationem *dicta sect.*2. assignatam, non est tamen necesse id etiam concedere de præceptis generis posterioris. Et quidem si semel ea obligatio concedatur circa præcepta Decalogi,& aliqua omnibus fidelibus communica,non video cur non debeat idem dici de præceptis non communibus, sed spectantibus ad aliquos fideles in particulari, vt ab his saltem debeant etiam fide diuina credi. Na sicut reuelatio Dei de præcepto communi ordinata ad omnes fideles,vt iis ex parte Dei tale præceptum intimetur,exigit ab omnibus fidelibus auditum, attentionem, & fidem illius præcepti, quia Deus illis omnibus determinatè loquitur,& vult ab omnibus illis audiri;ita præceptum à Deo latum pro aliquo hominum genere,vt ab iis obseruetur,& illis intimetur,exigit ab illis similiter auditum, attentionem & fidem talis præcepti. Alia verò est ratio de præceptis secundi generis, quæ in Scriptura solùm cõmemorata inueniuntur,& non lata, sed supposita: nam tunc eorum obligatio narratur solùm ibi, sicut alia, quæ in eadem Scriptura ad instructionem, & abundantiam doctrinæ narrantur: non tamen videtur eorum notitia ex eo præcisè capite,quod in Scriptura contineatur, specialiter obligare, sed solùm quatenus præceptum quoduis naturale obligat ad sui noritiam, vt possit obseruari. Cùm enim tunc Deus non vtatur verbis præcipiendi, aut promulgandi legem,quæ subditis intimetur, sed solùm se gerat, vt magister docens subditos ea, quæ alioqui ipsi scire debebant,& hoc ad maiorem doctrinæ abundantiam; non videtur tunc obligare singulos,vt attendant & audiant, sicut non obligat in aliis, quæ in eadem Scriptura narrantur,Et hæc sufficiant de obligatione ad actum internum fidei. Nunc dicamus de eius actu externo, qui est confessio, seu professio externa eiusdem fidei.

DISPVTATIO XIV.

De actu externo, seu de confessione fidei externa, & eius obligatione.

SECTIO I. *An, & quomodo confessio externa fidei sit actus fidei.*

II. *Quale sit præceptum non negandi exteriùs fidem.*

III. *An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari peccatum veniale.*

IV. *Quale sit præceptum affirmatiuum confessionis fidei.*

V. *De vsu vestium, actionum, rituum, ciborum, & aliorum quæ propria sunt infidelibus, an, & quomodo sit contra virtutem fidei.*

POstquam egimus de actu interno fidei, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem, sequitur, vt de eius actu externo dicamus; de quo in primis videndum est, an, & quo sensu sit actus fidei, deinde, quando, & quomodo sit sub præcepto, in quo puncto quàmplures, & grauissimæ quæstiones morales comprehenduntur.

SECTIO I.

An, & quomodo confessio externa fidei sit actus fidei.

AFfirmant communiter Theologi, confessionem fidei externam esse actum fidei, cum S. Thoma *in præsenti q.*3. *art.*1. Quæ conclusio probari potest à contrario: quia negatio fidei externa est propriè actus infidelitatis, & aduersatur fidei, & punitur ab ecclesia pœnis & censuris tanquam peccatum commissum contra fidem; ergo fides ipsa prohibens infidelitatem prohibet negationem externam fidei, & inclinat ad eiusdem fidei confessionem externam. 1

Cæterum hæc communis doctrina difficultatem habet non exiguam. Difficile enim est explicare, quomodo confessio fidei externa oriatur à virtute fidei tanquam eius actus, nam in primis non videtur esse posse actum fidei elicitum, cùm habitus fidei nõ concurrat immediatè ad loquutionem externam, sed potentia motiua hominis: neque etiam videtur posse esse actum imperatum à fide; quia assensus fidei est in intellectu, & non habet pro obiecto loquutionem externam, sed mysterium creditum, vnde non potest loquutionem imperare: Tum quia intellectus non imperat immediatè actus potentiarum exteriorum, sed voluntas, vt suppono: tum etiam, quia dato, quod

quod intellectus imperaret eiusmodi actus externos, id tamen fieret per actus habentes pro obiecto ipsam actionem externam, quæ imperatur quales non sunt actus fidei, qui certè non habent pro obiecto motum labiorum, sed mysteria reuelata, & diuinam auctoritatem, ac reuelationem, quod est motiuum credendi.

2 Theologi præsertim recentiores hanc difficultatem senserunt, & varias rationes assignant, vel variis modis rationem explicant huius communis assertionis. Prima aliquorum ratio est, quod confessio externa est actus fidei, quia procedit ab ipsa fide, quatenus connaturale est homini conceptum internum exteriùs propalare, & ipsemet conceptus ad hoc instigat. Hoc argumento vtitur Lorca *dicta q. 3. art. 1. in communicario articuli n. 2.* vbi hanc rationem breuiter attigit, & posset explicari, & confirmari magis, quia ideo ex dolore, vel vulnere, quod sentis oriuntur suspiria, & gemitus, quibus dolorem internum significas, quæ quidem suspiria non eliciuntur, nec imperantur ab amore sanitatis, cùm non deseruiant ad eam acquirendam; sed supposito illo dolore, naturaliter procedunt propter propensionem significandi exteriùs sensum internũ. Quod adeo connaturale videtur homini esse, vt etiam nobismet ipsis interiùs manifestemus sensus, & voluntates nostras, formando ferè semper interiùs voces aliquas idiomatis nobis magis familiaris quibus nostrum sensum, vel affectum exprimimus, quæ vocum internarum efformatio procedit sanè ex nostris sensibus, vel affectibus, quos exprimimus. Sic ergo assensus internus fidei ex generali illo appetitu inclinat ad sui manifestationem externam; quæ loquutio, & manifestatio appellatur externa propter dependentiam ab interna; Quo sensu intelligi potest illud psalmi 115. *Credidi propter quod loquutus sum*, quæ verba afferũtur etiam ab Apostolo 2. ad Cor. 4. & addit, *& nos credimus, propter quod, & loquitur.* Nam sicut vrina dicitur sana, quia in ea agnoscitur sanitas interna, tanquam in effectu procedẽte à sanitate interna; sic confessio fidei dicitur fides, quia est signum fidei internæ, à qua procedit.

3 Hæc ratio plausibilis fortasse apparebit; sed reuerà non videtur satisfacere: retorqueri enim potest cùm videamus id non sufficere in aliis materiis, vt verba externa dicantur simpliciter actus alicuius habitus, vel virtutis; nam quando dicis, te velle ieiunare, vel dare eleemosynam, illæ voces externæ non sunt temperantia, vel misericordia, sed manifestatio tuæ voluntatis circa eas virtutes, ad quarum finem non conducit dicere, te velle ieiunare, vel dare eleemosynam: quamuis ergo ex abundantia cordis os loquatur, & ideo in voces illas prorumpas, quia taliter affectus es, non tamen id satis est, vt testificatio tui adulterij dicatur actus illius virtutis: & per consequens nec testificatio externa fidei internæ dicetur ex hoc capite propriè actus ipsius fidei.

4 Secunda ratio aliorum est, quia confessio externa, & assensus internus ordinantur ad eundem finem, nempe ad eandem veritatem, quam sicut per internum assensum credimus, ita per confessionem externam significamus. Ita arguit Valentia *in præsenti disp. 1. quæst. 3 puncto 1.* Hæc etiam ratio difficilis est; quia si sermo sit de fine intrinseco, hic non est veritas, quæ creditur; nam per assensum fidei circa Pilatum non intenditur Pilatus, sed eius notitia, & perfectio, quam talis notitia affert intellectui, neque etiam per confessionem externam intenditur obiectum, imò nec assensus internus, sed manifestatio eiusdem assensus interni, cuius notitiam aliis communicare intendimus. Sicut non est idem in rigore finis magistri discentis, & docentis; nam discendo intendit ipse scire, docẽdo verò intẽdit, vt discipuli sciant: qui duo fines non pertinent ad eandẽ virtutem propriè: neque enim est castus, qui aliis castitatem prædicat, cùm ipse impurissimus sit, nec est liberalis, qui aliis liberalitatem persuadet, cùm sit ipse auarissimus. Sic ergo, qui fidem suam internam aliis prædicat, & persuadet, non ideo est fidelis, nec exercet proprium actum fidei.

Tertia ratio, qua idem Valentia vtitur, est, quia proportio vocalis externa, & assensus fidei internus innituntur eadem ratione formali, nempe reuelatione Dei, qua niti etiam debet confessio externa, provt vera est, & laudem meretur. Hæc etiam ratio difficilis est, quia confessio exterior, sicut non est assensus, sed manifestatio assensus interni, ita non habet propriè motiuum assentiendi, sed ad summum manifestat motiuum assensus interni, qui solus habet motiuum. Vnde neque etiam quatenus vera, confessio externa habet pro motiuo reuelationem Dei. Imò propriè, & in rigore loquendo, non datur motiuum propositionis, vt vera est, sed solùm vt est assensus; nam veritas propositionis est conformitas cum obiecto affirmato; atque ideo solùm prouenit ex veritate obiecti: motiuum autem non mouet, vt propositio sit vera, sed vt nos assentiamur tali obiecto: nam licèt Deus non reũelasset incarnationem, si tamen incarnatio facta esset, propositio illam affirmans esset vera: ad veritatem ergo non requiritur motiuum, sed ad assensum, vt assensus est. Denique minus potest esse verum, quod in illa ratione additur, confessionem externam, provt laudem meretur, habere idem motiuum reuelationis diuinæ: quia confessio externa, provt laudabilis est, & honesta participat solùm honestatem, & laudabilitatem extrinsecam à voluntate honesta & laudabili, à qua imperatur; voluntas autem imperans, quæcunque illa sit, non potest habere pro motiuo reuelationem, quæ solùm potest esse motiuum intellectus, cui persuadet veritatem rei reuelatæ; voluntas autem debet habere pro motiuo honestatem, quæ apparet in confessione fidei internæ: non potest ergo habere reuelationem pro motiuo, sed aliquod bonum honestum, quod sit motiuum voluntatis imperantis fidei confessionem.

Alij ergo dicunt, confessionem fidei esse fidei actum, non quidem fidei, prout pertinet ad intellectum, sed prout pertinet ad voluntatem; cùm enim fides vt virtus includat habitum intellectualem, à quo elicitur assensus, & habitum etiam piæ affectionis in voluntate, à quo elicitur voluntas credendi, ille poterit etiam dici propriè actus externus fidei, qui oritur ab habitu voluntatis, qui pertinet ad eandem virtutem fidei, ita fatetur Hurtado *in præsenti disp. 48. sect. 1. §. 8.* Porro in confessione externa fidei reperiri honestatem, quæ ametur ab habitu piæ affectionis, explicat dupliciter idem Hurtado §. 9. & in primis dicit, illam non esse honestatem veritatis, vt voces conformemus menti, sed aliam honestatem nempe vt cum aliis communicemus in vnitate fidei, & propter conseruationem eiusdem vnitatis. Hoc tamen subsistere non potest: quia motiuum

tiuum proprium piæ affectionis, non est conseruatio vnitatis fidei, cum aliis fidelibus: nam licèt maneret, vel fuisset vnus solus homo, in mundo, deberet credere fidei articulos sibi sufficienter à Deo immediatè, vel per Angelos propositos; & tunc motiuum voluntatis non esset communicatio fidei cum aliis fidelibus, sed reddere diuinæ auctoritati cultum debitum intellectualem.

7 Ideo fortasse idem Auctor *ibidem* aliam rationem dederat §.7. dicens, confessionem externam imperari à pia affectione propter eandem honestatem assensus interni, quia amatur, vt signum articuli crediti: quare ratio, inquit, amandi actionem externam non est sola conuenientia ipsius, sed etiam amatur, quia creditus est articulus. Vnde concludit, quod articulum esse creditum, non est sola conditio sine qua non amaretur externa confessio per affectionem piam, sed est ratio formalis amandi. Sed contra hoc vrgere videtur, quod non apparet, quomodo bonitas assensus interni sit ratio formalis amandi confessionem externam: nam assensus internus non est finis confessionis externæ, sed potiùs est medium ad illam: medium autem non communicat honestatem fini, sed eam potiùs accipit à fine: quomodo ergo confessio externa accipit suam honestatem ab assensu interno: sed neque potest eam accipere sicut actio externa: quia confessio externa non imperatur ab assensu interno fidei, sed à voluntate honesta manifestandi fidem internam. Quare adhuc indigere videtur explicatione modus, quo confessio externa potest participare ab assensu interno honestatem, & bonitatè, propter quam ametur, & imperetur ab eodem habitu piæ affectionis. Imo idem Hurtado tandem §.10. in fine fatetur, posse facillimè defendi, quod confessio externa pertineat ad aliam virtutem, cuius obiectum formale sit ipsa honestas confessionis externæ, quæ distincta sit ab assensu interno.

8 Aliam denique rationem indicat Lorca *vbi supra n.2. in fine* dicens, confessionem externam pertinere ad eandem virtutem fidei, quia confessio externa per se non habet alium finem magis intrinsecum, & proprium, quàm vt veritas fidei, cui credendo adhæremus firmior sit, & omnibus conspicua. Sed contra hoc est, quia vel intenditur per fidei confessionem, quod assensus fidei sit firmior apud nos, vel solùm quoad alios, apud quos ex nostra confessione fides propagetur. Primum non est ad propositum, cùm testificatio externa rei non sit apta ad faciendam fidem ipsi asserenti, sed potiùs eius assensum supponat. Secundum verò non pertinet ad obiectum formale fidei, quia sicut temperans non est, qui alios vult esse temperantes, sed qui in se ipso temperantiam seruat, ita non est fidelis, qui aliis fidem persuadet, sed qui ipse fideliter credit quod Deus reuelat.

9 Ego libenter admitto, confessionem externam fidei esse verum, & proprium eiusdem fidei actū, quatenus per se, & propriè imperatur ab eodem habitu piæ affectionis, à quo imperatur assensus fidei internus. Ad quod asserendum, præter communem auctoritatem adduci possunt duæ rationes, quas breuiter indicauit S. Thomas *dicta q.3. articulo 1. in corpore*, & easdem fortasse insinuare voluerunt plures ex citatis Auctoribus, & eas etiam reddere videtur Suarez *in præsenti disp. 14. sect. 1. num. 7.* primam indicauit S. Thomas dicens; *Confessio autem eorum, quæ sunt fidei, secundum suam speciem ordinatur sicut ad finem ad id quod est fidei.* Quod ego ita explico: finis proprius, & honestus quem intendit, & respicit pia affectio imperans fidei assensum, est cultus, & reuerentia debita veracitati diuinæ aliquid testificanti, cui sine grauissima irreuerentia non possumus dissentire, vel assensum non præbere, id enim cederet in contemptum grauem diuinæ auctoritatis, cuius excellentiam ipso assensu firmissimo profitemur, vt vidimus supra agentes de obiecto piæ affectionis requisitæ ad credēdum: hoc autem bonum, & hæc eadem honestas formaliter loquendo reperitur in confessione externa fidei. Nam excellentia veracitatis diuinæ eadem est, cuius cultum intendit volūtas imperando assensum fidei, & captiuando intellectum in eius obsequium ad vitandam irreuerentiam, quæ diuinæ veracitati inferretur, dissentiendo, vel non assentiēdo eius dictis, vt diximus loco citato. Cederet autem in grauissimam irreuerentiam eiusdem diuinæ veracitatis negare exteriùs fidem obiectis à Deo reuelatis: sicut è contra cedit in cultum, & reuerentiam eiusdem eorum obiectorum veritatem palam confiteri, & profiteri: ad eundem ergo habitum voluntatis pertinet vtrumq; actum imperare, & amare. Nam licèt cultus, qui Deo tribuitur per cōfessionem externam, distinctus sit à cultu, qui tribuitur per assensum internum, illa tamen differentia est materialis, & non impedit, quod possit vterque cultus imperari, & amari ab eodem habitu voluntatis. Sicut habitus, quo colimus Regem non solùm potest imperare, & velle genuflexionem, & alia signa seruitutis erga Regem, sed etiam, vbi in vsu esset, scripto publico fateri, se Regi genuflexisse, & alia signa seruitutis exhibuisse, quod etiam scriptum esset signum summissionis, erga Regem, & actus reuerentiæ debitæ: posset idem habitus velle & imperare hoc testimonium, & hanc scripturam cum hæc etiam cedant in reuerentiā Regis propter eius excellentiam, & dignitatem Regiam, quod est motiuum illius habitus. Sic ergo idem habitus piæ affectionis, quo propter reuerētiam debitam diuinæ veracitati ob eius auctoritatem, & excellentiam, volumus ei firmissimè credere, poterit ex eodē motiuo deseruire, vt velimus hanc firmam fidem manifestare, cùm hæc etiā manifestatio sit cultus, & reuerentia debita Deo ob eandem eius veracitatem, & auctoritatem infinitam: quod multò magis locum habere potest in habitu infuso, cuius sphæra latiùs multò patet, quàm sphæra habitus acquisiti, vt sæpè diximus, & omnes concedunt & hæc est prima & præcipua ratio conclusionis.

10 Secunda ratio & minùs principalis ad hoc ipsum probandum esse potest, quam indicat idem S. Thomas eodem loco, quòd scilicet *exterior locutio ordinatur ad significandum id, quod in corde concipitur. Vnde sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est propriè fidei actus, ita etiam, & exterior loquutio.* Quam rationem ego sic intelligo, & explico: quilibet habitus voluntatis extendi potest per redundantiam quandam ad ea omnia obiecta, quæ aliquo modo participant etiam extrinsecè bonitatem & motiuum principale illius habitus, propter quod primarium obiectum amatur, vel attingitur. Sic charitas amat Deum, & homines etiam, quia imagines sunt Dei, & ad Deum attinent, & hoc propter bonitatem ipsius Dei, quæ licèt non sit in hominibus, sufficit tamen illa attinentia ad Deum, & ille titulus, vt amari

amari possint propter bonitatem Dei. Sic amicus propter bonitatem amici, quem diligit, amat eius etiam famulos, & alia, quæ ad amicum pertinent. Sic habitus latriæ, vel duliæ inclinat ad colendas imagines Christi, vel Sanctorum, quorum imagines sunt. Quid ergo mirum, quod habitus piæ affectionis, qui amat assensum fidei internum propter eius bonitatem, amet etiam confessionem externam, quæ est imago, repræsentatio, & manifestatio assensus interni, & hoc propter bonitatem eiusdem assensus interni, cuius externa confessio, imago, & repræsentatio est? Quare non solus assensus internus, sed etiam confessio externa poterit per redundantiam ab eodem habitu piæ affectionis imperari à quo amari potest propter bonitatem eandem fidei internæ. Hanc rationem videtur etiam indicare Hurtado *vbi supra* §. 7. & 8. dicens confessionem externam amari vt signum assensus interni.

11 Obiici potest primò contra primam rationem
Obiectio 1. à nobis adductam; quia si in ipsa externa fidei confessione apparet honestas obiectiua, & cultus veracitatis, & in ipsa negatione externa fidei provt condistincta à dissensu interno apparet turpitudo, & irreuerentia grauissima contra eandem Dei veracitatem, consequens est, vt negatio externa etiam sine dissensu interno sit peccatum externum contra fidei virtutem, quare ad incurrendas pœnas ecclesiasticas non erit necessarius dissensus internus, sed sufficiet negatio externa, quod tamen Theologi communiter non concedunt: Respondeo loquendo de possibili, non dubito quin potuerit Ecclesia punire censuris, & aliis pœnis ecclesiasticis negantem exteriùs fidem etiamsi interiùs eam mente retineret; quia illa negatio est peccatum externum grauissimum contra præceptum diuinum confitendi fidem: & certè olim in Ecclesia pœna non leuis erat negantibus ex tormentorum metu fidem apud iudices infideles, qui tamen sæpissimè solum exteriùs fidem negabant, vt tormenta, vel mortem vitarent, quam tamen fidem interiùs non negabant. De facto tamen Ecclesia non punit excommunicatione propter solum actum externum sine defectu interno assensus debiti, quia has pœnas imponit hæreticis, vel apostatis, &c. quibus nominibus non significatur, nisi qui à Catholica fide discedit; non dicitur autem discedere, qui eam mente retinet, licèt exterius ostendat, & fingat se discedere: ideo de facto eiusmodi pœnæ non incurruntur propter negationem fidei solùm externam sine defectu interno, quamuis potuissent incurri propter negationem solum externam culpabilem, si eam etiam voluisset eo casu Ecclesia punire.

12 Secundò obiici potest contra eandem ratio-
Obiectio 2. nem, quia si in confessione ipsa externa fidei reperitur eadè honestas, & bonitas obiectiua, quam habitus piæ affectionis intendit, & in negatione fidei externa reperitur irreuerentia grauis contra Dei veracitatè, quem idem habitus piæ affectionis intendit vitare; ergo negatio fidei externa etiam sine dissensu interno erit verum peccatum directè contra fidei virtutem, atque adeo erit peccatum infidelitatis sufficiens, vt perdatur habitus fidei infusæ, qui solo infidelitatis peccato amittitur. Cur enim magis Deus auferet habitum fidei infusum propter dissensum internũ sine actu externo, quam propter negationem fidei externam sine dissensu interno, cùm vtrumque peccatum opponatur secundùm propriam malitiam virtuti fidei? Respondeo, rationem petendam esse ex dicendis *infra disp.* 16. *sect.* 3. Potuit quidem Deus iustissimè habitũ fidei infusum tollere propter negationem externam fidei fictam, imò & propter quodlibet peccatum mortale, sicut aufert habitum gratiæ, & charitatis, & aliarum virtutũ præter fidem, & spem; de facto tamen voluit remanere habitum fidei, vt peccator habeat principium permanens intrinsecum, vt se ad iustificationem disponat, & eliciat fidei actus, sine quibus se disponere non potest. Non tamen manet hic habitus posito dissensu interno grauiter culpabili contra fidem, quia non manet homo in statu habituali credẽdi, quandiù dissensum illum per actum contrarium non retractat; & quia homo abiicit à se ipsum habitum, nolendo eius vsum, & Deus sicut non dat hæc dona habitualia adultis nisi volentibus, ita non conseruat in nolentibus & inuitis; ideo non oportebat conseruari habitum ad actus, qui in eo statu fieri non possunt, quandiù illa voluntas habitualiter perseuerat non retractata. Posita autem sola negatione externa fidei etiam culpabili, non aufertur habitus, quia adhuc manet homo in statu habituali credendi, & frequenter elicit actus fidei internos, ad quos habitus concurrat. Posito autem dissensu interno, non manet status habitualis eliciendi actus fidei, vel piæ affectionis; quia quamuis possit in eo statu confiteri fidem exteriùs, illa tamen confessio non imperabitur à virtute fidei, nec ab habitu piæ affectionis; est enim confessio ficta, & mendax, & ideo non potest habitus piæ affectionis imperare talem confessionem externam, & per consequens maneret otiosus in eo statu, cùm tamen post negationem fidei externam fictam non maneat otiosus, sed vtilis ad actus fidei internos, qui adhuc in eo statu frequenter eliciuntur, de quo dixi etiam *disp.* 16. *de Pœnit. sect.* 4. *n.* 194. & sequentibus. Denique licèt hoc peccatum negationis fidei externæ opponatur virtuti fidei, vt diximus, non tamen ideo dicendum est, simpliciter peccatum infidelitatis quando mente retinetur vera fides: quia *infidelitatis* nomen non tribuitur omni peccato graui, quod fidei contrarium sit, vt cum aliis notauit Suarez *infrà disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 2. sed est nomen priuatiuum significans illud peccatum, quod priuat fide, quia nimirum tollit fidem ab intellectu, quod non habet negatio externa fidei ficta, cùm possit adhuc in intellectu manere vera fides. Quare dum in Tridentino *sess.* 6. *c.* 15. dicitur, per infidelitatem fidem ipsam amitti, non vero per quodlibet aliud peccatum mortale, sermo est, non de peccato quocunque contra fidem, sed de illo solùm, quod simpliciter & propriè appellatur *infidelitas*, quale non est negatio sola externa fidei. Vnde non est intelligendum, vt sonat, sed piè interpretandum, quod dixit. Auctor imperfecti in Matthæum homil. 25. *non habere in corde fidem illum, qui exteriùs eam negat.* Debet enim intelligi, vel per exaggerationem, vt voluit Granado *in præsenti tract.* 11. *sect.* 1. *n.* 1. vel quod non habeat fidem perfectam, vel fortasse meliùs, quod non habeat fidem in corde, id est, non eam amet eo affectu, quo deberet; si enim eam pro dignitate amaret, non erubesceret illam profiteri, sicut nec seruus erubescit profiteri dominum suum, quem ex corde diligit, & quem plurimi facit.

13 *Obiectio 3.* Tertiò obiici potest contra secundam rationem, quia si habitus piæ affectionis amare potest confessionem externam fidei, quia est imago, & repræsentatio assensus interni, quem amat, poterit etiam habitus temperantiæ amare verba, quibus homo significat se ieiunare, & iustitia amare verba, quibus homo dicit, se restituere, & sic de aliis, quia hæc etiam verba externa sunt signum repræsentans ieiunium, & restitutionem, vt obiecta, quæ eadem obiecta amantur à temperantia, & iustitia, & sic de aliis. Item eodem modo habitus piæ affectionis meus poterit amare verba, quibus alius homo dicit, me habere fidem, & credere eius articulos: nam illa etiam verba sunt repræsentatio meæ fidei internæ, quam per habitum piæ affectionis amo. Propter hæc dixi suprà secundam rationem esse minùs principalem, & ostendere solùm quomodo habitus piæ affectionis possit quasi per quandam redundantiam extendi ad volendam confessionem externam; primam verò rationem esse præcipuam, quæ declarat, quomodo directè, & per se possit pia affectio velle confessionem externam propter bonitatem, quæ in ipsa externa fidei confessione reperitur. Potest tamen secunda ratio vtilis esse ad ostendendum quomodo etiam per redũdantiam, & aliquo modo possit pia affectio extendi ad volendam confessionem externam, vt imaginem fidei internæ, & propter bonitatem ipsius fidei internæ, quæ solùm extrinsecè afficit confessionem externam, sicut signum dicitur bonum à bonitate rei, quam significat. Ad exempla verò in contrarium adducta dici potest, alias etiam virtutes posse per similem redundantiam amare testificationes, & imagines suorum obiectorum, quæ directè, & per se amant. Sic enim temperans, vel misericors gaudet de laudibus temperantiæ, vel eleemosynæ à se, vel aliis exhibitis, & de illis gaudere quantum est ex eo capite, licèt ex aliis capitibus non possint, eo quod testificationes, & manifestationes eiusmodi periculum afferant vanæ gloriæ & minùs puræ intentionis in operibus bonis. Quod tamen periculum regulariter cessat in manifestatione nostræ fidei à nobis, vel ab aliis facta, quia si fiat apud fideles, parum honoris ex hoc resultat; si verò apud infideles, vel hæreticos; timeri potiùs poterit dehonoratio, aut vexatio propter illam confessionem. Denique aduerto, quando nostra fides, vel nostra temperantia, aut iustitia ab aliis manifestatur, licèt manifestatio illa posset aliquo modo per redundantiam à pia affectione, aut aliis virtutibus, ex eo capite amari, vt diximus, non tamen dici actum fidei, temperantiæ, vel iustitiæ nostræ, cùm illa manifestatio à nobis non procedat, sed ab aliis: confessio autem propria nostræ fidei dici potest fidei actus, quia procedit à nobis, & à virtute fidei, saltem quatenus includit habitum piæ affectionis, & prout fides pertinet ad voluntatem.

14 *An decisio fidei sit actus elicitus, an solùm imperatus à virtute fidei?* Ex dictis inferri potest primò decisio illius dubij, an confessio fidei sit actus elicitus, an solùm imperatus à virtute fidei. Aliqui supponunt, esse actum elicitum; ita loquitur Lorca in Commentario dicti articuli 1. *n.* 1. & alij, quibus videtur fauere S. Thomas *illo art.* 1 *ad* 3. sed controuersia est de vocibus. Hi enim auctores nomine actus imperati, intelligunt illum, qui imperatur ab aliqua virtute extranea, non propter honestatem obiectiuam, quæ per se, & directe inest tali actui imperato, sed propter finem alium, vt quando pœnitentia imperat actus misericordiæ, & eleemosynæ ad satisfaciendum Deo; tunc motiuum formale imperandi non est honestas eleemosynæ, & misericordiæ, sed totum hoc assumitur materialiter propter vtilitatem, quam habet ad satisfaciendum pro peccatis, & placandum Deum, quod est motiuum pœnitentiæ; quare eleemosynæ largitio erit actus imperatus pœnitentiæ, respectu autem misericordię dicitur actus elicitus, quia fit à misericordia propter honestatem ipsam misericordiæ, quę immediatè resplendet in eleemosyna, neque hæc eligitur ad finem alium alterius virtutis, in quo sensu actus aliarum virtutum dicuntur aliquo modo imperati respectu fidei, quæ ad eos concurrit, non immediatè, sed mediis aliis virtutibus. Confessio verò fidei dicitur actus elicitus fidei, quia immediatè, & sine interuentu alterius virtutis ad eum concurrit propter suum proprium motiuum, & honestatem propriam confessionis. Alij tamen appellant eam actum imperatum, quia nomine actus eliciti intelligunt eum solum, qui fit immediatè ab habitu talis virtutis, quo pacto confessio fidei non fit immediatè ab habitu fidei intellectualis, nec etiam ab habitu piæ affectionis, sed à potentia exequutiua externa, quæ ad imperium piæ affectionis producit voces, vel formet characteres externos. Sed hæc, vt dixi, est quæstio de nomine, & loquendum est cum multis, cùm de re ipsa nulla sit dissensio.

Infertur secundò, posse confessionem fidei imperari ab aliis virtutibus præter fidem, quatenus potest earum honestatem participare saltem extrinsecè verb. grat. à veracitate, si quis fidem internam fateatur, vt verba menti conformet: quo casu posset confessio fidei appellari actus elicitus veracitatis in sensu supra explicato. Nec video, cur Hurtado *vbi suprà* §. 9. renuat concedere, confessionem fidei pertinere per se ad veracitatem. Nam licèt possit etiam per se pertinere ad fidem, seu ad piam affectionem; poterit etiam per se pertinere ad veracitatem quatenus est conformitas honesta verborum cum mente. Sicut etiam ieiunium debitum ex voto potest per se pertinere ad religionem, quia est res Deo promissa, vel etiam ad temperantiam. Ratio enim, & regula generalis hæc debet esse, quoties actio amatur propter vnam honestatem, ad quam deseruit media alia honestate, quam in se habet, tunc dicitur esse actus imperatus ab aliena virtute, & trasferri in aliam virtutem non sibi propriam, vt quando eleemosyna imperatur à pœnitentia; tunc enim priùs attenditur honestas propria eleemosynæ, & hæc eligitur vt vtilis ad satisfaciendum Deo, & eum placandum, quæ est honestas pœnitentiæ. Quando verò non amatur vna honestas propter aliã, tunc dicitur esse actus elicitus, & proprius illius virtutis, vt cùm misericordia vult eleemosynam, non vult honestatem. Cùm tem eleemosynæ propter aliam honestatem. Cùm ergo veracitas possit velle confessionem fidei, non propter cultum diuinæ auctoritatis, sed solum propter conformitatem verborum cum mente, quæ honestas reperitur per se, & immediatè in fidei confessione, consequens est, vt possit pertinere per se ad virtutem veracitatis. 15

Potest tamen per accidens, & indirectè pertinere ad alias virtutes vt fatentur Suarez *disp. 11. sect. 1. num. 7.* & cum aliis Granado *tract. 11. sect. 1. num. 1.* & alij communiter. Potest enim imperari

17 *Confessio non ita extrinsecè verb. grat. sicut fides.*

imperari à religione, quia est cultus externus Dei: potest imperari à charitate, quia placet Deo, vel quia auget gloriam Dei extrinsecam. Potest etiam imperari à Pœnitentia, quia deseruire potest ad placandum Deum: potest imperari à misericodia spirituali erga proximos, quia potest deseruire ad eos instruendos, & docendos, & sic de aliis virtutibus excogitari potest.

17 *An idem sit habitus in voluntate, qui imperat, & qui assensum internũ fidei, & qui imperat, & vult actum externum*

Infertur tertiò, decisio alterius etiam dubij, an idem sit habitus in voluntate, qui imperat, & vult assensum internum fidei, & qui imperat, & vult actum externum, seu fidei confessionem. Alii qui enim quos refert Granado *vbi supra n.* 3. dicunt piam affectionem complecti duas partes specie incompleta distinctas ad illa duo munera, ex quibus constatur integra virtus piæ affectionis ad fidem; & Hurtado *vbi supra* §. 10. *in fine* fatetur, posse facillimè defendi, quòd sit virtus diuersa, quæ imperat confessionem externam, habens pro obiecto formali honestatem peculiarem confessionis externæ, quæ distincta videtur esse ab honestate assensus interni.

18 Hanc sententiam cuiuscunque sit impugnat Granado *vbi supra*, quia in reliquis virtutibus nemo dicet, esse duas partes, vnam ad actum externum, alteram ad internum, v.g. vnam partem habitus charitatis, quæ inclinat ad amandum Deum, alteram ad manifestandum exteriùs hunc amorem. Hoc tamen argumentum parùm est efficax, imo retorqueri potest, quia si volumus manifestare amorem Dei exteriùs, & hoc propter gloriam, quæ inde resultat Deo, certum est id fieri ex eodem habitu charitatis, quia motiuum formale est idem nempe bonitas Dei, quem amamus per actus internos, ratione cuius bonitatis ei volumus bonũ extrinsecum, & gloriã, quæ ei resultat ex manifestatione nostri amoris. Hæc autẽ ratio non militat in confessione externa fidei, cùm possit esse diuersum motiuũ volendi credere Deo, & volendi manifestare exteriùs nostram fidem internam sicut potest esse diuersa honestas vtriusq; actus. Si verò manifestatio amoris Dei non fiat propter Dei gloriam, sed propter alium finem, & propter honestatem propriam talis manifestationis, tunc negabunt aduersarij procedere ab habitu charitatis, provt expresse negat Hurtado *vbi sup.* §. 8. manifestationem externam voluntatis restituendi procedere ab habitu iustitiæ, vel esse actum iustitiæ. Exemplum etiam aliarum virtutum non est ad rem: certum enim est, voluntatem dandi eleemosynam, & actionem externam, qua datur, procedere ab eodem habitu misericordiæ, quia datio externa procedere debet à voluntate interna dandi, quare non potest habere aliud motiuum, nisi quod est motiuum illius voluntatis: at verò confessio fidei externa non procedit à voluntate sola credendi, cùm sint diuersa obiecta & possimus velle fidem internam non volita confessione externa, vnde non potest ab eo ad alium argumentum desumi; imò retorquetur, vt dixi argumentum aduersùs eum auctorem, quia ipse fatetur, potuisse esse duos habitus, & duas virtutes specie saltem incompleta distinctas, quarum vna versetur circa honestatem solam actus interni fidei, & altera solum circa honestatem confessionis externæ, quod tamen de aliis virtutibus concedi non potest, nec potest dari virtus misericordiæ, quæ inclinet solùm ad actus internos volendi dare eleemosynam, & non inclinet eo ipso ad eam dandam, & idem est de virtute iustitiæ, & temperantiæ &c. non potest ergo quoad hoc deseruire exemplum cæterarum virtutum, in quibus idem habitus inclinat ad actus internos eiusdem virtutis.

19 Aliunde ergo ratio peti potest ad probandum, vnum esse habitum voluntatis ad imperandum assensum internum, & confessionem externam fidei loquendo saltem de habitu infuso: & in primis mihi satis verisimile est, has duas voluntates posse esse specie diuersas, quia possunt tendere ad honestatem propriam assensus interni, vel propriam confessionis externæ quas esse inter se specie diuersas, videtur colligi ex diuersitate peccati contra assensum internum, vel peccati solum contra confessionem externam, quæ videntur esse specie diuersa, & explicanda in confessione, nec enim videtur sufficere dicere *peccauit contra fidem*, sed debet explicari, an habuerit dissensum internum; quare vtraque obligatio videtur specie diuersa, & per consequens actus versantes circa eas obligationes, vt tales sunt potuerunt esse specie diuersi, quo argumento in simili vtitur Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 8.

20 Addo tamen, posse etiam vtramque voluntatem esse eiusdem speciei, quia potest voluntas imperare assensum fidei internum non propter honestatem propriam illius, sed præcisè propter reuerentiam debitam vt sic diuinæ veracitati, & auctoritati per cultum intellectualem exhibitũ, vel manifestatum: quæ ratio præscindit ex se à reuerentia per assensum internum, vel per confessionem externam fidei; propter quam eandem rationem reuerentiæ potest voluntas velle confessionem externam: quo casu, cùm idem sit motiuum vtriusque voluntatis, non apparet, vnde specie distinguantur, quia obiecta materialia volita diuersa non sufficiunt, vt suppono, ad differentiam specificam inter eiusmodi actus. Hic autem est fortasse communis modus volendi eos actus, vt non intendat formaliter voluntas honestatem propriam, & infimam talis reuerentiæ, vt talis est, sed honestatem reuerentiæ debitæ erga diuinam veracitatem, & auctoritatem. Sicut nec religio intendit formaliter, communiter loquendo, honestatem indiuidualem, quæ est in genuflexione, vel in capitis inclinatione, sed honestatem præcisè adorationis; nec pia affectio intendit formaliter, communiter loquendo, honestatem credendi talem articulum propter talem reuelationem, sed honestatem præcisè credendi reuelata propter Dei reuelationem, ad quam honestatem reliqua omnia materialiter se habent, & non intenduntur formaliter.

21 Denique addo, licèt possint, vt dixi, fieri voluntates specie diuersæ circa assensum internum, & confessionem fidei externæ, non ideo ponendos esse habitus infusos distinctos ad eos actus: quia vna, & eadem virtus infusa simplex potest extendi ad eos omnes actus, quando inuenitur proportio, & conuenientia sub eodem motiuo principali. Sic enim loquendo de habitu religionis, idem Suarez *dict. c.* 4. *dict. n.* 8. fatetur differre specie voluntatem mouendi, & voluntatem soluendi votum, & voluntatem iurandi, & *n.* 11. exẽplum ponit in voluntate offerendi sacrificium, quæ specie differt à voluntate iurandi: & tamen postea *lib.* 3. *c.* 8. *n.* 9. dicit, vnicum esse habitum infusum virtutis religionis ad eos omnes actus: quia habitus infusus, non acquiritur per actus, sed est quasi potentia quædam, quæ faciliùs admittit

mittit specificâ distinctionem in suis actibus. Infunditur autem, inquit, hæc virtus religionis per se primò ad dignè, & cum debita reuerentia tractandum omnia, quæ ad exhibendam Deo seruitutem illi debitam ratione suæ excellentiæ & supremi dominij pertinent: in quo obiecto, & fine videtur esse sufficiés vnitas, vt virtus ipsa vna sit. Maximè quia tota illa varietas, quæ est in actibus huius virtutis, habet connexionem quandam ratione vnitatis diuinæ excellentiæ, quæ tota in quolibet illorum actuum semper attenditur. Hæc Suarez, quæ omnia eodem modo & faciliùs applicari possunt ad casum nostrum; nam habitus etiam piæ affectionis per se primò infunditur ad exhibendam reuerentiam debitam diuinæ veracitati, & auctoritati in dicendo, in quo obiecto, & fine est sufficiens vnitas, vt ipsa virtus vna sit, cùm omnes eius actus habeant connexionem quandã ratione vnitatis veracitatis diuinæ, quæ, & cuius excellentia in his omnibus actibus semper attenditur, præsertim cùm multò plures actuum differentiæ sub religionis virtute contineantur, quàm sub habitu piæ affectionis, sub qua solũ ponimus voluntatẽ assensus interni, &
22 confessionis externę. Confirmari autem potest ex iis etiam, quæ diximus supra disp. 11. nempe ipsos assensus fidei omnes pertinere ad eundem habitum fidei infusum intellectualem, licèt reuelationes actuales, quibus nituntur, videantur aliquando esse specie diuersæ: quia nimirum manet adhuc vnitas sufficiés ex parte vnius, & eiusdẽ veracitatis diuinæ, quæ est nobilius motiuum, & attingitur idem per omnes fidei assensus. Sic ergo idem erit habitus in voluntate ad volendum cultum veracitatis diuinæ siue internum, & intellectualem, siue vocalem, & externum; quia licèt cultus ipsi videantur esse diuersi; veracitas tamen diuina, cuius excellentia attenditur, & cuius cultus, & reuerentia intenditur, eadem est, & per omnes eiusmodi voluntates atingitur.

Hæc dicta sunt de vnitate habitus infusi piæ affectionis, nam de habitu acquisito, qui per actus generatur, & ad similes solùm actus inclinat, aliter dicendum est, posse de facto vnicum habitum ad vtrumque cultum volendum deseruire, si motiuum non sit honestas propria assensus interni, vel confessionis externæ, sed honestas, vt sic reuerentiæ erga diuinam veracitatem: posse etiam esse habitus distinctos, si non intendatur honestas illa ita abstracta, sed provt est propria huius, & illius cultus erga diuinam veracitatem. Vide, quæ dixi in simili de habitu acquisito in ordine ad adorationem, & cultus diuersos *disp. 34. de Incarnatione sect. 1. num. 20.* ne iterùm eadem reperamus.

23 *Non omnia verba, aut signa externa, quibus significatur fides interna sunt actus fidei.*

Infertur quartò non omnia verba aut signa externa, quibus quomodocumque significatur fides interna, esse actum fidei, neque è contra verba omnia, aut signa, quibus quomodocumque manifestatur error, aut dissensus internus circa fidem, sunt propriè actus infidelitatis. Prima pars probari facilè potest ex dictis, quia confessio externa in tantum est actus fidei, in quantum ordinatur ad reuerentiam diuinæ veritatis, & auctoritatis, vt diximus: si ergo aliquis in suis verbis eiusmodi reuerentiam diuinæ veracitatis nullo modo intendat, sed solum mentem suam manifestare amico interroganti, tunc verba illa non haberent honestatem fidei externæ, cùm nõ procederent ex voluntate, & intentione colendi diuinam veracitatem, sed ex alio fine.

Secunda pars explicari, & probari potest in eo, 24
qui concilij, & instructionis petendæ gratia manifestat confessariò suam hæresim internam, & se non credere præsentiam Christi in Euchastia v.g. vel quid simile, & hoc non dicit ad affirmandum exteriùs errorem illum, sed præcisè ad manifestandam suam mentem, & statum suum internum, vt instrui possit à Confessario; quam manifestationem interni erroris eo casu non esse peccatum externum infidelitatis, vel hæresis, nec ideo incurri hæresim, docent Simancas, Perez, & Victoria: quos affert, & sequitur Henriquez *lib. 3. de Pœnitentia cap. 21. num. 4. littera S.* in margine: & idem dicunt Couarruuias, Guttierrez, Sayrus, Azor, Aragonius, Sa, Azeuedo, & Corduba, quos affert, & sequitur Sanchez *lib. 2. in decalogum capite octauo, numero* 19. & 20. qui cum aliis addit, id verum esse, etiamsi non solum dicat, se antea in ea hæresi interna fuisse, sed etiam nunc esse, & licèt de peccato illo non doleat, nec dicat animo acquiescendi Ecclesiæ, si tamen animus ille non manifestetur, sed solùm animus petendi concilium, & instructionem, ac remedium. His denique accedit Hurtado *infra disp. 83. sect. 3. §. 32. & sequentib.*

Ratio autem à posteriori esse potest, quia actio illa bona & honesta esse potest, nam supposito, quod habeas illum errorem in corde, bonum & honestum est quærere consilia, & remedia ad eum excutiendum; sicut, & qui habet desiderium turpe contra castitatem, laudabiliter illud manifestat suo Patri spirituali, vt remedia quærat aduersùs tentationem, sub qua turpiter iacet. Non ergo prohibetur pœnis & censuris ab ecclesia id, quod ex suppositione peccati interni laudabile & desiderabile est; hoc enim esset præcludere viam remij quærendi, nam vulnus quod ignorat medicina non sanat.

Ratio à priori difficiliùs redditur, cur ea con- 25
fessio erroris interni non sit contra reuerentiam debitam diuinæ veracitati, & per consequens contra virtutem fidei. Omissis autem aliis, quæ apud dictos auctores videri possunt, petenda videtur, ex iis, quæ indicaui *disp. 23. de Pœnitentia sect. 4.* & alibi, vbi aduerti, omnem propositionem, & loquutionem vocalem, aut externam significare immediatè mentem loquentis, & mediatè, seu inditectè obiectum, quod affirmatur, vel negatur. Quando v.g. dico *Petrus est in foro*, directè, & immediatè significo, & manifesto iudicium, quod habeo, vel quod fingo me habere de existentia Petri in foro; mediatè verò, & indirectè significo Petrum esse in foro, quod tamen aliter significare non possum, nisi significando directè iudicium, quod habeo de tali obiecto. Quamuis autem directè, & immediatè significem solum meum iudicium, & mediatè & inditectè eius obiectum, nempe Petrum esse in foro; hoc tamen vltimum solum dicor simpliciter, & absolutè testificari, & affirmare; quia testificari & affirmare est confirmare aliquid meo testimonio, seu me ipsum in testẽ adducere alicuius veritatis, cui quasi subscribo, & interpono meam auctoritatem: ego verò non adduco me in testem mei iudicij de existentia Petri in foro, nec illud iudicium testor, aut confirmo, quia ad hoc necesse esset significare iudicium aliud quod habeam de illo iudicio, quo iudicio reflexo, testificarer de illo iudicio directo; solum ergo significo, non testificor,

testificor iudicium directum, quo iudicio confirmo veritatem existentiæ Petri infero, & hoc est illam veritatem testificari interponendo meam auctoritatem, & scientiam ad illam confirmandam & roborandam, & hoc modo ei veritati subscribo, quod nihil aliud est, quàm me auctorem & testem scribere, & hoc denique est illam veritatem affirmare exteriùs, id est, mea auctoritate, & testimonio firmare. Quod idem cum proportione de propositionibus negatiuis intelligi debet, ex quibus hoc ipsum magis declaratur: nam in propositione vocali negatiua, qua nego Petrum esse in foro, significo etiam meum iudicium internum negans Petrum esse in foro, non tamen nego vllo modo illud iudicium, sed solum Petrum esse in foro, cuius falsitatem meo testimonio, & iudicio confirmo, & cuius me testem facio, & cui meam auctoritatem interpono. Significo ergo iudicium meum, & nego solum eius obiectum. Sic etiam in propositione vocali affirmatiua significo meum iudicium, testificor tamen solum eius obiectum, quod etiam solum meo testimonio confirmo & affirmo. De hoc tamen dicemus latiùs *infra hac ead. disp. sect.* 5.

26 Hinc iam videtur explicari malitia propositionis externæ, quæ directè res fidei aliquis negat, vel contrarium affirmat: affert enim se ipsum in testem falsitatis fidei, vel veritatis contrariæ, quam suo testimonio directè confirmare, & roborare intendit, suam ad hoc auctoritatem interponens: quæ sine grauissima diuinæ auctoritatis irreuerentia fieri non possunt, cùm etiam inter homines grauis offensa existimetur, si aliquid affirmanti contradicas, & obiectum contrarium testificeris, & tuo testimonio confirmes. A fortiori ergo grauissima erit irreuerentia Deo aliquid reuelanti, & testificanti testimonium nostrum opponere, & nosmetipsos in testes falsitatis diuini testimonij afferre, provt facit, qui exterius fidem negat, vel contrarium affirmat.

27 Quando verò aliquis non solum significat, sed affirmat etiam, & testificatur suum solum dissensum internum circa res fidei, aliter se res habet: tunc enim obeictum affirmatum & testificatum non est falsitas articuli fidei, sed dissensus internus: significatur autem immediatè, & directè aliud iudicium reflexum, quod habemus circa ipsum dissensum rerum fidei; Vnde quando dicis, *ego interiùs non credo Trinitatem, vel credo esse falsum*; sensus est; ego scio me habere dissensum internum circa Trinitatem: atque adeo testificaris non falsitatem Trinitatis, sed existentiam tui dissensus interni, quam existentiam tuo testimonio confirmas, de Trinitate autem, vel eius negatione nihil affirmas, aut testificaris, & per consequens non contradicis Deo, quia Deus affirmat Trinitatem, tu affirmas dissensum tuum internum circa Trinitatem; quæ duo non sibi contradicunt, nec aduersantur. Vnde peccas quidem habendo illum dissensum internum; ex suppositione tamen, quod illum habeas, laudabile aliquando erit, & honestum dissensum illum, & peccatum interius manifestare exteriùs ad petendum remedium, cùm per hoc non affirmes, vel testificeris, nisi id, quod verum est, & quod Deus ipse scit esse verum, & quod non repugnat existentiæ Trinitatis, quam Deus affirmat, & testificatur.

Potest autem hæc eadem differentiæ ratio aliter explicari: quia nimirum, qui loquitur, intendit suam mentem audientibus communicare, vt quantum fieri possit eandem mentem cum ipso habeant. Vnde, qui affirmat, Patrem esse incarnatum, intendit communicare hanc suam mentem & hoc iudicium de Incarnatione Patris, vt auditores idem iudicent; cùm autem iudicium illud erroneum sit, & in materia grauissima non potest licitè intendi eius communicatio. Qui verò solùm affirmat reflexè suum assensum non intendit communicare mentem suam circa Incarnationem Patris, sed mentem suam, & iudicium circa assensum suum de Incarnatione Patris; quod quidem iudicium verum est, cùm verè iudicet, se habere assensum de Patris Incarnatione, atque adeo per talem loquutionem mentem solùm veram intendit communicare.

Circa hoc tamen duo sunt aduertenda. Primum est, quando aliquis dicit: *Ego habeo dissensum Trinitatis*, seu *ego credo falsum esse articulum Trinitatis*, licèt his vocibus possit velle affirmare & testificari solum suum dissensum internum, & nihil testificari, vel negare de Trinitate; frequenter tamen eisdem voces vsurpari solere ad loquendum de ipsa Trinitate: nam sicut confessio fidei externa fieri solet per voces, quæ videntur reflexæ, dicendo verbi gratia. *Ego credo Trinitatem personarum*, ita negatio fidei frequenter solet per similes voces, quæ videntur reflexæ, dicendo v.g. *Ego non credo Trinitatem*, vel, *ego apud me habeo, quod non sit Trinitas*. Nam licet hæ, & similes voces videantur secundùm sonum reflexæ, & quod significent iudicium reflexum de dissensu directo interno, quem solum dissensum videntur affirmare: sed tamen eædem voces ex communi hominum vsu vsurpari frequentissimè solent ad loquendum de ipsa Trinitate v. gr. & ad illam affirmandam, vel negandam. Quare si hac intentione proferantur, non est dubium, quod erit peccatum externum infidelitatis, & hæresis sufficiens ad incurrendas censuras, & alias pœnas. Quod etiam comprobat communis hominum sensus, qui æque offenduntur, & æstimant sibi exteriùs etiam contradici, si illis aliquid testificantibus, alius dicat, *Ego apud me habeo, id falsum esse, vel ego contrarium credo verum*. Vtimur enim hac formula verborum reflexa elegantiæ vel modestiæ causa, cùm tamen animus sit directè contradicendi, quo sensu verba illa communiter ab audientibus accipiuntur. 28

Secundum aduertendum est, licèt ille, qui eiusmodi verbis solùm intendit affirmare, & testificati dissensum suum internum, non neget directè veritatem articuli, nec eius falsitatem testificetur formaliter, adhuc hoc ipsum regulariter opponi virtuti fidei, & esse posse peccatum infidelitatis externum, nisi circumstantiæ sint tales quæ excusant ab ea indecentia, eo quod loquutio illa magis procedat ex affectu erga fidem, quàm ex irreuerentia contra ipsam. Porrò adhuc eiusmodi manifestationem meram dissensus reflexam continere malitiam grauem contra fidei debitum, probari potest, quia si eam nõ contineret, posset fidelis interrogatus à Tyranno de sua fide eam hac via occultare sine peccato graui: nimirum nihil asserendo de veritate, vel falsitate fidei, sed solum affirmando, se habere internum dissensum vel se eam in corde non credere, quo respõso proculdubio Tyrannus cõtentus esset, & fidelis vitaret imminentem sibi mortem. Nemo autem 29

dicet

dicet, posse responsum illud eo casu dari sine grauissimo contra fidem peccato: fatendum ergo est, reperiri malitiam, & irreuerentiam grauem contra fidem in manifestatione, & testificatione etiam reflexa dissensus, & infidelitatis internæ, saltem nisi aliunde ex reuerentia erga eandem fidem excusetur. Ratio autem est, quia illa testificatio reflexa de dissensu, saltem indirectè, & arguitiuè præiudicat diuinæ auctoritati, nam licèt non dicas, esse falsum, id, quod fides docet, nec eius veritatem neges, fateris tamen te eam interiùs negare. Quare haberes te, sicut doctor, qui rogatus approbare opinionem aliquam, vel ei subscribere diceret, ego sanè apud me eam veram existimo, nolo tamen propter reuerentiam Auctoribus contrariæ sententiæ debitam hanc meo calculo approbare, vel docere, aut inter eius auctores annumerari; ex quo respondendi modo iis, qui interrogauit, licèt non posset dicere approbatam ab eo doctore fuisse illam sententiam, posset tamen dicere esse iuxta eius mentem, & sensum. Sic ergo possumus hoc saltem dicere, quod fidei articuli sint contra tuam mentem, & sensum, licèt eos reprobare non velis, nec contraria dogmata affirmare, quando de eorum veritate, vel falsitate nihil vis asserere, sed solum de tuo interno sensu. Negari autem non potest, hunc ipsum respondendi modum esse contra reuerentiam fidei debitam, & inde tanti momenti continere grauissimam irreuerentiam.

30 Dixi tamen, nisi circumstantiæ sint tales, quæ excusent ab eiusmodi indecentia. Excusatur enim vt dixi, quando ipse modus manifestandi, & testificandi reflexè solum dissensum internum ostendit, id non fieri ex auersione, sed potius ex affectu & reuerentia erga fidem, nempe ad quærendum consilium, & remedium, vt tollatur dissensus, qui manifestatur, & ponatur assensus qui quæritur: huiusmodi enim interrogatio, & manifestatio, licèt supponat irreuerentiam internam, & dissensum illicitum, non tamen addit nouam irreuerentiam, sed potiùs minuit; cùm non fiat ad contrà dicendum Deo exteriùs, sed ex suppositione dissensus interni melius sit illum manifestare ad eum expellendum, quàm obstinato corde retinere, quare in iis circumstantiis magis Deo placet quàm displiceat talis manifestatio, quæ humilitatem aliquam & reuerentiæ desiderium ostendit. Hinc autem à fortiori fit, manifestationem dissensus merè præteriti, & vt præteriti non reddere aliquem hæreticum externum, cùm non significet hæresim præsentem internam, sed præteritam, quæ vt præterita non potest integrare hæresim præsentem cum manifestatione præsenti & multò minus, quando id fit in confessione Sacramentali ad confitendum peccatum præteritum alioquin semper hæresis interna esset reseruata, cùm non possit confessarius eam audire, quin eo ipso facta sit externa & afferat censuram Pontificiæ reseruatam. Videatur Hurtado vbi suprà §. 30. qui tamen addit, si neque hæresim præteritam reuocauit, nec se eam reuocasse significat, fieri hæreticum externum per illam manifestationem hæresis præteritæ; quod ego intelligo, quando verba externa possent aliquo modo manifestare statum habitualem internum præsentem: alioquin non videntur manifestare exteriùs, hunc esse nunc hæreticum, sed fuisse olim hæreticum internum.

SECTIO II.

Quale sit præceptum non negandi exteriùs fidem.

DVplex est præceptum alterum negatiuum non negandi fidem; alterum affirmatiuum illam positiue confitendi, illud obligat semper contra Helceseitas, & alios hæreticos, quos refert Valentia, *in præsenti quæst. 3. puncto 2.* & Suarez, *disp. 14. sect. 1.* & constat ex Matth. *cap. 10. omnis negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* vbi aduerte ex Augustino, *tract. 112. in Ioan.* non solùm negari Christum, quando aliquis dicit, Christum non esse Deum, sed etiam quando negat se esse Christianum vel eius discipulum. Petrus enim non negauit Christi diuinitatem, sed negauit se eius discipulum; & tamen grauissimè peccauit, non solùm ob periurium in tertia negatione adiunctum, sed etiam ob simplicem negationem duarum priorum. Loca Sanctorum Patrum in huius dogmatis confirmationem vide apud Suarez, *vbi suprà*, & *lib. 6. ad Regem Angliæ c. 9.*

Solet probari malitia huius negationis, quia qui negat fidem consequenter dicit Deum esse fallacem, qui eam reuelauit. Hæc tamen ratio non videtur firma. Primò, quia ille simul negat esse à Deo reuelatam, & per consequens adhuc concedit Deum esse summè veracem. Deinde, quia posset dicere, se adhuc non esse Christianum, quia nunquam ei proposita sunt fidei mysteria, & motiua, ad credendum; ex eo autem quod mihi non sint proposita fidei motiua, non sequitur ipsam non esse veram; ergo negare me Christianum solùm esset tunc mendacium leue.

Melius probatur ex obligatione, qua seruus Christi tenetur non erubescere fateri Dominum suum; est enim dedecus Domini, quod seruus dedignetur eum pro Domino fateri; nam eo ipso negat illi debitum cultum; quare cùm hæc obligatio tantò sit maior in creatura ad creatorem, obligat etiam cum vitæ periculo; ideo Christiani, cum confirmantur, accipiunt in fronte signum crucis: ideo enim Lucæ 9. hanc negationem debiti honoris nomine erubescentiæ de sua doctrina appellauit dicens: *qui me erubuerit, & meos sermones hunc filius hominis erubescet.* Dicesne ergo etiam erit mortale, si Sacerdos, vel religiosus metu mortis neget se esse Sacerdotem, vel religiosum. Aliqui concedunt sequelam, quia hic etiam erubescit statum perfectionis Christianæ. Sed Sanchez *vbi suprà n. 10.* & Suarez *n. 11.* cum aliis negant quod secluso scandalo verum videtur. Probant, quia ex hoc non videtur negare fidem, nec sequitur fidem esse falsam. Verùm hæc ratio iam suprà reiecta est. Melius probatur. Quia adhuc negato sacerdotio, vel statu religioso possum profiteri me Christi seruum, & discipulum, quod verò negem tale, vel tale genus obsequij, & famulatus, non est grauis iniuria Dei. Alioquin etiam peccaret mortaliter sæcularis, qui ob verecundiam negat amicis se habere votum castitatis, & religionis, quod est omnino falsum. Vnde infertur etiam posse negari quod Missam celebrauerit, vel audierit, vt notat Suarez *n. 11.* propter eandem rationem.

Aduer-

33 *Christianorū nomine intelligi potest nomē nationis inimicæ.*

Aduertendum etiam est cum communi, aliud esse, si aliquis negat se Christianum, quando agitur de ipso fidei negotio; aliud quando nomine Christianorum intelligitur nomen nationis inimicæ: vt si gerentibus bellum Turcis cum Christianis, aliquis metu mortis dicat se non esse Christianum, sed Turcam. Ratio autem discriminis est, quod tunc non agitur de religione, sed solùm de dignoscendis personis; quare tunc non tam nego religionem, quàm meam personam fingendo aliam; vt si aliquis fingeret se esse Regem Angliæ, qui est hæreticus; non peccaret contra fidem, sed contra veracitatem. Sicut neque est iniuria Domini, si eius famulus aliquando fingat, se esse alium hominem; esset tamen irreuerentia contra Dominum, si seruus retinendo suam personam negaret se seruum illius; sic etiam in præsenti. Monet autem benè Suarez, & alij, negari è contra fidem ab eo, qui interrogatus ab hæreticis, an sit *Papista, Romanista, Pontificius*, id negat; quia hæc nomina apud ipsos, licèt per contemptum imposita sint, re tamen ipsa significant sectatores fidei Ecclesiæ Romanæ, & agnoscentes Romanum Pontificem, vt caput Ecclesiæ. Si tamen nomen *Pontificij, vel Papistæ* non vsurparetur ad significandos adhærentes Papæ in spiritualibus, sed eius milites in aliqua factione ob bellum contra alium fortasse Principem Catholicum, tunc qui apud aduersarios negaret se Papistam, vel Pontificium, non ideo negaret fidem, vt notauit Coninch *in præsenti disp.* 15. *dub.* 2. *num.* 10. Denique notant omnes, à fortiori negari fidem ab eo, qui dicit se esse Caluinistam, Lutheranum, Turcam Mahometanum, &c. quia eo ipso quod profitetur veritatem alterius sectæ contrariæ, negat veram fidem Catholicam, cui illa alia cõtradicit. Si autem *Turca*, vel alia similia nomina non vsurparentur ad significandã religionem, sed nationẽ; qui se talem fingeret, aut nominaret, non ideo negaret christianam fidem, vt notauit Suarez *dicta sect.* 1. *num.* 11,

34 *Negans se christianum vel Papistã, cum æquiuocatione, an possit excusari etiam à peccato venialis mendacij.*

Addit autem idem Suarez *ibi num.* 10. contra alios, quos adducit, negantem se christianum, vel papistam in prædicto casu, posse facilè excusari etiam à peccato veniali mendacij: quia potest vti prudenti aliqua æquiuocatione ad dandum verum aliquem sensum suis verbis, sicut potest reus à iudice non iuridicè interrogatus, & *n.* 11. applicat in communi eandem doctrinam ad eum, qui diceret se Turcam, quando hoc nomen non ad religionem, sed ad nationem, vel factionem, ciuilem significandam vsurparetur. Quod vltimum difficilè videri potest, quia licèt in propositione negatiua possit facilè inueniri sensus cõmodus verus ad loquendum æquiuocè sine mendacio, & ad negandum te esse Christianum, vel Italum, &c. nempe vt id tenearis, vel possis respondere, &c. sed non facilè inuenietur talis sensus verus in propositione affirmatiua, vt asseras te esse Turcam, cùm non sis: & ideo fortasse idem Suarez, quamuis dixerit eandem esse rationem de affirmante se esse Turcam, addidit tamen, si nomen illud sumatur vt nomen nationis vel muneris, siue officij, *cessat negatio fidei propter rationem suprà factam, quæ hic facilè cum proportione applicari potest*: non verò explicuit, quod cesset ratio mendacij, prout in negante se Christianum dixerat, quia id fortasse difficilius erat in propositione affirmatiua. Si tamen inueniatur sensus sufficiens ad amphibologicam, eadem erit ratio in hoc sensu.

Hinc infertur primò, eum, qui non negat planè veritatem nostræ fidei, negat tamen eius omnimodam certitudinem, aut ostendit se de illius veritate dubitare, vel formidare, facere etiam contra hoc præceptum negatiuum non negandi fidem. Ita cum aliis Suarez *vbi suprà num.* 9. quia non solum derogatur fidei negando veritatem articuli reuelati, sed negando eius certitudinem, cùm sit etiam de fide certitudo rei reuelatæ, & eius negatio opponatur infallibilitati diuini testimonij: quam certitudinem negat, quicunque profitetur, vel ostendit se dubitare de rebus fidei. 35

Infertur secundò, neque etiam licere in materia fidei respondere verbis æquiuocis, quæ ab interrogante accipiantur pro negatione, licèt à respondente alius verus sensus intendatur. Ita Suarez *dicta disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 7. Granado *dict. tract.* 11. *sect.* 2. *num.* 6. & alij, & colligitur ex verbis Christi suprà adductis *qui me erubuerit, & meos sermones*, &c. qui enim vtitur verbis ambiguis, vt appareat infidelis, erubescit certè professionem Euangelicæ doctrinæ, & de iis loquitur S. Cletus in epist. 7. lib. 2. epistolarum S. Cypriani his verbis. *Qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negauit, & qui vult videri satisfeciſſe legibus aduersus Euangelium positis, hoc ipso iam paruit, quod videri paruiſſe se voluit.* Ad quod etiam inducì possunt verba Augustini relata in cap. *quisquis* 11. quæst. 3. *Qui metu*, inquit, *potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum.* Non ergo desumitur hæc malitia ex mendacio, quod quidem vitaretur vtendo verbis ambiguis, cùm iudex non interroget iuridicè, sed desumitur ex scandalo, & ex erubescentia, & iniuria contra diuinam auctoritatem, cuius doctrinã erubescimus, & ideo videri volumus eius contemptores. Confirmarique potest à simili ex blasphemia, in qua non excusabitur culpa ex eo, quod aliquis vtatur verbis ambiguis, & quæ habere possunt bonum sensum, si tamen apud audientes non in eo, sed in sensu blasphemo accipienda sint, & ad hunc finẽ proferuntur, vt proferens blasphemus reputetur, eadem enim est irreuerentia externa contra Deum, cùm ille alius sensus maneat in occulto. Idémque ex communi hominum sensu constat, qui meritò de tali conuicio, & iniuria querelam habebunt, quandiu sensus ille alius non explicatur, præsertim si ad hunc finem verba æquiuoca proferuntur, vt in sensu contumelioso ab auditoribus accipiantur. 36 *In materia fidei non licet respondere verbis æquiuocis, quæ ab interrogante accipiantur pro negatione.*

Infertur tertiò, quid dicendum sit de eo, qui interrogatus non negat fidem, sed tacet, vel dicit nolle se respondere. Aliqui enim absolutè dicunt, id non licere, quos refert Suarez *d. sect.* 3. *n.* 6. Alij cõmuniter distinguunt de interrogato à persona publica, & interrogato à persona priuata: illum dicunt non posse tacere; hunc verò posse, quod alij etiam extendunt, quando persona publica non interrogat in publico, sed in priuato. Auctores vide apud Suarez *d. sect.* 3. *n.* 5. & apud Sanchez *dicto c.* 4. *n.* 6. Alij tamen melius dicunt, has distinctiones materiales esse ad explicandã hanc obligationem, quæ formaliter, & vniuersaliter loquendo, sumenda est ex circumstantijs omnibus, ex quibus debet iudicari an silentium, vel tergiuersatio hìc & nunc sit signum negationis, vel erubescentiæ, quo casu non licebit tacere aut tergiuersari, secus verò si solum significet con- 37 *Quid dicendum sit de eo, qui interrogatus non negat fidem, sed tacet, vel dicit se nolle respondere.*

temptum interrogantis, & non defectum fidei, vel constantiæ, quo casu id licebit. Ita Suarez *num.6.* Sanchez, *vbi supra*, Granado, *numer.9.* Hurtado, *disp.48. §. 20.* Coninch. *disput.15. dub.5. num.109. & sequentibus*, qui alios referunt, & tandem totum hoc reducunt ad circumstantias, ex quibus pendet, an hoc silentium tunc in ordine ad existimationem, vel scandalum, vel ad dedecus veræ religionis æquiualeat negationi, vel indiciis formidinis, aut inconstantiæ, vel erubescentiæ. Vnde inferunt, quia id regulariter contingit in interrogatione facta ab homine habente potestatem publicam, ideo eam regulam, & distinctionem fuisse ab aliis traditam, licèt non sit vniuersaliter, & formaliter vera, vt diximus.

38 Potest itaque aliquando contingere, vt licitè aliquis precibus aut etiam pecunia apud magistratum impetret, ne de sua fide interrogetur, vel postquam interrogatus fuit, ne cogatur respondere: quando scilicet hæc non arguerent defectum fidei, vel constantiæ in ipso, sed potius fidem, & constantiam; ideo enim hæc procurat, quia si interrogetur vel respondere cogatur, fassurus sit omnino suam fidem, vnde iam eo ipso implicitè ostendit, se esse fidelem, vt adducto Baronio anno 205. num.17. & Lorca, probat Coninch. *vbi supra num.111. & 113.* Facilius tamen potest silentium excusari quando interrogaris ab homine priuato, cui poteris respondere *quid ad te?* aut *vnde tibi hæc potestas examinandi meam fidem?* quibus verbis magis indicas contemptum personæ interrogantis, quàm fidei defectum. Hæc enim verba apud magistratum communiter loquendo plus nocerent irritando iudicem, vt acerbiùs te puniat ob sui contemptum, licèt defectum fidei non ostenderent, imo regulariter magis confirmarent iudicem in suspicione de tua fide, quàm negando potuisses facilè eius furorem vitare.

39 Regula ergo vniuersalis est, vt quando tergiuersatio, vel silentium æquiualent negationi, vel erubescentiæ, aut formidinis indicio in ordine ad inconuenientia, ob quæ hæc sunt illicita, illa etiam non liceant, siue id fiat in publico, siue in occulto, siue apud Magistratum, siue apud hominem priuatum; cùm enim formalis negatio fidei vtrobique sit illicita, vtrobique etiam illicita erit negatio virtualis, vel æquinalens vnde

Libellatici, grauissimi peccati rei. Vnde dicti

Libellatici olim grauissimi peccati rei habiti sunt vt constat ex Baronio anno 205. & 253. & ex Epist. Cleti ad Cyprianum, quæ est 31. inter Epistolas Cypriani, & ex epist. 52. eiusdem Cypriani, & aliis locis. Dicti autem sunt Libellatici illi, qui secreto per se vel per alios apud Magistratum agebant, vt contentus esset secreta fidei negatione, quam per se, vel alios offerebant, nec eos ad publicam cogeret, & libellum ab ipso magistratu accipiebant. Aliquando etiam impetrabãt, ne eos ad fidem etiam in occulto negandam cogerer, sed daret eis libellum, quo testaretur ipsos sacrificasse, imo ipsis non petentibus iudices hos libellos vltro offerebant, vt pecuniam ab eis extorquerent. Quæ omnia irreuerentiam grauissimam continebant contra fidei confessionem, quam saltem exterius simulare volebant se negasse, & iudicis testificationem approbabant, & admittebant: de quibus videri potest Coninch, *loco citato.*

40 Similiter silentium damnandum esset, quando multi simul de neganda fide rogati à iudice, multisque eorum annuentibus aliqui tacerent; quod silentium iam tunc videretur esse consensus cum pluribus. Item si per errorem ij, qui tacent, putarentur & ipsi respondisse, & fidem negasse, ideoque refertentur in eorum catalogum, qui parati essent ad negandam fidem, ipsis interim videntibus, & non contradicentibus. Item si tacente alius respondeat te fidem negare, cui tamen ob verecundiam non contradicas, quod quidem etiam apud priuatos non liceret, multo minus in publico iudicio. Addit Cobinch. *numer. 114.* idem esse si multi interrogarentur, aliis eminus spectantibus, nec audientibus, quid diceretur, & dum constantes reiiciuntur ad carceres, tu impetres à iudice ne te ad respondendum cogat, & idcirco dimissus puteris ab aliis negasse fidem, & ideo dimitti. Hoc tamen limitatione etiam indigere videtur: quid enim si iudex ex se, quia te cognatum vel amicum antiquum recognouit, nollet te ad carceres reiicere, sed liberum dimittere? non liceret tibi gratiam acceptare, ne alij putarent te fidem negasse? si autem acceptare liceret, cur non & impetrare, reducendo eius mentem veterem amicitiam, vel fortasse cognitionem; deberes quidem sinistram opinionem apud alios de te abolere, & palam protestari fidem; non tamen damnarem vt negantem fidem, qui impetraret non respondere, nisi in iis circumstantiis, in quibus talis impetratio scandalum generaret, vel opinionem inconstantiæ, aut defectus in fide tuenda.

Infertur Quartò, non esse contra hoc præceptum fugam, quando fideles, vel Catholici inquiruntur, & persecutio grassatur, vel imminet. Quod immeritò negauit Tertullianus, *in libro de fuga in persecutione*: contra quem errorem scripserunt Sancti Patres, præsertim Athanasius, *in sua Apologia de fuga*, Cyprianus, *in libro de lapsis* aliquanto ab initio, & *epist.56. & 86.* August. *epist.180. ad Honoratum*, & *tract.46. in Ioan.* & alij, quos affert Suarez, *disp.14. sect.3. numer. 9.* & colligitur ex verbis Christi Matth.10. *Si vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam*, & ex eius exemplo, qui non solùm infans fugit Herodem, sed factus vir fugit etiam alterum Herodem Matth.4. & sæpius fugit, & abscondit se à Iudæis eum volentibus interficere *Ioann.8. & 10. & 11.* Quod fecerunt etiam Apostoli, vt constat de Paulo per murum in sporta demisso 2. *ad Cor.11.* & de Petro ex carcere fugiente *Act.12.* Quod idem fecerant Prophetæ ante aduentum Christi, vt Helias qui fugit furorem Iesabel, 3. *Reg.19. & cap.18.* Centum Prophetæ eundem errorem fugerunt: & hoc exemplum sequuti sunt quamplures Sancti Martyres, & Confessores in Ecclesia christiana, vt Athanasius, Syluester, Blasyus, Cyprianus, Polycarpus, & alij innumeri. Ratio autem est clara, quia qui Tyrannum fugit, non negat fidem, imo eò ipso eam confitetur, cùm eligat sibi exilium, ne Tyranno consentiat, & vt dixit Cyprianus supra citatus, *qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat, nam fortè qui non secedit, ne gaturus remansit.* Nec obstat, Apostolis ad culpam imputari, quod Christo relicto fugerunt: nã culpa, si quæ fuit, non fuit propter fugam secundùm se, sed vel propter scandalum, vel propter diffidentiam, & modum fugæ, cùm non debuissent timere experti toties Christi potentiam, sed

41

petere

petere ab eo vel auxilium, vel consilium; nimiq autem timore correpti non satis prudenter deliberarunt, quare culpam venialem in eis videtur agnoscere Suarez, 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 34 *sect.* 3. & Latiùs Cornelius, *in cap.* 26. *Matth. vers.* 31. & 56. Nec etiam obstat exemplum illius, qui ex consortio 40. Martyrum fugit ad balneum, vt mortem euaderet, quæ fuga grauissimum peccatum in illo æstimatur: nam fuga illa fuit virtualis negatio fidei, non solum, quia signum illud à Tyranno datum fuerat illis, vt significarent defectionem à fide, vt vult Suarez, *in præsenti disp.* 14. *sect.* 3. *in fine*, sed multò magis, quia custodes non finerent eum ex tormentis exire, nisi tacitè saltem negantem fidem, quare illa actio in iis circumstantiis erat quasi petere à ianitore licentiam egrediendi, eo quod fidem cum tanto dispendio confiteri nollet.

42 *Fuga in quo casu sit illicita?*

Cum his tamen stat, fugam aliquando illicitam esse, nempe si fiat cum damno spirituali aliorum fidelium, quibus debeas assistere, & quos fugiendo deseris in periculo manifesto negandi fidem: quam ob causum Prælatus aliquando fugere non potest cum damno suarum ouium, sed debet animã ponere pro ouibus suis, ne sit mercenarius, qui *videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est*: in quibus verbis notauit bene S. Thomas, *in illud cap.* 10. *Ioann. lect.* 3. Christum culpam inuenisse in eo, *qui fugit, & dimittit oues*: si enim non dimittat, sed fugiat potiùs & lateat, vt possit eis commodiùs assistere, vel sine ouium detrimento fugiat licitum id erit, & aliquando sub obligatione, quando fuga, & vita Pastoris necessaria est ouibus alioquin perituris. Sicut licita etiam est, quando persecutio non est contra oues, sed solum contra Pastorem, è contra verò potest aliquando qui pastor non est, teneri ad non fugiendum, si eius præsentia necessaria est aliis, qui eo fugiente in fide deficient, vt cum aliis concedunt Suarez *dicta sect.* 3. *num.* 12. & Coninch. *dict. dub.* 5. *num.* 107. qui *num.* 106. bene notat, in dubio de necessitate, aut facultate fugiendi prudenter acturum Prælatum, si aliorum consilio se regi sinat, ne in causa propria amore suæ vitæ ductus existimetur. Quando verò non omnium sacerdotũ præsentia necessaria est fidelibus, posse aliquos fugere aliis remanentibus, qui si ad inuicem non consentiant, debere id fortè definiri. Addit Suarez, num. 11. alquando licitam esse fugam, & tamen non sub obligatione, sed posse adhuc fidelem in publico expectare: de quo dixi *tom.* 1. *de iustitia disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 47. & *sequentibus*. Quod præsertim videtur procedere, quando aliquis iam ob fidem captus tenetur, quo casu aliqui dicunt esse obligationem non fugiendi ex carceribus: quod tamen ipse negat esse in vniuersum verum, & probat exemplo S. Petri, qui ex ipsis vinculis iam iam occidendus effugit. Aduerte denique, minùs cautè loquutum Pesantium, *in præsenti q.* 3. *art.* 2. *ad* 1. *concluſ.* 2. §. *dixi initio*, dum ait, Pastorem tempore persecutionis non posse latere, sed teneri publicè profiteri fidem etiam cum vitæ periculo, quia aliàs oriretur scãdalum, quod idem dicit locum habere in homine priuato, quando hic solus in ea Vrbe esset doctus. Quod ex dictis constat esse falsum, vt notauit etiam Coninch. num. 94. quia potius in eo casu Pastor, vel doctor deberet latere, vt in occulto posset alios instruere, & confirmare in fide, & ita de facto apud Iapones, & in hæreticorum prouinciis operarij, & Sacerdotes Catholici latent, quia si sese proderent, statim caperentur, & impediretur in vniuersum fructus, quem intendunt.

43 *Non negat fidem qui non comparet, quando publico edicto iubetur comparere omnes Christiani ad suam fidẽ profitendam.*

Infertur quintò, non negare fidem eum, qui non comparet ad eam confitendam, quando publico edicto, vel aliter citantur, vel iubentur comparere omnes christiani, vel catholici ad suam fidem profitendam. Et quidem, quando non citantur, nec iubentur se prodere, certum est, quod non tenentur id facere, & constat exemplo sanctorum, qui olim in aulis etiam Principum clam christianam fidem profitebantur, donec aliunde deprehensi martyrij occasionem habuerunt; & ita cum communi notarunt Suarez *dict. disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 2. & Coninch, *dict. disp.* 15. *dub.* 5. *num.* 87. & 92. Ratio autem est, quia illa occultatio non est negatio fidei, sed mera negatio confessionis fidei: cùm autem præceptum confitendi fidem non sit negatiuum, sed affirmatiuum, non obligat semper, & pro semper, sed in certis casibus, quos infra afferemus. Aliunde verò non semper sub peccato tenetur captare occasiones, quibus diuina gloria augeri potest, & contingit etiam frequenter vt maior Dei gloria sequatur ex occultatione, quàm ex manifestatione fidei, imò aliquando erit obligatio eam occultandi propter grauissima inconuenientia, quæ ex ea intempestiuè manifestata oriri possunt, vt cum aliis docent Suarez *vbi supra sect.* 3. *n.* 2. & Coninch *num.* 95. & *sequentibus*.

Porrò nec etiam iubente Tyranno, vt omnes christiani se prodant, esse obligationem se prodendi, docent Auctores, qui addunt non debere cum graui periculo vti veste, vel signo à Principe instituto, vt christiani eo signo ab aliis dignoscantur. Ita Suarez *dict. disp.* 14. *sect.* 5. *n.* 10. Coninch. *dub.* 3. *n.* 76. Sanchez *dicto lib.* 2. *c.* 4. *n.* 29. vbi alios refert. Nam silentium, vel omissio illius vestis aut signi non est tunc negatio fidei, sed mera omissio manifestationis, quam manifestationem non potest mihi præcipere Tyrannus, neque ego teneor ad eam nisi quando censeretur negatio virtualis fidei, vel in aliis casibus infra adducendis cùm agemus de præcepto affirmatiuo confessionis fidei, vbi etiam alia dubia ad hoc punctum spectantia examinabimus.

44 *An sint pœnæ Ecclesiasticæ statutæ pro mera negatione fidei externa?*

Quæri potest vltimò, an sint pœnæ ecclesiasticæ statutæ pro mera negatione fidei externa: quãdo enim concurrit simul cum negatione interna, nõ est dubium, quod incurrantur pœnæ spirituales statutæ contra hæreticos, vel Apostatas: quando verò in corde retinetur fides, sed propter metum, vel alias causas negatur exteriùs, aliqui dicunt incurri excommunicationem ipso facto, & alias Apostatæ pœnas, vt docuit Caietanus *infra quæst.* 12. *art.* 1. & *quæst.* 94. *art.* 2. communis tamen sententia fatetur potuisse quidem ab ecclesia extendi has pœnas ad negationem fidei merè externam, cùm sit actus externus & peccatum grauissimum; de facto tamen pœnas spirituales ipso facto incurrendas non extendisse vniuersaliter ad omnia eiusmodi peccata. Ita Syluester, Angelus, Tabiena, Nauarrus, Toletus, & alij plures, quos affert, & sequitur Suarez *dicta disp.* 14. *sect.* 6. An verò, & quomodo propter præsumptionem actus interni ex actu externo procedatur contra ipsos ab inquisitoribus, & quousque puniri possint, & quando torturæ subiaccant, &

abiurare debeant de leui, vel etiam de vehementi, videri possunt Auctores plures, quos latè congerit de his in praxi tractans Diana *p.4. tract.7. de pœnis delictorum ad S. Officium pertinentium resol.3.& 34.* An verò ob negationem fidei merè externam incurratur aliqua irregularitas, vel suspensio, dicemus *infrà disp.25 sect.2.in fine.* Nunc tamen, antequam veniamus ad præceptum affirmatiuum confessionis fidei, & ad alia dubia circa vtrumque præceptum, examinandum occurrit dubium vnum morale, an in hoc præcepto negatiuo circa fidei negationem possit dari leuitas materiæ excusans è peccato mortali externo, quando deest dissensus, & infidelitas interna.

SECTIO III.

An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari peccatum veniale.

45 CAsus est satis frequenter occurrens, & parum examinatus, v.g. aliquis concionator, vel in concione, vel priuato sermone dicat. Adamum vixisse tot annos, cùm tamen constet ex Scriptura vixisse vno anno minus: vel dicat. Dauidem habuisse tot filios, cùm habuerit pauciores, an esset peccatum graue, an leue ob materiæ paruitatem.

Suppono primò, si esset circa aliquid pertinēs ad dogmata Christianæ fidei, vel honorem Dei, vel morum integritatem, aut de quo esset controuersia cum hæreticis, & oporteret sanam doctrinam explicare, fore graue peccatum, & mendacium perniciosum, siue id fieret ex industria, siue ex culpabili ignorantia. Suppono secundò, in casu quæstionis non dari assensum internum contra obiectum reuelatum: alioquin non est dubium, quin assensus contra obiectum reuelatū, quantumuis leue, scienter præstitus esset peccatum hæresis, & destructiuum fidei, vt docent Doctores omnes, quos latè congerit Diana 5. *part. de paruitate materiæ resolutione 28.* Dubium ergo solùm procedit de narratione merè externa alicuius historiæ sacræ cum aliqua leui circumstantia, quæ sit contra veritatem historiæ: in quo etiam casu idem dicendum videtur, siue id dicatur scienter, siue ex ignorantia, vel negligentia culpabili: nam sicut auctoritas Dei postulat fidelitatem, ita etiam aduertentiam in referendis fideliter rebus à Deo reuelatis.

46 *Sententia negatiua.* Pro parte negatiua, quod scilicet non detur paruitas materiæ, videtur esse auctoritas communis Doctorum; nam licèt in terminis non disputent de hac quæstione, docent tamen generaliter, in materia fidei mendacium esse peccatum mortale. Nauarr. *in Man. cap.25. num.141. & cap.18.num.4.* Caietanus in summa verbo *prædicatorum peccata.* Ledesma 2.*part. summæ tract. 18.cap.2.in fine.* Emmanuel Sa verbo *prædicare, num.4.* & alij Summistæ communiter ex S. Thoma 9.*quæst.110. art.4.* vbi etiam Caietanus.

Secundò probatur ratione, quia iste homo saltem exteriùs opponit se auctoritati diuinæ negando aliquam veritatem reuelatam: Deo autem non solùm fit grauis offensa, negando eius veracitatem in graui, sed etiam in re leui: vtrumque enim pariter Deo repugnat.

Confirmatur, quia in materia periurij non datur veniale ex paruitate materiæ, eo quod tam repugnat Deo testificari mendacium leue, quam graue; & ideo in vtroque grauiter offenditur Deus: ergo similiter grauiter offenditur Deus, si afferatur pro auctore rei falsæ etiam leuis, quod fieri videtur, quando dicis, Scripturam sacram asserere talem circunstantiam, quæ tamen est falsa.

Tertiò probatur, quia talis Concionator proponit, vt reuelatum à Deo id, quod non est reuelatum; ex quo fit, vt moueat auditores ad cognandum, quantum est de se, credere illud obiectum fide diuina, quod videtur graue malum: sicut si scienter proponeres populo adorandam hostiam non consecratam, nam huius malitia ea videtur esse, vt proponatur pro materia, & obiecto religionis id, quod non est materia; ergo similiter esset læthale proponere pro materia fidei, quod re vera non est materia. Hæc faciunt pro hac parte.

In contrarium tamen pro parte affirmatiua in primis videtur etiam esse auctoritas communis Doctorum, qui agentes de mendacio communiter requirunt ad læthalem malitiam mendacij, quod sit grauiter pernicioſum; quare obiter videntur supponere; vbi non est grauis pernicies, mendacium esse solùm veniale. In nostro autem casu mendacium non est pernicioſum; supponimus enim, ex eo nullum auditorum incommodum, vel scandalum procedere, ergo non erit mendacium pernicioſum & graue, sed officioſum, & leue. 47 *Sententia affirmatiua.*

Secundò, malitia grauis huius mendacij, in eo esse posset, quod exteriùs te opponas contra diuinum testimonium negando veritatem obiectè reuelati, & per consequens implicitè concedendo, Deum esse mendacem. Hoc autem non sequitur in nostro casu: nullatenus enim negas Deum esse summè veracem: non interiùs, vt suppono, neque etiam exteriùs, nam exteriùs non dicis aliquid esse verum, licèt oppositum sit reuelatum; imò potiùs hoc esse verum, quia hoc est reuelatum, & per consequens iam fateris, quod si oppositum esset reuelatum, esset etiam verum, ergo tollis fundamentum iniuriæ aduersùs diuinum testimonium. Sicut si scires aliquid à Rege dictum, & tamen contentionis causa defenderes oppositum, addens hoc Regem dixisse, & ideo hoc potiùs credendum; certè non videreris grauiter offendere Regiam auctoritatem, & honorem debitum Regio testimonio.

Tertiò ponamus hominem habentem priuatam reuelationem suæ mortis; si hic interrogetur an habuerit eam reuelationem: quis dicat non posse eum negare sine peccato mortali? Ergo similiter poteris sine læthali negare Deum reuelasse aliquam circunstantiam alicuius historiæ, negando simul eam esse in sacra Scriptura: probatur consequentia, quia hæc circunstantia non magis refert ad auditores, quos habes, quàm mors aliena, vt suppono, ergo sicut ille sine læthali potest negare mortem sibi esse reuelatam; sic tu sine læthali poteris negare illam circumstantiam esse reuelatam; nec illa deceptio erit grauis, sed leuis. 48

Vltimò, quia nimis durum videtur, & præter morem etiam timoratorum hominum, obligare Concionatorem ad referendas historias sacras adeo semper exactè & scrupulosè, vt nullam circunstan

cumstantiam quantumuis leuem possit sine culpa læthali variare. Pro quo videtur facere id, quod docet Sà verbo *mendacium*, num. 2. vbi sic ait: *mentiri in concione in pertinentibus ad doctrinam, quidam aiunt semper esse mortale, alij non semper; quod intellige si sit materia leuis.* Imò Caietanus infrà quæst. 110. art. 4. in fine planè docet, quod allegare vnum prophetam pro alio non est læthale: quod idem docet Nauarrus dicto cap. 18. num. 4. *quia hoc est mentiri circa accidentalia doctrinæ.* Ex hoc autem possumus arguere ad nostrum casum, quia de fide etiam est Isaiam v. g. dixisse talem prophetiam, ergo qui verba Isaiæ tribuit Hieremiæ, eo ipso negat materialiter aliquid pertinens ad fidem, scilicet verba Isaiæ non esse Hieremiæ, & tamen excusatur à mortali ob paruitatem materiæ, ergo similiter in nostro casu in quo etiam sensu accipiendum videtur quod cum communi docet Thomas Sanchez, *lib. 2. in decalogum caput. 37. num. 9.* peccare mortaliter eos, qui falsa miracula prædicant aut scriptis mandant: & quod Caietanus in summa verbo *Prædicatorum peccata*, Nauarrus in summa, cap. 18. num. 5. cum aliis dicunt, fingentes gesta Sanctorum peccare mortaliter; nam hæc omnia ex leuitate materiæ possent aliquando esse venialia, vt si solum esset mendacium circa aliquam circumstantiam leuem. Denique in hoc sensu intelligendi videntur aliqui Auctores recentiores, nempe Sayrus in claue Regia statim citandus, & Alphonsus de Leone de Officio Confessoris, *Parte 1. recollect. 7. num. 45.* concedens, esse posse veniale in verbo leuissimo sapiente hæresim.

49 Respondetur ad fundamenta partis aduersæ.

Ex quibus potest responderi etiam ad fundamenta partis aduersæ. Ad Primum negando, illam esse sententiam communem: nam licèt Doctores loquantur aliquando generaliter; non tamen loquuntur expresè in nostro casu, in quo eorum verba possunt admittere exceptionē: nam eodem modo dicunt generaliter doctrinam falsam, seu mendacium in materia spectante ad mores, aut fidem esse læthale: & tamen nemo dicet, non posse dari mendacium leue in doctrina morum ob paruitatem materiæ. Adde, aliquos expresè insinuasse hanc exceptionem in materia fidei, vt de Sa, & Caietano visum est Nauarrus etiã *dict. c. 18.* postquam posuit regulam generalem, *quod peccat mortaliter, qui mentitur in materia fidei, sacræ scripturæ, vel morum:* limitat statim, & addit, *hoc non procedere, quando fit vel solum propter multiloquium, vel alias sine animo, & periculo nocendi notabiliter, & persuadendi aliquod falsum alicui.* In quo videtur contineri exceptio nostræ quæstionis. Quare eandem exceptionem intendisse videtur Sayrus in claui Regia, lib. 12. cap. 2. num. 19. dicens, *in materia fidei potest esse peccatum veniale; potest enim esse tam leuissimum verbum, vt esset hæresis tantum venialis.* Quod tamen vltimum explicatione indiget: nam si sit hæresis formalis, iam supponit dissensum internum, in quo non datur paruitas materiæ, quare debet intelligi de hæresi tantùm materiali, & merè externa.

Ad Secundam, iam diximus, hunc non se opponere formaliter veracitati diuinæ; non enim asserit, Deum falsum reuelasse coniungendo reuelationem cum falsitate, sed asserit aliquid esse falsum, asserendo simul id non esse reuelatum, & paratum se ostendens, ad mutandam sententiam quando constiterit de contraria reuelatione.

50 Ad confirmationem de exemplo periurij, Respondetur non esse simile adhibere Deum testem alicuius veritatis, sicut adhibetur in iuramento, & dicere Deum aliquid dixisse: alioquin sicut non possumus licitè iurare rem, cui solùm probabiliter assentimur; nisi habeamus aliquam certitudinem, sic nec liceret dicere, Deum aliquid reuelasse sine læthali, nisi essemus certi de reuelatione: consequens autem est falsum; nam sæpè dicimus absolutè; *hoc est de fide: Deus hoc reuelauit*, cùm tamen sint opiniones probabiles inter doctores, an illud sit de fide. Ratio autem discriminis videtur esse, quod quando iuramus, significamus, nos habere talem certitudinem de obiecto, vt audeamus petere à Deo, vt sit testis illius; quod sanè esset grauis Dei iniuria, & dedecus, si in re ipsa esset periculum falsitatis, nam esset velle, & petere, quod Deus etiam nobiscum deciperet auditores. At verò quando sine iuramento per simplicem narrationē dicimus, Deum aliquid reuelasse, non eo ipso volumus, quod Deus id testetur, & decipiat auditores, sed nos ipsi soli volumus mentiri narrando reuelationem quæ non fuit, non adducentes Deum in consortium, vt nobiscum mentiatur. Ex quo fit vt viri timorati cautiùs loquantur, quando iurant, quàm cum simpliciter aliquid narrant, etiamsi narrent historias scripturæ; Ad quod facit id, quod docent communiter Theologi in materia de iuramento de hac loquendi formula, *Deus scit hoc ita esse sicut dico:* docent enim, si hæc verba proferantur cum animo inuocandi Deum in testem & exigendi, quod affirmet id, quod dicimus tunc esse peccatum mortale, si sint cum mendacio: si autem proferantur enunciatiuè, asserendo, Deum hoc scire, tunc non sunt peccatum mortale, sed mendacium leue, quia tunc ego solus volo loqui, videatur Sanchez, qui aliòs refert *lib. 3. in decalogum cap. 2. num. 2.*

Ad tertium respondetur, eum, qui proponit adorandam hostiam non consecratam, peccare quidem grauiter, quia est causa, quod cultus debitus Deo tribuatur pani. At verò in nostro casu assensus, quem auditores præstant errori, non est cultus, qui tribuatur errori, sed veracitati Dei, quæ etiam per illum assensum colitur, licèt obiectum materiale creditum falsum sit. Certum enim est, quod obiecto ipsi credito, nullus cultus defertur: alioquin coleremus Pilatum, quoties symbolum recitantes ipsum etiam de fide credimus.

51 Hæc possunt affetri pro hac parte, vt ostendatur in hoc posse excusari culpam grauem, præsertim si non frequenter, & ordinariè contingat; nam adeo frequens posset esse hæc variatio in circunstantiis rerum fidei, vt non parum derogaret auctoritati doctrinæ, & pareret contemptum magnum apud Auditores. Atque ita senserunt his rationibus conuicti plures, & graues magistri Salmaticenses, quos de hac quæstione consului, & pro ea videtur expresè stare etiam P. Salas *1. tom. in 1. 2. tract. 3. disp. 4. sect. 2. num. 15.* vbi asserit, non esse mortale aliquam falsam circunstantiam asserere in materia leui contra Scripturam ex negligentia etiam voluntaria. Quod verò neque illam asserere scienter sit mortale, docuit idem auctor obiter in manuscriptis huius materiæ *in præsenti art. 3. dub. 1.* vbi ex eo probat, malitiam negationis fidei non consistere

in eo, quod Deum faciat fallacem, quia *alioquin*, inquit, *mortaliter peccaret, qui ex industria, vel notabili negligentia referret aliquam Scripturæ historiam cum aliqua falsa circumstantia nihil referente ad dogmata fidei, vel ad mores, vt dicendo aliquem obiisse vno anno, qui obiit alio: consequens autem videtur falsum, & durum.* Et postea addit. *Existimo, non esse mortale negare exteriùs tantùm veritatem fidei, quæ nihil referat ad honorem Christi, Dei, vel Sanctorum, vel ad mores, & quæ non sit dogma fidei, aut versetur in controuersia ac proinde nec ex eius negatione Ecclesia possit diuidi, vel turbari, aut aliud periculum sequatur, dummodo non appareat id dictum esse à Deo: sic enim id negando irrogaretur Deo grauis iniuria, quia existimaretur fallibilis, vel fallax.* Hæc sunt verba prædicti authoris; qui magis in terminis, licèt obiter videtur casum nostræ quæstionis attigisse, & hanc sententiam expresè defendere, in qua tamen sufficiat argumenta proposuisse, vt doctiores possint de re ipsa iudicium ferre.

SECTIO IV.

Quale sit præceptum affirmatiuum confessionis fidei.

52. DIximus, duplex esse præceptum circa actum externum fidei; alterum negatiuum non negandi exteriùs fidem, de quo egimus; alterum affirmatiuum confitendi exteriùs fidem, de quo nunc dicendum est. Et quidem cùm sit affirmatiuum, non obligat semper, & pro semper, sicut obligat negatiuum, sed in certis casibus. Certum est autem, dari tale præceptum affirmatiuum, cõfitendi fidem, & non de solo iure humano, sed etiã diuino, vt constat ex verbis Pauli ad Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris: corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Vbi confessio fidei non ponitur necessaria ad iustitiam, sicut fides interna, quia non est medium necessarium ad iustificationem, sed ponitur necessaria ad salutem, sicut obseruantia mandatorum, sicut quærenti media necessaria ad salutem Christus respondit, *serua mandata:* quæ tota est necessitas præcepti. Quamuis autem hæc necessitas sit per se supposito hoc rerum ordine, in quo homo habet vitam socialem cum aliis, si tamen homo existeret solus in mundo, non videtur, quod tunc per se obligaretur ad manifestandam suam fidem per actus internos, nisi ad summum, quatenus obligaretur ad colendum Deum per aliquem cultum externum, qui consequenter esset iudicium suæ fidei de qua obligatione agitur in tractatu de religione, & non pertinet ad hunc locum, in quo de præcisa fidei obligatione agitur. Nunc tamen supposita vita sociali, & politica cum aliis, fides ipsa obligat ad sui manifestationem. Et quidem in ipsa petitione, & susceptione baptismi, debet quilibet adultus fidem suam profiteri, & de facto satis eam profitetur, cùm petat baptismum, quo ingrediatur in Ecclesiam, & fidelium numero adiungatur. Qui autem in infantia baptizatus fuit, postea, quando venit ad vsum rationis, & fides ei sufficienter proponitur, debet non solùm eam corde suscipere, & amplecti, sed aliquo etiam externo signo hoc ipsum manifestare, vt appareat se eam fidem retinere, cuius professionem in baptismo suscepit, vt notauit Suarez *dicta disp. 14. sect. 2. num. 7.* Ratio autem à priori esse potest duplex. Prima, quia Deus non voluit de facto Ecclesiam solùm inuisibilem, & mentalem, sed visibilem per vnionem, & coniunctionem visibilem, vt fieret vnum corpus mysticum visibile animatum vno, & eodem spiritu inuisibi interno. Hæc autem coniunctio visibilis fieri non potest, nisi membra ad inuicem sensibiliter coniungantur inter se, quod fit, dum singula se se manifestant sensibiliter esse membra huius corporis mystici profitendo eandem fidem & religionem communem aliis membris. Secunda ratio esse potest, quia hoc ipsum exigitur à suprema Dei auctoritate, & maiestate. Cederet quippe in dedecus Principis, si nobilis in eius famulatum adscriptus, & famulis stipendia, atque emolumenta accipiens, ita curaret ea occultò, & per interpositam personam accipere, vt nulli de suo famulatu quidquam constaret, nec vllum prorsus famuli, vel obsequij signum erga Dominum exhiberet. Videretur enim dedignari Dominum, & erubescere professionem suæ seruitutis, quam etiam conseruis suis, & toti familiæ absque iusta causa occultam esse vellet. Quæ irreuerentia eò est maior aduersus Deum, quò infinitè maior Domini dignitas, & innumerabilia eius erga famulos beneficia, & merita assiduam ab eis exigunt suæ professionem seruitutis & fidei erga Dominum infinitè excellentem, & cui tot sese nominibus obstrictos vident.

53. Cæterùm obseruantia huius præcepti nullum quoad praxim addit speciale onus: fit enim satis huic obligationi per opera aliorum præceptorum christianæ legis, præsertim per receptionem sacramentorum, auditionem missæ, ingressum templi, recitationem precum, & alia opera christiana, quæ omnibus satis manifestant fidem internam, & licèt non fiant ex illo motiuo speciali manifestandi, & confitendi fidem, non requiritur opus ex motiuo præcepti ad satisfaciendum præcepto, vt suppono, sed sufficit, quod opus ipsum, quod ex alio fine obseruatur, sit de se manifestatiuum fidei. Sicut beneficiarius qui ex motiuo misericordiæ, & compassionis alit pauperes, satisfacit abundè præcepto religionis de expendendis in vsus pios superfluis redituum ecclesiasticorum, & sic de aliis.

54. Vnde infertur, aliquos casus, in quibus doctores dicere solent, obligare specialiter præceptum hoc affirmatiuum confessionis fidei, non afferre obligationem hanc specialem ortam ex ipsa virtute fidei, sed ex præceptis aliarum virtutum, v.g. fidem debemus saltem implicitè profiteri, quando debemus sacramentum aliquod suscipere, audire missam, recitare officium, adire templa, Eucharistiam adorare, imagines sanctorum, vel eorum reliquias colere, obseruare ieiunia, vel dies festos, & similia: hæc autem obligatio in iis casibus non oritur ex virtute fidei, sed ex aliis præceptis, quæ seruari non possunt sine explicita, vel implicita fidei confessione.

55. His ergo casibus omissis, duo sunt casus, in quibus obligatio confessionis videtur orti ex ipsa virtute fidei: alij sunt, de quibus dubitari potest, an obligatio confessionis tunc oriatur solùm ex aliis virtutibus, an etiam ex ipsa virtute fidei. Primus est, quando petitur baptismus, vel

vel suscipitur fides, quo casu, vt diximus, ipsa reuerentia erga diuinam veracitatem, & auctoritatem obligat ad exhibendum signum fidei internæ, & profitendos nos eiusdem fidei cultores. Addit Suarez *dicto num.7* eandem fidem obligare ad idem postea profitendum aliquibus temporibus in discursu vitæ, itaut vnusquisque aliis fidelibus, inter quos viuit, catholicum, & fidelem se ostendat. Quod verum puto per se loquendo, nam per accidens excusatur ille, qui postea seiunctus ab omni humano commercio degeret, vt S. Paulus Eremita, cui satis fuerat professum fuisse fidem suam coram Ecclesia, cui se exteriùs visibiliter coniunxerat; quare idem dicendum esset de aliis, qui ei similes fuissent, saltem nisi per accidens ob alia præcepta obseruanda debeant, aliquando ad Ecclesiam recurrere. Sicut etiamsi quis apud infideles detineatur, quibus non potest suam fidem sine graui damno manifestare, non est, cui eo tempore debeat eiusdem fidei signum exhibere, & ideo fortasse Suarez in verbis citatis addit, se debere fidelem *ostendere aliis fidelibus, inter quos viuit*, significans, cessare aliquando eam obligationem, quando non viuit inter fideles.

56 Secundus casus. Secundus Casus, quo ipsa fides obligat ad sui confessionem ex communi Doctorum sensu, est quando aliquis interrogatus de sua fide debet eã confiteri, de quo casu diximus *sect.2.* quando, & quomodo eiusmodi interrogatio obliget ad respondendum, & confitendam fidem. Potest tamen esse circa hunc casum difficultas, quia tunc obligatio non tam videtur prouenire ex præcepto affirmatiuo confitendi, quam ex præcepto negatiuo non negandi, eo quod in iis circunstantiis ipsum silentium, & non confiteri esset virtualiter, & implicitè negare fidem, quare casus ille spectat quidem ad obligationem fidei, non tamẽ ad præceptum affirmatiuum eam confitendi, sed ad præceptum negatiuum eam non negandi, de quo dictum iam fuit sectionibus præcedentibus. Puto tamen, discrimen esse inter negationem fidei, & inter meram negationem confessionis debitæ, nam licèt sæpè contingat, omissionem confessionis debitæ in aliquibus circumstantiis inuoluere secum negationem fidei saltem implicitam, & æquiualentem; potest tamen contingere, vt eam non inuoluat, sed sistat in mera omissione confessionis debitæ: quod videtur etiam notasse Suarez *dict. sect. 2. n.4.* in principio explicans verba illa Luc.9. *Qui erubuerit me, & meos sermones*, &c. *Nam erubescere*, inquit, *aliquid minus esse videtur, quàm negare: est ergo non confiteri, quando Christi honor periclitatur.* Vnde minùs cautè loquutus est Hurtado *disp.* 48. §. 15. & 20. fundans totum debitum confessionis in eo, quod non confitendo fidem censemur illam negare; nam, vt dixi, hæc duo distinguuntur, & ipsa omissio confessionis debitæ est prohibita absque vlla negatione formali, vel implicita; in quo etiam sensu intelligi potest Augustinus, *in Psalm.* 115. dum dixit. *Non perfectè credunt, qui quod credunt, nolunt loqui.* & Auctor imperfecti in Matth. homil. 25. apud Chrysost. *non solùm ille*, inquit, *proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium loquitur, sed etiam, qui non liberè veritatem pronuntiat, quando oportet.* Ratio autem est, quia veracitas, & auctoritas diuina non solum obligat nos ad non negandam etiam exteriùs, & fictè fidem eius dictis, sed etiam ad debitam reuerentiam ei exhibendam, saltem quando omissio reuerentiæ exhibitæ cedit in eius positiuam irreuerentiam.

57 Pro cuius tamen maiori explicatione aduertendum est, malitiam huius omissionis, prout nunc loquimur, & prout condistinguitur à negatione fidei formali, vel virtuali, non consistere in eo, quod cesset, vel impediatur honor Dei, qui ex confessione nostra positiua in illis circumstantiis resultaret; in quo minus propriè, vel certè minus clarè loquutus est Sanchez *dict. c. 4. num.2. & 4.* Nam illo *num.2.* vniuersaliter dicit: *quoties ergo Dei honos, aut proximi vtilitas subtrahitur non confitendo fidem, obligabit confessionis fidei præceptum.* Postea verò *num.4.* explicat obligare hoc præceptum, non solùm quando sequitur ex eius omissione subtractio honoris diuini contraria, quatenus Deus afficietur ignominia, sed etiam quando sequitur subtractio honoris diuini priuatiua, quatenus cessat magnus aliquis Dei honor ex fidei confessione in ipsum redundans. Quod quidem cum ea vniuersalitate est absolutè falsum: non enim obligat fides, aut charitas sub peccato graui ad procurandam Dei gloriam omnibus modis, & in omnibus casibus, & quidem quando ex mea omissione non diminuitur positiuè honor Dei apud alios, sed solùm non crescit quantum posset crescere, & augeri, si ergo fidem profiterer, rarò potest esse obligatio grauis ad hoc augmentum procurandum, vt fatetur Suarez *dict. num.4. in fine.*

58 Tunc ergo omissio confessionis fidei continet culpam grauem contra fidem, quando continet dehonorationem grauem contra diuinam veracitatem, & auctoritatem; quæ dehonoratio grauis potest dupliciter contingere, vt in simili explicui disp.8. de Sacramentis in genere sect.10. num. 177. & sequentibus, nempè positiuè & priuatiuè. Quod explicari potest in irreuerentia, quæ in politico cultu fieri solet contra alios homines: qui aliquando dehonorantur positiuè v.g. per contumeliam, alapam, fustem, &c. aliquando solum priuatiuè, quatenus non exhibetur eis debitus honor in talibus circunstantiis, vt si superiori intranti non assurgas, si non aperias caput, si titulum proprium honorificum non tribuas, &c. Nam in iis circunstantiis debetur ei talis honor, quo non exhibito fit iniuria negando honorem positiuum ei debitum. Potest autem hæc negatio honoris debiti fieri ad ignominiam, & tunc est dehonoratio positiua, & potest etiam fieri ex alio fine, & tunc erit dehonoratio priuatiua. Si enim fiat in iis circunstantiis, in quibus significetur animus dehonorandi, & afficiendi ignominia, erit dehonoratio positiua: si verò is animus non significetur, erit solùm negatiua; quia sicut cultus est nota summissionis internæ, sic dehonoratio positiua debet esse nota contemptus interni, & debet eum animum significare. Similiter ergo contra fidei præceptum potest per actus externos dupliciter peccari. Primò per irreuerentiam positiuam externam negando fidem, vel de ea dubitando, quod est dedecus positiuum, & quasi ignominia contra diuinam veracitatem. Secundo, per irreuerentiam priuatiuam, non exhibendo honorem, & reuerentiam tunc debitam diuinæ veracitati, quod fit non confitendo fidem, quando deberet esse confessio, quæ negatio, si fiat ex animo negandi fidem, vel

de ea dubitandi,& id significet, erit negatio, vel dubitatio positiua externa, & dehonoratio positiua; si verò non fiat eo animo, nec eum significet, erit dehonoratio solum priuatiua. Vtraque tamen erit contra præceptum fidei, quæ obligat non solum ad non dehonorandam positiuè diuinam veracitatem, sed etiam ad exhibendum ei honorem positiuum in iis circumstantiis, in quibus talis honor positiuus debetur.

59 In his itaque duobus casibus omissio confessionis fidei est per se contra ipsam virtutem fidei directè, & contra eius præceptum. Alij verò sunt casus, in quibus dubitari potest, an qui non confitetur fidem, peccet contra virtutem fidei, an solùm contra alias virtutes, ex quibus debebatur tunc fidei confessio. Primus casus est, quando debes alios instruere, & docere, qui res fidei ignorant, ad quod aliquando ex charitate erga proximos teneris, aliquando etiam ex iustitia, quando id tibi ex officio incumbit: non potes autem eos docere, & instruere, quin simul fidem tuam confitearis. Quo casu obligationem etiam oriri ex ipsa virtute fidei, docet Coninch *dicta disp.*15. *dub.*4. *num.*79. quia fidei honor exigit, vt eam non solum in nobis, sed etiam in aliis quantum possumus promoueamus. Sicut virtus castitatis non modò obligat me, vt castè viuam, sed etiam vt quantum possum peccata contra castitatem in aliis impediam. Ex quo infert, etsi alij teneantur ex præcepto negatiuo non negare fidem; me tamen tunc teneri ex præcepto affirmatio ad fidei confessionem, cuius omissio erit peccatum, quia est omissio actus affirmatiui præcepti. Hæc Coninch, cui consentit Palao *tom.*1. *tract.*11. *disp.*1. *puncto* 13. *num.*8.

60 Alij tamen in eo casu non agnoscunt obligationes ex fidei virtute, sed ex charitate, vel misericordia erga proximos, vel etiam aliquando ex iustitia. Ità Hurtado *dicta disp.*48.§.20. *in fine*, & videtur id satis significare Suarez *dicta sect.*1. *num.*6. & 7. vbi tandem concludit, tunc confessionem fidei pertinere posse ad fidei præceptum, *vel ex parte Dei quando honor Dei, quatenus est fidei auctor, & assertor, periclitetur, vt si propter defectum confessionis fidei religio christiana falsa existimari possit, vel auctorem eius falsum dixisse; vel etiam ex parte ipsius hominis, si propter non confitendam fidem nimio timori locum daret, & se exponeret periculo, vel deficiendi à fide, vel ostendendi inconstantiam in illa.* Vnde non videtur agnoscere obligationem ex ipso præcepto fidei secundùm se propter solam vtilitatẽ audientium, quando nec periclitatur honor Dei modo prædicto, nec ipsemet homo non confitens exponit se periculo negandi, vel ostendendi formidinem, sed tunc videtur agnoscere obligationem solam ex charitate, vel aliis virtutibus. Addit verò Hurtado rationem, quia fides tantùm obligat ad assensum internum, & externum, non tamen ad propagationem sui; vt iustitiæ lex obligat ad actus internos, & externos vnicuique ius suum seruantes; non tamen obligat ad faciendos alios iustos: illis autem dare occasionem ad iniustitiam pertinet ad vitium scandali.

61 Ego admitto, aliquando obligationem hanc posse prouenire ex sola charitate, vel misericordia erga proximos; neque enim credo, virtutes omnes obligare nos ad eas apud proximos promouendas: nam licèt obedientia, vel temperantia obliget me indirectè, vt non concurram positiuè inducendo alios ad inobedientiam, vel intemperantiam eo modo; quo id latiùs explicat *disp.*16. *de pœn. sect.*4. *n.*151. *& sequentibus*; non tamen obligat me, vt procurem, alios esse obedientes, vel temperantes, & licèt fortasse affectus, quem aliquis habet ad honestatem harum virtutum, possit cum mouere ad procurandas, & promouendas eas virtutes in aliis; non tamen obligare ad hoc, præsertim sub mortali, quare ex hac generali ratione non facilè concipitur, quomodo ipsamet fidei virtus obligare possit ad fidei confessionem, vt fides in aliis propagetur, & promoueatur.

Cum hoc tamen stat, quod aliquando virtus 62
ipsa fidei possit me obligare ad fidem confitendam ob præiudicium eiusdem fidei apud alios impediendum; in quo videtur fidei virtus conuenire cum aliquibus virtutibus, licèt non cum omnibus in vniuersum: nam licèt temperantia, v.g. non me obliget, vt alios ad ieiunandum moueam, vel vt eorum intemperantiam impediam: iustitia tamen aliquando me obligat, vt impediam aliorum iniustitiam vnde magistratus esset iniustus, quando licèt ipse non furaretur, non tamen aliorum furta impediret, cùm posset. Item famuli facerent contra reuerentiam suo domino debitam, non solùm, quando cum contumelia id facerent, sed etiam quando viderent dominum ab aliis fustibus, aut colaphis percuti, nec id impedirent, cùm possent, sed quieti adstarent videntes domini ignominiam. Ratio autem differentiæ est, quia impediendo crapulam alterius non ideo sobrius, vel temperans sum, ideo temperantia non me obligat ad illam impediendam, sed charitas erga proximum. At verò famulus impediens irreuerentiam, & ignominiam domino ab aliis inferri, eo ipso exercet reuerentiam domino debitam, & è contra, si quietus maneret considerans, quid cum domino ageretur, nec impediens, cùm posset, censeretur *irreuerentiã* magnam erga dominum committere. Nam sicut aduenienti domino debetur reuerentia positiua assurgendi, aperiendi caput, &c. & omissio eorum actuum esset contra debitum reuerentiæ positiuæ debitæ in iis circumstantiis: ita domino ignominiosè ab aliis habito debetur à famulo præsenti actus positiuus reuerentiæ, qualis est impedire positiuè eiusmodi contumelias, & ignominias domini, cuius actus positiui omissio est contra debitam reuerentiam in iis circumstantiis. Similiter ergo dicendum videtur de fide, quæ respicit reuerentiam debitam diuinæ veracitati per cultum intellectualem exhibitum, vel manifestatum; obligat enim semper ad non faciendum actum positiuum irreuerentiæ internum, vel externum: aliquando verò ad exhibendum cultum positiuum internum; aliquando etiam ad externum, & sicut ad hunc obligat, quando interrogamus de fide in certis circumstantiis, vt supra vidimus; ita etiam obligat ad talem cultum externum, & confessionem positiuam, quando eadem fides, & veracitas diuina contumeliosè tractatur ab aliis, quos possumus impedire. Itaque motiuũ obligandi non est tunc, ne ab aliis fides negetur, quod potiùs videretur reduci ad præceptum negatiuum non negandi fidem; sed potiùs motiuum obligandi tunc est, vt debita reuerentia à nobis tunc exhibeatur, quæ in talibus circumstantiis positiuè debetur. 63

Dices, hinc sequi, quòd ex virtute ipsa fidei re-

nemur

63 *An ex virtute ipsa fidei teneamur proximos docere, & instruere vt credant.*

nemur proximos docere,& instruere, vt credant: quia nobis non docentibus, illi non credent, & negabunt fidei doctrinam,quæ negatio continet contumeliam,& dedecus positiuum fidei. Si ergo ex virtute fidei tenemur impedire irreuerentias contra diuinam fidem, & ad hoc eandem fidem profiteri. Tenebimur ad eius confessionem, quoties necessaria fuerit ad proximorum instructionem ne & ipsi ob ignorantiam eam negent. Respondetur, in primis quoties proximi laborant solum infidelitate negatiua,nec peccant positiuè contra fidem,cessare in nobis hanc obligationem ex virtute fidei, licèt sæpè remaneat illa alia obligatio ex charitate. Deinde quando non est spes proficiendi & impediendi eorum infidelitatem, & irreuerentias, non erit obligatio ex virtute fidei ad id conandum. Nec etiam fides videtur obligare nos ad alios quærendos,& eduendos vt eorum infidelitatem impediamus, licèt sæpe charitas ad id obliget. Neque enim famulus videtur peccare contra reuerentiam domino debitam ex eo quod non adeat, & quærat alios, quos scit irreuerentes Domino suo esse, vt eos reuerentes reddat, licèt aliquando imputetur ei ad irreuerentiam, si aliorum contra Dominum irreuerentiam præsens, & potens non impediat, sed dissimuler. Denique quando nobis præsentibus, & potentibus impedire, alij fidem contemnunt, considerandæ sunt circunstantiæ omnes, & videndum an sint tales, & talis tantúsque fidei contemptus, vt ipsum silentium, & dissimulatio nostra sit contra reuerentiam, quam fidei, & veracitati diuinæ debemus, sicut erubescentia ipsa absque fidei negatione æstimatur omissio grauis reuerentiæ debitæ, neque enim omnis actus infidelitatis nobis præsentibus ab aliis factus talis est, vt fides ipsa obliget nos ad non dissimulandum, vel tacendum, neque id ad erubescentiam nobis semper impùtatur, sed ex rei grauitate, & aliis circumstantiis pensandum hoc est.

64 *Secundus casus, in quo omissio confessionis fidei videtur esse contra fidei præceptum,*

Secundus casus, in quo omissio confessionis fidei videtur esse contra fidei præceptum, esse potest, quando præcepto Ecclesiastico tenemur fidem profiteri: extat enim præceptum positiuum humanum de professione nostræ fidei præscripta formula facienda à certis personis, & in certis casibus,ex Bulla Pij IV. & Pij V.& quidem omissio professionis fidei in iis casibus, meo iudicio est non solum contra obedientiam Ecclesiæ debitam, sed etiam contra virtutem fidei: quia præcepta Ecclesiæ de actibus alicuius virtutis, eo ipso faciunt, vt actus præceptus sit intra eandem virtutem, & eius violatio sit etiam contra illam specialem virtutem. Sic enim ieiunium præceptum ita pertinet ad virtutem temperantiæ vt violatio ieiunij sit etiam contra virtutem temperantiæ, & debeat in confessione explicari hæc specialis malitia contra temperantiam; & simonia prohibita solum iure humano est etiam contra religionem,& sic de aliis. Cùm ergo confessio fidei de se sit actus virtutis fidei, consequens est, vt accedente præcepto Ecclesiæ,omissio huius confessionis sit non solum contra obedientiam, sed etiam contra virtutem fidei, ad quam confessio illa de se pertinet, & ideo hæc specialis malitia explicari debet in confessione, & sufficienter explicatur, dum pœnitens dicit,se omisisse fidei professionem, quam ex præcepto Ecclesiæ debebat facere. Quando autem,& quas personas obliget præceptum illud Ecclesiasticum pertinet magis ad materiam de beneficiis,& ideo de hoc puncto videri possunt Thomas Sanchez,*lib.2. in decalog.cap.5.* Castro Palao *1.tom. tract.4. puncto 19.* & alij,quos congerit Diana *p. 3.tract.2.de dubiis regularium resolut.78.*

65 *Tertius casus, quo ex ipsa virtute fidei obligatur homo ad illam confitendam.*

Tertius casus,quo ex ipsa virtute fidei obligatur homo ad illam confitendam,esse potest,quãdo putatur in his circunstantiis fidei confessio necessaria,vt homo ipse vitet periculum morale, quod habet deficiendi à fide, nisi per actum illum contrarium,& protestationem externam, timorem & erubescentiam simul excutiat, & se fidelem profiteatur. Quo casu monet bene Suarez *dicta disp.14.sect.2.n.7.* obligationem hanc confitendi fidem prouenire ab ipsa fidei virtute,quia licèt confessio non sit necessaria tunc propter se, sed propter aliud, & per accidens ad vitandum aliud peccatum, & licèt quando actus fidei non est necessarius propter se,sed propter aliud præceptum, vt propter Sacramentum recipiendum, vel propter opus misericordiæ debitum, obligatio illa non sit ex fide, sed ex illa alia virtute, vt supra diximus;in hoc tamen casu,cùm peccatum illud,ad quod vitandum necessaria iudicatur confessio fidei,sit etiam contra fidem,nempe negatio fidei interna,vel externa,consequens est vt omissio confessionis fidei in illo casu non sit contra aliam virtutem,nisi contra ipsam fidem.Quæ tamen non obligat per se,& primariò ad confessionem tunc faciendam, sed secundariò,& per accidens ad vitandum illud aliud peccatum negationis,vel defectus à fide,& ideo magis videtur esse contra præceptum negatiuum non negandi fidẽ, quàm contra affirmatiuum illam confitendi.

66 *An hoc præceptum confitendi fidem obligauerit etiam Angelos in via?*

Dubitant aliqui,an hoc præceptum confitendi fidem exteriùs obligauerit etiam Angelos in via. Quod dubium mouet Turrianus *in præsenti disp.35.dub.3.ante finem*,& ipse breuiter respondet, manifestationem externam, & materialem non fuisse Angelis necessariam,quia hæc ab illis fieri non poterat, nisi in corpore assumpto, quæ corporis assumptio illis necessaria non erat in breui illa morula viæ & sine corpore non poterant bene suos conceptus aliis Angelis manifestare. An verò per loquutionem spiritualem debuerint suam fidem aliis Angelis patefacere, dicit dependere ab eo, an interuenerint circumstantiæ, quæ necessariæ sunt, vt obligetur fidelis ad confessionem fidei externam.

67

Ego in primis fateor, non debuisse Angelum in via manifestare, & profiteri suam fidem per actionem aliquam sensibilem exercitam per corpus assumptum:id enim non erat necessarium ad fidem manifestandam aliis Angelis, cum quibus sufficientem communicationem habere poterat absque vllo signo corporeo, provt de facto eam habuisset, licèt Angeli soli absque vllo prorsus ente materiali & corporeo cõditi fuissent.Et quidem ipsa loquutio spiritualis,qua vnus Angelus alteri loquitur, dicitur verè actus externus fidei, cùm producat,vel generet notitiam in audiente. Loquendo itaque de hoc genere confessionis, & manifestationis fidei, consequẽter ad supradicta, dicendum videtur, debuisse Angelum viatorem suam fidem manifestare: nam rationes, quibus supra eam obligationem in homine probauimus, procedunt etiam in Angelis, cùm ipsos etiam Deus creauerit, non vt singuli seorsim, sed vt omnes simul vitam scialem ducerent, & Rempublicam

blicam intellectualem ac corpus politicum constituerent, & vt ita dicam, ecclesiam Angelicam cuius membra singula debebant aliis suam professionem, & seruitutem erga Deum manifestare, atque adeo notam summissionis internæ exhibere per actus religionis externos, qui aliis Angelis noti esse possint, ne viderentur velle suam seruitutem clam occultare, nullo prorsus signo se Dei famulos, & asseclas, ac discipulos manifestando, sicut supra de hominibus dictum est.

SECTIO V.

De vsu vestium, actionum, rituum, ciborum, & aliorum quæ propria sunt infidelibus, an, & quomodo sit contra virtutem fidei.

68 PLura sub hoc titulo complectimur, quæ singillatim examinanda breuiter sunt, vt explicetur melius obligatio virtutis fidei in ordine ad actiones externas. Quia verò diximus duplex esse præceptum fidei in ordine ad hos actus externos, alterum negatiuum non negandi fidem, & alterum affirmatiuum fidem confitendi: ideo post vtriusque præcepti differentiam explicatam, quærimus de vsu vestium, &tuum, &c. quia hic vsus aliquando est contra præceptum negatiuum, aliquando verò solùm est contra præceptum affirmatiuum confitendi fidem, & ideò quæstio hæc vtrique præcepto communis est: quam maioris claritatis gratia in plures §§. seu dubia diuidemus. Pro quibus tamen omnibus communiter aduertunt Doctores in præsenti, sermonem hîc esse de vsu serio, non de vsu ludicro, qualis in comœdia esse solet, in qua repræsentationis gratia absque peccato vsurpantur, & vestes, & titus, & verba infidelium, & hæreticorum: nam in iis circunstantiis actiones illæ non significant vllo modo infidelitatem internam, vel erubescentiam, cùm constet omnibus animus vsurpantis omnino contrarius.

Quisnã vsus vestiũ, actionum, rituum, &c. hic intelligatur.

69 De occultatione negatiua, qua aliquis fidem suam aliquandiu non manifestat, diximus supra *sect.* 3. non esse peccatum, quando non occurrit obligatio positiua confitendi fidem: nunc autem sermo est, non de occultatione merè negatiua, sed affirmatiua, quatenus aliquis vsurpat signa aliqua, vestes, cibos, &c. ad hunc finem occultandi suam fidem, de qua etiam occultatione in genere supponendum est, eam esse etiam illicitam, quando adest obligatio confitendi fidem: si enim tunc occultatio negatiua illicita est, à fortiori erit illicita occultatio positiua. Nunc ergo dicamus in particulari de iis, quæ ad hunc finem assumi solent, & in primis de vestibus infidelium.

Occultatio fidei alia negatiua, alia affirmatiua.

Quando vtraque illicita.

§. I.

De vsu vestium infidelium, an liceat.

70 VEstes claritatis gratia possunt ad quatuor classes reduci. In prima sunt vestes, quibus infideles distingui solent materialiter à fidelibus, non quidem formaliter prout infideles, sunt sed provt ad talem negationem pertinent, quales sunt vestes Turcarum, quæ magis pertinent ad nationem, aut prouinciam, quàm ad religionis sectam; vnde licèt omnes Christianam fidem reciperent, vestes tamen antiquas retinerent. His autem vestibus consentiunt Doctores posse fidelem vti, quando transiens per infidelium regionem, occultari vult, ad periculum vitandum: vestis enim illa nec explicitè, nec implicitè continet negationem fidei, aut professionem alterius sectæ, & licèt alij putantes esse ex natione illa, decipiantur putantes esse ex eadem nationis secta; id tamen est per accidens, & ex ignorantia. Aduertunt tamen, requiri ad hoc aliquam iustam causam Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 4. n. 17.* & Suarez *in præsenti disp. 14. sect. 5. n. 5.* quia, licèt hæc actio per se non sit mala, habet tamen speciem mali, & ideo vitãda est, iuxta illud Pauli 1. Thess. 5. *ab omni specie mali abstinete vos*: nec enim sine causa sufficienti possumus proximi deceptionem intendere, præsertim in re tanti momenti, vt nos falsæ sectæ cultores iudicet; quam licèt nos non profiteamur damus tamen fundamẽtum aliquod, vt alij existiment: quod in rigore plus est, quàm occultare veram fidem per meram negationem professionis illius: tunc enim non damus fundamenrum positiuum, vt iudicemur infideles, sicut damus in casu præsenti, & ideo maior causa requiritur ad hoc iustificandum, sine qua videtur esse contra reuerentiam debitam veræ fidei, & religionis: sicut magis videtur esse contra reuerentiam Domino debitam, si eius famulus aliqua positiuè faciat, vt æstimetur alienus ab eius famulatu, quàm si solùm negatiuè se habeat non profitendo se eius famulum.

Primum genus.

Secundum genus est earum vestium, quæ vsurpantur ad dignoscendos infideles formaliter, vt infideles sunt, vt Romæ Iudæi vti debent galero flaui coloris, vt cognoscantur, & fœminæ flauo etiam velo in capite. De his autem est magna controuersia, an Christianus possit vti eodem signo absque peccato contra fidem. Negant plures Caiet. Nauarrus, Tabiena, Toletus, & alij plures, quos affert Sanchez *vbi supra n. 18.* quia vtens illo signo implicitè profiteretur, se esse illius falsæ sectæ cultorem, & parum refert, quod id verbis, aut rebus ipsis dicatur, cùm eadem sit malitiæ ratio in vtroque vsu.

Secundum genus.

Alij tamen plures, & graues auctores putant id ex graui causa licitum esse. Azor, Banes, Aragon. Eman. Ludou. Lopez, & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 19.* Suarez *dicta sect. 5. n. 7.* Coninch *in præsenti disp. 15. dub. 3. num. 66.* Castro Palao *dicto 1. tom. tract. 4. disp. 1. puncto 17. num. 3.* & alij, quos afferunt, & probabilem putant hanc sententiam Becanus *de fide cap. 9. quæst. 5. num. 28. & 29.* & alij, quos affert, & sequitur Hurtado *in præsenti disp. 48. sect. 3. 8. 27.* quibus alios addit Diana *5. parte tract. 7. de scandalo resolut. 33.* vbi eidem sententiæ subscribit.

71

Probant aliqui, quia licitum est ex causa vsurpare verba ambigua ad occultandam veritatem, & decipiendum auditorem, qui de re secreta instanter interrogat; ergo à fortiori licebit vsus talis vestis in necessitate; est enim quasi ambiguum, & æquiuocum signum, quod potest ad hunc, vel illum finem vsurpari. Ita arguit Suarez *dict. n. 7.* Hæc tamen ratio per se sumpta nimium probaret, quare retorqueri posset ab aduersariis, quia etiam in necessitate non possumus licitè vsurpare verba æquiuoca, quibus audientes intelligant

telligant nos veram fidem negare, etiamsi ex nostra intentione alium sensum habere possint, vt suprà vidimus,& omnes fatentur; ergo nec possumus vsurpare alia signa ambigua ad decipiendos alios in hac materia.

Secundò probari solet eadem sententia, quia vsus talis vestis de se non est malus, nec continet professionem falsæ religionis:alioquin Iudæi peccarent Romæ galerum Hauum gestantes, vnde nec posset illis præcipi vsus talis signi, hoc enim esset præcipere eis aliquid illicitum: si ergo licitè id Pontifex præcipit,& ipsi licitè obediunt, consequens est, vt vsus ille non sit malus, nec professio falsæ religionis, atque adeo christianus idem signum vsurpans non profitetur explicitè falsam religionem. Ita arguit Sanchez *vbi suprà* & alij.

Sed tamen hoc etiam argumentum nimis probat, & æquè retorqueri potest ab aduersariis: quia Iudæi etiam interrogari licitè possunt à magistratu,an sint Iudæi,vel christiani, & illis licitè præcipi potest, vt respondeant, imò, vt ex se manifestent se ipsos singulis mensibus, & dicant quam sectam profitentur; & quidem ipsi Iudæi respondere,& obedire debent,& per consequens non peccant manifestando se, & dicendo se esse Iudæos;& tamen si aliquis ex christianis diceret Magistratui, vel aliis, se non esse christianum, sed Iudæum, peccaret grauissimè contra fidem: non ergo sequitur,quod vsus pilei flaui licitus sit christianis ex eo, quod Iudæi licitè illum vsurpent, omnes enim differentiam aliquam inter illos 73 inuenire debemus.

Melius ergo iidem, & alij ostendunt probabilitatem huius sententiæ ex differentia, quæ est inter voces, & alia signa: nam voces ex sua natura institutæ sunt ad significandam mentem; & licèt ad placitum applicentur ad hoc, vel illud in particulari significandum; datæ tamen sunt homini à natura ipsa,vt suos conceptus manifestet, & vt iis non vtatur, nisi iuxta significationem semel impositam.Vestes autem,& alia similia habent alios fines diuersos, neque est obligatio iis non vtendi, nisi ad significandum. Hinc ergo est,vt licèt non possimus dicere,*ego non sum Christianus*,absque fidei negatione; possimus tamen vti veste,qua Iudæi dignosci solent, absque fidei negatione, quia possumus veste illa vti,non vt signo,sed vt veste solùm, & ad finem regendi caput, ad quem potissimum finem vestes introductæ 74 sunt.

Hæc ratio non videtur mihi contemnenda,sed indiget fortasse maiori explicatione: possumus autem illam declarare, & confirmare ex alia obligatione, quæ ex eadem vocum natura oritur. Nam, vt diximus in superioribus *disp.4. sect.1.* non est in potestate libera voces proferentis, vt eas proferat materialiter, & non ex intentione significandi, nec hoc sufficiet ad vitandam culpam mendacij,& periurij,quando aliunde ex circumstantiis non possunt audientes, intelligere, quod voces non proferantur ad significandum. Rationem autem diximus esse, quia sicut necessitas commercij, & conuictus humani exigit veracitatem in vocibus, & conformitatem cum mente; ita exigit etiam animum significandi; si enim liceret voces contra mentem proferre materialiter, & absque animo significandi, sequerentur eadem prorsus incommoda, sicut si mendacium esset licitum: neque sibi inuicem homines crederent: cùm possemus semper prudenter formidare, quod voces proferrentur materialiter in sensu tamen externo falso. Quare lex naturæ, quæ obligat ad non mentiendum,eadem propter easdem rationes obligat ad non proferendas voces, nisi ad vsum significandi iuxta significationem illis impositam,vel nisi hic ipse animus proferendi solum materialiter possit auditoribus ex circumstantiis constare: quæ obligatio in vsu rerum aliarum non reperitur, quæ ad alios fines introductæ sunt, & propter quos vsurpari possunt independenter ab animo significandi. Qui profert itaque voces habet obligationem semper loquendi: qui autem vtitur vestibus, vel aliis eiusmodi rebus, non habet obligationem loquendi, aut testificandi,sed potest alios fines intendere, quia natura eiusmodi res ad loquendi vsum non alligauit.

75 *Proponitur duplex difficultas. Prima.*

Contra hanc tamen rationem sic explicitam restat adhuc duplex difficultas. Prima est,quia licèt voces à natura datæ sint alligatæ ad vsum loquendi,& significandi mentem,& ideo non possint absque eo vsu vsurpari: cum hoc tamen stat, vt quando vox est æquiuoca, & habet duplicem significationem, possimus aliquando ex causa eam vsurpare in vno sensu, etiamsi ab audientibus accipienda sit in alio, imò ad hoc ipsum, & vt audientes decipiantur, possumus ex iusta causa aliquando æquiuocationibus vti:ergo sicut ex causa graui possumus vsurpare vestem propriam, & distinctiuam infidelium, quia non est alligata vestis ex se ad significandam infidelitatem,sed indifferens ad alios vsus:sic etiam ex causa graui poterimus vsurpare voces ambiguas, quia licèt ab audientibus accipiantur in sensu, vt significent nos esse infideles: possunt tamen habere alium sensum, nec ex se alligatæ sunt ad illum, in quo ab audientibus accipiuntur.

76

Huic difficultati,quæ non leuis est,responderi adhuc probabiliter potest negando consequentiam, & assignando differentiam inter voces, & vestes: nam vocibus, vt diximus, vti non possumus, nisi ad loquendum, & ad manifestandam nostram mentem iuxta earum significationem. Quamuis autem vocem æquiuocã vsurpare possimus in vna eius significatione,& non in alia, & id quidem etiam ab audientibus in alia significatione accipiatur, quando tamen causa subest sufficiens id faciendi: cæterùm non possumus his æquiuocationibus vti,quando adest obligatio respondendi, & loquendi iuxtã mentem interrogantis, vel audientis, sed debemus vocem in ea significatione vsurpare, in qua ab audientibus accipitur.Sic testis iuridicè interrogatus non potest amphibologia vti, sed debet vsurpare voces ad mentem iudicis interrogantis: alioquin, licèt voces in alio sensu possent esse veræ, si tamen ad mentem iudicis non sint veræ,non vitabitur culpa mendacij, & periurij. Sic etiam qui seriò auditoribus persuaderet, Petrum virum religiosum,& modestum esse parricidam, & hominem honoris cupidum; non vitaret culpam detractionis, & calumniæ grauis, licèt ipse alium sensum intenderet, nimirum,Petrum suis peccatis occasionem dedisse neci Christi Domini, qui noster Pater est, & cupidum esse honoris æterni, qui à Beatis possidetur,& sic de aliis. Ratio autẽ vniuersalis,& à priori est,quia sicut nõ possumus voces proferre materialiter, & sine animo significandi, vt diximus; ita nec possumus vti voce æqui

æquiuoca in alio sensu, quando sensum illum, & significationem habere non potest: tunc enim perinde est, ac si non esset æquiuoca, sed vniuoca. Quoties autem est obligatio vsurpandi voces ad mentem auditorum, siue id sit ob præceptum iudicis iuridicè interrogantis, siue ob præiudicium proximi, siue ob quamlibet aliam causam, voces in his circumstantiis amittunt æquiuocationem, & vnum solum sensum significare possunt, cùm non possint vsurpari, nisi ad sensum audientium: ergo qui quamlibet aliam significationem intenderet, non vsurparet voces in sua significatione, quæ in hi circumstantiis vnica esse poterat, sed haberet se sicut qui voces materialiter proferret absque intentione significandi. Similiter ergo peccat grauissimè, qui vsurpat verba ambigua, quæ ab audientibus pro fidei negatione accipiuntur, quamuis ipse alium verum sensum intendat: v. g. si dum de consubstantialitate Filij agitur, dicas, *Arius bene sensit de persona Verbi*, intelligens id de Ario, antequam in hæresim laberetur, cùm tamen auditores ea verba intelligant de Ario, post discessionem ab Ecclesia. Ratio autem est eadem, quia in his circunstantiis, & in materia tanti ponderis voces vsurpari debent ad sensum auditorum, ac per consequens, tunc non sunt voces ambiguæ, sed habent se, sicut si vnicam tantùm significationem sortirentur: quare cùm voces debeant vsurpari in sua significatione, & hæc non sit duplex, sed vnica earum vocum in his circumstantiis, in quibus est obligatio loquendi ad sensum audientium, consequens est, vt non possint in alio sensu vsurpari, etiam si in aliis circumstantiis possent eædem voces aliam significationem habere.

77 Hæc autem ratio non procedit in vestibus, & aliis eiusmodi rebus: nulla enim est obligatio non vtendi vestibus, nisi ad manifestandam mentem, sicut est obligatio non vsurpandi voces, nisi ad loquendum, & ad exprimendum sensum internum, eo quod si possemus ad alios fines voces vsurpare, tolleretur, fides humana, & commercium necessarium: vestes autem habent alios fines, & licèt possint homines eas etiam vsurpare ad significandam mentem, & affectum suum, possunt tamen non hunc, sed alios fines intendere: sic vestes lugubres vsurpantur ad significandam mœstitiam internam ob parentis, vel domini mortem: aliquin tamen his vestibus vtuntur, non ad significandam mœstitiam, sed ad commodum, vel quia pretiosiores vestes non habent: consuetudo enim vsurpandi eas vestes in signum animi mœsti non abstulit facultatem vsurpandi eas ad alios fines sibi proprios: differunt, quippe à vocibus, quæ solùm ad mentem significandam datæ sunt propter grauissima damna, quæ sequerentur, si absque eo fine proferri licitè possent.

78 *Secunda difficultas.* Restat tamen contra eandem doctrinam secunda difficultas; quia quamuis voces proferri non possint sine animo significandi mentem internam, & in hoc differant à vestibus; Iudæus tamen, & infidelis sicut vestibus, sic etiam & vocibus potest licitè significare suam mentem circa religionem falsam, quam profitetur. Sicut enim potest Iudæus vti galero flauo, vt cognoscatur cuius sectæ sit, sic etiam interrogatus de sua religione, potest licitè respondere, se profiteri legem Iudæorum: & sicut Princeps Christianus potest Iudæis præcipere vsum pilei flaui, vt agnoscantur, sic posset præcipere eis, vt singulis mensibus, vel annis ad eundem finem coram Notario testarentur religionem suam, vt constaret, an in Iudaismo adhuc permanerent. Quam professionem, seu confessionem diximus *suprà sect.* 1. non esse in illis peccatum, (alioquin non posset licitè ab eis peti) quia nimirum illa sunt verba reflexa, quibus non tam asserunt veritatem sectæ falsæ, quàm mentem suam internam, in quo nihil falsum dicunt, sed verum, nempe se interiùs habere talem mentem circa eiusmodi religionem, sicut qui ad perendum consilium; vel remedium, fatetur amico, vel Confessario errorem internum, quem habet circa fidem, quod diximus fieri posse absque peccato contra fidem, nec per eiusmodi confessionem externam, si debito modo fiat, incurri pœnas hæresis externæ. Hinc ergo oritur difficultas, cur sicut potest fidelis aliquando ex causa graui licitè vsurpare galerum flauum, v.g. quia potest non habere animum significandi falsam religionem, non posse etiam ex causa graui dicere aliquando, se esse professione Iudæum, vsurpando quidem voces illas, non ad profitendam sectam Iudaicam, vel illam asserendam, sed solùm in sensu reflexo affirmando errorem suum internum, sicut Iudæus ob licitè per easdem voces affirmat. Quocirca cum nihil affirmet de veritate illius sectæ, ad summum erit mendacium contra se ipsum, quatenus sibi imputat errorem internum, quem non habet, non tamen erit peccatum contra fidem, cùm verba illa non contineant irreuerentiam grauem contra fidem: alioquin nec verus Iudæus posset voces illas proferre absque graui peccato, & per consequens non possemus eum cogere ad respondendum, & manifestandam suam religionem.

Ad hanc etiam difficultatem responderi potest negando, verba illa posse etiam ex causa graui licitè proferri ab homine fideli, vel absque peccato graui vsurpari; licèt à vero Iudæo, vel infideli licitè vsurpentur: ratio verò esse potest, quia in in homine fideli non solum mendacium cõtinerent, sed mendacium pernicioſum, & graue, sine quo non potest homo Catholicus sibi imponere hæresim, vel infidelitatem internam, licèt possit absque graui peccato aliquando alia grauia peccata sibi falsò imponere, sic enim legimus in vitis Patrum de sancto Abbate Agathone homine patientissimo, cuius humilitatem, & patientiam, vt probarent aliqui fratres, dixerunt ei, quod à multis existimaretur superbus, & qui alios omnes contemneret, eisque passim detraheret, idque ex inuidia, eo quod cùm lasciuus esset, nollet alios puros & sanctos æstimari. Quibus omnibus vitiis sanctus senior quia per silentium concessis deprecabatur solum, vt pro ipso orarent, & tantorum criminum ei veniam impetrarent à Deo. Tunc illi addiderunt, à multis etiam ipsum hæreticum esse credi: quo audito Abbas exanduit, & zelo magno negauit se talis criminis reum esse; rogatus autem de causa tantæ indignationis respondit, reliquorum vitiorum humilitatis causa posse Christianum notam in se permittere, hæresis non posse; vnde à fortiori minùs licebit eam de se absolutè affirmare, & fateri. Ratio autem ex dictis esse potest, quia voces illæ à fideli prolatæ continerent mendacium grauissimum, & pernicioſum; nam licèt non negarent directè veritatem fidei, nec affirmarent veritatem iudaismi, quãdo solum reflexè affirmaretur ipse consensus internus ad iudaismum: hic tamen ipse consen-

sus

sus internus falsò affirmatur, & contra mentem proferentis, & per consequens cum magna iniuria diuinæ auctoritatis, & veræ religionis. Nec enim ille solus peccat grauiter contra diuinam auctoritatem, qui mentitur directè contra aliam affirmando esse falsum obiectum à Deo reuelatum, vel negando id esse verum, sed etiam qui cum mendacio negat se id credere, nam eo ipso affert, & exhibet se in testem contra id, quod Deus reuelauit. Dicere enim ego interiùs assentior iudaismo, est dicere; ego interiùs credo, quòd falsa sit fides Christiana, quod est afferre se in testem contra christianam. Certum est autem, irrogari grauem iniuriam alicui contra quem falsò affertur aliquis testis, prout falsò affert se in testem contra fidem christianam ille, qui in corde credit eam esse veram. Ille verò, qui vtitur ex causa galero flauo non affert se in testem contra fidem, sed eam solùm occultat, & dat occasionem, quod alij ex errore putent ipsum contra fidem sentire, quod tamen ipse non dicit, nec testatur. Adde, quando Catholicus id de se falsò affirmaret, etiamsi solùm reflexè loqueretur de suo assensu interno, & non de veritate, aut falsitate doctrinæ, regulariter tamen interuenire erubescentiam vitiosam; neque enim solùm peccat contra fidem, qui eam negat, sed etiam qui eam erubescit, prout verè erubescit, qui ob aliquem metum negat se eam interiùs credere, cùm tamen eam verè credat. In Iudæo autem vero, qui fatetur, se esse Iudæum, nulla interuenit erubescentia, non enim erubescit, qui manifestat verè sensum, quem de facto habet. Nec etiam falsò adducit se testem contra fidem nostram, sed verissimè, cùm de facto in corde suo contra eam sentiat: & quamuis hoc ipsum, si sine causa fiat, habeat aliquam irreuerentiam contra fidem, quatenus contra eam affertur, & proditur testis aliquis: non tamen est tanta hæc irreuerentia, vt non possit compensari aliqua vtilitate, vel causa; vt si id fiat ad remedium, vel consilium petendum, vel saltem si fiat ad manifestandam veritatem, & statum internum, vt alij possint ab hoc homine cauere, ob quem finem Iudæis præcipitur signum peculiare in veste, & ob quem etiam finem possunt interrogari de sua fide, & ipsi possunt licitè respondere, vt dictum est.

80 *Tertium genus vestium.* Tertium, genus vestium est earum, quibus vtuntur infideles, non solùm vt dignoscantur, sed etiam ad profitendam suam falsam religionem. De quibus multi absolutè negant vllo casu licitum esse earum vsum. Ita Arag. & Ludou. Lopez apud Sanch. *vbi suprà n.* 20. Ant. Tabien. Tolet. Nauarr. & alij plures, quos refert & sequitur Castro Palao *d. punct.* 17. *n.* 7. qui pro eadem sententia affert Patrem Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 13. sed immeritò, nam Suarez *num.* 2. distinxerat plura genera vestium, & vltimo loco vestes non habentes communem vsum, vel vtilitatem corporis, sed præcisè institutas ad aliquem vsum sacrum, vel quasi sacrum, quales sunt vestes Sacerdotales, & de iis solis loquitur *illo num.* 13. Nos autem nunc loquimur de vestibus institutis ad vtilitatem corporis, sed quæ simul significare solent professionem alicuius religionis, quales sunt vestes clericales, vel monachales, de quibus idem Suarez loquutus videtur *num.* 7. & concedere illarum vsum ex graui causa, & cum aliquibus limitationibus.

81 Alij ergo mitiùs loquuntur, & non audent in *Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.* vniuersum damnare harum vestium vsum; ita loquitur Coninch. *disp.* 15. *dub.* 3. *num.* 66. vbi earum vsum concedit licitum ad vitandum graue periculum: imò *num.* 72. addit non esse improbabile, quod ex grauissima causa liceat aliquando vsus vestis deputatæ ad solum vsum, & cultum falsæ religionis. Suarez etiam loco supra citato eidem sententiæ videtur apertè fauere, pro qua ab omnibus affertur Sanchez *dicto c.* 4. *n.* 20. sed, vt verum fatear, satis obscurè loquitur; nam statim *num.* 21. dicit, id non intelligi, quando vestes destinatæ sunt ad cultum auctoris falsæ sectæ, eo modo quo *num.* 16. explicuerat: ibi autem in eadem classe constituerat vestes omnes primariò institutas ad falsæ sectæ professionem, quas omnes distinxerat ab aliis vestibus, quæ non sunt institutæ ad professionem sectæ, sed ad discernendos homines talis sectæ ab aliis ob finem politicum, qualis est vsus galeri flaui Romæ pro Iudæis; quare non satis apparet de quibus vestibus loquatur postea *num.* 20. Sed tamen videtur ibi distinguere rursus illam classem vestium, quam vnicam fecerat *num.* 16. in alias duas, in quarum vna sint vestes significantes solùm professionem falsæ sectæ, & has dicit aliquando licere; in altera verò sint vestes destinatæ ad cultum solùm auctoris falsæ sectæ, & has dicit nunquam licere. In quo tamen parum consequenter eum loqui, dicunt Palao *vbi suprà num.* 6. & Hurtado *disp.* 48. §. 57. qui vtrumque vestium vsum videtur aliquando licitum agnoscere, quod latè probat §. 54. *& sequentibus.*

82 *Quandonam vsus supradictarum vestium licitus, & quando illicitus.* Ego ex supradictis vnam regulam generalem credo statui posse, in qua, si bene explicetur, Auctores prædictos conuenire fortasse, vel parum dissentire putarim. Itaque quoties vsus vestium talis fuerit, vt qui personam vtentem nouerint, eum omnino iudicent fidem negare, & falsam religionem amplecti, vsus ille nullo casu licitus erit; quando verò, qui personam norunt, poterunt dubitare, an ob alium finem diuersum vestis vsurpetur, poterit aliquando vsus licitus esse ex graui causa, quæ eò grauior debet esse, quò ex circumstantiis vestis illa magis accedat ad significandam negationem veræ fidei, quamuis non omnino determinatè eam significet. Sensus, & veritas huius regulæ probari, & explicari potest per analogiam, vel comparationem ad voces quas diximus nullo casu fideli licere, quia ex natura sua habent, quod proferri debeant ad significandam mentem, & non ob alios fines. Si ergo esset vestis, quæ propter circumstantias, vel institutionem ita esset determinata ad significandam negationem fidei, sicut sunt verba, vel voces ex natura sua ad significandam mentem; idem omnino dicendum esset de veste illa, quod de vocibus dicitur, atque ideo sicut nullo casu fideli licet proferre voces, quibus significetur ipsum esse alterius sectæ, ita nunquam licebit ei vsus talis vestis habentis æquè determinatam significationem, ac habent voces. Non repugnat autem, quod circunstantiæ tales sint; in quibus vestis possit habere significationē æquè determinatam; ac habent voces, & à qua non possit abstrahi, v. g. si Princeps infidelis præcipiat subdito christiano negare fidem, & in signum negatæ fidei assumere, & gestare imaginem idoli in veste, vel coronam, aut rosarium proprium illius idoli; non est dubium, quod in iis circumstatiis gestatio illius signi, vel vestis non posset præscindi à significa-

tione negatæ fidei, atque ideo, quod esset omnino illicita. Si ergo consuetudo recepta tribueret eandem vim determinatam significandi negatam fidem, quam tribuit imperium Principis infidelis præcipientis gestare tale signum; eodem modo dicendum esset, de veste, vel signo illo, non esse licitum, stante tali consuetudine. Quare totum iudicium de hoc puncto reducendum est ad determinationem significationis, quæ optimè colligitur à posteriori, si videntes signum illud, & cognoscentes personam, quę antea fidelis & christiana erat, inducuntur tamen omninò, & determinatè ad iudicandum, quod priorem fidem reliquerit: tunc enim vestis illa in talibus circunstantiis habebit se, sicut voces, cùm non possit à tali significatione determinata separari.

83 E contra verò contingit frequenter, vt vestis aliqua, consuetudine, vel etiam ex institutione Principis destinata sit ad significandam professionem falsæ sectæ: & tamen quando christianus eam vsurparet ad se occultandum, & vitandum vitæ periculum, ij, qui hominem antea agnoscerent, & viderent in ea veste, non ideo iudicarent, eum negasse fidem, sed vel dubitarent, vel fortasse putarent, non ad id significandum, sed potiùs ad se occultandum, & vitandum vitæ periculum assumptam fuisse vestem illam: quo casu ex graui, vel saltem grauissima causa licitè assumeretur, cùm vestis illa non esset sicut voces, sed posset ab ea significatione separari, & assumi ad alios fines, vel tegendi corpus, vel ad ornatum, & elegantiam, vel ad aliquid aliud; quare procederet tunc ratio, propter quam diximus cum communi sententia, licitè vsurpari posse ex graui causa à Christiano galerum flauum, quia potest separari à significatione, quam ex publica institutione habet, vt dignoscantur Iudæi à Christianis. Nam licèt vestes de quibus nunc loquimur, non solùm sint signa politica ad dignoscendos infideles, sed etiam ad significandam professionem falsæ sectæ, vel ad eam tacitè profitendam, & ideo grauior causa requiratur ad harum vestium, quàm ad illarum vsum licitum; adhuc tamen vtraque vestis conuenit in hoc, quod ex natura sua non sit ita alligata etiam in his circunstantiis ad talem significationem, vt non possit ab ea præscindere, & vsurpari sine animo talis significationis.

84 *Quartum genus vestium.* Doctrina verò hæc potest in primis applicari cum proportione debita ad quartum genus vestium, nempe illarum, quæ non solùm vtcumque continent, & significant professionem falsæ sectæ, sed etiam continent cultum actualem auctoris falsæ sectæ, vel idoli, &c. de quibus Auctores etiam variè loquuntur. Sanchez enim *dicto n.*21. de iis vestibus negare videtur esse licitas vllo casu, sicut & Bañes, Arag. Petrus de Ledesm. Man. Rodriquez, & Rutilius Benzonius, quos affert idem Sanchez ibidem. Idem docet Castro Palao *vbi suprà* Suarez verò *dicta sect.*5. *n.*8. dicit non licere vsum vestis, qua peculiaris honor idolo, aut falso Prophetæ defertur, vt si idolum, vel character Mahometis in veste feratur, nam id videtur institutum in eius honorem, & ideo vel occultandum erit tale signum, vel alio modo cauendum, ne talis demonstratio cultus, & honoris deferatur, nam hoc semper superstitiosum est. Postea verò *num.*13. in vniuersum docet, vt probabilius, & securius, non licere vsum vestis per se primò deputatæ ad superstitiosum cultum alicuius sectæ falsæ, quæ non habet communem, & corporalem vsum, sed sacrum, vel quasi sacrum in tali secta, nisi fortè aliquis vteretur tali veste modo prophano, & vulgari, itaut magis videretur contemnere superstitiosum vsum, eiusque institutionem.

Alij tamen non videntur harum etiam vestium vsum in vniuersum damnare: nam Conine *dict. dub.*3. *n.*72. agens de vestibus quæ directè sunt institutæ ad profitendam fidem falsam, absque vlla distinctione dicit, non esse improbabile, quod in aliquo casu ex causa grauissima licitus sit earum vsus. Clariùs Hurtado *dicta disp.*48. §.14. de veste instituta ad cultum, & cæremoniam falsæ sectæ dicit probabile esse, quod liceat instante necessitate mortis fugiendæ, dum non formaliter vsurpetur vt tale signum est, sed solum materialiter. Postea verò §.16. de veste sacerdotali idem probat, quia vestis illa in rigore non est cultus, sed habitus, quo exerceantur cæremoniæ, & cultus in Deum; & §.18. probat licere vestes, in quibus depictæ sunt imagines hominum sceleratorum, aut idolorum, quia vsus illarum imaginum non significat determinatè cultum, sed potest habere alias significationes, nam multæ familiæ nobiles gestant in suis gentilitiis imagines solis, lunæ, stellarum, vrsorum, & Leonum, quas quasi deorum imagines ethnici colebant, sic ergo posset imago Mahometis gestari non in cultum, sed ad significandum triumphum reportatum de Mahometismo. Concludit denique contrariam sententiam veram esse, quando vsus signorum determinatus est ad significandam falsam religionem.

85 Iuxta regulam à nobis supra *positam* conciliari posse videntur horum Auctorum placita: nam de his etiam vestibus verum est, quod earum vsus ex causa grauissima liceat, quando non sunt ita determinatæ ad cultum falsum significandum, vt qui hominem antea christianum cum ea veste vider, eo ipso determinatè iudicet fidē reliquisse, sed possit dubitare, vel putare, quod ad alium diuersum finem tali veste vtatur: secus verò quādo ex institutione, vel circumstantiis determinata est ad eam significationem. Et quidem, si quæ vestes apud infideles sunt, quæ correspondeant vestibus, non sacris, sed communibus nostrorum clericorum, vel monachorum, faciliùs intelligi potest in illis indeterminatio ad significationem: nam hæ vestes non videntur continere cultum actualem, aut professionem fidei, sed sunt habitus decens, & aptus ad naturalem vsum corporalem vestium pro iis, qui statum modestum, & religiosum profitentur. Vnde religiosus ethnicus, qui ad fidem christianam conuerteretur, posset absque scandalo habitum suum ex causa aliquandiù retinere absque eo quod falsum cultum profiteretur, quia habitus non facit Monachum, sed posset ad vsum solū naturalem habitus retineri.

87 Difficiliùs excusari potest vestes cum imagine idoli, vel Mahometis, quæ in eius cultum gestari solet: nam licèt imago illa ex se indifferens sit, vt ad alium finem, vel vsum deferatur: sed tamen in his circumstantiis, & tali modo gestata videtur satis determinata ad significandum cultum, sicut equites christiani nobiles, qui Crucem S. Iacobi, vel alterius militiæ in pectore gestant, significant omnino cultum erga crucem, & religionem christianam. Vnde si ad Mahometismum transirent, crucem statim abiicerēt. Sic imago idoli, vel Mahometis ex se indifferens est, vt ad cultum, vel ad alium

alium finem deferatur; sed tamen in his circunstantiis,& tali modo gestata in pectore v.g. non videtur esse indifferens, sed determinata omnino ad cultum significandum. Sicut etiam thurificatio ex se indifferens est, vt fiat in cultum, vel etiam ad finem naturalem expellendi odorem noxium; sed tamen in his circunstantiis accendere thus coram idolo determinatè omnino significat cultum.

88 *Et an si retinetur in signum nobilitatis?*

Vnde obiter notandum est, non excusari hanc malitiam ex eo quod talis vestis signum etiam sit nobilitatis apud illam gentem, atque ideo retineri possit non ad cultum, sed in signum nobilitatis. Hoc, inquam, non excusat: quia etiam apud nos Crux S. Iacobi, vel alterius militiæ signum est nobilitatis, non tamen potest retinere hanc significationem sine significatione cultus, cùm ab hac significatione cultus illa alia significatio nobilitatis omnino dependeat. Ideo enim significat nobilitatem, quia soli nobiles admittuntur ad cultum illum crucis, qui exhibetur eam cum tali figura in pectore gestando: quare qui vult se illo signo nobilem manifestare, eo ipso vult talem cultum publicum exhibere, ad quem publicè tali signo exhibendum soli nobiles admittuntur. Similiter ergo inueniri possunt apud infideles signa aliqua nobilitatis in vestibus, quæ tamen non aliter nobilitatem significent, nisi quatenus continent cultum aliquem idolo exhibitum, ad quem publicum cultum taliter exhibendum soli nobiles admittuntur; & hoc genus signorum non poterit licitè retineri ad nobilitatem significandam, nisi fortè, vel communi consensu, vel per obliuionem vna significatio ab alia separetur. Potest enim contingere, vt licèt initio signum illud cultum idoli contineret, & solis nobilibus concederetur, postea tamen origo illa ex cultu in obliuionem abierit, & sola significatio nobilitatis remanserit: vel certè significetur nobilitas independenter à significatione falsi cultus, & sint duæ significationes separatæ, & non subordinatæ, quo casu æstimari aliquando poterit signum illud inter signa non omnino determinata ad significandum falsum cultum, sed indifferens ad alias significationes disparatas, & non subordinatas.

89 *Quid dicendum de vestibus sacris.*

Denique de vestibus sacris non continentibus eiusmodi imagines, sed deseruientibus ad locum, & tempus rituum sacrorum, vel sacrificiorum, dicendum erit iuxta suprà positam regulam, eas non licere fidelibus, si ita determinatè significent, vt videntes, eo ipso iudicent christianum illum fidem deseruisse, quod maximè locum habere poterit, si vestes illæ non solùm dispositiuè deseruiant ad cultum, quatenus decentiùs, & magnificentiùs ornant ministrum, vt cum maiori dignitate, & splendore accedat ad ritum celebrandum, sed etiam formaliter in se contineant ipsum cultum, provt videtur formaliter cultum continere crux illa, quam Episcopus celebraturus imponit sibi pendentem ex collo, in quo cultus, & veneratio ipsius crucis videtur inreruenire; & simile aliquid apud infideles posset inueniri, de quibus omnibus non potest regula generalis alia tradi, sed in singulis considerandæ prudenter est, & qualitas signi, & determinatio ad significandum, vt dictum est.

90 *Duo aduertenda.*

Sunt autem circa hoc duo aduertenda. Primum est, quando dicimus, vestes illas non esse in vniuersum, & in omni casu damnandas, quæ non sunt omnino determinatæ ad significandum, id est, quibus visis, ij qui hominem antea fidelem nouerunt, non statim iudicabunt, ipsum fidem reliquisse; hoc, inquam, non ita esse intelligendum, vt sufficiat si aliqui sciant, eum non ex animo, sed ob alium finem ea signa vsurpare, sicut nec sufficeret, si aliqui scirent eum fictè proferre verba significantia negationem fidei, sed requiri, quod vel omnes id sciant, vel certè signa ipsa talia sint, vt in iis circunstantiis, qui aliunde fictionem non nouerunt, & sciunt ipsum antea fuisse fidelem, non possint ex vestibus, vel signis illis determinatè iudicare, quod fidem reliquerit, itaut nec ipsi infideles, si nossent hominem antea fuisse christianum, possent eiusmodi fidei mutationem iudicare. Per hoc enim à posteriori colligitur debilitas, & indeterminatio illius signi ad manifestandam fidei negationem, & differentiam illius signi à vocibus, quæ ex natura sua determinatæ sunt ad negationem manifestandam, quæ sicut nunquam licitè vsurpantur ab homine fideli, ita neque alia signa, quæ vel ex institutione, vel ex consuetudine æqualem determinationem habuerint, vt suprà explicuimus.

91 *Vestes, & alia omnia signa possunt esse illicita ratione scandali.*

Secundum quod aduertendum est, & quod prædicti Auctores communiter obseruant, est, tam prædictas vestes, quàm alia omnia signa, etiamsi ex se determinata non sint ad talem significationem, posse tamen esse illicita ratione scandali, quare quando dicuntur aliquando licere, semper intelligi debet, secluso scandalo, quo stante iam ratione illius redditur vsus illicitus, vt notauit Suarez *vbi suprà dicto n.*13. Coninch *dict. dub.*3.*n.*75. Castro Palao *dicto dub.*17.*n.*10. & alij. Quantum verò, & quale debeat esse scandalum illud, vt etiam ex grauissima causa contemni non possit, pertinet ad tractatum de charitate, vbi Deo dante de hoc agemus. Interim videri potest P. Hurtado *disp.*173. *de charitate, sect.*23. vbi latè de hoc disserit.

92 *Quid dicendum sit de nutibus, vel aliis manuũ, & digitorum motibus.*

Quæ de vocibus & vestibus dicta sunt, applicari possunt cum debita proportione ad nutus, vel alios manuum, & digitorum motus, quibus aliqui solent loqui, & suos conceptus exprimere. De quibus dubitari magis posset, quia non videntur omnino assimilari vocibus, quæ à natura datæ sunt solùm ad manifestandam mentem, & significandos internos conceptus, & ideo non possunt ab eo fine, & significatione separari: at verò nutus non videntur ita determinati, & alligati ad hunc finem; nam quando aliquis annuit inclinando caput, inclinatio illa de se indifferens erat ad significandum assensum, vel ad vitandum defatigationem in capite erecto habendo, vel ad conuertendos oculos ad terram, vt aliquid ibi quæras, vel ad quid simile: quare videtur nutus ille accedere magis ad vestes, quæ quia de se non sunt alligatæ ad significandum, possunt à significatione separari.

93 *Nutus qui negationem fidei, vel professionem falsæ sectæ significant, nunquam liciti.*

Cæterùm fatendum omnino est, nutus illos, qui negationem fidei, vel professionem falsæ sectæ significent, nunquam ex quacunque causa licere, sed habere se sicut voces. Ratio autem est, quia licèt ex se possent ordinari ad alios fines diuersos: in his tamen circunstantiis non possunt separari à tali significatione vitiosa. Sicut etiam actio adolendi thus ex se fieri posset propter alios fines, recreandi odoratum, purgandi, &c. in his tamen circunstantiis coram idolo, & cum externo gestu venerationis non potest sepa-

tari à significatione cultus. Nutus autem, quo interroganti, an negare velis fidem christianam, tu respondere videris annuendo, & caput inclinando, magis determinatus esse videtur ad significandam voluntatem negandi fidem, quàm sit combustio thuris coram idolo ad significandum cultum: nam combustio thuris non est verbum, sed actio; nutus autem est verbum, licèt non sit vox, & ideo sufficit ad valorem matrimonij, quod perficitur rebus, & verbis. Quod idem est de motibus digitorum significantibus ad placitum, & ex conuentione priuata. Sunt enim quasi litteræ scriptæ, quæ quidem sunt propria verba, nec magis licèt scriptura significas fidei negationem quàm voces, cùm sit loquutio scripta: sic etiam motus illi digitorum sunt vera loquutio, & ideo non magis licerent cum excommunicato vitando, quam loquutio per voces nec magis possunt motus illi præscindere in his circunstantiis à tali significatione, quàm voces, & per consequens eadem regula debet in illis seruari, quæ in vocibus propter eandem rationem.

94 *Licitum est christiano trãseunti per loca Turcarũ vti habitu cõmuni Turcarum vt se occultet.*

Ex dictis infertur primò licitum esse christiano transeunti per loca Turcarum, v. g. vti habitu communi Turcarum, vt se occultet. Ita cum aliis Sanchez *dicto cap. 4. num. 22.* quia habitus ille de se non concernit religionem. Quando verò vestes concernunt religionem, vt si sit habitus communis Sacerdotis Mahometani, vel religiosi Ethnici, grauior quidem causa requiritur, sed aliquando licebit, vt suprà diximus, & fatetur Coninch *dicto dub. 3. num. 73. & 74.* Si denique contineant cultum actualem falsæ sectæ, seruanda erit regula suprà posita, & videndum, an ita sint determinatæ ad eum cultum significandum, vt qui vident, & sciunt, hunc fuisse antea christianum, inducantur omnino ad iudicandum, quod reliquerit fidem, an verò id determinatè non significent, atque ideo ex grauissima causa licitus esse possit earum vsus.

95 *Licitũ Christianis vexilla hostium in nauibus suis fingere.*

Infertur secundò licitum esse stratagema, quo christiani vexilla hostium in nauibus suis fingunt, vt hostes infideles visis vexillis nõ fugiant, vt docet idem Sanchez cum aliis *n. 23.* qui notat, id non licere, quando vexilla hæberent depictas imagines Mahometis, vel falsi Dei, quia hoc esset cultum falsum exercere. De quo tamen dubitat Hurtado *disp. 48. §. 58.* quia possunt illæ imagines depingi, non ad cultum, sed ad significandum triumphum de Mahomete, vel de falsis Diis: sicut familiæ nobiles gestant in suis gentilitiis imaginem Regis, quem olim eius progenitores in bello ceperunt. Consulit autem, vt prædictæ imagines depingantur cum catena in signum captiuitatis, vel compedibus subtilibus, qui ab hostibus à longè non percipiantur, quo pacto cessat superstitionis periculum, & tandem concludit, id tunc solùm licere, quando signa sunt omnino determinata ad falsum cultum: quod vltimum verissimè dicitur, & consonat regulæ nostræ suppositæ, Considerandum tamen est, an hæ imagines sine catenis, aut vinculis depictæ, significent determinatè cultum. Certum est enim, quod si deferrentur in altari collocatæ significarent omnino cultum, nec id licitè fieret: parum autem videtur referre, quod non in altari, sed in vexillo deferantur, cùm id etiam honoris causa fieri soleat, prout Christiani in vexillo crucem depingunt, vel B. Virginis, aut alterius sancti imaginem; quare non videtur facilè à communi sententia recedendum, & multò minus si imagines illæ cum splendore, vel aliis signis veneration-nis, & honoris depingerentur.

96 *Quid de vestibus, quas Princeps infidelis præcipit deferri ab omnibus christianis sibi subditis, vel ab omnibus infidelibus.*

Infertur tertiò, quid dicendum de vestibus, quas Princeps infidelis præcipit deferri ab omnibus christianis sibi subditis, vel ab omnibus infidelibus. Si enim præcipiat, vt Christiani omnes tali veste vtantur, vt dignoscantur, consentiunt Doctores, quod possit adhuc Christianus, vt se se occultet, vel non prodat omittere talem vestem ex causa graui saluandi vitam, siue id præcipiat ob finem politicum, siue ob finem religionis, vt contra Caietanum docent plures, quos affert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 29.* Suarez *dicta sect. 5. n. 10.* Coninch *dicto dub. 3. n. 76.* & alij. Ratio autem est, quia lex illa vel est merè politica, vel in odium fidei. Si sit politica, non obligat ex virtute fidei ad fidem tali signo confitendam, cuius positiua confessio obligat, quando interrogaris in odium fidei. Aliunde verò ex obedientia legislatori debita non obligat cum tanto periculo. Si verò sit in odium fidei, eo ipso est iniusta, & non obligat in vim legis, nec aliunde etiam obligat virtus fidei ad fidem confitendam, & signo illo manifestandam: quia interrogatio illa generalis non tam est interrogatio, quàm præceptum, vt Christiani se positiue prodant, vt cognoscantur, & puniantur; quo casu fides non obligat, vt quilibet se prodat, esset enim in detrimentum ipsius fidei, si quilibet Tyrannus obligare posset fideles, vt se proderent, & ita omnes simul extingueret.

97

Quando verò è contra à Principe infideli iubetur, vt omnes infideles tali veste vtantur, rursus distinguendum est. Potest enim lex illa esse non vniuersalis pro omnibus subditis etiam christianis, sed solùm pro infidelibus, quibus præcipitur talis vestis in signum suæ religionis: & tunc de veste illa, an ex causa aliquando liceat, quando ex lege instituta est ad dignoscendos infideles ob finem politicum, vel etiam ob finem religiosum, dictum est in superioribus. Secundò tamen potest lex illa ferri vniuersalis pro omnibus subditis, quos omnes Princeps obligare vult ad professionem falsæ religionis, & ad signum externum, quo in vestis determinatæ vsu id profiteantur. In quo casu dicendum videtur, fidelibus non licere vsum talis vestis: vt supponere videtur Hurtado *vbi suprà §. 77. in fine*, & clarius Coninch *vbi suprà n. 73.* & Castro Palao *dicto puncto 17. num. 8.* quia in illis circunstantiis, & instante illo Principis præcepto, vestis illa, & signum vsurpatum significaret determinatè omnibus, id fieri ad obediendum Principi qui certè tunc non præcipit actum ciuilem, & politicum, vt constat, sed superstitiosum, nempe profiteri falsam sectam signo, & veste illa. Sicut ergo si Princeps tibi in particulari præciperet portare signum aliquod in veste ad protestandam negationem fidei christianæ, non liceret vlla ex causa ei obedire: qui quantumuis signum illud ex se esset indifferens; in illis tamen circunstantiis, & instante Principis præcepto, determinatè significaret obedientiam Principi exhibitam, & conformitatem cum eius voluntate, ita lata, & vrgente lege vniuersali, omnes, qui te viderent signo illo vtentem, statim iudicarent, te obedire Principi præcipienti: quare sicut in primo casu non liceret vsus talis vestis præceptæ, sic nec in secundo licebit.

Aliter

98 Aliter fortasse dicendum esset, si Princeps ille non præciperet subditis vsum vestis nouæ, vel alicuius noui signi ad illum finem, sed solum præciperet, vt certum vestis genus, quam ipsi iam subditi liberè, & spontaneè solebant indifferenter gestare, deinceps ex debito gestarent in signum falsæ religionis. Tunc enim non videtur, quod subditi fideles deberent communem, & sibi iam familiarem vestem relinquere, ne viderentur Principi in falsa religione consentire: quia continuatio in veste sua prioti non esset determinatè signum obedientiæ, vel mutatæ religionis, cùm satis constare posset de alio fine, & vsu perseuerandi in ea veste: imo lex illa magis videretur tendere ad cognoscẽdos fideles per nouum signum, nempe per dimissionem prioris vestis, quam legem vidimus iam nõ obligare ad nouum signum christianitatis à Principe infideli præceptum vsurpandum, quod esset positiuè se ipsos prodere, & manifestare. Quid enim, si Princeps ille præciperet suis subditis surgere media nocte, & dare signum ad preces falsi ritus cauẽdas? Numquid ideo monachi deberẽt abstinere à ritu religioso surgẽdi media nocte ad preces matutinas Deo offerendas? Quid, si præciperet gestare circulos in cultu idoli similes iis, quos nunc gestamus in honorem B. Virginis? numquid ab his deberemus abstinere? Quid denique si præciperet abstinere à carnibus feria sexta in cultum hominis scelerati? numquid deberemus vesci carnibus ea die, ne videremur Principi obedire? Hæc ergo, & similia si præciperẽtur, non essent signa determinata obedientiæ, aut vitiosi cultus, quia in iis circunstantiis nemo prudenter ex solo illo signo iudicaret determinatè, quod retinerentur ea signa ob legem denuo latam, & non potiùs ob easdem rationes, ob quas antea ab eisdem vsurpantur.

§. II.

An liceat carnibus vesci ad occultandam fidem.

99 *An Catholicus transiẽs per loca hæreticorum possit, ne ab illis deprehendatur, vesci carnibus, in diebus, quibus Ecclesiastico præcepto prohibentur?*

NOn loquimur nunc de esu ciborum, in quo videtur esse positiuus cultus falsæ religionis, qualia sunt idolothyta, de quibus postea speciaiter dicendum erit, sed de cibis communibus, & qui aliàs nec naturali, nec diuino iure positiuo prohibiti sunt, sed solum iure humano ecclesiastico: de quibus est communis quæstio, an Catholicus transiẽs per loca hæreticorum, qui præcepta ecclesiæ non curant, possit, ne ab illis deprehendatur, vesci carnibus, & conformare se cum illis, qui iis vescuntur, etiam in diebus, quibus ecclesiastico præcepto prohibentur.

Necessitas duplex, altera ab intrinseco, altera ab extrinseco.

Certum est, sine causa, & necessitate id non licere, cùm vrgeat ecclesiæ præceptum. Necessitas autem hæc potest esse duplex, altera ab intrinseco, altera ab extrinseco. Ab intrinseco esset, quando alij cibi non suppeterent, & esset fame pereundum, nisi carnes edantur. Item si alij cibi ob ægritudinem noxij sint, & ideo infirmus carnium esu indigeat. Ab extrinseco est, quando aliis, quia hæretici sunt, carnes comedentibus, si tu ob religionem ab iis abstineas, deprehenderis, & apud illos periclitaberis.

100 *De necessitate ab intrinseco.*

Loquendo de necessitate ab intrinseco, certum est, posse catholicum etiã in locis hæreticorum, quando alij cibi non suppetunt, carnes comede-

re, ne fame pereat, quod etiam procedit, quando ob ægritudinem esu carnium indiget: nam lex Ecclesiastica non obligat in ea necessitate, qua stante, perinde est, ac si non esset dies prohibitionis, sed alia dies, cùm necessitas impediat, ne lex pro eo articulo lata sit. Difficultas esse posset, an necessaria sit tunc protestatio, qua dicat hæreticis præsentibus, se vesci carnibus ob necessitatẽ, & non quia catholicus non sit. Et quidem, si adstantibus nota sit necessitas, eam protestationem necessariam non esse, docet Hurtado *in præsenti disp.* 48. §. 81. & 97. quia in iis circunstantiis esus carnium nullo modo significat defectum à fide, cùm in locis etiam catholicis omnes in ægritudine carnibus vescantur, nec prohibitio pro eo casu lata sit. Quod si hæretici id tribuant defectui fidei, erit scandalum passiuum, & pharisaicum, ex ignorantia, vel malitia ortum eorum, qui scandalizantur absq; sufficienti fundamento; si tamen ob ignorantiam scandalizandi essent in suam spiritualem ruinam, & posses absque magno detrimẽto scandalum illud vitare facta protestatione necessitatis excusantis, & integritatis tuæ fidei, non videtur dubium, quod saltem ex charitate tenereris id facere, neque hoc credo ab illo auctore, vel ab alio negari. Si verò illis necessitas tua nota non sit, idem auctor cum aliis concedit, posse te protestationem omittere, & carnes edere, si ex protestatione timeas tibi vitæ periculum; quia comestio ipsa de se licita est, & scandalum non est actiuum, sed passiuum ortum ex eorum ignorantia, qui æstimare deberent plures esse posse causas vescendi carnibus præter hæresim, nec semper morbos occultos in facie apparere, nec tu debes cum tanto detrimento proprio eiusmodi scandalum præcauere: quod verissimum est, sed immeritò doctrinam restrinxit auctor hîc ad casum, quo ex protestatione facta vitæ periculum sequeretur, minus enim detrimentum sufficit, vt non sit obligatio impediendi scandalum passiuum, quale illud esset in casu posito, vt videbimus.

101 *An si ægroto, qui aliàs posset licitè carnibus vesci, præcipiat Tyrannus, vt in signum infidelitatis carnibus vescatur, possit adhuc in iis circunstantiis eas comedere?*

Dubitari circa hoc potest, an si ægroto, qui aliàs posset licitè carnibus vesci, præcipiat Tyrãnus, vt in signum infidelitatis carnibus vescatur, possit adhuc in iis circunstantiis eas comedere. Ad hoc Hurtado *vbi suprà* §. 101. respondit, egregiè facturum ægrotum, si etiam cum vitæ discrimine euidenti à carnibus tunc abstineat, quia vitam exponit periculo ob catholicæ religionis cultum, & obedientiam legis Ecclesiasticæ. Posse tamen licitè carnibus vesci, præmissa protestatione, quod id faciat ob ægritudinem, & non propter Principis imperium. Hæc secunda pars verissima est; de primæ autem partis veritate dubito: cùm enim ita facilè possit, protestatione præmissa, tollere omnem apparentiam falsi cultus, & superstitiosæ obediẽtiæ, nõ video quo iure possit remedium naturale ad propriam vitam sine vlla necessitate relinquere. Nec exponit tunc se periculo ob custodiã ecclesiasticæ legis, cùm lex ecclesiastica eiusmodi ægrotum non comprehendat, vt constat, & per consequens illa abstinentia tunc non est cultus catholicæ religionis, imo catholica religio præcipit esum carnium in tali necessitate. Quam obligationem naturalem nõ tollit præceptum illud Tyranni: alioquin, si præciperet tibi, vt aliquid in genere comederes in honorem idoli, & assiduè ad hoc vrgeret, posses licitè per hebdomadam, aut amplius ab omni cibo

abstinere, ne Tyranni præcepto obedire videaris: quod certè nemo admittet: ridicula enim postea præcepta Tyranni cum risu potiùs & contemptu reiici debent faciendo ea, quæ secluso tali præcepto facienda essent. Quo autē sensu S. Augustinus epist. 154. dixerit, abstinendum esse ab idolothyto etiam in articulo mortis, & christiana virtute moriendum; explicabimus paulò post agendo de idolothytis. Videatur Vasquez *in* 1.2. *disp.* 162. *num.* 32. qui eo casu dicit, non posse licitè ab idolothyto abstineri.

102 *Et quid si Tyrannus in odium fidei, auferat homini robusto, omnem alium cibum præter carnes.*

Petes, quid si Tyrannus in odium fidei præcipiat homini robusto, & bene valenti comedere carnes in contemptum fidei, & ad hunc finem auferat ei omnem alium cibum præter carnes? an tunc posset illas comedere? Videtur consequenter dicendum quando inedia, & abstinentia reduceret eum ad periculum graue vitæ, vel sanitatis, posse vtique præmissa prædicta protestatione: quia licèt necessitas illa proueniret ab extrinseco ab initio, postea tamen fit necessitas intrinseca naturæ deficientis, & periclitantis ob defectum alimenti, quare haberet se sicut ille, qui ob carentiam alterius alimenti comedit carnes, ne pereat: iam enim in eo statu caret omni alio alimento, & parum videtur referre, quod hæc ipsa carentia proueniat à Tyranno, vel alio casu fortuito, cùm eodem modo transeat in necessitatem intrinsecam ipsius naturæ, quæ alimentō aliquo indiget ad vitam, & eo deficiente lex ecclesiastica non obligat, nec comestio illa censetur obedientia Tyranno exhibita, sed vsus licitus cibi cessante legis obligatione. Cæterùm in hoc casu puto esse specialem difficultatem, vt videbimus §. *sequenti num.* 111.

103 *Necessitas ab extrinseco duplex.*

Hoc ergo supposito de necessitate proueniente ab intrinseco, dicendum restat nunc de necessitate ab extrinseco proueniente. Hæc autem rursus duplex esse potest. Prima est, quando Tyrannus in contemptum legis ecclesiasticæ præcipit carnium prohibitarum esum, & nisi comedas, mortem minatur. Quo casu ex omnium sententia illicita est talis comestio. Ita supponit Sanchez *dicto c.* 4. *n.* 25. Coninch *vbi suprà n.* 53. *&* 54. & alij, quos affert & sequitur Hurtado *dicta disp.* 48. §. 100. nec excusaris protestans, te non comedere carnes in contemptum ecclesiæ, sed propter necessitatem ad vitandam mortem. Ratio autem est, quia licèt lex humana non obliget cum tanto detrimento ad sui obseruātiam materialem, semper tamen obligat ne contemnatur, siue hæc obligatio sit ab ipsamet lege, siue (quod verius puto) proueniat à lege diuina, & naturali, eo quod contemptus ille sit intrinsecè malus, & nunquam admittendus. In casu autem posito comestio in talibus circunstantiis continet legis ecclesiasticæ contemptum, cùm non deseruiat ad conseruandam vitam, quatenus præstat alimentum (suppono enim alimenta alia non deesse) sed præcisè quatenus est obedientia exhibita præcepto impio, & cooperatio Principi religionem contemnenti, cui consentis ad vitandam mortem. Sicut ergo suprà diximus, non licere vsum alicuius signi vrgente Tyranno, qui illud præcipit in signum fidei negatæ, licèt non vrgente illo præcepto posses licitè vestem illam, vel signum vsurpare, quod de se non est determinatum ad significandam fidei negationem; ita de carnium esu dicendum est, quia licèt extra eum casum licitus esset ad te occultandum, vt postea dicemus, vel ob alias causas: in eo tamen casu licitus non est, quia continet obedientiam expressam Tyranno præcipienti religionis contemptum. Vnde fortissimi Machabæi huius obligationis conscij maluerunt atrocissima pati tormenta, & mortem crudelissimam, quàm carnibus lege sibi prohibitis vesci Tyranno id præcipiente, licèt alias si nulli alij cibi suppeterent, potuissent licitè iis vesci ad conseruandam vitam, sicut & alij potuerunt sabbato præliari ad se se ab iniustis aggressoribus defendendos, & Dauid potuit panes propositionis sibi aliàs prohibitos licitè in necessitate comedere.

Secunda ergo necessitas ab extrinseco esse potest, quando nullum vrget Tyranni præceptum cogentis carnes comedere, sed tamen transeas per loca hæreticorum, vbi omnes eas comedunt, tu etiam eas comedis, ne si abstineas, prodas te ipsum Catholicum, & ea de causa periclitaris Quo casu P. Valentia 2. *tom. disput.* 7. *quæst.* 15. *puncto* 6. §. 4. *casu* 4. dicit, id non licere in iis locis, in quibus eiusmodi abstinentia est veluti signum & tessera fidei Catholicæ. Alij tamen communiter, & verius id concedunt licere. Azor, Becanus, & alij, quos affert, & sequitur Hurtado *vbi suprà* §. 99. Sanchez *dicto num.* 25. Coninch. *dicto dub.* 3. *num.* 50. & alij communiter. Ratio autem est, quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto detrimento. Præceptum autem diuinum fidei, vel religionis tunc non intercedit: quia comestio illa nec secundùm se, nec in iis circunstantiis est signum determinatè significans fidei negationem, vel formalem contemptum præcepti; cùm multi etiam Catholici carnes ex gula sine necessitate comedant, & cùm possis morbo occulto laborare, quo à præcepto excuseris; quare licèt alii suspicentur, te esse hæreticum, id sine sufficienti fundamento iudicabūt: Catholici verò vel etiam hæretici, qui te catholicum esse sciunt, iudicabunt potius te id facere, ne te periculosè prodas: quare sicut ob similem causam poteris breuiarium non deferre, & officium diuinum omittere, quando id sine periculo deferre non posses, ita poteris abstinentia ecclesiasticam ob simile periculum omittere, cum neutra lex cum tanto periculo obliget. 104

Circa hoc notandum est primò Hurtadum *loco citato*, videri hanc licentiam limitare ad casum, quo, nisi carnes comedas, *adducaris in extremum vitæ periculum*. Alij tamen non videntur ita strictè loqui, nam Sāchez loquitur, quando sic abstineant, *grauis damni periculum subeunt, vt carceris, tormentorum, amissionis bonorum, vitæ*. Coninch generalius loquitur, dicēs, id licere *ad vitandum graue periculum*. Ego quidem concedam, maius damnum requiri, quàm sit illud, ob quod Ecclesiæ præcepta communiter non obligāt: minus enim damnum sufficeret ad omittendum sacrum in die festo, quàm ad esum illum carnium, qui in circunstantiis est signum aliquod, licèt nō omnino determinatum, falsæ religionis, ad quod licitè vsurpandum grauior causa requiritur propter fidei, & religionis obseruantiam, quæ abomni specie mali nos abstinere cogit, & eò grauiorem causam requiri diximus, quo signū illud minus habet indifferentiæ: non tamen puto requiri semper vitæ periculum, citra quod possunt alia timeri mala, quæ excusent, qualia sunt ea, quæ Sanchez attulit in exemplum. 105

Vnde secundò notandū est, in aliquibus casi- 106

bus

Quibus in casibus sit illicitus.

bus illum carnium esum non esse licitum, quos prudenter proposuit Coninch *loco citato*. Primus est, quando quis ab omnibus præsentibus scitur esse catholicus: tunc enim parum refert, quod videant eius abstinentiam: secus esset, si aliqui soli id scirent, alij verò nescirent, à quibus meritò timendum esset, ad quod sufficeret, si vnus id nesciret, si ille æquè posset nocere. Secundus casus est, quando solùm timetur periculum irrisionis, quod leuissimum malum est, & à viro Catholico potiùs reputanda sibi esset in honorem, quàm in ignominiam. Tertius est, quando aliquo prætextu posses eam necessitatem vitare, prætexendo debilitatem stomachi, vel appetitum piscium, vel ouorum: quo casu prætextus ille non esset contra fidem, etiamsi esset fictus, vt cum aliis notant Sanchez *num.* 24. & Hurtado *vbi suprà*, posset tamen esse mendacium veniale, nisi aliqua iusta æquiuocatione vtaris. Quartus casus est, quando etiam sine superiotis coactione, sodales hæretici sese mutuò inuitant, & hortantur ad esum carnium in contemptum Ecclesiæ, vel vt probent an sit ibi aliquis Catholicus, qui nõ audeat eas comedere, quia circunstantia illa videtur determinare esum carnium ad significandam defectionem vel à fide, vel ab obedientia Ecclesiæ, vt probat Coninch *vbi suprà num.* 53. *in fine.* in quo minùs cautè loquitur Sanchez *num.* 25. dicens, eos non peccare, *nisi vel aliorum sit magna offensio, aut nisi exploretur, & tentetur eorum religio auctoritate publica*: nam vt vidimus, non excusatur etiam, quando tentatur auctoritate priuata. Dixi tamen, cum *minus cautè* loquutum addens sine causa *li publica*. Nam in re fortasse non dissentit, cùm statim subiungat, *vel inde religionis nostræ despectus oriatur*. Qui certè despectus oritur etiam in casu posito, quando à sodalibus experimento illo religio exploratur, & tentatur. Vnde meliùs Castro Palao *dicto puncto* 17. *num.* 10. addidit auctoritate publica, vel priuata ptouocatum non posse licitè carnes comedere.

§. III.

De Idolothytis, quando ea comedere sit licitum.

107 DIfficultas peculiaris est de idolothytis, seu cibis, qui idolis immolantur, siue carnes sint, siue panis, siue fructus, siue alij cibi siue etiam potus, de quibus comedere grande piaculum apud priscos christianos æstimabatur, & peccatum contra religionem, & fidem, eo quod comestio illa videretur cõtinere cultum falsi Dei, cui cibus ille consecratus, & immolatus erat. Loca Patrum videri possunt apud Iustinianum *in ep. 1. ad Corinth. c. 8. & cap. 10.* Maximè autem vrgere videntur verba Augustini *op. 154. & lib. de bono coniug. c. 16. & lib. 32. contra Faustum cap. 13.* qui in vniuersum videtur docere, fame potiùs pereundum esse homini christiano, quàm eos cibos comedat, si constet esse ex immolatis idolo. Cui doctrinæ consentire videtur S. Leo *ep. 77. ad Nicetam c. 5.* vbi interrogatus de captiuis, qui apud Gentiles de iis cibis comederant, respondet, *vt pœnitentiæ satisfactione purgentur*, & addit *siue hoc terror extorserit, siue fames suaserit, non dubitet abolendum, id est remittendum per cordis pœnitentiam: cum huiusmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus*. Vbi videtur supponere peccatum interuenisse, alioquin non esset necessaria pœnitentia ad remissionem impetrandam.

P. Vasquez *in 1. 2. disp. 161. num. 32.* putat 108
illam Augustini sententiam rigidam esse in casu illo necessitatis, sicut & alij etiam censuerunt, ideoque ab illa discedendum, sicuti etiã videtur discedere S. Thomas *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3.* his verbis: *non tamen aliquis debet se dimittere fame mori, antequam cum scandalo idolatitium comedat: quia iniiceret sibi manus, & sic cum malo pœnæ adiungeretur malum culpæ*. Vbi non solùm in ea necessitate licitum esse putat, sed etiam necessarium ex præcepto naturali comedere talem cibum. Ad verba verò S. Leonis respondet Vasquez *n.* 33. non loqui de extrema necessitate, sed de communi fame, & indigentia, qua laborare solent mendici. Quam expositionem approbant P. Salas tract. 14. de legib. disp. 11. n. 26. & P. Hurtado disp. 48. §. 83. qui tamen §. 82. sententiam Augustini amplectitur, quia non dixit esse obligationem in extrema necessitate abstinendi ab iis cibis immolatis, sed per modum consilij laudauit talem abstinentiam in eo etiam necessitatis articulo.

Ego loquendo de re ipsa licitum existimo esum 109
eorum ciborum non solùm, quando alij cibi non *Sententia Auctoris.*
supperunt ad vitam conseruandam, quo casu præmissa protestatione. vt supra de esu carnium diximus, licitus est; sed etiam quoties non est species cooperationis ethnicæ, vel cultus falsi Dei aut scandalũ adstantium, cùm cibi ipsi de se indifferentes sint, nec extrinseca immutatio eos prauos effecerit. Quod non obscurè colligitur ex verbis Pauli *1. ad Cor. c. 8. & c. 10.* vbi optimè explicuit, quando & cur comestio hæc sit illicita, his verbis: *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omnes quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam dico non tuam, sed alterius*. Ex quibus verbis colligitur clarè, ipsam comestionem immolati de se non esse malam; alioquin in dubio non posset fieri, sed deberet examinari, & expelli dubium: posse tamen vitiari ex circunstantiis, hoc est, vel ratione scandali; propter quod dixit idem Apostolus cap. 8. abstinendum esse ab iis cibis, quando infirmi scandalizantur. *Videte*, inquit, *ne forte hæc licentia vestra offendiculum sit infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* & in dicto cap. 10. ante verba supra relata dixerat; *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius*. Rursus vitiari potest comestio ex loco, tempore, & aliis, quæ ostendant, illam fieri in cultum idoli; ideo enim Apostolus iudicat abstinendum quando infidelis, qui te inuitauit, dicit, cibum illum esse immolatum idolo; quia eo ipso videtur te inuitare ad comedendum in cultum idoli; & tu videris inuitanti consentire, quod in iis circunstantiis esset contra religionem. Vnde celebratur meritò die 28. Aprilis fortitudo Sanctæ Valeriæ martyris, & coniugis S. Vitalis, quæ cùm Ethnicis eam ad conue-

scendum ex idolothytis inuitantibus constanter dissentiret, crudeliter ab eisdem fustibus ibi cæsa glorioſissimè obiit: nam in iis circunstantiis conuiuij acceptatio non poterat præscindere à cultu saltem apparenti falsi Dei. Videatur Coninch *disp.*15.*dub.*3.*num.*54. qui benè,& breuiter id explicat.

110 Quod verò attinet ad Augustinum suprà adductum, qui videtur dicere,satius esse fame perire, quàm edere cibos immolatos idolis, ego non credo, ipsum loquutum de cibis illis materialiter, sed formaliter, vt idolothytis, id est, vel in cultum idoli, vel certè in iis circunstantiis loci,téporis,&c. in quibus apparere possit,quod fiat in cultum idoli; neque enim in illis locis ex professo de hoc agit, sed solum obiter, atque ideo videtur loqui de iis cibis, quatenus, & provt prohibiti erant:constat autem ex dictis,numquam fuisse à fidelibus creditam prohibitionem vniuersalem, sed in certis circunstantiis, provt à Paulo edocti fuerant. Quam explicationem approbat etiam Hurtado *in præsenti disp.*48.§.60. & 82. licèt postea *disp.*173.*de charitate* §.283. dicat, timere se, ne alicui subdura videatur ea interpretatio,mihi tamen videtur verissima;quia licèt Augustinus id non explicuerit per verba formalia, id fecit, quia supponebat, vt certum id, quod apud fideles certum semper fuerat, prohibitionem illorum ciborum non esse vniuersalem, quare afferens in exemplum illos cibos, loquutus est de iis, vt prohibitis,nempe in eo casu,quo eorum esus erat prohibitus; sicut qui nunc diceret, restituendũ esse hæretico cogenti te ad esum carnium, intelligi deberet non de quolibet, sed de esu carnium prohibito in certis diebus; sic ergo de esu idolothyti loquitur Augustinus non vniuersaliter, sed pro eo casu in quo ob circunstantias prohibitus erat.Quo etiam sensu loquitur S. Leo suprà adductus supponens captiuos illos peccasse comedendo cibos immolatos, quia nimirum in iis circunstantiis comederant, in quibus redundabat in cultum idolorum externum, licèt id ob terrorem, vel etiam ob famem non tamen extremam,id fecerint,& idcirco peccatum minùs graue fuerit.

111 *Sententia D. Augustini, In ipso idolio pereundum potiùs fame, quàm edantur carnes immolatæ, vt intelligenda.*

Restat tamen adhuc difficilis Augustini sententia:cur enim etiam in ipso idolio pereundum est potius fame, quàm edantur carnes immolatæ, cum prohibitio non sit pro illo necessitatis articulo? Adhuc tamen sententia Augustini videtur posse defendi, intelligendo nimirum eam in casu, quo comestio talibus sit vestita circunstantiis, vt non possit à cultu idoli saltem secundùm apparentiam separari; qui casus contingere potest, quando, vt dicebamus §. *præcedenti* Tyrannus omnem alium cibum fideli prohiberet, vt eum cogeret ad idolothytũ edendum,vel fame moriendum: quo casu laudabile, imo, & necessarium videtur eo cibo abstinere, neque enim tunc fidelis se occidit, sed occiditur à Tyranno alios cibos prohibente. Tunc enim cibus ille immolatus fideli oblatus non sufficeret solus secundùm se ad vitandam mortem, si alij cibi postea non darentur, sed ad protrahendam breui spatio vitam; quare si deseruit ad vitandam mortem, non est propter suam efficaciam intrinsecam, sed quia comestio illa mouet Tyrannũ ad concedendos postea alios cibos. Ad hoc autem non mouet, nisi quatenus continet obedientiam sui imperij, & per consequens cultum aliquem externum idoli. Non est ergo obligatio naturalis comedendi illum cibum, cùm ille non sit medium necessarium ad vitam, nisi quatenus mouet Tyrannum per obedientiam exhibitam, sub qua ratione eligi non potest licitè illa comestio.Sed neque etiam est obligatio comedendi ad protrahendam breui illo tempore,cùm non teneamur cauere ab iis, quæ breuem aliquam accelerationem mortis afferre possunt, vt suppono, & dixi latè *tom.*1. *de iustitia, & iure disp.*10.*sect.*1. nec etiam procurare ea media,quæ breuem prorogationem vitæ afferre possunt. Præsertim quando medium est tale, & in iis circunstantiis, in quibus tantam mali speciem, & religionis nostræ contemptum afferre videtur, provt in iis circunstantiis afferret comestio illa, quam omnes interpretarentur oriri ex desiderio non solùm protrahendi vitam breui illo tempore, sed conseruandi illam acceptis à Tyranno aliis cibis.Vnde legimus cum laude in Romano martyrologio die 5. Iulij factum glorioſum Beatæ martyris Cyrillæ, quæ ardentes carbones cum thure super manum positos diu tenuit, ne prunas excutiendo thus obtuliſſe videretur, qua de causa sæuissimè laniata glorioſè occubuit: quia nimirum, licèt proiectio carbonum secundùm se non esset cultus falsi Dei; in illis tamen circunstantiis, quibus ad eum finem manui impositi fuerant, poterant à gentilibus pro signo accipi, & non erat obligatio vitandi breue illud tormentum cum dispendio ludibrij, quod religioni oriri poterat, præsertim corpore toto statim ad mortem vsque laniando; imò apud Eusebium *lib.*9. *cap.*13. refertur tanquam memoria æterna dignum facinus nobiliũ duorum iuuenum, qui cum comprehensi simulacris immolare cogerentur,dixerunt; ducite nos ad aras. Et cùm adducti fuissent, manus suas ardenti igni superponentes, si subtraxerimus (inquiunt (sacrificasse nos credite, & quoadusque caro omnis in igne defluxerit, immobiliter perdurarunt.Certè ij ad experimentum eiusmodi nõ tenebantur:postquam tamen illud pro signo fidei retentæ, vel abiectæ statuerunt, facilè persuadere sibi potuerunt, non posse se ab illo signo recedere etiam cum manus iactura; sicut & alius linguam sibi dentibus abscidit, vt meretricem à se expelleret lasciuè prouocantem, & amplexantem,quam ligatis manibus aliter fugare, vel fugere non poterat, quamquam & ij omnes peculiari Dei instinctu moti credi possunt ad id faciendum. Nobis satis est,Augustinum posse intelligi suppositis terminis habilibus;quando scilicet esus immolatorum in his circunstantiis separari non potest à contemptu veræ religionis, nec conducere potest ad mortem vitandam, nisi provt talem contemptum significat, & ideo mouet Tyrannum ad alimenta alia non neganda, vt dictum est.

§. IV.

De ritibus, & cæremonijs falsi cultus, quomodo illicitè vsurpentur.

112 Restat agere de aliis actionibus, quales sunt ritus,& cæremoniæ alicuius falsæ sectæ, an, & quomodo illicitum sit eis vti; de quibus in primis certum est in genere loquẽdo,hunc vsum esse

esse illicitum, & intrinsecè malum, quoties continent negationem explicitam veræ religionis, & fidei. Cùm enim negatio hæc semper sit intrinsecè mala, idem dicendum erit de actionibus, quæcunque sint, in quibus talis negatio continetur. Vnde idem dicendum est, quoties occurrit obligatio confitendi fidem: tunc enim vsurpare prædictos ritus, quibus saltem occultatur confessio debita fidei, erit etiam illicitum ad minus propter omissionem confessionis tunc debitæ.

Rursus habenda est præoculis distinctio supra explicata de actionibus, aut signis habentibus, vel non habentibus determinatam significationem falsæ fidei, siue ex se, siue in his circunstantiis. Si enim actio sit talis, vt etiam hîc & nunc non sit determinata ad talem significationem, iam diximus *suprà*, quomodo aliquando ex graui causa, vel grauissima possit licitè vsurpari. Nunc ergo solùm agimus de ritibus, & cæremoniis determinatè significantibus cultum falsæ religionis: in quo etiam sensu hanc quæstionem intelligendam dixit P. Suarez *in præs. disp.* 14 *sect.* 4. *n.* 2. De huiusmodi itaque ritibus certum videtur apud omnes, quod non liceat eos vsurpare formaliter, hoc est, ex animo exercendi falsum cultum: hoc enim vel supponeret defectum internum veræ fidei, quem defectum vellet aliquis manifestare exteriùs per illum ritum, qui esset propriissimus actus infidelitatis: vel certè, licèt interiùs non negaret fidem, vellet tamen exteriùs talem negationem significare, & per consequens esset negatio fidei externa, quæ in nullo casu potest esse licita, vt constat ex superioribus.

113 Tota ergo difficultas est de his ritibus, & cæremoniis materialiter acceptis, itaut aliquis, quando non vrget præceptum fidei confitendæ, vtatur illo ritu externo materiali ad occultandam fidem suam ex causa grauissima, non tamen cum animo exercendi ritum illum, vt talis ritus est, sed solùm illam actionem materialem v. gr. susципere circuncisionem, non quidem quatenus est ritus Iudaismi, vel Mahometismi, sed quatenus est mortificatio carnis, licèt in his circunstantiis appareat exteriùs susципi in gratiam Iudæorum, vel Mahometorum.

Et quidem quæstio hæc videtur ex doctrina superiùs tradita sufficienter definita, sed tamen propter aliquorum sententiam, & eorum argumenta, quorum aliqua peculiarem difficultatem habent, vt videbimus, oportet eam in particulari examinare. Est ergo sententia Adriani *in 4. tract. de baptismo q. 1. art. 1. ad 5.* affirmans id aliquando licere, si fiat ex graui causa, & sine scandalo, & retenta fide interna, & sine animo exercendi cultum, sed solùm ex simulatione, & quando non est necessaria ex præcepto fidei confessio: in quo sensu Adriani sententiam intellexerunt alij scholastici, & eam non esse improbabilem significat Valentia *in præsenti disp. 1. qu. 3. punct. 2.* Quare minùs bene P. Hurtado *in præsenti dicta disp. 49. §. 61.* putat non esse discrimen de re ipsa inter Adrianum, & alios Theologos, eò quod Adrianus loquatur de vsu harum rerum licito tunc solùm, quando in his circunstantiis potest eius significatio à simulatione præscindi. Sed re vera Adrianus non loquitur solùm in eo casu, sed quando circunstantiæ tales sunt, vt eam significationem talem determinent, prout gestus, & actiones Dauid coram Rege Achis determinatè significabant furorem, & amentiam, & constat ex exemplis, quæ affert in toto illo articulo: & in eodem sensu videtur eam sententiam approbare Lorca *in præsenti disp. 24. n. 7.*

Sententia Adriani affirmans id aliquando licere.

114 Cæterum hæc sententia sic intellecta meritò ab omnibus reiicitur, quos referunt, & sequuntur Suarez *loco citato, & lib. 6. defensionis fidei cap. 9. & lib. 9. de legibus cap. 17.* Vasquez *in 1. 2 disp. 182. cap. 5.* Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 4. n. 14.* Coninch *in præsenti disp. 15. dub. 3. num. 39.* & alij communiter, quorum aliqui graui nota contrariam sententiam afficiunt. Suarez enim *in præsenti loco citato* dixit eam singularem esse, & in re morali posse esse perniciosam. Turrianus *in præsenti disp. 35. dub. 5. §. Sed contrariam*, dicit hanc conclusionem habendam esse vt certam absque vlla dubitatione. Castro Palao *tract. 4. disp. 1. punct. 16. num. 3.* dicit contrariam non esse probabilem, & hanc esse omnino certam. Aliqui eam reducunt ad errorem damnatum illorum qui dicebant licitè negari fidem fictè in tormentis ad ea vitanda. Sed verè differt longè ab ea sententia: fatetur enim, non posse eo casu negari fidem exteriùs; imò nec quoties interrogat Tyrannus, quia tunc debemus potitiuè fidem confiteri.

In quo sensu reiicitur ab omnibus.

115 Probatur primò ex Patribus, qui simulationem illam in cultu externo falsæ religionis semper, & vniuersaliter reprobant, & execrantur. Origenes *hom. 8. in exod.* posita distinctione veræ & simulatæ adorationis, subdit: *vtrumque resecat sermo diuinus, vt neque affectu colas, neque specie adores.* Cyprianus ep. 31. siue Clerici Romæ existentes, quorum est illa epistola. *Non est* inquiunt, *immunis in scelere qui vult videri propositis aduersus Euangelium, vel edictis, vel legibus satisfeciisse: nam hoc ipso iam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Chrysostom. hom. 25. in Matth. in imperfect. *si tibi* inquit, *tantùm Deus cor creasset, sufficeret tibi fides cordis; nunc autem os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis:* & videtur non loqui de eo solùm, qui à magistratu interrogatur; quo casu præceptum confessionis fidei vrget, sed etiam de eo, qui inuitatur à sodali, quo casu minimam etiam actionem externam, quantumcumque aliàs licitam, & indifferentem condemnat: *si quis*, inquit, *tibi dicat, non manduces idolothytum, sed adspice tantùm ad idola, quomodo speciosa sunt: si adspexeris prouocatus, oculis tuis negasti Christum. Non quia adspicere idola aliquid sit, sed quia inuitatus adspicis, peccas.* Et idem postea explicat in auditu, odoratu, gustu, tactu, & de sola fictione comedendi de immolato. Verba Chrysostomi videri possunt apud Suarez, quia ad longum ea refert *dicto lib. 6. defensionis fidei c. 9. n. 24.* vbi alia Patrum loca congerit.

Simulationem in cultu externo falsæ religionis semper, & vniuersaliter reprobant, & execrantur Patres.

116 Probant aliqui ratione ex eo, quod actio illa externa haberet malitiam mendacij pernicioſi, quod non minùs rebus ipsis, quàm verbis committi potest. Hæc tamen ratio difficilis est; quia mendacium in rigore, & propriè non fit, nisi loquutione. Possumus autem rebus quibuslibet vti, sine eo quod loquamur: nam licèt significemus sensum nostrum, non tamen semper per modum loquutionis, quæ est ordinatio mentis nostræ ad alium, quæ ordinatio separari potest à quibuslibet aliis signis, licèt non possit separari significatio determinata in aliquibus circunstantiis.

Meliùs ergo probatur primò ex absurdis, quia

seque

sequeretur, posse fidelé licitè exercere actus omnes, & ritus externos sacrilegos, adorationis, thurificationis, & reuerentiæ coram idolis, ritus item hæreticos, & Mahometicos, saltem quando non est obligatio fidem confitendi, sed potest ea licitè occultari, ad quam meliùs occultandam vtile certè esset exercitium illorum rituum: quæ omnia ex se satis absurda apparent, & contra sensum omnium fidelium. Vnde probatur secundò ex doctrina Pauli suprà adducta, quod non liceat vesci idolothytis, quando fidelis inuitatur ad ea comedenda in honorem idoli, aut quando ex circunstantiis apparet ad eum finé comedi. Imò idem diximus de esu carnium in quadragesima, quando ad amico hæretico ad probandam tuam religionem ad esum inuitaris, quia tunc significat determinatè contemptum religionis Catholicæ, & sic de aliis. Tertiò probatur hoc ipsum ex doctrina generali Patrum, & Theologorum, quod ritus Iudaici nunc prohibiti sint, nec possint licitè exerceri, quando apparet fieri in cultum legis Mosaicæ, quale esset offerre sacrificia legis antiquæ, comedere agnum paschalem ritu illo in lege præscripto, & alia similia, nec etiam ad occultandam fidem, vel ad conciliandum neophitum, vt tanquam ex fide certum tradit cum Augustino Suarez *lib. 9. de legibus, cap. 14. num. 6.* & alij communiter. Quarto probari potest ex Breui Pauli V. misso ad Catholicos Angliæ de quo inferiùs dicemus, quo declarat, illicitum omnino illis esse in his circunstantiis templa hæreticorum adire, eorum conciones frequentare, & precibus, ac ritibus interesse; quia nimirum hæc omnia in his circunstantiis significant cultum hæreticæ religionis. Denique ratio à priori est, quia licèt hæc non sit loquutio & negatio fidei per loquutionem, sunt tamen signa determinatè significantia fidei negationem. Malitia autem vocum, quibus fides negatur, consistit in ea significatione determinata, vt suprà vidimus, ex qua sequitur dedecus veræ religionis, & irreuerentia contra diuinam veracitatem, & auctoritatem, quæ tota malitia in his etiam signis, & ritibus inuenitur, & ideo non potest vllo alio pietatis, aut commodi motiuo honestati.

118 *Adriani argumenta solumtur.*

Pro sententia Adriani supra relata sunt aliqua argumenta, in quorum solutione difficultas tota huius controuersiæ posita est. Primò Arguitur ex quarto Reg. *c.* 5. vbi Naaman ad fidem veri Dei conuersus petiit ab Elisæo licentiam, vt quando necesse esset Regem suum ad templum idolorum comitari, posset genuflectere, & adorationis gestum fictè exhibere, cui Elisæus respondit, *Vade in pace*, quasi simulationem illam, vt licitam approbaris. Ad hoc breuiter respondetur, aliquos velle, verba illa Elisæi non continere approbationem, sed meram permissionem illius mali ad vitandum aliud maius malum, eo quod Naaman propter debilitatem suã facilè à fide suscepta retraheretur, si Elisæus nollet ei permittere, quod petebat, ita Valentia, & Lorca locis supra citatis. Quam solutionem confirmat idem Valentia ex verbis, quæ dixit Naaman ad Elisæum. *Hoc solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo: quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret; & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus, seruo tuo pro hac re. Qui dixit ei. Vade in pace.* Vnde colligitur Naaman putasse illud esse peccatum; alioquin non deprecaretur veniam illius: si autem non erat peccatum, debuisset Elisæus docere illum, & auferre conscientiam erroneam: verba ergo illa non fuerunt approbatio, sed mera permissio, vel potiùs promissio orandi Deum, vt ignosceret ei hoc peccatum, quod solum Naaman ab eo petierat.

Aliis tamen hæc solutio displicet, Abulensi, Caietano, & aliis, quos refert, & sequitur Suarez *in præsenti dicta sect. 4. n. 8.* quod probari potest retorquendo argumentum pro ea adductum: quia si genuflexio illa æstimabatur ab Elisæo intrinsecè mala, & illicita, non poterat dicere, *Vade in pace*, nec veram pacem promittere peccatori obstinatè volenti perseuerare in suo crimine, sed debuisset malitiam ostendere, & exhortari ad eam fugiendam; iam enim Naaman erat in mala fide, cùm veniam peteret illius peccati, quare magis ei necessaria erat exhortatio, quam permissio, & condescendentia, qua magis in peccato confirmaretur. Veriùs ergo est, quod Naaman licitè potuerit genuflectere cum Rege genuflectente, eo quod genuflexio illa non esset signum adorationis, sed cultus Regi exhibitus, cuius manum sustinere de more non poterat, si Rege genuflectente, Naaman rectus staret, sed debebat se inclinare, vt manum Regiam sustineret, qui erat cultus solùm ciuilis erga Regem, non religiosus erga idolum. Quam interpretationem vltra supra adductam, sequuntur etiam Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 4. n. 14. & lib. 1. cap. 7. num. 21.* Castro Palao *d. punct. 16. num. 4.* Coninch *dicta disp. 15. num. 46.* qui bene aduertit, verbum *adorandi* in Hebræo explicari verbo non significante cultum, sed solùm incuruare se corporaliter. Quam expositionem alij communiter amplectuntur, & possumus confirmare soluendo difficultatem contra eam propositam ex eo quod Naaman deprecaretur veniam huius peccati; supponebat ergo id fore illicitum, quam conscientiam erroneam Elisæus ei non abstulit, prout debuisset auferre, si actio licita fuisset. Ad hoc inquam, respondere possumus, retorquendo argumentum, quia si Naaman putabat illud fore peccatum, quomodo petebat veniam illius peccati, cum sit impossibilis remissio peccati, cuius iterum denuò committendi propositum perseuerat, prout in Naaman perseuerabat? illa ergo venia, quam petebat, non erat propriè remissio, sed licentia, vt impunè fieret, & vt sibi non imputaretur ad culpam. Elisæus autem videns, id non esse illicitum in iis circunstantiis, in quibus omnibus iam constare debebat Naaman non esse cultorem idolorũ, sed veri Dei, meritò respondit *Vade in pace*, hoc est, noli hac de causa turbari, quia hoc tibi Deus non imputabit ad culpam. Nec necesse fuit explicare, quod actio de se non erat mala, & ad quam nulla requirebatur specialis Dei licentia: satis erat pacare eius conscientiam in eo actu, vt iam sine peccati scrupulo operaretur: sicut si aliquis valetudinarius dubitans de obligatione recitandi officiũ, peteret à summo Põtifice, vt sibi ignosceret, si in eo statu non recitaret, posset Pontifex eum pacare, dicendo *Vade in pace*, licèt ei non explicaret pacis causam, nempe, vel ex eo quod præceptum ex se non obligaret, vel ex dispensatione nona ei concessa: sic Naaman dubitabat, nec sine aliquo fundamẽto, an genuflexio illa foret licita, & deliberabat licentiam genuflectendi: Elisæus autem prudenter respondit verbis sufficientibus ad eius

conscientiam pacandam, nec necesse erat explicare, vnde proueniret ea permissio, hoc enim parum ad quietem, & pacem interrogantis referebat.

110 Quæstio 2. Secundò ergo arguitur ex facto Iehu 4. *Reg.* 10. qui vt posset omnes prophetas Baal occidere, finxit se velle cum illis sacrificium offerre, dicens *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.* Et iterum congregatis ministris dixit: *sanctificate diem solemnem Baal.* Quod factum videtur Deum laudasse, & approbasse dicens. *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis,* &c. Hoc tamen argumentum, si aliquid probat, probaret etiam negari posse licitè fidem verbis, & non solùm vsurpando ritus externos: nam Iehu verbis etiam videtur professus cultum falsæ religionis, dicens: *ego autem colam eum amplius*, quibus verbis videtur se cultorem profiteri Dei falsi.

Communis responsio est, non opus esse excusare Iehu à peccato graui in verbis illis, hominem iniquum, qui alia postea graviora scelera in Deum commisit, quæ in ipso textu referuntur. Quamuis autem Deus temporali præmio remunerauerit, quod bene gessit occidendo Ministros Baal, & extinguendo domum Achab iuxta voluntatem Dei: non tamen approbauit verba illa, quæ dixerat: vnde non dixit Deus: *quia bene loquutus es, sed quia studiosè egisti, quod rectum erat*, &c. facta eius commendans, non verba falsum cultum significantia. Ita cum S. Thoma *infra quæstio* 111. *artic.* 1. *ad* 2. Caietano, & aliis respondent Suarez *in præsenti dicta sect.* 4. *numero* 9. Castro Palao *dicto numero* 4. Hurtado *disp.* 48. §. 51. & alij communiter: & habet pro se Augustinum *tom.* 4. *libro contra mendacium cap.* 2.

111 Hæc tamen responsio, vt verum fatear, mihi difficilis apparet: & contrarium supponit omnino Abulensis in eum locum Regum *quæstio* 25. probans illud ad summum fuisse peccatum veniale mandacij officiosi, nec S. Thom. loco citato dixit, fuisse peccatum graue, sed peccatum, vel mendacium, à quo mendacio non est necesse excusare hominem vitiosum. Et quidem id, quod cum Caietano ponderant hi auctores, Deum non dixisse, *quia bene loquutus es, sed quia studiosè egisti* &c. parum iuuat: quia Iehu non solum protulit illa verba, sed fecit adornari sacrificium & ad illud offerendum conuocauit Sacerdotes Baal, & alios, prout re ipsa obtulerunt, quæ non erant mera verba, sed facta. Aliunde verò, si Iehu damnemus peccati mortalis in verbis illis, non facilè erit defendere verba ferè similia, quæ ad bonum etiam finem confundendi postea gentiles dixerunt sæpe plures Sancti Martyres, quorum fidem commendat, & celebrat vniuersa Ecclesia, vt constat ex eorum gestis, in quibus non ratò eiusmodi exempla occurunt: sic enim legimus in Breuiario Romano de S. Apollonia, quod comprehensa iam, vt combureretur pro fide, *paulisper quasi deliberans stetit*, vt ex gentilium manibus elapsa ipsamet sponte sua se se in rogum iniiceret: quæ dissimulatio deliberationis significare quidem poterat formidinem, & dubium internum circa fidem, & cultum veri Dei retinendum. Præsertim cùm referente Dionysio Alexio, apud Surium in vita S. Apolloniæ Die 9. Februarij, verbis etiam suam perplexitatem significauerit, dicit enim, *quod paululum temporis ad deliberandum pacata stetit*: Clarius autem loquutus fuit S. Iulianus martyr illustrissimus, qui, vt ex antiquis gestis refert idem Surius die 9. Ianuarij, cùm à Præside inuitaretur, vt cum sociis suis veniret ad templum præter solitum apertum, & solemni pompa ornatum, vt sacrificium diis offerret; respondit: *Quandoquidem hortaris, vt omnibus in vnum conuenientibus; diis vestris immolemus: id quidem facere non piget. Nam ideo semper distulimus, vt in hoc templo mirabili magnum sacrificium cunctis cernentibus immolaremus.* quod quidem dixit, vt euentus probauit, vt Sacerdotes, & gentiles innumeros illuc ea occasione conuenientes templum eius oratione corruens cum magna gentilismi iactura comprimeret. Eodem modo loquutæ sunt Sanctæ illæ septem Mulieres Martyres, de quibus in actis S. Blasij apud eundem Surium ex Metaphraste tertia Februarij narratur, quod inuitatæ à Præside ad sacrificandum dixerunt: *Si vis, vt diis tuis sacrificemus, eamus propè lacum, nos autem, cùm abluerimus vultus nostros in lacis accedemus, & eis sacrificabimus.* Quò cum venissent, idola omnia eo fine illuc allata in lacum proiecerunt. Denique quod plus est, similia ferè verba cum laude, & commendatione referuntur *lib.* 2. *Macha. cap.* 7. prolata à fortissima, & sanctissima illa fœmina martyre, & sanctorum septem fratrum Machabæorum matre: quam Rex ante adolescentioris mortem *vocauit, & suadebat ei, vt adolescenti fieret in salutem*, nempe suadendo filio, vt patriam legem desereret. *Cùm autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo.* Cui tamen patria lingua contrarium suasit, & perseuerantiam in fide. Et quamuis non promiserit fortasse explicitè concilium mutandi religionem, sed solùm concilium in genere vtile ad salutem: negari tamen non potest, quod verba illa iuxta mentem Regis potentis intelligerentur de consilio infidelitatis: diximus autem supra non posse Tyranno vrgente, voces à fidelibus vsurpari, nisi iuxta sensum interrogantis, quia talis amphibologia in fidei confessione damnabilis est. Hæc ergo, & alia similia sanctorum martyrum exempla, si excusanda sunt à peccato graui, prout excusanda videntur, non apparet, cur excusari non possint verba Iehu, quæ etiam ex fine extirpandæ idololatriæ dicta fuerunt vt euentus ipse quam primum manifestaturus fuerat.

122 Quod rursus ex ipso sacro textu confirmari non leuiter potest: quia in iis omnibus, quæ Iehu fecit, comitem sibi adhibuit Ionadab filium Rechab, virum sanctissimum, vt fatentur interpretes, & vitæ apud Hebræos austerissimæ auctorem, ac legis zelo flagrantem: hunc autem Iehu sibi in via occurrentem assumpsit secum in curtum suum dicens: *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino: & impositum in curru suo duxit in Samariam:* vbi illa omnia dixit, & fecit. Non est autem credibile, quod vir sanctus permitteret Regi fraudes illas, & insidias ad perdendos ministros Baal, si essent illicitæ, & continerent iniuriam grauem veræ religionis.

123 Duo itaque in Iehu reprehendi videbantur, nempe, quod sacrificij superstitiosi auctor fuerit, ad illúdque inuitauerit, & quod promiserit se maiorem cultum Baal exhibiturum. Quod attinet ad primum, latè eum defendit Abulensis vt suprà *quæst.* 32. probans, solùm se permissiuè habuisse, permittendo, vt ij, qui in occulto Baal colebant,

colebant, possent id publicè facere, vt hoc nimirum modo deregerentur, & occiderentur. Nec enim alios ad sacrificium vocauit, nisi Sacerdotes, & cultores Baal; imò diligentissimè curauit, ne quisquam alius admisceretur, sed illi soli, qui antea Baal ministrabant, & seruiebant. His autem nullum scandalum dabat, cùm iam ipsi in occulto facerent, quod ibi in publico profitebantur; erat enim vocatio, quasi conditionata, id est si Baal colitis, colite in publico: quæ vocatio non incitabat absolutè ad malum, cùm possent adhuc à Baal recedere, & conuerti ad Deum, sed ex suppositione, quod determinati essent ad malum, consulebat minus malum, nempe sui manifestationem, per quam possent coërcere, & impedire à longiori perseuerantia, atque etiam multis metu in illo extremo articulo ad Deum conuerti.

124 Quod verò attinet ad secundum de verbis, & promissione promouendi cultum Baal, cùm verba omninò similia dixerint sancti Martyres suprà commemorati, & præcipuè B. Iulianus, qui ea verba vsurpauit ad eundem finem perdendi Sacerdotes cum idolorum templo, omnes debemus ea verba à sacrilegij crimine excusare, ne sanctissimos viros eius criminis reos fateamur. Pro quo possumus considerare, ea verba in rigore non continere fidei negationem, nec etiam cultum idoli: nam qui promittit se negaturum fidem, vel exhibiturum cultum idolis, in rigore nondum fidem negat, aut colit idola, sed ad summum significat se habere animum id postea faciendi; sicut qui promittit se ingressurum religionem, & facturum in ea professionem nondum promittit castitatem, aut obedientiam, &c. sed significat animum ea omnia postea promittendi. Non est autem eadem irreuerentia significare animum negandi postea fidem, aut cultum veri Dei, quem tamen modò non negas, quæ esset, si actu negares finem, vel cultum veri Dei. Sicut non est eadem malitia, si significes te cras commissurum aliquod peccatum, ac si nunc illud committeres: sic enim multi sancti ex causa graui & ad bonum finem significauerunt fictè animum committendi aliquod peccatum; vt S. Ambrosius, qui vt Episcopatum fugeret iussit adduci meretricem in domum suam; vt significaret animum turpiter peccandi, & S. Edmundus fœminæ se ad turpitudinē prouocanti condixit horā & locum, vt ad se voti compos futura veniret; quam postea vestibus superioribus spoliatam virgis acriter flagellauit, & ad saniorem mentem reduxit, vt refert Vincentius Beluacensis *in speculo historiali lib.* 31. *cap.* 71. Similiter S. Abraham Eremita, vt neptem suam in prostibulo peccantem ad pristinam vitæ sanctimoniam reuocaret, vestibus militaribus indutus eam à Præfecto hospitij ad concubitum petiit, & cum ea lautè cœnauit, quam postea solus cum sola remanens ad pœnitentiam conuertit, vt ex S. Ephrem, & aliis refert Surius in vita eiusdem Abrahæ die 16. Martij, & sic de aliis, quibus ex graui causa, & ad finem pietatis licuit fingere voluntatem peccandi, quæ significatio non contrahebat malitiam ipsius peccati, vt constat. Sic ergo potest dici, quod ex causa grauissima concernente fidem ipsam, & religionis augmentum non sit aliquando contra fidei, aut religionis obligationem fingere animum peccandi, postea contra ipsam fidem. Nam in rigore, vt dicebam, qui illum animum significat, non negat fidem nec colit idola: sicut qui promittit conuersionem ad fidem vel reductionem futuram ad Ecclesiam, adhuc non est fidelis, vel obediens Ecclesiæ, sed manet adhuc hæreticus, vel Schismaticus: donec impleat promissum. Quare sicut potest stare propositum credendi postea fidem, cum hæresi actuali præsenti, & propositum pœnitentiæ, & diligendi postea Deum super omnia cum peccato actuali mortali præsenti; sic potest stare propositum, & promissio discedendi postea à fide cum actuali fide interna, & externa eiusdem confessione, & potest aliquis dicere ego nunc credo cum Ecclesia, sed post annum ab hac fide in tui gratiam discedam. Quamuis autem, qui ostendit propositum discedendi postea à fide, videatur significare simul infirmitatem suæ fidei præsentis, vel dubium illius, atque etiam quod nunc etiam fidem vera careat, vnde qui audit propositum colendi postea falsum Deum, possit arguere quòd iam discesserit à fide, sed tamen in rigore ille abus id non dicit, nec negat nunc fidem, sicut nec colit nunc idolum, sed dicit, se habere propositum id postea faciendi, vt fatetur Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 8. *num.* 22. Quare sicut diximus supra, posse aliquem ex graui causa vsurpare vestem, vel aliud signum, vnde alij facile possunt colligere, ipsum esse infidelem, quando tamen signum illud non est omninò determinatum ad eam significationem, nec inuoluit etiam implicitè negationem fidei, vel cultum falsæ religionis: ita ex simili causa, videtur posse significare fictè propositum negationis futuræ, vel falsi cultus futuri: cùm totum id non significet determinatè negationem, vel carentiam præsentem fidei, nec inuoluat cultum actualem falsæ religionis, nondum enim colit idolum, qui solùm dicit se postea id facturum, sicut nondum præstat obedientiam Pontifici, qui promittit solam reductionem suam ad fidem post annum futuram; & hoc pacto excusari videtur, quod sancti illi Martyres dixerunt ad finem optimum, & ad procurandum maiorem fidei honorem, qui ex sua simulatione resultare debebat, quod illi hac via excusantur, non apparet, cur verba etiam Iehu, quæ non fuerunt ab iis aliis diuersa, eodem modo excusari, & defendi non possint à malitia sacrilegij.

Dices retorqueri posse argumentum ab exem- 125
plo adducto dilectionis Dei: nam licèt ille, qui actu diligit creaturam supra Deum, dum mortaliter peccat, possit simul habere, & sæpè habeat tunc propositum agendi postea pœnitentiam, & per consequens diligendi Deum super omnia; non tamen potest è contra ille, qui nunc diligit Deum super omnia, habere simul propositum diligendi postea creaturam supra Deum; hoc enim propositum actuale repugnat cum actuali dilectione Dei super omnia, vt constat: ergo licèt possit stare hæresis actualis cum proposito conuersionis futuræ, & amplectendi postea veram fidem, non tamen poterit stare vera fides actualis cum proposito illam postea deserendi, atque ideo, qui illud propositum significat, eo ipso implicitè dicit, se iam nunc carere vera fide, quod est fidem actu negare saltem exteriùs, & fictè, quod nullo casu licitum est.

Respondeti potest negando consequentiam, 126
in hoc enim differre videntur actus dilectionis Dei super omnia, & actus fidei, quod ille non possit

possit esse cum actuali proposito peccandi postea mortaliter, quia excludit omne peccatum mortale actuale, siquidem propositum illud peccandi postea mortaliter, est iam nunc peccatum mortale præsens, & affectus præsens ad peccatum futurum, qui affectus repugnat ex obiecto cum affectu erga Deum super omnia, qui affectus includitur in ipso actu charitatis. At verò actus fidei præsens non videtur habere hanc repugnantiam ex obiecto cum proposito hæresis futuræ post annum; quia actus fidei non est amor fidei super omnia, sed est assensus intellectus, quo nunc intellectus credit hoc obiectū magis quàm omnia alia obiecta contraria, quem assensum nunc præstat intellectus ex imperio voluntatis; sed tamen voluntas solùm impugnat assensum præsentem nihil præscribens de futuro, nec intellectus credit pro tempore futuro, sed nunc asserit hoc esse verum, & se magis hoc credere, quàm reliqua omnia contraria; quod totum ex obiecto non videtur repugnare cum proposito credendi contrarium post annum. Nam etiam ex obiecto repugnat credere nunc determinatè aliquod obiectum assensu etiam probabili, & simul credere determinatè contrarium assensu etiam probabili, cùm neque probabiliter possim affirmare simul assensu determinato duo contradictoria: & tamen non repugnat ex obiecto, quod nunc amplectaris vnam sententiam probabilem, & ei præstes assensum internum ex imperio voluntatis, & tamen habeas propositum mutandi postea sententiam, & amplectendi contrariam etiam sine nouo motiuo, aut argumẽto ex parte intellectus, sed solùm in gratiam amici, si id petierit: quia affectus voluntatis præsens, licèt efficaciter imperet hunc assensum, non tamen super omnia, sed quem facile mutabis postea in gratiam amici. Sic ergo licèt assensus fidei præsens non possit stare cum assensu contrario, nec cum dubio, aut formidine præsenti circa suum obiectum; non tamen videtur ex obiecto repugnare cum proposito desistendi postea ab hoc assensu, etiam nullo nouo motiuo contrario intellectuali apparente, sed solum in gratiam amici, vel ad aliqua commoda temporalia, quia nimirum, licèt assensus sit super omnia, affectus tamen voluntatis imperans assensum, non est affectus super omnia.

127 Vrgebis adhuc; quia eadem videtur esse ratio in actu fidei & in actu charitatis, vt sicut hic non potest esse cum proposito peccandi postea mortaliter, ita nec ille possit esse cum proposito deserendi fidem tempore futuro. Nam fides catholica non credit vtcunque mysteria, sed firmissimè: quæ firmitas stare non potest cum proposito recedendi postea: quæ enim fides magis infirma, quàm illa, quæ esset cum animo recedendi postea ab ea fide, & eam negandi? Qui ergo fatetur infirmitatem, & propositum recedendi, eo ipso significat, & dicit implicitè se non habere actum fidei catholicæ.

Respondetur, firmitatem in fide necessariam multiplicem esse. Primò enim necesse omnino est ad salutem *firmiter* credere, hoc est, perseuerantèr, qui enim in fide non perseuerat, saluus esse non potest, nisi iterum ad fidem redeat, & in ea firmiter vsque ad mortem perseueret: huic autem firmitati opponitur certè propositum fidem postea deserendi, & per consequens saluti æternæ, ad quam ea firmitas requiritur. Secundò requiritur *firmiter* credere, hoc est, cum animo positiuo eam fidem nunquam deserendi: nam sicut requiritur ad salutem animus non peccandi mortaliter, sine quo animo firmo adultus saluus esse non potest; ita requiritur animus firmus perseuerandi in fide, quæ perseuerantia necessaria est ad salutem: & huic firmitati etiam opponitur manifestè propositum recedendi postea à fide, quare ille non credit firmiter ea firmitate, & animi præparatione, quæ omnino necessaria est ad salutem; & de his non potest esse difficultas.

Difficultas ergo præsens non est, an ad salutem, & ad iustificationem, vel ad perseuerantiam in gratia requiratur firmitas fidei, sed an ad verum actum fidei eliciendum necesse sit, quod voluntas imperans assensum sit voluntas credendi ita firma, vt includat propositum firmum nunquam recedendi in posterum à fide; vel etiam, an ipsémet assensus intellectualis includat firmitatem ex parte intellectus, qua intellectus ipse protestetur se ita assentiri firmiter, vt nunquam in posterum ab ea fide discessurus sit. Ad quod dicendum videtur, in primis ad verum actum fidei requiri voluntatem efficacem & absolutam imperantem assensum firmum, hoc est, super omnia, quo intellectus adhæreat magis obiecto fidei, quàm omnibus aliis, quæ ei opponi possunt, itavt si alia huic obiecto opponantur, eis potiùs dissentiat, quàm huic, quam etiam firmitatem oportet esse in ipso assensu intellectuali, vt suprà explicuimus agentes de fidei certitudine, & hoc firmitatis genus tam ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus necessarium omnino est ad verum, & proprium actum fidei. 128

Si verò sermo sit de illa alia firmitate, qua voluntas proponat nunquam ab ea fide discedere, vel intellectus hoc ipsum de se protestetur, non apparet tanta necessitas, vt sine ea non possit dari aliquando actus fidei saltem in peccatore, licèt non sufficiens ad salutem consequendam, ad quam vt diximus, necessarium etiam est propositum firmum nunquam à fide recedendi. Quod in primis explicari potest exemplo aliarum virtutum; potest enim dari verus actus obedientiæ, quo subditus obediat præcepto superioris, vel etiam Dei propter motiuum obedientiæ, absque proposito obediendi semper in omnibus: potest item dari actus misericordiæ, quo ex eius motiuo subuenias indigenti absque proposito subueniendi semper in posterum, etiam quando vrgeat præceptum misericordiæ: potest dari actus verus iustitiæ absque proposito nunquam illam lædendi: potest dari actus temperantiæ, vel castitatis absque proposito nunquam in ea materia peccandi: cur ergo non poterit dari actus fidei absque proposito firmo nunquam contra fidem peccandi? 129

Confirmatúrque potest specialiter exemplo religionis imperantis cultum Dei supremum: potest enim aliquis exhibere nunc cultum supremum latriæ Deo debitum, quod est colere Deum super omnia, absque eo quod habeat propositum firmum nunquam peccandi contra religionem, aut negandi Deo debitum cultum. Sic enim Sacerdos iniquus verè, & ex animo offert Deo sacrificium, qui est cultus latriæ supremæ, & tamen non habet animum non dehonorandi grauiter eundem Deum, sed fortasse habet animum peccandi postea grauiter contra cultum Deo debitum. Cùm ergo fides sit cultus supremus intellectualis Deo debitus, quem colimus credendo 130

ei super omnia, poterit similiter exerceri, & deferti hic cultus per fidem actualem sine proposito non peccandi postea contra obligationē eiusdem fidei, & cultus intellectualis. Nam sicut fides est assensus super omnia, ita latria est colere Deum super omnia: ergo sicut potest esse actus verus latriæ, & cultus actualis Dei super omnia sine proposito colendi semper Deum super omnia; sic poterit esse assensus fidei actualis super omnia, sine proposito credendi semper postea Deo super omnia. Eadem enim videtur esse ratio in vtroque genere cultus super omnia. Quia nimirum voluntas in vtroque casu non est vniuersalis ex parte temporis, sed determinata ad tempus præsens, & ideo non includi propositum vniuersale circa tempus etiam futurum, nec dolorem efficacem de peccatis eiusdem generis præteritis. Nam qui ab hæresi conuertitur ad fidem, licet non possit iustificari adsque eo dolore efficaci de hæresi, & proposito vniuersali conseruandi fidem: potest tamen fieri Catholicus, & fidelis adsque eiusmodi pœnitentia efficaci, posita voluntate efficaci credēdi super omnia doctrinam catholicam. Ex quibus omnibus fieri videtur, quod possit aliquis in rigore significare propositum recedendi à fide post annum, absque eo quod explicitè, vel implicitè dicat, se nunc negare fidem, vel eam non credere.

131 Instabis, quia propositum illud discedendi posteà à fide, si reuera sit in corde, est peccatum contra præceptum fidei, sicut propositum peccandi post mensem cōtra castitatem est iam nunc peccatum præsens contra castitatem: ergo qui dicit, se habere tale propositum, iam dicit, se habere peccatum internum contra fidem, & manifestat istam infidelitatem; si ergo nullo casu licet sine sacrilegio manifestare se infidelem etiam fictè, & cum mendacio, non licebit etiam vllo casu fingere eiusmodi propositum etiam ad bonum finem. Respondent, propositum illud esse quidem peccatum contra fidem; non tamen esse in rigore infidelitatem, sed voluntatem infidelitatis futuræ: quare interim nondum ille homo dicitur simpliciter, & absolutè infidelis sicut neque è contra hæreticus promittens reductionem post mensem interim est fidelis, vel Catholicus. Qui ergo fingit eiusmodi propositum infidelitatis vel hæresis merè futuræ, dicit quidem se peccare contra fidei obligationem in affectu, non tamen dicit, se esse infidelem, vel se negare fidem. Vnde verba illa ficta non habent malitiam negationis fidei vel cultus falsi, quæ ex nulla causa excusari potest, sed aliam minorem, quæ ex graui causa, & ad finem promouendi notabiliter eandem fidem, videtur aliquando posse excusari à sacrilegio. Sicut licèt periurium ex nulla causa excusari possit neque etiam reuelatio sigilli confessionis: fingere tamen propositum peierandi, vel reuelandi confessionem, poterit ex graui, atque honesta necessitate, & causa aliquando excusari à malitia sacrilegij, & hæc videtur fuisse mens illorum martyrum, qui eiusmodi propositum finxerunt breui tempore ad maiorem diuini cultus, & religionis honorem, vt constat ex suprà adductis exemplis, quæ si à culpa sacrilegij excusari possunt, non video, cur necesse sit in verbis Iehu quorum occasione hæc omnia dicta sunt, eiusmodi sacrilegij reatum agnoscere.

132 *Obiectio 3.* Tertiò, ergo principaliter argui potest pro sententia Adriani ex facto S. Eusebij Martyris Episcopi Vercellensis relato à S. Ambrosio serm. 69. de S. Eusebio his verbis: *Sicut ait S. Paulus, factus sum Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret, ita Eusebius hæreticis se hæreticum esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim, illorum se consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri. Vos enim inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse; cur mihi filium prætulistis.* Quo audito hæretici subscriptionem Dionysij qui quia iunior erat, solebat Eusebium patrem vocare, omnino deleuerunt: postea verò Eusebius voti iam compos Arianis insultauit, id enim finxerat, vt Dionysium à macula illius subscriptionis, cuius pœnitens iam erat omnino liberaret. Hæc autem fictio laudatur extollitur ibi ab Ambrosio in ordine ad finem illum obtinendum.

Respondetur tamen in primis Sermonem illum non esse S. Ambrosij, sed alterius, vt notauit Cardinalis Bellarm. *de scriptoribus Ecclesiasticis in Censura operum Ambrosij*, & Cardinalis Baronius tom 3. anno Christi 355. qui etiam bene probat, minùs fideliter referri ibi factum Eusebij, nam S. Dionysius non subscripserat hæresi Arianæ, sed condemnationi solum Athanasij eo pacto vt hæresis Ariana non approbaretur: & hoc solum hæretici petebāt ab Eusebio subscribi quod tamen ipse propter Athanasij innocentiam postea facere recusauit. Non itaque finxit se hæreticum, sed solum velle consentire Athanasij condemnationi, quod sine peccato iustitiæ fingere potuit, vt constat ex dictis cum id totum faceret ad liberandum Athanasium à nota subscriptionis Dionysij, nec per hoc vllo modo se hæreticum professus est, cum de fide tunc non ageretur, sed de condemnatione Athanasij.

Quartò, pro eadem sententia Adriani argui solet ex S. Hieronimo, qui *tom. 6. in c. 2. Epistolæ ad Galathas*, & *epistola* 89. quæ est ad Augustinum, probat Apostolos licitè per simulationem vsos fuisse cæremoniis legis veteris ad conciliandos sibi Iudæos, quæ tamen ab ipsa Christi morte redditæ fuerant illicitæ, & mortiferæ: quam sententiam in Hieronymo reprehendit acriter Augustinus epist. 19. & petit ab eo, vt eam prudenter retractaret. Respondetur, Hieronymum ab aliquibus excusari. Et quidem eius mentem non videtur in omnibus notam fuisse Augustino, qui putauit, quod Hieronymus docuisset, licitum fuisse mendacium in illis circumstantiis, & ex hoc potissimum capite eius sententiam impugnat, vt notauit Suarez *lib. 9. de legibus cap. 17. num. 4.* qui bene defendit Hieronymum ab hac suspicione ex verbis eiusdem Hieronymi *dicta epist. 89.* dicentis, se non posuisse in Apostolis mendacium, sed honestam dispensationem; sic enim ait: *non officiosum mendacium, vt tu dicis, sed honestam dispensationem ostendentes.* Deinde alij vt Hugo Cardinalis ad Galatas 2. putat controuersiam inter Augustinum, & Hieronymum fuisse ob non intellectas adinuicem voces. Nam Augustinus putauit, Hieronymum concedere licitam simulationem realem, cum tamen Hieronymus loqueretur de simulatione dispensatoria, quia nimirum ex occulta Dei dispensatione licitum fuit Apostolis eiusmodi ritus abolitos tunc obseruare. Hanc tamen interpretationem vt contrariam menti Hieronymi bene impugnat idem Suarez dicto *capite 17. num.*

*num.*15. Melius alij excusant Hieronymum, eo quod ipse in dictis locis nihil definiendo dixerit, sed disputando, & proponendo aliorum interpretationes, vt ipse expresè fatetur *dicta epist.* 89. his verbis, quibus aduersùs Augustinum conqueritur, quòd ipsi absolutè eam sententiam adscripserit. *Præsertim*, inquit, *cùm liberè in præfatione confessus sim, Origenis commentarios me esse sequutum, & vel mea vel aliena dictasse, & in fine eiusdem capituli, quod reprehendis, scripserim; si cui iste non placet sensus, quòd nec Petrus peccasset, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse maiorem: debet exponere, qua consequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit. Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legerem; sed ea expressisse, quæ legerem: vt lectoris arbitrio derelinquerem, vtrùm probanda essent, an improbanda.* Quod idem rursus protestatur his verbis. *Tu vt Episcopus in toto orbe notissimus, debes hanc promulgare sententiam, & in assensum tuum omnes Coepiscopos trahere. Ego in paruo tuguriolo cum Monachis, id est, cum compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè confiteri me maiorum scripta legere, & in commentariis, secundum omnium consuetudinem, varias ponere explanationes, vt è multis sequatur vnusquisque quod velit.* Nihil ergo firmum ex Hieronymi sententia pro Adriano affert potest: quòd si alicui tamen videatur ei sententiæ fauisse, discedendum ab eo erit cum Augustino, quem S. Thomas, & Theologi alij sequuti sunt.

135 Obiectio 5. Quintò tamen Arguitur pro eadem sententia Adriani ex Apostolorum exemplis, quæ Hieronymum permouerunt ad illam sententiam indicandam. Constat enim ex scriptura, Apostolos post inceptam prædicationem Euangelij, & acceptum spiritum Sanctum exercuisse cæremonias legales. Sic etenim Paulus *act.*16. circumcidit Timotheum, qui erat ex Patre gentili, & matre Iudæa fideli: & *c.*18. consilium Paulo dederunt seniores Christiani de obseruatione legalium, vt non æstimaretur à Iudæis legis inimicus, quod consilium Paulus amplexus fuit & *cap.*21. dicitur Paulus sibi totondisse in Cenchris caput, quia votum habebat: & *c.*24. venisse Hierosolymam eleemosynas facturus, obligationes & vota, & inuentus esse purificatus in templo: quæ omnia simulatè videntur ab eo facta, ne Iudæos à se auerteret, provt ipse significauit. 1. ad Corint. 9. *Et factus sum* (inquit) *Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: is, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem.* Quod idem legitur de Petro, etiam videtur à cibis in lege prohibitis abstinuisse, vt colligitur ex eius verbis, quando act. 10. inuitatus ad vescendum ex quadrupedibus in linteo per visionem ostensis respondit: *absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum.* Et iterum cùm venissent Antiochiam Iudæi quidam à Iacobo missi, idem Petrus, ne eos scandalizaret, subtraxit se à Gentilibus, cum quibus priùs liberè conuersabatur, & comedebat, vt constat *ex cap.* 2. *ad Galat.* & hunc fuisse tunc morem fidelium Iudæorum colligi videtur ex cap. 11. act. vbi Iudæi fideles *disceptabant aduersùs Petrum, eo quod introisset ad viros præputium habentes, & manducasset cum illis*, quod nimirum lege veteri prohibitum erat.

Hæc difficultas, vt dixi, fundamentum magnum dedit Hieronymo pro ea sententia, quòd simulatio illa aliquando liceret. Aliundè enim putauit, cæremonias illas iam tunc temporis fuisse illicitas, & superstitiosas; quod colligi videtur *ex dict. cap.* 2. *ad Galatas*, vbi Petrus ob earum obseruantiam reprehensus dicitur à Paulo: *in faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et postea: *cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus*, &c. & ex cap. 5. ad Galat. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit:* & rursus. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini.* Vnde volentibus, vt Titum circumcideret, restitit omnino ad Galat. 2. *Quibus*, inquit, *neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Quare, vt hæc omnia conciliaret proposuit Hieronymus sententiam illam, quòd scilicet Apostoli non peccarent, quia licita, & honesta simulatione hæc faciebant, quam appellauit dispensationem, latiùs vsurpato *dispensationis* vocabulo, pro dispositione, seu prouidentia prudenti. Vnde rursus addidit, reprehensionem Petri à Paulo fuisse etiam simulatam, & ex conuentione inter ipsos, vt hac occasione Iudæi aduerterent, non esse materiam scandali, quòd cum gentibus ederet, & ab eo errore remouerentur: ideoque dici, *in faciem ei restiti*, hoc est, *secundùm faciem*, iuxta textum Græcum, id est, in apparentia. Et quidem quod reprehensio illa fuerit simulata, & ex conuentione, videntur sentire Chrysostomus *tom.*4. *in illud cap.*2. *ad Galat.* qui solùm in hac parte fauet ei sententiæ, non verò quod licuerit simulatio circa cæremonias prohibitas, vt benè probat Hurtado *dicta disp.*48. §.37. Fauent etiam multi alij ex Græcis, & Latinis, quos affert Suarez *dicto lib.*9. *de legibus, cap.*16. *num.*7.

136

137 Alij tamen veriùs cum Augustino docent, reprehensionem illam factam fuisse à Paulo seriò, & non ex conuentione præcedenti, sed quia verè Petrus reprehensibilis erat, vel saltem eius actio externa, sic enim subiungit Paulus, *quia reprehensibilis erat.* In quo sensu intelligunt Pauli verba alij Patres, Ambrosius, Cyprianus, Gregorius Magnus, Tertullianus, Beda, & Rupertus, quos affert, & sequitur Suarez *dicto lib.*9. *de legibus cap.* 20. *num.*19. & cum S. Thoma in eum Pauli locum scholastici Theologi communiter: quæ verba Pauli id significant apertè, cùm dicat, se Petro restitisse *quia reprehensibilis erat.* Quamuis autem aliqui ex Græco legant, *quia reprehensus erat*; id non tollit vim argumenti. Primò, quia Ambrosius, qui ita legit in commentario illius loci, statim addit: *à veritate Euangelica*: quod idem est, ac reprehensibilem esse. Secundò, quia non potest aliter intelligi sine vitio, quis enim alium reprehendit, quia reprehensus est? Tertiò, quia si fuisset reprehensio simulata, non deseruiret ad intentum Pauli, qui totus erat eo loco in remouendis Galatis à falsò cogitata necessitate operum legalium. Ad quod refert, quàm constanter ipse restiterit cuilibet actioni occasionem danti eiusmodi opinioni, & idcirco noluisse Titum circumcidere, & restitisse Petro segreganti se à Gentilibus, eúmque reprehendisse coram omnibus, quæ reprehensio, & resistentia, si simulata fuisset, parum efficax fuisset ad suadendum Galatis id, quod intendebat, Denique quia apertè significat ibidem Paulus causam reprehen-

sionis fuisse vitium aliquod, quod in ipsa Petri actione inueniebatur, dum dicit: *cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij.* Vbi causam reprehensionis assignat defectum ex parte operis ipsius: non ergo carebat defectu opus illud, nec reprehensio fuerat ficta, & simulata, sed serio, & ex animo facta fuit.

138 Aliter ergo ad argumentum, & difficultatem proposita respondendum est: quæ quidem non soluitur sufficienter, etiamsi concederetur, reprehensionem illam fuisse simulatam: adhuc enim obiectum illius debuisset continere aliquid reprehensione dignum; quia si Petrus licitè, & honestè poterat per simulationem exercere ritus legales iam prohibitos, quomodo poterat Paulus etiam ex conuentione factum illud Petri honestum reprehendere, & condemnare? Qui enim opus aliquod reprehendit, eo ipso opus illud reprobat, & damnat: quod fieri non poterat à Paulo sine dolo, & sine præiudicio veræ, & sinceræ doctrinæ, si factum Petri nihil habebat reprehensione, vel reprobatione dignum. Possum quidem ego cum Prælato conuenire, vt reprehendat in me actionem aliquam externam, quam ego coram ipso ad hunc finem faciam, vt hoc pacto aliquis alius qui eum defectum patitur, corrigi possit, & ex mea reprehensione emendetur; sed tamen actio ipsa de se supponitur reprehensibilis, licet hîc & nunc ex bono illo fine excusetur in me ab omni culpa, & sit potiùs laude digna: alioquin reprehensio inutilis esset ad correctionem illius tertij, qui potiùs posset imprudentiam Prælati notare reprehendentis, & reprobantis actionem bonam. Si ergo Paulus saltem exteriùs reprehendit factum Petri, supponi debuit factum ipsum reprehensione dignum, & per consequens etiam ex causa conciliandi Iudæos non poterat tolerari exercitium operum legalium, si hæc iam prohibita supponebantur.

139 *Opera legis antiquæ, licèt post Pentecosten cessauerint obligare, non tamen statim fuerunt mortifera.*

Omnes ergo fateri debemus cum Augustino, opera legis antiquæ, licèt post Pentecosten mortua fuerint, & cessauerint obligare; non tamen statim fuisse mortifera, & prohibita saltem respectu Iudæorum, aut gentilium, qui se se iudaicæ religioni aggregauerant, sed pro aliquo tempore fuisse licita, dum tamen non exercerentur, vt necessaria, vel vt retinentia adhuc efficaciam, & omnem vtilitatem, quam ex lege habebant, licèt potuerint aliquam adhuc vtilitatem ex priori institutione prouenientem retinere. Quamuis enim lex quoad obligationem cessasset; potuit tamen remanere aliquandiù quoad institutionem cæremoniarum, & sacrificiorum, & quoad significationem aliquam ex eâdem lege prouenientem, vt latè & eruditè probat Suarez *dicto lib. 9. de legibus cap. 17. & sequentibus*, qui *cap. illo 17. num. 18.* congerit Patres, & Doctores pro eadem sententia. Et quidem, licèt Sacramenta illa, & sacrificia, ac alia omnia instituta fuerint à Deo, vt signa Christi venturi potuerunt retinere significationem etiam post Christi aduentum, & de facto retinuerunt, cùm viuente Christo lex illa perseuerauerit, etiam quoad obligationem, & Christus illam obseruauerit, & agnouerit potestatem in Sacerdotibus, qui tunc erant, & iusserit offerri sacrificia consueta, quod idem fatendum est de tempore à Christi morte vsque ad Pentecosten, quo tempore lex illa nondum fuerat abrogata, nec inceperat lex Euangelica. Ratio autem est, quia dum Christum venturum significabant, non significabant determinatè venturum post quodlibet tempus, quo ea opera exercebantur, sed venturum post tempus institutionis talium signorum, quæ significatio semper poterat esse vera. Si ergo potuerunt post Pentecosten retinere eandem significationem veram, sine aliqua falsitate. Nec est inconueniens, quod lex aliqua retineat suum vigorem in ordine ad institutionem, & significationem, amisso vigore quoad obligationem ad vtendum tali signo; de facto enim lex de Sacramento Confirmationis v.g. non obligat ad vtendum tali signo: & tamen est efficax quoad significationem illius signi, quam habet ex sola institutione, imò & potuit lex vetus illo tempore retinere etiam aliquam obligationis partem nempe conditionatam, vt si vsurparentur talia signa, vel sacrificia, &c. tali ritu, & non alio, & à talibus ministris, & tali loco, & tempore fierent, quod sufficit, vt diceretur etiam perseuerare sub ratione legis.

140 Aliunde verò non fuisse simul opera illa mortua & mortifera, seu omninò illicita, sed aliquo tempore licitum fuisse illorum vsum (quod immeritò aliquibus visum fuit gratis, & voluntariè excogitatum) colligi videtur ex scriptura, in qua passim Apostoli, & alij Iudæi fideles, & Christiani ea opera exercuisse leguntur, vt constat ex supra adductis exemplis; imò Sacerdotes & Pontifices Hebræorum colebant agnoscentes adhuc in illis potestatem, & dignitatem Sacerdotalem, vel Pontificiam, sic enim Paulus *act. 23.* cùm reprehenderetur, quòd Ananiam Principem Sacerdotum maledixisset excusauit se dicens: *nesciebam fratres, quòd Princeps esset Sacerdotum.* Vbi Chrysost. addit. *quòd si Paulus eum cognouisset, honorasset.* Et *homil. 39. in Matth.* ait, Paulum pœnitentiâ ductum se excusasse, & certum est, quòd templum Iudaicum orationis causa frequentabant, tanquam locum sacrum & Deo dicatum, quæ consecratio, & dedicatio tota ad legem veterem pertinebat. Conueniebant etiam cum aliis Iudeis in sabbato ad Synagogas, vbi iudaico ritu omnia fiebant, & ideo Iacobus hunc vsum non reprobauit, sed tacitè approbauit *act. 21.* quando dixit: *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.* quasi diceret, contenti sint Iudæi hoc vsu adhuc perseuerante suorum rituum, absque eo quod velint etiam gentiles ad fidem conuersos obligare ad obseruandam legem Moysis. Rationem autem congruentiæ assignant communiter, tum propter honorem legis à Deo latæ, vt non ex abrupto, sed paulatim, & cum reuerentia sepeliretur, vt hoc ipso pacto constaret eius sanctitas, & honestas; neque enim statim apparente euangelio debebat omnino, sicut idolatria, aut paganismus, contumeliosè abiici, & extingui, sed quasi honestus inquilinus, qui aduenientе hospitij domino; non statim eiicitur, sed dato sibi tempore, vt sarcinas colligat, & cum decore proficiscatur. Tum etiam potissimum, quia difficillimum fuisset Iudæos, in quorum cordibus radices altas miserant præcepta diuinæ legis, subitò ad eis omninò remoueri ad amplectendos cibos, & mores communes gentium, quos pietatis, & religionis studio semper abominati fuerant: quare periculosum fuisset ad hoc eos statim obligare, donec paulatim Euangelio magis diuulgato assuescerent,

scerent, & à lege antiqua ablactarentur, & gentilium commercium, eorúmque mores non exhorrescerent. Quare alij 40. annos statuunt, alij pauciores, sed qui ad promulgationem euangelij per præcipuas orbis prouincias sufficerent, itavt viuentibus adhuc Apostolis inceperint opera legis esse mortifera, & prohibita, & hæc ipsa obligatio per Apostolos fuerit promulgata, qui tamen antea in Concilio Hierosolymis habito solùm statuerunt non esse gentibus ad fidem cõuersis necessaria, & solùm illis prohibuerunt vltra præcepta decalogi, esum sanguinis, & suffocati, quæ tamen prohibitio antiquior fuerat lege Mosaica, à tempore Noë post diluuium: quæ item prohibitio postea in ecclesia cessauit: de quo latè Suarez in locis citatis.

141 Qui tamen Suarez *cap.* 18. *num.* 5. *& sequentibus* sentit, hanc absolutam prohibitionem operum legalium non fuisse præcisè ex iure naturali, aut diuino, sed partim ex iure humano ecclesiastico: quamuis postea *numero.* 7. contrarium videatur docere, & prohibitum esse iure diuino, ne opera illa fiant quatenus legalia erant, seu ex affectu cultus: quod postea *num.* 8. limitate videtur ad sacramenta, & sacrificia: nam de aliis ceræmoniis *num.* 9. videtur concludere posse ab ecclesia denuo ad diuinum cultum institui, si absoluta ecclesiæ potestas consideretur. Cæterum in hoc puncto certò statuendum est, illicitum esse de iure etiam diuino ea opera nunc exercere vt necessaria, vel efficacia, vel vtilia ex institutione, & obligatione legis antiquæ: quia supponimus, & fatetur ipse Suarez, non solùm obligationem, sed etiam institutionem illius legis iam omnino cessasse, neque enim ex sua institutione habebat perpetuitatem, sed erat temporalis, & tempus illud finitum iam est; quare, qui ea opera nunc exerceret quatenus legalia, seu quatenus aliquam efficaciam vel vtilitatem ex diuina institutione habent ad nostram salutem, vel ad diuinum cultum; eo ipso fateretur, legem antiquam adhuc durare saltem quoad suam institutionem, nec esse omnino abrogatam: quod cùm falsum sit, cultus ille falsus esset, & omnino superstitiosus, & illicitus. Cùm ergo non pependerit ab Ecclesia abrogatio illius legis, neque enim homines poterant abrogare legem à Deo institutam, sed Deus eam abrogauerit; consequens est, vt vsus illorum operum vt legalium illicitus sit iure ipso diuino, seu naturali consequenti ex abrogatione, & cessatione talis legis.

142 *Infertur nonnulla.* Vnde consequenter dicendum videtur, si aliqua ex iis operibus præscindendo à lege habeant vtilitates alias, propter quas solas fiant, neque significare possint animum faciendi ea, vt legalia, non esse iure diuino illicita, neque etiam vniuersaliter de iure humano. Exemplum esse potest in abstinentia à carnibus porcinis, quæ lege antiqua præcipiebatur: quis enim neget posse aunc aliquem studio mortificationis, & comprimendi gulam, abstinere ab iis carnibus, dummodo sine vllo respectu ad legem antiquam id faciat, neque sit periculum alicuius scandali, vel suspicionis ritus Iudæi; sicut licèt Mahometini à vino abstineant ex lege sua, potest fidelis à vino abstinere laudabiliter, & meritoriè sine vllo respectu ad sectam Mahometicam. Similiter si quis nunc ex curiositate componeret thymiama ex iis ingredientibus, quæ leguntur *cap.* 30. *Exodi*, non tamen quia à lege præscriptum erat, non esset ex natura sua opus illicitum, licèt per accidens posset reddi illicitum propter maximam suspicionem falsi cultus, quam compositio illa thymiamatis generare posset: & sic de aliis similibus.

143 Infertur rursus è contra, ea legis opera, quæ non aliter ad Dei cultum conducerent, nisi quatenus ex Dei institutione in lege antiqua id habebant, illicitè nunc vsurpari ad Dei cultum, idque manifestè esse contra ius diuinum, & naturale. Eiusmodi autem sunt sacrificia, & sacramenta antiqua, esus agni paschalis tali ritu, & alia similia, quæ secundùm se non possunt deseruire ad vsum sacrum, nisi quatenus à Deo instituta fuerunt: quæ institutio, cùm iam omnino cessauerit, ritus illi inutiles manent, & per consequens qui eos, vt sacros adhuc vsurparet, significaret perseuerentiam legis antiquæ; quod illicitum omnino est; vt constat. Nec ecclesia potest instituere eosdem ritus nunc in ratione sacramenti, cùm nemo præter Deum & Christum Dominum possit sacramenta instituere, vt suppono *ex tract. de Sacramentis in genere disputat.* 7. nec etiam poterit illa instituere in ratione sacrificij, quia in lege gratiæ noluit Christus esse aliud sacrificium præter sacrificium Missæ, sicut nec aliud sacerdotium, nisi in ordine ad illud sacrificium incruentum Missæ, vt suppono etiam ex tractat. de Eucharistia *disput.* 19. *sectio* 2. *numero* 34. *& sequentibus.* An verò possit Ecclesia illos ritus instituere ad Dei cultum, non quidem, vt sacramenta, nec vt sacrificia sed alio modo, put instituit aquam benedictam, & alia sacramentalia: Suarez *dicto capite* 18. *numero* 9. cum Couarruuia, & aliis dicit, non deesse potestatem in ecclesia: addit tamen prudenter, propter morale periculum suspicionis de obseruantia, aut retentione legis antiquæ, id non expedire, nec posse moraliter loquendo licitè id fieri, nisi in ipso vsu aliqua opponatur varietas, quæ sufficienter demonstret diuersitatem institutionis, & quod nullo modo obseruetur ritus ille cum respectu ad legem antiquam. Quod confirmare possumus ex rigore, quo ecclesia constanter prohibuit celebrationem Paschatis eadem die, qua Iudæi illud celebrant, ne christiani eadem die illud celebrantes viderentur cum illis conuenire in ipso Paschate, aut motiuo celebrandi. Sicut ergo tam accuratè recusauit Ecclesia coincidere in tempore celebrationis, sic etiam non minùs diligenter fugiet identitatem rituum, & cæremoniarum propter eandem rationem.

144 *Quid dicendum de circuncisione.* Hinc denique tertiò inferri potest, quid dicendum sit de circumcisione, de qua aliqua dicunt, licèt non possit nunc licitè vsurpari tanquam sacramentum, nec vt habens vtilitatem aliquam ex institutione antiqua, & multò minus vt necessariam ex obligatione; posse tamẽ vsurpari vt mortificationem carnis assumptam ad imitationem Christi; quia sicut licitè flagellantur fideles ad imitandum Christi flagellationem pro nobis toleratã; sic licitè possent vti circũcisione ad imitandam Christi circumcisionẽ pro nobis susceptam. Atque ita de facto apud Christianos Abassinos

hunc vsum retineri constat, qui non idcirco ab Ecclesia damnati sunt. Quare id non improbant Caietan. 3. *part. quæst.* 37. *art.* 1. Medina *in* 1.2. *quæst.* 103. *art.* 4. *ad* 5. & Lorca *in* 1.2. *sect.* 5. *disp.* 35. *memb.* 2. *in præsenti disp.* 24. *memb.* 1. *num.* 10. & alij.

145 Hanc tamen sententiam communiter alij reiiciunt. Suarez 2. *tom. in* 3. *part. quæst.* 37. *in commentario art.* 1. *& dicto lib.* 9. *de legib. cap.* 14. *n.* 9. Sotus *lib.* 2. *de iustitia, quæst.* 5. *art.* 4. *in fine corporis*, Coninch *in præsenti dicta disp.* 15. *dub.* 3. *num.* 47. & alij multi apud Lorinum *in cap.* 10. *Deuteronom. vers.* 16. & meritò, quia circumcisio infantium non est illis vtilis ad meritum, cùm nihil tunc mereantur, sed merè patiantur: quare sicut non esset laudabile aut licitum eos sine causa verberare, vt ad Christi imitationem patiantur; sic nec eos ad hunc finem circumcidere, vnde eorum circumsio, vt esset actio sacra, vel religiosa, non posset à legis institutione præscindere: in adultis etiam circumcisio, licèt non sit mutilatio membri, est tamen vulnus ad minus periculosum, vt colligitur ex *cap.* 5. *Iosue*, vbi dicitur Iudæos non fuisse in deserto circumcisos per 40. annos, quod quidem fecerunt, quia circumcisus per multos dies quiescere debebat, alioquin moriebantur ex vulnere propter nimiũ sanguinis fluxum; & saltem circumcisi reddebantur inepti omnino ad actiones humanas per multos dies propter vim doloris, & vulneris periculum, vt constat ex *cap.* 34. Genesis, vbi duo filij Iacob occiderunt omnes viros Sichimitas, quos dolosè circumcidi fecerant, & qui omnes vulneris dolore grauati non poterant vllo modo se defendere, nec moueri, vt fugerent. Non est ergo circumcisio apta, vt mortificationis causa, sicut flagellatio assumatur, quidquid contradicat Lorca vbi suprà. Si enim verberatio præuideretur causa certæ infirmitatis grauis, non posset prudenter assumi in pœnitentiam, sicut nec posset licitè comedi cibus, qui certò præuideretur grauissimi morbi causa futurus. Restat ergo, vt solùm exerceatur tanquam actio sacra, & à Deo instituta, quod est illicitum, vt supponimus: nam ad imitationem solam Christi non magis potest prudenter, & licitè assumi, quàm perforatio manus, vel pedis, quæ fortasse minùs grauem infirmitatem, & periculum afferret, quàm circumcisio, quæ quidem ex sola Dei dispensatione, vel præcepto assumi poterat, nisi fortè alicui vtilis aut necessaria fuisset ad sanitatem.

146 *Schisma Abassinorum ab Ecclesia reprobatũ, sicut & eorum hæreses.*

Ad exemplum autem Abassinorum facile respondetur, nunquam id ab Ecclesia Catholica approbatum esse, sed potiùs reprobatum, sicut & eorum schisma, & alias hæreses, vt ex Godinio de Abassinorum rebus *cap.* 27. *vsque ad* 32. refert, & probat Coninch. *vbi supra num.* 47. Vnde quando paucos ante annos ad fidem Catholicam redierunt, abiecerunt etiam circumcisionem, quam postea abiecta fide Catholica repetierunt: & in vniuersum quisquis eo signo vtitur, suspectus est vehementer in fide, & à fidei censoribus punitur, nec purgabit crimen dicens, se mortificationis gratia, & ad Christi imitationem id fecisse.

Proponitur difficultas.

Solùm restat difficultas, si aliquandiù circumcisio, sacrificia, & alij Iudaici ritus liciti fuerunt cur Petrus ab Apostolo Paulo reprehensus fuerit propter mores Iudaicos, quibus vtebatur, cùm certum sit, Petrum non eos vsurpasse tanquam necessarios adhuc ex obligatione, sed vt adhuc licitos, & ad bonum finem, ne Iudæi scandalizarentur & ab eo discederent. Rursus, si liciti erant illi ritus, & iure suo vtebatur Petrus quomodo dicitur id per simulationem fecisse? sic enim dicitur illo c. 2. ad Galat. *& simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, itaut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.*

Vt autem ab hoc secundo incipiamus, negare non possumus aliquam ibi simulationem interueniſſe, non quidem mendacium, sed simulationem; quod benè probat Suarez *dicto lib.* 9. *de legibus cap.* 17. *num.* 10. quia licèt Petrus non obseruaret mores illos putans eos esse necessarios ex obligatione, obseruabat tamen in iis circunstantiis, in quibus alij opinari poterant, quod quasi necessarij ab eo obseruarentur: quod quidem actio ipsa non determinatè significabat, alioquin contineret professionem erroris, sed tamen à multis ita accipiebatur, quam deceptionem Petrus ex bono fine permittebat, & idcirco dicitur simulasse; sicut & Paulus etiam eodem simulationis genere vsus videtur, quando *Act.* 16. circumcidit Timotheum propter Iudæos, qui putabant illam esse necessariam homini nato ex matre Iudæa. Et quando act. 24. excusabat se dicens: *eleemosynas facturus in legem meam veni, & obligationes, & vota, in quibus inuenerunt me purificatum in templo.* Et denique id simulationis genus videtur de ipso fateri idem Paulus 1. ad Corint. 9. dicens: *Factus sum iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse non essem sub lege, vt eos, qui sub lege erant lucrifacerem*: hoc est, ita me gessi, ac si subiectus essem legis obligationi. Vnde verissimè dictum est etiam de Petro, quòd per dissimulationem discessit à Gentilibus: poterant enim Iudæi colligere, & de facto aliqui arguebant, id ex obligatione legis à Petro fieri, cùm tamen Petrus animum non haberet satisfaciendi legis obligationi quam omnino cessasse optimè sciebat.

Restat ergo solùm videndum, cur in hoc ipso Petrus reprehensibilis fuit, aut qualis fuit eius culpa, si adhuc legis opera licitè exercere poterant; in quo pro certo supponendum est, eum non peccasse mortaliter, cùm & ipse, & cæteri Apostoli confirmati fuerint in gratia in die Pentecostes, vt cum S. Thoma 1.2. *quæst.* 103. *art.* 4. & omnibus Theologis probat Suarez *dict. lib.* 9. *de legibus cap.* 17. *& cap.* 20. *num.* 23. Quare pié exponendus est S. Augustinus lib. de agon. christian. cap. 30. dicens, *lapsum fuisse in simulationem superstitiosam*, & postea illam appellat *puram simulationem*. Et Gregor. hom. 18. in Ezechiel. dicens, *illam non solum fuisse culpam, sed quod magis est, hypocrysim*, & Anselmus ad Galat. 2. eadem verba vsurpans: quæ cum aliqua exaggeratione videntur dicta, licèt nunquam dixerint explicitè fuisse culpam mortalem.

Alij è contrà volunt. Petrum nec etiam venialiter in eo facto peccasse, ita Vasquez 1.2. *disp.* 182. *c.* 8. Hurtado *in præsenti dicta disp.* 48. *s.* 48. Baronius in Annalibus anno Christi 51. & Suarez *dicto lib.* 9. *de legib. cap.* 20. *num.* 24. *& sequentibus*. Alij sub disiunctione loquuntur, & dicunt, vel nihil peccasse, vel ad summum venialiter: ita Bellarminus *lib. primo* de summo Pontifice *cap.* 28. & P. Salmer. *in cap.* 2. ad Galat. *disp.* 24. *s.* 5. *excusabilius.*

Ex his autem, qui Petrũm ab omni peccato excusant

excusant, quidam id faciunt ratione inconsiderantiæ inculpabilis. Ita Vasquez, Hurtado, & alij. Quod tamen Suarez vbi supra difficile iudicat, & ideo conatur ipsammet actionem etiam in illis circunstantiis ex parte obiecti defendere ab omni malitia, secluſa qualibet ignorantia, vel inaduertentia: & tandem *num.* 29. videtur solum concedere imperfectionem moralem, quatenus actio in illis circunstantiis impediebat maius bonum, circa Gentiles conuersos, quàm impediretur circa Iudæos conuersos per actionem contrariam, in quo admittit aliquam inconsiderantiam, seu errorem Petri, non circa ius, sed contra factum, quatenus putauit maius Ecclesiæ bonum sequi ex simulatione illa, quàm ex conuictu cum gentibus, cùm reuerà non ita esset, ideo reprehendi meritò potuit à Paulo, ne maius Ecclesiæ bonum impediretur.

150 Alij simpliciter agnoscunt culpam venialem in facto Petri. Ita S. Thomas, & alij communiter apud Suarez *ibi n.* 23. quod ego verum opinor, nisi per inaduertentiam, aut ignorantiam inculpabilem intentio interna fuerit excusata, quæ excusatio piè & probabiliter de tanto viro præsumi potest: quamuis sine inconuenienti etiam aliqua negligentia, vel culpa leuis in ipsamet inaduertentia concedi possit, cùm Apostoli etiam in eo statu non fuerint ab omni veniali culpa immunes, dicente Apostolo Ioanne epist. 1. c. 1. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, & Theologi supponant Apostolos etiam vsos fuisse sacramento Pœnitentiæ subiiciendo clauibus peccata sua. Malitia autem hæc ex parte ipsius actionis non videtur mihi desumenda ex scandalo, quod daretur ipsis Iudæis, qui confirmari possent illo exemplo in retentione suæ legis, sed potiùs ex detrimento, quod inferebatur gentilibus: quod videtur significasse Paulus suis verbis, dum Petrum reprehendens dixit *si tu cùm Iudæus sis, gentiliter vivis, & non Iudaicè: quomodo gentes cogis iudaizare.* Quod non intelligitur de coactione per præceptum, aut per violentiam, vt constat, sed de quadã coactione indirecta, quatenus gentiles christiani facti videntes à se Petro, Barnaba, & aliis christianis segregaros, ne eorũ commercio, & conuictu sibi carissimo carerent, cogebantur aliquo modo, vt ritus iudaicos susciperent, vt hoc pacto inter Iudæos numerarentur. Quod quidem detrimentum, & onus graue erat gentilibus, ad quod ipsa Petri discessione quodammodo cogebantur. Ideoque Paulus libertatis christianæ apud Gentiles conuersos zelator non fuit conquestus de damno Iudæis illato, sed de solo gentilium incommodo, onere eis indirectè impositio, dum aliquo modo iudaizare cogebantur.

151 Non fuit ergo peccatum illud negationis veræ fidei, aut seminatio falsi dogmatis vllo modo: neque enim Petrus dicebat, opera legis esse necessaria, neque id ex eius facto poterat prudenter colligi, cùm satis apertè idem Petrus contrarium definisset, & docuisset apud Iudæos, & Gẽtiles; Neque etiam fuit peccatum cultus superstitiosi, cùm opera legis adhuc non essent prohibita, sed possent religiosè exerceri ex institutione etiam ipsius legis, vt vidimus. Sed fuit simulatio quasi negatiua, quatenus abstinuit Petrus à professione libertatis Euangelicæ, qua licitus erat conuictus cum gentilibus. Sicut Catholicus comedens carnes apud Hæreticos ne cum graui detrimẽto detegatur, non negat fidem, nec explicitè, aut implicitè docet, non esse obligationem abstinendi ex præcepto Ecclesiæ, sed solum non profitetur eiusmodi obligationem per exercitium actus præcepti, & ideo dicitur simulare, vt simulatione illa vitet graue detrimentum. Sic etiam Petrus dicitur simulasse, quatenus non professus est libertatem ab obligatione legis, & hoc propter detrimentum, quod Iudæis timebat, si apertè eiusmodi libertatem in iis circũstantiis professus fuisset.

Tota ergo malitia illius actionis videbatur 152
fundari in detrimento ex ipsa sequuto: quod Petrus ductus zelo salutis Iudæorum non satis æqua fortasse lance ponderauit, & negligentia culpabili non aduertit præponderare damnum, quod gentibus oriebatur, ratione cuius Iudeorum damnum minus contemni debebat: & ideò reprehensus fuit à Paulo, qui gentium salutis zelo earum damnum magis ponderauit, & curauit omnino impediri. Erat enim maius detrimentum quàm vtilis, quæ ex simulatione illa consequebatur; & præponderabat sinceritas, & puritas veritatis manifestata, vnio vtriusque populi Iudaici, & gentilis, & denique quòd gentiles non grauarentur onere illo grauissimo, & deterrerentur à fide suscipienda: hæc, inquam, omnia præponderabant scandalo breui Iudæorum, qui ex falsa existimatione deterreri poterant à commercio, & conuictu gentilium, & maius ecclesiæ bonum resultabat ex libera veritatis professione, quàm ex occultatione, & simulatione illa resultare potuisset.

Hæc tamen, licèt probent obligationem ali- 153
quam abstinendi tunc ab illa simulatione, præsertim in Petro & aliis ecclesiæ ministris, qui ex officio debebant maius Ecclesiæ bonum procurare, & consulere subditis, ne sine causa grauamen illud subirent: non tamen probant malitiam grauem ex obiecto in actione illa etiam secluſa ignorantia, vel inaduertentia: quia non tenetur Prælatus sub mortali omnia media adhibere ad procurandum maius Ecclesiæ, vel subditorum bonum; satis est, si media sufficientia adhibeat, licèt non adhibeat difficiliora. Et quidem Petrus iam docuerat Gentiles, quòd non tenebantur ad legis præcepta, & suo exemplo id satis probauerat, cùm apud ipsos manducaret, & diuersaretur quamdiù sine aliorum offensione poterat: & illis constare poterat, quod discessio illi erat solùm, vt Iudæos denuo aduenientes non offenderet, & deterreret: quare poterant patienter incommodum illud sustinere; quod quidẽ ipsémet Petrus non præuiderat graue futurum, cùm destinasset animo suo in ea simulatione diù perseuerare, sed ad breue tempus, & ea etiam animi præparatione, vt imminente grauioris damni periculo, statim gentilibus etiam adesset, & illorum partes susciperet. Quæ omnia sufficienter excusabant simulationem Petri à culpa mortali; Imò & potuerunt apparenter ei suadere nullam esse culpam, sed potiùs laudabilem cautelam: quamuis, vt dixi, in hoc ipso potuerit esse error culpabilis, quod non satis discusserit vtriusque partis merita, sed absque debito examine iudicauerit melius Iudæorum, quàm gentilium periculum præcauere, cùm reuera contrarium verius esset, & ideo meritò à Paulo reprehensus fuit, cùm reprehensionis æquitas non debeat attẽdere ad excusationes internas, sed solùm ad bonitatem, vel malitiam actionis externæ in his cir-

cumstantiis, cùm de occultis non iudicet Ecclesia, sed solus Deus, qui fortasse in corde Petri ob eius bonam intentionem, & aliquam inculpabilem inaduertentiam nullam inuenit culpam, sed meritum, quod deinde maius apparuit, dum patienter, ac humiliter reprehensionem Pauli sustinuit, & acceptauit, eiusque consilia vt meliora, sanioráque probauit, quod in summo Ecclesiæ Principe, qualis Petrus erat mirabile certè fuit sanctimoniæ, & humilitatis exemplum.

§. V.

Infertur resolutio aliquorum dubiorum circa actiones aliquas sacras, an liceant.

154 *An possint Catholici cum hæreticis contrahere matrimonium coram ministro hæretico?*

EX principiis positis descendemus ad aliquas actiones particulares, de quibus dubitari solet, an licitè fiant, quia videntur concernere ritus aliarum religionum. Et in primis dubitatur, an in iis locis, & casibus, in quibus possunt Catholici cum hæreticis absque dispensatione contrahere matrimonium, possint illud contrahere coram Ministro hæretico, P. Coninch *dicta disp. 15. dub. 3. num. 63.* negat, id licere ob præceptum Magistratus hæretici, quantumuis antea, vel postea coram Sacerdote Catholico, & Catholico ritu contrahant. Quia nimirum Minister hæreticus vtitur in eo ritibus, & precibus hæreticis, quo casu non est dubium, quia hoc esset communicare cum hæreticis in ritu hæretico, cum ritus, & preces illæ circa contrahentes exerceantur, & proferantur. Sed præscindendo ab hoc, rursus probat: quia cùm Magistratus hæreticus id præcipiat, vt eo pacto agnoscatur Minister ille, vt Minister veræ Ecclesiæ, qui Magistratui præcipienti obedit, videtur iam eius intentioni consentire. Magis vniuersaliter loquitur Malderus *in præsenti, quæst. 3. art. 2. membr. 3.* non enim loquitur de solo contrahente ex præcepto Magistratus, sed de quolibet Catholico contrahente in Ecclesia hæreticorum coram Ministro hæretico, ritu hæretico, proferendo formam, præeunte Ministro, qua profiteatur se coram communitate sancta Dei coniugium: iam enim significaret Ecclesiam hæreticorum esse comunitatem sanctam.

155 Hæc omnia verissimè dicuntur; sicut & illud etiam, quod addit idem Coninch, licitum esse contrahere coram Magistratu hæretico ciuili, aut testari se contraxisse, dummodo ritu etiam Catholico ante, vel postea contrahant: quia illud solum in finem politicum exigitur, vt constet publicè, quinam sint veri coniuges. Vnde videtur mihi idem dicendum, quando Minister hæreticus, non adesset vt persona sacra, & vt Minister Ecclesiæ, sed vt persona ciuilis, cui incumberet assistere ad eundem finem politicum, sicut adesse posset ipse Magistratus laicus, & ciuilis.

156 *An licitum Catholicis adesse nuptiis hæreticorum, hæretico ritu celebratis?*

Secundò dubitatur, quid sentiendum de iis Catholicis, qui honoris causa adsunt conuiuiis nuptialibus, vel etiam nuptiis, quas hæretici celebrant validè, sed coram Ministro hæretico, & hæretico ritu. Affirmant, id licitum esse Malderus *vbi supra*, & Coninch. *num. 62.* modo in cæremoniis, & precibus non communicent, sed ea tanquam nihil ad se pertinentia, sed quasi actionem profanam spectent, quod probant ex Tertulliano *lib. de idololatria cap. 16. & 17.* vbi rationem etiam diserte reddit. Addidit autem cautè Malderus, eiusmodi Catholicus in his non peccare, *nisi aliunde hic culpa subrepat.* Potest autem, meo iudicio, subrepere, quando in locis in quibus obligant decreta Concilij Tridentini, non seruantur in matrimonio contrahendo, vel quando matrimonium non fit præmissis denunciationibus, quę etiam de iure communi antiquo exiguntur, vel contrahitur clandestinè contra Ecclesiæ præcepta, in his enim & similibus casibus, in quibus Ecclesia prohibet matrimonium tunc fieri, testes etiam, qui sua præsentia auctoritatem præstant contractui, peccant grauiter, vt colligitur ex Tridentino *sess. 24.* decreto de reformatione matrimonij *cap. 1.* & cum aliis supponit, & docet Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 46. num. 8.*

157 *An Catholicus confungi possit cum Paranympho hæretico?*

Sed hac occasione dubitari potest tertiò, an Catholicus non solùm licitè assistere possit nuptiis hæreticorum, sed etiam in eisdem casibus Paranymphi officio fungi, quando ad nuptiarum solemnitates adhibentur Paranymphi, qui de more sponsos ad templa deducunt. Respondeo ex dictis, considerandum esse, quale sit munus Paranymphi, qui ab aliis *Pronubus* vocatur, & ab antiquis dicebatur *Auspex*. Si enim ad eum solùm pertineat tradere sponsam sponso, vel è contra, postquam legitimè coniuncti sunt, nihil apparet illicitum in eo munere, cùm sit actio merè ciuilis. Si verò eius munus sit quasi offerre sponsos Ministro, vt eos coniugant, iam videtur habere participationem in ritibus, quibus Minister hæreticus eos coniungit, & recurrere ad ipsum tanquam ad Ministrum Ecclesiæ, eiusque ministerium approbare, & agnoscere, quod illicitum erit.

158 *An sponsalium ante clandestinè contractum validè non obligat Tridentinum?*

Quartò dubitatur, an si matrimonium iam sit clandestinè contractum validè, quia in eo loco non obligat Tridentinum, & coniux nolit consummare ante benedictiones nuptiales, liceat ei Sacerdoti Catholico habenti potestatem benedicendi nuptias, illas nuptias benedicere in fauorem coniugis Catholici. Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio disp. 9. num. 13.* generaliter docet, benedictionem nuptialem non posse conferri ligato excommunicatione maiori, quia ad hoc deberet interesse Missæ sacrificio, & participare in sacris cum aliis. Hæc tamen ratio, licèt probet de ipsómet excommunicato quòd peccet; non tamen probat de aliis cum eo communicantibus, si sit excommunicatus toleratus, quales sunt schismatici non denunciati, vt cum probabiliori sententia docet idem Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 9.* quòd idem de hæreticis non denunciatis docet probabilis multorum sententia, & ideo *disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 14.* dixi, ex hoc capite non esse illicitum matrimonium Catholici cum hæretica, vel è contra, & *disp. 19. de Eucharistia sect. 10. num. 183.* dixi probabile esse, quod pro excommunicato tolerato possimus offerre etiam Ecclesiasticas, & publicas preces, atque ipsum etiam Missæ sacrificium, quod etiam sentit Hurtado mox citandus: quare ex hoc capite non video, cur Sacerdos non possit preces, & orationes consuetas proferre ad alios sponsos benedicendos, & coram illis, atque etiam pro illis Missæ sacrificium offerre, secluso tamen omni scandalo, & aliis præceptis vel extrinsecis inconuenientibus, quæ facilè ex tali actione possent oriri: quæ tamen non pertinet ad nostram

quæstio

quæstionem, quæ solùm procedit de actione illa provt videtur esse communicatio cum hæreticis in ritibus sacris.

159 *An liceat Catholicis hæretica funus comitari, quãdo hæretico ritu celebratur?*

Quintò, Dubitari solet an liceat Catholicis amici funus comitari, vel sepulturæ interesse, quando hæretico ritu celebratur. Ad hoc eodem ferè modo dicendum est, sicut de iis, qui comitantur sponsos ad nuptias, quæ ritu hæretico celebrantur. Posse inquam, id fieri actione merè ciuili ad honorandum ciuiliter defunctum, & dum hæreticorum præcibus Catholicus non communicet, sed adsit merus spectator, & scandalum non sit, vel aliorum offensio, & concioni, si qua futura sit, se subtrahat, &c. ita ferè Coninch, & Malderus *locis suprà citatis*, & Hurtado *disp.* 76. §. 16.

An hoc idem licet, quando hæreticus sepeliendus est in loco sacro?

Difficultas esse potest, an si defunctus sit hæreticus possint Catholici funus comitari, quando sepeliendus est in loco sacro. Multi dicunt, non posse sepeliri in loco sacro; vnde Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 9. *n.* 7. infert, non posse licitè deduci à Catholicis comitantibus funus illud ad locum sacrum: quia *in cap.* 2. *de hæreticis* prohibetur, ne in loco sacro hæreticus sepeliatur: & Suarez 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 81. *sect.* 4. §. *his positis*, dixit Sacerdotes celebrantes in regionibus septentrionalibus in Ecclesiis, vbi sepulti sunt hæretici, excusari, vel quia necessitate coguntur, quia non habent alia loca, vbi celebrent, vel quia Episcopi videntes, & consentientes facultatem præbere censentur. Ego tamen cum Nauarro, & Layman dixi *disp.* 20. *de Eucharistia sect.* 2. *num.* 56. textum illum intelligi de hæretico damnato: neque Ecclesia polluitur nunc per sepulturam excommunicati nisi denunciati, vel notorij clerici percussoris. Porrò textum illum intelligi solùm de hæreticis per sententiam damnatis, docuit postea idem Suarez *tomo* 5. *de censuris disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 13. & Coninch. *disp.* 14. *de excommunicatione dub.* 8. *num.* 64. & consentit Hurtado *disp.* 76. *sect.* 1. *subsect.* 1. dicens ea omnia intelligi de denunciatis.

160 *Ad quid teneantur Catholici, ne videantur communicare cũ hæreticis in eorum ritibus circa sepulturam Catholicorum, quos Ministri hæretici sepelire volunt suo ritu.*

Hac occasione dubitari potest Sextò, ad quid teneantur Catholici, ne videantur communicare cum hæreticis in eorum ritibus circa sepulturam Catholicorum, quos Ministri hæretici sepelire volunt suo ritu, & in suis Ecclesiis. Respondeo, quod attinet ad locum, non esse illicitum, seclusò scandalo, & aliis inconuenientibus extrinsecis quòd Catholici sepeliãtur in Ecclesia communi, in qua hæretici non denuntiati, nec per sententiam damnati sepulti sint: quia Ecclesia illa magis propria est Catholicorum, & ad eos de iure pertinet, cùm pro iis erecta fuerit: quòd autem hæretici eiusmodi in ea sint sepulti, eam non violauit, vt diximus; si autem Catholicus sepeliendus sit ritu hæreticorum, & à ministris hæreticis, Catholici ad hoc non possunt licitè cooperari: possunt tamen id permittere, quando impedire non possunt, sicut de facto dicunt se id non posse impedire, cùm hæretici publica potestate, & auctoritate munus illud sibi vsurpent: quare Catholici possunt passiuè se habere, & permittere, quòd hæretici cadauer accipiant, & ritu suo sepeliant, quando id impedire non possunt, cooperati autem nullo modo eis licitum erit.

161 *An parentes Catholici permittere possint, quòd eorum filij à Ministro hæretico baptizentur.*

Septimò, dubitari potest, vtrum parentes Catholici permittere possint, quòd eorum filij à Ministro hæretico baptizentur. v. g. Domini, vel Aui hæretici, à quibus dependent, offendantur, & reddantur ei infensi. Respondetur eodem ferè modo distinguendo inter cooperationem, & meram permissionem: hæc enim licita est, quando sine graui incommodo impedire non potes; nec tenetur pater vi, & armis impedire, ne eius filius circumcidatur à Domino; multominus tenetur impedire omnibus modis, ne baptizetur ab hæretico, in quo non est tantum detrimentum, cùm baptismus validus sit: modò tamen constet quòd ipse solùm permissiuè se habet, & passiuè, & non præstat consensum.

Quod verò attinet ad cooperationem, siue explicitam, siue implicitam, quatenus aliquis saltem interpretatiuè videtur id velle; communiter dicunt, esse peccatum mortale petere baptismum ab hæretico extra necessitatem, & aliqui addunt, eam debere esse extremam. P. Coninc. 3. *p. quæst.* 67. *art.* 5. *n.* 22. dicit, esse peccatum mortale sine notabili necessitate: quia hæreticus ratione excommunicationis non potest licitè id facere sine necessitate. Verùm hæc ratio difficilis est supposita sententia satis communi, quæ dicit excommunicatis toleratis licere ministrare Sacramenta, quando ab ipsis petuntur, quod cum aliis docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio disp.* 9. quare *lib.* 2. *in decalog. cap.* 9. *num.* 10. vniuersaliter docet, posse peti Sacramenta ab hæreticis quandiù non sunt denunciati, & Hurtado *in præsenti disp.* 76. §. 13. & 14. probat, non agere contra leges excommunicationis, qui Sacramenta ab hæreticis non denuntiatis suscipit, & seclusò scandalo proximi, & occasione ruinæ propriæ, id licere; licèt aliquando ex charitate sit obligatio abstinendi, quando commodè possint Sacramenta ab aliis accipi. Cæterùm de Baptismo est specialis difficultas, quia citra necessitatem non potest peti à laico, quales sunt communiter ministri hæretici & quamuis hæc non debeat esse necessitas extrema, requiritur tamen magna vtilitas, vt ne cogatur multo tempore baptismum differre, vt explicat Suarez 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 23. *sect.* 1. Quare concludo, solùm propter necessitatem posse excusari cooperationem ad petendum baptismum ab hæretico, quæ necessitas ad minus sit tanta, quanta sufficeret, vt posset peti à laico. Denique aduerte, posse contingere, vt ipsa Baptismi susceptio censeatur communicatio cum illo in religione, & secta, & etiam in necessitate conandum esset potiùs per contritionem iustificari, quàm eum actum communicationis in ritu exercere, nisi præmissa protestatione non communicandi in ritu, & solùm vtendi iure suo ob necessitatem, vt in simili dixi *disp.* 18. *de pœnitentia sect.* 2. *n.* 18. & 19.

162 *Quid dicendum de Catholicis, qui adhibentur patrini, quãdo filij hæreticorum baptizantur à Ministro hæretico?*

Hinc inferri potest, quid dicendum sit de Catholicis, qui adhibentur patrini, quando filij hæreticorum baptizantur à Ministro hæretico, de quibus Layman *in tract. de Baptismo, cap.* 9. affirmat, licitè id facere. At verò Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 9. *num.* 12. Azor, Nauarrus, & Ledesma, quos ibi affert, & Hurtado *dicta disp.* 76. §. 15. id intelligunt, quando Baptismus ritu, & modo catholico ministratur, secus si ritu hæretico, aut schismatico. Addit Hurtado, vitandam esse offensionem, & scandalum, ne aliqui putent, id fieri in honorem falsæ religionis: si verò legatus Principis Catholici leuet filium Regis hæretici solo honoris, & benevolentiæ titulo, idque constet apertè ex ratione, qua fit; esse per se licitum. Cæterùm hodie nõ facilè possent hæc ad

ad praxim deseruire; tum quia regulariter ij baptizantur ritu hæretico, vel schismatico: tum etiam, quia Minister est communiter laicus à quo non potest licitè peti Baptismus: patrinus autem offert Ministro puerum baptizandum, & petit ab eo Baptismum.

Non licèt catholicis adhibere hæreticum in patrinum sui filij, quãdo baptizatur,

Aduertunt Sanchez, & Hurtado *ibidem*, minus licere Catholicis adhibere hæreticum in patrinum sui filij, quando baptizatur; quia patrini munus est docere baptizatum fidei rudimenta, quod munus non possunt parentes Catholici commendare homini hæretico, qui non fidem, sed hæreses docebit, vt constat.

163 *An possit licitè Catholicus accersere Ministrũ hæreticum qui infantis iam baptizati nomen domesticis declaret?*

Hac occasione dubitari potest octauò, vtrùm possit licitè Catholicus accersere Ministrum hæticum, qui infantis iam baptizati nomen domesticis declaret, vel etiam Parochum hæreticum adire, vt ei infantem iam esse baptizatum indicet. Respondeo, vtramque actionem videri posse ita fieri, vt maneat merè politica, nimirum vt constet de nomine, & de Baptismo, & ne iterum baptizetur, si tamen habeat aliquid sacri, vèl sit recognitio potestatis, aut ministerij spiritualis, non licebit, vel si generet scandalum, ad quod circunstantiæ omnes considerandæ sunt.

164 *An parentes infantem catholicè baptizatũ, possint in quibusdam casibus permittere ad hæreticũ Ministrum publicè deferri vt rebaptizentur.*

Nonò circa hoc ipsum dubitatum est, an parentes Catholici, qui priùs infantem piè, & catholicè baptizari curarunt, possint postea permittere ab auo, alióve, à quo periculum timent, aut damnum, publicè ad hæreticum Ministrum baptizandum deferri, celantes interim, quòd iam antea fuerit baptizatus. Respondetur ex dictis, non licere iis positiuè offerre filium, vt rebaptizetur, vel ad hoc cooperari. Permissiuè autem, & sine consensu tacito, merè passiuè se habere, quando id sine grauissimo damno impediri non potest, non esse illicitum. Ad hoc autem significandum non est necesse manifestare priorem Baptismum: sufficit indicare, non sibi placere, quòd baptizetur ab illo Ministro, quamuis propter reuerentiam paternam non impediant omnibus modis, ad hoc enim cum tanto periculo non tenentur, vt dixi. Addo tamen, quando præuidetur casus ille, faciendum potius, quòd non baptizetur infans priùs à Catholico; nam minus malum videtur baptizari à solo hæretico, quàm rebaptizari: ex duobus autem malis minus est permittendum, quando non potest vtrumque impediri.

165 *An catholici possint suos infantes nutricibus hæreticis committere?*

Decimò, Dubitatum fuit, an possent parentes Catholici suos infantes baptizatos nutricibus hæreticis committere, quas probabiliter existimant eos ad hæreticorum templa secum perducturos. Supponitur Catholicis in Anglia *vt §. sequenti* videbimus, non licere hæreticorum templa adire. Respondetur tamen, ex hoc præcisè capite non esse illicitum filium paruulum nutrici hæreticæ dare, dummodo ante rationis vsum ad domum paternam reducatur: ante illam enim ætatem non prohibentur adire hæreticorum templa, cùm actio illa non sit humana, vel communicatio in ritibus sacrilegis, vt constat; quare si nihil aliud timeatur, quàm conducere puerum ad locum illum, ex hoc solùm capite non redditur illicita pueri traditio.

166 *An Catholici, quibus desunt necessaria ad famili-*

Rursus tamen dubitatum fuit vndecimò, an parentes Catholici, quibus desunt necessaria ad prolis, & familiæ sustentationem, possint liberos suos cum Dominis hæreticis collocare, à quibus timeri possit eos ad hæresim pertrahendos. Respondeo, durissimum videri filios à propriis parentibus in eo periculo constitui. Posset id aliquando permitti, si necessitas esset grauissima, licèt non extrema, & filius esset pubes, & de quo probabiliter speratur perseueraturum in fide, vel saltem maneat cum parentibus communicatio, vt quasi sub eorum cura manere videatur, & paternis consiliis dirigi, & iuuari, posse. Alioquin filium impuberem hæreticis dare, quid aliud est, quam agnum lupis committere vel filios ad Turcas nutriendos transmittere.

Duodecimò, Dubitatur vtrùm Catholicus 167 amico nobili hæretico ad se diuertenti, possit amicitiæ, & humanitatis causa apponere cibos prohibitos in die ieiunij. Respondetur, si Catholicus possit facilè impedire, vel non cooperari ad peccatum illud violationis ieiunij, tenebitur id facere. Si verò non potest sine magno detrimento, quia nimirum occasionem dabit querelis grauibus, & murmurationibus contra se, tanquam rusticum, inurbanum, superbum, &c. non videtur cum tanto incommodo teneri. Sicuti Caupones ob simile detrimentum excusantur ministrando eos cibos in die ieiunij, vt docet Thomas Sanchez *lib.* 1. *in decalog. c.* 7. *n.* 34. qui de hoc puncto videndus est. Statuit enim regulam generalem *num.* 12. quomodo in his casibus pensari debeat detrimentum, quod sequitur, & grauitas peccati, ad quod cooperaris, & spes, quę habetur, quòd te non cooperante vitabitur illud peccatum, & alia huiusmodi, vt excusetur aliquis, vel non excusetur in hac cooperatione, quæ de se non est omnino determinata, sed habet semper aliquam indifferentiam ex parte rei: quæ omnia in hoc casu prudenter considerandæ sunt.

Decimotertiò Dubitatur, vtrum Catholici, 168 qui ob infirmam valetudinem in diebus ieiunij vescuntur carnibus, possint postea aliis, qui mensæ assident, vel etiam famulis hæreticis eorumdem ciborum esum permittere, vel potiùs à communi mensa abstinere, & carnes relictas sibi tantùm reseruare. Respondetur ex proximè dictis, si paterfamilias potest sine graui incommodo impedire, ne filij, vel famuli violent ieiunium, ad id teneri. Sicut etiam tenetur non apponere eis cibos prohibitos: non tamen tenetur extraordinariam diligentiam adhibere, aut vi famulos cogere ad ieiunij obseruantiam. Hinc est regulariter sufficere, si œconomum moneat, ne permittat, nec det famulis cibos prohibitos, sed seruet seorsim eos, qui de suo prandio supersunt; item si suis commensalibus ostendat, sibi non placere, quòd de illis cibis accipiant: filios etiam duntùs admoneat: non tamen tenetur omnibus modis impedire. Imò quando id esset valde difficile propter clamores, & graues querelas familiæ, potest eis carnes suppeditare, vt docet Reginaldus *in praxi lib.* 4. *n.* 199. An verò ea de causa debeat à cõmuni mensa abstinere? est quæstio facti; pendet enim à circunstantiis, an hoc sit graue incommodum, an sit medium efficax, vt familia seruet ieiunium; an tribuendum id potius sit auaritiæ, quàm obseruantiæ, cum graui famæ detrimento, & aliis similibus. In genere negari non potest, plus aliquid debere patrem procurare circa filios, quàm circa famulos, & plus circa famulos, quam circa amicos, vel hospites propter maiorem obligationem regiminis, & maiorem facilitatem, qua potest illos cohibere quàm cæteros. Cæterùm autem particulares non possunt vna regula

definiri, vt fatetur Sanchez *loco supra citato.*

169 *An liceat Catholico, precibus, fauore, aut promouere ministrum hæreticorum, vt eligatur ad beneficium, vt sic excludatur minister magis Catholicis pernicio-sus.*

Decimoquartò, Dubitatum est, an liceat Catholico precibus, vel fauore, aut aliter promouere ministrum hæreticum, vt eligatur ad beneficium vt hoc modo excludatur alius nequior minister, & magis Catholicis pernicios⁹. Respondeo, quod attinet ad nudas preces, & intercessionem videri licitum iuxta communem, & probabiliorem sententiam docentem, posse consuli minus malum ei qui paratus est facere vnum è duobus malis, & quem ab vtroque auertere non possumus: tunc enim non consulit malum simpliciter, & absolutè, sed sub conditione, dicendo v.g. vt si aliquem ministrum, vel Parochum hæreticum electurus est, eligat hunc potius, quàm illum. Maior difficultas esse potest de Catholico, qui habet ius patronatus, an vtendo eo iure possit præsentare hæreticum minùs pernicio-sum, & qui benignior erit erga Catholicos, vt eligatur ab Episcopo hæretico, ad excludendum alium, qui peior esset & persequeretur Catholicos. Ratio autem dubitandi est, quia patronus tenetur ex officio non præsentare indignum. Et quidem certum videtur præsentationem illam fore inualidam, tum ex parte personæ, quæ præsentatur, qui cùm non sit clericus, sed merus laicus, non est capax: tum etiam ex parte illius, apud quem fit præsentatio, qui neque est episcopus, neque persona Ecclesiastica.

170 Aliunde tamen videtur, posse non solum patronum, sed quemlibet Catholicum ad redimendam suam vexationem iniustam circumuenire dolosè Pseudoepiscopum hæreticum, & prætextu fictæ illius præsentationis cogere ipsum ad eligendum minùs malum. Cur enim non licebit dolus aduersus manifestam iniuriam, & vim? ergo ex hoc capite non videtur damnandus ille, qui secluso scandalo id faceret, & sub conditione exigeret prætextu sui iuris, vt si aliquis eligendus sit, iste potius eligeretur. Quia tamen ille hæreticus electus, cùm reuera non sit legitimus minister, non potest licitè reditus ecclesiæ sibi accipere, nec munus ministri exercere; non licebit fortasse eum inuitare dando ei occasionem nouam peccandi, quam aliàs non haberet, sed licebit à Pseudoepiscopo petere, vt hunc potiùs eligat, cum ipse elector iam omnino peccaturus esset, & daturus alicui electo occasionem peccandi. Quare tutius esset eo casu impetrare dispensationem Pontificis, ex cuius licentia possint Catholici reditus illos ecclesiasticos applicare huic potiùs hæretico, quàm sinere, quod ab alio nequiori vsurpentur, quamuis neuter sit legitimus minister: solùm posset obstare, quod ille electus non solum accipiet reditus, sed etiam geret se pro ministro ecclesiæ, cùm talis non sit, & in hoc non potest Papa dispensare, nisi illum faciat verum ministrum, atque ideo datur ei hæc occasio grauiter peccandi. Ad hoc tamen dici potest, non suaderi hæretico illi quidquam determinatè, quod non possit sine peccato facere: potest enim reditus illos accipere, vt vel eos postea Ecclesiæ reddat, vel ex dispensatione Pontificis sibi retineat. Potest enim electionem à Pseudoepiscopo acceptare, vt occupet locum illum, ne ab alio nequiori occupetur, & postea munus illud non exercere, nisi quoad actus aliquos, quos licitè possit ex voluntate saltem præsumpta ecclesiæ, & ad quos non requiratur potestas ordinis, & qui sine fidei iniuria fieri possint. Quod si ipse postea velit sine titulo reditus retinere, vel exercere hæretico ritu ministerium: hoc non petunt ab eo Catholici, nec suadent, sed permittunt ad impediendum maius malum. Quare sicut excusatur, qui petit ab vsurario mutuum sub vsura, quia non determinat ad non aliter mutuandum, sed permittit, & offert vsuras: sic Catholici designantes illum ministrum ob necessitatem excludendi nequiorem, non petunt determinatè ab eo quidquam illicitum, nec ad id inuitant, sed id permissiuè offerunt, cùm tamen mallent, quòd electionem acceptaret modo licito, prout posset, licèt præuideant non acceptaturum sine peccato ex sua potiùs malitia proueniente, quàm ex Catholicorum petitione. Aduerte denique in his omnibus, quæ Catholicis licere diximus, supponi semper, quod scandalum non sit, vel aliorum offensio, apud quos eiusmodi actiones æstimari soleant pro approbatione falsæ religionis, vel rituum hæreticorum, vel aliud simile.

§. VI.

An sine fidei iniuria liceat Catholicis Hæreticorum Templa adire, & eorum ritibus adesse.

171 Dicemus seorsim aliquid de hac actione, quia de illa nostro tempore grauissima controuersia fuit non solùm cum hæreticis, sed etiam inter ipsos Catholicos, quorum aliqui voluerũt, etiam nunc in Anglia licitè id fieri posse ad redimendam vexationem, qua ex Regio edicto Catholici grauissimè premebantur, nisi hæreticorum templa adirent, & precibus interessent: de quo argumento vltra alios latè, & erudite disputauit P. Suarez *in defensione fidei lib. 6. c. 8.*

Vt tamen certa ab incertis seperentur, supponendum est, ingressum in eiusmodi templa ex se, & in genere loquendo, esse aliquid indifferens, & posse in multis casibus licitũ esse, nempe quoties nullo modo generat scandalum, vel infert damnum veré fidei, nec affert peruersionis periculum, nec denique significat expressè, vel etiam implicitè cultum falsum, vel approbationem falsæ religionis: quod sæpè contingere potest. Primò, si aliquis Catholicus infidelium templum ingrediatur, nõ quatenus templũ est, sed prout est domus aperta ad habitationẽ, vt se à pluuia, vel cœli inclementia defendat, prout legitur S. Gregorium Taumaturgum idolorum templum ingressum esse, vt noctem ibi transigeret. Similiter, si vrgente bello, Catholici ad hæreticorum templum se recipiant, quia locus munitissimus sit, vel si Catholici milites idem templũ adeant ad spolia capienda, ingressus licitus planè est, sicut etiam si Catholicus episcopus ingrediatur ad templum illud purificandum, & benedicendum, & in aliis similibus casibus. 2. in iis locis, in quibus libertas conscientiæ viget, & Catholici cum hæreticis promiscuè versantur. solent aliquando Catholici hæreticorum conciones audire, vt eas confutent; imo alicubi mos est, vt postquam Catholici suos ritus peregerunt, hæretici in eodem templo suos etiam ritus celebrent hora diuersa, remanẽtibus interim aliquibus Catholicis, vt possint postea pro concione confutare calumnias, quas minister hæreticus in sua cõcione proposuerit. Monent autem prudenter Thomas Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 4. num. 26.* & Coninch *disp. 15. dub. 3. num. 55.*

Non sufficit sola curiositas, vt quis licitè concionatores hæreticorum audiat, sed requiritur grauis causa.

num. 55. non debere indoctos eam licentiam sibi assumere, nec solam curiositatem sufficere, vt licitè quis eiusmodi conciones audiat, sed grauem aliquam causam requiri, vt id licitè fiat.

172 *Item vt Catholicus eorũ præcibus adsit sine vllo signo reuerẽtiæ.*

Monet etiam idem Coninch cum aliis *n.* 61. & 62. vt licitè id fiat, requiri, quod Catholicus, dum hæretici preces celebrant, non ostendat se precantem, sed materialiter adsit sine vllo signo reuerentiæ, sed planè omnino se habendo, ac si spectaret aliquam comœdiam. Quod tamen, vt de omnibus hæreticorum templis verum sit, explicatione aliqua, vel limitatione indiget. Si enim Catholicus adsit templo schismaticorum Græcorum, quo tempore Missæ sacrificium peragitur, & corpus Christi adorandum eleuatur, debet vtique illud reuerenter adorare, cùm validè consecratum supponatur. Similiter imagines ibi collocatas debet colere, & alia reuerentiæ signa exhibere: hæc enim non sunt signa approbationis cultus schismatici, sed est cultus communis Catholicis, & hæreticis, atque schismaticis, qui non est illicitus, sed licitus, & debitus. Quando autem reuerentia signum est falsi cultus, vel communicationis cum hæresi vel schismate, tunc locum habebit prædicta doctrina.

173 *Item licitus est ingressus in eorum templa ad reddẽdum solũ debitum ciuile.*

Tertiò, licitus est ingressus Catholicorum in eiusmodi templa; quando constat, fieri ad reddendum solum debitum ciuile alicui personæ, quam comitantur, vt faciunt famuli, vel famulæ comitantes dominos, aut dominas suas, quas alibi honori, & obsequij gratia comitari solent, sicut, & milites, vel satellites regij possunt Regi hæretico templum suum intranti assistere. Ita Sanchez *dicto cap.* 4. *num.* 27. Azor, & Becanus, quos affert, & sequitur Hurtado *dicta disp.* 48. §. 65. & colligitur ab exemplo Naaman supra adducto, cui licebat idolorum templum cum suo Rege ingredi, & sacrificiis sacrilegis assistere. Quod intelligunt prædicti Auctores, etiamsi aliunde sit lex Principis præcipientis omnibus subditis adire hæreticorum templa: quia adhuc constaret, prædictos famulos nõ adire templum, vt obedirent illi legi, sed ob finem merè ciuilem comitandi dominum suum, qui famulatus nullo modo ad religionem pertinet. Addit autem Hurtado, licere eisdem esse ibi detecto capite, provt coram Rege esse decet; item genua flectere, Rege ea flectente, & eo stante stare; quia hæc non religionis gratia, sed regalis honoris fiunt. Quod quidem verum videtur, quod attinet ad caput detectum, & ad standum Rege stante, esset enim irreuerentia in Regem, eo stante, quacunque ex causa stet, adhuc famulos sedere, sicut & caput tegere coram Rege, & ideo assurgente Principe ad negotium etiam priuatum, vel ad chartam ex scrinio accipiendam, omnes statim reuerentiæ causa solent assurgere. Quod autem eo genuflectente, vt idolum adoret, vel communionem sacrilegam Caluinisticam accipiat, debeant vel possint omnes alij genuflectere non probo in vniuersum. Ratio autem differentiæ est, quia gestus externus reuerentiæ debet esse nota summissionis in ordine ad aliquem, cui reuerentiam exhibemus. Et quidem stare famulos stante domino, est mera reuerentia erga dominum, cui fieret irreuerentia sedendo, nam viderentur famuli superiores domino, quo stante ipsi sederent, quod idem est, si domino caput aperiente, ipsi manerent tecto capite. Quando verò domino genuflectente coram idolo, ipsi etiam genuflecterent, genuflexio illa non esset reuerentia merè erga dominum, nam ipsi non flectunt genua domino, sicut si domino pectus percutiente in signum reuerentiæ, ipsi etiam pectus percuterent, illa pectoris percussio non esset reuerentia erga dominum, cùm non sit apta nota summissionis famuli erga dominum, sed potiùs sit nota adorationis sacræ, & religiosæ; sic etiam genuflexio illa non est nota reuerentiæ ciuilis erga dominum, sed reuerentiæ ipsius genuflectentis. Vnde quando dominus coram Confessario genuflectit, vt confiteatur sua peccata, nõ ideo famuli genuflectunt, sed exspectant stantes, quia genuflexio illa est reuerentia pœnitentis erga Confessarium, vt ministrum Dei, & iudicem in illo foro. Si ergo domino genuflectente coram idolo, famuli etiam genuflecterent, genuflexio illa non esset reuerentia ciuilis erga dominum, sed religiosa erga idolum. Nec exemplum Naaman est ad rem: nam ille genuflectebat coram idolo genuflectente Rege, ita tamen, vt genuflexio non esset signum reuerentiæ, sed situs quidam materialis aptus, & necessarius, vt Rex genuflectens posset commodè inniti manui Naaman, quod erat ministerium merè ciuile, & nullo modo actio religiosa versùs idolum.

174 *An hæreticorum templa, præsertim publica, adire liceat?*

His suppositis, controuersia principalis est, an Rege hæretico præcipiente subditis suis adire hæreticorum templa, ibique precibus, & concionibus adesse, possint Catholici templa adire ad virandas grauissimas pœnas carceris diuturni, vel confiscationis bonorum, aut alias graviores, vel saltem protestatione præmissa, quòd non religionis causa, sed ad obedientiam ciuilem Regi præstandam, & pœnas fugiendas, materialiter solùm templa ingrediantur. In qua controuersia non defuerunt Doctores Theologi, qui vt Catholicos Anglos grauissimis pœnis, & (quod plus erat) periculo peccandi, & deficiendi à fidei confessione eriperent, dixerunt, id posse sine peccato fieri: quibus fauere videtur Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 11. *q.* 2. & 4. & *cap.* 27. *q.* 5. vbi pro eadem sententia alios tacitè refert; quem tamen vt ab ea sententia liberet, interpretari conatur Hurtado *vbi supra* §. 67. sed non est opus alio interprete, cùm ipsemet postea explicuerit suam mentem *tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 7. §. *Posset hoc loco.* vbi dicit, falsò sibi hanc sententiam imputatam, cùm ipse nunquam id licitum dixerit casu, quo scandalum, & offensio sequitur, vel tacita aliqua falsi cultus professio, aut periculum peruersionis, quæ omnia in casu nostro reperiuntur,

Omnino ergo fatendum est, in casu posito non licere Catholicis Regio edicto obedire, neque eius intuitu, aut metu adire templa hæreticorum. Quod ex Patribus, & aliis argumentis latè, & eruditè probat Suarez *dicto c.* 9. & idem responderunt Theologi de hoc Romæ consulti, inter quos Cardinales Bellarminus, & Baronius, quos P. Personius consuluit, vt refert Granado *in præsenti tract.* 11. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 18. qui eandem sententiam profitetur, & Turrianus *in præsens disp.* 35. *dub. vltimo*, Sanchez *dicto cap.* 4. *num.* 27. Coninc *disp.* 15. *num.* 57. Hurtado *dicta disp.* 48. *sect.* 5. & alij omnes. Est enim iam res hæc extra omnem controuersiam post motum proprium Pauli V. datum 10. Calend. Octobris anno 1606. in quo inter alia Pontifex Catholicis Anglis hæc dicit. *Accepimus namque compelli vos, grauissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire,*

cæ-

cœtus eorum frequentare, conciombus illorum interesse. Profectò credimus procul dubio eos, qui tanta constantia atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, vt immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse vt coinquinentur communione desereorum diuinæ legis. Nihilominus zelo pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna solicitudine, qua de salute animarum vestrarum assiduè laboramus; cogimur monere vos atque obtestari, vt nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento diuini cultus, ac vestræ salutis, &c. Quod Breue integrum refert Suarez *dicto lib. 6. in Proœmio*, & aliud secundum Breue eiusdem Pauli V. datum ad eosdem Catholicos Angliæ 10. calend. Octobris anno 1607. quo primum illud confitmat, eo quòd ab aliquibus subreptitium existimaretur. Post hanc verò adeò manifestam Pontificis declarationem, opinionem contrariam in Anglia probabilem esse non posse, probat benè idem Suarez *dicto lib. 6. cap. 8. num. 15.*

176 Rationes multæ adducuntur à prædictis Auctoribus ad ostendendam culpam adeundi templa hæreticorum in his circumstantiis, tum ex offensione, & scandalo, tum ex periculo peruersionis quod est intrinsecè annexum saltem in communi, tum etiam ex incremento hæresis, quæ fauorem, & honorem accipit ab eiusmodi concursu, & ex aliis capitibus, quæ argumenta apud ipsos videri possunt. Ego enim nolo rationes ab extrinseco, petere, quæ fortasse non sunt ita vniuersales, sed ab intrinseco, & à priori ex natura, & conditionibus propriis talis actionis. Prima ergo ratio, & à priori esse potest, quia licèt aditus ad templa hæreticorum ex se possit esse actio indifferēs, in his tamen circumstantiis non est indifferens, sed determinata, vt sit actio religiosa, significans cultum sacrum erga locum illum, & actiones, quæ ibi fiunt. Suppono enim exerceri hanc actionem propter obseruantiam legis Regiæ eam præcipientis, & hanc ipsam obseruantiam significari ab adeuntibus templa. Si enim alia esset causa adeundi ciuilis, vt comitari Principem, interesse comitiis sæcularibus, &c. iam dixi ingressum licitum tunc esse. Quæstio ergo est, quando non apparet alia causa ciuilis, sed solùm metus pœnarum, ad quas euadendas ponitur obseruantia legis; & tunc dico, non posse hanc actiónem esse obedientiam merè ciuilem, sed actionem religiosam, includentem protestationem falsi cultus. Quod sic ostendo: quia lex humana non potest præcipere aliquod opus, nisi sub motiuo alicuius virtutis, & honestatis in cuius specie illud constituit, eo ipso quod id præcipiat: licèt non obliget ad modum virtutis, hoc est, ad operandum propter finem virtutis: ipsa tamen lex debet habere pro motiuo honestatem talis virtutis, & illam intendere, prout suppono ex materia de legibus, vbi hæc omnia fusè traduntur. Quibus suppositis, certum est, hanc legem Regiam, vt legis laruam, & apparentiam haberet, debuisse honestatem aliquam apparentem intendere in præcepto adeundi templa, quæ non poterat esse alia nisi sacra, vel Religiosa, nempe cultus religiosus, & eius maior solemnitas, & frequentia, vel certè: vt eiusmodi preces, ac conciones, & concionatores ipsi ac ministri honorem, & auctoritatem à frequentia haberent, vel quid simile: præcipitur ergo ea lege actio non ciuilis, sed religiosa. Vnde subditus, qui nullam causam habet, aut significat adeundi templum, nisi legis obseruantiam, quàm exercet exteriùs ad vitandas pœnas transgressoribus impositas, eo ipso significat saltem exteriùs, se intendere obseruantiam legis, & ponere actum à lege præceptum, qui certè erat actus religiosus, vel falsæ religionis, uel ad eam fouendam ordinatus: significat enim se legi obedientem, & exequentem id, quod lege præcipitur, & Principis voluntati se conformantem, & per consequens exercentem actum religiosum, qui solus lege illa præcipiebatur.

Secunda ratio esse potest à simili, & ab exem- 177
plo ad ostendendam malitiam intrinsecam illius actionis: quia si licitus esset templi ingressus in his circumstantiis, licitè etiam possent Catholici, Rege hæretico præcipiente sumptionem falsæ eucharistiæ, & communionis Caluinisticæ, illam sumere ad vitandas grauissimas pœnas: quod tamen nemo Catholicus concederet. Sequela verò probatur; quia sicut adire templa hæreticorum de se indifferens est, & aliquando potest esse licitum: sic etiam comedere panem illum, qui merus panis est, de se est indifferens, & potest esse actio nō sacra, sed politica, seu naturalis ad corporis sustentationem: Si ergo comestio illa in his circūstantiis illicita est, quia præcipitur, vt actio religiosa, & sacra, & ideo significat in his circumstantiis falsum cultum, idem dicendum est de adeunte templum in his circumstantiis, & audiente concionem, & preces hæreticas ad obseruandam legem, quia hæc omnia præcipiuntur intuitu religionis. Non ergo mirum, quòd posita illa lege, Catholici omnes abhorruerint à præsentia sua iis precibus, & concionibus exhibenda, & habuerint pro signo certo defectæ religionis catholicæ, vel hæresis saltem simulatæ, & quem viderent eiusmodi legi obtemperantem; si eo intuitu adeuntem hæreticorum templa, & sacrilega conuenticula.

Explicatur, & confirmatur vtraque ratio exem- 178
plo aptissimo idolothyti, quod videtur omnino esse simile casui nostro; nam comestio idolothyti secundùm se indifferens est, & aliquando potest esse licita, vt supra ex Paulo Apostolo probatum est: si tamen Rex Gentilis præcipiat tibi, vt de illo comedas, non poteris iam de illo tunc comedere etiam ad vitandam mortem, vel grauissimas alias pœnas: quia vrgente præcepto, qui comedit, ostēdit se actionem religiosam exercere, qualis à Tyranno præcipitur, cùm solùm propter præcepti obseruantiam id faciat: imo addit Chrysostomus homil. 25. in Matth. in imperfect, *si quis tibi dicat, non manduces idolothytum, sed aspice tantùm ad idola, quomodo speciosa sunt: si adspexeris prouocatus, oculis tuis, negasti Christum. Non quia adspicere idola aliquid sit, sed quia inuitatus adspicis peccas.* Tanti nimirum refert inuitatio, & prouocatio, quæ motiuum sit operandi. Quid ergo operabitur lex habens pro motiuo cultum religiosum, & hunc ipsum præcipiens, quando subditus intuitu talis legis actionem exhibet ad cultum ordinatam, etiamsi secluſa tali lege, & in aliis circūstantiis diuersis posset fortasse aliquando actio illa esse licita? Eodem planè modo dicere possumus, si adieris templum prouocatus, & iussus à Principe hæretico, ingressu tuo Christum negasti:

negasti: non quia ingressus ille semper,& in omni casus illicitus sit,sed quia iussus,& prouocatus ab hæretica lege ingressus es,vt precibus,& concionibus hæreticis adesses. Meritò ergo Paulus Quintus in his circumstantiis dixit,id non licere sine detrimento diuini cultus,& propriæ salutis, de cuius responsi veritate dubitare non licet,cùm à summo Ecclesiæ Pastore, & doctore auctoritate Apostolica redditum sit subditis ab ipso veram, & sanam doctrinam petentibus, pro qua fortunas, & vitam ipsam debebant exponere. Ex quibus facilè solui possunt, quæ pro contraria parte adduci possent,& videri possunt apud Suarez *loco citato*. Nobis sufficiat legitimum fundamentum huius decreti Pontificij breuiter indicasse.Et hæc dicta sint de actu externo, seu confessione fidei: nunc ad alia progrediamur,quæ ad habitum spectant.

DISPVTATIO XV.

De habitu fidei.

SECTIO I. *Vtrum habitus fidei sit in substantia animæ, vel in aliqua eius potentia. Vbi,an sit habitus speculatiuus, vel practicus.*

II. *An habitus fidei sit virtus,& qualis.*

POstquam dictum est de actibus fidei, & eorum obiecto materiali,& formali, sequitur, vt de habitu dicamus. Non tamen potuimus de actibus differere, quin multa tractarentur, quæ ad habitum spectabant tam intellectualem, quàm etiam piæ affectionis, qui est in voluntate, atque etiam de habitu infuso requisito ad iudicium credibilitatis, quod debet præcedere. Diximus etiam ex professo de supernaturalitate eorum habituum; item *disp.*8. diximus de vnitate habitus fidei infusi, & quomodo idem habitus simplex deseruit ad plures actus specie diuersos. Quare pauca, & faciliora restant nobis de hoc habitu examinanda,quod hac disputatione præstabimus,disp.verò sequenti dicemus de eius causa efficiente,de infusione etiam, conseruatione, & augmento eiusdem habitus.

SECTIO I.

Vtrum habitus fidei sit in substantia animæ, vel in aliqua eius potentia. Vbi an sit habitus speculatiuus, vel practicus.

1 DAri habitum infusum fidei, probatum est *supra disp.9.sect.3.* Nunc quærimus de subiecto proximo, cui inhæret, postea suo loco dicturi de subiecto remoto, in quibus scilicet hominibus, vel Angelis reperiatur.Dubitatur ergo, an habitus fidei inhæreat immediatè in substantia animæ,vel potius in intellectu,vel aliqua alia eius potentia: est autem eadem difficultas de habitu infuso requisito ad iudicium credibilitatis præcedens; qui etiam in eodem subiecto proximo collocandus erit: imo cum proportione eadem est ratio de habitu infuso requisito ad piam affectionem,an sit immediatè in voluntate,vel in essentia animæ: quare quod de vno dicetur, eodem modo de alio cum proportione debita dicendum est.

Theologi in hoc puncto non omnes eodem modo loquuti sunt: quidam enim primò dixerunt,habitum fidei,licèt simplex sit,esse simul in intellectu, & in voluntase: ita loquitur S. Bonauentura *in 3.dist.23.art.2.1.q.2.*qui non reputet id absurdum, eo quod ex Augustino vtraque illa potentia est idem realiter inter se, & cum anima. Quare videtur loqui de habitu ad assensum intellectualem,& ad piam affectionem,& hunc ponere simplicem ad vtrumque actum. Quam sententiam sibi placere significat Hurtado *in præsenti disp.* 50.§.5. séque eam libenter amplexurum, si plurium auctoritate, vel efficacioribus argumentis probaretur.Cæterùm iam in superioribus ostendimus habitum fidei ad assensum intellectualem distingui ab habitu piæ affectionis,quare ex hoc capite non debent in eodem subiecto collocari. Primo opinio.

Secundò ergo alij antiquiores apud eundem Bonauenturam dixerunt,fidem pro materiali esse in intellectu,pro formali autem esse in voluntate. Alij è contra pro formali posuerunt in intellectu, & in voluntate pro materiali:sed vtrique loquuti videntur de fide provt complectitur vtrumque habitum, & conciliari possunt: quia priores loquuti videntur de fide, secundùm considerationem moralem: in quo sensu formale videtur prouenire à voluntate; à cuius actu prouenit moralitas,& honestas formalis fidei, à qua ipse assensus denominatur honestus,& bonus. Posteriores verò loquuti videntur de fide,provt sonat assensum; in qua consideratione formaliter constituitur per actum intellectus; imperium autem voluntatis videtur se habere materialiter, seu extrinsecè,& remotè, sicut obiectum remotum dici solet obiectum materiale. Hoc tamen totum pertinet ad quæstionem de nomine. Secunda opinio. 2

Loquendo autem de re ipsa,alij tertiò,& communiter dicunt, habitum fidei, qui elicit assensum, inhærere immediatè intellectui. Ita suppo- nit Suarez *in præsenti disput.7.sect.1. num.3.* Coninch *disp.16. dub.* 1. Granado *tract.13.disp.16. num.* 1. & alij communiter: quia habitus in ea potentia collocantur, in qua sunt actus, ad quos dantur,quod maximè locum habere debet in habitibus infusis,qui dantur,vt cópleant ipsam potentiam in ratione potentiæ; quare ipsi potentiæ debent inhærere, vt eam intrinsecè perficiant, & compleant. Tertia opinio & communior. 3

Alij verò, qui potentias ab anima non distinguunt realiter, vel ex natura rei, consequenter eiusmodi habitus dicunt recipi immediatè in sola substantia animæ.Ita Hurtado *vbi supra* §.4. qui addit,recipi habitum fidei in essentia animæ, non solum materialiter, sed formaliter in primo, & quidditatiuo animæ conceptu, quia recipitur in anima quatenus intellectus est: primus autem animæ conceptus est intellectualem, seu rationalem. Dicitur tamen gratia recipi in substantia animæ,& fides in intellectu, quia gratia non datur ad operandum immediatè,ideo dicitur recipi in substatiæ animæ, nomine enim *substantiæ* non explicatur anima provt est principium operandi, sicut explicatur nomine *intellectus*, & ideo fides, quæ

quæ datur immediatè ad operandum, dicitur recipi in intellectu: de habitu autem piæ affectionis dicendum erit recipi in voluntate, quia datur immediatè, vt anima operetur actus volendi.

4 Totum hoc pendet ferè ex Philosophia: si enim intellectus, & volutas non distinguuntur realiter, neque modaliter ab anima certum est, hos habitus recipi in ipsa anima quam complent, & perficiunt intrinsecè ad eliciendos actus fidei, vel piæ affectionis. Si autem supponatur distinctio earum potentiarum ab anima, adhuc potest esse quæstio, an hi habitus recipiantur in potentiis, an verò in ipsa anima immediatè: quæ etiá est ferè quæstio Philosophica, & ideo oportebit breuiter nonulla supponere ex iis, quæ dixi in Philosophia. Et quidem in lib. de anima dixi etiam si hæ potentiæ distinctæ ponantur ab anima, debere adhuc ipsam etiam animam immediatè cõcurrere ad productionem intellectionis, & volitionis, & hos actus debere recipi immediatè in substantia animæ, quod postea alij multi docuerunt. Et in primis id probauit, quia si anima ipsa immediatè non concurrat, non aliter diceretur ipsa intelligere, aut velle, quàm ignis dicatur calefacere, quando calor ipsi inhærens producit calorem in ligno sine vllo influxu immediato ipsius substantiæ ignis: quo casu ignis calefacit solùm denominatiuè, non verò quod aliter ignis ipse se habeat, vel aliquid ab ipso exeat nunc, quod non exiret, si ignis abesset, & Deus conseruaret diuinitus eius accidentia, sicut nunc conseruat accidentia panis in Eucharistia, quorum operationes non tribuuntur nunc substantiæ panis, tribuerentur tamen, si panis adesset; non quòd panis re ipsa tunc plus operaretur, quàm nunc, sed quod denominari tunc posset ab actione suæ virtutis sibi inhærentis. Quòd verò anima non hoc modo solùm denominetur intelligere, & velle, probatur à posteriori, quia plus habet modò anima in suo actu, quàm si ea absente operaretur sola voluntas, nec hoc solùm debet reduci ad denominationem; nam in illo casu, si voluntas peccaret, v.g. & postea vniretur substantiæ animæ non damnaretur anima ob peccatum à voluntate separata commissum; ergo si modò damnatur, non est ratione solius denominationis, qua denominatur peccare, sed ratione alicuius, quod ipsa verè & propriè operatur circa actum peccati; aliàs si modò nihil aliud haberet, quàm in primo casu, nisi solam denominationem, damnaretur ob solam illam denominationem, quod difficile creditur.

Confirmatur, quia concursus, quo substantia animæ sustentat immediatè ipsas potentias, de se est omnino indifferẽs, vt illæ bene, vel malè operentur, ergo sicut Deo non tribuitur peccatum voluntatis creatæ, quia concursus Dei est indifferens de se, determinatur verò ad malum à voluntate creata, sic etiam cùm concursus animæ sit de se indifferens, & determinetur ad malum à voluntate, non est cur peccatum tribuatur ipsi animæ, nisi ad summum ad quandam denominationem, non verò ad pœnam & damnationem.

5 Probatur rursus, quia principium volitionis debet etiam esse idem principium intellectionis; ergo eadem animæ substantia debet concurrere ad vtramque operationem. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia illud, quod immediatè fertur in aliquod bonum, debet cognoscere ipsum bonum, aliàs ferretur in incognitum, sed si voluntas distinguatur ab anima, ipsa voluntas non cognoscit in obiecto rationem boni, ergo necesse est, vt saltem ipsa anima cognoscat, & amet immediatè concurrendo per suam substantiam ad vtramque operationem. Explicatur, quia cognitio, quæ est in intellectu, per accidens se habet, ad hoc, vt voluntas possit amare, cùm sit illi extrinseca, & solùm intellectum certum faciat de illa bonitate, nec magis tangat voluntatem, quàm si duæ illæ potentiæ separatæ essent ab anima, quo casu certum est, voluntatem non posse amare ex cognitione, quæ esset in intellectu, nihil autem addit, quod sint vnitæ alicui tertio, nempe animæ, ergo necesse est, vt anima ipsa immediatè operetur.

Dicunt, propter radicationem in eâdem anima 6
posse vnam potentiam excitari ab alia; per sympathiam enim, quam habent inter se, vna operante, alia etiam operatur. Sed contra, quia hæc radicatio in eâdem anima non immutat modum operandi intrinsecum ipsius principij, cùm neque in genere causæ efficientis, neque in genere causæ formalis aliquid addat principio operatiuo; non in genere causæ efficientis per se, cùm anima non concurrat immediatè: sed neque in genere causæ formalis, quia cognitio solùm vnitur intellectui, & non animæ, neque voluntati, ergo non est, vnde possit immutari principium volitiuum in actu primo. Confirmatur primò, quia cognitio solùm repræsentat bonitatem obiecti in genere causæ formalis, non enim potest repræsentare, nisi illi, cui vnitur, (aut instrumentaliter, illi, à quo cognoscitur) sed solùm vnitur intellectui, ergo non magis repræsentatur bonum illud obiectum voluntati, quàm si non radicaretur in eâdem anima.

Confirmatur secundo; quia etiamsi animæ ipsi repræsentaretur bonitas obiecti, anima tamen non potest immutare modum operandi voluntatis, nisi applicando illam ad amorem, non potest autem intelligi, quod applicet illam, quin in illa aliquid operetur, vel alio modo se habeat, quàm si esset separata: ergo illa mera radicatio non est sufficiens ratio huius exercitij voluntatis.

Dices: etiam manus mouetur ad præsentiam 7
appetitus ex sola hac radicatione in eadem essentia, & tamen non daretur ille motus, si separatæ essent ab anima potentia loco motiua, & appetitiua. Sed contra, quia in primis ob hanc rationem dixi in Philosophia substantiam animæ concurrere etiam immediatè ad motum localem. Deinde discrimen est latum, quia voluntas non mouetur despoticè ad nutum intellectus, sicut manus ad nutum voluntatis, sed politicè (vt dicunt) hoc est, ex cognitione boni, quod sibi proponit intellectus, vt alliciatur ad amorem illius: non potest autem allici, nisi aliquo modo moueatur ab intellectu, ad quod nihil planè conducit habitare in eâdem domo, seu subiectari in eadem anima, nisi communicent sibi arcana sua concurrente anima ad vtriusque operationes.

Hæ autem rationes probant non solùm ani- 8
mam debere immediatè cõcurrere in genere causæ efficientis, sed etiam debere recipere immediatè eiusmodi actus in genere causę materialis: probant enim, principium volitiuum debere habere in se ipso cognitionem boni appetibilis, & non solùm eam in alio producere: quia debet ipsum in se moueri, & allici à bonitate cognita, quod

non potest fieri, nisi in genere causæ formalis per formam sibi intrinsecè inhærentem ; nam cognitio boni non mouet nisi se formaliter communicando, neque enim excogitari potest aliqua alia motio obiectiua, & extrinseca, quàm habeat in actu primo, cùm omnis motio obiectiua reduci debeat, vel ad speciem, quam mittat potentiæ, vel ad cognitionem aliquam sui, quam terminet; species autem non datur in voluntate, sed neque alia cognitio reflexa cognitionis existentis in intellectu, ergo dicendum est, ipsam cognitionem boni se ipsa formaliter afficere principium volitiuum, quod mouet ad amorem talis boni.

9 Dices, hoc argumento probari actus intelligendi recipi in anima non verò actus volendi, hi enim possunt produci effectiuè ab anima determinata à cognitione bonitatis obiecti, & tamen recipi in sola voluntate. Sed contra, quia eodem modo probat de receptione volitionũ in anima, quod dupliciter ostendo. Primò quia ideo recipitur actus intelligendi in anima, vt anima possit velle bonum cognitum, ergo ipsa anima immediatè afficitur volitione, aliàs non vellet ipsa, sed sola voluntas, quæ cùm non cognoscat bonitatem, volet incognitum. Secundò quia idem principium etiam, quod vult intelligit; nam experientia docet, quòd quando volumus intelligere, intelligimus v.g. si volumus credere, credimus, hoc autem fieri non potest, nisi idem principiũ, quod voluit intelligere, possit etiam producere intellectionem, quia hæc subordinatio potentiarum non potest ex alio capite prouenire vt supra probatum est, ergo eadem anima est, quæ non solùm producit volitionem, sed quæ vult, & intelligit.

10 Hinc autem inferebam rursus in prædicto loco, si huiusmodi potentiæ ponantur distinctæ ab anima non debere in illis recipi actus intelligẽdi aut volendi, sed solum concurrere actiuè simul cum anima ad eos actus producendos : quia si aliqua ratione debent assignari tales potentiæ distinctæ, maximè ad tollendam indifferentiam animæ in ordine ad suos actus : sed hæc indifferentia sufficienter tollitur in genere causæ efficientis, sicut & species impressa determinat intellectum indifferentem in ordine ad cognitionem huius obiecti in particulari concurrendo solùm in genere causę efficientis, & sine eo quòd species recipiat in se actũ cognitionis ; ergo similiter intellectus poterit determinare animam in ordine ad intellectionem, v. g. solùm concurrendo efficienter, nec necesse erit, vt recipiat etiam actus in se. Confirmatur, quia, vt diximus etiam si potentia volitiua, seu appetitiua in se reciperet actum volitionis vel appetitus; ipsa tamen non diceretur velle, vel appetere; ergo non est, quòd hi actus recipiantur in potẽtiis distinctis. Probatur antecedens, quia potentia illa formaliter non cognosceret bonitatem obiecti, cùm ipsa non esset principium cognoscitiuum; sed repugnat principium aliquod amare, quod non cognoscit esse bonum; ergo potentia illa verè non amaret, cùm tenderet in omnino sibi incognitum, sed haberet se sicut habitus voluntatis, qui licèt cõcurrat efficienter ad actũ & in suo genere adiuuet voluntatem, ipse tamen non dicitur velle per actum, quẽ producit, quia non percipit bonitatem obiecti; repugnat autem intelligi aliquem amare, nisi tendat in bonum apprehensum, vt tale.

11 Denique in eodem loco ex hac doctrina inferebam, si hæ potentiæ ab anima distinguantur, nõ ideò oportere, quòd species impressæ, vel habitus acquisiti in ipsis potentiis recipiantur, sed satis esse, & magis congruere, quòd recipiantur in substantia animæ, quod etiam amplectitur Hurtado *in præsenti dicta disp.* 50. §. 3. & quid. quid sit de habitibus acquisitis, & speciebus impressis, verius videtur, quòd habitus infusi, de quibus nunc loquimur in sola anima, & non in potentiis recipiantur. Primò propter rationem generalem, & communem omnibus accidentibus quæ nisi aliqua sit ratio specialis, connaturalius videtur, quòd recipiantur in substantia, quàm in alio accidenti, cùm totum esse accidentis ordinetur ad substantiam, eámq; perficiendam, & complendam: ideo enim dicitur accidẽs non esse ens, sed entis ens, hoc est, substantiæ, in ordine ad quam dicitur esse ens in alio, sicut substantia dicitur esse ens per se. Secundò, quia habitus infusi dantur ad modum potentiæ, & habent se in ordine supernaturali, sicut potentiæ naturales in ordine naturæ: quare sicut potentiæ naturales recipiuntur immediatè in anima, & non vna potentia in alia, sic habitus infusi debent recipi non in aliis potentiis, sed in ipsa substãtia animæ, quam complent, & perficiunt in ordine ad eliciendos actus supernaturales. Tertiò denique, quia licèt intellectus, & voluntas concurrant etiam actiuè cum ipsa anima ad actus supernaturales eliciendos, id non sufficit, vt in iis etiam debeant recipi immediatè habitus infusi : nam species etiam concurrunt immediatè cum anima ad eliciendos actus supernaturales; & tamen habitus fidei non recipitur in ipsis speciebus, quia non complent species ad intelligendum, sed animam, quæ eleuata habitu fidei potest cum speciebus elicere actum supernaturalem. Cùm ergo nec etiam intellectus, (si ab anima distinguitur) intelligat per actualem intellectionem, vt diximus, sed solùm sit principium adiuuans animam in genere causæ efficientis ad producendam intellectionem; non est necesse quòd habitus fidei recipiatur etiam in ipso intellectu, sed sufficit, quòd recipiatur in anima, quæ eleuata, & completa per habitum infusum sibi inhærentem possit vti intellectu, sicut vtitur etiam speciebus, ad eliciendum actum fidei supernaturalem. Dicitur tamen habitum fidei esse in intellectu, & habitum piæ affectionis, sicut etiam habitum charitatis, esse in voluntate, quia habitus fidei datur animæ prout intellectiua est, & in ordine ad actus intelligendi, & habitus piæ affectionis, vel charitatis datur eidẽ animæ prout volitiua est, & in ordine ad actus volendi. Sicut etiam communiter solemus dicere, intellectum cognoscere, & voluntatem non cognoscere, sed esse potentiam cœcam, & solùm amare : quod etiam in rigore loquendo, intelligi debet de anima, prout est intellectus, & prout est voluntas: nam intellectus distinctus ab anima nõ intelligit, nec voluntas distincta ab anima amat, sed sunt potentiæ, & instrumenta, quibus anima vtitur, vt diximus, vt ipsa anima intelligat, & amet. Sic etiam dicere solemus, *fides credit, charitas diligit :* cùm tamen in rigore loquendo habitus fidei non credat, nec habitus charitatis diligat, sed sint qualitates eleuantes hominem, vt ipse credat, & diligat, ipsi verò habitus nec mẽrentur, nec viuunt, nec possunt percipere vitaliter obiecta, vt manifestè omnibus constat. 12

Dubitant aliqui, an sicut in intellectu ponitur habitus Propositio dubitatiua.

habitus infusus fidei ad assensum fide supernaturalem, ita etiam ponendus sit in æstimatiua habitus alius materialis infusus, & supernaturalis ad cognitiones illius obiecti, quod æstimatiua cognoscit, quando intellectus per fidem supernaturalem cognoscit Deum: supponitur enim propter connexionem intellectus cum phantasmatibus, & propter dependentiam, quam habet, itavt non possit operari intellectus, quin phantasia, seu æstimatiua operetur simul circa idem, val aliud obiectum proportionatum correspondens obiecto intellectus, oportere, quod in exercitio etiam fidei diuiuæ æstimatiua cognoscat aliquod obiectum correspondens obiecto fidei, & ad eiusmodi actus quærunt, an detur etiam in æstimatiua alius habitus materialis infusus.

De hoc puncto egit ex professo P. Granado *in* 1.2. *controuersia* 5. quæ est de virtutibus *tract.* 1. *disp.* 3. *num.* 7. *& sequentibus*, vbi concludit ponendum esse in æstimatiua talem habitum infusum, quo eleuetur ad actum supernaturalem materialem, qui terminetur, non quidem ad Deum, qui cùm sit obiectum spirituale, non potest attingi actu materiali, sed ad aliquod aliud obiectum, quod loco Dei intellectu cogniti sit corpus aliquod excellentissimum cognitum sub certis circunstantiis, quas non attingit æstimatiua, nisi determinata ab intellectu cognoscẽte Deum per fidem: quod corpus licèt secundùm se sit naturale, superat tamen aliquo modo vires naturales æstimatiuæ, quatenus non potest cognoscere tale obiectum, nisi determinata ab intellectu cognoscente obiectum supernaturale, & ideò indiget actu etiam supernaturali, vt versetur circa tale corpus. Habet enim æstimatiua hominis hanc excellentiam, vt pro varietate rerum, quas intellectus cognoscit, formet idola diuersa, & res ipsas sensibiles diuerso modo componat, vt habeant aliquam analogiam ad obiecta intellectus, ad quam compositionem dependet ab intellectu, à quo etiam eliciente actus fidei determinatur, vt res sensibiles adaptet certo quodam modo, quem non posset attingere, nisi determinara à cognitione obiecti supernaturalis. Addit autem prædictus Auctor, non solùm in æstimatiua, sed etiam in appetitu sensitiuo ponendum esse habitum alium infusum materialem, sed supernaturalem proportionatum habitui charitatis, & alium proportionatum habitui spei, propter eandem rationem. Quare consequenter concedet alium habitum infusum supernaturalem in eodem appetitu correspondentem habitu piæ affectionis, qui est in voluntate.

13 Hæc sententia nullo modo mihi probatur, tum quia singularis est, & sine necessitate aut fundamento multiplicat habitus supernaturales; tum quia non solùm inutiliter, sed etiam cum inconuenienti eiusmodi habitus infusos introducit. Porrò eos habitus infusos sine necessitate & fundamento poni, probatur quia, habitus infusi supernaturales, vt sæpè diximus, dantur, non quidẽ propter supernaturalitatem obiecti secundum se, sed vt fiant actus ordinis superioris, & diuini; qui proportionem habeant cum præmio beatitudinis supernaturalis, & qui connexionem habeant cum gratia, quæ est radix vitæ æternæ. Ad hunc autem finem nihil refert, quod actus æstimatiuæ, & appetitus sensitiui sint naturales, vel supernaturales, cùm illi non sint meritorij, nec eorum supernaturalitas augeat vllo modo meritum actuum voluntatis. Connexio autem, quam habent cum intellectu, & voluntate, non sufficit: alioquin alius dicet, quod actiones etiam externæ, & motus locales imperati ab actibus supernaturalibus sint supernaturales; quia non minorem dependentiam habent hæ potentiæ externæ à voluntate, quàm habent æstimatiua, vel appetitus sensitiuus, nec minus possint non operari posita voluntate efficaci, quàm æstimatiua non cognoscere operante intellectu.

Aliunde verò ex parte obiecti quod æstimatiua 14
tunc attingit, non potest peti supernaturalitas in actibus illis: nam obiectum secundùm se non est supernaturale, vt fatetur ille auctor. Sed neque est supernaturale respectiuè, seu tale, vt non possit ab æstimatiua attingi per vires naturales. Quando enim rustico proponitur à Parocho articulus falsus de Incarnatione Spiritus sancti, idem cognoscit ex parte obiecti, & æstimatiua easdem res sensibiles, & idem idolum sibi format, quod formaret, si re vera Spiritus sanctus fuisset incarnatus: tunc autem non fit actus fidei supernaturalis in intellectu, nec etiam actus supernaturalis in æstimatiua, vt constat; ergo obiectum, quod ab æstimatiua attingitur, non est tale, vt non possit ab ea attingi per vires naturales, quare neque ex hoc capite supernaturalitas necessaria est, vel vtilis in eiusmodi actibus materialibus.

Denique vt appareat, non posse id sine inconuenienti asseri, pero an illa cognitio æstimatiuæ correspondeat apprehensionibus solùm simplicibus, quæ præcedunt assensum fidei, an verò ipsi iudicio, & assensui, quo credimus incarnationem. Si dicatur primum, frustrà cognitio illa æstimatiuæ ponitur supernaturalis: cùm enim ipsæmet apprehensiones intellectuales præcedentes fidem sint naturales, vt diximus *disp.* 9. *sect.* 5. non potest ex connexione cum illis resultare apprehensio supernaturalis in æstimatiua, quæ terminetur ad obiectum inferius, & ignobilius.

Si verò dicatur secundum, nempe illum actum 15
æstimatiuæ correspondere ipsi assensui, & iudicio fidei, quatenus iudicium est; iam cognitio illa erit iudicatiua, eo modo quo in æstimatiua potest esse iudicium aliquod imperfectum. Certũ enim videtur, quod in æstimatiua ipsa non omnes cognitiones sint eiusdem rationis: quia aliter cognoscit calorem possibilem, quando timet illum, & ideo fugimus ab igne, ac quando percipitur sensu præsens, & æstimatiua fertur ad illum vt existẽtem, & suo modo affirmat calorem præsentem. Si ergo actus ille æstimatiuæ, de quo loquimur, correspondet iudicio, vt iudicium est, erit ex hoc secundo genere actuum, & eo modo, quo potest, affirmabit de suo obiecto. Vnde sequitur actum illum esse falsum, eo modo, quo potest esse falsitas, & error in æstimatiua: cum enim obiectum illius actus non sit Deus, nec incarnatio Verbi, sed corpus illud excellentissimum, actus affirmãs illud corpus, quando intellectus affirmat Deum, vel incarnationem Verbi, erit repræsentatio falsa, & per consequens non erit supernaturalis. Quorsum enim dabitur habitus infusus supernaturalis ad actus erroneos, quibus falsò affirmetur, & repræsentetur vt existẽs obiectum illud corporeum, quod reuera non existit? Certè habitus infusi non dantur ad errandum, sed ad attingendum verum vt constat. Quod eodem modo vrgeri potest contra habitum infusum, qui poneretur in appetitu sensitiuo ad actus materiales.

correſpondentes actibus charitatis, vel piæ affectionis: cùm enim obiectum appetitus non ſit Deus, nec honeſtas fidei, quam amat voluntas per piã affectionem, amor ille non erit Dei, nec fidei ſed amor alicuius rei corporeæ, quæ nobis impoſſibilis eſt, & quæ nullam habet honeſtatem obiectiuam; vt quid ergo dabitur habitus infuſus ad amandum illud corpus imaginarium nobis impoſſibile, & ad gaudendum de illo prout exiſtenti, quando reuerà non exiſtit, & quando voluntas gaudet de Deo, vel de aſſenſu fidei propter eius honeſtatem? Fruſtrà ergo multiplicantur illi habitus ſine vtilitate, & non ſine indecentia ordinis ſupernaturalis.

16 *An habitus fidei ſit ſpeculatiuus, vel practicus.*

Quod attinet ad ſecundum dubium propoſitum in titulo ſectionis, an habitus fidei ſit ſpeculatiuus, vel practicus, ſermo eſt de ſolo habitu intellectuali, à quo elicitur fidei aſſenſus, de quo aliqui dicunt eſſe ſolùm ſpeculatiuũ. Ita quidem antiquiores apud Durandum quæſt. 5. in prologum. § *ad quæſtionem*. Alij neque eſſe formaliter practicum, neque ſpeculatiuum, ſed eminenter vtrumque. Ita Caiet. 2.2. *quæſt.* 4. *art.* 2. & Valentia *in præſenti diſput.* 1. *quæſt.* 4. *puncto* 2. Alij denique meliùs concedunt communiter eſſe formaliter ſpeculatiuũm, & practicum, vt cum S. Thoma *in præſenti quæſt.* 4. *art.* 2. *ad* 3. docent Suarez *in præſenti diſput.* 7. *ſect.* 2. *num.* 7. Coninch *diſp.* 16. *dub.* 2. *num.* 16. Turrianus *diſp.* 38. *dub.* 6. Lorca *diſput.* 27. Bañes, & Molina, quos affert, & ſequitur Granado *in præſenti tract.* 13. *diſp.* 3. *num.* 2. Ratio autem eſt; quia fides elicit actus ſpeculatiuos, & actus etiam practicos Speculatiuos quidem circa Deũ, & alia obiecta non operabilia; vnde Paulus *ad Coloſſ.* 3. de fide loquens dixit: *nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes*: ſicut etiam fide credimus creationem mundi à Deo factam iuxta illud eiuſdem Pauli ad Hebr. 11. *Fide credimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei*; quod quidem non eſt obiectum à nobis operabile. Actus autem practicos elicit etiam eadem fides circa noſtras operationes dirigendas, dũ docet nos, quomodo debeamus exequi opera noſtra, vt bona ſint, vt Deo placeamus, vt à peccatis liberemur, vt ſalutem animæ aſſequamur: quare ſicut medicina eſt formaliter practica, quia docet modum aſſequendæ & conſeruãdæ ſalutis corporeæ; ita fides erit etiam practica, quæ docet modum aſſequendæ, & conſeruandæ ſalutis animæ, & eſt Medicina cæleſtis cõtra ſpirituales ægritudines: & ſicut Logica eſt practica, quæ docet modũ vitandi errores intellectuales & dirigit operationes intellectus, vt rectè fiant; ſic fides erit practica, quæ dirigit operationes voluntatis, & docet modum vitandi errores, & defectus in eiuſmodi operationibus: ſicut etiam Philoſophia moralis dicitur practica, quia lumine naturæ dirigit eaſdem operationes volũtatis, & oſtendit quomodo earum vitia, & defectus vitandi ſint. Quomodo verò ex hac diuerſitate actuum non arguatur pluralitas habituum infuſorum, ſed vnus ſimplex poſſit eos omnes actus elicere, diximus *diſp.* 8.

SECTIO II.

An habitus fidei ſit virtus, & qualis.

17 *Duplex fidei habitus infuſus.*

DIximus duplicem eſſe fidei habitũ infuſum; alterum in intellectu, alterum in voluntate. De primo aliqui dicunt non eſſe virtutem ſtrictè, ſed ſolum in latiori ſignificatione: ita Durand. *in* 3. *diſt.* 23. *q.* 6. *num.* 6. At verò Caietanus *in præſenti quæſt.* 4. *art.* 5. docet, fidem eſſe virtutem intellectus, non tamen virtutem intellectualem: quam diſtinctionem alij communiter reiiciunt, quia hæc ſubſtantiua, & adiectiua idem omnino ſignificant, nec poteſt aliqua eſſe virtus hominis, quin ſit virtus humana: nam *virtus intellectualis* ſignificat ſolùm virtutem pertinentem ad intellectum: ſi ergo fides eſt virtus intellectus, erit pertinens ad intellectum, & per conſequens intellectualis. S. Thom. *dicto art.* 5. dicit, fidem formatam charitate eſſe virtutem, informem verò non eſſe: quia vt actus fidei ſit perfectus duo requiruntur, nempe quod infallibiliter tendat ad verum, quod eſt bonum intellectus, & rurſus quod infallibiliter ordinet hominem ad ſuum finem, ad quem non ordinat infallibiliter fides informis, ſed ſolùm fides charitate formata: quam diſtinctionem impugnat etiam Durandus *loco citato*, quia fides non variatur intrinſecè ex aduentu charitatis, nec ipſe actus ſit melior; ergo ſi antea non erat virtus, nec etiam erit poſtea. Porrò fidem non eſſe virtutem, niſi lato modo, probat Durandus, quia virtus eſt, quæ ponit potentiam in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui: fides autem cùm ſit obſcura, non communicat intellectui vltimum perfectionis, quod non datur ſine claritate, & euidentia: eſt ergo ſolum virtus latè ſumpta, quatenus ſignificat habitum laudabilem inclinantem ad bonum.

18 Alij dicunt, fidem intellectualem eſſe ſimpliciter, & propriè virtutem, ita Capreolus, Molina, & Valentia quos refert, & ſequitur Coninch *diſp.* 16. *dub.* 3. *num.* 27. & Bañes, quem refert, & ſequitur Hurtado *diſp.* 55. §. 5. Addit autem Suarez *n.* 9. fidem intellectualem, provt conditinctam ab habitu piæ affectionis, non eſſe dicendam virtutem ſine addito, ſed virtutem intellectualem, provt loquitur S. Th. 1. 2. *q.* 56. *art.* 3. vbi nullam virtutem ſimpliciter admittit niſi voluntatis, vel vt ſubeſt voluntati, quia hæc ſola tendit ad bonum honeſtum, vt honeſtum, & confert actibus uſum bonum moralem. Fides ergo provt conditincta à voluntate poteſt appellari ſimpliciter virtus intellectualis, non tamen virtus ſimpliciter virtus ſine addito.

19 Tota hæc controuerſia eſt de nomine, quid ſcilicet intelligatur nomine *virtutis*, nam re ipſa nihil negant, vel affirmant diuerſum in habitu fidei hi auctores, ſecluſis vocibus. Omnes enim concedunt hunc habitum non eſſe euidẽtem, ſed obſcurum, atque adeo non afferre intellectui ſummã eius perfectionem: item ſecundùm ſe non habere honeſtatem formalem in ſuis actibus, niſi deriuetur illis à voluntate. Diſſident verò, an id, quod habet, ſufficiat, vt poſſit ſimpliciter appellari virtus, in quo ſicut in aliis controuerſiis vocum, retinendus eſt modus communiter loquendi, iuxta quem illæ ſolæ dici ſolent virtutes ſimpliciter, quæ vel ſunt in voluntate, vel dependent à voluntate; vt dixit S. Thomas, quia virtus ſimpliciter illa appellatur, quæ bonum facit habentem, vt cum Ariſt. 2. *ethic.* c. 6. dixit S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 56. *a.* 3. ſeu eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo malè vtitur, vt dixit idem S. Thomas ibi *q.* 55. *art.* 4. hoc autem non competit ſcientiæ naturali ſecundùm ſe, quia per illã homo nõ viuit rectè, & honeſtè, ſed ad ſummum cognoſcit

cognoscit honestatem, & modum rectè viuendi, cum qua notitia stare potest vita deprauata. Possunt ergo illæ appellari virtutes intellectuales, id est, quibus intellectus disponitur ad bonum suum, quod est cognitio veri. Et in hoc sensu dicendum est contra Durandum, fidem propriè esse virtutem intellectus, seu intellectualem, quia per illam disponitur intellectus ad infallibilem cogniti onem veri reuelati.

20 Nec obstat Durandi fundamentum: supponit enim falsò quod virtus debeat constituere potentiam in optimò sui, nisi sermo sit de optimo in genere: quia quælibet virtus voluntatis disponit eam ad honestatem, quod est optimum voluntatis, & quælibet virtus intellectus disponit eum ad cognitionem veri, quod est optimum intellectus. Si autem sermo sit de optimo in specie, falsum est: non enim quælibet virtus voluntatis affert illi supremum gradum honestatis; hoc namque soli charitati competit, cùm tamen aliæ etiam sint virtutes in voluntate: Nec etiam omnis virtus intellectus affert ei supremum gradum euidentiæ; nam scientia Physica non est in eo euidentiæ gradu, in quo est Mathematica. Ad rationem ergo virtus sufficit, quod infallibiliter attingat bonum suæ potentiæ, quod ex Aristotele colligitur *6. Ethic. cap.* 2. & 3. qui illam aliam conditionem non postulauit. Hoc autem competit fidei, quæ licèt excedatur à scientia in euidentia, excedit tamen illam in supernaturalitate, & maiori infallibilitate, & certitudine, quare potiori ratione meretur appellationem virtutis.

21 Nec etiam obstat, quod idem Aristoteles 7. phys. cap. 3. textu 17. videatur definire virtutem, quod *sit dispositio perfecti ad optimum*; ex quo loco videtur Durandus suam illam definitionem, & regulam accepisse: nam in primis aliqui volunt, Aristotelem ibi non loqui de virtute morali, vel intellectuali, sed de fortitudine, robore, & pulchritudine, vt notauit Coninch vbi suprà n. 23. & explicant Conimbricenses in eum locum, & constat ex ipso contextu, cuius verba iuxta versionem Argyropyli hæc sunt: *Similiter & pulchritudo, & robur ad aliquid sunt: sunt enim dispositiones quædam eius, quod præstantissimum est, ad id, quod est optimum. Atque id præstantissimum dico, quod conseruat, ac circa ipsam naturam disponit*: vbi vides de virtutibus corporis sermonem esse. Adde, in versione facta à Conimbricensibus, omissa esse verba illa, *ad id, quod est optimum*: sic enim legunt: *Similiter pulchritudinem, & robur, & alias virtutes, atque etiam vitia. Vnaqueque enim, & vnumquodque quodammodo ad aliud refertur, & ad proprias affectiones aut bene, aut malè eum, qui eis præditus est, disponit.* Denique si contendas, sermonem ibi fuisse de virtute morali, & intellectuali, facilè id intelligitur de dispositione ad optimum potentiæ in genere, nempe in voluntate ad bonum honestum, & in intellectu ad verum, & cum determinatione ad non declinandum ab eo bono, quatum est ex parte habitus virtuosi: quæ in gradu excellenti reperiuntur in habitu fidei, & meliùs quàm in habitu scientifico naturali, quare cùm omnibus pensatis magis perficiatur intellectus per fidem, quàm per scientiam naturalem non est cur hæc dicatur simpliciter virtus intellectualis, & non illa.

Denique non obstat, quod Aristoteles *6. ethic. cap.* 4. enumerans virtutes intellectuales non meminerit fidei: id enim mirum non est, cùm ipse non agnouerit fidem diuinam supernaturalem cum infallibilitatis excellentia, quam in ea Theologi agnoscunt. Fidem autem humanam meritò inter virtutes non numerauit, cùm sit exposita errori, in quem quantum est de se, potest intellectum inducere, quod potissimùm obstat definitioni virtutis, vt constat.

22 *An fides dicenda sit simpliciter virtus an verò cum addito.*

Restat dubium, an fides dicenda sit simpliciter virtus, an verò solùm cum addito, nempe virtus intellectualis, vel si dicatur virtus sine illo addito, debeat explicari esse virtutem provt subest voluntati: hoc enim sequi videtur ex doctrina S. Thomæ suprà relata, qui nomen virtutis simpliciter solùm tribuit virtutibus, quæ sunt in voluntate, vel provt subsunt voluntati, illæ enim solæ reddunt hominem bonum simpliciter, & rectè viuentem. Aliunde verò appellanda videtur simpliciter virtus, & sine vllo addito: sic enim appellatur à Conciliis, & Patribus, dum dicunt, cum gratia infundi virtutes, fidem, spem, & charitatem: & dum numerãt tres virtutes Theologicas, quarum prima est fides. Nec dicas, fidem appellari virtutem simpliciter intelligẽdo *fidei* nomine non habitum solum intellectualem, sed habitum etiam piæ affectionis, à quo fides habet absolutam & propriã denominationem virtutis absolutè dictæ. Hoc, inquam, non satisfacit, quia fides intellectualis non accipit à pia affectione honestatem virtutis Theologicæ, sed moralis: cùm enim ipse habitus piæ affectionis non sit virtus Theologica, sed moralis, vt videbimus, non poterit constituere fidem intellectualem in eo gradu, & genere virtutis, in quo ipse non est, sed in alio inferiori. Si ergo fides dicitur simpliciter virtus Theologica, dicetur etiam simpliciter virtus.

23 Hoc etiam pertinet ad modum loquendi, & negare non possumus, quod satis communiter fides appelletur virtus sine vllo addito, quare nõ videtur reprehendeudus ille, qui sic loqueretur. Ad hanc enim denominationem virtutis simpliciter non est necessarium, quod sit in voluntate, sed potest etiam ita appellari virtus intellectualis habens ordinem ad voluntatem, cui subest, vt dixit S. Thomas *dicta quæst. 56. art. 3.* Fides autem intellectualis, licèt sit contradicta à pia affectione, & voluntate bona credendi, non tamen præscindit ab ordine ad talem voluntatem bonam imperantem. Diximus enim *suprà disp. 10.* non posse exerceri à nobis assensum fidei diuinæ supernaturalis, nisi imperetur à voluntate bona precedente: ipse ergo habitus fidei intellectualis habet intrinsecè ordinem ad voluntatem honestam præcedentem, à qua imperetur; & hic ordo sufficit, vt secundùm se, & provt condistinctus ab habitu voluntatis, possit appellari simplicitervirtus: si enim ad hanc appellationem sufficit iuxta S. Thomam, quod virtus intellectualis subsit voluntati virtuosæ, & hæc subiectio, & subordinatio est intrinseca ipsi habitui fidei, vt condistincto ab habitu voluntatis; consequens est, vt secundum se possit simpliciter appellari virtus, non sine ordine ad voluntatem, qui tamen ordo non distinguitur ab ipso habitu fidei intellectuali. Vnde dici etiam potest virtus Theologica simpliciter; quia licèt denominetur virtus simpliciter propter ordinem, quem habet ad voluntatem, & Theologica propter ordinem, quem habet ad Deum, vt ad obiectum formale, seu ad diuinam veracitatem: eadem tamen fides habet vtrumque prædicatum intrinsecum: ad virtutem

autem Theologicam hæc duo sola requiruntur, nempe, quod sit virtus, & quod habeat Deum pro obiecto formali: imò non solùm hæc duo reperiuntur in fide quasi concomitanter, sed etiam ideo est virtus, quia respicit Deum, vt obiectum formale: ideo enim habet assensus fidei honestatem obiectiuam, ratione cuius imperari possit, & debeat à voluntate honesta, quia terminatur ad diuinam veracitatem, vt ad motiuum formale: si ergo est virtus, quatenus petit imperium honestum voluntatis, & petit hoc imperium ex eo, quod habet in se honestatem credendi Deo propter eius veracitatem, consequens est, vt ex se habeat esse virtutem Theologicam simpliciter, & sine addito diminuenti.

24 *An habitus infusus à quo elicitur iudicium euidens credibilitatis præcedens piam affectionem, sit virtus?*

Quæri potest de habitu infuso à quo elicitur iudicium euidens credibilitatis præcedens piam affectionem, quem habitum complectitur etiam fides in tota sua vniuersalitate accepta; an ille etiam habitus sit virtus. Ad quod breuiter responderi potest, illum habitum esse virtutem intellectualem. Et quidem Durandus faciliùs id concederet de eo habitu, quàm de illo alio eliciente assensum fidei; quia hic habitus non caret euidentia, quam Durandus requirebat ad virtutem intellectualem: quare ex hoc capite non excludetur à dignitate, & nomine talis virtutis. Non tamen erit virtus denominatiuè à voluntate, cùm non indigeat eius imperio, & ideo non dicetur virtus simpliciter, sed virtus intellectualis, sicut alij habitus euidentes, qui sunt in intellectu.

25 *An habitus infusus, qui est in voluntate ad eliciendum actum piæ affectionis, sit virtus?*

Restat nunc dicere de illo alio habitu infuso, qui est in voluntate ad eliciendum actum piæ affectionis, seu imperium fidei: de quo non est dubium, quod sit virtus simpliciter, cùm habeat obiectum formale honestum, & inclinet ad eliciendum actum honestum supernaturalem, qui tendat formaliter ad honestatem propter ipsam, absque eo quod possit inclinare ad actum inhonestum. Certum etiam est, quod non est virtus Theologica, sed moralis, cùm non habeat Deum pro obiecto formali, nec aliquid diuinum, & increatum, sed honestatem credendi, à qua mouetur ad imperandū, & volendū assensum fidei. Ad quā verò virtutē moralē pertineat, diximus *supr. d.* 10. vbi de voluntate credendi ex professo dictum est.

26 *An hic habitus voluntatis, & ipsa fides ab eo imperata dici debeat virtus simpliciter, quando, non est formata charitate?*

Difficultas communis est, an hic habitus voluntatis, & ipsa etiam fides prout ab eo imperata, dici debeat virtus simpliciter, quādo non est formata charitate, sed informis, & mortua propter statum peccati. Quæ etiam est quæstio de vocibus, in qua S. Thomas *in præsenti dicta quæst.* 4. *art.* 5. vt supra diximus, vult in eo statu non appellari virtutem simpliciter: quod aliis difficile appareat, cùm fides etiam in eo statu imperetur à voluntate simpliciter honesta, & non possit non afferre intellectui bonum suum, nempe verum, & voluntati bonum suum nempe bonum honestum. Sed totum hoc, vt dixi, pertinet ad voces; & modus loquendi S. Thom. defendi potest in sensu Theologico: nam Theologi non æstimant bonum, nisi quod confert per modum meriti ad finem supernaturalem vitæ æternę; Quare cùm fides in eo statu non fructificet ad hunc finem, nec faciat fructus vitæ æternæ propter statum peccati, in quo merita omnia sunt mortua, ipsa fides appellatur mortua; & licet sit essentialiter fides, & retineat essentiam virtutis, non tamen habet statum operandi, quem Christianæ virtutes debent habere: & ideò sicut solemus dicere, amentem non esse hominem, quia non potest exercere actiones humanas, licet habeat essentiam hominis; & sicut religiosus contemnens regulas, dicitur non esse religiosus, quia licèt retineat substantiam obligationis religiosæ, non potest in eo statu operari, vt religiosus: ita fides in eo statu, licèt retineat essentiam virtutis, non tamen dicitur virtus, quia in eo statu non potest operari, & proferre operationes proprias virtutum christianorum, quæ ordinantur ad opera meritoria vitæ æternæ.

Tractari solet hoc loco cum S. Thoma *quæst.* 4. *art.* 7. an fides sit prima virtutum: quod intelligi potest, vel de prioritate in dignitate, & excellentia, vel de prioritate in existentia. De præcedentia in dignitate, & perfectione non egit S. Thom. & certum est fidem cedere charitati iuxta illud Pauli, *maior autem horum est charitas.* Aliis verò virtutibus moralibus doctores communiter præferunt fidem, quia versatur circa Deum, quem colit cultu intellectuali. Difficultas posset esse de Religione, quæ etiam colit Deum: sed videtur perfectiori modo coli Deum per fidem, quam per Religionem, quò nobilior est captiuatio intellectus in obsequium & cultum Dei, quàm occisio animalium, vel cultus alius externus, qui à Religione offerri posset. Denique si fides comparetur cum virtute spei, potest esse dubium, quia vtraque est virtus Theologica, & versatur immediatè circa Deum, vt motiuum, & obiectum formale. Aliqua tamen reperiuntur in fide, in quibus videtur excedere spem, & aliqua è contra inueniuntur in spe, in quibus excedit fidem. De qua comparatione non possumus pro nunc aliquid definire ante exactam cognitionem virtutis spei, in cuius tractatu de hoc dicendum erit. interim videri potest Suarez *disp.* 1. *de spe sect.* 6. *à num.* 4.

DISPVTATIO XVI.

De causa efficienti fidei, & de eius infusione, & augmento.

SECTIO I. *Quæ sit causa efficiens habitus fidei.*

II. *De dispositione requisita ad infusionem habitus fidei, vbi an infundatur aliquando ante gratiam.*

III. *De conseruatione habitus fidei; vbi, an, & quomodo maneat fides informis in peccatore.*

IV. *De incremento, & augmento habitus fidei.*

DIximus de causa materiali, seu subiecto habitus fidei: de causa formali non est quæstio, cùm ipse habitus sit forma informans suum subiectum; sicut nec etiā de causa finali, cùm detur propter operationem & operationem talem, quæ proportionato modo diriget hominem ad alia merita supernaturalia elicienda. Restat dicere de causa efficienti, quæ sit. Vnde consequenter dicendum erit de causa dispositiua, quæ dispositio requiratur, & sufficiat ad infusionē habitus fidei. Deinde, quæ causa,

causa, aut dispositio requiratur ad eius conseruationem, hoc est, an in peccatore fideli conseruari possit. Denique de causa efficienti,& dispositiua requisita ad eius augmentum. Quæ omnia difficultates non leuis momenti ad hanc materiam pertinentes complectuntur.

SECTIO I.

Quæ sit causa efficiens habitus fidei.

1 SVppono, habitus infusos,in quorum numero est habitus fidei,non fieri,vel generari ab actibus: ideo enim sunt habitus per se infusi,& non solùm per accidens,quia ex natura sua petuntnon fieri ab actibus, sicut fiunt habitus acquisiti, sed dantur ad modum, potentiæ, non solùm ad faciliùs, sed ad simpliciter operandum: sine habitu enim infuso, vel sine auxilio actuali intrinseco, vel extrinseco, quod suppleat defectum habitus infusi, non potest fieri actus supernaturalis, & ideo hi habitus infundi dicuntur à solo Deo,quia non acquiruntur à nobis, sicut habitus acquisiti.

Habitus supernaturales ab infundantur à solo Deo immediatè?

Difficultas autem est, an infundantur à solo Deo immediatè,an verò mediante aliqua causa secunda supernaturali:quæ quæstio communis est omnibus habitibus infusis, qui comitantur gratiam habitualem, hoc est, habitui spei, & charitatis,si hæc distinguitur ab ipsa gratia, & habitibus virtutum moralium supernaturalium, si dantur hæ virtutes morales infusæ, provt dari supponunt communiter Theologi in 1. 2. agentes de virtutibus, & videri potest Suarez *tom. 3. de gratia lib.6. cap.9.* vbi tamen contrariam sententiam ab omni nota liberam esse fatetur.

2 *Prima sententia.*

Aliqui ergo volunt, hos habitus infusos procedere à gratia habituali, quæ est quasi natura,& essentia in ordine supernaturali; procedere, inquam, per influxum physicum in genere causæ efficientis, quo gratia generat, & conseruat hos habitus, sicut forma naturalis generat, & conseruat suas potentias, & passiones. Quod exemplum formæ substantialis est præcipuum fundamentum huius sententiæ, quia hoc modo meliùs, & digniùs explicatur connexio harum virtutum cum gratia, & dignitas, ac excellentia ipsius gratiæ, quæ in ordine ad operationes supernaturales præstat in homine iusto id,quod anima præstat in ordine ad operationes naturales, & ideo sicut anima est vita corporis humani, ita gratia est vita, & quasi anima ipsius animæ in ordine ad operationes supernaturales.Ita videtur sentire S. Thom. 1.2.*quæst.* 110. *art.*3.*ad* 3. dum dicit de gratia, quòd *supponitur virtutibus infusis, tanquam earum principium, & radix*: & art.4.ad 1.dicit.*Sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, quæ sunt operum principia, ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ,per quas potentias mouentur ad actus.* Quem modum loquendi imitati sunt Conradus, & Capreolus quos affert, & eam sententiam latè probat,& defendit Granado *in* 1.2.*controuers.*8. *de gratia tractat.*4. *disp.*3. *per totam.*

3 *Secunda sententia, & communis.*

Contraria sententia communis est apud Theologos, & verior quòd gratia non habeat physicum influxum per modum causæ efficientis in eos habitus infusos: quam sequitur Zumel *in* 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. *disp.* 1. *ad* 1. *Confirmationem septimi argumenti*, & cum aliis Suarez *dicto lib.6.de gratia cap.* 13. *num.* 20. qui variis argumentis eam probat, quæ non omnia sunt efficacia. Probari autem potest primò ex principio generali,quod in Philosophia veriùs iudicaui,quòd passiones, & potentiæ naturales non ita promanent ab essentia, vt ab ea per veram & physicam efficientiam fiant: dicuntur quidem ab essentia emanare, & effluere, quia essentia eas exigit, ad cuius exigentiam producuntur à generante, ad quem spectat complere essentiam, quam producit, iuxta illud commune proloquium, *qui dat formam, dare debet omnia, quæ consequuntur ad formam.* Debet enim constituere rem in suo statu connaturali, & completo, sine quo non potest naturaliter existere. Vnde inferebam, non solùm in primo fieri, sed etiam in conseruari, non dari hunc influxum essentiæ in suas passiones. Sicut enim loco generantis(si ipse idem non conseruat essentiam semel productam) succedit alia causa conseruans efficaciter essentiam; ita ad eandem causam spectabit conseruare passiones,seu potentias propter eandem rationem: quia cùm succedat loco generantis, debet succedere in eodem munere respectu omnium, quæ à generante dependebant; & sicut, qui dat formam, debet dare, quæ consequuntur ad formam, ita qui conseruat formam, debet conseruare ea, quæ consequuntur ad formam; quia sicut in fieri, ita & in conseruari essentia exigit suas passiones, & ad eius exigentiam causa conseruans sessentiam,conseruat passiones,vel si deperditæ sunt,restituit,vt in aqua,quæ separata ab igne recuperat suam frigiditatem, quæ emanere dicitur ab aqua, quæ eam exigit, & ob eius exigentiam producitur à Deo, qui est causa conseruatiua aquæ:

Sed quidquid sit de hoc principio Philosophico, probari potest secundò, quod attinet ad habitus infusos,quia etiamsi demus passiones naturales fieri in genere causæ efficientis physicæ ab essentia, id tamen locum habet in iis passionibus, quæ determinatæ ab essentia exiguntur,non in iis, quas indeterminatè, & disiunctim solùm exigit.Sic enim materia prima non potest existere sine aliqua forma substantiali, non tamen exigit hanc,vel illam in particulari,sed disiunctim: idcirco forma non fit à materia, sed à generante. Item Angelus,vel etiam corpus in prima sui productione non potuit existere connaturaliter sine aliquo *vbi* intrinseco, quod etiam consequitur tanquam passio necessaria omne corpus, & omnem substantiam creatam: non tamen exigit determinatè hoc *vbi* in particulari, sed disiunctim: ideo Angelus,vel terra in prima sui productione accepit à Deo primum *vbi*, quod habuit: potuit enim Deus Angelum creare in hoc, vel illo spatio, in cœlo, vel in terra, vel aëre: Item intellectus Angeli exigit connaturaliter aliquas species, ne maneat otiosus, illas tamen iuxta communem Theologorum sententiam non produxit ipse sibi, sed accepit à Deo, vel ab obiectis, quia non exigit has, vel illas determinatè, sed aliquas disiunctim, & sic de aliis similibus. Hoc autem modo videtur se habere gratia habitualis in ordine ad habitus infusos:quamuis enim exigat aliquos, non tamen illos exigit determinatè pro hoc tempore,vt constat de habitu luminis gloriæ, quod non exigit gratia statim ac infunditur homini iusto, alioquin maneret gratia toto tempore huius vitæ in statu violento sine potentia illa, quæ

4

quæ ipsi iam debebatur. Quod idem constat de habitu fidei infuso; potuit enim Deus dare homini iusto in primo instanti lumen gloriæ sine habitu fidei, vt dedit de facto humanitati Christi, & hoc sine vlla violentia, aut miraculo facto contra naturam, & exigentiam gratiæ, quæ quidem ex se non exigit habere lumen gloriæ per merita propria, cùm pueris decedentibus cum Baptismo detur lumen gloriæ sine vllis meritis. Potuit etiam Deus homini viatori iusto non dare habitum fidei, sed scientiam infusam supernaturalem, ex qua posset elicere actus charitatis, & aliarum virtutum infusarum ad promerendam beatitudinem. Quod enim de facto detur habitus fidei, id non prouenit ex determinata exigentia gratiæ, sed ex decreto Dei, qui voluit de facto homines, & Angelos per fidem dirigere ad supernaturalem beatitudinem comparandam. Non ergo procedunt physicè efficienter huiusmodi habitus ab ipsa gratia habituali, quæ ex se indifferens est ad hos, vel illos habitus, sicut Angelus in prima sui productione est indifferens ad hoc, vel illud *vbi*, sed solùm disiunctim exigit aliquos habitus infusos ad operationes supernaturales.

5 Dices primò, licèt gratia non exigat lumen gloriæ pro omni statu, nempe pro statu viæ, exigere tamen illud determinatè pro statu termini, seu extra viam: quod sufficit, vt lumen gloriæ sit propria passio gratiæ, licèt non quarto modo, hoc est, competens omni, & soli, & semper, atque adeò sufficit, vt possit à gratia in tali statu physicè produci. Nam canities etiam non competit homini in omni statu & tempore, sed solùm in senectute; & tamen est proprietas hominis ab eo physicè procedens, & non ab extrinseco. Sed contrà, quia lumen gloriæ non se habet respectu gratiæ, sicut canities respectu hominis: hæc enim habet connexionẽ physicam determinatam cum ipso physico statu, & intrinseco hominis: at verò lumen gloriæ non habet connexionem physicam cum statu physico ipsius gratiæ. Nam status viæ inuoluit decretum extrinsecum Dei volentis decernere tantum, vel tale tempus ad merendum; prout de facto decreuit tantam morulam durationis Angelis pro statu viæ, cùm posset maiorem, vel minorem decernere, & nobis decreuit tempus mortis pro fine vię nostræ, cùm posset ante mortem viam terminare, vel etiam post mortem illam prorogare. Nihil ergo est physicum intrinsecum in ipsa gratia, vel in subiecto illius, à quo physicè determinetur gratia tali tempore ad germinandum, & physicè producendum lumen gloriæ, & per consequens gratia non est causa efficiens physica illius, sed Deus, qui illud infundit, quando vult præmiare iustum: ille enim, qui confert prẽmium, est causa præmij: gratia autem solùm exigit indeterminatè, quòd detur lumen gloriæ in statu extra viam, quandocumque ex Dei decreto extrinseco finita æstimabitur ipsa via.

6 Dices iterùm, licèt gratia non exigat determinatè habitum fidei, vel luminis gloriæ, exigit tamen determinatè, & pro omni statu habitum charitatis, & habitus aliarum virtutum moralium infusarum, quæ semper gratiam comitantur: hi ergo habitus possunt dependere physicè à gratia per dependentiam, & actionem physicam, sicut passiones determinatè fiunt ab essentia. Sed contra hoc est primò, quod melius videtur colligi ex eo, quod habitus fidei, & luminis gloriæ non fiunt à gratia habituali, quod nec etiam habitus charitatis, & alij habitus fiant à gratia, sed à solo Deo. Nam habitus infusi, vt diximus, habẽt se per modum potentiæ, atque ideo habitus fidei vel luminis gloriæ sunt quasi potentiæ intellectiuę in ordine supernaturali, habitus verò charitatis, & alij habitus infusi pertinentes ad voluntatem habent se sicut potentia volitiua in eodem ordine supernaturali: non est autem iuxta rerum naturã, quòd gratia habitualis, quæ est qualis radix, & essentia in ordine supernaturali constituens animã in gradu intellectiuo, & volitiuo excellentiori, nempe supernaturali, possit afferre secum potentias in eodem ordine appetitiuas, & volitiuas, non verò cognoscitiuas, & intellectiuas, sicut si daretur quædam anima, quæ afferret secum potentiam volitiuam, non verò cognoscitiuam. Cùm enim ideo homo sit volitiuus, quia est cognoscitiuus, seu intellectiuus, ab eadem forma debet in vtroque gradu constitui. Quare eadem etiam gratia debet constituere iustum in gradu radicali intellectiui, & volitiui supernaturaliter, & per consequens eadem gratia debet esse prima radix vtrumque potentiarum, nec aliter debet esse radix potentiæ volitiuæ, quàm intellectiuę, atque ideò si potentiam intellectiuam affert solùm exigendo eam à Deo, & hoc pacto facit hominem radicaliter intellectiuum in ordine supernaturali, eodem modo, & non alio debet afferre potentiam volitiuam supernaturalem exigendo illam à Deo, & hoc modo constituere hominem volitiuum radicaliter in eodem ordine supernaturali; de quo argumento dicendum est latiùs *sectione sequenti*.

7 Secundò impugnari potest eadem responsio, quia sicut gratia de se est physicè, & intrinsecè indifferens ad hos vel illos habitus supernaturales pertinentes ad intellectum; ita est indifferens, si res attentè consideretur, ad hos, vel illos habitus supernaturales pertinentes ad voluntatem, & per consequens, si ratione huius indifferentiæ intrinsecæ admittis, habitus fidei, vel luminis gloriæ non fieri efficienter à gratia, ita id debes admittere de habitu charitatis, & illis pertinentibus ad voluntatem; & in primis de habitu spei idem fatendum videtur, cùm hic habitus in patria non remaneat, vt suppono ex communi sententia, & potuisset ab initio gratia esse sine illo, prout contingit in Beatis. Quod etiam de habitu infuso Pœnitentiæ dicent illi, qui volunt eum habitum in patria non remanere. Sed invniuersum de ipsomet habitu charitatis hoc idem probari potest ex iis, quæ dixi *disp. 20. de Incarnatione sect. 1. n. 18. & sequentibus*, nempe actum dilectionis Dei, quem habet Beatus, differre ex diuerso modo attingendi obiectum ab actu dilectionis Dei, quem habet viator, ita vt diuersus etiam charitatis habitus ad eos actus concedendus sit: eo quod volũtas eodem modo attingat suum obiectum, quo ab intellectu proponitur: quare si in via Deus non proponitur clarè, & in se, sed ad modum rei corporeæ; cum eisdem imperfectionibus attingitur à voluntate, & à charitate in via; non potest enim voluntas aliud, vel aliter obiectum profequi, nisi prout ab intellectu proponitur. vnde habitus charitatis, qui potest cum ea perfectione Deum attingere prout est in se, diuersus erit ab eo, qui non potest Deum ita attingere; dicitur tamen verè, quòd charitas semper manet etiam in patria ablatis fide, & spe, quia manet hic, vel alius charitatis habitus perfectior loco huius. Sicut etiam dicitur in triduo perseuerasse vnionem Verbi

bi diuini cum corpore, & anima separatis, licèt iuxta probabiliorem sententiam non permanserit eadē numero vnio hypostatica, qua Verbum anteà vniebatur toti humanitati per vnicam simplicem vnionem hypostaticam, sed successerit duplex vnio, altera spiritualis cum anima, altera materialis cum corpore, semper tamen mansit Verbum vnitum vtrique parti, quod sufficit, vt dicatur semper perseuerasse vnionem Verbi cum partibus, quas assumpsit.

8 Hoc autem idem argumentum cum proportione applicari potest ad alios habitus infusos virtutum moralium, quod scilicet, ij etiam distincti sint in patria, & perfectiores ijs qui erant in via, quia actus etiam earum virtutum in patria, licèt non sint ab habitu intensiori, perfectiùs tamen attingunt sua obiecta, & honestates virtutum, cùm dirigantur à perfectiori notitia proponente perfectiùs eandem honestatem, nempe vel à scientia beata, vel à scientia infusa, quæ immediatè & quidditatiuè repræsentat clarissimè sua obiecta, prout in se sunt, & non per species alienas, & ad modum rerum materialium, prout cognoscuntur in via: quæ diuersitas refundi etiā debet in actus voluntatis, vt in prædicto loco probatum est. Vnde fit, gratiam habitualem, sicut ex se indifferens est ad statum obscuritatis, & mortalitatis qualem nunc habemus, & ad statum claritatis, & immortalitatis, qualem habent Beati, ita esse etiam indifferentem ex se ad hoc; vel illos habitus infusos virtutum moralium, & per consequens neutros fieri efficiēter ad ipsa gratia sed solùm emanare; quatenus fiunt à Deo ad exigentiam ipsius gratiæ exigentis hos, vel illos disiunctim, vt passiones & potentias debitas gratiæ in ordine supernaturali.

9 Tertiò denique principaliter confirmare possumus hanc communem sententiam negantem influxum physicum gratiæ in genere causæ efficientis in habitus infusos ex alia doctrina communi, & certa Theologorum, quòd scilicet post peccatum mortale, quod non sit contra fidem, vel spem, manent in peccatore habitus infusi fidei, & spei. Hi enim habitus, licèt sint passiones gratiæ, manent tamen, vt actus fidei & spei, qui necessarij sunt ad conuersionem, & recuperationem gratiæ, cōnaturalius fiant ab habitu, quàm si fierent ab auxilio actuali intrinseco, vel extrinseco. Quæ ratio congruentiæ deficeret si habitus hi connaturaliter exigerent conseruari ab habitu gratiæ per actionem supernaturalem, & miraculosam in substantia sua, nempe, per actionem solius Dei, quæ esset diuersa ab actione gratiæ, quam ipsi habitus iuxta suam naturam exigunt: quare non esset magis connaturale habitus illos manere sine gratia, quàm actus fidei, & spei fieri ab auxilio sine habitu, cū in vtroque casu ponēdū esset aliquid intrinsecè supernaturale, nō solū quatenus pertinet ad ordinē entium supernaturalium, sed etiam quatenus esset supra ipsū ordinē supernaturalem, & eius exigentiam, & haberet quasi duplicatam supernaturalitatem, imo magis supernaturalis, & supra naturam ordinis supernaturalis esset conseruatio habituum sine gratia, cùm esset aliquid permanens, quàm productio actuum sine habitibus, cùm hæc non esset continua, & permanens, sed pro aliquibus occasionibus: prout latiùs diximus *supra disp. 9. sect. 2.* vbi egimus de supernaturalitate habitus fidei. Cùm ergo Theologi omnes supposuerint, habitum fidei, & spei manere in peccatore, vt actus fiant magis connaturaliter: & cum minori violentia ordinis supernaturalis, dicendum est, eos habitus non petere suā conseruationem fieri ab habitu gratiæ, alioquin eadem, vel maior violentia fieret in conseruatione eorum habituum, quæ non solùm esset supernaturalis quoad modum extrinsecum, quatenus non conseruarentur à Deo ad exigentiam gratiæ, sed esset etiam supernaturalis entitatiuè, & duplici supernaturalitate intrinseca supra exigētiam ipsius ordinis supernaturalis, vt loco citato probatum fuit.

10 *Soluuntur argumenta P. Granado cōtra communem sententiam.*

Nunc videamus breuiter argumenta, quæ affert P. Granado contra hanc communem sententiam. Primò affert S. Thomam *in 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1.* cuius verba supra retulimus, quibus docet, habitus infusos seu virtutes effluere à gratia in potentias animæ, sicut potentiæ effluunt ab essentia animæ, & ideo ab Augustino dici gratiam respectu voluntatis esse sicut est sessor ad equum, & sicut mouens ad motum. Ad hoc autem respondetur ex dictis, hos habitus effluere quidem à gratia, & dimanare ab illa, ad quod sufficit, quòd fiant à generante gratiam, hoc est, à Deo, ad exigentiam ipsius gratiæ, quo etiam modo in mea sententia potentiæ effluunt, & dimanant ab anima. Quamuis autem demus, potentias procedere ab anima, vt à causa efficiente physica, quia non disiunctim, sed determinatè exiguntur ab illa; non est necesse, quòd in hoc etiam teneat exemplum. Nam vt gratia dicatur mouere voluntatem mediis virtutibus, quæ ab ipsa effluunt, quod erat intentum S. Thomæ, sufficit, quod gratia sit radix, à qua emanant tales virtutes, & quæ exigit illas, vt virtutes proprias & quidem determinatè vt tales virtutes sunt, licèt non has numero in indiuiduo. v. g. exigit charitatem infusam determinatè, licèt non exigat hunc habitum charitatis, nec illum determinatè, & ideo dicitur gratia mouere voluntatem mediis virtutibus, quia per virtutes infusas, quas secum necessariò affert, & quæ illi debentur saltem sub ratione virtutum, charitatis, iustitiæ, &c. inclinat voluntatem ad actus supernaturales earundem virtutum.

11 Arguit secundò ratione, quia gratia est prima radix, & quasi essentia in ordine supernaturali, & aliunde non repugnat habitus infusos ab illa efficienter fieri, non enim dicuntur infusi, quia à solo Deo physicè fiunt, sed quia non acquiruntur per actus proprios, sicut habitus acquisiti, hoc autem modo meliùs intelligitur dignitas gratiæ habitualis, & eius connexio cum virtutibus infusis: sic ergo dicendum est. Ad hæc omnia iam ex dictis constat responsio: vidimus enim sine hac efficientia physica gratiam intelligi primam radicem, & quasi essentiam in ordine supernaturali: & animam etiam esse posse radicem suarum potentiarum naturalium sine tali efficientia: & saltem eam non esse ponendam, vbi passiones aliquæ non determinatè exiguntur ab essentia, sed disiunctim. Denique vidimus inconuenientia, quæ ex tali efficientia sequerentur, vt constat, ex iis, quæ in probationem communis sententiæ allata sunt.

Sect. II.

SECTIO II.

De dispositione requisita ad infusionem habitus fidei: vbi, an infundatur aliquando ante gratiam.

12 POst causam efficientem physicam sequitur dicere de dispositione requisita ad infusionē habitus fidei, de qua est controuersia inter Theologos, an sit sola fides actualis, an verò contritio, vel attritio, quæ disponit proximè extra, vel intrà sacramentum ad infusionem gratiæ habitualis; Quod est idem ac quærere, an quando infidelis conuertitur ad fidem, infundatur ei habitus fidei statim ac credit; an verò non tunc, sed quando recipit gratiam habitualem, præcedente contritione perfecta, vel attritione cum sacramento. De paruulis enim non est difficultas; hi enim simul accipiunt in baptismo omnes habitus. De adultis est ratio dubitandi, quia adultus priùs tempore credit, quàm iustificetur per contritionem, vel sacramentum; dubitatur ergo an quando primùm credit, accipiat habitum fidei, an verò quando iustificatur. Eadem difficultas est de illo, qui amisit fidem per hæresim; an recuperet habitum fidei cùm primum credit antequam iustificetur.

13 Tres sunt in hac controuersia potissimæ sententiæ. Prima affirmat, habitum fidei infundi sæpe sine habitu gratiæ, ita P. Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 3. & *in præsenti disput.* 7. *sect.* 5. *num.* 6. Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 203. *num.* 117. Salas 2. *tom. in* 1. 2. *tract.* 11. *disput.* 5 *sect.* 3. Valentia *infrà quæst.* 6. *puncto* 2. discedens ab eo quod dixerat 2. *tom. disp.* 8. *quæst.* 2. *puncto* 2. & alij, quos refert, & sequitur Turtianus *in præsenti disp.* 41. *dub.* 9. & eandem tenet Coninch *in præsenti disp.* 16. *in fine* & *suprà disp.* 6. *dub.* 4. Granado *in præsenti tract.* 13. *disp.* 5. *num.* 9. & Hurtado *disp.* 56. §. 7. *& sequentibus.* Præcipuum fundamentum sumitur ex eo, quòd habitus fidei conseruatur sine charitate, nisi obstet infidelitas, ergo poterit etiam sine charitate introduci in homine iam credente.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Secunda sententia concedit, licèt non infundatur extra Sacramentū infundi tamen fidem in Baptismo in homine dispositio per fidem actualem, habente tamen obicem ad habitum gratiæ; ita Sotus 1. *de natura, & gratia, cap.* 8. & Aragonius hîc *quæst.* 6. *art.* 1. *ad vltimum*, & quidam alij; quia cùm baptismus sit sacramentum fidei, habebit eum saltem effectum gratiæ iustificantis.

14 Tertia sententia negat, vnquam infundi habitum fidei absque habitu gratiæ. Hæc planè videtur communis apud antiquos Theologos. S. Th. 1. 2. *quæst.* 62. *art.* 4. vbi docet, licèt inter actus fidei, spei, & charitatis detur prioritas, non tamen inter habitus. Item *in* 3. *disput.* 23. *quæst.* 2. *art.* 5. *in corpore*, & 3. *part. quæst.* 85. *art.* 5. Bonauentura *in* 3. *d.* 23. *in expositione contextus dub.* 6. *& in* 4. *d.* 14. 1. *part. distinct. art.* 2. *quæst.* 3. Durand. 3. *d. citata quæst.* 6. Richard. *art.* 5. *&* 6. *quæst.* 3. Ocamus *d.* 25. Scotus *d.* 36. *in fin.* Gabr. *quæst.* 1. *art.* 2. Almainus *tract.* 2. *moralium cap.* 2. Vega *lib.* 7. *in Tridentinum cap.* 28. Aragon. *in præsenti quæst.* 6. *art.* 1. *in fin.* Albertus *in* 2. *d.* 26. *art.* 9. *in fine*, & in eam inclinat Malderus hîc *q.* 4. *art.* 7. & latiùs *q.* 5. *art.* 4. & Suarez hîc *disp.* 7. *sect.* 3. *num.* 4. fatetur esse probabilem, quos sequuntur aliqui docti Recentiores, & mihi videtur etiam probabilior.

Tertia sententia, communis.

Probatur primò, quia baptismus de se habet efficaciam ad infundendū habitum fidei, & aliarum virtutum, vt iuxta probabiliorem, & communiorem sententiam decernit Pontifex *in Clem. vnica de summa Trinitate* de baptismo paruulorum, supponens illud, vt certū de baptismo adultorum, vt vidimus *suprà disp.* 9. & quamuis ibi solùm loquatur de virtutibus, & non expresè de habitu fidei, certum tamen est, comprehendi ibi fidem, vt constat ex *cap. maiores*, de baptismo, vbi relata eadem controuersia exprimitur fides, & de ea quæritur, an sicut infūditur in baptismo adultorum, infundatur paruulis. Certum ergo est, baptismum per se habere efficaciam infundendi fidem adultis; nam ex efficacia baptismi quæ eadem est in adultis, & paruulis, probat Pontifex infundi etiam fidem paruulis. Quòd si habitus fidei infunderetur, quando primum adultus credit; nō infunderetur per se fides in baptismo, sed valde per accidēs, & in casu rarissimo, qui fortè nunquam cōtingeret: nam baptismus per se exigit in adulto, quòd priùs credat, quàm accedat ad illud & ideo iubetur priùs cathechizari, & profiteri fidem iuxta præceptum Christi, *docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. & qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* vbi priùs exigitur actualis fides, quàm homo baptizetur; si ergo priùs *credidit*, priùs etiam per se habuit fidei *habitum*, ergo nunquam accipit illum in baptismo, nam vel illum habet ante baptismum, vel si non habet ex defectu fidei actualis, neque etiam in baptismo illum accipiet ob eundem defectum, nisi fingas illum hominem tunc primum credere quando profertur vltima syllaba formæ sacramenti, qui casus esset valde per accidens & chimericus; nec sufficeret, vt Pontifex supponeret vt certū adultos in baptismo accipere habitum fidei. Confirmari potest ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. dicente catechumenum postulare fidem ab ecclesia, vbi loqui videtur de habitu, nam actum iam habet, ergo non habebat habitum ante iustificationem. 15

Dices, Baptismum habere de se efficaciam ad conferendum habitum fidei quoad primam infusionem, vel quoad augmentum; nam licèt ante Baptismum sit iam habitus fidei in homine; augetur tamen per virtutem Baptismi. Sed cōtra, quia in primis *in prædicta Clement.* Sermo videtur esse de efficacia Baptismi ad infundēdam primam fidem determinatè. Alioquin non augeretur benè ab efficacia, quam Baptismus habet in adultis, ad efficaciam eiusdem Baptismi ad infundendam paruulis primam fidem, non enim valet benè hoc Sacramentum habet vim augendi gratiam, ergo habet vim causandi primam gratiam, vt constat in Eucharistia, quæ per se habet vim augendi gratiam, & tamen non habet vim per se causandi primam gratiam: imò nec per accidens, vt dixi in materia de Eucharistia, ergo vt Pontifex ex efficacia Baptismi circa adultos ptobet efficaciam eiusdem ad causandam per se primam fidem in paruulis, debet supponere Baptismum per se habere efficaciam ad causandam primam fidem etiam in adultis, & non solùm eius augmentum. 16

Deinde neque augmentum fidei causaret Baptismus semper in adulto, si præcederet habitus fi- 17

dei

dei infusus sine charitate; quia sæpè accideret, dispositionem ad fidem fuisse intensiorem, quam dispositionem, quæ postea ponitur ad gratiam, & per consequens habitum fidei infusum fuisse intensiorem, quàm postea infundatur charitas: quare cùm fides, & aliæ virtutes solùm augeantur, quando infunditur charitas, propter connexionem, quam habent cum charitate, & iuxta mensuram illius, non augeretur fides in eo casu, cùm iam supponeretur excedens mẽsuram charitatis.

Ex quo probari potest secundò conclusio, quia si fidei habitus infunditur sine charitate, eo quod actus fidei sit sufficiens dispositio per te ad habitum, ergo etiam ante charitatem augebitur habitus fidei, quoties repetitur fidei actus; imò non solùm quoties datur actus fidei intensior, sed remissus, sicut charitas etiam augetur per actus remissos, vt suppono, ergo continget sæpissimè aliquem habere fidem valdè intensam, & charitatem remissam, quod licèt aliqui concedant, videtur tamen esse contra naturam habituum infusorum, in quibus quantum fieri possit seruanda est æqualitas, & vniformitas cum mensura gratiæ sanctificantis. Ratio autem à priori est ex supradictis, quia fidei habitus est passio gratiæ, quare non debet sine ipsa poni nisi vbi ratio specialis, vel auctoritas id exigat, quæ in præsenti non est.

18 Restat soluere fundamentum primæ sententiæ sumptum, ex eo quod fides conseruetur sine charitate; ex quo videtur posse etiam sine charitate infundi. Respondent aliqui, actum fidei non esse sufficientem dispositionem ad infusionem habitus, quia per actum fidei solum non tollitur peccatum incredulitatis; cùm autem fidei habitus expellatur per peccatum incredulitatis, non potest recuperari, donec tollatur illud peccatum, quod non fit ante iustificationem. Hæc solutio, licèt in aliquo casu locum habeat, quando scilicet præcessit peccatum infidelitatis; non tamen in aliis, in quibus ante actum fidei, licèt præcesserint alia peccata; non tamen præcessit peccatum infidelitatis propter ignorantiam inuincibilem fidei, quam potuerunt habere; ergo in illis sufficeret fidei actus ante iustificationem, vt disponerentur ad habitum fidei. *Solutur fundamentum primæ sententiæ.*

19 Ad argumentum ergo taliter respondeo, minus requiri ad conseruandum habitum fidei, quàm ad eius introductionem; nam, vt ille dixit, *turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes*: alioquin sicut ad conseruandum habitum fidei sufficit carentia infidelitatis etiam sine actu fidei; sufficeret hæc eadem carentia infidelitatis culpabilis ad introducendum habitum fidei sine vllo actu, quod nemo concedet. Quam responsionem approbat Suarez *dicta disp. 7 sect. 3. num. 4* & addit congruentiam, quia Deus non dat salutem dimidiatam: sed integram simul: punit tamen pœna dimidiata, nec aufert omnia simul. Dices, habitum fidei non conseruari ob carentiam infidelitatis, sed ob actum fidei præteritum, qui moraliter perseuerat, dum non retractatur. Sed contra, quia pono habitum fidei intensum meritoriè propter actus charitatis, vel misericordiæ olim elicitos: hæc intensio fidei perseuerat in peccatore, non propter illos actus charitatis, vel misericordiæ moraliter perseuerantes: nam hi omnes potuerunt omnino retractari per actus contrarios, & adhuc perseuerare habitus fidei intensus, ergo minus requiritur ad conseruationem, quàm ad eius introductionem.

Concedimus ergo in prima infusione Deum exigere eandem dispositionem ad infundendum habitum charitatis, & fidei, atque adeo dispositionem requisitam ad conseruandum habitum charitatis, debuisse ex natura rei exigi ad conseruandum habitum fidei: de facto tamen Deus noluit perdi habitum fidei, nisi propter peccatum infidelitatis ob rationem explicandam *sect. seq.*

20 Obiiciunt secundò aliqui, quia hæreticus conuersus ad fidem, licèt nondum sit iustificatus, iam tamen dicitur, & est simpliciter fidelis; ergo sicut alij peccatores, quia in statu peccati dicuntur, & sunt fideles, retinent habitum fidei, sic etiam concedi debet quod ille hæreticus conuersus ad fidem habeat in se habitum fidei, antequam iustificetur. *Obiectio 2.*

Hoc argumentum probaret etiam, quod peccator, qui priùs habebat omnes virtutes morales infusas, & amisit gratiam ob peccatum iniustitiæ, retinere debeat habitum temperantiæ, vel castitatis; suppono enim, & priùs & postea eum esse valde affectum ad castitatem, atque adeo posse simpliciter appellari castum, sicut antea. Non ergo sufficit esse, & denominari castum, vt retineat habitum infusum castitatis: nec esse, & denominari fidelem, vt habeat habitum infusum fidei; nec ideo solùm retinetur à peccatore, quia ille adhuc est fidelis, sed ob alias rationes, de quibus postea dicemus.

21 Obiiciunt tertiò Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* vbi dicit fidem, nisi ad eam spes, & charitas accedant, neque vnire perfectè cum Christo, nec corporis eius viuum membrum efficere. Supponit ergo adultum, de cuius iustificatione per Baptismum ibi loquitur, posse priùs accipere fidem, quam charitatem, atque ideo posse manere cum sola fide; id enim significat, dum dicit, quod nisi accedat charitas, fides sola non facit perfectam vnionem cum Christo: qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse. *Obiectio 3.*

Respondeo, verbum *accedere* ibi non significare successionem temporis, nam ibi præmittit Concilium, hæc omnia simul infundi in iustificatione, fidem, spem, & charitatem. Solùm ergo significat ordinem naturæ, nam sicut intellectus est prima potentia cui accedit voluntas, & non è contra: sic fides est in ordine supernaturali prima quasi potentia, cui accedunt spes, & charitas quæ pertinent ad voluntatem, dicit autem Concilium non fieri perfectam vnionem cum Christo per fidem solam, quia si ea sola in iustificatione daretur, vt hæretici volebant, non esset homo membrum viuum Christi, quia fides sine operibus mortua est, vt constat in peccatoribus, in quibus fides manet absque charitate, sed mortua & otiosa: non dicit ergo Concilium, quod in iustificatione datur fides sine, aut priùs tempore charitate; sed quod datur simul, quia si daretur sine charitate, esset mortua, vt est in peccatore retinente fidem solam absque charitate.

22 Dices, in peccatore manet habitus fidei, vt connaturaliter eliciat actus, quibus se disponat ad conuersionem: cur ergo non dabitur de nouo habitus fidei peccatori credenti, vt connaturaliter etiam credat, & disponatur ad perfectam conuersionem? Respondeo, si hæc ratio valeret, deberet etiam dari habitus ante primum actum fidei, vt connaturaliùs illum eliceret; quod tamen ad uersarij plerumque negant. Dicẽdum ergo est, Deum

nolle infundere hæc dona habitualia homini, nisi ipse priùs disponat se ad eorum receptionem: hæc autem dispositio ea esse debet, quam homo ex se ponere potest; quare ante contritionem, seu dilectionem Dei super omnia, (qui actus excellentissimus est inter eos, qui ab homine exigi possunt) non infunduntur habitus, nisi ad exigentiam gratiæ sanctificantis collatæ in sacramento, sed interim supplet Deus per auxilium, quod habitus præstaret, vt homo possit credere, & disponi ad perfectam conuersionem, per quam disponatur sufficienter ad receptionem habituum. Ex quo etiam obiter constat contra secundam sententiam, nec in baptismo infundi fidem sine charte, quia non ponitur sufficiens dispositio ad vnum habitum nisi ponatur ad omnes: nec vllum fundamentum apparet in scriptura, vel conciliis ad concedendam illam efficaciam baptismi dimidiatam in tali casu.

23 *Obiectio 4.* Quartò, opponitur contra nostram sententiam S. Thomas *infrà q. 6. art. 2. ad 3.* vbi supponit, fidem donari à Deo sine charitate: qui locus videtur expressus aduersarijs pro sua sententia. Cæterùm de mente S. Thomæ iam vidimus supra, quoties exprimat nostram conclusionem. Neque in prædicto loco contrarium docet: nam ibi solum loquitur de fide actuali, vt ostendunt illa verba *per hunc*, inquit, *modum datur aliquando homini à Deo, quod credat*: credere enim non significat habitum, sed actum. Deinde S. Thomas loquitur de fide, per quam cessat homo à culpa non habituali sed actuali infidelitatis, *quia non remouetur*, inquit, *culpa præcedentis infidelitatis, sed sanatur secundum quid, vt scilicet cesset à tali peccato.* A peccato autem non cessat formaliter per habitum, sed per actum fidei, ergo ibi S. doctor præcisè loquitur de actu fidei, qui sæpè datur à Deo sine charitate.

24 *Obiectio 5.* Quintò, opponitur Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. sub initium, vbi ait: *in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum.* Posset etiam adduci lib. 3. de Trinitate cap. 2. vbi de fide loquens, *fides*, inquit, *quam qui habent, fideles vocantur & qui non habent infideles.* Cùm ergo peccator, qui iam credit, fidelis simpliciter sit; semper iudicat Augustinus eum habere habitum fidei. Cæterùm ipsemet Granado, qui contrariam sententiam tuetur, *loco supra citato* fatetur ingenuè *num. 9.* hæc loca, & alia similia ex lib. de fide, & operibus quæ affert Bañes *infrà q. 6. art. 2.* in dubio de hac re, non multum vrgere. Et meritò, quia hæc omnia intelligi possunt de fide actuali, quæ, vt diximus, sufficit, vt aliquis dicatur simpliciter fidelis propter voluntatem habitualem credendi non reuocatam in qua permanet.

25 Contra fundamentum præcipuum huius doctrinæ sentiunt aliqui, qui non admittunt, quod gratia habitualis sit prima radix omnium habituum infusorum, etiam fidei, & spei, imò è contra censent, iuxta naturam horum habituum esse, quod præcedant infusionem gratiæ, quibus fauere videtur Suarez *lib. 6. de gratia cap. 13. circa finem*, Luisius Turrianus *disp. 41. de fide dub. 9.* quia nullo ratio adducitur ad probandam talem connexionem ex natura rei habitus fidei cum habitu gratiæ.

Cæterùm nostra doctrina est S. Thomæ 1. 2. *q. 110. ar. 3. & 4.* Vbi expressè loquitur de habitibus infusis intellectus, & voluntatis, & vtrosque dicit oriri à gratia habituali, vt à primæ radice, imo ipse Suarez loco citato tandem *n. 19.* concedit, quando adest habitualis gratia ab ipsa conseruari habitum fidei. Eandem sententiam docet Iacobus Granado *in 1. 2. controuersia 4. de habitibus in communi disp. 4. num. 3. & controuersia 8. de gratia tract. 4. disp. 3.* Valentia *2. tomo disput. 8. de gratia q. 2. puncto 2. in solutione primi argumenti.* vbi ait, Deum permittere de facto perturbationem ordinis debiti inter habitus gratiæ, & fidei propter alias rationes suæ prouidentiæ. Denique P. Vasquez *1. tom. in 3. par. disp. 41. cap. 5. num. 27.* apertè fatetur, si habitus gratiæ, & charitatis distinguantur, quod ipse probabile esse docuerat, habitum gratiæ habere se per modum essentiæ, & radicis, à qua dimanet habitus charitatis, & ideo ponendam fuisse in Christo gratiam habitualem accidentalem, vt in eo esset connaturalis radix operationum supernaturalium, quæ est gratia habitualis.

Habet autem hæc doctrina communis magnique ponderis fundamenta, nec leuiter introducta est, vt aliqui minùs cautè dixerunt. Fundatur enim in ipsa essentia gratiæ habitualis, quæ quidem ideo est forma iustificans, & faciens filium adoptiuum, ac consortem diuinæ naturæ, ad quam consequuntur potentia, & operationes supernaturales, sicut ad animam rationalem consequuntur potentiæ, & operationes humanæ: ex hoc autem conceptu gratiæ habitualis, manifestè sequitur quod sicut habitus infusi aliarum virtutum, sic etiam habitus fidei debeat ex ipsa gratia dimanare: sequela probatur primo quia non potest esse natura aliqua principium volendi, aut appetendi, quæ eadem non sit *principium* intelligendi, aut cognoscendi: si ergo gratia in ordine supernaturali est prima natura, & est radix habituum, qui sunt in voluntate ad amandum, & volendum honestum; eadem gratia debet esse principium cognoscendi in eodem ordine, ac per consequens habitus fidei infusi, qui est quasi potentia intellectiua in ordine supernaturali. 26 *Primum fundamentum.*

Confirmatur, quia in patria loco fidei, quæ auferetur, subrogatur habitus luminis gloriæ ad videndum clarè Deum: illius autem habitus gratia ipsa est radix, quæ ideo dicitur semen gloriæ, vt constat apud omnes, sicut & aliorum omnium habituum, quibus beati cognoscunt clarè obiecta supernaturalia, & totius scientiæ infusæ, quam habent; ergo in via eadem gratia ex natura sua est prima radix habituum, quibus in hoc statu vtimur ad cognitiones supernaturales: si enim semel conceditur gratiam esse naturam & radicem, non solùm ad amandum, sed etiam ad cognoscendum; fatendum est, eam semper exigere aliqua principia proxima ad cognitiones supernaturales: alioquin in via manca erit illa natura, cùm non exerceat suum munus in ordine ad operationes cognoscendi, sed solùm in ordine ad operationes amandi.

27 Secundò, Probatur eadem sequela, quia si habitus fidei iuxta suam naturam ponitur absque gratia habituali, deberet vtique in eo statu habere secum alios habitus infusos in voluntate: hoc enim cõmune est apud Philosophos, omne principium cognoscitiuum connaturaliter loquendo esse appetitiuum illius boni, quod cognoscit, ergo eo ipso, quod Deus eleuat hominem ad gradum cognoscitiuum in ordine supernaturali, debet eodem modo illum eleuare ad gradum volitiuum;

tiuum : quare si eleuatur homo per habitum infusum ad cognoscendum, debet ex natura rei eleuari per habitum infusum ad amandum; repugnat enim alicui dari connaturaliter potentiam intellectiuam, quæ non afferat secum potentiam etiam volitiuam in eodem ordine. Repugnat ergo, quod habitus fidei iuxta suam naturam ponatur in aliquo subiecto, & non afferat ex natura sua secum potentiam aliquam volitiuam eiusdem ordinis. Nec sufficit, quod Deus eleuet per auxilia, & det concursum ad volitiones supernaturales: sicut non satisfieret exigentiæ intellectus naturalis offerendo solum concursum, & supplendo per aliquid extrinsecum, vel intrinsecum defectum potentiæ volitiuæ, sed debet dari potentia volitiua intrinseca eiusdem ordinis, & rationis cum potentia intellectiua, quæ datur.

28 *Secundum fundamentum.*

Secundum fundamentum principale doctrinæ communis, quam tuemur, desumitur ab exemplo aliorum habituum virtutum moralium infusarum, quos Theologi communiter fatentur venire & abire simul cum gratia habituali, quod & ipsi auctores illius contrariæ sententiæ fatentur. Si enim habitus fidei, & spei non oriuntur ex gratia, non potest reddi ratio verisimilis, cur alij habitus oriantur: maior quippe connexio videtur esse fidei cum habitibus voluntatis quàm vnius habitus voluntatis cum aliis: si potest ergo manere fides ex natura sua absque potentia volitiua supernaturali eius obiecti, quod per fidem proponitur; cur non poterit manere habitus temperantiæ absque charitate. Rursus si habitus spei, qui pertinet ad voluntatem potest ex natura sua manere absque aliis habitibus voluntatis, cur habitus temperatiæ non poterit ex natura sua manere absque charitate. Reddenda est ergo ratio vniuersalis desumpta ex connexione habituum cum gratia tãquam cum prima radice, alioquin non restat fundamentum ad dicendum, quod habitus infusi aliarum virtutum moralium non maneant de facto in peccatore absque habitu gratiæ, & charitis. Vnde minùs satisfacies, si dicas ideo auferri omnes virtutes morales cum gratia, quia illæ omnes identificantur cum ipsa gratia, sicut & charitas; solámque fidem, & spem distingui à gratia, & ideo manere in peccatore. Hoc inquam, non satisfacit; tum quia est contra communem Theologorum sensum, quia licèt aliqui charitatem dicant non distingui à gratia, de aliis tamen virtutibus supponunt pro certo distingui : tum etiam, quia restat eadem vel maior difficultas, cur, aut quomodo possit gratia per suam entitatem esse principium proximum omnium actuum voluntatis supernaturalium : & indigeat principio distincto ad eliciendos actus intellectus, cùm hi tã immediatè respiciant principium radicale, quàm actus volendi. Sicut si diceres, animam identificari cum voluntate sua, non verò cum intellectu. Adde, quod vt dicebamus, actus spei sunt actus veluntatis, & tamen ad eos non sufficeret gratia sine habitu distincto; cùm ergo magis connexi sint inter se actus spei cũ actu dilectionis quàm actus temperantiæ cum actu restitutionis, quomodo potest intelligi, quod gratia sit per suam entitatem præcipium proximum omnium actuũ voluntatis in qualibet materia etiam disparata, & solus actus sperandi non possit ab ea virtute appetitiua elici; sicut si poneres animam posse per suam substantiam elicere omnes actus appetitus præter actum sperandi, ad quem indigeat

potentia distincta. Rursus consequenter dici deberet, ad actus etiam piæ affectionis ad credendum, requiri habitum distinctum à gratia. Vnde sequeretur aliud mirabilius, quod scilicet illud principium, nempe gratia, quod sufficeret se solo ad omnes actus cultus Dei, & aliarum virtutum, non sufficeret ad volendum cultum Dei, qui tribuitur per fidem: cùm tamen multo minus distent inter se actus religionis, quo volumus reuereri excellentiã Dei exteriùs, & quo volumus reuereri veracitatem Dei per fidẽ intellectualem, quàm actus religionis, & actus eutrapeliæ: ad quos sufficeret idem principiũ gratiæ, absque alio habitu.

Tertium fundamentum.

Denique fundatur prædicta communis sententia in ratione supra insinuata; quia scilicet, si habitus fidei non sit passio debita gratiæ, non apparet ratio, cur potiùs detur habitus fidei, quam auxilium actuale transiens ad actus fidei, sicut aqua in baptismo, licèt concedatur causare physicè gratiam, non eleuatur per qualitatem permanentem, sed per auxilium, vel qualitatem transeuntem. Fatendum ergo est, habitum fidei dari ad exigentiam gratiæ, & ideo esse potentiam permanentem, sicut & ipsa gratia, cuius potentia est etiam permanens.

29 *Obiectio. 1.*

Obiiciunt primò, quod frustra ponimus miracula nqua, quando manent fides, & spes in peccatore, absque vlla necessitate, cùm possit id fieri iuxta naturam eorum habituum. Respondeo, in primis nos nunquam dixisse id esse miraculum; imo esset miraculum, si non manerent, cum esset contra legem vniuersalem statutam à Deo, quæ tamen lex iustas ob causas fuit contra exigentiam connaturalem ipsorum habituum, quod non dici absque necessitate, aut fundamento, constat ex dictis.

Obiectio 2.

Vrgent secundò, quia in ordine ipso supernaturali possunt esse & de facto sunt aliqui actus, qui non exigunt procedere ex gratia habituali: ergo potest esse aliquis habitus infusus, qui non petat procedere ex gratia. Antecedens probatur, quia primus actus fidei, vel contritionis in peccatore, cum non supponat habitum, procedit à solo auxilio per se ipsum, atque ideo ille idem actus non posset procedere ex habitu, ergo ille actus ex natura sua non exigit gratiam habitualem in subiecto.

Respondeo, transeat, esse possibilem eiusmodi actum, & habitum : negamus tamen, habitum fidei, qui datur de facto, esse talem. Primò quia ille habitus esset magis supernaturalis in sua substantia, facilius autem est admittere supernaturalitatem quoad modum, in hoc, quod habitus ponatur, & conseruetur, quando non debebat, quàm ponere illam substantiam fidei adeo supernaturalem; omnis enim habitus infusus connaturaliter loquendo debet esse passio alicuius primæ radicis in ordine supernaturali, quæ est sola gratia : nec potest esse potentia proxima ad operandum, quæ non supponat principium radicale. Secundò, quia habitus fidei de facto est talis, vt quando adest gratia, respiciat illam, tanquam passio, & potentia illius : alioquin gratia, quæ de se est prima radix in ordine supernaturali, vt diximus, deberet habere alium habitum cognoscitiuum, qui esset passio, & potentia ipsius, vel maneret in statu violento absque potentia sibi debita. Tereiò si daretur ille habitus fidei de facto, adhuc manerent eadem inconuenientia: quia habitus fidei, cùm sit potentia cognoscitiua, vt

vidimus, deberet semper afferre secum potentiam volitiuam eiusdem ordinis, hoc est habitus voluntatis, quos cum de facto fides non habeat secum in peccatore adhuc fatendum esset id fieri contra exigentiam, & naturam habituum.

30 *Obiectio 3.* Arguunt tertiò, quia gratia habitualis prærequirit aliquam dispositionem in subiecto; ergo gratia non est prima radix in ordine ad omnes operationes supernaturales. Respondeo retorquendo argumentum, si gratia exigit aliquam dispositionem præuiam, & ideo datur priùs habitus fidei, vt illam operationem eliciat; ergo cùm non solum actus fidei sit dispositio ad gratiam, sed etiam actus attritionis, & aliarum virtutum, debent etiam alij habitus infundi ante gratiam propter eandem rationem. Dicimus ergo, gratiam ex natura sua non exigere aliquam dispositionem in subiecto: Deus tamen rationabiliter eam exigit in adultis inuertendo aliquantulum ordinem connaturalem actuum & habituum, vt creatura rationalis voluntariè suscipiat dona ipsius Dei.

31 *Obiectio 4.* Arguunt quartò, si fides & spes ex natura sua dependent à gratia, cur magis manent hi habitus in peccatore, quàm habitus aliarum virtutum? Respondeo, hoc argumentum vrgere etiam cõtra ipsos: quia si fides, & spes ex natura sua non pendent à gratia, cur alij habitus virtutum moralium, maximè pœnitẽtiæ, & aliarum, quæ possunt deseruire ad conuersionem peccatoris non sunt dati tales, vt non penderent ex natura sua à gratia, sed posset manere sine illa? omnes ergo debemus reddere eandem rationem differentiæ; quam quidem infrà hac eadem disputatione reddemus.

32 Ex dictis autem inferri videtur, non solùm de facto fidem habitualem non esse ex natura sua separabilem, aut independentem ab habitu gratiæ, sed nec etiam posse dari talem habitum merum fidei infusum: quia eo ipso, vt vidimus, exigeret habitus infusos voluntatis, cùm omnis potentia cognoscitiua eo ipso exigat potentiam appetitiuam eiusdem ordinis. Tunc autem ille habitus fidei exigeret habitus infusos voluntatis tanquam prima radix eorum, cùm ex natura sua non supponeret gratiam habitualem, nec aliam primam radicem sui, vel eorum habituum: haberet ergo se in ordine ad eos habitus, sicut non se habet gratia habitualis, & per consequens non maneret iam intra terminos meri habitus fidei, sed esset alia qualitas nobilior per modum primæ radicis in ordine supernaturali, & constituens hominem in statu supernaturali per modum essentiæ, quæ esset longè maior perfectio, quàm ea, quam de facto habet habitus merus fidei infusæ.

33 *Duo aduertenda pro cõplemento huius quæstionis.* Denique pro complemento huius quæstionis duo aduertenda sunt. Primum est, in sententia contraria, quæ etiam probabilis est, non debere concedi, provt aliqui videntur concedere, quòd habitus fidei sit dispositio ex natura rei prærequisita ad infusionem gratiæ habitualis, ita vt ex natura rei consequatur gratia, sicut forma ignis consequitur dispositiones in materia præcedentes. Hoc, inquam, dici non debet, quia infusio gratiæ habitualis debet esse gratuita, quod non esset in eo casu: nam habitus fidei non disponit hominem adultum ad gratiam iustificationis, nisi mediis actibus spei, & dilectionis Dei, ad quos mouet, & dirigit fides: ij autem actus, licèt disponant de congruo ad impetrandam gratiam iustificationis, non tamen de condigno, nec eam exigunt, nisi mediante misericordia Dei, qui gratis omnino, & ad nullius dispositionis præcedentis exigentiã eam confert: non potest ergo fides esse dispositio ex natura rei ad gratiã, sicut dispositiones naturales exigunt formã ignis, sed solùm ex diuina ordinatione de facto debent præcedere actus fidei, & dilectionis ad remissionẽ peccatorũ.

Secundum aduertendum est in eadem sententia, quando dicitur actum fidei esse dispositionem vltimam, qua posita, statim infunditur habitus, non debere id intelligi de actu fidei, provt est assensus intellectualis, sed de voluntate piæ affectionis imperante assensum fidei: cùm enim tota moralitas, & honestas, ac valor per modum meriti congrui, qui est in actu fidei, deriuetur à voluntate piæ affectionis, quæ sola est libera, & honesta libertate, & honestate formali; non est necesse ad infusionem habitus expectare ipsum assensum intellectualem, qui est quasi actus externus, & in se ipso necessarius ortus ex illa voluntate, sed posita pia affectione, & imperio efficaci ex parte voluntatis, statim pro posteriori naturæ infundetur habitus fidei, à quo rursus pro signo posteriori elicietur assensus fidei intellectualis; itaque licèt pia affectio ad fidem, quando adultus incipit credere, non fiat ab habitu infuso, sed ab auxilio actuali, quia ipsamet affectio disponit ad infusionem habitus, & non potest fieri ab habitu, ad quem ipsa disponit, vt infundatur assensus tamen fidei intellectualis etiam primus fieri potest ab habitu, qui ante hunc assensum præcedit dispositio sufficiens ex parte voluntatis ad infusionem habitus. Quod in illa sententia obseruarunt, & ita magis consequenter eam intellexerunt P. Turrianus hîc *disp.* 38. *dub.* 3. & P. Hurtado *disp.* 57. §. 9.

SECTIO III.

De conseruatione habitus fidei; vbi, an, & quomodo maneat fides informis in peccatore.

NOn est sermo de peccatore hæretico, vel infideli, de quo dicemus *infrà disp.* 17. *sect.* 4. agentes de subiectis fidei, & nunc supponimus, iis peccatis perdi habitum fidei; sed loquimur de peccatore fideli, qui peccat mortaliter contra alias virtutes, quem diximus in eo statu non comparare de nouo habitum fidei infusum, donec simul cum habitu gratiæ, & charitatis eum accipiat; de hoc ergo quærimus, an possit perdita gratia, & charitate retinere habitum fidei infusum in statu peccati.

Controuersia hæc præcipuè est cum hæreticis modernis, qui contendunt fidem non posse esse sine charitate, & sanctitate; quorum errorem expresè damnauit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 15. his *verbis*: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: diuinæ legis doctrinam deferendo: quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quosque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes: qui lethalia committunt peccata.* & can. 28. *si quis* (inquit) *dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper*

per amitti ; aut fidem quæ remaneret , non esse veram fidem , licet non sit viua ; aut eum, qui fidem sine charitate habet non esse christianum ; anathema sit. Quam veritatem ex sacris litteris potuerunt Patres colligere , in quibus sæpè fides vera sine charitate esse ostenditur. Ioan. 12. *Multi ex Principibus crediderunt in eum , sed non confitebantur : dilexerunt enim magis gloriam hominum , quàm gloriam Dei* 1. Cor. 13. *si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, &c.* Iacobi 2. *Quid proderit fratres mei , si quis dicat fidem se habere , opera autem non habeat* ; & inferiùs. *fides sine operibus mortua est in semetipsa.* & inferius : *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus.* Vbi nota,non dixisse : *sicut homo sine spiritu mortuus est . sed sicut corpus sine spiritu.* Nam homo sine anima non est verus homo : corpus autem sine anima , licèt sit mortuum,est tamen verum corpus,sed mortuum : ita fides sine charitate , & operibus est mortua , sed vera fides. Testimonia Patrum pro hoc dogmate congerit multa Valentia hîc q.4.puncto 4.apud quem videri possunt : est enim res spectans omnino ad Controuersistas;& ideo videri etiam potest vltra alios Card. Bellarminus *lib.1.de iustificatione cap.* 15. & Suarez *lib.*11. *de gratia cap.*5. qui argumenta etiam hæreticorum referunt , & dissoluunt.

36 Ratione probant hoc ipsum aliqui à priori;& in primis de actu fidei constat clarè non esse repugnantiam ex obiecto:quia actus fidei præcedit actum charitatis,& ita præcedit,vt proposito obiecto,maneat voluntas libera ad amādum Deum: non enim est cognitio fidei,sicut visio clara Dei, quæ rapit voluntatem beati, & necessariò impellit ad amorem ; sed est cognitio obscura proponens indifferēter obiectum, vt testatur experientia in iis, qui ex malitia peccant, & contemnunt præcepta Dei , quæ per fidem credunt obseruari debere : potest ergo manere cognitio illa fidei cum peccato contra legem Dei , sicut prius sine posteriori, cum quo non habet necessariam connexionem : sicut possum ego contemnere præcepta Petri,cuius voluntatem,& præceptum sufficienter cognosco.

37 De habitu autem fidei,quod possit sine charitate actuali , vel habituali manere, probant, quia sæpè,quando aliquis peccat grauiter circa castitatem,v.g.habet simul assensum fidei circa aliquem articulum,& posito peccato adhuc perseuerat in eodem assensu fidei;ergo permanet idem habitus fidei : nam assensus ille fidei conseruatur ab eodem principio,à quo fuerat productus.Ita arguit Hurtado disp.53.§.30.Sed est ratio vndique infirma. Primò , quia eodem argumento probari posset remanere habitus infusos virtutum moralium , nam potest etiam ille homo, dum habet actum circa materiam iustitiæ,peccare contra castitatem, & perseuerare adhuc in actu circa iustitiam;ergo debet manere habitus iustitiæ,vt actus ille conseruetur ab eodem principio, à quo genitus fuit. Secundò,quia gratis supponitur,debere conseruari actum ab eodem principio, à quo genitus fuit:nam vel supponitur assensus fidei pendere à suis causis per actionem distinctam , vel per se ipsum immediatè. Si dicatur primum, potest variata actione manere idem actus;si verò dicatur secundum , variabitur etiam actus, quod nullum est inconueniens , cùm succedat alius omnino similis circa idem omnino obiectum.

Præsertim , si quod multi iam amplectuntur , ij actus sint actiones successiuæ identificatæ cum duratione sua successiua, atque adeo etiam independenter à variatione causæ debeant successiuè variari intrinsecè,provt alibi ego etiam vt probabilius amplexus sum.

Præcipua ergo ratio,quod attinet ad habitum, 38
sumenda est ex auctoritate : nam loquendo de possibili, potuit proculdubio habitus fidei quolibet peccato mortali iustissimè amitti,sicut auferuntur habitus infusi aliarum virtutum : noluit tamen de facto Deus habitū fidei auferre. Quod ex ipso modo loquendi scripturæ colligi potuit. Nam de habitibus permanentibus loqui videtur Paulus 1. Cor. 13. cùm dicit : *nunc autem manent. Fides, spes, charitas ; tria hæc* : quod significare videtur verbum illud *manent*, nam actus non manent , sed transeunt : & tamen de eadem fide præmiserat Paulus ibi : *si habuero omnem fidem, charitatem , autem non habuero* , &c. vbi separabilitatem fidei à charitate significauit. Ad idem ponderari possunt verba illa , quibus apud Iacobum cap. 2. fides sine operibus dicitur mortua,& otiosa : nam verba illa de habitu fidei intellexisse videtur Tridentinum sess.6.cap.7.cùm enim præmisisset : *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur,fidem, spem, & charitatem :* quod de habitibus intelligendum probauimus supra ; nam fidei actus non infunditur in iustificatione, sed debet præcedere , vt dispositio; & statim de eadem fide subiungit : *hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt:* quod etiam de habitu debet intelligi,nam fidem actualem non petunt,sed afferunt iam,quando petunt baptismum. De eadem autem fide interseruit,de ea verissimè dici *fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse :* quare hæc Iacobi verba de eadem fide habituali intellexit, quam postea dixit ante baptismum à Catechumenis postulari, & quam priùs dixerat infundi simul eum gratia, & charitate in ipsa iustificatione : quæ omnia de habitu fidei debent verificari.

Vnde aliqui in æquali certitudis gradu ponunt, 39
quod habilus fidei manere possit in peccatore,& quod possit fidei actus permanere:ita docet Suarez in præsenti *disp.*7.*sect.*3.*num.*3. & videtur Hurtado *disp.*53.§.12.& 25. Alij tamen meritò negant æqualem gradum certitudinis quoad habitum. Ita P.Vasquez *in* 1.2.*disp.*91.*cap.*4.*n.*10. Bañes *in præsenti art.*4.*concl.*2. & Granado *in præsenti tract.*13.*disp.*5. *num.*5. qui duo dicunt, non esse hæreticum,sed solùm errori proximum id negare de habitu fidei : quæ censura ad summum sufficiens videtur, cùm Tridentinum non explicuerit nomen *habitus.* licèt ex contextu, & modo loquendi , vt vidimus , satis colligitur de habitu etiam loquutum fuisse.

Hoc ergo supposito, duę possunt esse difficul- 40
tates circa hanc communem doctrinam. Prima ad quid relinquatur in peccatore habitus fidei abeuntibus cum charitate aliis virtutibus. Respondetur communiter manere fidem,vt peccator possit iterum redire ad cor,& conuerti iuxta illud Isaiæ 1. *nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Ideo relinquitur habitus fidei, vt cōnaturaliùs eliciatur actus,vt diximus suprà.Sed contra,quia etiam ablato habitu fidei,

Ad quid relinquatur in peccatore habitus fidei,abeuntibus cum charitate aliis virtutibus.

posset peccator credere per auxilium actuale. Respondetur, posse quidem; sed tamen illos actus fidei fore minùs connaturales iuxta ea, quæ diximus in superioribus, vt ergo connaturalius fiant, relinquitur habitus.

Dices, ergo etiam deberent relinqui habitus infusi aliarum virtutum moralium, vt in eo statu possit homo per earum actus disponere se ad gratiam iustificationis. Respondeo, ego sanè existimo peccatorem in eo statu non solùm elicere actus fidei, sed etiam aliarum virtutum: vt constat in actu attritionis supernaturalis, quo disponitur ad Sacramentum: nego tamen, illos actus elici ab habitibus infusis; tum quia Theologi communiter docent, virtutes omnes infusas præter fidem, & spem, habere connexionem perpetuam cum habitu charitatis: tum etiam quia in peccatore solùm voluit Deus relinquere habitus ad eos actus, qui per se requiruntur ad conuersionem, quales sunt actus fidei, & spei, non verò actus temperantiæ, vel iustitiæ, &c.

42 Vrgebis adhuc: sicut fides, & spes requiruntur ad conuersionem, sic actus pœnitentiæ, ergo ob eandem rationem manebit habitus pœnitentiæ. Respondeo, actum pœnitentiæ necessarium ad conuersionem posse elici ex diuersis motiuis diuersarum virtutum: nam si sit ex motiuo dilectionis Dei pertinet ad charitatem, si verò sit attritio, quæ sufficit cum Sacramento, fieri potest ex cultu Dei, & pertinebit ad religionem, vel ex metu gehennæ, aut desiderio gloriæ, & pertinebit vel ad habitum spei, vel ad alium de quo dicemus in tractatu de virtute spei, quia ergo nullus horum actuum in particulari exigitur; ideò non relinquitur aliquis habitus in particulari ad detestandum peccatum. Manet tamen habitus fidei, & spei, quia actus fidei determinatè requiritur, vt diximus *disp.* 12. *sect.* 1. vbi etiam *sect.* 5. vidimus, nunquam aut ferè nunquam conuerti peccatorem sine spe veniæ & salutis, ex qua moueatur paulatim ad detestandum peccatum; qui actus pertinent ad habitum spei, & ideo hic etiam habitus relinquitur in peccatore, vtpote cuius actus per se requiruntur ad conuersionem.

43 Sed contra, quia etiam actus dilectionis per se requiritur ad conuersionem extra Sacramentum, & in lege veteri erat medium omnibus necessarium ad iustificationem, ergo ratione etiam huius necessitatis deberet manere habitus charitatis in peccatore. Dices; si haberet charitatem, iam eo ipso non esset peccator; sed iustus. Contra, quia suppono, charitatem distingui realiter ab habitu gratiæ; & non iustificari hominem formaliter per charitatem, sed per habitus gratiæ, vt diximus *in tractatu de gratia*, ergo posset habere charitatem habitualem, sicut fidem, & spem, & esse in peccato. Nec satisfacit dicere, charitatem esse amicitiam diuinam; ideoque non posse stare sine amore mutuo ex vtraque parte; nam contra hoc etiam est, charitatem creatam non esse illud, quo diligimur à Deo, sed quo diligimus Deum; quare sicut meus amor in Petrum potest manere habitualiter absque amore Petri in me; cur non poterit manere in me principium habituale diligendi Deum, sine eo quod diligar à Deo? Aliter ergo videtur respondendum, habitum charitatis tolli è peccatore, quia quodcunque peccatum lethale eo ipso opponitur charitati; quare sicut per peccatum infidelitatis destruitur fides demeritoriè, propter oppositionem peculiarem, quam habet cum fide, cuius maneret habitus otiosus in eo statu, vt dixi *supra disp.* 14. *sect.* 1. & sicut habitus spei deperditur desperatione propter eius oppositionem: sic etiam habitus charitatis deperditur peccato mortali, quia omnia peccata mortalia opponuntur eodem modo cum charitate, & eius obiecto, & sicut post peccatum infidelitatis solùm habet peccator auxilium actuale, quo possit iterum credere, & conuerti; sic post quodlibet peccatum lethale solùm habet peccator auxilium actuale, quo possit diligere & conuerti. Dices, etiam opponitur omne peccatum lethale cum habitu spei, & tamen ille habitus manet in peccatore, ergo & habitus charitatis deberet manere. Maior probatur, quia habitus spei elicit voluntatem absolutam, & efficacem beatitudinis, cui opponitur quodlibet peccatum lethale non minùs, quàm dilectioni Dei super omnia. Respondeo, in primis dato, quod illa voluntas efficax beatitudinis eliciatur ab habitu spei; non tamen esse illum præcipuum actum illius habitus, sed alium, quo speramus beatitudinem à quo actu habitus accipit nomen spei; & cui actui non opponitur peccatum nisi sit desperationis. Deinde illud etiam desiderium efficax beatitudinis manere potest cum peccato mortali; quia carentia peccati pro nunc non est medium necessarium ad beatitudinem; sufficit enim carentia peccati in fine vitæ, quæ carentia debet eligi ex illo desiderio. At verò dilectio Dei super omnia, quæ est præcipuus actus charitatis, non potest manere cum aliquo peccato mortali; ideo dicimus omnia mortalia opponi cum charitate. Qualis verò sit ista oppositio peccati mortalis cum actu dilectionis Dei; & an reperiatur in omnibus peccatis: pertinet ad materiam de charitate, & de peccatis. Nunc suppono ex communi sententia, non posse aliquem simul diligere Deum super omnia, & peccare mortaliter; quod sufficit ad nostram conclusionem, & eius rationem.

Hinc infero, non solum manere in peccatore habitum intellectualem fidei, sed etiam habitum piæ affectionis pertinentis ad voluntatem: quia sicut requiritur actus fidei intellectualis ad conuersionem, ita requiritur voluntas supernaturalis credendi, vi vidimus *disp.* 10. ergo sicut manet habitus fidei intellectualis; ita etiam debet remanere ob eandem rationem habitus voluntatis. 44 Non solum manere in peccatore habitum intellectualem fidei, sed etiam habitum piæ affectionis.

Dices: sicut requiritur actus piæ affectionis ad credendum, sic etiam iudicium euidens credibilitatis, quod esse supernaturale entitatiuè diximus *disp.* 11. *sect.* 1. ergo ob eandem rationem manebit in peccatore habitus prudentiæ infusæ à quo eliciatur illud iudicium. Respondeo, mihi satis probabile esse, manere etiam in peccatore aliquem habitum supernaturalem ad illud iudicium eliciendum, vt diximus supra *disp.* 11. *sect.* 11. Et hoc tamen non sequitur manere in peccatore adequatum habitum prudentiæ infusæ, vt dixi ibi *sect.* 1. *in fine*. Vrgebis adhuc, ergo etiam in eo, qui perdidit fidem per peccatum hæresis, manebit iste habitus infusus prudentiæ, quia hic etiam pro eo statu elicit sæpè iudicium euidens credibilitatis, sicut alij peccatores eliciunt actum fidei, ergo sicut alij peccatores retinent habitum fidei, vt actus fidei, quos in eo statu eliciunt, & qui per se requiruntur ad cõuersionem connaturalius fiant: sic etiam ille hæreticus retinebit habitum prudentiæ, vt in eo statu actus prudentiæ, quos elicit, & qui per se requiruntur ad eius conuersionem, connatu

connaturaliùs fiant. Imo idem videtur dicendũ de habitu piæ affectionis, nam etiam in eo statu hæresis fiunt aliqui actus voluntatis supernaturales circa fidem, non efficaces, sed per modũ simplicis amoris, & affectionis ad credendum, qui ex se petunt connaturaliter fieri ad habitu, & per se ordinantur ad conuersionem hæretici, ergo ad illos connaturaliùs eliciendos debent etiã retinere habitum piæ affectionis. Respondeo, communiter negari manere in hæretico aliquem habitũ infusum. Ratio autem ea reddi potest, quod sicut noluit Deus dare huiusmodi habitus sine merito, & dispositione ipsius hominis, licèt præexigerentur etiam vt homo connaturaliùs eliceret primum actum supernaturalem, ita noluit eos conseruare, quando ex parte hominis ponitur demeritum, licèt alioquin actus fiant postea minùs connaturaliter. Hoc autem demeritum non attenditur æqualiter ad auferendos omnes habitus; nam cæteri tolluntur per quodlibet peccatum mortale: spes per desperationem, fides, prudentia, & pia affectio per infidelitatem, quia licèt infidelitas, & desperatio non sint grauiora peccata, quàm odium Dei, habent tamen maiorem proportionem cum hoc genere pœnæ.

45 *An & quomodo charitas sit forma fidei. Refuntur variæ sententiæ.*

Restat nunc secũda difficultas de fide formata, an & quomodo charitas sit forma fidei. Fides enim mortua, quæ manet in peccatore, dicitur *informis*: quæ autẽ est in homine iusto, & viua, dicitur *formata*. circa quam diuisionẽ oritur dubium, quomodo charitas informet fidem. Richardus *in 3. dist. 23. art. 5.* docuit charitatem non solùm moraliter, sed etiam physicè esse formam fidei. Primò, quia principium, quod adiuuat aliud cõprincipium in ordine ad suum actum, illud perficit, vt habitus de facto perficit, & informat potentiam. Secundò, quia voluntas est in anima mediante intellectu; ergo charitas est in anima mediante fide, & per consequens informat fidem. Alij, quorum suppresso nomine meminit Turrianus *in præsenti disp. 39. dub. 1.* dicunt, à charitate aliquem modum physicum deriuari in habitus aliarum virtutum, ratione cuius dicitur physicè perficere illas, quod idem dicunt de habitu fidei, qui per hunc modum intrinsecum à charitate deriuatum perficitur, & informatur.

46 *Sententia communis, & vera.*

Communis Theologorum, & vera sententia negat, fidem physicè informari à charitate, quos sequuntur, & referunt Turrianus *loco citato* Coninch. *disp. 16. dub. 4. n. 36.* Hurtado *disp. 51.* & alij communiter. Et quidem, vt contraria sententia apparentem probabilitatem haberet affirmare id potiùs deberet de actibus, quàm de habitibus: nam habitus charitatis immediatè non concurrit cum habitu fidei ad actum fidei, sed ad summũ mediatè imperando actum fidei, quare actus ipse charitatis, seu imperium esset comprincipiũ concurrẽs cum habitu fidei ad eius actum, atque ideo actus charitatis, & non habitus deberet informare, & perficere habitum fidei, vel aliquid in eum influere, vt eum adiuuarét: quod tamen nemo admittit. Deinde, si hic influxus, vel concursus attendendus esset; potiori iure dicendum fuisset charitatem informari à fide quàm fidem à charitate: nam vniuersalis, & certior est concursus fidei ad actus charitatis, quam è cõtra: cognitio enim necessaria est semper, & concurrit ad actum amoris, vel saltem dirigendo, & proponendo obiectum bonum, vel etiam physicè coëfficiendo simul cum voluntate ipsum amorem; cum tamen è contra non prærequiratur semper actus voluntatis ad cognitionem.

47 Vnde in vniuersum & absolutè impugnari potest informatio illa physica: quia falsum est, habitum charitatis immediatè concurrere cum habitu fidei, ad eius assensum, cùm hic prior sit omni actu charitatis: non est ergo necessaria talis informatio charitatis ad hunc effectum, nec aliquis modus fidei intrinsecus à charitate deriuatus proper eandem rationem, cum actus fidei fiat, antequam charitas quicquam operetur. Nec explicari poterit qualis sit, vel ad quid deseruiat ille modus fidei additus: non enim deseruit ad substantiam actus fidei producendam, cum hæc in peccatore producatur sine charitate. Nec etiam ad aliquem modum producendum, qui sit in actu fidei, neq; enim explicari poterit in ipso actu fidei, qualis sit iste modus: neq; enim est valor, aut ratio meriti, cùm etiam sine isto modo actus fidei diuinæ elicitus ab homine iusto & grato esset meritorius de condigno. Nec etiam est relatio ad Deum: nam actus fidei secundùm se refertur ad Deum, vt ad obiectum formale; & cùm sit supernaturalis, refertur etiam ad Deum, vt ad finem & præmium, si sit in homine iusto. Quod si velis ad hoc requiri aliquam voluntatem, qua ex affectu placendi Deo eliciatur actus fidei: hoc etiam poterit haberi sine tali modo intrinseco superaddito; nam eo ipso quod adsit imperium charitatis, ex vi cuius sequatur actus fidei, iam hic actus verè erit elicitus ex illo fine, & hæc relatio extrinseca sufficiet, vt referatur ad Deum sine alio modo intrinseco superaddito, sicut refertur etiam actio externa imperata à charitate sine alio modo superaddito deriuato in talem actionem. Et denique hæc relatio, vel hic modus, si necessarius esset non procederet immediatè ab habitu charitatis, sed ab eius actu imperante actum fidei, quare ex hoc capite magis actus charitatis, vt dicebamus, deberet intrinsecè perficere actum fidei, quàm charitatis habitus habitum fidei. Non est ergo fundamentum ponendi charitatem vt formam intrinsecam fidei, & aliundè habitus alij non se se inuicem informant intrinsecè, nec vnus habitus est in alio, vt in subiecto, sed ad summum se se inuicem adiuuant, vel remouendo difficultates, vel concurrendo ad eundem actum ex diuersis motiuis, vel alio modo. Hoc autem magis constabit ex solutione vtriusque argumenti supra adducti pro sententia Richardi.

48 Ad primum ergo respondetur, in primis, si principium illud vniuersaliter verũ esset potiùs fides deberet informare charitatem, quàm è contra: quia principium minùs nobile solet recipi in nobiliori, vt illud informet: sic enim habitus acquisitus recipitur in potentia, vel in anima, & ipsa voluntas recipitur in anima, & omnes potẽtiæ recipiuntur in essentia, & non è contra. Cùm ergo charitas nobilior sit fide, hæc deberet informare charitatem, & non è contra. Deinde principium illud vniuersaliter sumptum falsum est: nam causa secunda, non informat causam primã, neque è contra, licèt vtraque simul concurrat ad eundem effectum: neque sol informat causas inferiores, vt cum illis generet aliquem effectum, neque vir informat puerum, cum quo portat lapidem, & sic de aliis. Habitus autem naturalis informat animam, quia cùm sit accidens nõ potest esse

per se, sed in aliquo subiecto: habitus etiam infusus propter eadem rationem informat animã; & quia eleuat illam ad effectum ad quem nullam habebat virtutem etiam partialem, quo casu connaturale est, quod causa omnino de se improportionata eleuetur, & proportionetur intrinsecè per virtutem superiorem, vt diximus in superioribus. Ex quo non fit, quod omnes & singulæ concausæ debeant eleuari per aliquid sibi intrinsecũ, cuius rationem reddidimus *suprà disp.9. sect.3.* ostendẽtes, quomodo species naturales, sine eleuatione intrinseca sibi possint de facto concurrere ad actũ fidei supernaturalẽ, ad quem anima ipsa supponitur iam intrinsecè elecata. In nostro autem casu res est facilior, quia habitus fidei de se est proportionatus ad actum, quem producit, neque ad hunc finem indiget eleuatione intrinseca. Denique supponitur falsò quod simul cum charitate producat aliquem actum, cùm actus fidei non fiat immediatè à charitate habituali, licèt aliquando pendeat ab actu charitatis imperante, quod imperium nec est necessarium, nec fortasse concurrit physicè efficienter, sed solùm determinando animam, quasi in genere causæ formalis.

49 Ad secundum facilè respondetur, supponi falsum, quod voluntas in anima sit medio intellectu, si sermo sit de mediatione physica in ratione subiecti: vtraque enim potentia est immediatè in anima. Potest id concedi in alio sensu de ordine antentionis, sicut dici solet Verbum assumpsisse corpus media anima, & animam media mente, hoc est, ideo assumpsisse corpus, quia habebat animam, & ideo assumpsisse animam, quia habebat mentem, non tamen quod vnio Verbi immediatè fuerit solùm cum anima, aut cum mente; vt cum S. Thoma 3.*p.quæst.6.* & communi Theologorum sententia explicui *disp.15. de Incarnatione.* Sic etiam dici potest voluntatem esse in anima medio intellectu, hoc est, ideo esse voluntatem, quia est intellectus, ad cuius operationes consequuntur operationes voluntatis, in quo sensu licet admitteretur, charitatem etiam esse in anima media fide, nihil ad rem nostram consequeretur: id enim non pertinet ad ordinem physicum receptionis, sed adhuc vterque habitus recipietur æquè immediatè, physice loquendo, in eadem anima.

50 *Charitas potest moraliter esse forma fidei ex duplici titulo.* Restat ergo, charitatem solùm esse posse moraliter formam fidei, & hoc ex duplici titulo primò quatenus ex consortio charitatis actus fidei reddũtur meritorij vitæ æternæ, qui sine charitate nullum haberet valorem. Hoc autem non est proprium fidei, sed commune aliis omnibus virtutibus, quæ sine charitate nulliũs etiam pretij sunt. An verò ad hanc informationem exigatur virtualis relatio, an solùm habitualis dignificatio prouenies ex gratia iustificante, non est huius loci, sed pertinet ad materiam de charitate, vel de gratia, vbi aliquid diximus de hoc puncto.

Qua ratione fides in peccatore dicitur mortua. Secundus titulus est specialis in fide, ratione cuius in peccatore dicitur fides mortua, in iusto verò dicitur viua: quia scilicet fides informis habet se ad modum radicis, seu arboris non ferentis fructum in quo statu reputatur quasi mortua. Ideo B. Iacobus *cap.2.* dicit fidem sine operibus esse mortuam, seu (vt legit Augustinus *serm.53. de tempore*) esse fidem otiosam: quem modum loquendi vsurpauit etiam Concilium Tridentin. *sess.6. cap.7.* & in eo etiam sensu B. Iudas Apostolus appellauit hæreticos, arbores autumnales bis mortuas, quia nec fructũ habent boni operis, nec radicem fidei, & ideo in vtroque mortui sunt.

51 *In quo sensu fides dicatur mortua.* Hinc infero, in eo sensu, quo fides dicitur mortua, & informis, posse etiam dici mortuam spem, & informem. Sic enim dicitur *spes viua 1. Petri 1.* quia nimirum ad spem etiam pertinet excitare ad opera meritoria, quod dum non præstat, mortua videtur & otiosa. Portò spem etiam manere in peccatore, eãmque non auferri, nisi amissa fide, vel posita desperatione, communis est omnium Theologorum sensus, imo Medina *1.2.quæst.62.art.4.dub.1.* dixit, de fide Catholica esse, fidem, & spem non perdi per omne peccatum mortale. In hac tamen censura excessit, vt notauit Suarez *lib.11.de gratia, cap.5.num.15.* quia nec in Scriptura, nec in Conciliis inuenitur ita expressa definitio de spe: ipse tamen Suarez putat, id esse omnino certum, ita vt contraria doctrina possit de errore notari, pro quo affert etiã P. Vasquez *1.2. disp.91. c.4.* & Valentiam *tom.2. disp.5. quæst.7. puncto 2. §.4. &c.* & *tom.3. disp.2. quæst.1. puncto 2. in fine.* Sed illi nec loquuntur de habitu, nec illam censuram ferunt, imò Vasquez expressè significat, nullam censuram mereri, & Granado *infra controuers.2. de spe tract.2. disp.3. num.2.* dicit, quoad habitum non esse rem certã, sed solùm esse communem sententiam Theologorum cum S. Thoma. Ego quidem certum omnino existimo, spem quoad actum manere in peccatore, cùm à Tridentino *sess.6. cap.6.* actus spei numeretur inter dispositiones remotas ad iustificationem, & *sess.14. cap.4.* attritionem, quæ cum Sacramento disponit ad iustificationem, dicit concipi debere, cum actu spei, certum est autem attritionem elici posse à peccatore, dum adhuc est in statu peccati, & priùs tempore, quam iustificetur. Quoad habitum verò censeo, eam esse communem sententiam Theologorum benè fundatam, quia omnes rationes congruentiæ, vt remaneat habitus fidei, procedunt, vt remaneat etiam habitus spei in peccatore fideli non desperante: cùm etiam in eo statu exerceat actus spei; & ij necessarij sint, vt conuertatur, & vt se ad gratiam iustificationis disponat; congruum ergo fuit, vt naufragio facto circa gratiam, & alia dona, remaneret ei spes, ne in vltimum præcipitium rueret. Manet itaque spes, sed mortua, & informis, quæ in homine iusto dicitur spes formata, & viua propter easdem rationes, propter quas fides appellatur viua, vel mortua, formata, vel informis.

52 *An idem habitus sit formata, & informis.* Circa hanc tamen diuisionem fidei in formatam, & informem dubitari solent aliqua, quæ dubia cum proportione de habitu etiam spei fieri possunt. Primò ergo dubitatur, an idem sit habitus fidei formatæ, qui antea erat informis in peccatore. In hoc puncto olim fuit magna sententiarum diuersitas, quarum aliquas referunt S. Thomas *hac quæst.4. art.4.* & S. Bonauentura *in 3. dist.23.* Aliqui enim dicebant esse diuersos habitus fidei in sua entitate, quorum alter erat in peccatore, & peribat aduenientе altero simul cum gratia: & è contra hic recedebat cum gratia, succedente altero fidei informis. Alij dicebãt, vtrumque illum habitum fidei manere in homine iusto, in peccatore autem manere solum habitum fidei informis. Rursus ex his alij dicebant, fidem informem manere in homine iusto informem

mem, qualis in se erat; manere tamen simul cum illa alia fide formata. Alij dicebant, manere quidem in homine iusto fidem informem, seu quæ fuerat informis; non tamen iam informem, sed formatam ab illa alia fide formata, quæ aduenit cum gratia. Orta fortasse fuit tota hæc opinionum varietas ex eo, quod fidem viuam, & mortuam, non minùs differre putabant, quàm hominem viuum, & mortuum, quos non solum numero, sed specie, & genere differre videbant: cùm tamen, vt diximus, fides viua, & mortua non ita debeant comparari, sed sicut corpus viuum, & postea mortuum, quod non est duplex corpus, sed vnum, & idem etiam numero, quod informatum anima dicitur viuum, & carens anima dicitur mortuum.

53 Concors ergo iam Theologorum sententia docet, eandem numero fidem, quæ antea erat informis propter carentiam gratiæ, postea per gratiæ aduentum, & præsentiam dici formatam absque varietate tenente se ex parte ipsius fidei. Ita omnes iam docent cum S. Thoma, quos referunt, & sequuntur Suarez hîc *disput. 7. sect. 3. num. 6.* Coninch *disp. 16. dub. 4. num. 44.* Hurtado *disp. 54.* Malderus *quæst. 4. art. 4.* qui addit, hæreticum iam esse dicere, fidem formatam, & informem esse habitus specie diuersos; temerarium verò dicere, quod differant numero: à qua tamen censura videtur eam sententiam Hurtado §. 2. liberare: quia Tridentinum solùm definit, manere veram fidem in peccatore, nec semper quolibet peccato mortali fidem amitti: quæ verificari possent in rigore, manente semper aliquo fidei infusæ habitu in peccatore, licèt non esset idem omnino, qui antea fuerat: sicut non dicitur perdere situm sedendi, qui sedens gestatur, licèt reuera sessio in veriori sententia non distinguatur à talibus corporis vbicationibus taliter correspondentibus vbicationi sedis, quæ motu ipso successiuo variantur: dicitur tamen manere sessio propter successionem non interruptam vbicationum cum simili correspondentia.

Concors Theologorum sententia.

54 Cæterùm, licèt hoc non sit expressè definitum, consonat tamen modo loquendi Tridentini dicentis, fidem *non amitti*, fidem *manere*, quæ propriè magis, & rigorosè verificantur, si eadem fides, quæ antea erat remaneat. Ad quod etiam afferri solent parabolæ, & similitudines, quibus scriptura, & Patres hoc solent significare. Nam fides sine charitate assimilatur lampadi sine oleo, qualem fatuæ virgines habebant, quam eandem lampadem, vt reuiuisceret oleo addito ornare parabant, non aliam lampadem, sed eandem. Sic etiam Hieronymus tom. 4. in cap. 26. Isaiæ sub initium comparat bona opera, seu charitatem muro, fidem antemurali: & *ponetur*, inquit, *in ea murus & antemurale: murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei, vt duplici septa sit munimento, non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides operibus confirmetur.* Vbi vides ipsam eandem fidem, quæ sine operibus non sufficit, debere bonis operibus confirmari: neque enim posito muro antemurale mutatur, sed idem omnino perseuerat. Ita etiam loquitur Bernardus serm. 24. in cantica: *mors fidei*, inquit, *est separatio charitatis: credis in Christum? fac Christi opera, vt viuat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio, non incurret terrenum opus, quem fides cælestium erigit.* Eadem ergo fides est, quæ abscedente charitate moritur, & redeunte viuificatur, & animatur. In quo etiam sensu Beda *in cap. 2. Iacobi* dixi, fidem mortuam per opera charitatis reuiuiscere, & animari. Certum autem est non posse reuiuiscere, & resurgere, nisi illud idem, quod ceciderat, & mortuum fuerat.

Ratio huius assertionis est clara: quia eadem 55
fides, quæ informis est, cum sufficiat ad assensum supernaturalem de rebus reuelatis propter diuinam auctoritatem, sufficiet adueniente charitate ad eadem obiecta credenda; qui assensus in homine iam iusto gratus erit Deo, & meritorius de condigno: vt quid ergo alius habitus fidei addendus est? Adde, non esse credibile, quod peccante homine, & ablato simul cum gratia habitu fidei, detur tunc ei alter fidei habitus nouus, qui certè esset donum Dei supernaturale datum de nouo homini absq; vlla eius dispositione, imò cum indispositione & demerito actuali, ob quod dignus esset expoliari donis omnibus, non quidē noua accipere. Deniq; confirmari potest ex communi S. Thomæ & aliorū doctrina, quā suprà approbauimus, quod habitus fidei, & alij infusi sint ex natura sua passiones gratiæ habitualis, quo posito, nō facilè apparet, qualis esset ille habitus fidei informis, qui ex natura sua esset informis, & nō posset viuificari, & formari per gratiā, & charitatē, imò repugnaret ex natura sua cum charitate: quomodo enim esset passio gratiæ illa, quæ ex sua natura non posset cum gratia, & charitate consistere? Vnde rursus apparet aliud absurdum: 56
quia hæc fides habitualis manet in peccatore, vt *suprà* vidimus, ad hoc vt connaturaliùs disponatur ad conuersionem, & iustificationem per actus fidei ab habitu permanenti elicitos. Tunc autem potissimum fides necessaria est, quando fit contritio perfecta, quæ est vltima dispositio ad gratiam: peto ergo quis habitus fidei eo instanti eliciat actum fidei, qui pro priori naturæ præcedit contritionem. Habitus enim fidei, qui datur cum gratia, non potest concurrere, cùm pro eo signo nondum intelligatur posita contritio, quæ disponit ad gratiam: debet ergo concurrere habitus fidei præcedens: ergo ille habitus adhuc est eo instanti reali simul tempore cum gratia: poterit ergo similiter stare cum eadem gratia toto tempore sequenti: si enim potest illo instanti pro signo posteriori formari, & viuificari à gratia, non repugnat illi, quod sit habitus fidei formatæ, & viuæ. Dicere autem, quod nec ille habitus præcedens concurrat ad illum actum fidei, sed fiat per auxilium actuale; difficile apparet, cùm pro eo priori nondum posita sit contritio, vel gratia, à qua expulsus fuerit ille habitus præcedens. Scio, posse aliquem obstinatè contendere, actum fidei non elici ab habitu, sed ab auxilio, quoties ex eo actu potest excitari homo ad contritionem, qua disponatur proximè ad iustificationem, quia conseruatio habitus fidei informis pendet à negatione habitus gratiæ, & fidei formatæ, sicut *disp. 6. de Incarnatione sect. 3.* significauimus, quoties homo potest peccare mortaliter contra præceptum graue, non fieri ab habitu charitatis, sed ab auxilio actuali, quo vult seruare præceptum, quia conseruatio charitatis pro eo instanti pendet ab obseruatione præcepti, atque ideo prior debet esse obseruatio præcepti, quàm conseruatio gratiæ & charitatis. Cæterùm difficile est extēdere casum illum, in quo vrget necessitas quædam specialis ad omnes casus, quibus homo disponitur ad iustificationem per actus fidei, cuius

habitus

habitus ad hoc potissimum relictus est in peccatore contra exigentiam habituum, ordinis supernaturalis, vt vidimus, vt connaturaliùs possit se disponere ad iustificationem, & ad gratiam recuperandam: præsertim cùm nulla sit ratio ponendi, aut fingendi talem habitum fidei, qui per suam naturam intrinsecam sit fides informis, & mortua.

57 Si autem dicas cum aliis suprà adductis, habitum fidei informis non expelli per gratiam aduenientem, sed remanere simul cum habitu fidei formatæ: petam in primis, an maneat otiosus, an verò operetur? Si maneat otiosus, frustrà manet, & deberet expelli, sicut ob eandem rationē expellitur in patria, quia ibi esset otiosus, & sicut expellitur etiam ab infideli, quia in eo statu infidelitatis maneret otiosus. Deinde difficile est, quod non operetur circa suum obiectum materiale, & formale sufficienter propositum, cùm habitus sit causa necessaria sui actus, quantum est de se, & voluntas non imperet magis hunc assensum, quàm illum. Si autem operatur, iam actus ille erit meritorius, cùm sit supernaturalis, & honestus, & ab homine grato: erit ergo formatus, & viuus. Et quidem saltem de potentia absoluta non videtur repugnare, quod Deus concurrat etiam tunc cum illo habitu, quo casu sequerentur eadem inconuenientia, & argueretur, quod actus ille de se non esset fides mortua, cùm esset meritorius de condigno, si existeret.

58 Dices, fides actualis mortua non potest postea adueniente gratia reuiuiscere; ergo nec fides habitualis mortua poterit reuiuiscere, vt eadem fiat fides viua. Respondeo retorquendo argumentum; quia si actus fidei peccatoris, quod est opus mortuum, perseueret idem adueniente gratia, fiet opus & meritum viuum ex aduentu gratiæ: ergo habitus fidei mortuæ perseuerans adueniente gratia, fiet fides viua. Ratio ergo differentiæ est clara: quia actus fidei præteritus factus à peccatore, non permanet, & ideo non viuificatur, nec informatur à gratia postea adueniente: habitus verò permanet adhuc, & ideo informari potest à gratia, & viuificari.

59 Dices iterum: iustificatio habet de se vim producendi habitum fidei, vt constat, quando homo infidelis conuertitur & viuificatur in baptismo: ergo quando iustificatur etiam peccator fidelis per iustificationem producitur aliquis habitus fidei, non præcedens qui iam erat; ergo alius habitus nouus fidei formatæ & viuæ. Respondetur negando consequentiam: quia vt notauit bene Malderus *loco citato*, iustificatio assimilatur pluuiæ, quæ si solum inuenit semen in terra, facit germinare herbam: si verò inueniat iam herbæ germen, illud promouet & auget, nec minùs potens est in vno, quàm in altero casu; ita iustificatio, si non inuenit fidei habitum, facit gratiam illum germinare: si verò illum iam inuenit, facit, quod augeatur, & crescat.

Iustificatio assimilatur pluuiæ.

60 Hinc iam expediri facilè possunt dubia alia, quæ de hac fide informi fieri solent. Dubitari enim solet secundò, an fides informis sit virtus simpliciter: de hoc tamen iam diximus *suprà disp. præcedenti, sect.* 2. Dubitatur tertiò an sit donum Dei, & fundamentum iustitiæ. Certum est esse donum Dei, nondum quidem inhabitantis, sed disponentis, vt cum S. Thoma *infrà q.* 6. *art.* 2. notat Suarez hîc *disp.* 7. *sect.* 3. *num.* 6. & constet ex Trident. *sess.* 6. *c.* 6. diuinæ gratiæ attribuente, quod peccator incipiat etiam in statu peccati disponere se per fidem ad remissionem peccatorum obtinendam. Certum etiam est, fidem illam esse fundamentum iustitiæ, non quidem fundamentum fundans in actu secundo, vt ita dicam; sed in actu primo: sicut fundamentum domus, antequam surgat ædificium, & construatur domus, non fundat domum in actu secundo, cùm nondum sit domus; sed fundat solùm in actu primo; sic fides informis non fundat iustitiam in actu secundo, cùm nondum sit iustitia, sed ponit fundamentum in actu primo, prout condistinguitur à re fundata: in quibus non potest esse difficultas.

An fides informis sit virtus simpliciter?

An sit donū Dei, & fundamentum iustitiæ.

SECTIO IV.

De incremento, & augmento habitus fidei.

SVpponendum est, vt omnino certum, fidem 61
posse augmentum recipere, nec esse in omnibus fidelibus æqualem fidem, vt colligitur ex cap. 17. Lucæ in illis verbis: *Domine adauge nobis fidem*: & ex Paulo ad Corinth. 20. *crescentis fidei vestræ*; & ex oratione ecclesiæ, qua petimus *fidei, spei, & charitatis augmentum*: & ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. docente, in iustificatione recipi fidem, spem, & charitatem, quam iustificationem præmiserat fieri in singulis secundùm diuersam mensuram, & secundùm propriam cuiusque dispositionem: & clariùs *cap.* 10. loquens de iustitiæ incremento dicit: *Hoc verò iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia cùm orat; da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum.* Nec obstat Chrysostomus homil. 9. in epist. 1. ad Corinth. dicens: *In fide pares non esse oportet: quoniam vna est fides: in vita autem virtute non omnes eosdem esse requiritur; si quidem fides altera non est altera maior, sed eadem in omnibus, qui verè credunt: in vita autem hos quidem magis studiosos, illos priores.* Hoc enim intelligi debet de fide ex parte obiecti crediti, nam omnes idem omnino saltem confusè credere debent, cùm tamen non omnes exerceant actus aliarum virtutum: sed alij misericordiam, alij temperantiam, alij alias virtutes, & quidem non omnes in eisdem materiis exerceant.

Potest autem hæc fidei inæqualitas triplex 62
considerari. Prima circa obiectum materiale, quæ potest appellari in extensione. Nam licèt omnes fideles debeant, vt diximus omnia fidei obiecta credere saltem in confuso, dum fidem Catholicam amplectuntur, & credunt quidquid Ecclesia Catholica credit: aliqui tamen plura explicitè credunt, quàm alij, in quo sensu dixit Hieronym. in cap. 1. Epist. ad Titum, quod in omnibus fidelibus *pro varietate mentium fides communis esse non poterat*, & in eodem sensu fides nostra maior est fide antiquorum Patrum, quia ad plura obiecta se extendit, quæ illis nondum reuelata fuerant. Secunda inæqualitas, quæ communiter ab omnibus conceditur, est penes intentionem: nam sicut in aliis qualitatibus, calore, frigore, albedine, nigredine, lumine, impulsu, &c. conceditur intentio, quæ in veriori sententia fit per additionem gradus ad gradum, siue illi gradus sint homogenei, siue indiuidualiter heterogenei: sic in habitibus, & actibus intellectus, & voluntatis, &

in

in ipsis speciebus impressis, quæ sunt quasi lumen, vel impulsus intentionalis conceditur similis intentio, & remissio: in qua licèt gradus sint heterogenei, omnes tamen sunt circa idem obiectum materiale, & formale: nõ enim cognoscitur, vel amatur per primum gradum vnum obiectum, & aliud per secundum, sed idem obiectum per omnes gradus: alioquin primum obiectum non cognosceretur, vel amaretur intensè, sed remissè, & illa magis esset extensio, seu multiplicatio actuum diuersorum remissorũ, quàm intensio, quæ tota debet esse circa idem subiectum, & obiectum, quod magis intensiuè cognoscitur, vel amatur. Quæ inæqualitas conceditur etiam in visione Dei beatifica, licèt vnus beatus non cognoscat alia, nec plura, quàm alter, sed idem omnino, sed actu intensiori, id est habente plures gradus, qui omnes repræsentant idem obiectum: sicut omnes gradus lucis materialis illuminant ad percipiendum idem obiectum corporeum.

63 *Tertia inæqualitas.* Tertia inæqualitas, quæ tribui solet fidei, est penes maiorem firmitatem. Quod idem, sicut & omnia supradicta, procedit in spe, atque etiam in charitate, quæ capaces sunt eiusdem inæqualitatis: est autem difficile explicare hoc tertium genus inæqualitatis in his actibus fidei, spei, & charitatis: nam quilibet assensus fidei, debet esse super omnia, atque adeo debet habere ex parte intellectus summam firmitatem, cùm præferat in modo assentiendi veritatem huius obiecti omnibus aliis veritatibus, quæ aliunde rationibus naturalibus probantur: non potest ergo esse inæqualitas in hac firmitate, cùm nemo possit assentiri plusquam super omnia, & omnes, si per fidem assentiuntur, debeant super omnia assentiri, vt vidimus supra agentes de certitudine fidei.

64 P. Coninch hic *disp.17.dub.5.num.46.* explicat hãc inæqualitatem exemplo charitatis, cuius actus tunc dicitur firmior, cùm vnus appretiatiuè Deum magis alio amat, etsi omnes, qui Deum vero actu charitatis amant, eum ament super omnia. Hoc tamen exemplum eandem patitur difficultatem: quomodo enim potest esse inæqualitas in appretiatione maiori, si omnes diligunt Deum super omnia alia? Aliter ergo hoc ipsum explicat Hurtado *disput.61.sect.1.§.2.* quod scilicet hæc maior certitudo fidei non sit in ipso assensu fidei, sed in intellectu credentis in actibus quasi reflexis: vnus enim multò melius alio expendit atque perpendit applicationem miraculorum, auctoritatis ecclesiæ & aliorum argumentorum ad credendum, quibus certiùs, & clarius iudicat quàm sit ex recta ratione fidei assentiri mysteriis. Hoc tamen adhuc est difficile, nec vniuersaliter satisfacere potest: quia sequeretur, Theologos, & doctiores firmiorem semper habere fidem, quia ij melius penetrant vim motiuorum, & argumentorum: cùm tamen experientia constet, rusticos aliquando, & indoctos firmiorem habere fidem, quàm magis doctos.

65 Aliter explicat Coninch *vbi suprà num.* 47. prouenire hanc maiorem firmitarem aliquando ex simplicitate ipsius credentis; siue quia nequit apprehendere subtilitatem, & vim rationum, quæ secundùm apparentiam fidei repugnant, atque ita iis non turbatur, aut etiam ei nunquam occurrunt. Hæc tamen impropriè appellatur maior firmitas: neque enim firmior dicitur arx, eo quod hostes nunquam eam oppugnent, quæ tamen si oppugnaretur, facilè caperetur: sic nec firmior dici debet castitas illius, qui ideo est castus, quia non sollicitatur ad turpia, sed ille, qui ita afficitur erga castitatem, vt difficiliùs possit à sollicitantibus expugnari.

Hæc ergo vis ad magis resistendum intelligitur nomine maioris firmitatis. Potest autem prouenire vel ab ipso intellectu, vel etiam extrinsecè à voluntate. Ab intellectu quidem prouenire potest partim ex eo, quod motiua credibilitatis, & eorum efficacia melius penetrentur, aut etiam maiora ab vno, quàm ab alio percipiantur: vnde ipsemet intellectus manet intrinsecè melius dispositus ad resistendum motiuis contrariis: partim etiam prouenit ex eo, quod motiua contraria magis distinctè, & in particulari examinata iam fuerint, & comparata cum motiuis fidei, atque in eorum comparatione neglecta. Hinc enim fit, vt quando postea motiua contraria opponuntur, minùs sit ab eis metuendum, ne turbent, cùm iam præuisa, & examinata, ac reiecta fuerint. Quando autem ab improuiso aduenient, faciliùs deterrent, & formidare potest intellectus, qui solutionem in promptu nondum habet. Ad quod deseruire potest exemplum charitatis, vel propositi non peccandi, quod licèt in omnibus verè pœnitentibus, qui iustificantur, debeat esse vniuersale, & super omnia: non est tamen æquè firmum in omnibus, vt constat experientia in iis, qui facile occurrente difficultate relabuntur, & in tempore tentationis recedunt: quia nimirum non cogitauerant attentè de grauitate tentationis, & difficultatis futuræ, vt contra eam in particulari se se munirent, illudque damnum, & incommodum negligerent præ studio Deo placendi, & eius mandata obseruandi: iacula enim præuisa, & præmeditata minùs feriunt, & facilius reiiciuntur, vel tolerantur.

66 *Vnde prouenit hæc maior firmitas fidei. Ex parte intellectus.*

Et parte etiam voluntatis potissimùm prouenit hæc maior fidei firmita. Cùm enim fidei assensus prouenia t à voluntate imperante, cuius imperio intellectus resistere non potest; hinc fit, vt quò fuerit voluntas firmior ad imperandum assensum, eò sit etiam intellectus firmior in eo assensu retinendo. Prouenit autem hæc maior firmitas voluntatis ex triplici capite. Primum est, quod voluntas credendi sit magis vniuersalis, & efficax: nam licèt assensus fidei diuinæ semper credat super omnia, & voluntas etiam sit voluntas credendi super omnia: non tamen semper est ipsa voluntas super omnia: potest enim aliquis velle credere super omnia, & tamen hoc ipsum non velle super omnia, sicut volũtas cultus latrię vult exhibere Deo cultum supremum, & per consequens colere Deum super omnia, alioquin non esset cultus supremus; & tamen potest hoc ipsum non velle super omnia: neque enim peccator quoties offert Deo sacrificium, & cultum latriæ: habet voluntatem, qua velit super omnia hoc facere: imo aliquando est ita dispositus, vt propter honorem, vel lucrum magnum temporale hunc ipsum cultum Deo debitum non exhiberet, vel etiam negaret. Similiter ergo potest voluntas qua imperatur fides super omnia, non velle super omnia illum cultum intellectualem, & assensum fidei. Quò magis ergo vniuersalis, & efficax est voluntas illa credendi, eò est firmior, & consequenter firmior erit intellectus in retentione fidei: quia occurrentibus difficultatibus, & minis faciliùs resistit, qui super hæc omnia voluit perseuerare in fide.

67 *Ex parte voluntatis.*

Secundò

68 *Item prouenit hæc maior firmitas in voluntate ex carentia affectus erga obiecta contraria.*

Secundò prouenit in voluntate hæc maior firmitas ex carentia affectus erga obiecta contraria. Sic pœnitens firmiùs proponit circa peccata futura, & longiùs postea perseuerat in obseruantia præceptorum diuinorum, quando radicitus exuit affectum omnem erga obiecta prohibita. E contra verò solent citiùs cadere, & relabi in peccata, qui licèt cõceperint propositũ non peccandi, retinuerunt tamen affectum simplicem vehemẽtem erga honorem, erga diuitias, erga creaturam aliquam, à quo affectu iterum adueniente occasione rapiuntur ad priora peccata. Ad hoc autem deseruit attenta meditatio circa fœditatẽ peccati, circa defectum boni caduci, & creati, & similia, vt auertatur radicitùs cor ab amore eorum, quæ antea diligebat, & firmior maneat amor bonorum æternorum. Si ergo firmior est affectus erga fidẽ, atque adeò, & ipsa fides, quando radicitius tollitur affectus erga ea omnia, quæ fidei opponũtur, & tunc dicitur fides bene in corde radicata. E contra verò, qui retinent affectum erga bona creata, vel ea, quæ fidei opponuntur, faciliùs posteà à fide deficiunt, & de his dicitur, quod in tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt, quia non habebant radices: sicut enim plãta firmior est, quò profundiores habet radices, ita & fides ex hoc potissimum capite firma dicitur, vel infirma. Denique ad hanc fidei firmitatem multum conducit diuina gratia specialis, non solùm per protectionem, & custodiam, qua tentationes auertuntur, ne occurrant; quæ protectio, si est extrinseca, non videtur denominare fidem intrinsecè firmam; sed multò magis per auxilia intrinseca specialia, quibus affectus, & intellectus intrinsecè firmantur, quam firmitatem petimus à Deo, dum dicimus, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: & his omnibus modis explicari potest inæqualitas fidei, quæ de facto reperitur, & cum proportione applicari possunt ad spem, & charitatẽ, & cæteras virtutes infusas.

69 *An quando fidei habitus infusus augetur intensiuè, augmentum, seu intensio fiat physicè ab actibus.*

Hoc ergo supposito, dubitatur primò, an quando fidei habitus infusus augetur intensiuè, augmentum, seu intensio fiat physicè ab actibus. Quæstio tamen hæc generalis est de habitu charitatis, & aliis habitibus infusis, quæ tractari solet in 1. 2. *in tract. de virtutibus infusis*, & vltra alios videri potest Suarez *tom.* 3. *de gratia lib.* 8. *cap.* 4. qui bene notat, non procedere hoc dubium de habitu gratiæ, nec etiam de prima infusione habituum completè sumpta in iustificatione: cùm enim actus, qui est dispositio vltima, sit actus vnius virtutis, non potest habere vim ad producendos physicè habitus aliarum omnium virtutum. Vnde neque etiam dubium est de augmento habituum, quod non confertur ex merito condigno, vel congruo præsenti, sed ex opere operato, transacta iam dispositione, si quæ fuit: nam actus præteritus non potest physicè operari, vt constat. Solùm ergo potest esse dubium de prima infusione habitus, vel eius augmento, quod datur præsente actu eiusdem virtutis. De quo etiam supponitur, quod saltem per potentiam obedientialem posset eleuari à Deo, vt instrumentum ad productionem physicam habitus infusi, vel eius augmenti, suppositâ sententia cõcedente hanc potentiam obedientialem actiuam ad producendos effectus improportionatos. De facto tamen non assumi actus à Deo supra eorum naturam ad productionem habituum, neque esse fundamentum ad id asserendum, excepto sacramento Pœnitentiæ, in quo contritio, vel attritio est pars sacramenti, & concurrit partialiter ad productionem gratiæ & aliorum habituum in sententia docente sacramenta causare physicè gratiam probat idem Suarez ibi *num.* 1.

Aliqui ergo, quorum meminerunt Turrianus hîc *disp.* 45. *dub.* 7. *vers. alij verò*, & Suarez *vbi supra num.* 3. *in fine* volunt, hos actus habere vim sibi connaturalem ad producendos eos habitus infusos, præcipuè quoad eorum augmentum. Fundamentum autem præcipuum esse potest exẽplum habituum naturalium, ad quos producendos, vel augendos habent vim actus naturales. Alij tamen Theologi omnes pro certo supponunt, hos habitus non posse physicè produci, vel augeri ab actibus: imo Hurtado *disp.* 62. *sect.* 2. §: 12. dicit oppositum etiam quoad augmentum non esse tutum, & Medina apud Suarez *vbi supra num.* 11. dicit, licèt non si erroneum quoad primam productionem esse temerarium. Ipse tamen Suarez *num.* 12. & 17. has censuras non approbat, sed dicit, communem sententiam esse solùm assertionem communem ita certam intra latitudinem opinionis, vt contraria non possit probabilis reputari. 70

Omissis autem multis rationibus parum efficacibus, quibus defendi solet, & quæ videri possunt apud prædictos Auctores, & apud Coninch *de moralitate actuum supernaturalium disput.* 7. *dub.* 2. probari potest primò, quia in iustificatione hi habitus à Deo infunduntur, & non generantur ab actibus, vt significat Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. dum dicit, charitatem per Spiritum sanctum diffundi in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhærere, & hæc omnia infusa accipere hominem per Iesum Christum, fidem, spem & charitatem: quæ omnia significant infusionem à Deo, provt condistinguitur ab acquisitione per proprios actus. Quod etiam significauit Augustinus *lib.* 2. *contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 9. vbi dicit, hominem præparare cor, (nempe per actus (licèt non sine cooperatione Dei, Deum autem præparato cordi ita respondere, *vt in eo nihil operis habeat homo, sed totum sit à Domino Deo.* Vnde argui potest ad augmentum eorum habituum: quia sicut homo per proprios actus se disponit ad primum gradum habituum, ita postea per merita subsequentia se disponit ad eorum augmentum; ergo sicut Deus solus physicè producit primum gradum, non concurrente physicè dispositione, vt causa, ita Deus solus producet physicè secundum gradum; actu nostro se habente solùm vt dispositione: illa enim causa, quæ non habet virtutem ad producendum primum gradum qualitatis, minùs poterit producere physicè secundum, ad quem maior virtus semper requiritur, quàm ad primum.

Hinc rursus secundò probatur, quia si habitus physicè produci possent per actus, non essent per se, & ex natura sua infusi, sed acquisiti, sicut & habitus naturales, licèt per accidens possent à Deo infundi, & ideo dici possent per accidens infusi, sicut & habitus naturales dici solent acquisiti per se, & per accidens infusi. Quod tamen est contra Theologos omnes statuentes hos habitus esse per se, & ex natura sua infusos, quia hoc modo debent iuxta suam exigentiam à Deo infundi. 71

Tertiò probatur à priori, quia hi habitus non sunt sicut acquisiti, qui solùm dantur ad faciliùs operan

operandum, & supponunt iam potentiam completam in ratione potentiæ, sed potiùs dantur ad simpliciter posse, & vt potentia sit completa in ratione potentiæ quæ sine habitu, vel aliquo alio comprincipio supplente loco habitus non est completa in ratione potentiæ: & ideo non acquiruntur per actus, quia potentia debet omnino præsupponi ad suos actus, non verò potest, aut debet per actus comparari. Hoc autem argumentum eodem modo probat de intensione, seu augmento habituum: quia sicut primus gradus intensionis, ex parte habitus dat simpliciter posse ad actum supernaturalem remissum; ita intensio ipsius habitus dat simpliciter posse ad actum intensum; ergo non minùs intensio, quàm primus gradus habet se per modum potentiæ, atque ideo non magis poterit ex natura sua produci physicè per actus; hi enim si intensi sunt, iam ad ipsos connaturaliter præcedere debebat habitus intensus, quare non possunt ij actus habere vim producendi in habitu intensionem, quæ connaturaliter loquendo deberet præsupponi semper ad actus intensos. Si verò ij actus non sunt intensi, sed remissi, minùs poterunt producere physicè intensionem in habitu, ad quam intensionem, vt diximus, maior virtus requiritur in causa, quàm ad producendum gradum remissum.

73 Quartò, probari potest ex principio alio supra posito, quod hi habitus comparantur vt passiones consequentes, & dimanantes ex gratia habituali: quare nulla causa habebit virtutē eos physicè producendi, quæ non habeat virtutem producendi gratiam: alioquin ponerentur passiones gratiæ sine gratia: si autem ponitur habitus gratiæ, statim resultant hi habitus, vel per efficientiam physicam, qua fiunt à gratia, vel per dimanationem, qua ad exigentiam gratiæ fiunt à generante, hoc est, ab ipso Deo, qui infundit gratiam. Non est ergo in ipsis actibus ponenda vis physica producendi hos habitus, cùm actus non possint physicè causare gratiam, nec posita gratia, necessaria sit in actibus talis vis producendi habitus, qui ex positione gratiæ, etiam sine concursu actuum debent connaturaliter resultare.

Vnde quintò arguere possumus: quia in peccatore durante statu peccati habitualis, reperiuntur plures actus boni supernaturales virtutum moralium, quales sunt misericordia, iustitia, & attritio etiam supernaturalis ante susceptionem sacramenti: & hi actus non producunt habitus infusos earum virtutum: quia nimirum non possunt producere habitum gratiæ, sine quo non dātur alij habitus earum virtutū. Hinc autem argui potest ad habitum charitatis; nam licèt eius actus non deātur in peccatore remanente in peccato: non potest tamen reddi ratio, cur actus temperātiæ, vel attritionis supernaturalis nō possint physicè producere suos habitus, si actus charitatis potest physicè suum habitū producere; cùm non minorem proportionem habeat actus iustitiæ cū suo habitu, quàm charitas cum suo, & sic de aliis.

74 Sextò probari hoc ipsum potest ex modo, quo augmentum horum habituum de facto datur, nimirum propter merita condigna bonorum operum, quæ iustus operatur, & vt præmium eorum operum: præmium autem hoc habet ex se, vt à præmiante debeat reddi propter opera, quare non fit hoc augmentum ab ipsismet operibus, sed opera facta mouere debent Deum, vt eorum intuitu præmium conferat, & augmentum habituum infusorum. Alioquin si iustus suis actibus produceret sibi physicè hoc augmentum, non magis à Deo præmium acciperet, quàm à semetipso, qui sicut suos actus sibi elicit, ita & præmium sibi physicè produceret. Quamuis autem Deus posset non concurrere cū actu bono ad producendum augmentum habitus, & ideo videatur à Deo etiam accipi illud augmentum: hoc tamen non videtur sufficere ad rationem præmij condigni, quod ita debet condistingui à merito, vt addat aliquid supra totum id, quod iam censetur ipse merens habere in bonis suis. Qui autem posuit actum bonum habentem vim per modum causæ efficientis necessariæ ad augendum habitum, iam censetur habere in bonis suis totum illud augmentum. Nec vllus vnquam dixit, habitum naturalem, quem exercitio actuum bonorum acquirimus, esse proprium præmium ipsorum actuum, quibus acquiritur, nisi fortè impropriè, sicut virtus dicitur ipsa esse sibi merces. Nec actus externus bonus est præmium, quo præmiatur condignè voluntas interna, à quo efficaciter imperatur, sed est effectus necessarius eius voluntatis, qui sine miraculo impediri non potest. Sic autem se haberet in ea sententia augmentum habitus infusi, cùm esset effectus necessarius physicus actus boni supernaturalis, cuius physica efficientia sine miraculo impediri non posset, & sine violentia causæ efficacis physicæ, & necessariæ: non ergo esset præmium condignum illius actus, sed effectus illius; cùm tamen de facto ij actus, sicut merentur de condigno augmentum gratiæ, ita mereantur augmentum habituum supernaturalium, qui gratiam consequuntur, vel comitantur.

Confirmari potest primò, quia frequentiùs de 75
facto datur eiusmodi augmentum propter actus aliarum virtutum, quàm propter actus illius virtutis cuius habitus augetur: nam habitus infusus iustitiæ, v. g. augetur propter actus non solùm iustitiæ, sed etiam misericordiæ, temperantiæ, fidei, spei, charitatis, & aliarum omnium virtutum, vt suppono, cùm iis omnibus actibus detur augmentum gratiæ, ad quod consequitur augmentum aliorum omnium habituum infusorum. Quare necesse est, vt multò frequentiùs augeatur habitus infusus iustitiæ propter alios actus, quàm propter actus iustitiæ, cùm multò plura sint opera bona aliarum omnium virtutum, quàm solius iustitiæ. Quod idem dici potest de ipsa charitate, cuius habitus augetur etiam propter actus bonos aliarum omnium virtutum infusarum, qui cōmuniter loquendo multò plures, & frequentiores erunt, quàm actus solius charitatis. In iis autem casibus non potest dici, quod augeantur omnes habitus infusi physicè, ab actu cuiuslibet virtutis, cùm actus temperātiæ nullam habeat proportionem in se, vt sit causa physica habitus charitatis, vel iustitiæ: quare fatēdum est solùm concurrere, vt causam meritoriam, & modalem, atque ideo naturam huius augmenti de se postulare, quod fiat à solo Deo, cùm ille debeat esse communis modus, quo conferri debet, nec nisi quoad partem exiguam possit fieri ab actibus, facta comparatione ad id, quod sine efficientia actuum conferri deberet, etiamsi in ipsis actibus concederetur ius producendi physicè augmentum proprij habitus ad quem singuli spectant.

Confirmari denique potest secundò, quia si 76
hæc efficientia non esset solùm moralis, & meritoria

ritoria,sed etiam physica, deberet augeri physicè habitus infusus ab actibus saltem supernaturalibus eiusdem virtutis, etiam quando ij actus non essent meritorij,atque adeo actus charitatis, qui continuò à Beatis ardentissimè exercetur erga Deum, deberet augere physicè ipsum habitum infusum charitatis;quod est manifestè falsum,& absurdum. Sequela verò probatur, quia ad efficientiam physicam,solùm attenditur virtus physica, & substantia causæ; quare cùm ille sit verè actus charitatis quoad substantiam, non posset impediri à sua actiuitate; nisi per miraculum, quod ineptè continuò fingeretur ibi ad impediẽdum augmentum charitatis.Quod si dicas,actus solùm liberos habere hanc vim physicam augendi habitus;hoc in primis absque fundamento diceretur.Sed remanet eadem difficultas circa alios plures actus charitatis liberos,quos Beati eliciũt circa Deum, quando v. g. Angeli propter Dei gloriam nos custodiunt, & tuentur: & denique eadem difficultas erit de omnibus actibus bonis liberis, quos circa alias virtutes eliciunt plurimos in cœlo, per quos tamen non augentur habitus infusi, & hoc præcisè, quia non sunt actus meritorij ex defectu status viatoris: qui defectus non est intrinsecus in ipsis actibus, cùm status viatoris, vt suppono, constituatur per decretum extrinsecum, & legem Dei statuentis tale,vel tale tempus pro statu viæ: quare iidem actus,quos habent in purgatorio animæ, si haberentur in hac vita, essent meritorij de condigno, & augerent gratiam,& habitus infusos, quos tamen ibi non augent: non ergo habent ex se vim physicam producendi tale augmentum, ne dicamus eam vim perpetuo miraculo impediri extra viam, ne operetur,quod physicè deberet operari.

77 Fundamentum verò desumptum ab exemplo habituum naturalium,qui physicè generantur,& augentur per actus, retorqueri in primis potest, quia actus naturales non possunt producere physicè habitus, qui compleant potentiam in ratione potentiæ, sed solùm, qui reddant potentiam faciliorem,ergo nec actus supernaturales possunt physicè efficere habitus hos,qui dant simpliciter posse, imò qui, vt dixi alibi, non dant faciliùs posse, non enim sentit maiorem facilitatem ad credendum puer baptizatus in infantia, & nutritus in syluis,quando fit adultus,& ei proponuntur res fidei, quàm si non fuisset baptizatus, nec haberet habitum infusum:non ergo potest argui ab habitibus acquisitis ad infusos, vt hi etiã fiant ab actibus sicut illi.Deinde habitus acquisiti non solùm quoad augmentum, sed etiam quoad primam generationem fiunt per actus: quod tamen de habitibus infusis dici non potest, cùm ad primum etiam actum prærequiratur ex natura rei habitus, qui compleat potentiam. Vnde constat ratio differentiæ inter vtrosque habitus:hi enim, qui dantur ad modum potentiæ, non possunt ab actibus fieri, sicut nec potentiæ fiunt à suis actibus, licèt illi, qui supponunt potentiam, & solùm deseruiunt ad eam inclinandam,& facilitandam,possint ab actibus fieri,& augeri. Addo denique habitus naturales in mea sententia esse solùm species benè coordinatas relictas ex actibus præcedentibus, vt probaui in Philosophia: ex quibus, & ex memoria priorum voluntatum,vel assensus sæpius præstiti sine experientia incommodi,prouenit illa maior facilitas ad perseuerandum in decretis, & ad percipienda obiecta cum minori attentione,& labore,propter species iam longo discursu fabricatas, & propter sympathiã, qua excitantur faciliùs in memoria. Quæ omnia non pertinent ad habitus infusos, qui non sunt species, nec præstant id, quod à speciebus benè ordinatis prouenire potest; quare licèt actus etiã supernaturales possint generare hanc facilitatem habitualem prouenientem à speciebus benè ordinatis ex ipsis relictis, non sequitur,quod possint generare, vel augere habitus infusos,qui dantur ad modum potentiæ. An verò possint relinquere habitus acquisitos,seu facilitatem ad alios actus, non est huius loci. Certè supposito,quod habitus acquisiti, & eorum facilitas sint species benè ordinatæ,& memoria actuum præcedentium;idem sine inconuenienti concedi potest de actibus supernaturalibus, cùm experientia constet non minùs ab eorum exercitio reddipotentiam faciliorem ad alios actus posteriores,quàm ab exercitio actuum naturalium, & negari non possit, quod relinquant etiam post se species sui, quæ deseruiant & ad memoriam,& ad faciliùs,& cum minori defatigatione percipienda obiecta, & motiua, quæ antea non nisi cum attentione, & labore percipi,& examinari debebant.

Secundò principaliter dubitari solet,an quando habitus fidei,& spei manent in peccatore,augeantur per actus fidei,& spei, qui non per modum causæ,sed vel meriti de congruo, vel dispositionis deseruiant ad illud augmentum comparandum.Et quidem illi, qui dicunt, habitum fidei, quando infidelis denuò conuertitur ad fidem,infundi de facto absq;habitu gratiæ,& charitatis, facilè concedunt, repetitis actibus fidei, augeri etiam eius habitum in statu peccati: quia sicut actus primus fidei fuit dispositio sufficiens ad infusionem habitus,ita actus fidei subsequentes disponere poterunt ad eius augmentum, cùm non sit minor efficacia in actibus subsequentibus, quàm fuerit in primo actu. Ita concedunt Valentia hîc *disp.1.q.5.puncto 4.* Turrianus *disp.45.dub.1.* Hurtado *disp.61.sect.2.* Coninch *disp.17.dub.6.n.52.* saltem quando actus fidei sunt intensiores habitu: cum qua etiam limitatione de actibus solùm intensioribus idem docet Suarez *lib.9.de gratia c.4.n.10.* Addit tamen *n.15.* postea recuperata gratia augeri etiam fidei habitum per actus quoslibet fidei, vel aliarum virtutum, nisi fortè reperiatur iam fides ex incremento dato in statu peccati intensior, vel æquè intensa cum ipsa gratia:nam ad augmentum gratiæ solùm augetur consequenter fides, & spes, vt sint in eodem gradu cum gratia: quare si iam aliunde reperiuntur in eo, vel in superiori gradu, non augentur, sed remanent sicut antea; in quo dissentit à P. Vasquez, qui in 1.2. *disp.220.cap.6.num.56.* vt consequentiùs loqueretur, dixit, fidem, & spem neque etiam in homine iusto augeri nisi per proprios actus,quia hi habitus,cùm non sint connexi, cum gratia, sed de facto reperiantur ab ea separati,non habent etiam connexionem cum augmento gratiæ, & aliarum virtutum, sed siue sint informes,siue formati, semper augentur per omnes'& solos proprios actus;cui consentit Turrianus hîc *disp.45.dub.1.*

Nobis iuxta nostra principia suprà posita aliter dicendum est, habitum fidei, (& idem est de spe) in statu peccati non augeri per proprios actus; in homine autem iusto augeri per omnes actus,per quos augetur gratia. Et quidẽ,quod in

statu

ſtatu peccati non augeantur habitus fidei,& ſpei, concedunt ij omnes,qui negant infundi habitum fidei ante infuſionem gratiæ, vt fatetur Hurtado *diſp.61.* qui ait conſequentiam eſſe bonam,ſi fides non infunditur ſine gratia, nec eius angmentum ſine gratia,vel augmento gratiæ vnquam infundi. Vnde probari poteſt iiſdem argumentis, quibus ſupra probauimus, fidem non infundi ſine gratia: & rurſus abſolutè probari poteſt ex abſurdis, vel certè difficultatibus, quas aduerſarij pati coguntur,vt hoc augmentum fidei informis tueantur. Aliqui enim, vt vidimus, vt conſequenter loquantur, dicunt, fidem in homine iuſto non augeri niſi per proprios actus, atque adeo contingere,vt homo iuſtus habeat charitatem intenſiſſimam,& cæteras etiam virtutes morales, fidem autem remiſſam: quod certè duriſſimum videtur, nec ſatis etiam conſequenter dictum. Nam ipſi admittunt,poſito augmento gratiæ ex opere operato per ſacramenta,augeri etiam habitum fidei, vt fatetur expreſsè Turrianus *loco ſupra citato, §. ex dictis autem.* Ratio autem eſſe debet, quia per ſacramenta augetur iuſtitia, & fit homo magis iuſtus:ad complementum autem iuſtitiæ pertinent habitus virtutum: quare ſicut in prima iuſtificatione infunduntur ij habitus, ſic etiam quando augetur iuſtitia, debent augeri. Hæc autem ratio non minùs procedit de augmento iuſtitiæ & ſanctitatis,quod confertur propter merita,& ex opere operantis:nam tunc etiam fit homo magis ſanctus & iuſtus,& accipit incrementum iuſtitiæ: ergo non debet illud accipere deminutum, ſed completum quoad omnes habitus infuſos.

80 Secundò applicari poteſt ratio à nobis ſuprà adducta: quia valdè præternaturale eſſet,& contra debitum odinis ſupernaturalis, vt in homine iuſto eſſent valde intenſi habitus charitatis, & alij pertinentes ad voluntatem, & habitus fidei pertinens ad intellectum eſſet adeò debilis,& remiſſus:nam ſicut appetitus oritur ex cognitione, & petit cognitionem eiuſdem ordinis, & ideo appetitus ſpiritualis exigit cognitionem ſpiritualem, & appetitus ſupernaturalis exigit cognitionem ſupernaturalem:ita virtus,& potentia appetitiua exigit virtutem, & potentiam cognoſcitiuam eiuſdem ordinis, & ideo virtus appetitiua ſpiritualis exigit virtutem cognoſcitiuam ſpiritualem, & virtus appetitiua ſupernaturalis exigit virtutem cognoſcitiuam ſupernaturalem, & virtus appetitiua melior,& perfectior exigit meliorem, & perfectiorem virtutem cognoſcitiuam eiuſdem ordinis: vnde gratia eſſet in ſtatu valde violento, ſi poſito augmento charitatis, & habituum infuſorum in voluntate, maneret pars cognoſcitiua, & habitus fidei in ſtatu diminuto, & imperfecto.

81 Sed neque illi,qui concedunt,augeri habitum fidei in homine iuſto per actus omnium virtutum, quoties augetur gratia, loquuntur magis conſequenter:ij enim ex vno capite,vt dicant,infundi habitum fidei ſine gratia, & in peccatore augeri per actus fidei, conantur oſtendere, fidei habitum non habere connexionem cum gratia: & poſtea, vt defendant, eundem habitum fidei augeri in homine iuſto, quoties augetur gratia, ſaltem ſi non ſit æquè intenſus cum aliis habitibus,recurrunt ad connexionem,quam habet cum habitu gratiæ.Sic recurrit expreſsè Hurtado *dict. diſp.61. §.9.* vbi inde probat, non poſſe gratiam eſſe intenſiorem fide,*quia gratia,*inquit,*eſt principium phyſicum, aut morale habitus fidei, ita vt ſubſtantia gratiæ non poſſit eſſe ſine ſubſtantia habitus fidei:nec intenſio gratiæ ſine æquali intenſione fidei: quia gratia comparatur ſuſtantiæ naturali: vnde quælibet pars intenſiua gratiæ eſt natura intenſionis ſimilis: quia gratia eſt natura ſua principium amandi Deum,quod præſtari non poteſt abſque fide*; in quibus verbis agnoſcit clarè dependentiam habitus fidei ab habitu gratiæ tanquam paſſionis à ſua eſſentia, qua dependentia poſita, non eſt, cur concedatur fidem augeri in ſtatu peccati,cùm paſſiones non debeant augeri,quando eſſentia,à qua dimanant,non augetur.Eodem ferè modo loquitur Suarez *dicto lib.9.de gratia cap.4.num.15.* dicens fidem in homine iuſto augeri per omnes actus bonos, & meritorios quia gratia ſecum illam affert,& ideo illam etiam intendit, quaſi per reſultantiam, ſi illam minùs intenſam reperiat.

Ad hoc autem explicandum,& defendendum 82
affert idem Suarez ibi exemplum caloris, cum quo etiam forma ignis habet connexionem;nam licèt calor poſſit eſſe ſine forma ignis, & præcedat illam; at forma ignis eſt connexa cum calore, & affert ſecum totum calorem ſibi neceſſarium,vt à ſe reſultantem: ſi tamen aliquem calorem inuenit in ſubiecto:tunc ille non reſultat;reſultabit tamen intenſio caloris accommoda formæ ignis. Sic fides aliquando præcedit gratiæ infuſionem, & quidem in maiori intenſione, quàm ſit gratia adueniens; & tunc nec fides illa, nec augmentum reſultat ex gratia, quæ iam inuenit totam intenſionem fidei, quàm exigit, & aliquando maiorem:quando verò aduenit gratia intenſior, quàm ſit fides præcedens, tunc ex ipſa gratia reſultat augmentum fidei, donec adæquetur exigentia gratiæ intenſioris.

Cæterùm ex hoc ipſo exemplo oſtendi poteſt 83
defectus conſequentiæ in hac doctrina.Nam calor intẽſus ita eſt paſſio reſultans ex forma ignis, vt tamen quoad aliquos gradus præcedere poſſit productus ab agente extrinſeco, nec etiam per aduentum formæ impeditur agens extrinſecum à calefacienda eâdem materiâ:vnde ſi forma aëris petat calorem, vt ſex, v.g: & tota hæc intenſio reſultet à forma aëris, non impeditur per hoc agens extrinſecum,v.g. ignis à calefacienda materia aëris,& producendo ſeptimo gradu caloris, quia ignis, qui poterat ante aduentum formæ aëris calefacere illam materiam, poterit ſtante forma aëris adhuc eandem materiam calefacere, cùm habeat totam ſuam vim calefactiuam, & actiuam in eandem materiam.Smiliter ergo conſequenter dicendum eſſet in caſu noſtro, ſi actus fidei intenſus vt quatuor poterat in peccatore augere habitum fidei,& intendere, vt quatuor, & ita de facto illum intendiſſet, provt concedit Suarez, qui vult ſemper per actus habitu intenſiores intendi fidem in peccatore: ergo ſi idem actus intenſus, vt quatuor fiat ab homine iuſto, augebit habitũ fidei,& reddet intenſum,vt quatuor, cùm non impediatur actiuitas illius actus per præſentiam gratiæ, imò debeat augeri, ſicut augetur dignitas, & valor ad merendum plus. Conſequens autem non videtur poſſe admitti in ea ſententia:quia ſi aliquis habens habitum fidei, vt duo iuſtificetur, & accipiat gratiam etiam vt duo: tunc habitus fidei non augetur, ſed remanet vt duo, vt ſit æqualis gratiæ: quare actus

fidei existens eo instanti non auget habitum fidei, quem tamen augeret, si homo maneret in peccato. Deinde si postea eliciat actum fidei intensum vt sex, non intendet habitum fidei vt sex: quia suppono, quod non potest de condigno augere gratiam vsque ad intensionem vt sex: neque enim omnes actus cuiuslibet virtutis merentur æqualiter: cùm autem actus charitatis vt sex ad summum intenderet habitum charitatis, & gratiæ vt sex, non potest actus temperantiæ, aut fidei æqualem intensionem gratiæ, & charitatis promereri: quare nec habitus fidei augebitur, vt sex, cùm in homine iusto per te habitus fidei non progrediatur in augmento nouo supra intensionem gratiæ, sed debeat sistere eius augmentum, donec gratia eum adæquet. Erunt ergo peioris conditionis actus intensi fidei facti ab homine iusto, quàm facti à peccatore, cùm his detur augmentum habitus fidei, & non illis: quod ex se satis durum, & difficile apparet. Habet autem hic discursus maiorem vim ad hominem, eo quod P. Suar. *dicto c.4.n.11.* videatur supponere actum intensiorem fidei esse dispositionē, cui debeatur augmentum intensiuum in habitu, & quæ Deum quodammodo cogat ad illud augmentum producendum, his etiam verbis vtitur Suarez: quare difficile apparet, cur eadem dispositio actus intensioris posita in homine iusto non exigat idē augmentum in habitu, licèt habitus supponatur iam intensior, quàm gratia: tunc enim præcedit etiam ratio, quam affert Suarez ibi, nempe quod cùm *causa secunda disponit sufficienter subiectum ad aliquam formam, & caret virtute introducendi illam, quasi ex naturali debito ad Deum spectat inducere formam, vt in generatione hominis*, &c. propter quam rationem dicit, posito actu intensiori fidei in peccatore, produci à Deo intensionem in habitu, ad quam subiectum inuenitur sufficienter dispositum: quæ ratio magis deberet procedere in homine iusto, in quo subiectum est magis, & melius dispositum propter maiorem valorem actus fidei formatæ, quàm informis, vt constat.

84 Vnde apparet etiã, minùs consequenter eundem Suarez ponere hanc tantam vim dispositiuã in actibus fidei, qui fiunt à peccatore, vt iis Deus debeat addere intensionem in habitu: cùm tamen idem auctor *lib.8. de gratia, c.4. num.10. & 17.* hoc vnico argumento probasset non produci physicè ab actibus habitum supernaturalem, aut eius intensionem, quia ij actus ex natura sua debent supponere potentiam, qualis est habitus supernaturalis respectu actuum, atque adeo non potest actus ex natura sua habere vim productiuam talis habitus: quia licèt aliquando hi actus fiant ante habitum: *hoc*, inquit, *est præternaturale: ordo autem connaturalis talis actus est, vt supponat habitum, tanquam connaturale, & necessarium principium, & ideo ex natura sua non habet efficaciam ad illum.* Quæ ratio certè æquè probat, non posse his actibus, vt dispositionibus deberi intensionem sui habitus: quia intensio etiam in habitu est connaturale, & necessariũ principium ad intensionem in actu, ergo non potest intensio ipsius actus esse dispositio, cui ex natura rei debeatur intensio habitus, cùm nulla possit esse dispositio ex natura rei ad eam formam, quam ex natura rei semper debet præsupponere: quare vel illa ratio non probat sufficienter efficaciam actuum ad producendam per veram causalitatem substantiam, vel intensionem habitus, vel æquè probat, non posse esse dispositionem, cui ex natura rei debeatur intensio habitus.

Denique hinc vltimò colligi potest, minùs 85
consequenter aliquos ex iis Auctoribus concedere, augeri fidei habitum informem per actus intensiores, non verò per remissos, aut æquè intensos, prout loquuntur Suarez *lib.9. dicto cap.4. num.10. in fine.* & Coninch *dicto dub.6.num.92.* Quamuis magis consequenter id etiam de actibus remissis concesserint Turrianus *dicta disp.45. dub.1.* & Hurtado cum aliis *dicta disp.61. sect.2.* Ratio autem est ex dictis: quia hi actus, vt vidimus, non possunt esse dispositio connaturalis, seu cui ex natura rei debeatur augmentũ habitus infusi, quare videtur quod solùm disponant per modum meriti de congruo; ideo enim attenditur libertas, & honestas in iis actibus, vt Deum moueant ad augendum habitum. Ad hoc autem genus dispositionis per modum meriti non requiritur maior intensio in actu, cùm actus etiam remissi charitatis, & aliarum virtutum in homine iusto mereantur de facto augmentum gratiæ, & intentionem habitus charitatis, & aliorum habituum supernaturaliũ, vt suppono, & videbimus in tract. de charitate, & concedit idem Suarez quia nimirum in ratione meriti non attenditur proportio physica, sed moralis, & possunt in æstimatione morali plures actus remissi æquiualere vni intenso, & multitudine cõpensare defectum intensionis, quare potest idem præmium correspondere pluribus actibus remissis in peccatore, vt sicut vnus actus intensus disponit per modum meriti de congruo ad intensionem habitus, sic possent plures actus remissi, ita vt singuli disponant successiuè, & obtineant multo minus, sed tamen aliquid illius intensionis, quam obtineret simul vnus actus intensus. Vides quot difficultates occurrant in illo augmẽto habituum fidei, & spei in statu peccati, quibus omnibus liberat se, qui illud negat, & tunc omnia facilè componuntur, dum habitus fidei, & spei semper seruant æqualem mensuram cum habitu gratiæ & semper eisdem actibus infunduntur, & augentur, vt passiones gratiæ, ad cuius positionem ponuntur, & ad cuius incrementum pari passu augentur. Vnde tandem Hurtado *dicta disp.61. sect.3.§.14.* ingenuè fatetur, se propter solam aliquorum auctoritatem motum esse ad id augmentum fidei informis concedendum, nec aliud ad id fundamentum habere, satiùs tamen fuisset id cum aliis negare, ad quod fatetur se nullũ fundamentum habere, nisi aliquorum auctoritatem.

Solùm opponi solet, quod habitus fidei & spei 86
de facto manent in peccatore sine gratia, & charitate: ergo in eo etiam statu possunt augeri per actus suos: cur enim maiorem dispositionem exigat Deus ad intensionem, quàm ad substantiam horum habituum. Ad hoc tamen respondetur facilè, dispositionem requisitam ad conseruationem horum habituum non esse eorum actus, sed solum negationem actuum contrariorum nempe infidelitatis, & desperationis: nam puer in infantia baptizatus, etiamsi factus adultus nullum exercuerit actum fidei, aut spei nutritus in sylvis, & commiserit alia peccata mortalia, retinebit habitus fidei, & spei, quandiù contra eas virtutes non peccat. Ratio autem congruentiæ est, quia minus requiritur ad conseruationem, seu non destructionem rei, quàm ad productionem,

vel

vel augmentum : & aliunde Deus, vt supra diximus, voluit relinquere in peccatore habitus fidei & spei; vt posset ad iustificationem congruo modo disponi ; ad quem finem non erat necesse augere eos habitus in statu peccati, nec parum erat indigno eos non auferre, quin eos etiam in inimico propter opera mortua augeret, maximè cum ad sustinendum eiusmodi augmentum tot debeamus difficultatibus implicari, vt vidimus.

87 *An habitus fidei, & spei remittantur aliquando, & diminuatur sine totali destructione.*

Tertiò principaliter dubitari solet, an habitus fidei (& idem etiam est de habitu spei) remittatur aliquando, & diminuatur sine totali destructione; suppono totum eum habitum auferri, & corrumpi peccato infidelitatis, de quo dicemus disp. sequenti agentes de subiecto fidei. Porrò eundem habitum fidei posse in peccatore fideli remitti, & debilitari, indicauit vt probabile Bañes hîc *q.4.art.5. dub.1. in resp. ad 4.* quod etiam de spe videtur ibi supponere; vnde has duas virtutes dicit semper in peccatore esse debiliores, & magis remissas, quàm in quolibet iusto. Quamuis postea idem Auctor addat, magis sibi placere, quod in peccatore fideli remaneat habitus fidei cum tota intensione, quam antea habebat.

Hæc sententia ab aliis, qui eius meminerunt, acriter reiicitur : ij sunt Turrianus *disp.45.dub.3.* & Hurtado *disp.61.sect.4.* quamuis vterque mendosè locum Dominici Bañes allegauerit. Suarez verò *lib.11. de gratia cap.8. num.16.* huius sententiæ non meminit, & ideò solum probauit habitum fidei non remitti, quia per peccata venialia contra fidem non diminuitur. Absolutè autem impugnatur primò ex consensu Theologorum, qui quando dicunt, fidem aliis peccatis præter infidelitatem non amitti, hoc intellexerunt vniuersaliter, vt nihil illius amittatur : eodem enim modo dicunt, gratiam peccatis venialibus non amitti, & fidem non amitti, nisi per solam infidelitatem, certum autem est, gratiam, & charitatem nec quoad sui partem amitti per peccata venialia : ergo nec fides quoad partem amittitur per mortalia præter infidelitatem. Quod videtur etiam conformius modo loquendi Tridentini *sess.6.c.15.* dicentis, quod fides non nisi per infidelitatis peccatum amittitur; nam quod minuitur, verè ex parte amittitur, & qui pecuniæ partem ludo, vel partem mercium naufragio amittit, verè dicitur pecunias, & merces amittere. Quod magis locum habet aduersùs illam sententiam, iuxta quam aliquando qui fidem habebat intensam vt 20. amittet ferè omnes illos gradus quolibet peccato mortali, debet enim retinere fidem remissam, & minorem, quàm quilibet iustus, qui fidem valdè remissam habet, quam amittet quasi totum, quod habebat, & retinebit vnum, vel duos gradus.

88

Deinde ratione impugnatur, quia hæc expulsio intensionis fidei, si fit, id erit propter peccatum commissum, & in pœnam illius : cùm autem peccata omnia sequentia singula sint digna eadem pœna, deberet successiuè auferri aliquid illius intensionis, quæ remanserat, atque ita multiplicatis peccatis, tandem expelleretur tota fides habitualis, quod non concedent. Neque enim apparet, cur Deus magis puniat primum peccatum, quàm posteriora, quę sæpè multò grauiora erunt. Non est ergo fundamentum id dicendi de primo peccato. Nam quod fides debilior maneat in peccatore, id prouenit ex eo, quod mortua sit, nec à consortio charitatis foueatur, & excitetur, & quia peccatori desunt feruentiora auxilia, & lumina, quibus fides magis illuminetur, & excitetur ad operandum. Sicut etiam spes debilior est in peccatore, non propter diminutionem intrinsecam habitus, sed quia fœda conscientia fiduciam retardat, iuxta illud 1. Ioann.3. *Si cor nostrum reprehenderit nos, fiduciam habemus.* E contra verò conscientia maculata omnia timet, & difficiliùs sperat.

DISPVTATIO XVII.

De subiectis fidei.

SECTIO I. *Vtrum in Angelis viatoribus, & in primis parentibus fuerit fides.*

II. *Vtrum in Dæmone, vel animabus damnatis maneat fides.*

III. *An detur fides in Beatis, vbi etiam de animabus Purgatorij.*

IV. *An in hæretico, vel infideli habitus fidei remaneat.*

V. *An ablato habitu fidei, auferatur etiam simul habitus Theologiæ.*

VI. *Vtrum maneat actus fidei in eo, qui scienter negat alium eiusdem fidei articulum.*

DE subiecto proximo diximus *supra*, an fidei habitus sit immediatè in anima, vel in potentia intellectiua distincta: nunc agendum restat de subiecto totali, seu de habentibus fidem, qui sint. Vbi dubium est primò de Angeliis, secundò de primis parentibus, tertiò de damnatis, quartò de Beatis, quintò de animabus Purgatorij, sextò de hæreticis, & infidelibus.

SECTIO I.

Vtrùm in Angelis viatoribus, & in primis parentibus fuerit fides.

NOn pauci negant, Angelos habuisse in statu suæ viæ propriam fidem, sed quidam dicunt habuisse cognitionem perfectam naturalem, alij notitiam supernaturalem scientiæ infusæ; alij euidentiam in attestatione, quæ in rigore non est fides, sed scientia. Auctores retuli *supra disp.2. sect.1.* & videri possunt apud Suarez *lib.5. de Angelis cap.5.n.15.* Communis tamen Theologorum sententia affirmat cum S. Thoma hîc *q.5. art.1.* quos latè congerit, & sequitur idem Suarez ibi *n.6.* Hurtado *disp.59. sect.1.* Coninch *disp.17. dub.1.n.16.* Turrian. *disp.43. sect.2. dub.2.* & alij omnes communiter : imò aliqui contrariam sententiam censura aliqua notant, vt Bañes *dicta quæst.5. art.1.* qui eam dicit temeratiam, & Valentia ibi *puncto primo, versiculo Minor probatur*, qui nō nihil temeritatis in ea agnoscit. Coninch *vbi supra* dicit, hoc esse omnino certum. Suarez *vbi supra num.16.* dicit contrariam sententiam falsam esse, & omnino improbandam. Alij tamen ab omni censura eam sententiam liberant, vt Turrianus

1 *Sententia negans.*

Sententia affirmans & communis.

rianus *loco citato*, & Hurtado §.2.dicens non videri eam sententiam improbabilem.Certè non est locus Scripturæ expressus, nam verba illa generalia Pauli, *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. & alia similia loquuntur de hominibus, vt fatetur Lorca *disp.29.n.4.*

2 Probari solet hæc communis doctrina multis rationibus parùm efficacibus, quas referunt, & refellunt Suarez,&Turrianus locis citatis.Meliùs probatur ab exemplo hominum, nam in iis, in quibus non habemus auctoritatem,aut rationem contrariam, debemus eodem modo sentire de Angeli, & hominis sanctificatione. Fuit autem eadem, imò, & maior ratio, vt Angeli per fidem se disponerent, & mererentur suam beatitudinem: nimirum vt Angelus, qui pati non poterat in corpore, sed sola obsequia mentalia, & spiritualia Deo poterat exhibere, captiuaret intellectum in obsequium sui Creatoris,& propter Dei auctoritatem crederet,quæ nec videbat,nec sciebat. Potuisset quippe Deus homini etiam dare scientiam infusam, vel euidentiam in attestante, qua sine difficultate ex parte intellectus disponi posset per voluntatem ad suam sanctificationem, & tamen de facto noluit id facere,sed per cognitionem obscuram fidei eum dirigere,vt ostenderet obsequium nobilissimum intellectuale erga diuinam auctoritatem;cur ergo cum Angelo aliter se haberet Deus, nec ab eo hoc obsequium mentale exigeret à quo alia obsequia corporalia exigere non poterat.

3 Confirmatur, quia cùm Angelus, & homo ad eandem beatitudinem,& visionem Dei prædestinati fuerint,consequens est,vt per eadem media tam ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus fuerint ordinati; nam vt dicit Fulgentius lib.2.ad Trasimundum cap.3. *vna gratia in homine,& Angelo operata est;in illo vt surgeret, in hoc ne caderet.* Decebat ergo Angelum mereri non solum per amorem,sed etiam per fidem, & exhibere se in primis discipulum captiuantem intellectum in obsequium sui Creatoris, cùm nulla appareat repugnantia in natura Angelica ad eliciendum actum fidei.

Obiectio. Obiicies: Angelus habuit euidentiam in attestante;hoc est,cognouit euidenter reuelationem illam esse ex Deo, ergo cognouit etiam euidenter mysterium reuelatum esse verum, ergo non per fidem.Huic argumento,quod est præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, variæ adhibentur solutiones.Quidam dicunt,Angelo fuisse euidens Deum reuelare hæc obiecta; non tamen fuisse illi euidens,Deum non posse mentiri.Sed hoc est incredibile; cùm enim veracitas Dei sit euidens hominibus, multò magis erit euidens Angelis. Secundò dicũt alij,Angelos omnes præter supremum accepisse reuelationem immediatè,nõ à Deo,sed ab Angelis superioribus,de quorum veracitate poterant formidare. Verum restat eadem difficultas in Angelo supremo. Tertiò dicunt, euidentiam in attestante non gignere euidentiam,sed fidem conclusionis.Verùm hanc solutionem latè impugnaui *suprà disp.2. sect.1.* vbi vidimus, conclusionem in eo casu esse euidentem; nec elici ab habitu fidei; & sanè quidquid sit de nomine fidei, & euidentiæ; vix esset locus meriti; quid enim meriti haberet credere conclusionem,quæ habet connexionem necessariam omninò cum præmissis euidentibus.

4 Faciliùs ergo Respondetur iuxta doctrinam traditam illa *sect.1.* Angelum non habuisse euidentiam in attestante de reuelatione Dei; sed obscurè credidisse illam esse reuelationem Dei, ad quod credendum habuit motiua maxima, quæ licèt non ostenderent euidenter veritatem reuelationis, ostendebant euidentissimè credibilitatem eius.Quomodo autem Angelus potuerit formidare de veritate reuelationis,dictum est ibi, quam responsionem approbant alij, quos refert, & sequitur Granado hic *tract.13.sect.2.num.15.* cum aliis,quos affert.

Dices, Angelus cognouit intuitiuè entitatem ipsius reuelationis,imò & entitatem ipsius actus fidei; ergo cognouit euidenter esse à Deo; nam de essentia actus fidei est infallibilitas, & certitudo. Respondeo,potuisse Angelum cognoscere entitatem reuelationis vel actus fidei in se ipsis; non tamen ea distinctione, quæ exigitur, vt cognosceret eius supernaturalitatem, aut infallibilitatem intrinsecam,sicut homo experitur, & cognoscit actum, quo credit,vel amat Deum;& tamen non percipit eius supernaturalitatem. Nam quod dicunt aliqui, hominem non cognoscere suos actus in se ipsis,& cognitione quidditatiua, sed solùm à signo,& à posteriori, nunquam potui intelligere: homo enim non cognoscit suum amorem in aliquo effectu, (cùm læpe nullus sit effectus amoris) sed in ipso effectu formali, quem amor tribuit voluntati, seu in tendentia ad obiectum: quæ tendentia, & effectus formalis non sunt aliud ab ipso actu, ergo actus in se ipso cognoscitur: confusè tamen, & adeò confusè, vt nec immaterialitatem eius distinctè percipiamus,ergo potuit etiam Angelus percipere reuelationem,quin perciperet distinctè eius supernaturalitatem.

Dices,eo ipso sciret Angelus euidenter,illum actum esse supernaturalem,quia sciebat euidenter, se posse cognoscere distinctè naturalitatem, si esset in eo actu. Respondeo,Dæmonem etiam posse cognoscere subsistentiam humanam,quando existit: & tamen licèt eam non videret in Christo, non ideo cognouit euidenter mysterium Incarnationis, sed dubitauit, an esset ibi subsistentia humana sibi à Deo occultata propter aliquem finem. Sic etiam Angelus circa reuelationem potuit saltem imprudenter formidare,an esset naturalis,& occulta sibi, Deo id permittente ob aliquem finem: in hoc enim nulla apparet repugnantia.

Dicet aliquis,fides & euidentia eiusdem obiecti non repugnant,vt diximus *disp.2.* ergo licèt Angelus haberet euidentiam eiusdem obiecti reuelati,adhuc posset habere fidem illius,ergo non est cur negemus Angelum habuisse euidentiam reuelationis.Respondeo,si Angelus haberet euidentiam reuelationis, non posset habere fidem; quia non restabat,vnde fides haberet obscuritatem;& licèt idem obiectum materiale possit euidenter cognosci, & credi per fidem; non tamen potest euidenter cognosci, & credi eadem via; semper enim oportet,vt quatenus creditur, non appareat euidenter, nec inferatur ex medio euidenter cognito.

Ex dictis circa fidem Angeli infertur,quid dicendum sit de fide primi hominis in statu innocentiæ; de quo certius est habuisse fidem; tum quia in homine non inuenitur repugnantia si aliqua est in Angelo: tum quia valde insinuatur à Gregorio XIII.in Bulla contra Michaëlé Baium, vbi

vbi vigesima quarta propositio hæc erat: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono supra ordinem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coloret.* Quæ propositio cum aliis à Gregorio XIII. & Pij V. reiicitur; in eundem sensum loquitur Augustinus *lib.14.de ciuit. Dei c.17.* vbi dicit, primos parentes expertos fuisse, quid infidelitas, & inobedientia eis nocuissent. S. Ambros. *lib.5.epist.33.* cum Adamo loquens: *Agnoscis*, inquit, *te esse nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti.* S. Prosper ad excerpta Genuensium in respons. ad 3. dubium. *Credendo enim*, inquit, *Adam Diabolo, non credidit Deo.* vbi apertè supponunt, fidem fuisse liberam Adamo, alioquin si euidentiam haberet, siue rei in se ipsa, siue in attestante, non potuisset non credere Deo. Ad quod etiam videri possunt alia innumera Patrum loca, quæ congerit Suarez *lib.4.de opere sex dierum c.2.* & 4. qui dicunt, primos parentes peccatum infidelitatis commisisse. Quod quidem de Eua saltem quoad infidelitatem materialem non videtur posse negari propter verba Pauli 1. ad Timoth. 2. dicentis, Euam seductam fuisse: credidit ergo magis serpenti, quàm Deo, & per consequens non habuerat euidentiam de iis, quæ Deus dixerat. Si autem Eua habuit fidem propriam, & obscuram, non potuit id cum aliqua verisimilitudinis specie de Adamo negari. Et quidem cùm Deus, vel Angelus loco Dei sensibiliter Adamo loqueretur, & præcepta intimaret, vt cum communi supponit Suarez *lib.6.de Angelis, c.20.n.3.* & 36. non facilè apparet, quomodo notitia per voces illas sensibiles accepta potuerit dare euidentiam vel de re manifestata, vel de reuelatione diuina, quare necessaria fuit Adæ fides ad debito modo credendū propter diuinum testimonium, nec videtur de hoc puncto dubitari posse, quidquid sit de puncto præcedēti, quod ad Angelorum fidem spectabat.

SECTIO II.

Vtrùm in Dæmone, vel animabus damnatis maneat fides.

7 *Sententia affirmans.*

MAnere fidem in damnatis, si eam in via habuerunt, docuerunt Durandus *in 3. dist. 23.q.9.* quod videtur etiam docuisse ibi Magister §.4. & Alensis *3.p.q.64.membr.1.* & in eam sententiam inclinat Salmeron *disp.3. in epist. Iacobi*, & probabilem putat Valentia hîc *disp.1.quæst.5. puncto 2.* Quam tamen sententiam alij acerbiori nota inurunt, nam Bañes *in præsenti q.5. art.2. dub.1.* dicit esse periculosam, & errori proximam Suarez etiam *lib.8.de Angelis cap.6.n.6.* loquens de habitu infuso fidei, dicit esse valde temerarium eum in dæmone concedere. Turrianus *in præsenti disp.43.dub.3.* sententiam illam dicit esse improbabilem. Alij mitius de sententia illa loquuntur, vt Hurtado hîc *disp.59.sect.2.* qui eam ab omni nota liberat, & in censores acriùs inuehitur. Item Granado hîc *tract.13.sect.1.n.5.* censuram Magistri Bañes reprehendit. Lorca etiam *disp.30. n.4.* sententiam communem solùm veriorem appellat, & quod mirum est, idem Suarez *in præsenti disp.7.sect.5.num.3.* loquens etiam de habitu fidei infuso, solùm dicit, sententiam eum negantem in damnatis esse longè probabiliorem. Ego dicerem, sententiam illam, iam nunc videri improbabilem, cùm nec auctoritatis, nec rationis fundamentum firmum habeat, quippe cui iam nullus ferè Theologus acquiescat, & cuius fundamenta infirma sunt, vt videbimus.

8 *Sententia negans, & communis.*

Communis ergo, & verissima sententia Theologorum negat in damnatis, siue Angelis, siue hominibus fidem supernaturalem quoad actum, vel quoad habitum infusum: ita S. Thom. *in præsenti q.4. art.2.* Suarez hîc *disp.6. sect.9. num.9. & disp.7. sect.5.* & *dicto lib.8. de Angelis cap.6.* Hurtado, Granado, & Valentia *locis suprà citatis*, Coninch *in præsenti disp.17. dub.2. num.22. & sequentibus*, Turrianus *loco citato*, qui alios referunt. Pro ea videtur stare Dionysius de diuinis nominibus *c.4.* vbi docet, dæmones carere omnibus diuinis donis tam secundùm habitum, quàm secundùm operationem; & Augustinus *9. de Ciuit. cap.21.* vbi ait, dæmones non cognouisse Christum per lumen, quod illuminat fideles, sed per alia diuinæ virtutis effecta signa occultissima, &c.

9 Ratione etiam probatur (omissis aliis, quibus parum efficaciter ab aliis probatur) quia actus fidei infusæ indiget auxilio supernaturali gratuito ad hoc vt fiat; quod sanè auxilium meritò negatur damnatis, quibus iam gratiæ, & misericordiæ locus non est: & frustrà illis tale auxilium daretur: cùm enim actus supernaturales ordinentur ad iustificationem, & beatitudinem, cessante illo fine, prout cessat in damnatis, cessare debent media supernaturalia. Ex quo etiam fit, non manere habitum; tum quia (vt dixit Dionysius suprà) meritò priuantur omni dono supernaturali; tum quia habitus esset ibi otiosus, cùm in eo statu nullam vnquam posset habere opinionem. Neque obstat, manere in damnatis caracterem baptismi, vel sacerdotij; quia character iuxta veriorem sententiam non est qualitas operatiua, sed solùm est signum indelebile potestatis, vel gratiæ acceptæ, de quo dixi *disp.6. de Sacramentis in genere sect.4. n.69.* quod signum meritò manet ad maiorem eorum confusionem: at verò habitus fidei est qualitas operatiua dimanans ab habitu gratiæ, quo ablato petit ex natura rei extingui, præsertim cùm iam non maneat spes operandi per illum habitum.

Confirmatur primò, quia actus fidei infusæ postulat ex natura sua voluntatem bonam, & piam, à qua imperetur, vt diximus *disp.10. sect.3.* damnatus autem non credit ex affectu pio, & bono, ergo nec habere potest in eo statu actum fidei infusæ. Confirmatur secundò, quia fides infusa non vtcunque credit obiecta reuelata sed summa quadam certitudine, & super omnia, vt vidimus *disp.6. sect.1.* damnati autem, licèt credant mysteria, non assentiuntur maiori certitudine, quàm quæ oritur ex ipsis signis, quibus conuincuntur: illa enim summa certitudo prouenit imperatiuè à voluntate ex affectu colendi Deum: ergo fides damnatorum, non est fides infusa, sed alia longè inferior.

10 Probari potest secundò ad hominem, quia fundamentum relinquēdi fidem in damnatis, si quid probat, probaret æquè de omnibus: nam omnes cognoscunt se esse damnatos ob sua peccata, & carere visione Dei, quam potuerunt cōsequi, quæ est pœna damni, & se potuisse esse participes redemptionis factæ per Christum, & alia eiusmodi

& tamen non omnes retinent habitum fidei, cùm plurimi fuerint infideles, qui nunquam eum habuerunt, neque post mortem eis de nouo infundetur, neque enim Auctores illi id audent dicere: sicut ergo hi sine habitu aut actu fidei infusæ certissimè credunt vel sciunt hæc omnia; ita & fideles damnati poterunt eadem credere, vel scire sine habitu, vel actu fidei infusæ: omnes enim æquè obtenebrati sunt, & fortè magis obtenebrati sunt aliqui fideles propter grauiora crimina, quæ commiserant.

11 Obiiciuntur primò pro Durando verba illa
Obiectio 1. Iacobi in Epistola Canonica *Dæmones credunt & contremiscunt:* vbi fidem suæ operibus, quæ est in viatore, videtur omnino comparare cum fide dæmonum: quo etiam modo loqui videtur Augustinus *ep.*105. & 15.*de Trinit.c.*18. *& de fide & operibus cap.*14.16.*&* 22. Non videtur autem futurum firmum argumentum Apostoli ad redarguendum eos, qui de sola fide gloriabantur, nisi supponeret, fidem dæmonum esse veram fidem: responderent enim aduersarij, fidem suam esse longè superiorem fide dæmonum.

Omissis variis solutionibus: aliqui respondent, in prædictis verbis li, *credunt*, licèt ponatur de præsenti, poni tamen pro præterito: qui modus loquendi, & ponēdi vnum tempus pro alio apud Hebræos familiarissimus est Luc. 7. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* id est, *minus dilexit*, vt exponunt ibi Ambrosius, Theophylactus, Beda, Euthymius, Chrysostomus homil. de Zachæo, & alij; iuxta quem sensum argumentum Apostoli firmissimum est, quasi dicat, dæmones quando erant viatores etiam crediderunt, & tamen quia non habuerunt opera, damnati sunt; ergo & tu similiter, &c.

12 Cæterùm, quidquid sit de hac interpretatione;
communis solutio est, Apostolum non æquiparare in omnibus fidem dæmonum cum fide hominis viatoris; sed solùm quoad hoc, quod vtraque sterilis & inutilis est, si maneat sine operibus. Quod si aliquis responderet, fidem dæmonū esse coactam, & ideo esse inutilem, at verò fidem nostram esse liberam & affectuosam. Ex hoc ipso redditur firmius Apostoli argumentum: nam eo ipso ostenditur, fidem non esse laudabilem, ex eo præcisè quod est cognitio repræsentans talia obiecta, sed potiùs ex eo quod procedit à bona voluntate, à qua habet meritum, & laudem, quatenus coniungitur cum bono affectu voluntatis; ergo præter cognitionem intellectualem obiecti oportet curare de honestate affectus & voluntatis; ergo fides, cum qua manet voluntas turpis & inhonesta circa alia obiecta, non erit sufficiens ad salutem. Aliter explicari potest, Apostolum ibi solùm probare, ex defectu operum fidem esse mortuam; sicut ex defectu etiam fructuum ostenditur arbor mortua; ad hoc autem probandum affert fidem dæmonis, quam fidem, quæcunque illa sit, scimus nihil prodesse, & esse mortuam, quia caret operibus; ita fides hominis, quæ sterilis est, probabitur mortua; quod argumētum optimum est. Quod autem fides sine operibus non sufficiat ad iustitiam, probat deinde aliis argumentis, videatur Coninch vbi suprà *num.*31.

13 Secundò obiicitur, quia fides solùm perditur
Obiectio 2. peccato infidelitatis, sed dæmones, & plures dānati non peccarunt hoc genere peccati; ergo non est, cur amiserint fidem. Respondetur facilè, licèt in via nō auferatur fides, nisi ob infidelitatem: in termino autem auferri ratione status: quia iam non esset vtilis ad operandum, neque in ordine ad iustificationem, vt dictum est.

Tertiò obiicitur S. Thoma *infrà quæst.*18. *art.* 3.*ad* 2. vbi constituit differentiam inter fidem, & spem, quòd spes non maneat in damnatis, & fides maneat. Et 1. *part.quæst.*64.*art.*1. *in corpore* dicit, cognitionem, quæ est per gratiam, & in speculatione consistit, non esse malis Angelis omninò ablatam, sed diminutam, quia aliqua cognoscunt de secretis per reuelationem sanctorum Angelorum. Respondetur ad primam differentiam à S. Th. assignatam inter fidem, & spem, hanc solam esse, quod spes nullo modo maneat in damnatis, nec infusa, nec naturalis; fides autem maneat aliqua, cùm adhuc credant eadem obiecta, quæ nos credimus, licèt non per fidem infusam, cùm tamen nullo modo speretent, quæ nos speramus. Ad secundum locum ex *dicta q.* 64.*art.*1. Respondetur, S. Thomam ibi distinguere notitiam per gratiam à notitia per naturam, non quidem vt notitiam supernaturalem à naturali, sed solùm ex parte rei cognitæ; quia nimirum aliqua obiecta cognoscit Angelus eo quod ordinent ad ordinem naturæ, & causarum naturalium, & hæc cognitio mansit integra in Dæmone. Alia verò sunt obiecta occulta, quæ Deus decernit operari, & quorū notitia non debetur Angelo, & de his dicit communicari Dæmoni aliquam etiam notitiam, vel quia Angeli sancti aliqua ei manifestant, quando oportet, vel quia ex effectis externis ea Dei decreta manifestantur: neutra autem cognitio erit fidei *supernaturalis.*

Vnde obiter infertur primò, qua via maneat 14
in damnatis cognitio eorum, quæ nos per fidem credimus. Plures viæ assignantur. Prima est, quia Deus reuelatione eis manifestat, quàm iustè puniantur, de quo habent euidentiam in attestante; & cùm multi puniantur, quia negauerunt mysteria fidei, ea cognoscunt euidenter: imò & ipsa mysteria Deus illis fortè loquitur in acerbiorem ipsorum cruciatum. Ita explicat Hurtado *dicta disp.*5 9.§.8. qui addit, hanc totam reuelationem esse naturalem quoad substantiam, vnde per actum naturalem potest ab illis id totum credi. Suarez etiam *dicto lib.*8.*de Angelis c.*6.*n.*9. dicit, si Dæmonibus per sanctos Angelos aliqua reuelantur, illa naturali actu ab eis cognoscī: vel quia fortasse talia sunt, & taliter proponuntur, vt velle in se euidenter possint cognosci, vel saltem per euidentia signa illa credere cogantur; præsertim quia euidenter sciunt, sanctos Angelos mentiri non posse.

Alias vias hæc sciendi enumerat Coninch *dicta disp.*17. *num.*26. quia nimirum vident apertè se esse damnatos, ac puniri, idque propter sua peccata, atque ita compelluntur credere Deum esse, ac peccata in inferno punire. Item quia Dæmones in via clarissimè viderunt, Deum sibi mysteria fidei reuelare, & consequenter ea esse vera; item quia ex consideratione omnium notarum fidei, huius credibilitas, atque adeo etiam veritas ità clarè illis obiicitur, vt intellectus eorum planè conuincatur: longè enim clarius ac altiùs notas fidei penetrat, quàm nos eas possimus penetrare.

Ego non puto assignandam eandem regulam 15
vniuersalē pro omnibus fidei obiectis, nec etiam pro omnibus damnatis. Nam in primis aliqua obiecta nos fide diuina credimus, quæ omnibus

damna

damnatis fortasse euidenter constant: sicut enim Angeli mali naturali virtute sui intellectus cognoscunt euidenter existentiam vnius Dei infiniti, omnipotentis, &c. Ita credo animam separatam liberam à concretione corporis posse naturali virtute potentiæ intellectiuę cognoscere euidenter existentiam Dei, licèt minùs perfectè, quàm cognoscat Angelus. Rursus puto, quod omnes damnati tam homines, quàm Angeli euidenter cognoscunt peccata sua ob quę damnati sunt, & eorum malitiam, & grauitatem in particulari. Hoc enim spectat ad iustificationem diuini iudicij, & ad eorum pœnam, cuius non exigua pars est vermis conscientiæ propriæ testificantis singulis sua crimina, & eorum malitiam. Quæ notitia facilè poterit esse in illis sine aliqua reuelatione propria, per species perfectissimas naturales, quæ distinctè & clarè reducant in memoriam, & exprimant omnes, & singulas culpas, & earum malitiam; quæ memoria viuax, & præsens mirum in modum torquet damnatos omnes, nec ita grauiter torqueret, si non esset euidens, sed relinqueret aliquod dubium vel locum excusationi quoad factum, vel quoad ipsam malitiam.

16 Alia sunt obiecta fidei, quæ videntur etiam omnibus damnatis esse nota, vt iudicium vniuersale futurum, & resurrectio vniuersalis ad hoc, vt corpora etiam in æternum torqueantur, & vt Dæmones intra infernum recludantur sine facultate de cætero vagandi, & tentandi homines, qualem nunc habent. Quæ notitia, & aliorum similium obiectorum multùm conducit ad eorum tormentum, & potuit illis communicari per testificationem vel ipsius Dei immediatam, vel Sanctorum Angelorum, quæ testificatio potest esse naturalis. Nam proculdubio Angeli possunt naturaliter ad inuicem loqui, & Deus etiam sine infusione luminis supernaturalis potest loqui cum Dæmone vt auctor naturæ, provt loquutus refertur in *lib. Iob*, quando illum interrogauit de Iob, & facultatem ei concessit in eius corpus, & filios, ac reliqua bona fortunæ. Potest etiam hæc loquutio esse cum euidentia in attestante, & per consequens generare euidentiam rei testificatæ. Siue autem Deus immediatè, siue Angeli sancti hæc illis manifestent, credo ita fieri, vt ad minus generent euidentiam moralem de veritate loquutionis, & rei manifestatæ, vt postea de aliis obiectis dicemus: quod sufficit, vt moraliter saltem non possint dissentire.

17 Addo, non videri necessarium, quod semper Dæmones, & omnes damnati cognoscant, aut cognouerint certò omnia, quæ nos per fidem credimus: nam in primis multo tempore dæmones videntur dubij fuisse de mysterio Incarnationis, donec paulatim ex effectibus conuicti fuerunt: quod etiam de mysterio Eucharistiæ contingere potuit. Deinde damnati infideles, qui in hac vita fidei mysteria ignorarunt, non est necesse, quod statim initio suæ damnationis veritatem omnium mysteriorum in particulari certò percipiant. Credibile tamen est, quod dæmones nunc de omnibus habeant iam euidentiam saltem moralem, quia penetrant perfectissimè vim motiuorum nostræ fidei, quæ ad minus in eis generant euidentiam moralem. Homines verò damnati saltem post aliquod tempus, videtur, quod omnes habeant eandem notitiam totius nostræ fidei cum euidentia morali, quia stante multitudine innumerabili damnatorum, quorum plurimi propter infidelitatis peccata contra diuersos fidei articulos damnati sunt, & quorum peccata omnibus videntur esse nota, non videtur fieri posse, quod non habeant omnes notitiam moraliter certam de articulis, & de obligatione illos credendi. Non tamen videtur necessarium, quod singuli homines damnati habeant notitiam in particulari singularum rerum, quæ in scriptura, v.g. continentur; horum enim omnium species nec omnes habuerunt, nec accipiunt à Deo, nec ex consortio aliorum damnatorum necesse est, quod eam notitiam acquirant. Sufficit, si omnes, vt dixi, habeant notitiam de mysteriis, quæ communiter fideles credunt, & de præcipuis dogmatibus, contra quæ extiterunt peculiares hæreses: sicut neque etiam in hac vita fideles communiter eam notitiam habent in particulari.

18 *An assensus circa fidem in damnatis sit liber, vel necessarius*

Hinc refertur secundò resolutio ad aliud dubium, an hæc fides impropria, siue assensus circa fidem nostram, quem damnati habent, sit in iis liber, vel necessarius: de hoc puncto variè loquuntur doctores. Plures dicunt, vel supponunt, hunc assensum esse necessarium: ita loquitur Suarez *in præsenti d.6.sect.9.n.10.* vbi ait, fidem dæmonum esse coactam, & non voluntariam, & *disp.7.sect.5.n.3.* vbi omnibus damnatis dicit, ipsos non credere, nisi quatenus coguntur, imò probabile putat id, quod dixerat Paludanus *in 3. dist.23.q.4.* habere damnatos aliquos actus contrarios infidelitatis, quando per euidentiam non coguntur, quamuis Suarez fateatur, id esse incertum. Denique *lib.8.de Angelis,c.6.n.8.* dicit, assensum ad res nostræ fidei in Dæmone esse coactum, seu necessarium saltem quoad specificationem, ex euidentia signorum, quod significatur in verbis illis Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Eodem modo loquitur Coninch *disp.17. dub.2.n.27.* vbi ait, hunc assensum non esse Dæmoni vllo modo liberum quoad specificationem, imò nec quoad exercitium, quoties obiecta fidei ita ei obiiciuntur, vt non possit de iis non cogitare; quare ad eum eliciendum nullus requiritur actus voluntatis. Vnde *n.28.* concludit, fidem damnatorum esse omnino necessariam, nec pendere ab vllo actu voluntatis, nisi quandóque remotè: quatenus aliquando est in potestate Dæmonis de quibusdam fidei mysteriis non cogitare: hoc tamen non esse generale; nam sæpè nullo modo efficere potest, vt de quibusdam non cogitet, quando ei nimis clarè ex aliqua occasione obiiciuntur: imò de quibusdam etiam voluntate repugnante semper necessariò cogitat, iisque assentitur, v.g. quod propter sua peccata à Deo puniatur; quódque ipsius manum, siue punitionem nullo modo possit effugere, & similibus. Turrianus etiam *disp.43.dub.3.* adducto P. Vasq. *tom.2. in 1.p. disp.219.c.2.n.6.* dicit, respectu aliquorum obiectorum ad eorum assensum non requiri in Dæmone actum liberum voluntatis, sed esse assensum necessarium.

Alij è contra videntur agnoscere libertatem aliquam in eo assensu, & dependentiam à voluntate, quibus fauere videtur S. Thomas *in præsenti quæst.5.art.2. in corpore*, vbi agens de fide Dæmonum, supponit eam à voluntate procedere, & in solutione ad primum dicit, eam fidem esse *quodammodo coactam*, & in eodem sensu *in 3. sent. dist.23. quæst.3. art.3.* dixit, Dæmones *non omnino* liberè assentiri rebus fidei, quas credunt, Vndę Valentia *in præsenti quæst.5. puncto 2.* cum

Cajet.

Caiet. *dicta q. 5. art. 2.* indicat, eum assensum procedere ex affectu quidem ad bonum, nempe ad verum, non tamen ex affectu bono: & Lorca *disp. 30. n. 6. in fine, & n. 7.* fatetur, fidem in damnatis procedere à voluntate, & Bañes *in præsenti dicto art. 2. in dubit. circa secundam conclusionem* probat, in Dæmone requiri imperium voluntatis ad credenda mysteria nostræ fidei.

20 Fortasse hi omnes auctores ita explicari possunt, vt parum dissideant. Et in primis fatendum est iuxta supradicta assensum circa aliqua obiecta, quæ nos fide credimus, esse in Dæmonibus necessarium omnino, v.g. quod sit vnus Deus, quod animæ nostræ sint natura sua immortales, & his similia, nam aliqua ex his cognoscunt intuitiuè; alia, vt Dei existentiam, cognoscunt in creaturis intuitiuè visis, quare licèt Deus, non videatur intuitiuè ab illis, cognoscitur tamen indirectè, vt terminus obiecti intuitiuè visi, atque adeo eadem necessitate, qua noscitur obiectum intuitiuè visum. Deinde non videtur dubiũ, quod initio prædicationis Christi Dæmones non habuerint necessitatem credendi eius diuinitatem, sed potuerint formidare, & dubitare, & suspendere assensum. Quod idem fortasse contingere potuit, quando Apostoli ex inspiratione Spiritus sancti proponebant de nouo aliquod fidei mysterium antea occultum: cùm enim Dæmon non videret, an à proprio, an verò à diuino spiritu moti illud proponerent; sicut potuerant de Christi prædicantis veracitate dubitare, ita postea de Apostoli prædicantis veracitate dubitare initio potuerunt. Quare in iis casibus potuit assensus, vel dubitatio, aut dissensus à voluntatis imperio pendere, imo debuit, vt statim dicam.

21 Loquendo verò de iis fidei nostræ obiectis, de quibus dæmones habent moralem euidentiam, qualem diximus ab eis haberi de plerisque obiectis fidei nostræ, videtur dicendum eum assensum in illis esse necessarium, saltem quoad specificationem: tum quia, vt dicebamus *disp. 2. sect. 1.* plerumque licèt non sit euidentia metaphysica de obiecto, sed solùm moralis, non tamen apparet fundamentum ad dissensum etiam imprudenter eliciendum: tum etiam quia si quod est fundamentum, est adeò tenue, vt nõ videatur sufficiens intellectui, certè ad minus videtur esse tanta difficultas dissentiendi, vt id sit moraliter impossibile propter summam difficultatem. Quis enim sanæ mentis inter homines poterit, quantumcunque velit, credere, quod non sit India, licèt eam nunquam viderit, & seriò iudicare, quod omnes mentiti sunt, quotquot de Indiæ existẽtia nobis testificati sunt. Vnde probabile etiam videtur, quod dæmones in his obiectis necessitãtur etiã quoad exercitium ad ea credenda, nec possunt moraliter assensum cohibere. Tam innatus enim est, & vehemens inclinatio ad verum sciẽdum, vt quoties cum eo gradu certitudinis obiectum proponitur, non possit voluntas impedire eum assensum, nisi aliquod motiuum boni non leuis voluntati proponatur ad suspendendum assensum intellectualem. Quale certè motiuum dæmones non habẽt; parum enim eis prodest cohibere assensum formalem circa eiusmodi obiecta, quando ex parte obiecti vident veritatem esse moraliter necessariam, quod sufficit ad generandam tristitiam, & aliunde priuant se sine fructu scientia formali illius veritatis, quam scientiam circa omnes veritates summopere appetunt. Quamuis ergo hic assensus dependentiam habeat à voluntate, vt statim dicam, non tamen videtur moraliter possibile, quod ab eo abstineant, positis motiuis adeò vehementibus, quæ eos quodammodo cogunt, vt dixit S. Thomas, ad ea obiecta credenda. Quo pacto videtur explicasse hanc necessitatem hdei in dæmone Bañes *dicto art. 2. loco suprà citato*,

Addo itaque vlteriùs loquendo de eisdem obiectis, de quibus habent moralem euidentiam, 21
eiusmodi assensum in dæmone pendere ab eius voluntate non omnino libera, sed moraliter, vt dixi, necessaria, & hoc pacto conciliari fortasse possunt, qui negant, & qui affirmant fidem dæmonis pendere à voluntate; non enim dicimus pendere à voluntate omnino libera, licèt à voluntate dependeat. Portò præcedere debere aliquam voluntatem ad eum assensum formalem intellectualem, probari potest ex ipsa natura Angeli, in qua ob eius perfectionem naturalem non conceditur à Theologis peccatum veniale ex surreptione, etiamsi in natura pura creati fuissent: quia omnis deliberatio, & comparatio vnius obiecti cum alio fit ex imperio ipsius voluntatis præuenientis, vt latiùs probat Suarez *lib. 3. de Angelis c. 8. num. 3. & sequentibus.* Quam doctrinam ego sic intelligo, ne nimium probet, vt scilicet antecedenter ad imperium voluntatis possit esse in Angelo assensus intellectualis immediatus genitus ex speciebus, vel obiectis repræsentantibus immediatè obiecta in se ipsis: sicut enim oculus independenter à voluntate nostra videt obiectum præsens, & sensus internus, atque intellectus cognoscunt idem obiectum præsens; sic Angelus intellectu perfectè intuetur obiectum præsens, & audit vocem alterius Angeli sibiloquentis propter speciem sibi impressam, quæ repræsentat immediatè talem vocem, vel loquutionem. Alioquin si ad omnem cognitionem iudicatiuam Angeli prærequireretur imperium voluntatis, daretur processus in infinitum, cùm ad imperium illud prærequiratur aliud iudicium, ad quod prærequireretur alia voluntas, & sic in infinitum. Quare concedendi sunt in Angelo aliqui assensus intellectuales independentes à voluntate, & sufficientes ad mouendam voluntatem, vt velit vlteriorem diliberationem ab intellectu fieri, & consultationem plenam circa alia obiecta, vel circa eadem propositis, & cogitatis aliis motiuis. Cæterum licèt intellectus Angeli independenter à voluntate possit repræsentare eiusmodi obiecta immediata; quoad assensus tamen circa obiecta mediata, quibus per discursum formalem, vel virtualem assentitur, depẽdet omnino à voluntate, & multò magis, quando euidentia obiecti non omnino conuincit, vt contingit, quando motiua solùm generant euidentiam moralem: quia perfectio naturæ Angelicæ videtur id exigere, vt potentiæ omnes in suis omnibus actibus, quantum fieri possit, subordinentur Angeli dominio perfecto, & per consequens imperio voluntatis cum plena deliberatione imperanti. Prærequiritur ergo voluntatis imperium, vt Angelus propter motiua proposita assentiatur positiuè obiectis nostræ fidei. Quia tamen hæc voluntas communiter est necessaria necessitate morali propter summam difficultatem cohibendi assensum, vt dixi, ideo S. Thomas *quæst. 14. de veritate art. 9. ad 4.* dixit Dæmones non voluntate, sed necessitate credere; nimirum in eo sensu, quo in præsenti dixit, fidem illam esse

quodam

quodammodo coactam, quæ omnia de necessitate morali cum libertate physica bene intelliguntur.

23 *An damnati nō credant res nostræ fidei, de quibus possunt solùm habere euidentiam moralem indigeant imperio voluntatis.*

Loquutus sum semper de dæmone quoad hoc punctum de dependentia assensus à voluntate; nam de animabus damnatis potest esse maior difficultas, an illæ etiam, vt credant res nostræ fidei, de quibus possunt solùm habere euidentiam moralem, indigeant imperio voluntatis. Hoc tamen pendet ex alia quæstione philosophica, an anima rationalis in statu separationis secundùm suam naturam exigat etiam non habere actus subreptitios, sed omnes quoad fieri possit sub perfecto dominio voluntatis plenæ, & deliberatæ. Qui enim hoc negabunt, & dicent, id esse proprium Angeli propter maiorem suam perfectionem, & nobiliorem naturam, quam habet, consequenter dicent, non prærequiri omnino in anima damnata eiusmodi imperium ad credendas res nostræ fidei, sed intellectum conuictum ex motiuis moraliter euidentibus, non apparente motiuo sufficienti pro parte contraria, posse, non expectato imperio voluntatis, credere omnia obiecta, quamuis si voluntas præueniret, posset fortasse, si non moraliter, saltem physicè impedire assensum, & cogere intellectum ad eum suspendendum. Qui verò dixerint, animam separatam habere hoc etiam ex natura sua, vt habeat actus suos in suo dominio, & potestate, nec esse capacem surreptionis, quia surreptio in homine prouenit ex sensibus externis, & internis, & appetitu sensitiuo; Quæ omnia cessant in anima separata, consequenter dicent, ad credendas eo casu res nostræ fidei, prærequiri etiam in anima damnata imperium voluntatis, sicut in Angelo propter eandem rationem. Hoc autem parum refert: tum quia S. Thomas *in præsenti dicto art.* 2. vbi supposuit, requiri voluntatem, loquutus est expressè de dæmone, non de animabus damnatis; tum etiam quia, licèt in anima requiratur voluntas ad credendum, adhuc ea voluntas erit etiam necessaria necessitate morali, vt dictum est de Angelo: quare in aliquo sensu fides omnium damnatorum erit necessaria & quodammodo coacta.

24 *Damnati nō credunt mysteria fidei, nisi quatenus à motiuis coguntur.*

Vnde rursus infertur tertiò verum esse id, quod supra citati Auctores dicebant, damnatos non credere mysteria fidei, nisi quatenus à motiuis coguntur, hoc est, eorum assensum non esse ita firmum, & super omnia, sicut est noster actus fidei: quia adhæsio firmissima nostra prouenit ex pia affectione voluntatis, quæ ex affectu erga diuinæ veracitatis cultum imperat assensum quo res à Deo dictæ credantur super omnia: quæ pia affectio, & studium colendi Deum, cùm non sit in damnatis, non credunt ea obiecta, nisi eo modo, quo nos credimus esse Indiam, propter motiua, quæ generant moralem euidentiam, vel si habent euidentiam etiam physicam, vel metaphysicam de ipsis obiectis, vel de diuina testificatione, credunt eo modo, quo cætera obiecta, de quibus habent euidentiam physicam, vel metaphysicam, nullumque gradum firmitatis addunt, propter reuerentiam diuinæ veracitatis. Vnde in hoc ipso iam peccant contra fidem, quæ proposita sufficienter diuina reuelatione, provt eis proponitur, obligat ad credenda ea obiecta firmissimè, & plusquam alia obiecta similia. Si verò res aliquæ minutiores nostræ fidei veniant ad eorum notitiam sine motiuis generantibus euidentiam moralem de re ipsa, vel de diuina testificatione, sed eo modo, quo nobis communiter proponuntur, an circa ea obiecta habeant actum positiuum infidelitatis, vt dixit Paludanus supra adductus, probabile videtur, non solum habere actum contra fidem, quatenus ea obiecta non credunt firmissimè, sed cum formidine, sed etiam quatenus vel ea negant, si habent fundamentum sufficiens ad ea saltem imprudenter neganda, vt faciunt hæretici, vel certè de iis positiuè dubitant, quod etiam est peccatum infidelitatis. Nam cùm ex odio erga Deum ferantur etiam ad eius cultum negandum, & Deum dehonorandum quantum possunt; credibile est, quoties euidentia saltem moralis eos non cogat ad assensum, sed possunt dissentire, sicut hæretici, cognita tamen obligatione credendi, eos tunc arrepta occasione velle dissentire, vel non credere, vt Deum offendant. Nam si hæretici ex prauo affectu erga se ipsos, vel sua commoda id faciunt, licèt videant obligationem credendi, & debere prudenter credi, quid mirum, si damnati ex maiori odio, & affectu vindictæ contra Deum idem faciant, quoties ab euidentia saltem morali non coguntur credere? Denique ex hoc ipso fit, peccare damnatos formalissimè contra fidem etiam tunc, quando credunt obiecta nostræ fidei, quia tunc etiam saltem ex parte voluntatis ita sunt affecti, vt vellent non credere, si euidentia non cogeret, & vellent ea obiecta negare, etiamsi esset obligatio non negandi, sed credendi, quando sufficienter, sed sine euidentia morali proponerentur vt à Deo reuelata. Quare tunc etiam secundùm affectum saltem committunt formalissimè peccatum mortale infidelitatis.

SECTIO III.

An detur fides in Beatis, vbi etiam de animabus Purgatorij.

25 QVod attinet ad Beatos, quæstio potest procedere de actu, & de habitu fidei: & vt à facilioribus incipiamus, Primò certum omnino videtur, & extra controuersiam, quod in Beatis possit esse fides latè sumpta, hoc est, assensus fundatus in reuelatione clara Dei. Nam præter ea, quæ Beati in Verbo vident permanenter potest Deus successiuè secundùm occurrentias plura secreta eis manifestare. Potest autem id facere, vel per scientiam infusam, quam illis communicet de iis obiectis, vel per reuelationem, qua Deus eis clarè loquatur, sicut vnus Angelus Beatus potest etiam cum aliis loqui, & eis sua arcana manifestare. Quo casu Beatus certissimè credet ea obiecta à Deo sibi dicta, & hoc propter Dei testimonium à se clarè cognitum: hæc autem non erit propria, & stricta fides, sed notitia euidens per medium demonstratiuum à posteriori: quæ notitia euidens non repugnat cum statu beatifico saltem de iis obiectis, quæ non videntur in Verbo, nec aliunde perfectissima cognitione immediata possidentur. An verò possit dari eiusmodi notitia euidens mediata circa obiecta aliunde clarissima visa, diximus *supra disp.* 2. *sect.* 2. Nunc ergo quæstio procedit de fide strictè dicta provt significat assensum obscurum, vel circa obiectum materiale creditum, vel saltem circa motiuum formale credendi.

Secundò

26 Secundò nõ videtur esse difficultas, quod de potentia Dei absoluta potuerit esse actus fidei obscuræ in Beatis circa obiecta saltem aliunde non visa in verbo, nec euidenter cognita. Nulla enim excogitari potest contradictio, si Deus alicui manifestam reddat essentiam suam per visionem intuitiuam, & tamen ei occultet, quæ in mundo aguntur, vel agenda sunt, quæ postea paulatim per Angelos manifestet, vel per ministros Ecclesiæ, non aliter, nec maiori claritate, quàm nobis per ecclesiam eadem manifestat obiecta. Totum hoc in ordine ad potentiam Dei absolutam nullam inuoluit repugnantiam.

Vnde tertiò certũ etiam & absque vlla controuersia videtur, quod de potentia etiam Dei absoluta habitus fidei infusæ potuisset manere in Beatis: si enim actus manere potuit faciliùs potuisset habitus, cuius repugnantia, si quæ est, cum lumine gloriæ, vel visione Dei tota est propter repugnantiam, quæ est inter actus. Vnde etiamsi actus inter se repugnarent, provt fortasse repugnat fides actualis de existentia vnius Dei, cũ eius clara visione; adhuc habitus de potentia absoluta non repugnarent; quia sæpe inueniũtur simul principia actuum contrariorum, vt cum aliis probat Hurtado *disp. 29. sect. 2. §. 12. & sequentibus* contra Ægidium de Presentatione *lib. 11. de beatitudine quæst. 8. art. 10. §. 2.* apud quem videri possunt rationes: res enim facilis est, vt dixi, & absque controuersia.

An de potentia absoluta posset esse fides actualis de iisdem obiectis, quæ ab eodem Beato viderentur clarè in Verbo?

Difficultas prima esse posset, an de potentia absoluta posset esse fides actualis de iisdem obiectis, quæ ab eodem Beato viderentur clarè in verbo. Affirmant enim Suarez hîc *disp. 6. sect. 9. n. 7.* Coninch. *disp. 11. dub. 1. num. 11.* Hurtado *disp. 29. §. 19.* Negant alij, quos attuli *disp. 2. sect. 2.* vbi de hoc puncto latiùs egi: vide, quæ ibi dicta sunt ne inutiliter repetantur.

27 *An detur fides actualis in Beatis circa obiecta saltem, quæ nec in Verbo, nec aliunde perfectè vident.*

Secunda ergo, & præcipua difficultas est, an de facto detur fides actualis in Beatis circa obiecta saltẽ, quæ nec in Verbo, nec aliunde perfectè vident. Sententia affirmans tribuitur Alensi, Durando, & Argentin. quos affert Suarez *disp. 6. sect. 9. num. 5.* quibus fauere videtur Magister *in 3. dist. 23. §. aliud enim*, & nonnulli Patres antiqui, quos congerit Suarez ibidem.

Communis tamen, & vera Theologorum sententia id negat cum S. Thoma *1. 2. quæst. 67. ar. 3. & 5.* quem sequuntur Theologi *in 3. dist. 31. & hac quæst. 5.* vbi de hoc communiter tractant, quamuis S. Thomas in hac quæstione nihil de Beatis dixerit, eo quod iam supra quæst. 1. egerat de repugnantia fidei cum euidentia. Videatur Suarez *dicta sect. 9.* Coninch *disp. 11. dub. 1.* Hurtado *disp. 59. sect. 4.* & alij qui omnes in hoc conueniunt, ideo Suarez *dicta sect. 9. num. 7.* dixit, hoc esse longè verius, & ferè certum. Probatur ex Paulo *1. ad Cor. 13.* vbi in genere docet, cognitionem imperfectam relegandam à statu beatifico, *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* id est, imperfectum & infrà. *Nunc cognosco ex parte tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, charitas.* Vbi per illam aduersatiuam *autem* videtur innuere diuersitatem viæ, in qua manant hæc tria à statu patriæ, vbi sola manet charitas, de qua præmiserat; *charitas nunquam excidit.* Iuxta quem sensum acceperunt verba Pauli Hieronym. ibi dicens *Charitas nunquam excidit, id est, ipsa sola permanet in futuro.* Chrysostom. hom. 34. in eum locum dicens, charitatem esse maiorem, quia fides, & spes transeũt, charitas autem semper durat. August. *serm. 53. de tempore*, Anselmus *in illum locum Pauli*, & alij.

Ratione item probatur in nostris principiis, quia licèt non omnia obiecta reuelata per fidem, videantur in Verbo; omnes tamen Beati sciunt euidenter, & clarè ea obiecta esse à Deo reuelata; cum euidentia autem reuelationis non datur fides, vt dixi *disp. 2.* ergo nullius obiecti habere potest fidem Beatus. Fateor tamen, illum, qui dixerit actum fidei propriè elici posse ex reuelatione euidenter cognita, non facilè redditurum rationem huius repugnantiæ.

Dices, non etiam admittimus *dict. disp. 2.* posse 28
dari fidem obiecti aliunde euidenter cogniti; ergo licèt Beatus sciat euidenter illam esse reuelationem veram poterit simul ex fidei nostræ motiuis cognoscere ineuidenter eandem reuelationem per actum fidei. Respondeo, nostra motiua non posse generare assensum ineuidenté in Beato, quia perfectè penetrat eorum vim, & cognoscit euidenter esse infallibilia. Deinde, quilibet actus obscurus propter suam imperfectionem videtur relegandus ab illo statu beatifico, in quo sicut non datur error, vel ignorantia, ita nec probabilitas, nec obscuritas circa aliquod obiectum.

Sed restat semper reddenda ratio aliqua à prio- 29
ri huius repugnantiæ: hoc enim, quod est assensum fidei, esse imperfectum propter obscuritatem intrinsecam, non videtur sufficere: nam etiam cognitio abstractiua naturalis est imperfectior quàm visio intuitiua, & supernaturalis; & tamen beatus habet in patria scientiã naturalem abstractiuam de multis obiectis; cur ergo de eisdem nõ poterit habere fidem supernaturalé, quæ in multis excedit scientiam naturalem abstractiuam?

Hurtado *dicta disp. 69. sect. 4. §. 15.* rationem dicit esse, quia status ille beatorum per se, petit euidentiam & immediatam cognitionem reuelationis, loquutionis, & voluntatis diuinæ, quia est omnium bonorum aggregatione perfectus: esseque hominis morosi occultis nutibus, & signis obscuris agere cum filio, quem sibi assidere facit in mensa. Idem breuiùs insinuauerat Suarez *dicta disp. 6. sect. 9. n. 7.* dicens, hoc esse *valdè consonum, & connaturale statui beatifico.* & Turrianus dicta disp. 43. dub. 4. his verbis: *Circa alia verò obiecta non decet perfectionem status illius imperfectus, & obscurus modus cognoscendi.* Sed hi Auctores nunquam reddunt rationem huius indecentiæ, nec explicant qualis sit hæc peculiaris fidei imperfectio, ratione cuius non deceat statum beatificum, in quo tamen conceduntur aliæ cognitiones non vndequaque perfectæ, qualis est scientia abstractiua naturalis, & aliæ similes.

Possumus rationem huius indecentiæ ita ex- 30
plicare ex eo, quod omnis assensus obscurus afferat aliquod malum intellectui, nempe formidinem, vel potentiam formidandi de errore: qui enim assentitur probabiliter obiecto, eo ipso potest formidare, ne fortasse res aliter se habeat, & per cõsequens ne intellectus in eo assensu decipiatur, & erret: omnis autem formido est timor de aliquo malo. Cùm ergo status beatificus afferat aggregationem omnium bonorum, & exclusionem totius mali, eo ipso debet excludere formidinem de omni malo: qui enim timet malum aliquod proprium, non est vndecunque beatus:

repugnat

repugnat ergo cum perfecta beatitudine assensus obscurus, qui semper affert vel formidinem erroris, quod est magnum malum intellectus, vel certè potentiam formidandi, quæ etiam est malum, nam ipsum posse malũ timere, malũ quoddã est.

Dices, in actu fidei non est hoc inconueniens, nam debet esse assensus firmus, & excludens omnem formidinem, alioquin non esset actus fidei diuinæ: ergo cum actu fidei nec potest esse malum erroris, cùm sit infallibilis, nec potest esse formido de errore, cùm ipse actus fidei excludat formaliter omnem formidinem. Respondeo, cum actu fidei non posse coniungi formidinem actualem, stare tamen potentiam formidandi saltem in sensu diuiso, nam licèt non possit coniungi formido actualis cum actu fidei, sed tamen potest homo eo instanti formidare de falsitate obiecti, & non elicere actum fidei: quæ potentia non destruitur per fidem; sicut potentia ad odium manet, & coniungitur cum actu amoris, licèt non possit cum amore coniungi ipsum odium: hæc autem ipsa potentia formidandi est aliquod malum, & per consequens non potest coniungi cum statu beatitudinis, qui est expers totius mali.

31 Vrgebis adhuc, quia potentia ad formidãdum, quæ coniungitur cum actu fidei, non videtur esse ad formidandum de aliquo malo: debet enim cauteri æquiuocatio, & distingui duplex formido, altera de falsitate ipsius obiecti, altera de errore intellectus assentientis obiecto, quod potest esse falsum. Hæc autem secunda formido nec manet cum actu fidei, nec etiam potentia ad illam: cùm enim formido non possit coniungi cũ actu fidei, consequens est, vt nec possit dari potentia ad formidandum de errore commisso in ipso assensu fidei; nam hæc formido deberet esse de malo incurso ob assensum fidei, atque adeo deberet esse potentia ad formidandum ex suppositione actus fidei: si ergo non datur potentia ad formidandum in sensu composito actus fidei, hoc est, ad componendam formidinem cum actu fidei, non dabitur etiam potentia vlla ad formidandum de errore commisso in actu fidei. Solùm ergo coniungitur cum actu fidei prima potentia ad formidandum in sensu diuiso de falsitate obiecti: hæc autem potentia non videtur esse aliquid malum, sicut nec ipsa obiecti falsitas: nam quod obiectum aliquod in se sit falsum, non est malum meum, sed quod ego assentiar tali obiecto. Vnde beati circa obiecta, quę non vident, possunt prudenter dubitare, & dicere, fortasse hoc nõ ita est, sed aliter se habet, qui actus verissimus est, & nullum affert malum subiecto. Si ergo cum actu fidei manet solùm potentia ad formidandum de falsitate obiecti, & non ad formidandum de errore commisso, non manet cum actu fidei aliquod malum, quod debeat excludi à statu beatitudinis perfectæ.

32 Respondeo, hanc potentiam, quæ coniungitur cum actu fidei, esse in rigore potentiam ad formidandum de aliquo malo proprio: nã sicut fidelis potest pro priori naturę formidare, saltem imprudenter, an obiectum illud sit falsum; ita potest pro priori naturę formidare, an assẽsus circa illud obiectum sit falsus; imo nõ potest formidare de falsitate obiecti, quin eo ipso formidet saltẽ implicitè de falsitate assensus circa tale obiectũ; ergo pro eo priori adest potẽtia formidãdi, an ille assensus sit malus intellectui: si ergo pro posteriori naturæ elicit hũc assensum, iam habet tunc aliquid simul tempore cum potẽtia ad formidandũ, an id quod habet, sit ipsi malum: quod est habere potentiam formidandi de malo proprio, id est, an sit malum id, quod eodem instanti habet: hanc autem potẽtiam formidandi habere est habere aliquod malum. Ratio autem est, quia habere aliquod malum, non est tristari de illo, vel timere illud: nam tristitia, vel timor habent pro obiecto malum condistinctum ab ipsis actibus tristitiæ, vel timoris: quare si aliquis patiatur tormenta, vel aliud malum, etiamsi Deus non concurrat cum voluntate, vel appetitu ad actũ tristitiæ vel timoris eliciẽdum circa illa mala, adhuc reuerà patitur mala illa. Quamuis ergo fidelis, dum credit, cohibeat per voluntatis imperiũ formidinem formalem de errore, & deceptione; dum tamen manet totũ illud, ratione cuius, quantum est ex parte obiecti, posset formidare, & timere malum erroris, & deceptionis, & videt se habere eum actum, de quo pro priori naturæ poterat saltem imprudenter formidare, quod esset malus, iam videt, se habere id totum, quod ex se erat obiectum formidinis de malo, quamuis à voluntate, & fide cohibita sit formido actualis; & hoc sufficit, vt dicatur pati malum aliquod, nempe obscuritatem aliquam, quæ ex se præstat fundamentum, vt aliquis formidet, an si illam admittat, eo ipso admittat in se aliquod malum. Quod enim cruciat obiectiuè fidelem, non est formido actualis de errore & deceptione; nam fides & pia affectio cohibent & impediunt formidinem actualem, sed est obscuritas, & fundamentum ipsum formidandi de deceptione. Si ergo manet hoc fundamentum, quamuis non maneat formido actualis, manet id totum, quod ex parte obiecti cruciat, & torquet intellectum credentis, quod malum, & cruciatus longè abesse debet à statu perfectæ beatitudinis.

33 Dicet aliquis, posse hoc inconueniens vitari, & poni fidem actualem in Beato sine hac perturbatione, & anxietate etiam radicali, si obiectum ipsum, quod creditur per fidem, aliunde per aliud medium sit notum euidenter Beato. Diximus enim *supra disp.* 2. posse idem obiectum cognosci per medium aliquod euidens simul, & per medium fidei: quo casu nullo modo poterit esse anxietas, nec fundamentum formidandi de veritate obiecti, aut de periculo erroris, cùm sit euidentia tellens omne fundamentum formidinis: illa ergo fides non erit contra perfectionẽ status beatifici. Respondetur facilè, nec eo casu Beati posse fidem actualem: quia licèt non sit tunc obscuritas circa obiectum materiale creditum, manet tamen obscuritas circa ipsum obiectum formale fidei, nempe circa reuelationem, quare assensus provt terminatur ad reuelationem, est obscurus simpliciter, & absolutè, & per consequens, licet non sit formido radicalis circa obiectum materiale, propter euidentiam illius aliunde ortam; poterit tamen esse circa reuelationem, & eius assensum, in ordine ad quam obscuritatem, & formidinem, & ad malum, quod affertunt, fieri possunt eadem argumenta, quæ facta sunt circa formidinem de obiecto materiali. Si autem reuelatio non sit obscura, sed clara, iam ille non erit actus fidei propriè, & strictè de qua nunc loquimur, & quam negamus esse posse in Beatis.

34 Quæri potest, an sicut in Beatis non datur actus fidei diuinæ propriè dictæ, sic nec sit actus fidei humanæ vel Angelicæ, qua vnus homo Beatus credat alteri Beato, vel vnus Angelus alteri. Videtur enim ex dictis id sequi quia fides diuina perfectior

An fides humana, vel Angelica propriè dicta reperiatur in Beatis.

perfectior est, & firmior, ac certior: si ergo hæc propter sui imperfectionem, & obscuritatem exulat à statu beatitudinis, à fortiori exulabit fides humana, vel Angelica. Aliunde verò, si id concedatur, tolli videtur omnino vtilitas commercij, & conuictus inter beatos, si nullus ex iis potest aliis quidquam credere, quãdo loquuntur, & sua sensa manifestant. Respondeo, in hoc posse esse quæstionem de vocibus: de re tamen ipsa non videtur negandum, quod possit vnus Beatus propter alterius Beati testimonium aliquid credere: nam hoc ipsum redundaret in aliquam imperfectionem illius fælicissimi status, si nemo fidem apud alios inueniret eorum, quæ dicit; Nec assensus ille habet imperfectionem repugnãtem statui Beati: quia non est obscurus, nec cum formidine etiam radicali, aut antecedenter possibili: Sciunt enim singuli euidenter, Beatos alios non posse mentiri, nec fallere, aut falli, quare assensus fundatus in eorum testimonio, quod etiam testimonium, & loquutio manifestè, & euidenter ab aliis cognoscitur, est euidens, cùm fundetur in vtraque præmissa formali, vel virtuali euidenti. Poterit autem esse quæstio, vt dixi, de nomine, an illa dicenda sit *fides*, quia *fides* videtur importare obscuritatem, & excludere euidentiam; quæ *fidei* acceptio, quando sermo est de fide diuina, qua Deo credimus communis est apud Patres, & Theologos, vt vidimus suo loco. Quare si eadem obscuritas significetur etiam in fide humana, vel Angelica propriè dicta, dicendum erit illam, quam Beati ad inuicem habent, non esse fidem stricte, sed in latiori significatione propter defectum obscuritatis. Si verò Angelus vel homo Beatus aliquid audiat ab homine, vel Angelo non Beato, sed vel damnato, vel viatore, non præstabit Beatus assensum fundatum in illius testimonio: esset enim assensus imperfectus, obscurus, & formidolosus, sed videbit testificationem illam euidenter, & iudicabit de possibilitate veritatis, vtetúrque illa notitia ad indagandum, vel cauendum, &c. suspendendo interim assensum absolutum circa veritatem rei, non enim decet Beatos facilè credere cuilibet, à quo falli possint, propter testimonij, & testis fallibilitatem, & potentiam fallendi. Addo, si ecclesia legitimè proponeret fidelibus aliquod dogma credendum, quod antea per possibile, vel impossibile Beatos latuisset, posse Beatos illud credere: quia propositio illa ecclesiæ, quæ in nobis generaret fidem obscuram, Beatis generaret assensum euidentem, cùm sciant euidenter, ecclesiam non posse fallere, aut falli in eiusmodi legitima propositione & aliunde constaret illis euidenter ritè, & legitimè ab ecclesia dogma illud fidelibus proponi.

35 *An maneat in Beatis habitus fidei infusæ, quem in statu viæ habuerunt?*

Secunda difficultas principalis circa Beatos est, an maneat in illis habitus fidei infusæ, quem in statu viæ habuerunt. Hurtado *disp.29. sect.2.* §.8. dicit, solum Durandum *in 2. dist.31. q.3. n.* 11. ausum esse constituere habitum fidei in patria, neque id omnino determinatè sed dixisse, id posse absque incommodo asseri, quia neutra pars colligitur satis ex scriptura. Sed idem affirmauit Gerson *in tract. de vita spirituali*, vt fatetur Suarez *disp.7. sect.5. num.4.* qui addit, id non videri incredibile, licèt ipse contrarium probabilius existimet: quod etiam sentire videtur Argentin. *in 3. dist.31. art.3.*

Communis Theologorum sententia, & vera negat cum S. Thoma 1.2. *quæst.67. art.3.* vbi alij Theologi, & *in 3. sentent. dist.31.* & alij communiter in hoc loco. Quam sententiam aliqui vt certam omnino statuunt, vt Lorca *disp.15. n.9.* & Turrianus *disp.11. dub.1. in fine*, qui dicit, contrariam esse improbabilem, & temerariam, si dicatur ex natura rei fidei habitum remanere; sed excessit in hac censura, & colligi solet ex verbis Pauli 1. ad Cor.13. *cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est: videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ad quod ponderari etiam possunt illa alia verba supra adducta. *Nunc autem manent fides, spes, & charitas, tria hæc:* vbi vt supra ponderauimus, illa aduersatiua, *autem*, videtur significare differentiam fidei, & spei à charitate, de qua præmiserat, *charitas nunquam excidit.* Nunc autem addi potest id, quod notauit Salmeron in eum locum Pauli disp.21. videri verba illa Pauli potissimè intelligi de habitibus, dum dixit, *manent*, actus enim sunt transeuntes, & habitus ex natura sua sunt permanentes. Patres etiam ea verba Pauli intellexerunt absolutè de euacuatione, & destructione fidei in patria, & videri possunt in eum locum Chrysost. Beda, Anselmus, Theodoretus, & Hieronymus, Augustin. etiam *lib.14. de Trinit.* & alij.

Ratio potissima desumitur ex inutilitate, & otio illius habitus in statu Beatifico, cùm in eo nunquam elicere possit actum suum, qui inuoluit imperfectionem obscuritatis repugnantem tali actui, vt dictum est. Vide, quæ dixi *disput.6. de pœnit. n.12.* vbi reddidi rationem, cur magis possit in Beatis remanere habitus infusus pœnitentiæ, quàm fidei, quia ille potest adhuc ibi aliquos suos actus exercere, fides autem non potest, sed esset omnino inutilis.

Dices, licèt habitus fidei non maneat in patria ad credendum obiectum reuelatum; potest tamé manere ad assensum euidentem circa veracitatem Dei, nam diximus *disp.1. sect.6.* habitum fidei non solum elicere assensum circa obiectum reuelatum, sed etiam assensum euidétem, quo iudicat Deum esse summè veracem: cùm ergo hic assensus euidens nõ repugnet in patria, poterit manere habitus fidei ad hunc assensum supernaturalé eliciendum. Respondeo in primis habitum fidei præcipuè ordinari ad assensum circa reuelata, & in ordine ad hunc assensum sufficienter eliciendum, habere virtutem ad assensum circa veracitatem Dei; quare cùm assensus fidei circa reuelata non sit possibilis in patria, frustra maneret habitus ad alterum assensum. Deinde datur ibi loco fidei alius habitus supernaturalis scientiæ infusæ, quo perfectiori genere euidentiæ cognoscitur veracitas Dei & sine imperfectione, quam habet nostra cognitio, quæ licèt sit euidens, & summè certa; habet tamen hunc excessum certitudinis potissimè à voluntate illum imperante, vt dixi sæpè in superioribus: at verò cognitio scientiæ infusæ, quæ est in patria, habet summam charitatem, & certitudinem independenter à voluntate, quem modum cognoscendi non posset præstare habitus fidei: quare superfluus omnino esset habitus fidei ad eum solum effectum.

Obiiciuntur aliqui Patres, qui videntur fidem in Beatis concedere, ij sunt Irenæus *lib.2. contra hæreses cap.47.* & *lib.4. cap.25.* Photius *in 1. ad Cor. cap.13.* Tertullianus *lib. de patientia circa finem*, quorum verba refert Valentia *in præsenti*

puncto 2. Respondetur communiter, eos solùm velle permanere in Beatis fidem, & spem quoad aliquam rationem communem, scilicet fidem quoad rationem cognitionis firmæ, & certissimæ de Deo, spem verò quoad rationem inhæsionis erga rem amatam, speratam. Addo tamen eos verba Pauli supra adducta legisse, & intellexisse aliter ac nos; nam vbi nos legimus, *nunc autem manent fides, spes, & charitas, &c.* ipsi non legebant *nunc*, quia vox Græca indifferens erat ad significandum *Atqui*, & ideo intellexerunt, Paulum loqui de perseuerantia absoluta, & perpetua fidei, & spei, & eius auctoritate dixerunt, permanere in patria, sicut & charitatem, vt notauit Photius supra adductus. Retenta ergo vulgata lectione eorum verborum, ex iis potiùs colligitur, solam charitatem in patria manere, vt ex iis verbis colligunt communiter Petrus, & Theologi. Alias obiectiones leuioris momenti videre poteris apud Lorcam *disputatione decima quinta*.

38 *Qualis sit oppositio fidei cum beatitudine.*

Tertia difficultas est, qualis sit hæc oppositio fidei cum beatitudine, an scilicet sit oppositio physica, & ex natura rei, an alterius generis. Potest autē fieri triplex comparatio. Prima actuum visionis, & fidei inter se. Secūda habituum luminis gloriæ, & fidei inter se. Tertia actus visionis cum habitu fidei, vel actus fidei cum habitu luminis gloriæ. Comparando itaque visionem claram Dei cum actu fidei, si vterque actus versetur circa idem obiectum, iam diximus *suprà disp.* 2. *sect.* 2. repugnare ex natura rei, quod intellectus videntis clarè Deum vtatur medio fidei ad idem obiectum credendum. Vbi etiam aduertimus, non repugnare diuinitus, quod detur actus fidei pro priori naturæ, & pro signo posteriori detur à Deo visio clara sui in præmium: esset tamen contra naturam entium supernaturalium, quod id fieret; quia visio clara Dei non debet iuxta rerum naturam dari nisi ad beatitudinem: beatitudo autem affert secum carentiam totius mali; tunc verò fuissent simul in eodem instanti malum obscuritatis cum visione Dei, & per consequens non esset eo instanti homo plenè, & vndequaque beatus: vide quæ diximus loco citato. Si verò visio Dei, & fides actualis versentur circa obiecta diuersa, non inuenitur eadem repugnantia physica immediata, cùm non repugnent propter ipsa obiecta, sed solùm propter statum beatificum, cum quo non stat imperfectio, & malum obscuritatis etiam circa aliud obiectum, vt supra diximus. An verò hæc vocanda sit repugnantia ex natura rei, & physica, constabit ex mox dicendis de repugnantia inter habitus.

39 Secunda ergo comparatio sit vnius habitus cum alio nempe luminis gloriæ cum habitu fidei, quam alij nolunt esse physicam, seu ex natura rei: ita Suarez *in præsenti disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 5. & Hurtado *disp.* 29. §. 11. *& disp.* 59. §. 16. quia licèt actus visionis, & fidei pugnent inter se physicè, & ex natura rei, habitus tamen seu principia actuum contrariorum non pugnant inter se: nam principia currendi, & sedendi sunt simul, licèt cursus, & sessio pugnent inter se: imo vna, & eadem potentia potest esse principium actuum contrariorum, vt voluntas est principium amoris, & odij. Repugnantia ergo visionis cum fide non arguit repugnantiam inter habitus, qui sunt principia horum actuum.

Alij tamen agnoscunt repugnantiam physicam inter hos habitus: ita Capreolus, & alij Thomistæ, quos affert Suarez *dicto num.* 5. & Turrianus *disp.* 21. *dub.* 1. Quæ sententia in aliquo sensu vera mihi videtur: oportet enim explicare voces, & quid intelligatur per repugnantiam, seu incompossibilitatem physicam, & ex natura rei. Potest namque hoc nomine intelligi in primis repugnantia, qua vna forma, si aliam inuenit, potest eam expellere, vt calor expellit frigus, & è contrà, & loquendo de hoc genere repugnantiæ, fatemur non reperiri saltem mutuam inter habitum fidei, & luminis gloriæ: nam licèt lumen gloriæ adueniens, sicut ex natura sua exigit concursum ad actum visionis, & quod subiectum constituatur in statu plenè beatifico, ita consequenter exigat expulsionem totius mali, atque adeo totius obscuritatis, ex quo fit consequenter, quod habitus fidei expellendus sit, cessante omnino ratione eum conseruandi, quæ erat exigentia, qua gratia habitualis eum habitum, & eius conseruationem exigebat, ad eliciendos actus fidei: cæterùm è contra habitus fidei superueniens homini beato haberet vim expellendi lumen gloriæ. Nam licèt ipse habitus fidei non exigat infundi, vel conseruari in homine beato, non tamen exigit, quod auferatur visio Dei à subiecto, vt ipse conseruetur, nec ipsi habitui fidei infertur violentia, vt ita dicam, conseruato lumine gloriæ in eius præsentia, sed lumini potius infertur violētia quasi mediata habitu fidei conseruato; quia fit mediatè contra eius exigentiam, qua exigit negationem perpetuam actus fidei, quæ negatio perpetua exigit, quod non conseruetur amplius frustra habitus fidei cessante eius fine. Pugnat ergo saltem mediatè lumen gloriæ cum habitu fidei, quem lumen aduenies expellit ex natura rei: non autem pugnat habitus fidei sic cum lumine gloriæ, quod nec mediatè nec immediatè expellit. Sicut quando in tribus pueris conseruabatur frigus in præsentia vehementissimi ignis, tunc violentia inferebatur igni, non expulso frigore, ad quod expellendum ignis habebat efficacissimam virtutem; ipsi tamen frigori nulla inferebatur vis non extincto igne, quia nullam habebat vim ad illum extinguendum: ignis enim vehemens pugnabat cum frigore illo modico; frigus autem modicum non poterat pugnare cum vehementissimo igne: ita se haberent lumen gloriæ, & habitus fidei.

Aliter tamen intelligi potest vox *repugnantiæ*, 40
seu incompossibilitatis physicæ, & ex natura rei, quatenus solùm significat impossibilitatem existendi simul, vndecunque proueniat illa impossibilitas; talem tamen impossibilitatem, vt non possint simul coniungi, nisi fiat contra aliquam exigentiam naturalem, seu legem aliquam, quam Deus cōnaturaliter operando, & iuxta rerum naturam obseruare deberet. Eiusmodi autem repugnātia, & incompossibilitas reperitur procul dubio inter habitum fidei, & luminis gloriæ. Nam, vt constat ex dictis, lumen gloriæ ex natura sua exigit permanentiam, & perpetuitatem & statum beatitudinis completæ in subiecto, & per consequens exigit in futurum carentiam totius obscuritatis & fidei actualis: vnde rursus sequitur connaturaliter, quod habitus fidei non conseruetur, quia natura passionum, qualis est habitus fidei, hæc est, vt nec dentur, nec cōseruentur, nisi ab essentia, vel ad eius exigentiā: cùm ergo gratia existente lumine gloriæ, & scientia infusa clara, non ampliùs exigat ad suas operationes habitū fidei,

quippe qui ad nullum actum iam deseruire potest;consequens est,vt si habitus fidei conseruetur, id non fiat secundùm, sed contra leges connaturales , quas Deus connaturaliter operando seruare deberet;datur ergo repugnantia ex natura rei , & incompossibilitas inter hos duos habitus, hoc est repugnantia, & incompossibilitas,vt seruatis legibus connaturalibus, vterque ille habitus simul coniungatur.

41 Nec obstat huic doctrinæ argumentum suprà adductum ex Hurtado , & aliis , quod oppositio inter actus non refundit oppositionem inter eorum principia.Fatetur enim,non argui bene vniuersaliter loquendo principia esse inter se opposita ex eo , quod actus sint oppositi ; sed neque semper sunt compossibilia:nam peccatum, & visio Dei repugnant inter se,& potentia etiam proxima peccandi repugnat cum lumine gloriæ , & cum beatitudine , vt constat. Sicut etiam repugnat eadem peccabilitas , seu potentia peccandi cum vnione hypostatica,nō minus quàm peccatum actuale. Quando ergo est specialis ratio, vt principia etiam repugnent inter se,non arguitur compossibilitas principiorū ex eo,quod aliquando principia alia actuum oppositorum possint reperiri simul coniuncta in eodem subiecto.In nostro autem casu ostendimus , non solùm inter actus visionis,& fidei,sed etiam inter habitus eorum reperiri incompossibilitatem ex natura rei, ex eo , quod eorum coniunctio fieri non potest, nisi fiat contra aliquas leges, quas Deus connaturaliter operando deberet obseruare,quod sufficit ad adstruendam repugnantiam ex natura rei in aliquo vero sensu,vt vidimus.

42 Vnde iam explicari potest tertia comparatio inter actum fidei, & habitum luminis gloriæ, vel inter actum visionis , & habitum fidei. Constat enim ex dictis, illam esse oppositionem physicā, & ex natura rei in aliquo vero sensu.Nam in primis lumen gloriæ pugnare videtur physicè saltem mediatè cum actu fidei,quatenus habet vim saltem mediatam eum expellendi, quia exigit visionem,& statum beatificum,cum quo stare non potest actus obscurus fidei:exigit etiam,vt expellatur habitus fidei, vt vidimus,sine quo non potest connaturaliter elici actus fidei : ergo saltem mediatè expellit,& impedit cōnaturaliter actum fidei.Rursus actus fidei,licèt non habeat vim expellendi lumen gloriæ, non tamen potest esse cū illo,nisi id fiat contra aliquas leges connaturales, nempe non posito statu plenè beatifico in subiecto, qualem habitus luminis gloriæ exigebat, & conseruato habitu fidei,qui cōnaturaliter expelli debuisset,posito lumine gloriæ, vel certè posito actu fidei sine habitu fidei , in quo etiam fieret contra leges debitas actuum supernaturalium: semper ergo reperitur aliqua incompossibilitas ex natura rei inter lumen gloriæ,& actum fidei.

43 Eodem etiam modo reperitur similis repugnantia ex natura rei inter habitum fidei , & visionem Dei , vt fatetur Turrianus *dicta disp.11. dub.1.§.solùm posset.* Ratio esse potest,quia visio Dei clara non potest connaturaliter dari, nisi habenti lumen gloriæ, quod exigit,vt vidimus,expulsionem obscuritatis,& fidei,& ipsius habitus fidei : ergo nec visio ipsa Dei potest connaturaliter coniungi cum habitu fidei, quia vel fiet visio tunc sine lumine gloriæ , in quo iam violatur lex connaturalis visionis , vt fiat ab habitu , vel fit à lumine gloriæ, & tunc debuisset iuxta exigentiā ipsius luminis expelli habitus fidei , vt vidimus: nam lumen gloriæ , cùm sit habitus , exigit ex se permanentiam perpetuam,& per consequens expulsionem habitus fidei, ne maneat perpetuò otiosus.

Huic doctrinæ obiicit Suarez *disp.7. sect.5.* quod in Apostolo Paulo,si vidit,vt aliqui volunt, essentiam diuinam in raptu,adhuc pro illo tempore non amisit,sed retinuit habitum fidei : non ergo repugnāt habitus fidei cum visione actuali Dei ex natura rei,& physicè loquendo. Ad hoc tamen respondetur facilè ex dictis, coniunctionem illam visionis cum habitu fidei non fuisse connaturalem , sed contra leges connaturales, quare ex ea non arguitur , quod non sit incompossibilitas physica,& ex natura rei inter illa duo. Nam vel visio Dei posita fuit sine lumine gloriæ, vel cum illo. Et quidem si visio illa Dei Paulo in raptu concedatur, consequenter deberet dici factam fuisse sine habitu luminis gloriæ, sed per auxilium actuale transiens intrinsecum, vel extrinsecum, sicut de facto quoties peccator in statu peccati elicit actum supernaturalem attritionis , vel alterius virtutis moralis non infunditur ei habitus ad eum actum eliciendum , sed datur auxilium trànsiens supplens loco habitus,vt suppono.Ergo eodem modo ponendum fuit in Paulo auxilium actuale transiens supplens loco luminis habitualis non verò ipsum lumen gloriæ habituale,quod cùm ex se exigat permanentiam, non posset postea sine noua violentia destrui , & auferri.Constat autem,iam eo ipso violatas fuisse leges connaturalitatis ponendo visionem sine habitu luminis gloriæ , & per consequens non fuisse coniunctam visionem cum habitu fidei sine dispensatione in aliqua repugnantia ex natura rei.Si verò velis,datum fuisse eo tempore Paulo in raptu lumen gloriæ,quale est in Beatis:tunc iam clariùs apparet dispensatio facta in repugnantia connaturali:siquidem habitus ille luminis gloriæ ex natura sua exigebat perpetuitatem, & per consequens statum beatitudinis perfectæ in subiecto illo,atque adeo expulsionem habitus fidei, qui statui beatifico repugnat. Vtroque ergo modo coniunctio illa visionis cum habitu fidei supponit dispensationem factam in aliqua repugnantia connaturali.

45 Quarta difficultas principalis est,an saltem maneat in beatis habitus piæ affectionis infusus pertinens ad voluntatem.Negant manere Turrianus *disp.43.dub.4.§.de peculiari habitu*,Coninch *disp.17.num.43.* & Granado *tract.13.sect.1.num.* 4. Affirmant alij , Suarez *disp.7.sect.5.num.4.* & antea id dixerat de Christo *1.tom.in 3.part.quæst. 7.art.3.* & Hurtado *in præsenti disp.29. sect.2.§. 11.in fine.& disp.59.sect.4.§.17.* vbi tamen hoc limitare videtur ad eos, qui fidem habuerunt, & eam exercuerunt , in quibus potest in patria esse actus,quo gaudeant de assensu fidei olim habito. Quæ limitatio non video,quorsum addita ab eo sit,cum statim concedat,fuisse in Christo pias affectiones ad amorem strictum suæ fidei vt,possibilis,& ad actus conditionatos.

Mihi magis placet hæc secunda sententia iuxta ea, quæ dixi *disp.16.de Incarnatione sect.7.& disp.6.de Pœnitentia.* Quia,vt ibi dixi,non debet auferri aliquis habitus infusus ex eo , quod iam non possit ampliùs elicere aliquem actum,quem antea poterat , si tamen potest alios elicere , sicut nec voluntas aufertur ex eo, quod in sene non possit

possit iam elicere gaudium de pueritia præsenti, quem poterat elicere in pueritia. Quamuis ergo habitus piæ affectionis in patria non possit habere imperium efficax assensus fidei, non debet ideo destrui, cùm adhuc possit elicere gaudium de assensu fidei olim habito, quem actum gaudij in via suppono elici ab eodem habitu piæ affectionis: ad eundem enim habitum spectat velle bonum, & gaudere de illo propter idē motiuum: non ergo manebit frustrà ille habitus in Beatis, cùm adhuc possit elicere aliquos actus sibi proprios. Adde, posse ibi elici actum illum, qui vocari solet affectus amoris, provt distinguitur à desiderio, gaudio, vel imperio efficaci, ad quem actum sufficit cognitio de possibilitate obiecti secundùm se, licet per accidens in his circunstantiis non sit possibile, de quo alibi, quem affectum erga fidei assensum possunt Beati habere, licèt non possint illum assensum sibi efficaciter imperare. Denique possunt Beati habere affectus illos conditionatos credendi, si possibilis esset illis fides obscura; qui affectus ab eodem habitu elici possunt in via, quare idem habitus deseruire potest in patria ad eos eliciendos.

46 Nec satisfacit, quod Granado *loco suprà citato* respondet, complacentiam illam, quam Beatus habere potest circa honestatem credeudi, elici ab habitu charitatis. Hoc, inquam, non satisfacit, quia non loquimur de affectu erga fidem, quatenus præcisè fides placet Deo, quem Beatus diligit, qui affectus elici potest à charitate, sed sermo est de affectu erga honestatem credendi propter ipsam honestatem fidei propriam, quem affectū, potest etiam Beatus habere, sicut affici potest erga honestatem propriam misericordiæ, iustitiæ, religionis, & aliarum virtutum: nam sicut honestas alterius virtutis est amabilis à beato propter se ipsam, cur etiam honestas fidei propria, quæ maior est, non erit amabilis à Beato propter se ipsam, sed solùm, quia placet Deo? Hoc certè absque fundamento dicitur: si autem amatur propter se ipsam, non amatur præcisè ex charitate erga Deum, tunc enim non mouet vltimò honestas fidei, sed bonitas Dei, cui placet fidei honestas; debet ergo poni habitus specialis præter charitatem ad affectum supernaturalem erga honestatem propriam fidei propter ipsam.

47 Habitus piæ affectionis in quibus maneat. Vnde infero, hunc habitum piæ affectionis non manere solum in iis, qui in via actus fidei exercuerunt, sed etiam in aliis omnibus, quales sunt infantes, qui in baptismo, vel aliter ante aduentum Christi iustificati habitus infusos susceperunt. Nam licèt ij de facto non possint gaudere de honestate fidei à se exercitæ, possunt tamen habere alios actus suprà enumeratos circa eandem honestatem fidei, qui eliciuntur ab eodem habitu. Deinde, quod eum actum gaudij de fide à se exercita habere non possint, est per accidens, nec id prouenit ex aliqua impotentia intrinseca, cùm per se loquendo, & quantum est ex intrinsecis subiecto, potuisset eadem anima habere eum actum gaudij, quia potuisset ante beatitudinem habere actum fidei, si ad ætatem adultam peruenisset, provt peruenire potuit, quæ possibilitas intrinseca sufficit, vt non negetur habitus, vt diximus *dict. disp. 6. de Pœnit.* vbi propter eandem rationem concessimus in Christo, & in Beatis, qui nunquam peccauerunt, habitum infusum pœnitentiæ.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

De Animabus Purgatorij.

Restat dubium de animabus Purgatorij, an in illis maneat habitus, & actus fidei. Hurtado *disput. 59. n. 11.* magis inclinat ad id negandum: habent enim illæ animæ scientiam infusam clariorem, qua cognoscunt, quibus suffragiis, & à quibus iuuantur, & gradum gloriæ sibi à Deo destinatum, gratiam, in qua sunt, amicitiam supernaturalem sanctorum Angelorum erga illas. Addit sententiam iudicis, & rectitudinem illius notam illis esse per reuelationem sibi euidenter notam, quæ non potest generare fidem propriè, & strictè acceptam, de qua nunc loquimur. Alij tamen communiter, dicunt in iis manere fidem. Ita Suarez *in præsenti disp. 6. sect. 91. n. 4. & tom. 4. in 3. part. disp. 47. sect. 3.* Coninch *disput. 17. dub. 4. num. 44.* Malderus *in præsenti q. 5. art. 2. dub. 3.* & alij communiter: quia cùm nondum Deum clarè videant, adhuc verè peregrinantur à Deo, & consequenter ambulant per fidem, vt supponere videtur Paulus *2. ad Corint 5.* vbi dicit, nos hìc peregrinari à Domino, quia per fidem ambulamus, & non per speciem, id est non per claram Dei visionem; cùm ergo animæ illæ nondum habeant claram Dei visionem, debent ambulare per fidem. 48 *An in animabus Purgatorij maneat habitus & actus fidei.*

Ab hac secunda, & communi sententia nihil est quod nos discedere cogat: nihil enim est in his animabus, quod cum actu, vel habitu fidei repugnet. Nam licèt ex creaturis possint euidenter cognoscere Deum earum creatorem: hæc tamen cognitio non est incompossibilis cum fide de eodem obiecto, vt constat in Angelis, qui in statu viæ perfectiùs cognoscebant Deum, & adhuc habere potuerunt fidem. Adde multa esse credibilia de Deo, quæ ex creaturis naturali virtute non cognoscuntur, vt Trinitas, & alia etiam plura de creaturis creduntur per fidem, quæ ratione naturali non possent deprehendi, vt vnio hypostatica, resurrectio futura, iudicium vniuersale, & alia innumera. Denique non repugnat statui harum animarum reuelatio obscura, in qua fides stricta fundari possit, cùm ille non sit status beatificus excludens omnes defectus, & angores, sed status potiùs tenebrosus plenúsque solicitudine & anxietate, quamuis cum certitudine propriæ salutis. Quamuis autem circa aliqua fortasse obiecta habeant reuelationem sibi euidentem notam & quæ non possit fundare fidem propriam, & obscuram; sufficit tamen, si eiusmodi reuelationem ita claram non habeant circa omnia obiecta, vt debeat retineri habitus fidei, qui non erit ibi omnino otiosus. Nec etiam video fundamentum ad dicendum, quod semper, vel frequentiùs reuelationes constent ita euidenter physica euidentia iis animabus, vt non sit necessaria voluntas ad eas credendas, licèt ob impeccabilitatem, & confirmationem in bono, quam habent, non possint illas reuelationes respuere, quoties proponuntur sufficienter, & ita vt obligent ad præstandam fidem iis, quæ reuelantur. 49

SECTIO IV.

An in hæretico, vel infideli habitus fidei remaneat.

50 REstat dicere de hæreticis, vel infidelibus, an in iis possit manere fides. Triplex autem potest esse quæstio. Prima an habitus infusus fidei possit manere cum habitu hæresis, vel infidelitatis. Secúda an idem habitus infusus manere possit cum hæresi, vel infidelitate actuali. Tertia an actus fidei diuinæ supernaturalis possit elici ab habente actum hæresis, vel infidelitatis, de quibus singillatim dicendum erit. De duabus primis agemus *hac sect.* de tertia verò *sect. sequenti.*

An habitus infusus fidei possit manere cum habitu hæresis, vel infidelitatis?

Quæstio prima facilis est in qua Bañes *in præsenti quæst. 5. art. 3. §. hæc sententia*, & alij, quos refert Hurtado *disp. 6. §. 42.* putant esse repugnantiam physicam inter habitum fidei, & habitum vitiosum erroris contra fidem: quia in vniuersum eiusmodi repugnantia inuenitur inter quoslibet habitus contrarios, quales hi sunt. Hanc tamen sententiam latè, & bene impugnat idem Hurtado *dict. sect. 1. à principio vsque ad §. 42.* & breuiter impugnari potest primò quia dato, quod detur hæc contrarietas, & oppositio inter habitus naturales, id tamen erit, ne dentur simul in gradibus intensis, sicut inter calorem, & frigus; non tamen excludent se in gradibus remissis, vt constat experientia; nam qui habet habitum intensum temperantiæ, non perdit totum habitum per vnum, vel duos actus remissos intemperantiæ, licèt per eos incipiat acquirere aliquam facilitatem ad similes actus: ergo ex hoc capite non repugnat simul habitus fidei & infidelitatis saltem in gradibus remissis.

51 Secundò experientia ostendit, si aliquis post diuturnam hæresim, & habitum vitiosum intensum conuertatur ad fidem, non semper perdere totaliter inclinationem, & propensionem antiquam ad hæresim; imò ideo infideles denuo ad fidem conuersi, non facilè ad ordines, vel alia Ecclesiastica munera statim admittuntur, quia de eorum perseuerantia timetur propter propensionem, & habitum nondum omnino abolitum: non ergo repugnat habitus fidei cum perseuerantia prioris habitus erronei vitiosi.

Tertiò quicquid esset de habitibus acquisitis, & naturalibus, non est tamen eadem oppositio inter habitus infusos, & acquisitos: nam habitus infusi, vt suppono, & probat latè Hurtado *vbi supra §. 20. & sequentibus*, non dant facilitatem, sed potentiam simpliciter, vt constat in puero baptizato in infantia, & nutrito in syluis sine fidei notitia, qui licèt quandiu non peccat contra fidem sibi propositam, retineat habitum fidei sibi in baptismo infusum; non tamen ideo, quando ei fides iam adulto proponitur, experitur maiorem facilitatem ad fidem amplectendam, quàm alius non baptizatus. Constat etiam hoc ipsum in peccatore, qui cum attritione in Sacramento pœnitentiæ iustificatur, & accipit omnes virtutes infusas, & tamen adhuc experitur difficultatem ad opera virtutis. Iustus etiam, qui habet habitus omnes infusos, & aliquando valde intensos, experitur sæpe magnam difficultatem in relinquendo ludo v.g. venialiter malo, ergo virtus infusa non dabat facilitatem, sed potentiam ad actum honestum contrarium. Denique in peccatore supplet Deus per auxilium actuale extrinsecum, vel intrinsecum, quod præstare debebat habitus infusus, si fuisset: & tamen auxilium non dat facilitatem, sed potentiam ad actum supernaturalem honestum, ergo nec habitus infusus dat eiusmodi facilitatem. Vnde sumitur iam argumentum pro conclusione: quia nulla est repugnantia inter potentiam ad vnum actum & inclinationem ac propensionem ad actum contrarium, vt constat in eo, qui cum repugnantia operatur bonum, ergo habitus fidei, qui dat potentiam ad assensum, non est impossibilis cum habitu acquisito erroris, qui dat facilitatem, & propensionem ad dissensum.

Hoc autem à fortiori, & clarius procedit in sententia, quam vt probabiliorem sæpe supposui, quæ docet, eiusmodi habitus acquisitos non esse alias qualitates superadditas præter species intensas, & bene coordinatas ac dispositas ad repræsentanda motiua, quibus inclinamur ad hos, vel illos actus. Nam eiusmodi species, quas hæreticus habebat, proculdubio non corrumpuntur per eius conuersionem ad fidem; sicut neque è contra per hæresim aduenientem corrumpuntur species, quas in statu fidelitatis acquisierat: manent ergo iidem habitus acquisiti, qui ab iis speciebus non distinguuntur etiam adueniente habitu infuso fidei, qui cum iis speciebus non repugnat, sed ad summum cum earum vsu deprauato, vt videbimus.

52 Sequitur ergo secunda quæstio de repugnantia habitus fidei infusæ cum actuali hæresi, vel infidelitate in quo puncto Durandus *in 3. dist. 23. quæst. 29.* docuit, posse manere habitum fidei in hæretico, vel infideli, qui licèt vnum articulum neget, potest alios credere fide diuina, & de facto credit. Quam sententiam alij omnes Theologi reiiciunt cum Magistro *dicta dist. 23.* & S. Thomas hac *quæst. 5. art. 3.* Scotus *dicta dist. 23* Suarez *in præsenti disp. 7 sect. 4. num. 2. & lib. 11. de gratia c. 6. & 7.* qui alios refert, & affert etiam loca Augustini, Ambrosij, Leonis, Tertulliani, Cypriani, & aliorum pro hac veritate. Et quidem in genere loquendo, non potest Catholicè defendi, quod fides amitti non possit: id enim constat apertè ex Scriptura passim. 1. Ioan. 2. de hæreticis dicitur: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si ex nobis essent, permansissent vtique nobiscum.* Act. 20. *ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se* Luc. 8. dicitur *esse quosdam, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* 1. ad Timoth. 1. de aliquibus etiam dicitur, quod à *corde puro, conscientia bona, & fide non ficta aberrantes conuersi sunt in vaniloquium*: & infra dicitur, quod bonam conscientiam *repellentes circa fidem naufragauerant.* ex quibus & aliis multis locis probatur clarè contra Caluinum, & alios hæreticos modernos, veram fidem, postquam habita est, esse amissibilem, & de facto amitti quod etiam experientia manifestissima constat, vt cum aliis probat Suarez *dicto capite 6.* denique veritas hæc definita videtur in Tridentino *sess. 6. cap. 15.* his verbis: *asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.*

53 Hoc ergo posito, in quo omnes conueniunt, difficultas prima est, an hæc doctrina Tridentini intelligen-

dentini intelligenda omnino sit de amissione, & expulsione ipsius habitus fidei.

intelligenda omnino sit de amissione, & expulsione ipsius habitus fidei. Aliqui enim volunt, verba Concilij in primis non cogere, quia postea in Canonibus non posita fuit à Concilio pars illa affirmans fidem amitti peccato infidelitatis, sed solùm pars negans amitti quocunque peccato mortali, vt constat ex *Canone* 28. Hoc tamen effugium refellit bene Suarez *in præsenti dicta sect. 4. num. 3.* quia doctrina etiam in illis capitibus tradita non minùs ad fidem pertinet, quàm doctrina Canonum, vt constat ex *cap. 16.* Vbi de tota illa doctrina subditur. *Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter, firmitérque receperit, iustificari non poterit, placuit,* &c.

Alij etiam eam Tridentini definitionem debilitant, teste Suarez *dict. n. 3.* quia in prædictis verbis Concilium non directè, sed quasi obiter, & per parenthesim dixit, fidem peccato infidelitatis amitti. Quam responsionem impugnat Hurtado *disp. 59. §. 25.* probans, id directe dictum fuisse à Patribus Concilij & non in probationem alterius dogmatis. Suarez tamen ibi fatetur, ideo non esse de fide, sufficere verò, vt sine errore negari non possit, præsertim cùm consensus etiam sanctorum Patrum accedat.

55 Apparentiùs respondet P. Vasquez 1, 2. *disp 91. cap. 4.* dicens, verba illa Concilij non esse necessariò intelligenda de habitu fidei infuso: quamuis enim ipse probabiliùs putet habitum infusum expelli, dicit tamen non esse certum de fide, quod dentur tales habitus, atque ideo verba Concilij verificanda fuisse, etiamsi habitus illi non darentur, verificarentur autem de ipso statu fidelitatis, qui per infidelitatis peccatum deperditur, & non per alia quælibet peccata.

Hanc responsionem impugnat latè Suarez *dicto lib. 11. de gratia, cap. 7. num. 9. & sequentibus,* & mihi etiam omnibus pensatis non placet; Primò, quia Concilium ibi de eadem fide loquitur, de qua dixerat *cap. 7.* infundi in ipsa iustificatione, & interioti renouatione hominis: quod probat Hurtado *vbi suprà §. 24.* ex verbis illis: *quamuis non amittatur fides accepta.* Sic enim legit ipse verba Concilij; & ex illis arguit, sermonem esse de fide ipsa, quam *cap. 7.* dictum fuerat infusam accipi in iustificatione. Sed ego nescio, vbi lectionem illam in textu Concilij inuenerit, nisi fortasse in editionem aliquam mendosam inciderit: nam verba Concilij sunt; *quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti,* non dicit, *fides accepta,* sed *fides,* & postea: *acceptam iustificationis gratiam.* Ipse autem totum textum aliter transmutatum recitauerat §. 23. & postea ex illo falso textu iterum recitato, & ponderato arguit *n. 24.*

56 Retenta tamen vera & legitima littera Concilij, probari potest sermonem ibi esse de fide habituali: nam de eadem prorsus fide dicit amitti peccato infidelitatis, & non amitti aliis peccatis: fides autem de qua definit non amitti aliis peccatis, non potuit intelligi fides actualis, nam iuxta iuris regulam, nemo potest amittere id, quod non habet, contingit autem sæpe aliquem peccare mortaliter, qui nec proximè antea exercebat actum fidei; non ergo amittit per peccatum fidem actualé, nec hæc permanet tunc, nec de hoc poterat esse controuersia, nec necesse erat, quod Concilium definiret his peccatis non expelli fidem actualem, nec verum erat illam remanere, sed sermo erat de aliqua fide perseuerante, quando fiunt alia peccata, quam definiunt, non amitti, sed adhuc permanere, & hæc cùm non sit actualis non potest esse, nisi habitualis. Nomine autem *fidei habitualis* non poterat ibi intelligi solus moralis status fidelitatis resultans ex fide actuali præterita non retractata. Nam hic status non est aliud per te, nisi fides actualis præterita non retractata, nec reuocata per contrarium actum: quare dicere, quod peccato infidelitatis fides amittitur, nihil aliud est, quàm dicere per actum infidelitatis, fidem negare; quod quidem non erat dogma definitione dignum: cùm enim essentia infidelitatis sit negare fidem, dicere, quod infidelitate fides negatur, esset dicere, quod infidelitas est infidelitas. Plus ergo dixit Concilium, & de alia fide loquitur, quando dixit, fidé amitti, nempe de fide habituali, seu de habitu fidei, qui eo peccato deperditur, de quo nimirum habitu dixit retineri positis aliis peccatis. Neque enim voluit solùm retineri statum fidelitatis, hoc est, non esse negatam fidem præteritam: quia hoc non esset aliud, quàm dicere, quod peccata distincta ab infidelitate non sunt peccata infidelitatis, quæ certè esset propositio identica: si enim sunt distincta ab infidelitate, non sunt infidelitas, atque ideo non continent negationem fidei præteritæ, nam qui fidem præteritam negat, eo ipso committit peccatum infidelitatis. Loquitur ergo de retentione fidei habitualis, quæ sit distincta à negatione retractationis fidei: & per consequens, cùm de eadem fide dicat retineri post alia peccata, & amitti peccato infidelitatis, in neutro casu loquitur de mero statu morali fidelitatis, sed in vtroque loquitur de habitu fidei, qui in iustificatione fuerat infusus.

Quod rursus probatur secundò ex verbis eiusdem Tridentini can. 28. quibus doctrinam traditam illo cap. 15. declarat, dicens: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viua, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, anathema sit.* 57 In quibus verbis eodem modo de charitate loquitur, ac de fide, quare, vel vtraque debet intelligi actualis, vel vtraque habitualis. Non potest autem sermo esse ibi de charitate solùm actuali; nam sermo ibi est de fide non viua; fides autem sine charitate actuali potest esse viua in eo, qui cum sola attritione in Sacramento iustificatur; debet ergo intelligi de charitate habituali, hoc est, de habitu charitatis: neque enim intelligi potest de statu morali amicitiæ, seu delectationis non retractatæ; quia neque eiusmodi status reperitur in eo, qui nunquam habuit actum dilectionis, sed per solam attritionem in baptismo fuit iustificatus, vel si baptizatus fuit in infantia, & postea adultus peccaret grauiter peccato furti, postea in Sacramento cum attritione iustificatur, in quo fides reperitur viua sine illo statu morali dilectionis actualis non retractatæ; non manet tamen fides sine charitate, quia datur habitus charitatis, de quo ibi loquitur Concilium, & quem eodem *charitatis* nomine intellexerat, quando *c. 7.* dixit, fidem, spem, & charitatem in iustificatione infundi: ergo nomine *fidei* intelligit habitum, etiam, & non statum solum moralem; alioquin esset turpis æquiuocatio in eisdem verbis, quæ doctrinam Concilij sine causa redderet obscurissimam.

Tertiò argui potest ex Suarez *dicto c. 7. n. 10.* 58

quia si remaneret status fidelitatis, & auferretur habitus fidei, non posset dici simpliciter, & absolutè non amitti fidem; ergo quando dicit Concilium, peccato infidelitatis amitti fidem non loquitur de morali illa denominatione fidelitatis, sed de ipso habitu, qui quando amittitur, vel remanet, dicitur simpliciter amitti, vel remanere fides. Antecedens probat, quia quãdo iustus peccat odio contra proximum, & amittit gratiam, & reliquos habitus infusos virtutum moralium, dicitur à Theologis amittere castitatem, & alias virtutes, quarum habitus infusos amittit, quamuis non amittat denominationem moralem casti, v.g. quam ex actibus frequentibus castitatis non retractatis, nec interruptis adhuc retinet. Sufficit ergo habitum infusum amittere, & id requiritur, vt dicatur virtutes amittere in sensu Theologorum, in quo Concilium loquutum est. Possumus autem hunc communem eorum verborum sensum confirmare ex Hieronymo *præfat. in lament. Hierem.* vbi de quolibet iusto, qui gratiam peccato amisit, dicit; *non auri, & argenti metallo, sed virtutibus radiabat: ablata sunt hæc cuncta, nudata est domus Dei cunctis ornamentis suis.* quia nimirum habitus infusos perdidit, licet denominationem illam moralem quoad alias omnes virtutes, in quarum materia non peccauit, retinere possit. Et è contra, licet defectu operum, & exercitij homo iustus aliquando non habeat denominationem illam moralem alicuius virtutis, dicitur tamen simpliciter, & absolutè habere, & retinere virtutem illam. Vnde Augustinus *tract. 8. in 1. ep. Ioan.* parum à principio hortatur ad exercitium bonorum operum, ne virtutes, quæ interiùs sunt maneant otiosæ. *Opera* inquit, *misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt, quia intus sunt omnes hæ virtutes, quas nominaui. Quis autem sufficiet omnes numerare? quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente tua: quomodo enim Imperator per exercitum suum facit, quod ei placet; sic Dominus Iesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro vtitur istis virtutibus quasi ministris suis.* Ecce etiam absque exercitio actuum, & denominatione illa morali dicitur homo iustus simpliciter habere virtutes omnes quandiu habet earum habitus infusos: ergo his habitibus ablatis, dicitur illas virtutes amittere, quamuis non perdat exercitium operum, & denominationem moralem, quare verba Tridentini de amissione virtutis internæ in eodem sensu intelligenda sunt.

59 Denique idem sensu colligi potest ex toto contextu illius sessionis sextæ, in qua fides ponitur vt pars iustificationis integralis vel saltem vt complementum illius, & ideò *cap.* 7. ponuntur infundi fides, spes, & charitas cum remissione peccatorum, quod de habitibus debet intelligi, & postea *cap.* 10. dum declaratur ipsius iustificationis incrementum, vt constat ex titulo, dicitur, hoc iustitiæ incrementum esse augmentum fidei, spei, & charitatis, quod Ecclesia à Deo petit; quare ibi etiam sermo esse debet de habitu, nam augmentum iustificationis debet esse inhærens, & permanens, sicut & iustitia ipsa inhærens, & permanens esse debet. Cùm ergo *c.* 15. agatur de amissione iustitiæ, & gratiæ acceptæ, & dicatur aliis peccatis præter infidelitatem amitti gratiam, non verò fidem, de eadem omnino fide habituali intelligi debet, quæ per iustificationem, & eius augmentum accepta fuerat; non de statu fidelitatis, aut denominatione morali, quæ nullo modo est pars iustificationis, vel eius augmenti. Id verò, quod P. Vasquez supponebat de habitibus infusis, quod non sint certi ex fidei doctrina, iam impugnauimus *suprà disp. 9. sect. 3.*

Fundamentum Durandi contra amissionem habitus fidei erat, quia habitus non destruuntur totaliter ab vno actu contrario: neque enim qui errat circa vnam conclusionem Philosophycam, amittit totum habitum Philosophiæ circa omnes alias conclusiones Philosophicas, ergo nec qui errat circa vnum fidei articulum, debet amittere habitum fidei, cùm possit adhuc alios articulos credere, circa quos non errat, prout de fusco hæreticus errans circa Eucharistiam credit Trinitatem, & Incarnationem. Posset hoc vrgeri ex doctrina suprà tradita, quod sicut habitus fidei non repugnat cum habitu erroris, vt diximus, ita nec debet repugnare cum actu: nam cum actu amoris Petri potest stare habitus odij erga eundem, sicut cum voluntate currendi potest stare potentia, & inclinatio vehemens ad secundum, ergo cum actu infidelitatis potest stare habitus fidei, qui non est aliud quàm potentia infusa ad credendum. Respondetur, quidquid sit de habitibus acquisitis, & de aliis potentiis, in habitibus tamen infusis esse peculiarem repugnantiam, vt maneant cum peccatis oppositis. Quæ autem, & qualis sit hæc repugnantia, & unde proueniat explicandum nunc est.

Secunda ergo difficultas circa hanc amissionem habitus fidei est, an adueniente peccato infidelitatis destruatur fidei habitus propter repugnantiam physicam, vel ex natura rei, quam habet cum illo peccato, an solùm propter decretum aut legem Dei nolentis amplius habitũ conseruare, siue in pœnam, siue ob alium finem. Multi, & graues doctores agnoscunt repugnantiam physicam Bañes, & Thomistæ alij *in præsenti quæst. 5. art. 3.* P. Vasquez *1. 2. disp. 91. cap. 4.* quem sequitur Turrianus *disp. 44. dub. 2.* & alij, quos affert, quibus fauet S. Thom. *dicto. art. 3.*

Alij non agnoscunt repugnantiam physicam, sed solum dicunt expelli demeritorie, vel dispositiuè, quatenus aufertur dispositio necessaria ad conseruationem fidei, vel ponitur dispositio contraria, atque adeo hanc totam repugnantiam volunt non esse physicam, seu ex natura rei, sed moralem. Ita Scotus, Gabr. & alij plures, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp. 7. sect. 4. n. 5. & 3. tom. in 3. partem q. 63. art. 5. §. quartus sensus, & lib. 11. de gratia c. 7. num. 11.* Malderus, Lorca, & alij, quos affert, & sequitur Coninch *in præsenti disp. 18. dub. 4. num. 35.* Hurtado *disp. 59. sect. 5. §. 23. & disp. 60. §. 56.* addens id totum prouenire ex sola Dei voluntate, qui ita statuit in pœnam hæresis voluntariæ.

Hac in re, suppositis nostris principiis, & doctrina superiùs tradita, vix potest remanere controuersia, nisi de vocibus, & in primis certum videtur, posse de potentia Dei absoluta manere habitum fidei in hæretico, negante aliquem articulum: quod planè omnes videntur concedere, & meritò, quia nulla apparet implicantia contradictionis, quod potentia ad assensum, qualis est habitus infusus, maneat simul cum dissensu; nam licèt assensus, & dissensus circa idem obiectum afferant contradictionem virtualem: dissentire tamen

tamen, & posse assentiri nullam eiusmodi contradictionem inuoluit, sicut nec amare, & posse odio habere; imo de facto etiam in hæretico coniungitur cum hæresi actuali potentia ad actum fidei, qua ipse potest, si velit conuerti; imo quamuis concederetur talis repugnantia essentialis, id impediret ad summum, quod durante dissensu actuali, maneret habitus fidei: transacto tamen actu, posset reproduci diuinitus habitus fidei, etiamsi prior dissensus non fuisset retractatus per actum contrarium: neque in hoc potest esse difficultas.

63 Rursus, si consideretur solùm dissensus, seu actus erroris secundùm suam entitatem physicã, & habitus fidei, certum etiam videtur, non esse oppositionem physicam inter illos; nam qui inculpatè errat circa fidem, vel si ex defectu aduertentiæ plenæ ad obligationem non peccat mortaliter, habet dissensum eiusdem rationis quoad entitatem physicam dissensus, solúmque deest malitia extrinseca, prouenies ex voluntate mala imperante: & tunc nihil datur repugnans cum habitu fidei, qui adhuc integer perseuerat. Vnde supposita sententia probabilissima, & satis communi, quod malitia etiam formalis in ipsa voluntate mala non sit adæquatè intrinseca, sed extrinseca, saltem partialiter, & prouenies formaliter ab aduertentia ad malitiam, & à concursu indifferenti Dei oblato in actu primo, consequenter fatendum est, habitum fidei nullo etiam modo repugnare cum voluntate imperante dissensum, & actum erroris, considerando nimirum voluntatem illam solùm secundùm id, quod intrinsecè habet. Posset enim esse eadem voluntas sine malitia saltem graui ex defectu libertatis, vel aduertentiæ plenæ, quo casu non expelleretur habitus fidei. Solùm ergo restat difficultas, an habitus fidei repugnet physicè, & ex natura rei cum actu erroris prout imperato à voluntate mortaliter mala; itaut cum toto illo complexo erroris, & malitiæ grauis non possit physicè, & ex natura rei fidei habitus coniungi.

64 Loquendo ergo de dissensu malo, vt malo grauiter, negare non possumus in nostris principiis repugnantiam aliquam saltem mediatam ex natura rei cum habitu infuso fidei: omne enim peccatum mortale habet repugnantiam ex natura rei cum gratia habituali, quam expellit formaliter, & hac ablata ex natura rei, deberent petere alij habitus infusi, qui ab ipsa gratia quasi ab essentia dimanant, vt supra diximus; quamuis de facto Deus dispenset, vt habitus fidei, & spei maneant in peccatore: ergo saltem mediatè peccatum infidelitatis expelleret ex natura rei habitum fidei expellendo immediatè gratiam, ad cuius expulsionem consequenter deberet destrui habitus fidei, nisi Deus specialiter ob alias rationes illum conseruaret. Hæc tamen repugnantia mediata ex hoc capite non est specialis, nec maior peccati infidelitatis, quàm aliorum peccatorum, cum habitu fidei, cùm omnia etiam alia peccata mortalia, quantum est ex se, expellerent mediatè, & consequenter habitum fidei, nisi Deus specialiter vellet illum in peccatore perseuerare. Potest tamen in aliquo sensu dici specialis hæc repugnantia cum peccato infidelitatis, quatenus eo solùm posito habet suum effectum, & excludit habitum fidei, qui iuxta Dei legem de facto non excluditur positis aliis peccatis, & exclusa gratia: & hoc quidem propter specialem etiam rationem fundatam in ipsa natura habitus fidei, & peccati infidelitatis. Quia nimirum in illo statu infidelitatis malitiosæ habitus maneret otiosus, quod non habet positis aliis peccatis, & ideo est ratio specialis, vt ablata gratia propter infidelitatem auferatur etiam habitus fidei.

Hinc autem dubitari potest primò; an hæc specialis repugnantia, qua habitus fidei repugnat cum peccato infidelitatis propter otiũ, cui in eo statu subiaceret, dici possit repugnãtia immediata, & ratione illius possimus dicere, quod non solùm mediatè propter cõnexionem cum gratia, sed etiam immediatè repugnet habitui fidei peccatum infidelitatis. Ad quod breuiter responderi potest, hanc non esse propriam, & rigorosam repugnantiam immediatam, sed congruentiam aliquam maiorem, vt illa alia repugnantia mediata, quam explicuimus, executioni mandetur, & habeat suum effectum. Dupliciter enim potest hæc repugnantia orta ex habitus otiositate considerari. Primò quando actu exercetur peccatum actuale infidelitatis. Secundò postea, quandiu infidelitas prædicta non retractatur, & ideo permanet quasi habitualiter, vel moraliter. Habitus ergo fidei repugnat mediatè cum peccato actuali infidelitatis, quatenus habet ex natura sua connexionem cum gratia, quæ expellitur per illud peccatum: non tamen habet in rigore repugnantiam immediatam propriã cum eodem peccato actuali propter rationem illam otiositatis; ex hoc enim capite non debuisset in rigore expelli. Etenim potentia illa non est otiosa, & frustra, quæ illo eodem instanti potest elicere suum actum. Tunc autem quando homo committit peccatum actuale infidelitatis, posset illud non committere, sed elicere actum fidei, ergo non esset eo instanti excludendus habitus propter otiositatem: nam licèt non possint coniungi tunc actus fidei, & actus infidelitatis potest tamen tunc fieri actus fidei in sensu diuiso, & potest impediri actus infidelitatis, quod sufficit, vt ex hoc capite inutilitas non repugnet pro eo instanti. Vnde rursus apparet, nec esse repugnantiam illam immediatam, & propriam ex natura rei pro tempore sequenti inter habitum fidei, & infidelitatem præteritam non retractatam, repugnantiam, inquam, ortam ex illo capite otiositatis: quia etiamsi habitus fidei restitueretur tempore sequenti ante infidelitatem retractatam, non esset frustra, nec otiosus: nã de facto hæreticus tempore sequenti post hæresim actualem potest hæresim retractare, & elicere actum fidei: habet ergo potentiam ad illum actũ fidei saltem per auxilium actuale intrinsecũ, vel extrinsecũ, quod supplet loco habitus. Quæ potentia nõ est frustra, nec otiosa, cum in aliquibus prodeat in actum, quando reuertuntur ad fidẽ. Si ergo restitueretur habitus infusus ad actum fidei eliciendum, si vellent, non esset frustra ille habitus, nec ratione otij repugnaret, cùm aliqui saltẽ de facto illo habitu vterentur ad conuersionem, & ad veram fidem iterum amplectendam. In quo apparet discrimen inter lumen gloriæ, & statũ infidelitatis; nam lumen gloriæ repugnat ex natura sua cum habitu fidei, quia in patria habitus fidei nec operatur, nec potest operari, & ratione otiositatis, hoc est, impotentiæ ad operandũ, expellitur adueniente lumine gloriæ. At verò in infideli habitus fidei, licèt nõ operaretur stante infidelitate, & in sensu composito, posset tamen semper operari, & expellere statum infidelitatis, & in aliquibus

65 *An specialis repugnantia qua habitus fidei repugnat cum peccato infidelitatis propter otium cui in eo statu subiaceret dici possit immediata.*

bus ita operaretur, quod sufficeret ad hoc, vt non diceretur manere frustra, vel otiosus, si remaneret; non ergo repugnat immediatè ex natura rei cum infidelitate actuali, vel perseuerante ratione otiositatis loquendo de propria, & rigorosa repugnantia.

66 Dixi tamen, esse congruentiam aliquam, vt in hæretico expellatur habitus fidei, & alia repugnantia mediata habeat suum effectum: quia nimirum licèt habitus ibi non maneret omnino otiosus, quatenus otiositas significat statum, in quo nõ sit potentia proxima ad actum fidei, hanc enim potẽ tiam proximam habet hæreticus etiam vt videmus: esset tamen otiosus quatenus otiositas significat statum, in quo licèt homo possit vti eo habitu, & operari, ex decreto tamen stabili, & firmo non vult operari, & in hoc decreto moraliter, & habitualiter perseuerat. In quo sensu diximus *suprà disp.* 14. *sect.* 1. habitum fidei auferri ab hæretico, ne maneat otiosus: non enim loquuti sumus de otio, quale haberet in patria, vbi nec esset operatio, nec potentia proxima ad operandum; sed solùm loquuti sumus de otio prouenient, non ex defectu potentiæ, sed ex firmo decreto non operandi, sed dissentiendi. Quare nõ videtur relinquenda ratio congruentiæ, quam insinuauit Suarez suprà adductus ex defectu dispositionis, seu ex indispositione positiua, ob quem defectum aufertur habitus fidei magis ab hæretico, quàm ab aliis peccatoribus. Nam in rigore loquendo, solus actus afferens merum otium non videtur sufficere: puer enim baptizatus in infantia, & nutritus in syluis, vel apud infideles absque vlla fidei notitia non amittit habitum fidei, quando alia peccata mortalia committit, etiam si sit in eo statu, in quo habitus erit prorsus otiosus ob defectum notitiæ rerum nostræ fidei. Imò licèt ille vel alius peccator, qui iam semel in baptismo, vel aliter habitum fidei acceperat, incidat in amentiam in statu peccati, & licèt amentia sit ex natura sua perpetua; non aufertur ab eo habitus fidei, qui tamen in eo erit iam prorsus otiosus. Multũ ergo refert, quod status ille otiosus procedat ex defectu voluntario dispositionis, seu ex indispositione positiua culpabili, qua homo non vult vlteriùs credere. Tunc enim est maxima congruentia moralis, vt perdat habitum fidei, qui iam ex natura sua sine habitu gratiæ non debebat conseruari. Nam sicut Deus vult hæc dona habitualia adultis non nisi volentibus dare, ita vult non conseruare in nolentibus, & respuentibus, & quamuis non exigat eandem dispositionem ad conseruationem, & ad infusionem, nam ad infusionem exigit actum positiuum, ad conseruationem verò solùm exigit, quod non respuantur per actum contrariũ: quando tamen homo per actum contrarium ea dona abiicit, & respuit, Deus meritissimè ea aufert; quippe qui ea volentibus solis confert, & in inuitis non conseruat, loquendo vt dixi de adultis. Non est autẽ inuitus homo in conseruatione fidei quandiu, licèt alia peccata committat, non tamen cõtra fidẽ, quã adhuc mente complectitur. Imò habitus videtur in volente conseruari, quia prior voluntas credendi non reuocata censetur moraliter perseuerare. Peccatum ergo infidelitatis habet hanc peculiarẽ repugnantiam cum conseruatione habitus fidei, quatenus mouet Deum cõgruentissimè, vt auferat habitum ab inuito, & eum respuẽte, & abiiciente. Hæc tamen specialis repugnãtia immediata non est, vt dixi ex hoc capite repugnantia plusquam moralis, & mouens Deum, vt ponat affectum repugnantiæ mediatæ, quæ erat ex ipsa rei natura, vt habitus fidei absente gratia non conseruaretur.

Secundò circa hoc ipsum dubitari posset, an illa prior repugnantia mediata, quam habitus fidei habet cum peccato infidelitatis propter connexionem, quam habet cum gratia, & quam diximus esse repugnantiam ex natura rei mediatam, appellari debeat repugnantia physica, an verò moralis. Ad hoc etiam ex dictis respondere possumus distinguendo: possumus enim comparare habitum fidei cum peccato actuali infidelitatis, vel cum peccato solùm habituali. Loquendo itaque de peccato actuali, concedere possumus, illud physicè repugnare mediatè cum habitu fidei: quia repugnantia illa versatur inter extrema physica, & fundatur in eorũ naturis. Nam habitus fidei est entitas adæquatè physica & habet ex natura rei connexionem physicam cum gratia habituali, licèt non pendeat ab ea vt à propria causa efficienti, vt supra diximus. Aliunde peccatum actuale infidelitatis, licèt pertineat ad genus moris, & ideo includat moralitatem, & malitiam moralem; illa tamen moralitas tota resoluitur in entitates physicas, nempe in volitionem, & dissensum positiuum, & physicum, & aduertentiam rationis præcedentem, & in libertatem arbitrij in actu primo, quæ omnes sunt entitates physicæ; quarum complexio habet repugnantiam cum gratia habituali, & mediatè ac consequenter cum habitu fidei: potest ergo hæc appellari repugnantia mediata physica.

Loquendo verò de peccato habituali infidelitatis quod est macula ex peccato actuali relicta, cùm hæc macula non sit adæquatè physica, sed ex parte sit ens morale. Consequens est, vt repugnantia inter habitum fidei, & ipsam non possit esse simpliciter & absolutè physica, quippe quæ non est inter extrema physica. Nam peccatum habituale, vt suppono ex *disp.* 7. *de Pœnitentia sect.* 5. est actus malus præteritus moraliter perseuerans, quatenus non est condonatus, nec sufficienti satisfactione purgatus, & ideo licèt physicè iam non existat, dicitur æquiualenter, seu moraliter permanere in ordine ad eosdẽ effectus operandos, ac si actu physicè existeret: cùm ergo eius existentia sit solùm æquiualens, & moralis, non potest fundare repugnantiam physicam cum habitu fidei: non enim potest physicè pugnare id, quod physicè non est, sed solùm moraliter, & æquiualenter: quare hæc appellari poterit repugnantia moralis mediata, sed tamen fundata in ipsa morali natura peccati habitualis infidelitatis, & non in sola lege, & mero placito Dei.

Quia tamen diximus, hanc repugnantiam partim esse dicendam physicam, partim ex natura rei moralem, partim solùm moralem ex lege Dei, incumbit nobis breuiter respondere ad argumenta aliarum sententiarum. Et in primis ij, qui negant vllam repugnantiam physicam, vel ex natura rei, arguunt primò, quia totus ille dissensus physicus, quem habet hæreticus, potest esse sine peccato, & componi cum habitu fidei. Ita arguit Hurtado *disp.* 50. §. 45. & latiùs prosequutus fuerat §. 5. *& sequentibus.* Respondetur facilè ex dictis, repugnantiam hanc non versari inter habitum, & assensum erroneum secundùm se, sed vt procedentem à voluntate mala, & grauiter

ter peccaminosa contra fidem: illud autem totum complexum est physicum, & non potest ex natura sua coniungi cum habitu fidei.

70 Secundò arguit idem Auctor §. 12. quia peccatum contra reuelationem non propositam ab ecclesia, sed tamen aliunde sufficienter propositam, vt obliget ad fidem, non repugnat cum habitu fidei, nec illum expellit, sed solùm peccatum hæresis, quo aliquis reiicit dogma ab ecclesia propositum, ergo neque hoc pugnat ex natura rei cum habitu fidei: differunt enim materialiter hæc duo peccata, quatenus negant reuelationes diuerso modo propositas, cùm tamen fides æquè obliget ad acceptandam vtramque. Respondetur, antecedens esse falsum, vt postea videbimus, quia vtroque peccato expellitur habitus fidei. Sed licèt daremus solo peccato hæresis expelli, adhuc vtrumque haberet repugnantiam mediatam ex natura rei cum habitu fidei, cùm vtrumque habeat repugnantiam immediatam cum gratia, sine qua ex natura rei non potest esse habitus fidei.

71 Tertiò arguit. §. 46. quia licèt assensus, & dissensus pugnent inter se, non tamen pugnant dissensus, & potentia ad dissensum, qualis est habitus fidei, ergo hic habitus non pugnat physicè cum dissensu hæretico. Respondetur ex dictis, repugnantiam mediatam à nobis assignatam non oriri ex eo, quod habitus fidei sit potentia ad assensum contrarium dissensui erroneo, sed ex eo quod habeat connexionem cum gratia, cum qua repugnat dissensus erroneus contra fidem, quando est grauiter peccaminosus: quare exemplum aliarum potentiarum, quæ possunt simul esse cum actibus contrariis suis propriis actibus, non est ad rem; quia potentiæ illæ non habent necessariam connexionem cum aliquo alio, cui actus illi repugnent. Hæc ergo, & similia argumenta non procedunt contra nostram sententiam, nec illi Auctores iis vtuntur, nisi ad probandam non esse repugnantiam immediatam, neque ex ratione obiecti formalis.

72 *Solumtur argumenta ponentium repugnantiam physicam immediatam peccati infidelitatis cum habitu fidei.*

Illi verò, qui ponunt repugnantiam physicam immediatam peccati infidelitatis cum habitu fidei, quam tamen nos negauimus, imò & mediatam etiam cum peccato habituali, arguunt primò, ex S. Thoma, qui *hac q. 5. art. 3.* probat, non manere fidem in hæretico, ex eo quod non potest iam credere alia propter motiuum fidei, quod est veritas diuina, secundùm quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina ecclesiæ; quo motiuo ablato, prout aufertur in hæretico, non potest habitus manere. Hæc autem videtur esse repugnantia physica, cùm fundetur in repugnantia cuiuslibet habitus, vt operetur sine suo motiuo formali. Respondetur, rationem S. Thomæ procedere directè ad probandam repugnantiam immediatam inter actum fidei, & actum infidelitatis circa aliũ articulũ, eo quod ablato obiecto formali fidei per vnum actum, non potest alius actus tendere sub illud obiectum formale, & per consequens non potest habere speciem fidei, quæ species ablato obiecto formali, à quo necessariò pendet, nõ potest manere, & ideo in titulo articuli & in eius initio solũ quærit, an in hæretico, qui discredit vnum articulum, possit manere fides informis de aliis articulis, nimirum fides actualis: nam habitus, cùm sit simplex, non potest esse de aliquibus articulis distinctè, sed de omnibus in communi, qui reuelari possunt. Hinc tamen obiter infert S. Thomas, consequenter non manere habitũ fidei in hæretico; supponebat enim aliunde, eum habitum non manere, nisi ad operandum: quare si in hæretico non potest esse operatio vlla habitus fidei, frustra in eo maneret: non tamen dicit, hinc oriri repugnantiam immediatam habitus cũ peccato hæresis, vel infidelitatis.

Secundò arguunt, quia fides destruitur peccato infidelitatis, non autem demeritoriè, ergo physicè. Minor probatur, quia alia sunt grauiora peccata hæresi, v.g. odium Dei; & tamen ob illa non perditur habitus fidei. Ita Vasquez, & Turrianus locis supra citatis. Respondetur, habitum fidei destrui quidem physicè propter oppositionem mediatam physicam cũ peccato infidelitatis, vt explicuimus: loquendo autem de oppositione immediata, hæc est moralis: quia licèt sint alia peccata grauiora, Deus noluit hac speciali pœna ea punire, sicut punit hæresim, qua homo abiicit à se, & respuit fidem, quam Deus non donat adulto nisi volenti, nec conseruat in inuito, vnde hæc pœna habet maiorem proportionem cum hoc peccato, quàm cum aliis etiam grauioribus. Sic Deus filiis honorantibus suos parentes retribuit vitæ diuturnitatem; iuxta illud Exodi 20. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, & ijs, qui bona sua indigentibus partiuntur, retribuit eorumdẽ temporaliũ bonorum abundantiã iuxta Christi verbũ Luc. 6. *date & dabitur vobis*: quæ præmia non promittuntur aliis sanctioribus operibus, cum quibus non habent ita specialẽ proportionẽ: semper tamen grauiora peccata grauioribus pœnis puniuntur, & sanctioribus operibus maiora præmia redduntur, non verò necesse est, quod eadem reddantur. 73

Tertiò arguunt, quia si hæresis non pugnaret physicè cum habitu fidei, sed possent ex natura rei manere simul, posset tunc hæreticus dici fidelis, nam qui fidem retinet, fidelis est. Ita arguit Bañes *dicta quæst. 5. art. 3.* Respondetur negando sequelam, nec enim hæreticus posset simpliciter dici fidelis, quia fidelis non dicitur à solo habitu retento, nisi sit etiã carentia auersionis voluntariæ à fide. Sicut neque è contra dicitur hæreticus, aut infidelis ille, qui amplexus est iam fidem, & baptizatus est, licèt adhuc retineat habitum acquisitum infidelitatis, qui cùm intensus fuisset, non potuit primo actu contrario omnino corrumpi; non tamen denominat iam infidelem simpliciter propter auersionem voluntariam ab infidelitate. Item homo iustus, qui tamen frequenter, & sine causa mentitur, non dicitur simpliciter verax, sed mendax, licèt adhuc, quandiù est in gratia, retineat habitum infusum veracitatis. Sic ergo licèt hæreticus retineret habitum infusum fidei, non diceretur fidelis, sed hæreticus simpliciter & absolutè. 74 *Obiectio 3.*

Quartò arguunt, quia sequeretur, posse aliquem ex natura rei esse simul partem Ecclesiæ, & non esse; nam hæreticus esset ex vno capite extra Ecclesiam, & ideo quando absoluitur, reconciliatur Ecclesiæ: ex alio etiam capite esset pars Ecclesiæ, si quidem haberet characterem baptismi, & fidem, quam Christus influeret in illum. Respondetur, hoc argumento, & similibus probari, nec etiam de potentia Dei absoluta posse manere simul habitum fidei, & hæresim actualem: nam esse fidelem, & non esse fidelem, esse partem, & non esse partem Ecclesiæ, contradictionem inuoluunt. Omnes ergo debemus re- 75 *Obiectio 4.*

spon

spondere, sicut eo casu ille esset simpliciter hæreticus, ita futurum esse extra Ecclesiam eo modo, quo hæretici dicuntur esse extra Ecclesiam. Quāuis enim haberet characterem baptismalem, ratione cuius aliqui volunt, hæreticum esse intra Ecclesiam, quos refert Suarez *infra disp. 9. sect. 1. num. 20.* communiter tamen ob auersionem à fide dicitur simpliciter esse extra Ecclesiam, vt ex Patribus, & Theologis probat idem Suarez *ibi n. 21.* Nec obstaret, quod in casu nostro haberet habitum fidei, quia diximus, hunc non sufficere ad denominandum simpliciter fidelem eum, qui contra fidem sentiret, atque ideo nec sufficeret, vt diceretur esse intra Ecclesiam, à qua se sponte per hæresim separauerat. Denique non obstaret, quod Christus influeret in ipsum conseruando habitum fidei: nam nunc etiam de facto influit Christus in hæreticos, communicando eis auxilia intrinseca, quibus possint elicere fidei assensum, quæ auxilia differunt solùm ab habitu, quod non sint qualitates permanentes, sed transeuntes; dantur tamen ad eliciendum actum fidei, & sunt fides in potentia quatenus sunt virtus transiens ad fidem actualem: non tamen sufficiunt ad denominandum fidelem eum, qui credere non vult; nam posse credere, & nolle, non est esse fidelem. Sic ergo licèt Christus influeret conseruando habitum fidei in hæretico, influxus ille non faceret eum esse intrà ecclesiam, quia solùm haberet à Christo posse credere, & hoc per virtutem intrinsecam permanentem: posse autem etiam potentia permanenti credere, & nolle credere, non est esse fidelem, nec facit esse intra ecclesiam, à qua sponte se separat per hæresim voluntariam.

76 *Obiectio 5.* Omitto alia leuiora argumenta, & addam vnū, vel alterum, quæ contra nostrā sententiam adhuc fieri possent. Quintò ergo ex proximè dictis argui potest, quia si auxilia actualia, quæ Christus cōmunicat hæreticis ad credendum, præstant idem, quod præstaret habitus fidei, si maneret, & faciūt eos potentes credere, sicut si habitum ipsum retinerent; ergo ratio eadem, ob quam eis aufertur habitus intrinsecus fidei, quam sponte abiecerunt, procedit etiam, vt eis auferantur, vel denegentur ea auxilia præsertim intrinseca, quæ faciunt idem, quod faceret habitus. Respondetur, dignos quidem eos esse, quibus hæc etiā auxilia denegarentur. Quia tamen in statu viæ adhuc remanent, & eos Deus clementer ad pœnitentiam inuitat, debēt eis dari media necessaria, sicut peccatori cuilibet, cui charitatis habitus ob peccatum mortale ablatus est, dantur adhuc auxilia ad actum charitatis, & contritionis eliciendum, vt conuerti possit, & recuperare gratiam amissam. Facilius autem conceduntur peccatori, vel hæretico ea auxilia, quàm retentio habituum; tū quia habitus maiora dona sunt, & passiones gratiæ habitualis, & complementum, atque pars integrans iustitiæ internæ, qua homo completè & integrè iustificetur formaliter per iustitiam inhærentem; Tum etiā quia status peccatoris Catholici valdè diuersus est à statu hæretici. Nam Catholicus, etiam si in peccato sit, frequēter tamen, & passim exercet actus fidei, ad quos congruit, quod virtutem permanentem habeat; at in hæretico habitus esset otiosus non solum in actu secundo, sed etiā communiter in actu primo; nam propter suam obstinationem, & alienationem à fide Catholica rarò est in actu primo proximo ad credendū, quia nec applicare vult mentem ad cogitandū de motiuis credibilitatis. Ad casus ergo raros non oportebat relinquere virtutem permanentem, sed sufficit dare transeuntē, quādo casus occurrat. Sicut neque in aqua ponitur virtus intrinseca permanens ad causandam gratiam etiam ab iis, qui dicunt concurrere physicè ad gratiam, sed solùm virtus transiens, quando casus baptismi occurrit.

Sextò. Obiici potest, quia hæreticus, licèt non credat, habet tamen aliquos actus supernaturales pertinentes ad habitum piæ affectionis, nempe affectus simplices erga honestatem fidei, quibus Deus eum excitat, & mouet ad volendum credere: qui affectus sunt supernaturales, & numerantur inter gratias præuenientes, atque ideo indigent principio supernaturali, & fiunt ab habitu piæ affectionis infuso, quando adest. Ad eundem enim habitum spectant affectus simplices erga bonum, ad quem spectat amor efficax eiusdem boni. Ad hos ergo actus, & affectus, qui frequentes sunt in hæretico, cuius Deus cor frequenter pulsat, & excitat, relinqui deberet saltem habitus infusus piæ affectionis. Quod argumentum fortiùs adhuc vrget pro habitu infuso, à quo oritur iudicium euidens credibilitatis, quod iudicium diximus *suprà disp. 11 sect. 1. & 2.* esse supernaturale, & fieri ab habitu infuso: hoc autem iudicium frequēter inuenitur in hæretico, qui agnoscit bene obligationem amplectendi fidem Catholicā, & per consequens iudicat, eam esse prudenter credibilem, licèt malitiosè noli eam credere: deberet ergo relinqui saltem hic habitus infusus in intellectu, vt maneret principium permanens illius iudicij, præsertim cùm hæreticus hunc habitum non abiecerit, nec erraverit, circa obligationem credendi, nec illam in sua mente negauerit per iudicium contrarium. 77

Respondetur, quod attinet ad habitum piæ affectionis, hunc meritò auferri, cùm hæreticus non minùs, quàm habitum fidei, eum etiam abiecerit per actum contrarium nolendo credere, sed potiùs imperando sibi dissensum impium, & erroneum, quare posita non solùm negatione dispositionis, sed etiam indispositione positiua, auferetur habitus voluntaris, qui quamuis si manisset, non fuisset omnino otiosus quoad actus simplices; esset tamen otiosus quoad actus efficaces, propter quos potissimùm dantur, & conseruantur huiusmodi habitus infusi. Habitus etiā intellectualis infusus, qui deseruit ad iudicium euidens credibilitatis, auferetur, quia hic habitus non datur, nec conseruatur, nisi propter actus, & habitus fidei, & piæ affectionis: Vnde quamuis actus proprius huius habitus non sit liber, nec moralis, infunditur tamen adultis, posita dispositione morali, quæ requiritur ad infusionem habitus fidei, & piæ affectionis, cum quibus facit vnum in ratione doni, & ideo ad sui conseruationem exigit etiam eandem dispositionem, qua non retractetur dispositio antea posita ad eius infusionem: hæreticus autem eo ipso, quod ostendit se inuitum ad retentionem fidei, & piæ affectionis, ostendit etiam se inuitum ad retentionem illius alterius habitus intellectualis, qui facit vnum in ratione doni cum pia affectione, & fide, atque adeò sicut simul, & cum eadem dispositione infunduntur, sic etiam simul semper, & ob eandem indispositionem auferuntur. 78

Vltimò

Obiectio vlt. Vltimò obiici potest, quia in hæretico manet facilitas ad credendos alios articulos, circa quos non errat, ergo manet fidei habitus ad illos credendos. Respondetur facilè ex dictis, habitum infusum non dare facilitatem, sed potentiam ad assensum supernaturalem: quare facilitas illa in hæretico est habitus acquisitus, hoc est, in mea sententia species benè coordinatæ & dispositæ ad percipienda ea obiecta, & motiua etiam credibilitatis. Cur autem circa eos articulos non eliciat hæreticus assensum fidei supernaturalem, sed alium assensum minùs perfectum, dicetur postea.

79 *Habitus fidei non expellitur à peccato infidelitatis, nisi in genere causæ efficientis.*

Hinc inferò, habitum fidei non expelli à peccato infidelitatis in genere causæ efficientis, vt voluit Okamus *quodlib. 3. quæst. 7.* & alij Recentiores, quos refert Turrianus *disput. 44. dub. 2. in principio.* Ratio autem est, quia causa expulsiua, vel destructiua alterius in genere causæ efficientis dupliciter id potest facere. Primò suspendendo concursum, quo rem illam conseruabat in genere causæ efficientis, prout Deus dicitur posse destruere Angelum, quem conseruat. Secundò producendo efficienter aliquid, à quo formaliter illud destruatur, vel expellatur: prout ignis dicitur efficienter expellere frigus à ligno sibi applicato, quia nimirum producit efficienter in ligno calorem, à quo in genere causæ formalis expellitur frigus. Neutro autem modo peccatum hæresis expellit habitum fidei. Non quidem primo modo, cum habitus fidei non conseruaretur ab hæresi, vt constat. Non etiam secundo modo, quia peccatum illud non producit efficienter aliquam formam repugnantem formaliter habitui fidei: nam licèt producat fortasse habitum naturalem erroris, hic tamen non repugnat formaliter cum habitu fidei, vt supra vidimus, & constat in hæretico conuerso ad fidem, qui simul cum habitu fidei, quem recuperat, retinet habitum antiquum hæresis saltem quoad aliquos gradus illius. Restat ergo vt hæresis eo modo, quo expellit habitum fidei, id præstet solum in genere causæ formalis, propter repugnantiam, quam habet cum gratia, cum qua habet connexionem habitus fidei. Cæterùm si sermo esset de causa efficienti minus propria, concedi posset expelli efficienter à peccato hæresis: nam sicut merita sunt causa moralis præmij, ad cuius retributionem mouent, & ideo reduci possunt ad genus causæ efficientis; ita demerita, seu peccata sunt causa moralis pœnæ, ad quam mouent, & in eo sensu possunt reduci ad genus causæ efficientis. Vnde peccatum hæresis, quod per modum demeriti mouet Deum ad expulsionem fidei, potest dici efficienter illam expellere efficientia morali, in quo sensu intelligi potest, quod dixit S. Thomas *infrà quæst. 24. art. 10.* charitatem corrumpi efficienter per peccatum mortale. Nam licèt possit intelligi non tam de ipso peccato, quàm de peccatore, qui facit peccatum, & medio peccato expellit charitatem efficienter: potest tamen intelligi etiam de efficientia non physica, sed morali, qua peccatum ipsum videtur effectiuè expellere charitatem. Fateor, ibi S. Thomam condistinguere efficientiam à demerito, & dicere, vtroque modo expelli charitatem à peccato, nempè effectiuè & demeritoriè. Hoc tamen totum adhuc intelligi potest sine efficientia physica: nam peccatum dupliciter potest Deum mouere ad tollendam charitatem: nempè mouendo Deum, vt puniat, & in pœnam auferat charitatem, & hoc est expellere demeritoriè. Deinde potest mouere Deum, non quidem vt puniat, sed vt obiectum reddens hominem ineptum amicitiæ diuinæ; sicut etiam vnus homo, qui alium punire non potest, desinit tamen esse illius amicus propter eius deprauatos mores non quidem in pœnam, nec vt puniat, sed quia inuenit illum ineptum suæ amicitiæ. Sic ergo peccatum moraliter etiam efficienter mouet Deum ad tollendam charitatem à peccatore, & non solùm demeritoriè.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

SECTIO V.

Quo, & quali peccato infidelitatis amittatur habitus fidei.

80 DIximus in genere, peccato solo infidelitatis amitti habitum fidei: oportet nunc examinare, an quolibet peccato contra fidem commisso perdatur habitus fidei, an solùm propter aliqua, & quæ illa sint. Sermo autem est de peccato mortali, nam propter venialia proculdubio non perditur, vndecumque leuitas proueniat, siue ex defectu plenæ deliberationis, siue ex leuitate materiæ, si hæc dari possit in peccatis aliquibus contra fidem, siue ex alio quocunque capite.

An ex infidelitatis peccato commisso ex ignorantia grauiter culpabili oriatur habitus fidei expulsio?

In primis ergo dubitari potest, an ex infidelitatis peccato commisso ex ignorantia grauiter culpabili oriatur habitus fidei expulsio. Affirmat multi de ignorantia antecedenti, alij saltem de affectata, quos referunt Suarez *disp. 19. sect. 3. num. 3.* & Hurtado *disp. 82. sect. 6. §. 48.* quibus adde Coninch *disp. 18. dub. 4. num. 31.* de quo tamen dixi *disp. 16. de pœnit. sect. 4. num. 193. & sequentibus*, vbi negaui, eo peccato perdi habitum fidei, quam sententiam tenent Suarez *in præsenti disp. 19. sect. 3. num. 10.* & alij communiter, quos congerit, & sequitur Hurtado *vbi suprà §. 50.* de quo tamen, cur non sit hæreticus, agendum est infrà ex professo *disput. 20. sect. 6.* Nunc solùm dicimus, eum nõ amittere habitum fidei: quod difficile videri posset, eo quod ille verè peccet mortaliter contra fidem, atque ideo incurrit peccatum infidelitatis, Tridentinum autem supra adductum illa sect. 6. c. 15. simpliciter, & absolutè dixit, peccato infidelitatis amitti fidem. Cæterùm sicut ille non dicitur simpliciter hæreticus, vt cum communi sententia videbimus loco citato, quia licèt culpabiliter discedat ab ecclesia non tamen cum pertinacia, imo paratus est credere cum ecclesia, quando ecclesiæ sensus ei sufficienter proponetur, quamuis in hoc peccet, quod sensum ecclesiæ non exquirit; sic etiam non dicitur simpliciter infidelis, nec illud peccatum dicitur simpliciter infidelitatis, quia paratus est acceptare veram fidem, quoties sufficienter proponetur, licèt in hoc ipso peccet, quod non examinat debito modo motiua ad inueniendam veram fidem; quare sicut non incurrit pœnas hæreticorum ecclesiasticas, sic nec incurrit hanc pœnam internam, & iacturam habitus fidei, qui in eo statu paratus est ad credenda omnia obiecta reuelata sibi sufficienter proposita, licèt non sit paratus ad ea inquirenda, & habet voluntatem credendi, quidquid ab ecclesia, vel aliter sibi ex parte Dei sufficienter propositum fuerit, quæ est voluntas piæ affectionis.

81 *Habitus fidei vt amittatur non requiritur quòd peccatum infidelitatis prodeat in actum externum.*

Secundò certum videtur, ad amittendum habitum fidei non requiri, quod peccatum infidelitatis prodeat in actum externum; nam licèt ad pœnas ecclesiasticas hæreticorum incurrendas requiratur hæresis externa, & non sufficiat merè interna, quia ecclesia non iudicat de occultis, & merè internis; hæc tamen pœna priuationis habitus infusi infligitur à Deo, qui est æque iudex in vtroque foro, & apud quem peccata cordis eandem malitiam habent, quàm externa; imò hęc nec addunt malitiam, nec punibilitatem supra peccata interna, vt suppono, quare in foro Dei infidelitas interna est vera infidelitas, sicut è contra fides merè interna est vera fides, & habet omnes effectus veræ fidei. Sed tamen in Societate IESV, in qua impedimentum essentiale, & irritans est recessisse à gremio ecclesiæ fidem abnegando; necesse est, quod delictum non prodierit in actum externum, & probabile sit in foro externo vt notauit Suarez *tom.4. de religione lib.2. de Instituto Societatis cap.1. num.11.& 14.* quia hæc etiam inhabilitas pertinet ad forum externum, & quia id explicant verba nostræ Constitutionis ab eodem Suario adducta.

Habitus fidei non amittitur propter solam infidelitatem externam sine interna.

Tertiò certum est, non amitti habitum fidei propter solam infidelitatem externam sine interna; nam sicut ille non est hæreticus, nec incurrit pœnas spirituales hæreticorum; ita nec est infidelis, sed potiùs simpliciter fidelis: & sicut fidelis est, qui omnia fidei obiecta credit, ita infidelis est, qui ea, vel aliqua eorum negat, & non credit. Est quidem peccatum illud contra fidem, quæ non solùm obligat ad assensum, sed etiam prohibet negationem externam; non est tamen absolutè infidelitas, quæ includit dissensum, & non potest esse simul cum vera fide.

82 *An fidei habitum perdat qui exponit se culpabiliter periculo morali infidelitatis, si tamen postea non perueniat ad dissensum internum contra fidem.*

Quartò potest dubitari, an fidei habitum perdat, qui exponit se culpabiliter periculo morali infidelitatis, si tamen postea non perueniat ad dissensum internum contra fidem. Ratio dubitandi esse potest, quia exponere se sine causa excusante periculo morali alicuius peccati mortalis, videtur esse peccatum eiusdem speciei, & contrahere eandem malitiam, vt constat in eo, qui se exponit periculo homicidij, vel fornicationis, &c. Ergo peccat contra fidem, & peccato infidelitatis, qui culpabiliter culpa graui exponit se periculo deserendi fidem. Dicendum tamen est, hunc non amittere habitum fidei propter solum illud peccatum, si non processit vlteriùs ad fidem re ipsa interiùs negandam. Quod in simili docuit Suarez *disp.19. sect.4. num.18.* vbi idem etiam dicit de illo, qui cùm fidem retineat interiùs, alios tamen ad infidelitatem inducit, & à vera fide auertit. Ratio autem esse potest, quia licèt vterque contra fidem grauiter peccet, adhuc in eo statu, & dispositione est, vt fidem non abiiciat, sed credat omnia, quæ sibi sufficienter proponuntur; quare nec habitus fidei otiosus erit, nec auferendus est, ex eo, quod illum, quantum ex se est, abiicere voluerit, cùm potiùs voluerit eum retinere, & credere firmiter, quæcumque ad fidem pertinent.

83 *An perdat habitum fidei qui per conscientiam erroneam putat aliquem verum fidei articulum esse contra Ecclesiæ sensum, & tamen illum articulum credit, an perdat habitum fidei.*

Quintò dubitari potest de eo, qui per conscientiam erroneam putat aliquem verum fidei articulum esse contra Ecclesiæ sensum, & tamen illum articulum credit, an perdat habitum fidei. Ad quod respondeo breuiter, posse conscientiam illam erroneam dupliciter contingere. Primò ita vt homo per ignorantiam etiam inuincibilem excusetur à culpa in Ecclesiæ auctoritate contemnenda, eo quod adeo firma fundamenta apprehendat ad credendam veritatem Eucharistiæ v.g. vel Incarnationis, vt putet credi debere etiam contra Ecclesiæ sensum; & tali casu proculdubio non peccaret grauiter contra fidem, sed propter ignorantiam inuincibilem, & errorem excusaretur à culpa graui, nec habitum fidei amitteret. Secundò, potest apparere sufficienter obligatio non dissentiendi ab Ecclesia, & cum errore circa sensum Ecclesiæ de Eucharistia velle credere contra Ecclesiæ sensum præsentiam realem Christi in Eucharistia, & in hoc casu peccari grauiter contra fidem, & quidem peccato hæresis non solùm internæ, sed etiam externæ, atque ideo incurri pœnas hæreticorum, si sensus contra Ecclesiam prodatur exteriùs, fatetur Suarez *vbi sup.n.17.* & Hurtado *disp.82. sect.7.§.67.* & nos consequenter addimus, perdi habitum fidei: quia licèt circa Eucharistiam non sit assensus hæreticus, nec falsus; est tamen assensus falsus, & hæreticus contra Ecclesiæ auctoritatem, quo iudicatur, Ecclesiam errare posse in suis dogmatibus, & ab eius sensu discedi posse: quare licèt retineatur verum dogma circa Eucharistiam, asseritur tamen error contra Ecclesiæ auctoritatem, & negatur aliquis verus fidei articulus, quod sufficit ad perdendum habitum fidei.

84 *An perdat habitum fidei qui per conscientiam erroneam putat aliquem articulum fidei esse contra Ecclesiæ sensum, & tamen illum credit.*

Sextò dubitatur de eo, qui non negat fidem; de eius tamen veritate dubitat, an perdat fidei habitum. Aliqui negant, illum esse hæreticum. Ita latè Cano *lib.12. de locis Theolog.cap.9.col.9.* Alij idem dicunt de dubitante per meram suspensionem iudicij, quamuis id fiat etiam graue peccatum contra fidem: concedunt tamen esse hæreticum, qui habet dubium positiuum, nempe iudicium, quo asserit rem illam esse dubiam, nam hic iam asserit contra fidem, res fidei non esse certas. Ita Thomas Sanchez *lib.2. in decalog. cap.7. num.12.* Alij communiter dicunt, omnem determinatè dubitantem dubio daliberato esse hæreticum. Ita Suarez *dicta disp.19. sect.4. num.10.* Coninch *disp.18. dub.7. num.85.& 102.* Hurtado *disp.80.§.22.& disp.82.§.65.* & alij omnes, quos latè congerit Sanchez *vbi supra num.11.* Rationem autem explicat latè Suarez, quia suspensio mera iudicij non est dubium culpabile, cùm non semper teneamur elicere assensum fidei, sed possimus velle ad alia obiecta attendere. Dubitans autem culpabiliter semper habet iudicium aliquod, quo dicit, res illas esse dubias, vel rationes contrarias esse tanti ponderis, vt merito assensus sit suspendendus, quod totum est contra fidem, & ille est assensus hæreticus. Omnes tamen fatentur, quolibet dubio deliberato, & grauiter culpabili amitti habitum fidei, vt fatentur Cano, & Sanchez locis citatis.

85 *An omnis dubitans in fide sit hæreticus, videndum est infra disp.20.*

An omnis dubitans in fide sit hæreticus, videndum est *infra disp.20.* vbi de hæresi, & eius essentia agendum erit. Quod verò attinet ad amissionem habitus fidei, ego etiam fateor amitti, quoties dubitans habet iudicium deliberatum, & voluntarium, quo iudicat, rem aliam esse incertam, vel dubiam, vel posse aliter se habere, cùm hæc iudicia sint manifestè contra id, quod fides credit, quæ iudicia Sanchez *dicto num.12.* appellauit *reflexa*, quem modum loquendi Coninch *vbi supra num.86.* reprehendit in Maldero, quia actus reflexus est, qui habet pro obiecto alium actum directum: hæc autem iudicia non habent pro

pro obiecto, nisi rem ipsam, de qua dicunt esse dubiam. Et quidem ij auctores minùs cautè loquuti sunt, dum dixerunt, iudicium illud esse reflexum supra ipsam dubitationem, seu supra dubitandi actum: non enim iudicat de dubitatione intellectuali formali, sed de meritis ipsius obiecti. Cæterùm in aliquo sensu potuit iudicium illud appellari reflexum; habet enim pro obiecto, non quidem rem ipsam provt est præcisè à parte rei, sed secundùm statum, quem habet in actu primo in ipso intellectu; hoc est, perpensis fundamentis pro vtraque parte propositis ab intellecto, iudicat notitiam illam motiuorum propositorum non constituere rem illam in statu certitudinis in actu primo, sed adhuc requiri maiora fundamenta ad firmiter de re decernendum: quæ videtur esse reflexio supra statum intentionalem, quem res illa habet in intellectu ortum ex fundamentis, & motiuis propositis.

86 Ego itaque aliquantulum à sententia illa Suarij, & aliorum, qui eum sequuntur discedo. Fateor quidem, posse suspensionem assensus, & iudicij deliberatam contingere sine peccato contra fidem. Si quis v. g. propositis omnibus motiuis credibilitatis, nolit tunc elicere assensum fidei, quia obligatio hæc non est pro semper, sed velit attendere ad alia obiecta, vel vitare defatigationem assensus eliciendi: tunc enim illa suspensio assensus non est dubitatio positiua, aut negatiua. Imò licèt homo tunc suspenderet assensum, non quidem quia putaret, illa motiua non sufficere, sed vt maiora motiua adhuc quæreret, & meliùs ea examinaret, vt posset cum maiori quiete, & tranquillitate credere, & liberari à tentationibus, & anxietatibus contra fidem, & in ea securiùs quiescere; non video ibi malitiam grauem in ea suspensione, cùm non appareat pro tunc obligatio positiua eliciendi assensum, & aliunde laudabile sit quærere maiora, & maiora motiua credibilitatis ad confirmandam magis mentem in rebus fidei.

87 Cæterùm illud quod Suarez *num.* 13. & 14. & alij addunt, mihi non placet, nempe omnem culpabilem suspensionē assensus in rebus fidei procedere ex aliquo iudicio erroneo, quo homo iudicat, motiua proposita non esse sufficientia ad credendum, sine quo iudicio precedente dubitare non potest dubitatione libera, & humana: vnde inferunt, omnem dubitationem culpabilem esse hæresim, cùm iudicium illud, ex quo oritur, sit erroneum, & hæreticum. Hoc inquam, mihi placere non potest, provt etiam illud negauit Granado *in præsenti tract.* 15. *disp.* 3. *num.* 7. & potest in primis ad hominem probari; quia per te ante suspensionem illam culpabilem præcedit semper iudicium erroneum & hæreticum, quo iudicantur insufficientia illa motiua ad credendum, quo iudicio peccatur grauiter contra fidem, & amittitur eius habitus. De hoc ergo iudicio erroneo præcedente quæro, an sit voluntarium. Negari enim id non potest, cùm cōstituat hominem hæreticum, quod sine voluntate fieri non potest. Præcedit ergo voluntas imperans illud iudicium asserens insufficientiam motiuorum, de qua voluntate rursus peto, an semper oriatur ex alio iudicio dictante insufficientiam motiuorum? Hoc dici non potest, quia daretur processus in infinitum, cùm de illo alio iudicio præcedente peti posset an esset voluntarij, & sic de omnibus aliis, quare deueniendum est ad voluntatem primam culpabilem, quæ oriatur ex iudicio non culpabili, nec voluntario, nec erroneo, sed vero, & per consequens, quod non dictet insufficientiam motiuorum ad credendum. Sicut ergo voluntas illa prima culpabilis contra fidem non præsupponit iudicium aliquod errans circa fidem; sic voluntas culpabilis suspendendi assensum, & dissensum circa fidem oriri posset ex iudicio præcedenti non erroneo circa eandem fidem.

An omnis culpabilis suspensio assensus in rebus fidei procedat ex aliquo iudicio erroneo.

Ratio autem à priori ad idem probandum hęc est; quia ille, qui peccato hæresis amittit habitum fidei, liberè omninò peccat, & quidem libertate non solùm contradictionis, sed frequenter etiam contrarietatis, qua non solùm poterat non dissentire, sed etiam poterat assentire, & credere: quare in actu primo proximo ante primam voluntatem culpabilem contra fidem habet ex parte intellectus eadem iudicia, & motiua, quæ habet ille alius, qui in fide Catholica perseuerat: per voluntatem autem incipit ab eo differre, qua vult à fide recedere, in qua ille alius vult persistere. Cùm ergo Catholicus non habeat iudicium erroneum dictans insufficientiam motiuorum, nec etiam qui peccat contra fidem, habebit in actu primo ante primam voluntatem peccaminosam eiusmodi iudicium erroneum. Si ergo absque tali iudicio erroneo præcedente asserente insufficientiam motiuorum potest homo velle negare fidem, & asserere eius doctrinam esse falsam; quanto magis poterit absque eo iudicio erroneo velle suspensionē assensus. Plus enim est asserere, doctrinam illam esse falsam, quàm suspendere assensum, & dissensum circa illam: si ergo potest absque iudicio erroneo velle primum, poterit etiam velle secundum, & hoc tunc etiam, quando talis suspensio voluntaria esset grauiter culpabilis. 88

Dices, mera suspensio assensus etiam voluntaria non esset mala, nec etiam dubitatio, nisi oriatur ex eo, quod non videatur sufficiens ratio ad assentiendum: alioquin omnis, qui assensum suspendit ex quacunque causa id faciat, dicetur dubitare; quod tamen falsum est: ita arguit Suarez *vbi supra* dicens, non posse explicari quid addat dubitatio supra simplicem suspensionē assensus; nisi iudicium illud, & existimationem de insufficientia motiui ad assentiendum; *nam qui dubitat* (inquit) *non alia ratione dubitat, nisi quia sufficientem rationem ad assentiendum non inuenit.* Respondetur ex dictis, sicut, qui negat fidem, non ideo negat, quia sufficientem rationem ad credēdum non inuenit, vt probatum est, ita à fortiori, qui non negat, sed solùm dubitat (quod sanè minus est, quam negare) non necesse est, quod ideo semper dubitet, quia sufficientem rationem ad credēdum non inuenit: vtrique ergo proponuntur in actu primo motiua credibilitatis sufficientia, & difficultates etiam contra fidem, & id quidem absque errore, vel enim sunt illæ difficultates, & ineuidentia, & obscuritas, quæ omnia retardant, & reddunt difficilem assensum. Vnde apparet etiam vtrique in actu primo bonitas, & honestas credendi, & obligatio non dissentiendi, & credendi etiam explicitè aliqua obiecta, cætera autem saltem implicitè, vel tunc, vel alio debito tempore. Apparet etiam vtique malum aliquod & incommodum in fide (alioquin nō possent illam nolle) v. g. difficultas credendi firmiter, quod non est euidenter manifestum, & absque euidenti securitate, quod non sit periculum decepti- 89

deceptionis. Vnde voluntas vtriusque manet libera ad volendum, vel nolendum credere, imo & ad volendum etiam dissensum propter argumenta, & difficultates etiam, quæ apparent contra doctrinam fidei. His stantibus; quæ omnia, vt dixi, proponuntur ex parte intellectus in actu primo absque errore, aut deceptione, voluntas potest velle assensum, vel etiam eum nolle propter malum illud qualecunque, quod in assensu inuenitur, quæ voluntas dissensus, vel non credendi est apertè peccatum contra fidem, vt constat, quamuis non procedat ex iudicio erroneo, nec etiam imperet dissensum positiuum. Esset quippe verè infidelis non solum qui iudicaret falsam doctrinam fidei, sed etiam qui eam sufficienter propositam nollet acceptare, nec credere. Neque ad hoc peccatum necessarium esset etiam iudicium aliquod non solùm antecedens, sed nec etiam consequens, quo homo diceret, *fortasse hoc est falsum*, vel, *in hac fide latet aliquod erroris periculum:* non ergo requiritur tale iudicium antecedens, vt probauimus, cùm in actu primo æquales sint in intellectu, qui acceptat, & qui respuit fidē in actu secundo: sed neque est necessarium, quod illud iudicium subsequatur semper in nolēte credere; nihil enim est, quod ad illud necessitet: non enim necessitant ea, quæ ab intellectu cognoscuntur; alioquin independenter à volūtate habitum iam fuisset illud iudicium; sed neque voluntas ipsa necessitat ad tale iudicium habendum; tum quia voluntas potest cohibere omne iudicium intellectuale circa fidei doctrinam; atq; adeo illud etiam iudicium positiuè dubitans; tùm etiam quia aliquando voluntas non potest illud iudicium velle, vel imperare: non potest enim velle id, quod non est præcognitum; & potest sæpè contigere, quod proponatur bonum, & malum quod habet assensus & dissensus circa res fidei, & nihil boni, vel mali præcognoscatur de illo tertio iudicio affirmante contingentiam obiecti, imò nec illud iudicium præcognoscatur, quare nec imperari poterit à voluntate vel amari; si ergo peccare potest grauiter contra fidem, qui vult non credere obiecta fidei sibi sufficienter proposita, etiamsi non velit positiuè dissentire, & hoc peccatum esse potest sine vllo iudicio erroneo antecedenti, vel consequenti, non video cur non possit peccare etiam grauiter contra fidem, qui vult suspēdere omnem assensum, circa doctrinam fidei, etiamsi nullum habeat iudicium erroneum.

90 Quia tamen non semper peccat contra fidem, qui non vult elicere assensum tunc circa res fidei sibi propositas, explicare oporter, vt argumento proposito satisfiat, quādo suspensio illa censenda sit peccaminosa, & mereatur nomen *dubitationis:* neque enim omnis, qui non elicit assensum positiuū, dicitur dubitare de veritate obiecti propositi, vt diximus de eo, qui vt ad alia attendat, non vult nunc positiuum fidei actum elicere. Possumus autē id explicare ex proximè dictis, ex quibus sequi videtur, tunc voluntatem illam suspendendi assensum esse contra fidem, quando habet pro motiuo difficultates illas, quæ in actu primo proponuntur intellectui contra fidei veritatem, & quæ retardant à fidei assensu præstando. Quādo ergo homo non vult elicere fidei assensum, quia vult de aliis rebus cogitare, & non defatigare caput, vel propter similes rationes, non peccat grauiter contra fidem, quam suppono non obligare pro tunc præcepto affirmatiuo ad assensum. Quando verò deterritus à difficultatibus, quæ contra fidei doctrinam occurrunt, imperat sibi suspensionem assensus, & dissensus circa fidem aliunde, vt suppono, sufficienter propositam, nunc dicimus voluntatem illam, & suspensionem subsequentem esse dubitationem culpabilem, & peccatum graue contra fidem. Potrò quod voluntas habeat hoc, vel illud motiuum, intrinsecum est ipsi volūtati, seu volitioni actuali, quæ non solum vult negationem assensus, & dissensus intellectualis, sed etiam fertur intrinsecè, tanquam in obiectum formale, in motiuum hoc, vel illud, propter quod imperat eiusmodi carentiam assensus, & dissensus: quare non est mirum, quod ex diuersitate motiui formalis voluntas illa sit, vel non sit mala grauiter, & peccaminosa contra fidem.

Ratio autem differentiæ inter duas illas voluntates videtur clara: qui enim ad fugiendi solam capitis defatigationem, vel vt aliis obiectis possit attendere, vel ob similia motiua cohibet intellectum ab actu fidei eliciendo nihil derogat fidei auctoritati. Qui verò ob difficultates contra fidei veritatē propositas cohibet assensum, eo ipso voluntate videtur approbare tacitè difficultates, & rationes illas, illisque cedere, & in actu exercito saltē interpretatiuè significat, esse periculum deceptionis, & falsitatis in assensu fidei, ob idque periculum fugiendum imperat sibi suspensionē assensus. In qua voluntate apparet clarè irreuerentia grauis contra fidem, à cuius falsitatis periculo deterrita voluntas cohibet intellectum ab assensu. Quapropter suspensio illa etiam sine iudicio formali erroneo antecedēti, vel consequenti appellari poterit propriè dubitatio in fide. Nā sicut, qui formaliter, & expresse dicit, *Fortasse hoc obiectum aliter se habet, vel potest aliter se habere,* dubitat de veritate illius obiecti, & fluctuat in vtrāque partem: ita dici potest dubitare, & fluctuare, qui hoc ipsum interpretatiuè, & æquiualenter dicit, prout reuera facit, qui propter illud falsitatis periculum suspendit assensum; hoc enim ipso voluntas explicat, se timere falsitatis periculum, & eo timore motam cohibere assensum intellectualem: ille autem alius, qui, ne defatigetur, abstinet ab assensu, nō dubitat propriè: nam *dubius*, vt notatur ex Latinis Auctoribus apud Calepinum, est qui hæret inter duas vias, anceps, & nescius, quam possit tutus capere: qui autem ob defatigationem sistit in via, non dicitur dubius, sed qui sistit ob periculum errandi. Vnde ille solus dubitat in fide, qui sistit, & suspendit assensum ob difficultates, quæ cōtra eius securitatem occurrunt: imo in rigore hic etiam solus dicitur suspendere assensum & iudicium, ille enim, qui ob defatigationem abstinet ab actu fidei, non dicitur suspendere assensum, aut iudicium: nam suspendere est sustinere quasi pendentem, & indifferentem intellectum, ne inclinet ad hanc, vel illam partem, aut in earum altera quiescat: quam indifferentiam habet, qui ob rationes vtrimque apparentes manet pendulus, non qui ob alias occupationes abstinet ab exercitio actus fidei. Hæc autem indifferentia, & suspensio continet clarè irreuerentiam grauē contra fidem, & diuinam auctoritatem; nam etiam inter homines, si viro graui seriò, & fortasse cum iuramento aliquid asserenti respondeas, *ego suspendo iudicium*, ipse meritò hoc sibi ad iniuriam, & contumeliam imputabit: quantò magis Deo affirmanti, &

& testificanti & suam testificationem sufficienter proponenti.

92 Vrgebit aliquis, remanere adhuc eandem difficultatem : si enim motiuum voluntatis, quando culpabiliter suspendit assensum, est periculum deceptionis, & falsitatis, quod apparet contra fidei doctrinam, ergo peccatum illud non fit sine aliquo iudicio erroneo. Voluntas enim non potest habere motiuum, quod non sit priùs ab intellectu propositum : si ergo voluntas cohibet assensum propter malum periculi falsitatis, priùs propositum est ab intellectu malum illud, & per consequens priùs intellectus iudicauit, in fidei assensu reperiri periculum illud falsitatis, quod iudicium erroneum est, & hæreticum, vt constat. Respondeo, periculum falsitatis, seu errandi dupliciter posse cognosci, & proponi ab intellectu; primò affirmando absolutè subesse tale periculum. Secundò proponendo solùm augmenta, & motiua, ex quibus possit saltem imprudenter aliquis iudicare, quòd subsit eiusmodi periculum. Quo supposito dicimus, non esse necesse ad suspensionem illam culpabilem, & voluntariam, quod intellectus asseruerit formaliter, subesse tale periculum; sufficit, quod proposuerit motiua, & difficultates cõtra fidem, ex quibus posset saltem imprudenter affirmari periculum errandi, quod secundum fieri potest sine iudicio erroneo; & id facit intellectus etiam in eo, qui fidem acceptat; nam priùs proponit difficultates & motiua, quæ sunt contra fidem, quæ sicut sufficiunt in actu primo, vt ille possit fidei dissentire, si velit, & eius veritatem negare, ita sufficiunt, vt possit dicere saltem imprudenter, subesse in fide periculum falsitatis. Hoc autem, licèt non sit proponere, & affirmare periculũ ipsum formale (hoc enim esset iudicium erroneum, vt probat obiectio) est tamen proponere, & affirmare periculum fundamentale, hoc est, fundamenta, & motiua, ex quibus, quantum est ex parte obiecti, potest aliquis imprudenter colligere periculum esse falsitatis: & hoc periculum fundamẽtale potest vtique intellectus sine errore proponere, & affirmare. Quod iudicium præcedere debet ante voluntatem malam suspendendi assensum : quia voluntas illa debet habere motiuum alicuius boni, vel mali cogniti in obiecto : motiuum autem est malum periculi falsitatis, propter quod cohibetur à voluntate assensus, vel bonum vitandi illius periculi, propter quod imperatur suspensio. Priùs ergo proponit intellectus aliquid mali esse in assensu fidei propter periculum illud fundamentale ortum ex motiuis contrariis, vel aliquid boni esse in suspensione assensus, nempe vitare periculum illud fundamentale : quod vtrumque sine errore affirmari potest. Nam sicut absque errore cognoscitur, in obiecto turpi esse aliquod bonum, licèt non sit prudenter eligibile; & in obiecto virtutis præceptæ esse aliquod malum, licèt non prudenter fugiendum : ita in assensu fidei potest concipi absque errore aliquod malum, licèt non prudenter fugiendum, & in suspẽsione assensus fidei aliquod bonum, licèt prudẽter vobile : quia re vera carere periculo illo bonum aliquod est, & subesse periculo illi fundamentali malum aliquod est : ideo enim perfectior est visio euidens, quam cognitio obscura; quia caret illo periculo etiam fundamentali, hoc est, non habet contra se fundamenta sufficientia ad formidandum prudenter, vel imprudenter de eius veritate. Quando ergo dicimus, voluntatem suspendentem assensum habere pro motiuo periculum falsitatis, non loquimur de periculo formali, sed de hoc solùm periculo fundamentali, quod potuit sine errore cognosci, & affirmari ab intellectu, & quod sufficit ad mouendum voluntatem, vt saltem imprudenter imperet suspensionem assensus & dissensus circa fidei doctrinam, quæ voluntas ratione motiui habere potest malitiam grauem contra virtutem fidei, vt probatum est.

Supposita ergo possibilitate voluntatis suspendendi assensum & dissensum sine iudicio erroneo, quæ tamen voluntas sit grauiter contra fidem propter motiuum intrinsecum quod habet, dicimus, eo etiam peccato amitti habitum fidei : quod quidem omnes concedere videntur data hypothesi talis voluntatis : nam concedunt, omnem dubitantem dubio voluntario, & grauiter culpabili amittere habitum fidei, licèt aliqui negent, dubium illud contingere posse sine iudicio erroneo, & absolutè concedit Granado *dicta disput. 3. num. 4. & sequentibus.* Ratio autem à priori ex supradictis esse potest, quia habitus fidei expellitur peccato infidelitatis, ex vi cuius homo ponitur in eo statu, in quo habitus esset otiosus, eo quod homo voluntariè abiiciat à se vsum fidei : tale autem est peccatum illud de quo loquimur, quo nimirum voluntas cedit difficultatibus, & argumentis, quæ proponuntur contra fidei veritatem, & metu periculi falsitatis orti ex illis motiuis fugit à fidei assensu : quo statu, & timore durante non potest elici actus fidei. Quod autem nondum positum sit iudicium contrarium erroneum parum refert, idem enim operatur voluntas illa, quod operaretur iudicium erroneum contrarium, quo affirmaretur periculum falsitatis in fide : nam sicut iudicium hoc auferret quasi ex parte obiecti conditionem requisitam ad fidem, nempe certitudinem, & firmitatem in credendo, quæ non posset esse cum iudicio de periculo falsitatis in eadem fide : sic suspensio intellectualis orta ex voluntate absoluta propter periculum falsitatis aufert quasi ex parte obiecti conditionem requisitam ad assensum fidei, nempe certitudinem, & firmitatem assensus. Impossibile enim est credere firmiter stante voluntate deliberata cohibendi assensum firmum, & hoc ex timore, & fuga deliberata periculi falsitatis latentis in illo fidei assensu firmo, & stante dubitatione illa voluntaria circa res fidei : nec minùs opponitur actui fidei dubium circa fidem, quam assensus contrarius, cum neutrum possit esse cum actu fidei : non ergo minùs perditur fidei habitus hac suspensione, & dubio culpabili etiam sine iudicio erroneo, quàm cum illo. 93

Dices, habitus fidei non perditur, nisi peccato infidelitatis : in casu autem posito non reperitur propriè infidelitatis; hæc enim consummatur in intellectu; cùm ergo in prædicto casu nullus sit actus intellectus procedẽs ab illa voluntate mala, cõsequens est, vt non detur infidelitas simpliciter, & absolutè, sed intellectus præscindens à fide, & infidelitate, licèt illa etiam præcisio mala sit, & culpabilis. Respondetur, quidquid sit, an peccatum infidelitatis possit consummari in voluntate, de quo *infra* dicendũ erit, quãdo agemus de infidelitate, eo casu dari verè peccatum infidelitatis; neque enim ille solus est infidelis, qui opinatur 94 *An peccatum infidelitatis possit consummari in voluntate, remissiuè.*

opinatur contra fidem, nec de Apostolo Thoma legimus, quod positiuè negasset Christi resurrectionem, sed solùm, quod eam non crediderit; & tamen à Christo audiuit, *noli esse incredulus, sed fidelis*: sicut ergo ad incredulitatem sufficit non credere, quæ oportet credi, sic etiam ad infidelitatem, quæ est carentia voluntaria debitæ fidei, vt videbimus infra agentes de peccato infidelitatis. Nunc autem addimus, etiam sine vllo iudicio erroneo posse intelligi infidelitatem consummatam in intellectu: nam suspensio illa assensus, licèt incipiat imperatiuè à voluntate, consummatur tamen in intellectu, in quo exercetur suspensio iudicij, & existit dubium illud eo modo, quo est; intellectus enim ipse suspendit iudicium, & assensum ex imperio voluntatis, à quo imperio suspensio illa denominatur voluntaria, & mala propter malitiam eiusdem voluntatis desumptam ex tali motiuo, vt iam explicuimus. An verò suspensio illa ab eiusmodi voluntate imperata sufficiat ad peccatum hæresis, & consequenter, si exteriùs manifestetur, inducat pœnas ecclesiasticas hæreticis impositas, videbimus infrà agentes, de iis, quæ requiruntur ad constitutionem hæresis.

95 Aduerto vltimò, quando dicimus suspensionem illam denominari malam, & voluntariam à voluntate illa mala, id intelligi eo modo, quo omissio, & negatio potest esse voluntaria, & pendens à voluntate: sicut quies, vel silentium dicuntur voluntaria, quando volumus quiescere, & tacere; quia licèt pedes non possint moueri, nec lingua loqui sine imperio positiuo voluntatis, atque adeo ad quietem, & silentium non sit necessarium imperium voluntatis, sed solùm negatio imperij contrarij: cæterùm negatio ipsa tribuitur semper simpliciter illi causæ, à qua sola poterat esse forma negata: sic negatio alterius mundi possibilis est à Deo, qui solus poterat ponere alium mundum. Sic negatio volitionis est à voluntate, quæ sola poterat ponere volitionem, & sic de aliis, vt suppono ex *tract. de voluntario, & inuoluntario*. Cùm ergo assensus, vel dissensus circa fidem non possit esse, nisi ex imperio voluntatis, hinc est, vt quando voluntas potest illos actus imperare, & non imperat, (& multò magis si positiuè cohibeat) suspensio, seu negatio eorum actuum dicitur esse à voluntate potente eos ponere, & non ponente, sed potiùs impediente per imperium positiuum contrarium.

96 *An perdat fidei habitum, qui non negat res fidei sed potiùs assentitur assensu solùm opinatiuo.*

Hinc facilior erit resolutio septimi dubij, quod est de eo, qui non negat res fidei, sed eis potiùs assentitur assensu solùm opinatiuo, an perdat fidei habitum. Affirmant Castro, Aragonius, & Azor apud Suarez *disp.* 19. *sect.* 4. *num.* 16. qui dicunt, eum esse etiam hæreticum, vnde à fortiori debent concedere, quod perdat habitum fidei, qui sanè in hæretico non manet. Sed meliùs Suarez ibi distinguit de opinante cum formidine actuali voluntaria, vel præscindendo à formidine. Primum concedit esse hæreticum, quia actus formidinis affirmat incertitudinem obiecti, quod est contra fidē, secundū verò negat esse hæreticū, aut peccare, quia abstrahentium non est mendacium. Quod non possumus explicare exēplo charitatis, quæ diligit Deum firmissimè, & super omnia: & tamen si quis aliquando beneficio aliquo accepto commotus gratias Deo agat, eumque vt benefactorem diligat, non amore perfectissimo, & super omnia, sed amore minùs perfecto, non peccat, nisi positiuè excludat Deum à ratione vltimi finis, & ei præferat aliquod aliud bonum. Sic etiam contingere potest, quod aliquis credat res fidei, inquit Suarez, propter motiuum humanum, vel rationem probabilem, actu fidei humanæ, vel opinionis, qui non sit assensus certus; non tamen erit contra fidem, nisi homo dicat, res illas non esse dignas maiori fide, nec firmiori assensu, quod quidem iam esset cōtra fidē. Confirmarique potest, quia solēt Theologi conclusionem de fide, quam Scriptura, & Conciliis probarunt, confirmare postea, & probare auctoritate, & testimoniis Patrum, vel Theologorum; quod certè argumentum, sistendo in ipso, non generat omnimodam certitudinem fidei, & tamen sine peccato vtimur illa probatione, quia non excludimus certitudinem maiorem, quæ aliunde habetur ex diuino testimonio. Addo tamen, non solùm non esse contra fidem, nec perdi eius habitum, quando propter alias rationes probabiles, vel testimonia humana credimus obiecta fidei assensu probabili sine actuali tamen formidine de illis obiectis, sed etiam si aliquis propter diuinum testimonium crederet non actu firmissimo, & certo, sine actuali tamen dubitatione, aut formidine non excludendo maiorem certitudinem, & firmitatem, qua idem obiectum dignum sit, non apparere malitiam saltem grauem contra fidem. Quod probari videtur eodem exemplo charitatis, non enim solus ille non peccat, qui Deum amat amore minùs perfecto, & non super omnia, propter motiuum aliquod creatum beneficij, v.g. accepti, vel aliud simile, sed etiam qui considerando *infinitam Dei* bonitatem, eum amaret amore non *omnino* perfecto, & super omnia, non tamen excludendo positiuè maiorem amorem, quo bonitas illa digna est. Neque enim debet homo ex præcepto charitatis semper Deum actu amare super omnia, nec quando ita non amat, malum est amare minori amore etiam propter idem motiuum infinitæ perfectionis, non tamen excludendo positiuè maiorem amorem. Sic ergo nec fides obligat ad credendum semper actu omnia fidei obiecta; quare quando non est obligatio eliciendi actum perfectum fidei, non apparet, cur sit malum saltem malitia graui credere eadem obiecta actu minùs perfecto, & firmo, etiam propter idem motiuum fidei, sine actuali tamen formidine, & non excludendo positiuè maiorem firmitatem, & certitudinem, qua obiectum illud, & motiuum fidei dignum est. De hoc tamen iterum redibit sermo *infrà disp.* 20. *sect.* 1.

97 Octauò dubitari potest de eo, qui nihil credit contra fidem, neque eius obiecta negat, aut eis dissentitur; non tamen credit actu positiuo, quando iam fides obligat ad positiuè credendum, an hic perdat fidei habitum, si antea illum habuerat. De quo parum attingunt Theologi, fortasse, quia vt aliud propositum obseruauit Suarez *in præsenti disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 2. rarò contingit hoc peccati genus contra fidem per meram suspensionem actus: obiter tamen aliqua in iis reperio, quæ satis ostendunt re ipsa in hoc puncto non omnes conuenire. In primis idem Suarez postquam *dicta sect.* 1. *num.* 2. dixit posse inuenire peccatum speciale omissionis contra fidem, quādo eo tempore, quo quis tenetur credere, non credit, & *disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 2. fatus est omne peccatum graue infidelitatis excludere habitum fidei

fidei, & in hoc, vt in effectu proprio, posset dignosci infidelitatem ab aliis peccatis; postea n. 6. concedit, posse dari intra genus infidelitatis peccatum omissionis, quando v.g. quis non vult audire res fides, quas audire deberet. Vnde supponere videtur, quod id sufficiat ad amittendum habitum fidei, licèt non habeat dissensum positiuum circa fidei doctrinam. Postea tamen *n. 9.* expresse dicit, suspensionem actus circa materiam fidei propositam non sufficere ad infidelitatem, nisi quis abstineat ab eo fidei actu ex aliqua cogitatione incertitudinis, vel dubitationis, quæ cogitatio non habetur sine aliquo actu veritati fidei aut certitudini contrario. Vnde concludit, omnem propriam infidelitatem, quæ post sufficientem fidei auditum committitur, esse peccatum commissionis includens virtute hoc iudicium, quod res sic proposita potest esse falsa. Quæ verba (*post sufficientem fidei auditum*) videtur addidisse, vt non loqueretur de peccato omissionis audiendi doctrinam fidei, quod antea dixerat esse propriè peccatū infidelitatis. In quo etiam sensu postea *sect. 3. num. 3.* loquendo de actu intellectus, ratione cuius omne peccatum infidelitatis dicitur esse in intellectu, dixit debere sub actu intellectus, quoad hoc propositum intelligi etiam, & comprehendi carentiam actus. Cæterùm peccatum, quod comitti potest omittendo præcisè actum fidei eo tempore, quo ex fidei præcepto deberet elici, dicit, non esse propriè peccatum infidelitatis, licèt sit peccatū contra fidem. Sic loquitur disp. 15. sect. 1. n. 1. in fine, *quia reuera*, inquit, *non est ignorantia, de qua communiter loquuntur Doctores, nec est simpliciter carentia fidei, sed solum quidam non vsus eius pro certo temporis articulo.* Et rursus disp. 16. sect. 3. num. 7. de eo, qui vult suspendere assensum pro eo tempore pro quo tenetur exercere actum fidei, dicit, peccare quidem, *non infidelitate, sed sola omissione exercitij actus fidei & tunc etiam illa omissio in intellectu erit:* nimirum vt tunc etiam verificetur peccatum illud consummari in intellectu.

98 Ab hac sententia parum videtur distare Coninch, qui *disp. 18. dub. 4. num. 25.* dixit expresse, *fidem non expelli per solam infidelitatem secundum quid, siue quæ consistit in mera priuatione etiam voluntaria actus fidei, quem quis tenetur elicere: aliàs enim, qui culpabiliter aliqua mysteria fidei ignoraret, perderet fidem.* Sed tamen postea num. 26. & 27. eam sententiam limitat: dicit enim, quadruplex esse posse peccatum infidelitatis, qua fides expellatur & quarto loco assignat: *quando aliquis secum deliberatè statuit nunquam credere articulos nostræ fidei, aut omnes, aut aliquos; quantumuis ob euidentiam rationum, siue notarum, quibus fidei veritas ei probatur, illis articulis positiuè non dissentiat iudicando eos non esse veros:* in quibus verbis iam in voluntate mera nunquam credendi absque iudicio etiam erroneo contrario agnoscit peccatum infidelitatis sufficiens ad expellendum habitum fidei.

99 Ego iuxta superius dicta distinguendum puto: nam potest aliquis omittere actum fidei debitum vel propter difficultates, & argumenta, quæ intellectui occurrunt contra fidei veritatem, vel propter alia motiua diuersa extrinseca ipsi fidei; v.g. ne cogatur viuere christiano modo, aut dedecus apud amicos subeat, &c. & vtrumque potest contingere sine aliquo iudicio erroneo contra fidem: si primo modo omittat, puto, illud esse peccatum infidelitatis, & sufficiens ad expellendum habitum fidei; sicut supra idem dixi de dubitante, & suspendente assensum propter difficultates, & argumenta contra fidei veritatem proposita etiam sine dissensu, aut iudicio aliquo erroneo. Eadem quippe ratio militat in hoc casu, & eisdem argumentis probari potest expulsio fidei in hoc casu, quibus probatum est in illo alio de dubitante, & suspendente assensum, vt consideranti patebit.

100 Si verò omissio actus fidei debiti sit propter alia motiua extrinseca, rursus distinguendum videtur. Nam si homo velit solùm nunc omittere fidei assensum, seu illum ad tempus differre propter aliquod commodum temporale, non videtur illud esse propriè peccatum infidelitatis, licèt sit peccatum graue contra fidem, nec ideo homo ille dicetur infidelis, sed potiùs adhuc erit simpliciter fidelis antea, cùm iam antea fidem amplexus fuerit, nec eam explicitè, vel implicitè retractauerit. Quid enim, si solùm, vt ludo incepto attendat, omittat actum formalem fidei, quem illo tempore debebat elicere? numquid ea de causa dicetur à fide defecisse? nequaquam, sed solum omisisse exercitium fidei, quando exerceri debebat, retento tamen toto fidelitatis statu, & cum dispositione ad fidem verè confitendam, quoties rogatus fuerit; & quam integrè adhuc corde retinet.

101 Si tamen habeat voluntatem nunquam ampliùs credendi, quæ antea crediderat, vel quæ sibi sufficienter credēda proponuntur, magis dubitari potest, an illud sit peccatum infidelitatis fidem expellens. Nam ex vno capite ille non videtur retractare fidem semel præstitam, sed solùm velle abstinere ab eius exercitio, & vsu: nec deterretur à difficultatibus, & argumētis cōtra fidei veritatem, quare nec allicitur ab obiecto contrario ob eius apparentem veritatem, sed habet se sicut amicus, qui non odit amicū, nec retractat beneuolentiam priorem erga illū, sed abstinet ab vsu, & actibus amicitiæ, non quidem propter malum, quod in amico cognoscat, nec quia eum expertus sit minùs bonum, sed propter alias rationes extrinsecas. Hic sanè licèt in eo statu non se gerat vt amicus, non est tamen inimicus, nec videtur perdere amicitiam priorem in actu primo licèt amittat actum secundum, & exercitium amicitiæ.

102 Aliunde verò videtur ea voluntate constitui hominem in statu, in quo habitus fidei otiosus futurus sit, cùm stante ea voluntate, nunquam poni possit actus fidei, vel piæ affectionis. Quare qui spontaneè & contra præceptum graue fidei vult se in eo statu ponere, videtur iam, quantum est ex se abiicere à se habitum, cuius vsum omnino sibi interdicit, atque ideo, si illum retineat, retinebit inuitus, cùm tamen Deus, vt suprà diximus, non conseruet hæc sua dona in inuitis, sicut nec ea largitur adultis, nisi volentibus. Cùm enim hi habitus non sint boni, nec vtiles, nisi in ordine ad actus eliciendos, qui non vult vnquam actus elicere, videtur implicitè nolle habitum retinere, sed eum potiùs à se abiicere. Cùm ergo propter has rationes dixerimus suprà. Deū auferre habitum fidei ab hæretico, idem dicendum videtur in casu nostro, in quo habitus manebit æquè otiosus, & abiicitur ab homine, & hoc cum iniuria, & peccato graui contra fidem, vt suppono. Quæ rationes faciunt, vt magis pro-

pendeam in hanc secundam partem, quam etiam concessit Coninch loco citato, vt dixi. Consequenter autem concedendum est, illud esse propriè peccatum infidelitatis, quia iuxta Tridentinum solo infidelitatis peccato fides expellitur. Infidelis enim est, qui fidem negat: non negat autem solus fidem, qui dicit, illam esse falsam, sed etiam qui Deo loquenti non vult fidem adhibere, sicut eleemosynam pauperi petenti negare dicitur, qui eam non dat, non qui ad tempus differt & paratus est eam postea dare. Qui ergo dicit, se nunquam Deo crediturum, fidem ei negat absolutè, & culpabiliter se ponit in eo statu semper negandi. Vndevidetur etiam retractare fidem, non quidem negando veritatem fidei, sed per actum contrarium statui fidelitatis, hoc est, statui credendi, quæ Deus dixerit. Quod explicari potest retorquendo exemplum amicitiæ in contrarium adductum. Dupliciter enim potest retractari amicitia. Primò per actum omnino cõtrarium, volendo malum illi, cui prius volebas bonum: & hæc est inimicitia omnino positiua. Secundò potest retractari nolendo amplius amare, nec velle bonum illius, quem antea diligebas, & retractatur status amicitiæ: non enim est in statu amicitiæ meæ ille, qui non est paratus habitualiter ad volendum mihi bonum debitum. Sic ergo status fidelitatis retractatur sufficienter, quando aliquis habitualiter paratus est nunquam fidem adhibere dictis alterius, quare per hanc retractationem grauiter culpabilem expelli potest fides, quæ manere non potest sine statu fidelitatis.

103 *Peccatum infidelitatis quomodo consummetur in intellectu?*

Petes, quomodo tunc peccatum hoc infidelitatis consummatur in intellectu? videtur enim consummari in voluntate illa nunquam credendi, cùm nihil fidei contrarium in intellectu ponatur. Respondeo, quidquid sit, an infidelitas aliquando possit consummari in voluntate, de quo *infra disp. sequenti* agendum erit, quando agemus de infidelitate; peccatum hoc consummari etiam in intellectu per subsequentem negationem assensu fidei, quæ provt dimanans à voluntate illa non credendi appellatur infidelitas. Solùm posset esse difficultas, quod habitus fidei expelli debet, antequam negatio illa diuturna assensus ponatur in intellectu, nempe statim ac homo se in illa dispositione per stabilem voluntatẽ constituit, nam iam tunc censetur retractatus status fidelitatis, & homo positus in statu infidelitatis suprà explicato. Ad hoc tamen responderi potest ex iis, quę diximus *disp. 16. sect. 2.* nempe in sententia ponẽte, infundi habitũ fidei aliquando adultis ante habitum charitatis, vbi primum disponit se homo per actum fidei, consequenter dicendum esse, provt aliqui ex auctoribus illius sententiæ concedunt, ad infusionem habitus fidei non expectari ipsum fidei assensum intellectualem, sed posita pia affectione, & voluntate absolutè, & efficaci credendi, qna efficaciter imperatur assensus, infundi habitum fidei, à quo eliciatur ipse assensus intellectualis; illa enim volũtas sufficiẽter disponit hominem ad infusionem habitus, cùm illa solùm voluntas sit honesta, & libera formaliter. Sic ergo è contra dicẽdum est, quando expellitur habitus fidei ob peccatum infidelitatis, non expectari ad expulsionem habitus ipsum dissensum intellectualem, sed posita voluntate efficaci dissentiendi expelli habitum, quia illa sola voluntas est formaliter libera, & turpis, & per illam retractatur sufficienter fides præterita, & status fidelitatis. Sic ergo in casu nostro dici potest, posita illa voluntate efficaci nunquam amplius credendi, statim expelli habitum fidei, quia illa voluntas est formaliter turpis, & libera, à qua negatio assensus subsequuta denominatur extrinsecè libera, & inhonesta, & per illam voluntatem retractatur sufficienter fidelitatis status, & constituitur homo in statu infidelitatis, seu indispositionis perpetuæ & habitualis ad credendum. Addo denique totum hunc casum videri magis metaphysicum, quàm moralem. Nunquam enim fortasse continger, quod homo decernat efficaciter nunquam amplius fidei doctrinam credere, & non moueatur à facultatibus, & argumentis intrinsecis contra ipsam fidei veritatem, sed solùm à motiuis extrinsecis. Hæc enim motiua extrinseca solùm mouere solent ad non ostendenda exteriùs signa fidei, seu ad fidem exteriùs negandam, cum fides exteriùs retenta nihil noceat commodis, & lucris extrinsecis, si maneat omnino occulta. Imò nunquam fortasse aut vix vnquam continger, quod homo habeat eiusmodi voluntatem efficacem nunquam amplius credendi doctrinam fidei, non habeat aliquem actũ intellectus contrarium fidei, quo vel neget aliquem articulum, vel certè positiuè dubiter de illo, & iudicet illius incertitudinem, & contingentiam; quod iudicium contrarium est fidei, vt *suprà* diximus: & ideò fortasse Doctores de his euentibus metaphysicis, & in facto non ponendis parum curarunt.

104 Vltimò principaliter dubitari potest, an habitus fidei expellatur solo peccato hæresis saltem internæ, an etiam aliis peccatis infidelitatis præter hæresim. Hoc dubium propono propter Hurtadum, qui sæpe supponit, solùm propter peccatum hæresis expelli habitum fidei. Sic loquitur *disput. 60. sectione prima, §. 12.* vbi dicit, sola hæresi fidem amitti, quæ exigit necessariò in dissentiente pertinaciam cõtra auctoritatem Ecclesiæ, & *sect. 2. §. 51.* dicit, eum qui negat reuelationem publicam in miraculo confirmatam, esse infidelem peccato habituali, & actuali contra fidem, & tamen fidem non amittere, nisi sit pertinax contra Ecclesiam. Et §. 56. dicit, Deum statuisse solos hæreticos priuatione fidei punire, & §. 69. dicit, conuerti ad inuicem hæreticum, & carentem fide, quia nec fides amittitur, nisi per hæresim, nec hæresis admittitur sine amissione fidei. Quod idem repetit *disp. 82. §. 42.* & postea §. 45. dicit, eum, qui pertinaciter negaret aliquid contentum in sacra Scriptura, esse quidem incredulum, & grauiter peccaturum contra fidem, non esse tamen hæreticum, si ei non occurreret, nec opposita fuisset auctoritas Ecclesiæ, atque ideo non amissurum habitum fidei infusum.

105 Hæc doctrina singularis mihi visa est, & contra id, quod alij communiter supponunt, quod scilicet fides infusa amittatur quolibet peccato mortali, quod sit propriè peccatum infidelitatis. Ita expresè docet Suarez *in præsenti, disput. 7. sect. 4. num. 9.* vbi reiecta quoad hoc differentia inter illa, quæ ab Ecclesia, vel alio quocunque modo proponuntur credenda, concludit his verbis: *& ideo quacunque ratione aliquis nolit credere aliquid sufficienter propositum, vt dictum à Deo, ineptus redditur ad credendum, ideoque habitum fidei amittit.* Vbi licèt retulisset tacito nomine aliquos limitantes repugnantiam fidei infusæ cum actu incredulitatis ad fidem infusam, quæ proximè nititur in auctoritate Ecclesiæ, & in

margi

margine afferatur Salas *in* 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *sect.* 13. *num.* 159. Sed tamen Salas eo loco non sentit cum Hurtado, imo loquitur expresse de hæretico, de quo solum dicit, *quod si Deus non negaret hæretico auxilium supernaturale, posset credere vnum articulum fide supernaturali, dissentiendo alteri: quia licèt hæresis ex natura sua, seu physicè tollat regulam fidei, scilicèt diuinam reuelationem, quoad vsum credendi propter illam, articulum, in quo errat: tamen non tollit eam physicè, sed tantum moraliter erga alios, & ita hæreticus potest de potentia absoluta credere fide diuina vnum articulum, dissentiendo simul alteri.* Vbi loquitur solùm de potentia absoluta, & non dicit de facto esse habitum fidei in eo, qui peccat dissentiendo alicui articulo etiam non proposita Ecclesiæ auctoritate. Eandem doctrinam tradidit idem Suarez *infrà disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 2. vbi expressè ponit hanc regulam vniuersalem, vt illud sit solum peccatum infidelitatis, quod fidem infusam ab homine excludit, & nullum aliud. Cùm ergo etiam secluſa Ecclesiæ auctoritate, quam aliquis inuincibiliter ignoret, possit esse peccatum infidelitatis, sicut & potest esse fides; poterit etiam excludi, & deperdi habitus fidei infusę. Eodem modo loquitur Coninch. *disp.* 18. *dub.* 3. *vbi cùm num.* 26. inter peccata infidelitatis, quibus fidei habitus expellitur, posuisset primo loco, *quando quis credit aliquem articulum fidei esse falsum, quem scit à Catholicis credi, aut qui aliàs ei sufficienter est propositus, vt possit eum vera fide credere*, quod satis verificatur de obiecto illo fide credito etiam sine attentione ad propositionem Ecclesiæ: postea num. 33. dicit, hos omnes actus *directè pugnare cum vero actu fidei, non solùm circa idem obiectum, sed etiam circa omnia credenda, reddendo eum, qui eos elicit, omnino inhabilem ad verum actum fidei eliciendum, quandiu illis erroribus adhæret. Quia nimirum directè tollunt voluntatem integrè, & absolutè subiiciendi intellectum primæ veritati*, &c. & clariùs *disp.* 17. *dub.* 3. *num.* 38. dicit, non posse sine absurdo concedi, quod negans cum peccato graui id, quod sibi priuata reuelatione proponitur cum obligatione credendi, possit credere fide diuina articulos ab Ecclesia propositos, & retinere ad hoc habitum fidei. Quod idem alij omnes supponere videntur.

106 Et quidem videtur id clarè desumptum fuisse ex verbis Tridentini *sess.* 6. *cap.* 15. sæpe adductis, vbi dicitur infidelitate sola, & non aliis peccatis fidem deperdi; non dixit, peccatis contra fidem deperdi fidem; quia multipliciter peccatur contra fidem absque iactura habitus infusi, vt si quis metu mortis verbis solùm, & non corde fidem neget, si alios ad hæresim inducat, cùm tamè ipse hæreticus non sit, si non eliciat actum fidei eo tempore, quo debebat, & aliis eiusmodi peccatis. Sed neque etiam dixit hæresi perdi fidem, & non aliis peccatis, sed peccato infidelitatis, quod latius patet quàm hæresis, & minùs latè, quàm peccata contra fidem. Cùm ergo possint esse alia vera & propria peccata infidelitatis præter hæresim, & ille, qui negaret fidei articulum sibi sufficiẽter propositum, peccaret peccato infidelitatis, licèt auctoritatis ecclesiæ non meminisset, consequens est, vt iis etiã peccatis fides amitti debeat. Qui communis sensus confirmari rursus potest ex diuisione communi infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & hæresim, quæ siue sint species essentialiter diuersæ, siue solùm accidentaliter, omnes conueniunt, quod illę sint propriè infidelitatis peccata, & quod nomine *hæresis* non intelliguntur aliæ duæ, sed sint ad inuicẽ condistinctę; agnoscũtergo aliud peccatũ proprium infidelitatis præter hęresim, & per cõsequẽs non sola hęresi amittitur habitus fidei; sed quolibet alio peccato, quod sit propriè peccatum infidelitatis.

Respondebit aliquis ex eodem Hurtado *dicta disp.* 82. §. 85. peccatum illud eius, qui negat articulum in scriptura reuelatum, & miraculis etiam ita confirmatum, vt faciat euidentiam credibilitatis, dum tamen de ecclesiæ auctoritate non agitur, peccatum, inquam, hoc esse quidem incredulitatem mortalem, non tamen esse absolutè, & simpliciter infidelitatem, sed solùm secundùm quid. Vnde responderi poterit rursus ad Tridentini verba, ibi solùm esse sermonem de peccato, quod sit infidelitatis simpliciter, & absolutè, quo semper amittitur fides, non verò de infidelitate secundùm quid. Hæc tamen responsio impugnari potest primò ad hominem: nam omnis ille, qui negat id, quod catholicè credi debet, est proculdubio infidelis: alioquin posset esse fidelis, & non Catholicus; sed qui negaret articulum fidei propositum sufficienter, & miraculis confirmatum, etiam non proposita auctoritate Ecclesiæ, negaret aliquid, quod catholicè deberet credere; ergo non esset fidelis, sed infidelis. Minor constat ex eodem Hurtado, qui *disp.* 60. §. 71. expressè docet, miracula sola, præscindendo ab auctoritate Ecclesiæ, sufficere ad extorquendũ assensum fidei Catholicæ. quod probat ex eo, quod Christus accusauit Iudæorum infidelitatem, quod non crediderint tot miraculis visis, & Ioãnes meritò admiratur pertinacem Iudæorum incredulitatem, qui non credebant in Christum post tot signa, quæ fecerat coram eis. Nicodemus etiam Ioan. 3. credidit in Christum, quia nisi esset à Deo, nõ posset facere signa, quæ faciebat. Cuius Nicodemi fidem nemo potest dubitare, quod fuerit Catholica, maximè cum Augustinus tract. 11. in Ioannem dicat, eam fidem fuisse, qualis est in cathecumenis petentibus baptismum; ergo miracula sufficiunt ad extorquendum assensum fidei Catholicæ. Et quidem Apostoli non auctoritate humanæ ecclesiæ, sed miraculis, & portentis domuerunt orbem, qui illorum prædicatione christianus est factus. Hæc omnia Hurtadus ibi, cum quibus non video, quomodo stare possit, quod negetur esse verè, & propriè peccatum infidelitatis, quando negatur articulus fidei miraculis confirmatus, & sufficienter propositus ad obligationem grauem credendi, dum tamen ecclesiæ auctoritas non fuerit producta. Addere possumus, distinctionem illam incredulitatis grauis, & infidelitatis non videri satis ad mentem Christi Domini, qui Thomæ Apostolo non credenti eius resurrectionem dixit, *noli esse incredulus, sed fidelis*, vbi apertè opposuit incredulitatem fidelitati, pro eodem omnino accipiens incredulum & infidelem, qui fideli opponitur. 107

Secundò, Peccari etiam videtur in eadem responsione, quatenus in ea videtur peti principium, dum inde probat, eos non esse vocandos absolutè infideles, quia non carent fide infusa. Nos enim contendimus, carere fide infusa, quia verè sunt infideles, & omnis infidelis caret fide infusa. Tu negas, esse infideles, quia non carent fide infusa, cùm tamen argumenta à te adducta 108

ad

ad summum probent, non esse hæreticos, quandiù non sunt pertinaces contra ecclesiæ auctoritatem; quod verò non sint infideles nullo modo probari potest.

109 Tertiò, quis dicat incredulitatem primorum parentum, si verè, vt aliqui volunt, peccarunt contra fidem, fuisse dissensum ab auctoritate ecclesiæ? & tamen omnes, qui dicunt, eos, vel alterum eorum peccasse contra fidem, fatentur commisisse verum, & proprium peccatum infidelitatis, & amisisse habitum fidei infusæ, vt videri potest latè apud Suarez *de opere sex dierum lib.* 4. *cap.* 2. & 4. Noë etiam, Abraham, Moyses, & alij, si non credidissent ea, quæ Deus illis reuelabat, infidelitatis peccatum cõmisissent, & perdidissent fidem, quamuis nihil eorum ab ecclesia accepissent; non ergo allegari debet infidelitas, vel amissio fidei ad solam incredulitatem cum dissensu à communi sensu Ecclesiæ. Nec loca aliqua Augustini, & Innocentij, quæ Hurtadus affert, id probant, loquuntur enim de hæresi, ad quam illa conditio requiritur, vt videbimus infra agentes de hæresi, vel de eo, qui sine pertinacia errat, sed paratus est corrigi, & ideo à peccato graui sæpè excusatur. Solùm posset obstare S. Thom. *quæst.* 5. *art.* 3. vbi in principio articuli, & in corpore solùm mentionem facit de hæretico, in quo dicit non posse manere verã fidem informem de aliis articulis, quos credit. Sed verè S. Thomas doctrinam generalem tradit de omnibus, qui negant aliquem articulum; & licèt aliquando exempli gratia nominet hæreticum, sed tamen alibi doctrinam generalem tradit omnibus negantibus aliquid fidei, vt *in* 2. & *in* 3. *argumento* & *in argumento sed contra*: nominat autẽ sæpe *hæreticũ* quia cùm quæstio sit ibi de credente omnes articulos, & negante vnum solum, & hîc communiter loquendo si hæreticus, quæstionem, & doctrinam applicat ad hæreticum. Cæterùm in ipso articuli titulo nulla sit mentio de hæretico, sed de discredente vnum articulum, & credente alios, quia nimirum quæstio generalis erat de omni negante cum peccato infidelitatis vnum solum articulum quomodocunque illum negaret.

An ablato habitu fidei, auferatur etiam simul habitus Theologiæ.

110 De hoc puncto latè hîc dicendum esset, nisi dictum iam fuisset *suprà disp.* 1. *sect.* 13. præsertim §. 7. vbi de habitu Theologiæ diximus, quomodo distinguatur ab habitu fidei, & an supra habitum fidei addat aliquem alium habitum infusum, & in vniuersum diximus, neutrum manere in hæretico, sed solum habitum acquisitum, qui in ea sententia sunt solum species bene dispositæ, & coordinatæ. Sicut ergo hæreticus non elicit actum fidei supernaturalem circa alios articulos veros, quos credit; ita nec elicit actus supernaturales Theologiæ circa conclusiones, quas ex fidei principiis infert, sed actus naturales, ad quod non indiget habitu Theologiæ infuso, quæ omnia ex principiis ibi latè probatis facile colliguntur, vbi etiã doctorum sententias retulimus, quæ ibi videri possunt, & alia omnia, quæ ad hoc dubium poterant pertinere: hęc dicta sint de expulsione habitus fidei ob peccatum infidelitatis. Nunc videndum restat de repugnantia actus fidei circa vnum articulum in eo, qui errat culpabiliter circa alium, de quo *sect. sequenti*.

SECTIO VI.

Vtrum maneat actus fidei in eo, qui scienter negat alium eiusdem fidei articulum.

DIxi, in eo, *qui scienter negat*: nam de eo, qui ignoranter negat, est diuersa quæstio: & quidem, si ignorantia sit inuincibilis, non est difficultas, quod possit simul alio actu fidei credere alios articulos, illum enim alium ideo negat, quia absque eius culpa non proponitur ei sufficienter credibilis. Maior posset esse difficultas, an cum dissensu circa vnum articulum orto ex ignorãtia mortaliter culpabili possit esse actus fidei circa alium articulum: nam suppono, peccatum illud esse eiusdem speciei cum peccato infidelitatis commisso absque ignorantia, vt cum aliis dixi *disp.* 16. *de pœnitentia sect.* 4. *num.* 192. Cæterùm etiam eodem loco *num.* 193. & *sequentibus*, dixi, eo dissensu non perdi habitum fidei, nec etiam tolli, quod circa alios articulos possit exerceri verus fidei actus: quia voluntas requisita ad actum fidei, est solum voluntas credendi Deo, & subiiciendi intellectum auctoritati diuinæ propositæ supremo cultu, cum qua voluntate potest stare dissensus articuli nondum sufficienter propositi, licèt simul etiam sit negligentia culpabilis in inquirenda reuelatione Dei. Sicut licèt peccet aliquis grauiter contra obligationem fidei, exponendo se sine causa sufficienti periculo mortali incidendi in hæresim, interim tamen dum non incidit adhuc est Catholicus, & credit fide infusa omnes fidei articulos: sic etiam negligentia culpabilis circa notitiam fidei stat cum vera fide circa alios articulos, quia illa non est negatio fidei, sed non curare de inquirenda veritate reuelationis. Videantur ibi dicta, quæ non est necesse hîc iterum repetere, & quæ diximus *sect. præcedenti in principio*. 111

Loquendo ergo de assensu contra fidei articulum scienter habito, solus Durandus *in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 9. dixit posse esse simul cum actu fidei circa alios articulos, quia id videtur experientia testari in hæreticis, qui negantes aliquos articulos, alios tamen firma fide retinent. Quam sententiã omnes alij reiiciunt, & colligi videtur ex Tridentino *dicta sess.* 6. *cap.* 15. Docente, fidem amitti per peccatum infidelitatis, vbi licèt daremus, nó esse etiam sermonem de habitu, ad minus videtur fatendum esse sermonem de actu fidei: ideoque Paulus 1. ad Timoth. 1. amissionem fidei comparat naufragio dicens, *quidam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragauerunt*. Sicut enim in naufragio omnium pariter bonorũ iactura, sic per recessum ab vno fidei articulo tota fides amittitur, & *cap.* 16. de illis, qui in vno articulo errabant, dixit, *si quis aliter dicit, super eum est, nihil sciens*, hoc est, scientia sanctorum, quæ est fides; non ergo retinet fidem circa cæteros articulos. Vnde Augustinus lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. dixit, hæreticos, non ea ipsa, sed nomine esse Christianos, qui etiam videri potest *lib. de fide & Symbolo cap.* 10. & *qu.* 11. *in Matth.* & alij Patres, quos supra indicauimus ad probandam expulsionem habitus fidei per hęresim: ij enim magis expressè negant actum fidei in hæretico, quàm habitum.

Tota

113 Tota difficultas est in reddenda ratione sufficienti huius repugnantiæ. Ratio communis esse solet, quia qui negat vnum articulum scienter, eo ipso negat infallibilem connexionem testimonij diuini cum veritate obiecti, ergo non potest credere alios articulos per fidem; fides enim credit propter infallibilem connexionem, quam profitetur esse in testimonio diuino cum obiecto reuelato, ergo ille non credit alios articulos propter fidei motiuum, sed propter alias rationes sibi congruentes.

Sed contra hanc rationem obiicitur; quia potest aliquis profiteri infallibilitatem diuini testimonij, & tamen non credere veritatem Eucharistiæ, quia non credit hoc esse à Deo reuelatum, sed ab Ecclesia confictum. Potest autem credere Trinitatem, quia credit esse à Deo reuelatam; ergo potest errare circa vnum articulum, absque eo quod neget infallibilitatem diuini testimonij. Respondent communiter, eo ipso, quod aliquis contemnat auctoritatem Ecclesiæ proponentis Eucharistiam non posse credere Trinitatem per fidem; quia secluſa auctoritate Ecclesiæ in proponendis articulis, non habet regulam, & motiua sufficientia ad prudenter credendam Trinitatem, ergo eo ipso non potest habere actum fidei circa Trinitatem: poterit quidem credere Trinitatem ductus aliis motiuis inferioribus, non tamen iis, quæ sufficiant ad generandum actum fidei.

114 Cæterùm hæc solutio non stat cum iis, quæ diximus *disp.* 1. *sect.* 12. vbi vidimus non requiri ex natura rei ad actum fidei, quod obiectum credendum proponatur priùs per Ecclesiam, vel nomine Ecclesiæ, sed posse aliquem absque vlla notitia Ecclesiæ habere aliunde motiua sufficientissima ad prudenter credendum. Ponamus ergo hæreticum contenentem auctoritatem Ecclesiæ. & nolentem allici eo motiuo ad credendam Eucharistiam: potest tamen aliunde videre tot miracula, & habere talia motiua pro veritate Trinitatis; vt etiamsi non vtatur auctoritate Ecclesiæ, possit prudenter credere Trinitatem, ergo potest habere actum fidei circa Trinitatem, licèt erret circa Eucharistiam.

115 Dices, auctoritatem Ecclesiæ tantam esse, & tanti ponderis apud cordatum hominem, vt non possint aliunde suppetere tanta motiua ad credendum aliquem articulum, cum quibus si homo vult prudenter procedere, non debeat priùs inquirere quid sentiat Ecclesia de illo articulo, quod si inconsulta Ecclesia velit credere, non credit prudenter. Sic enim videmus, doctissimum quèque non priùs aliqui credere fide christiana, quantumuis reuelarum dicatur, & miraculis confirmatum, nisi viderit eam reuelationem ab Ecclesia recipi, & approbari; ergo ille qui spernit Ecclesiæ auctoritatem, non potest fide diuina credere alios articulos.

Sed contra hoc iterum est, quia in primis potest aliquis habere internam, & priuatam reuelationem obscuram alicuius veritatis, de cuius credibilitate habeat euidentiã, ut diximus *sect.* 1. habuisse Angelum in via; & tunc posset prudenter credere illam reuelationem, antequam reciperetur ab Ecclesia; nam vt diximus *disput.* 1. *sect.* 11. habitus fidei etiam extenditur ad priuatam reuelationem. Deinde, posset hæreticus, qui contemnit Ecclesiam, habere aliunde sufficientia motiua ad credendam Trinitatem, & pro tunc non recordari Ecclesiæ, neque obligationis eam consulendi; quo casu non procederet imprudenter, credendo Trinitatem inconsulta Ecclesia; ergo posset elicere actum fidei christianæ circa mysterium Trinitatis. Vide alia argumenta contra rationem illam, quæ vrget Hurtado *disp.* 60. *sect.* 3. §. 66. *& sequentibus.*

Qui tamen cum aliis fatetur, non repugnat 116
ex conceptu suo, seu ex natura rei assensum fidei infusæ circa vnum articulum cum dissensu peccaminoso etiam scienter circa alium, licèt id repugnet de facto ex decreto Dei nolentis concurrere concursu supernaturali cum hæretico ad actum, fidei concedit tamen §. 64. repugnare ex conceptu suo assensum Catholicum in reuelationem propositam per Ecclesiam cum hæresi in reuelationem aliam propositam ab eadem Ecclesia. Primam partem probat impugnando rationes repugnantiæ ex natura rei, quæ afferri solent, & quia reuelatio proposita per Ecclesiam, & reuelatio alia non per Ecclesiam, sed per miracula, & alia motiua alicui sufficienter proposita, sunt obiecta distincta, & applicata per conditiones diuersas, quare non repugnabit ex natura rei alteri assentiri, & alteri dissentire. Secundam verò partẽ probat, quia quoties proponente Ecclesia credimus aliquem articulum, datur iudicium, quo firmiter assentimur, eam reuelationis applicationem non posse moraliter nos decipere: sed nullus hæreticus potest hoc iudicare, cùm ipse circa alium articulum ab Ecclesia propositum iudicet illam esse deceptam, vel decipere: ergo nulli articulo ab ecclesia proposito potest fide assentiri motus ecclesiæ propositione.

Hæc sententia difficilis semper mihi visa est, 117
& in primis non inuenio satis cohærentes eius partes. Nam sicut concedunt, posse ex natura rei credi fide diuina aliquid reuelatum ab hæretico, qui negat alium articulum sufficienter per Ecclesiam propositum, eo quod duæ reuelationes sunt obiecta distincta, & per diuersas conditiones applicata; sic videtur, quod possent idem concedere de duobus articulis per Ecclesiam propositis. Potest enim per te hæreticus firmiter credere reuelationem Dei, quæ ei applicatur per miracula, v. g. negando simul reuelationem Dei, quæ ei applicatur per Ecclesiam proponentem: ergo similiter potest acceptare propositionem ipsius Ecclesiæ, quæ ei fit per talia instrumenta, & non acceptare aliam propositionem Ecclesiæ, quæ ei fit per alia instrumenta. Nam sicut Deus non loquitur nobis immediatè communiter loquendo, sed eius loquutio applicatur nobis per alia media, nempe per Ecclesiam, per miracula, &c. ita nec Ecclesia proponit omnibus immediatè, sed aliqui audiunt Ecclesiam per Pastochos, alij per libros, alij per alia media: pauci quippe sunt, qui Ecclesiam vniuersam legitimè in Concilio generali congregatam, vel Pontificem ex Cathedra loquentem audiant; sed legunt libros, in quibus Conciliorum acta habentur, vel Bullas Pontificum, vel audiunt Doctores hæc omnia referentes. Et quidem per hæc media proponitur communiter sufficienter doctrina Ecclesiæ, & reuelatio Dei obligans ad fidem: si ergo per te non repugnat ex natura rei, quod quis accepter reuelationem Dei de aliquo articulo propositam, & confirmatam miraculis, & reiiciat reuelationem Dei de alio articulo propositam per Ecclesiam,

quia

quia illæ duæ reuelationes applicãtur per media distincta; cur repugnabit, quod recipiat propositionem, & doctrinam Ecclesiæ de aliquo articulo sibi applicatam per tale medium, v.g. per libros, & reiiciat propositionem, & doctrinam Ecclesiæ de alio articulo sibi applicatam per famam, vel testimonia multorum Doctorum. Suppono autem, vtramque applicationem fuisse sufficientem, nec potuisse sine pertinacia reiici, neque enim necesse est ad hæresim incurrendã audire ipsam Ecclesiam immediatè congregatam, vel Pontificem ex Cathedra definientem. Sicut ergo per te potest ex natura rei contingere, quod aliquis sit hæreticus, & tamen credat fide diuina aliquem articulum sibi per miracula propositum, vel per alia media independentia ab auctoritate Ecclesiæ, quia ipse non negat Deum esse veracem, & eius loquutionem esse infallibilem, sed negat Deum reuelasse, quæ Ecclesia proponit, aut Ecclesiæ auctoritatem esse infallibilem regulam in proponendo: sic dicam ego, posse ex natura rei contingere, quod aliquis sit hæreticus negando pertinaciter, quę ab Ecclesia definita sunt, & proposita in aliquo Concilio, cuius doctrina sibi sufficienter proposita est per Inquisitores, vel Legatos Papæ, & alios Doctores, & adhuc firmiter credat alium articulum fide diuina, quem ab eadem Ecclesia accipit, & ab ipso Pontifice immediatè, quia ipse non ideo negat illum alium articulum, quia negat Ecclesiam esse infallibilem regulam in proponendo, sed quia male, & pertinaciter negat positionem Ecclesiæ esse sibi sufficienter applicatam, & Ecclesiam id proposuisse: quare cùm applicationes sint diuersæ potest alteram reiicere, & alteram acceptare, confitendo semper auctoritatem Ecclesiæ in proponẽda doctrina fidei. Vnde non video, vt dixi, bonam cohærentiam inter vtramque partem illius sententiæ.

118 Sed neque prima pars eiusdem sententiæ mihi vnquam placere potuit; quod scilicet ex natura rei non repugnet hæreticum errantem pertinaciter circa vnum articulum exercere actum fidei perfectum circa alium articulum, cuius reuelatio aliunde sibi sit applicata, quam per ecclesiæ auctoritatem. Hoc, inqam, non placet. Primò. Quia est contra communem Theologorum sensum, qui ipsimet actibus fidei, & hæresis etiam circa diuersos articulos agnoscũt repugnantiam ortam ex eorũ obiectis, nec recurrunt ad solum placitum Dei negantis concursum hæretico ad actum supernaturalem, imò ideo dicunt auferri habitum ipsum, quia esset otiosus, eo quod non retractata hæresi priori, non potest fieri actus fidei circa aliud obiectum, sicut non retractato peccato mortali, non potest fieri verus actus charitatis in vlla materia.

119 Secundò, Contra eandem sententiam vsus fui olim hoc argumento, quia si in singulis actibus fidei nõ contineretur implicitè retractatio hæresis, & repugnantia cum assensu hæretico, sed id solum proueniret ex mero decreto Dei nolentis concurrere cum hæretico ad actum supernaturalem, sequeretur, hæreticum toto eo tempore elicere actus solùm naturales fidei circa articulos veros, quos credit, similes tamen in obiecto formali & materiali actibus catholici, & in firma adhæsione, & in honestate, & imperato à pia etiam affectione naturali habente idem obiectũ formale, & materiale, quod habet pia affectio supernaturalis in catholico, nempe credere firmissimè tale obiectum propter Dei reuelantis auctoritatem, & hoc propter honestatem talis assensus. Consequens autem videtur durum; nam in peccatore, licèt non habeat habitus infusos virtutũ moralium, quoties tamen proponitur obiectum materiale, & formale, quod posset terminare actum virtutis supernaturalem, Deus præstò est per auxilium actuale intrinsecum, vel extrinsecum, vt suppleat defectum habitus infusi, & quo fieri possit actus supernaturalis circa illud obiectum, sicut si adesset habitus: sic enim de facto exercet actus supernaturales temperantiæ, iustitiæ, misericordiæ pœnitentiæ, & aliarum virtutum moralium, & quoties occurrit obiectum, & occasio similes actus eliciendi, non stat per Deum, qui semper paratus est ad supplẽdum defectum habituum per aliquod auxilium intrinsecum, vel extrinsecum. Ratio autem à priori esse videtur, quia licet actus earum virtutum in statu peccati non sint meritorij de cõdigno, sunt tamen meritorij de congruo, & ideo, sicut Deus vt auctor naturæ nunquam negat concursum ad actus naturales posito obiecto, & aliis requisitis; ita in statu viæ, cùm homo viator eleuatus sit ad finem supernaturalẽ, & in statu negotiandi, & procurandi illum finem, nunquam data occasione stat per Deum, sed semper dat ex parte sua concursum supernaturalem, & omnia requisita, quoties est occasio operandi actum aliquem proportionatum ad salutem. Sic ergo si hæreticus potest circa articulos, quos credit, non obstante hæresi, elicere actus fidei supernaturales, & piam affectionem, & voluntatẽ credendi honestam supernaturalem, quæ sit saltem meritoria de congruo, & dispositio ad recuperandam etiam fidem circa articulum, quem malè negat, non apparet, cur Deus neget ei auxilium, & concursum supernaturalem ad eum actum eliciendum, imo hoc videretur esse contra conditionem, & statum viatoris, cui quoties occurrit occasio bene & vtiliter operandi, non debet Deo soli imputari defectus operationis vtilis, & dari ei concursum ad operationem solùm naturalem, & inutilem.

Hoc argumentum, quo olim vsus sum, nescio, an ex me, an ex alio, qui illud aliter formauerit, paulò aliter proponit, & dissoluit Hurtadus *disp. 60. num. 81. & 91.* dicens, non bene sapere, quod in argumento supponitur, in hæretico nullam esse actionem honestam naturalem, siue ex gratia per Christum, siue ex beneficio creationis, imò insinuari ab arguente, omne opus hæretici esse peccatum: quod falsissimum est, habet enim actiones honestas naturales: sibi autem imputet, si suo vitio non habet supernaturales, cùm se indignum fecerit auxilio supernaturali. Dixi, fortasse ex alio desumptum esse ab Hurtado hoc argumentum: ego enim nunquam negaui, hæreticum exercere aliquos actus naturales honestos, sed certè, qui ex obiecto, vel ex aliis circunstantiis non possent esse supernaturales: quia suppono ex materia de gratia, & ex supradictis in hac materia, non fieri actus supernaturales, nisi, qui oriantur ex fide, vel sint fides, comprehendendo nomine fidei voluntatem credendi, & iudicium ad illam prærequisitum. Quoties autem occurrit occasio operandi actum honestũ qui sit ex fide, vel fides, Deus non denegat in statu eleuationis concursum, & auxilium supernaturale 120

naturale, vt constat in peccatore, qui satis se indignum reddidit; & ideo priuatur habitibus infusis, & tamen non negatur ei postea, data occasione, concursus, & auxilium supernaturale ad hoc, vt actus, quotquot esse possunt, sint supernaturales, & vtiles ad salutem.

121 Nec dicas, hæreticum peccasse specialiter contra ipsam fidem, quare dum hæresim non retractat, est magis specialiter indignus auxilio supernaturali in materia fidei. Hoc enim ipsum dici posset de peccatore, qui peccauit mortaliter contra temperantiam, v.g. in materia castitatis, & tamen etiam non retractato hoc peccato per pœnitentiam; adhuc occurrente alia occasione in materia temperantiæ, vel castitatis, habet auxilium, & concursum supernaturalem ad resistendum tentationi, & sæpe eam vincit actu supernaturali. Quia nimirum vnus actus intemperantiæ non habet ex obiecto, aut ex alio capite ex natura rei repugnantiam cum alio actu honesto in materia temperantiæ. Si ergo nec assensus hæreticus habet ex natura rei repugnantiam cum actu fidei circa alium articulum, non debet indignitas ex peccato non retractato impedire auxilium, & concursum Dei ad actum supernaturalem, quo vincatur tentatio alia contra fidem in alia materia.

122 Debemus ergo inuestigare aliquid in fide, ratione cuius peculiariter repugnet dissensus hæreticus vnius articuli cum actu perfecto fidei circa alium articulum. Et quidē ego sanè fateor eum, cui nō proponitur sufficienter auctoritas Ecclesię in proponendis rebus fidei, posse illam negare inculpabiliter, & tamen adhuc habere actus fidei christianæ circa aliqua mysteria, pro quorum credibilitate proposita sunt ei sufficienter alia motiua. Imò de facto verisimile est, apud hæreticos existere aliquos paruulos, vel rusticos cum ignorantia inuincibili auctoritatis Ecclesiæ Romanæ inculpabiliter eam negantes, quibus tamen sufficienter proposita est pro eorum captu credibilitas Trinitatis, & Incarnationis, & per consequens possunt elicere verum actum fidei circa hæc mysteria. Addo tamen, eum, qui culpabiliter, & scienter errat circa vnum obiectum reuelatum sufficienter propositum, non posse ex natura rei habere assensum fidei circa alia. Sicut qui sciēter agit contra Deum in materia graui, non potest in alia materia ex charitate operari; nam sicut actus perfectæ charitatis in qualibet materia continet implicitè voluntatem placendi Deo, & non violandi vllum præceptum graue; sic omnis actus fidei circa quemlibet articulum continet summam reuerentiam ad diuinum testimonium, & habet implicitè excludere dissensum ad omnia obiecta, quæ sufficienter proponuntur, & vt reuelata. Nascitur autem in fide hæc repugnantia, sicut in charitate ex modo tendendi circa obiectum; nam sicut charitas diligit ex toto corde, & super omnia Deum: sic etiam fides christiana credit super omnia, & ex toto corde Deo, iuxta illud Act. 8. *Si credis ex toto corde*, &c. & sicut charitas, quia diligit Deum super omnia, eo ipso repugnat etiam violationi præcepti in materia graui: sic etiam fides, quia credit Deo super omnia, eo ipso repugnat cum dissensu ad obiectum reuelatum sufficienter propositum. Velle enim credere super omnia est velle exhibere summam reuerentiam intellectualem diuino testimonio; ad hanc autem summam reuerentiam spectat recipere diuinum testimonium, quotiescumque sufficienter propositum fuerit, (nunquam enim potest respui sine irreuerentia) ergo in qualibet voluntate credendi includitur implicitè assensus ad alia omnia obiecta reuelata sufficienter proposita. Aduerte tamen, exemplum dilectionis Dei 123
non esse omnino simile, nam dilectio, cùm sit actus voluntatis, potest sine inconuenienti extendi ad omnia, quæ proposita vnquam fuerint, vt grata Deo, quare potest per actum eleemosynæ dicere, volo dare hoc propter Deum, quem diligo super omnia, seu cui volo placere in omnibus, quæ mihi proposita fuerint grata esse Deo: vnde hic actus secundum se repugnat cuilibet peccato mortali, non enim potest simul homo velle placere Deo in omnibus, & displicere in aliquo. At verò actus fidei intellectualis non habet hanc repugnantiam adæquatam cum actu infidelitatis præcisè & immediatè ex sua entitate, sed provt subest etiam imperio piæ affectionis: nam assensus intellectualis secundùm se non dicit, recipio omnes reuelationes Dei, quæ mihi videbuntur sufficienter propositæ (iam enim reciperet implicitè aliquid falsum, nam contingeret postea aliquid mihi videri sufficienter proponi ex parte Dei, quod tamen non sit reuelatum à Deo, & per consequens hic actus etiam hodiernus ita vniuersalis esset falsus, & naturalis) sed solùm dicit, credo super omnia diuinum testimonium semper esse infallibile, & illi me submitto; atque ideo hîc & nunc illud recipio, & credo hoc mysterium super omnia propter ipsius Dei auctoritatem. Voluntas autem, quæ antecedit hunc assensum, quia est cultus, seu voluntas submittendi se intellectualiter Deo, est magis vniuersalis, & est voluntas subiiciendi intellectum diuinæ auctoritati in omnibus, & ad hunc finem imperat prędictum assensum circa hoc obiectum; quare magis ad rem videtur exemplum genuflexionis & latriæ externæ, quæ est nota, & signum voluntatis, & submissionis internæ erga Deum, sed cum eodem discrimine, nam submissio interna est voluntas credendi, & colendi Deum in omnibus propter eius supremam excellentiam: actus verò externus, licèt sit signum illius voluntatis vniuersalis internæ, non est tamen submissio vniuersalis externa, sed particularis in hac occasione & loco; significat tamen illam submissionem vniuersalem internam: ita assensus intellectualis est genuflexio intellectualis, quo in hoc mysterio colitur super omnia diuina auctoritas; significat tamen voluntatem illam vniuersalem subiiciendi intellectum in omnibus: quare assensus fidei provt subest illi voluntati, non potest esse cum actu infidelitatis, quia non potest homo velle colere diuinam auctoritatem, & illi submitti in omnibus, & simul circa alium articulum sufficienter propositum nolle illi subiici. Et in hoc sensu dicitur fides explicita circa vnum articulum credere implicitè alios: quatenus scilicet voluntas vniuersalis præcedit de colendo diuino testimonio in omnibus, & rursus quatenus ipsemet assensus profitetur vera esse omnia quæcunque Deus dicit, & per consequens implicitè asserit veros esse alios articulos, quos Deus dicit, quicunque illi sint.

Dices: Hæreticus faceret contra cultum diuini testimonij, si admittens illud, negaret veritatem reuelatam; non tamen facit contra cultum negando esse diuinum testimonium, quod ab ec- 124

clesia proponitur: cum hoc enim stat admittere vt diuinum testimonium, quod miraculis, & aliis motiuis comprobatur, & credere propter illud. Respondeo, contra auctoritatem diuinam fieri, non solùm quando admisso testimonio Dei, negatur ei fides, sed etiam quoties ipsum testimonium diuinum sufficienter propositum non admittitur vt tale; sicut faceres contra reuerentiam Regis, non solùm, si fatendo eum esse Regem, eum sperneres, sed etiam si irrationabiliter negares eum esse Regem, cùm prudenter illud debes credere, & ideo eum contemneres; ad cultũ enim Regis pertinet, eum colere, quoties sufficienter proponitur, vt Rex. Ex quibus patet differentia fidei ab aliis virtutibus; nam licèt temperantia possit violari v.g. in vna materia, & retineri circa alias; non tamen fides ob rationem supra positam; hæreticus autem articulos, quos retinet non credit per veram fidem, sed vel ex motiuis aliis, vel si credit propter diuinum testimonium, non tamen cultu super omnia exhibito, prout fides christiana credit vt dictum est.

125 Hanc sententiam, seu modum explicandi hanc repugnantiam inueni postea apud Coninch *disp. 18. dub. 4. n. 29. & 3.* vbi hoc etiam reducit ad voluntatem subiiciendi integrè, & absolutè intellectum primæ veritati, prærequisitam ad assensum fidei. Addit tamen, in hæretico defectum hunc non solùm se habere ex parte voluntatis, quæ non est vniuersalis amplectens subiectionem vniuersalem intellectualem erga diuinum testimonium, sed etiam habere se ex parte intellectus, qui deficiente voluntate illa vniuersali, defectuosè etiam assentitur, non enim credit illam propositionem, *quidquid Deus reuelauit, est verum*, omnino generatim, sed cum aliqua virtuali limitatione ad ea, quæ suo iudicio credenda probauerit.

Hæc tamen, quæ addit, difficultatem habent: & in primis non probo quod hæreticus non credat propositionem illam vniuersalem, *quidquid Deus reuelauit, est verum*; imo enim hoc firmissimè tenet, nec dubitat de infinita veracitate Dei, sed solùm negat, Deum hũc articulum reuelasse, circa quem ipse errat. Nec ille assensus vniuersalis circa illam propositionem pugnat vllo modo ex parte obiecti cum assensu hæretico. Nam pagani etiam negantes totam fidem christianam fatentur, Deum esse veracem, & verum esse quidquid Deus reuelauit, negant tamen doctrinam Christianæ fidei esse à Deo reuelatam. Quod etiã in aliis materiis passim contingit; potest enim aliquis fateri omnes Consules Romanos habuisse supremam dignitatem in Republica, & negare simul Ciceronem habuisse vnquam supremam dignitatem, eo quod non credit, eum fuisse Consulem: neque in illa vniuersali credita continetur Cicero, nisi sub conditione, si fuit Consul, quam conditionem ipse negat. Sic ergo in illa vniuersali, *quidquid Deus reuelat est verum*, licèt contineatur implicitè mysterium Eucharistiæ, quod de facto reuelatum est, qui tamen negat esse reuelatum, non cogitur ex illa solum propositione vniuersali ad credendam Eucharistiam, nec impeditur ab eius dissensu: non est ergo negandus in hæreticis assensus illius propositionis vniuersalis, licèt ob defectum piæ voluntatis supernaturalis, quam hæreticus non habet, ille assensus non sit supernaturalis, sed naturalis.

126 Vnde secundò est etiam difficile inuenire immediatè ex parte assensus, quo hæreticus credit mysterium verum, defectum aliquem intrinsecum in modo assentiendi, ratione cuius non pertineat ad fidem. Nam assensus, quo Catholicus credit Trinitatem, non est magis vniuersalis in ordine ad alios articulos, quàm sit assensus hæretici; imperatur quidem in Catholico à voluntate magis vniuersali, quia est voluntas subiectionis intellectualis omnimodæ, atque adeo extendit se ad acceptandas omnes reuelationes Dei sufficienter propositas, & ideo non potest stare cum voluntate negandi Eucharistiam sufficienter propositam Cæterùm ipsemet assensus Catholici circa Trinitatem non habet pro obiecto explicito, vel implicito Eucharistiam, nisi sub conditione si reuelatum sit; quia voluntas submittens intellectum omni modo veracitati & testimonio diuino sufficienter proposito determinat quidem intellectum ad non negandam reuelationem de Eucharistia sufficienter propositam; non tamen determinat ad credendam Eucharistiam, quandiù reuelatio Eucharistiæ non proponitur, nec de ea cogitatur, sed solùm ad acceptandam reuelationem de Trinitate, de qua tunc cogitatur. Ratio autem est, quia voluntas non potest imperare intellectui assensum obiecti, nisi proposito motiuo formali assentiẽdi, cùm intellectus non possit assentiri, nisi vel ex terminis appareat veritas, vel proponatur medium, seu motiuum assentiendi: cùm ergo Eucharistia nó constet ex terminis, nec tunc proponatur medium, seu reuelatio de Eucharistia, sed solùm reuelatio de Trinitate, quæ non potest esse mediũ ad credendam Eucharistiam, sed solam Trinitatẽ, consequens est, vt voluntas tunc solùm determinet intellectum Catholici ad credendam Trinitatem, & nullo modo ad credendam absolutè Eucharistiam, ad quam nullum medium, aut motiuum proponitur, & per consequens assensus Catholici circa Trinitatem, non est magis vniuersalis, quantum est de se, nec magis extenditur ex se ad Eucharistiam, quàm assensus hæretici, neque in assensu hæretici circa Trinitatem secundùm se considerato apparet defectus in modo assentiendi, ratione cuius minus extendatur ad alios articulos, quàm assensus Catholici circa eandem Trinitatem. Vtriusque enim assensus circa Trinitatem solùm credit Trinitatem propter infinitam Dei veracitatem, & quia Deus reuelauit Trinitatem, neque est vlla differẽtia ex parte obiecti formalis, aut materialis, quando eadem reuelatio Trinitatis vtrique proponitur, & eodem modo applicatur, prout suppono posse vtrique eodem modo aliquando applicari, & id concedit ipse Coninch, cuius rationem nunc examinamus.

Facilius itaque tota hæc repugnantia reducitur 127
in voluntatem ipsam à qua oritur fidei assensus; quæ voluntas debet esse vniuersalis, & affectus erga cultum & submissionem intellectualem totalẽ respectu diuinæ veracitatis, quo affectu votalẽ respectu diuinæ veracitatis, quo affectu votalẽ respectu diuinæ veracitatis, quo affectu vot

sensu hæretico alterius articuli; quatenus actus ipse fidei supernaturalis exigit imperari, & procedere à pia affectione supernaturali, quam diximus esse affectum magis vniuersalem, & propter vniuersalitatem sui obiecti repugnare cum voluntate negandi alium articulum sufficienter propositum. Quare licèt assensus Trinitatis, v.g. non habeat pro obiecto Eucharistiam, habet tamen repugnantiam mediatam, sed intrinsecam cum dissensu hæretico circa Eucharistiam, quia petit ex natura sua imperari à voluntate supernaturali vniuersali excludente omnem dissensum hæreticum: formaliter verò & immediatè prouenit hæc repugnantia ex ipsa voluntate, quæ est magis vniuersalis, & comprehendit plura, quam assensus intellectualis qui versatur circa solam Trinitatem. Ad quod ponderari etiam possunt verba illa act. 8. *Si credis ex toto corde*; vbi vniuersalitas in fide requisita magis ponitur *in corde*, hoc est, in affectu, quam in mente, seu intellectu: in affectu enim ex quo fides intellectualis oritur, requiritur illa totalitas, & plenitudo excludens omnem assensum fidei contrarium, quam totalitatem in affectu hæreticus non habet, quando credit Trinitatem; alioquin non haberet voluntatem negandi alium articulum sufficienter propositum: Catholicus autè eam habet, quia credit Trinitatem, non quomodocunque, sed ex affectu captiuàdi plenè intellectum in obsequium diuinæ auctoritatis, cui plenè se submittit exhibendo ei supremam reuerentiam, & eam præferendo omnibus aliis motiuis, & argumentis, quotiescunque sufficienter proposita fuerit eius testificatio. 128 Et ideo S. Thomas *dicta quæst. 5. art. 3.* probat hanc repugnantiam actus fidei cum hæresi circa alium articulum exemplo charitatis, quia sicut charitas quidquid propter Deum amat actu perfecto, amat affectu vniuersali, quo nimirum ostendit, se Deum præferre non solum obiecto contrario huius rei particularis, quàm hic & nunc amat propter Deum, seu etiam cuicunque rei contrariæ diuino beneplacito, & præcepto; ostendit enim se diligere Deum super omnia: sic Catholicus quidquid credit actu fidei perfecto, credit ex affectu vniuersali, quod ostendit se præferre diuinum testimonium sufficienter propositum omnibus aliis motiuis, & argumentis contrariis, atque adeo velle, quod intellectus data occasione id exequatur; & ideo, sicut quilibet actus charitatis perfectæ repugnat cum quolibet peccato mortali actuali propter suam vniuersalitatem implicitam, ita quilibet actus fidei perfectus in Catholico repugnat cum quolibet assensu hæretico propter similem vniuersalitatem affectus, à quo procedit. Alioquin si fides non procedit ex tali affectu vniuersali, non procedit ex suprema reuerentia erga diuinam auctoritatem: sicut charitas licèt velle super omnia placere Deo in materia castitatis solùm, non ostenderet affectum, & amorem dignum Deo, cùm non ostenderet affectum erga Deum super omnia, sed solum super omnia, quæ aduersantur castitati. Et sicut religio non coleret Deum cultu supremo debito diuinæ excellentiæ, si vellet genuflexionem in signũ solum submissionis internæ, qua vellet Deo cedere, & illi submitti solùm in materia aliqua particulari, & non in omnibus. Sic etiam cum dixerimus piam affectionem imperantem fidem reduci ad virtutem religionis, eamque imitari in exhibendo cultu supremo intellectuali diuinæ veracitati, oportet, quod eius affectus vniuersalis sit, & præferat diuinũ testimonium sufficienter propositum omnibus aliis argumentis. Sine hac enim vniuersalitate non ostenditur, aut exhibitur supremus cultus: quia sicut supremus amor non ostenditur, nisi præferendo vniuersaliter Deum rebus omnibus, per quem affectum collocatur Deus in suprema cordis sede super cætera omnia, alioquin si non est super omnia, non est in supremo loco: ita, vt voluntas exhibeat diuinæ veracitati supremum cultum intellectualem, debet affectu suo collocare eius testimonium, quoties sufficienter apparuerit, in supremo loco intellectus, & velle, quod præferatur in quacunque materia cæteris omnibus motiuis, & argumentis: alioquin non datur ei supremus locus simpliciter, si non præfertur vniuersaliter omnibus, & in omnibus materiis. Cùm ergo fides procedat ex suprema reuerentia diuinæ veracitatis volita per voluntatem, debet procedere ex affectu illo vniuersali, cum quo non potest esse affectus erga assensum hæreticum contra diuinum testimonium sufficienter propositum.

Contra hanc nostrã sententiam multa congessit P. Hurtado *dicta disp. 60. §. 83. & sequentibus*, sed procedunt fere ex principiis falsis, & facile omnia disoluuntur. Primò Obiicit, quia multi docent, assensum fidei posse imperari à voluntate naturali indifferenti, & mala; & nos ipsi concessimus, posse actum fidei vitiari per imperium extrinsecum malum: ergo fides non pendet necessario ab affectu pio supernaturali præferente fidem cæteris obiectis. Quod etiam vrget ex sententia multorum, qui dicunt, ad actum fidei sufficere affectum naturalem honestum: potest enim talis affectus honestus esse credendi aliquid reuelatum, & miraculis sufficienter confirmatum absque motiuo Ecclesiæ proponentis: cum quo affectu poterit esse alia voluntas mala imperans dissensum articulo per Ecclesiam proposito. 129 *Obiectio 1.*

Respondetur, à nobis non admitti sententiam illam quod sufficiat voluntas mala, vel indifferens ad actum fidei supernaturalem: quando verò concessimus, posse actum fidei vitiari extrinsecè ex imperio malo, loquuti sumus expressè de imperio remoto, non de proximo quod diximus debere esse honestum, & supernaturale, nobis autem sufficit explicare in nostris principiis repugnantiam assensus Catholici cum hæretico. Alij videbunt quomodo iuxta sua principia id explicent. Nec etiam admittimus, sufficere voluntatem naturalem honestam ad actum fidei supernaturalem, sed diximus suprà debere esse voluntatem supernaturalem. Cæterùm ij etiam, qui dicunt sufficere voluntatem naturalem honestam; non ideo tenentur concedere, sufficere voluntatem particularem sine illo affectu vniuersali: potest enim voluntas etiam honesta naturalis habere illum affectum vniuersalem. Sicut, qui ponunt actum dilectionis Dei naturalem, ponunt illum esse dilectionem vniuersalem, & super omnia, imò & legem ipsam naturalem obligare ad hunc actum, si non posset fieri alius actus supernaturalis, quo melius satisfiat præcepto diligendi Deum super omnia. Et sicut in natura etiam pura esset etiam præceptum colendi Deum supremo cultu, hoc est, super omnia; qui cultus imperandus, & volendus esset per voluntatem naturalem, sed vniuersalem, vt constat ex dictis: idem de voluntate credendi dicendum esset, etiamsi voluntas

illa concederetur esse naturalis.

130 Obiectio 2. Secundò arguit ad hominem; quia licèt eodem fidei habitu assentiamur reuelationi priuatæ & publicæ: dissensus tamen circa reuelationem priuatam non opponitur cum assensu circa reuelationes omnes publicas: ergo assensus circa reuelationes publicas non procedit ex voluntate vniuersali, præferente diuinum testimonium omnibus aliis: alioquin non posset stare cum dissensu erga reuelationem priuatam. Respondetur, hoc argumentum non esse contra me: nunquam enim admisi, posse stare dissensum erga reuelationem priuatam sufficienter propositam ad obligationem fidei cum assensu fidei erga reuelationes publicas. Imò dixi eo dissensu amitti habitum fidei infusæ, quia est proprium peccatum infidelitatis.

Obiectio 3. Tertiò arguit, quia ille, qui malè negat articulum fidei sufficienter sibi propositum, & miraculis confirmatum, non tamen cogitando de auctoritate Ecclesiæ, licèt peccet grauiter contra fidem, non est tamen hæreticus, sed retinet adhuc fidem Catholicam, quâ paratus est credere omnes reuelationes propositas ab Ecclesia: vnde potest adhuc habere actus fidei supernaturales circa articulos ab Ecclesia propositos. Ij ergo actus fidei non procedunt ab illa voluntate vniuersali præferente diuinum testimonium omnibus illis, cùm adhuc contemnat diuinum testimonium sibi sufficienter propositum, & miraculis confirmatum, quod admittere tenebatur. Respondeo, in hoc etiam argumento supponi falsum: quod nimirum ille retineat fidei habitum, aut possit simul habere actus veros & perfectos fidei circa articulos ab Ecclesia propositos. Ille sanè nondum est hæreticus, quia nondum scienter contemnit Ecclesiæ auctoritatem, quod ad hæresim requiritur: habet tamen peccatum proprium infidelitatis, & est in eo statu, in quo non potest debito modo alios articulos credere, quandiu illud aliud peccatum aliquo modo non retractat saltem implicitè per affectum vniuersalem ad omnia diuina testimonia sibi proposita sufficienter ad inducendam fidei obligationem.

131 Obiectio 4. Quartò arguit ratione à priori §. 87. quia assensus fidei potest imperari aliquo affectu habente obiectum formale priuatum, & non vniuersale, v. gr. proponitur alicui miraculum, quo reuelatio confirmatur, & considerat honestatem priuatam assentiendi propter miracula: considerat item turpitudinem in dissentiendo huiusmodi reuelationi: hic ergo vult credere propter honestatem credendi miraculis, & vt vitet turpitudinem illius incredulitatis in specie: hoc motiuum non se extendit ad credendum propter auctoritatem Ecclesiæ hæc enim est distincta propositio diuersam habens honestatem, contra quam committitur turpitudo distincta inurbanitatis, & malæ existimationis de auctoritate totius Ecclesiæ. Hæc ergo obiecta distincta sunt, & potest alterum amari, & alterum odio haberi: sicut potest aliquis detestari furtum propter specificam eius turpitudinem, quę detestatio non se extendit ad homicidium, aut intemperantiam detestandam.

132 Respondetur, in primis voluntatem piæ affectionis imperantem assensum fidei non attendere ad honestatem credendi miraculis, vel propositioni ecclesiæ, nec ad turpitudinem dissentiendi miraculis, vel inurbanitatis contra ecclesiam, sistendo in ipsis miraculis, vel ecclesia, sed solum ad honestatem credendi Deo, & acceptandi eius testimonium contentum in miraculis, vel in propositione ecclesiæ, & ad turpitudinem dissentiendi eidem testimonio diuino, quæ honestas, & turpitudo eiusdem speciei est, siue Deus manifestet suam reuelationem per miracula, siue per ecclesiam, nam tota illa differentia est materialis ad propositum, & finem mouendi, & obligandi ad assensum. Demus tamen, diuersam esse honestatem, & turpitudinem in assentiendo, vel dissentiendo diuinæ reuelationi hoc, vel illo diuerso modo propositæ, atque adeo posse amari vnam honestatem non amata alia: dicimus adhuc, voluntatem imperantem fidem christianam perfectam non debere ita affici ad motiuum illud speciale, vt saltem implicitè non feratur etiam ad motiuum vtique commune. Sicut charitas non potest ex motiuo suo detestari vnam offensam grauem Dei etiam propter turpitudinem, & grauitatem maiorem talis offensæ, qua grauiùs displicet Deo, quin simul detestetur implicitè omnem Dei offensam grauem: quia si est actus charitatis, debet habere in se dilectionem Dei super omnia: quare etiam dum detestatur hoc peculiare peccatum, detestatur illud, quia sua peculiari malitia displicet grauiter, vel grauiùs Deo, quem diligit super omnia; in quo affectu dilectionis super omnia continetur implicitè detestatio cuiusliber alterius peccati grauis. Sic fides, seu voluntas imperans fidem christianam, quæcunque præcesserint motiua, semper imperat fidem ad captiuandum intellectum in obsequium diuinæ veracitatis, quam colere studet supremo cultu intellectuali, & quæ tali cultu supremo digna est. Vnde semper ibi includitur affectus supremi cultus intellectualis, qui eo ipso quod supremus est, continet prælationem diuini testimonij sufficienter propositi super omnia alia motiua, & argumenta, alioquin non esset cultus supremus, vt proximè explicatum est.

133 Obiectio 5. Quintò Arguit §. 88. quia si affectus credendi esset de obiecto vniuersali amplectente omnes reuelationes sufficienter propositas, non posset componi cum peccato graui contra fidem ex ignorantia culpabili, quia affectus ille excluderet etiam voluntatem culpabilem omittendi diligentiam debitam in explorando, quid Deus per ecclesiam proponat. Consequens autem est contra experientiam: videmus enim fideles delinquere grauiter contra fidem ex ignorantia culpabili, & tamen exercere actus fidei circa articulos alios, quos non ignorant. Respondetur, in primis non paucos propterea concedere perdi habitum fidei ab eo, qui cum ignorantia grauiter culpabili negat aliquem fidei articulum. Probabile tamen est, non perdi, vt supra diximus: quia nimirum, licèt id sit peccatum graue contra virtutem fidei; non est tamen contra voluntatem illam vniuersalem subiiciendi intellectum veracitati diuinæ: sicut vel le periculum peccandi contra castitatem non est in rigore contra voluntatem vniuersalem castitatis, licèt sit contra præceptum castitatis, quando sine causa graui permittitur eiusmodi periculum. Aliud enim est velle castitatem, aliud velle vitare pericula eam amittendi, quare potest stare vniuersalis voluntas castitatis cum voluntate non vitandi periculum contra ipsam. Alioquin si hæc duo essent obiecta contraria, sequeretur, quod nec etiam ex causa valde graui posset aliquis permittere periculum proximum contra castitatem, retinens voluntatem castitatis seruandæ; quod constat

constat esse falsum in chirurgo ex causa valde graui tangente fœminam ad eam curandam cum periculo etiam consensus turpis, & cum aliis docet Thomas Sanchez *lib.9.de matrimon. disp.45. num.6.* vbi id probat ex virtute fidei, contra quam non peccat, qui cum periculo etiam incidendi in hæresim formalem legit libros hæreticorum sibi promissos ex causa necessaria, & ex S. Thoma *infra quæst.10.art.9.in fine corporis*, vbi dicit, infirmis in fide interdicendam esse communionem cum infidelibus, stante periculo probabili subuersionis, nisi necessitas vrgeat. Potest ergo stare voluntas vniuersalis circa fidem cum voluntate non fugiendi periculum infidelitatis etiam formalis, nedum materialis. Sic ergo stare potest vniuersalis illa voluntas subiiciendi intellectum fidei cum negligentia etiam culpabili in exploranda reuelatione Dei, hoc enim non est, nisi velle periculum infidelitatis materialis, quæ voluntas non opponitur ex parte obiecti cum illa alia voluntate, licèt sit grauiter culpabilis contra fidem.

134 *An dissensus circa vnum articulum, & assensus fidei circa alium ita repugnent, vt nec de potentia Dei absoluta possint esse simul in eodem homine.*

Pro complemento huius quæstionis restare possunt duo dubia. Primum est, an dissensus hæreticus circa vnum articulum, & assensus fidei circa alium ita repugnent, vt nec de potentia Dei absoluta possint esse simul in eodem homine. P. Turrianus *in præsenti disp.44. dub.2.* dicit, non posse vtrumque actum esse circa idem obiectum: sed neque etiam circa diuersa obiecta proposita eodem modo ab Ecclesia. Posse tamen esse circa diuersa obiecta ex diuerso medio credenda. P. Salas, cuius verba retulimus sectione præcedenti, dixit de potentia absoluta id fieri posse, si Deus non negaret hæretico auxilium supernaturale, quia dissensus solùm impedit assensum circa eundem articulum, non circa alios, qui adhuc credi possent propter diuinam reuelationem.

Dubium hoc magna ex parte Philosophicum est; quare supponoid, quod in Philosophia dixi, non posse etiam de potentia absoluta esse simul in eodem intellectu assensum, & dissensum explicitum de eodem obiecto, sicut nec in eadem voluntate potest esse simul volitio, & nolitio absoluta eiusdem obiecti: quia esse, & non esse simul, est aliquid omnino impossibile: voluntas autem non potest etiam diuinitus velle absolutè aliquid impossibile; nec intellectus potest etiam diuinitus iudicare aliquid euidenter falsum, quale est rem esse, & non esse simul. Vnde assensus fidei, & dissensus circa eundem articulum, non possunt etiam de potentia absoluta esse simul. Si autem sint de diuersis articulis, rursus distinguendum est ex supradictis: si enim considerentur illi duo actus, prout subsunt voluntati imperanti assensum fidei ex illo motiuo vniuersali subiiciendi omnino intellectum diuinæ veracitati, non possunt illi duo actus simul esse: quia ex parte voluntatis esset illa contradictio virtualis, quod simul vellet intellectum in omnibus subiici diuinæ veracitati, & amplecti omnem Dei reuelationem sufficienter propositam illius articuli, qui pertinaciter negatur. Possunt tamen illi duo actus intellectus considerari, non prout subsunt voluntati illi vniuersali, sed secundùm se. Nam licèt assensus fidei supernaturalis exigat ex natura sua procedere ab illa voluntate, & pia affectione vniuersali suprà explicata, non tamen repugnat de potentia absoluta, quod procedat solùm à voluntate particulari, vel etiam naturali; & tunc dicendum est, si medium sit diuersum, nempe reuelationes illorum articulorum sint diuersæ; non repugnare de potentia absoluta assensum fidei circa vnum articulum propter eius reuelationem, & dissensum alterius articuli negata etiam eius reuelatione. Sunt enim obiecta materialia, & formalia diuersa, quorum vnum negari potest affirmato altero. Si verò medium, seu reuelatio vtriusque articuli sit omnino eadem, quia Deus v.gr. vtrumque articulum simul reuelat indiuisibiliter eadem reuelatione; non potest fieri, vt intellectus credat vnum articulum propter illam reuelationem, & simul neget alterum. Ratio est, quia cogeretur affirmare simul, & negare eandem reuelationem: affirmata enim veracitate Dei, & reuelatione talis articuli, iam affirmatur implicitè ibi articulus reuelatus, qui in illis duabus præmissis affirmatis euidenter continetur; si ergo adhuc negatur articulus, necesse est negare præmissas, ex quibus euidenter sequitur, nam ex negatione consequentis euidenter arguitur ad falsitatem antecedentis ex quo euidenter sequitur. Vel ergo necesse est affirmare articulum, qui negatur, vel negare reuelationem, ex qua infertur, quæ tamen reuelatio simul affirmatur, dum propter eandem reuelationem creditur ille alius articulus fide diuina, vt supponitur.

135 *Habitus piæ affectionis an possit aliquādo elicere actum absque voluntate vniuersali suprà explicata, à quo imperetur assensus intellectualis propter motiuum fidei.*

Secundum dubium esse potest, an si aliquis vellet credere Eucharistiam v.g. non tamen voluntate illa vniuersali à nobis explicata, sed voluntate magis particulari subiiciendi intellectum Deo in hac materia propter honestatem peculiarem credendi hanc reuelationem talem, & talibus signis, & adminiculis confirmatam, an tunc hæc voluntas posset esse supernaturalis, & elicita ab eodem habitu piæ affectionis: quod idem quæri potest de ipso assensu imperato, an esset supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei. Quæstio hæc cum proportione eadem fieri posset de actu intellectus, an si velis credere Eucharistiam propter diuinam reuelationem, non tamen velles eam credere firmissimè super omnia, an, inquam, assensus ille intellectualis posset esse supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei.

136 De hoc dubio aliquid dixi *supr. disp.1.sect.11.* an scilicet assensus circa reuelationem priuatam non obligantem ad fidem firmam, & ideo minùs firmus possit elici ab habitu infuso fidei, & attuli argumenta aliqua, propter quæ inclinabam ad partem affirmantem. Præsertim, quia habitus charitatis videtur aliquando elicere actus minùs perfectos, nec super omnia, quod idem in aliis virtutibus ostendi. Quare consequenter idem dicendum videtur de habitu piæ affectionis, posse aliquando elicere actum absque illa vniuersalitate supra explicata, à quo imperetur assensus intellectualis propter motiuum fidei. Sicut autem ibi diximus, assensum illum minùs firmum, & quo non creditur obiectum super omnia, licèt eliciatur ab habitu fidei, non esse tamen dicendum simpliciter actum fidei nec denominare hominem simpliciter fidelem, nec sufficere ad iustificationem, quia *fidei* nomen supponit pro actu perfecto fidei, sicut *actus charitatis* simpliciter supponit pro dilectione Dei super omnia, non pro quolibet actu minùs perfecto, etiam elicito ab habitu charitatis; sic etiam dicendum est, actum imperatum ab illa voluntate minùs vniuersali, licèt eliciatur ab habitu fidei, non appellari simpliciter *fidem*, nec denominare homi-

nem simpliciter *fidelem*, aut sufficere ad iustificationem: quia fides est assensus ortus ex pia affectione, & voluntate captiuante simpliciter intellectum, & obiicientem illum omnino diuinæ auctoritati, quod non præstat voluntas illa, nisi secundùm quid, & cum addito diminuente.

137 *Obiectio 1.* Contra hoc tamen obiici potest, primò, quia si semel admittimus, actus illos imperfectos elici posse ab habitu infuso fidei, & piæ affectionis, concedendum etiam erit, posse ab habitu fidei ex imperio adhuc minùs perfecto, & debiliori elici assensum, qui nec sit super omnia, nec etiam firmus, & certus, sed solùm probabilis, & formidolosus, quod tamen videtur absurdum. Respondeo distinguendo: vel enim præcedit iudicium euidens credibilitatis de obligatione firmiter credendi, vel nō præcedit: si præcedit tale iudicium, voluntas debet imperare assensum certum, & excludentem omnem formidinem; nam sicut non licèt dubitare de rebus fidei, sic nec licèt formidare: quare debet voluntas imperio suo cohibere formidinem, & per consequens imperare assensum cohibentem omnem formidinem, qui eo ipso certus erit, cùm habeat adhæsionem firmam excludentem omnem formidinem, & aliundè ratione supernaturalitatis intrinsecæ habeat repugnantiam intrinsecam cum falsitate: si autem non præcedit iudicium de obligatione credendi firmiter, vt contingit circa reuelationem priuatam non ita propositam, vt obliget ad firmum assensum, tunc voluntas potest, vt diximus, imperare assensum minùs firmum, qui licèt non possit esse falsus, si sit supernaturalis, non tamen erit certus defectu adhæsionis firmæ, cum quo assensu poterit esse formido: imo non eliceretur prudenter assensus omnino firmus: cùm non proponantur motiua credibilitatis tunc sufficientia ad credendum ita firmiter, sicut creditur in rebus fidei. Porrò hanc infirmitatem assensus non repugnare cùm eius supernaturalitate, probari potest exemplo adducto charitatis, quæ elicere potest aliquando actus etiam minùs perfectos, & qui non sint dilectio Dei super omnia, & per consequens, qui non habeat eam firmitatem, quam habet dilectio Dei super omnia, sed sit amor infirmus & debilis. Cur ergo non poterit fides elicere actus infirmos, & debiles, qui ideo non mereantur nomen *fidei* simpliciter, sicut illi alij non merentur nomen *charitatis* simpliciter, & absolutè?

138 *Obiectio 2.* Secundò obiici potest, quia si omnis actus perfectus fidei debet procedere ex volūtate vniuersali subiiciendi in omnibus intellectum diuinæ veritati, & credendi firmissimè, & super omnia, videtur sequi, quod omnis, qui elicit actum proprium fidei, detestatur super omnia peccatum infidelitatis, & per consequens habet actionem supernaturalem sufficientem ad iustificationem saltem in sacramento, & hoc ante ipsam fidem Dei remuneratoris, cùm hæc voluntas præcedere debeat quemlibet actum fidei. Respondetur, in primis, licèt voluntas illa detestaretur super omnia peccatum infidelitatis, non tamen sufficeret ad iustificationem, cùm nō detestaretur alia peccata, si quæ fuissent, nec includeret propositum vniuersale non peccandi grauiter in omni materia, nam motiuum formale illius voluntatis non est commune omnibus præceptis, sed solùm honestas credendi, & turpitudo infidelitatis, imò etiamsi fingamus, aliquem per errorem inuincibilem putare, quod omnia peccata habeant malitiam contra fidem, atque adeo voluntas illa tunc extendi videretur ad omnia peccata vitanda, sicut extenditur ad vitandam omnem infidelitatem, adhuc non sufficeret ad iustificationem, tùm quia, cùm voluntas illa extenderetur ad omnia peccata ex motiuo falso, procederet ex iudicio falso, atque adeo ex cognitione naturali, & ideo ipsa etiam esset naturalis: tum etiam quia non esset voluntas per se sufficiens ad excludendam omnem voluntatem peccandi, sed per accidens propter ignorantiam, & errorem quo errore ablato, non conduceret odium infidelitatis ad vitanda alia peccata. Sed quicquid de hoc sit, negamus, voluntatem illam debere esse detestationem infidelitatis super omnia: est quidem voluntas vniuersalis acceptādi omnem reuelationem Dei sufficienter propositam, & est voluntas credendi Deo super omnia, non tamen vult hoc ipsum super omnia, sed vult, quod intellectus credat super omnia, licèt voluntas ipsa non feratur in hoc obiectum super omnia. Certum enim est, posse esse voluntatem etiam vniuersalem absque eo quod sit super omnia: nam voluntatem vniuersalem habebat, qui dicebat Ruth. 3. *quidquid dixeris mihi faciam tibi*: & illi, qui ad Simonem ducem dicebant, *omnia quæcumque dixeris nobis, faciemus*, 1. Machab. 13. non tamen habebant voluntatem super omnia faciendi ea, quæ promittebant; sic ergo voluntas credendi, licèt sit vniuersalis, & credendi super omnia, non est tamen necesse, quod sit voluntas super omnia ad hoc vt imperet efficaciter actum fidei supernaturalem.

139 *Obiectio 3.* Tertiò obiici potest, quia voluntas credendi imitatur voluntatem adorandi Deum per cultum aliquem externum; vtraque enim voluntas intendit cultum Dei, vt diximus sæpe in superioribus, sed voluntas requisita ad actum adorationis etiam latriæ, & supremæ non requiritur, quod sit voluntas vniuersalis colendi diuinam excellentiam in omnibus: nam sæpe ille, qui actu adorat Deum, & illi offert cultum latriæ, habet propositum committendi postea peccatum aliquod graue contra religionem & cultum Dei, vt constat in Sacerdote offerente sacrificium, qui est cultus latriæ, cum proposito committendi peccatum contra Dei cultum: ergo similiter potest aliquis velle credere Deo, & colere illum cultu hoc intellectuali sine voluntate vniuersali cultus intellectualis. Confirmarique potest ex iis, quæ diximus *suprà disput. 14. sect. 5.* vbi ostendimus, posse exerceri actum fidei ab eo, qui habet propositum negandi postea fidem, & ideo significationem meram illius propositi, licet sit significatio peccati contra fidem, non tamen esse in rigore infidelitatem externam, quia totum id fieri potest cum fide præsenti, vt fatetur etiam Thomas Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 8. n. 22.* ergo actus fidei præsens non prærequirit voluntatem illam vniuersalem subiiciendi in omnibus intellectum diuinæ veracitati.

Respondeo, argumentum hoc multum probare: nam probaret etiam, ad actum fidei non requiri voluntatem subiiciendi Deo intellectum etiam in illo articulo, quem credimus: quia in præsenti loco nō solùm diximus posse exerceri actum fidei præsentis ab eo, qui habet propositum negandi postea alios articulos, sed etiam ab eo, qui habet propositum negandi postea, mutatis rebus, hunc eundem articulum, quem nunc credit, nec significationem huius propositi esse negationem

gationem fidei externam. Et quidem exempla Sanctorum ibi antea à nobis relata, qui eiusmodi propositum ex bono fine cum æquiuocatione significarunt, non erant de proposito negandi alium articulum, sed eundem, vel potiùs totam fidem, quam tunc tenebant, & credebant. Quare dicendum est, voluntatem vniuersalem, quam dicimus prærequiri ad actum perfectum fidei, non esse vniuersalem in ordine ad tempus, sed in ordine ad obiecta à Deo reuelata. Volùtas ergo illa est præsens, & vult subiicere nunc intellectum Deo planè, itaut nullam Dei reuelationem sufficienter propositam nunc respuat: & quia hanc voluntatem, & submissionem præsentem significat ipse assensus fidei, ideo est cultus intellectualis Dei, provt subest huic voluntati, quam præsupponit, & significat. Quod idem cum proportione dicendum est de voluntate, & submissione interna, quam significat adoratio, & cultus exterior: non est enim voluntas submittendi se in futurum, imò aliquando esset imprudens ea significatio: nam qui hodie genuflectit Regi, & significat submissionem internam, & voluntatem cedendi ei propter Regiam dignitatem, si cras tamen ipse fiat summus Pontifex, non genuflectet Regi, sed ab eodem adorabitur genuflexo; quare per genuflectionem hodiernam non significabat submissionem internam pro tempore futuro, sed pro tempore præsenti, pro quo erat excellentia illa Regia, & excessus supra genuflectentem. Hinc stare potest cum adoratione, & cultu supremo præsenti propositum peccandi postea cõtra debitum cultum. Si tamen nunc simul peccaretur contra cultum eiusdem Dei, actus adorationis non esset perfectus, sed haberet ex parte significationem falsam, cùm significaret submissionem internam præsentem totalem, cùm tamen non esset totalis, sed ex parte. Multóque imperfectior esset adoratio, si tunc esset voluntas contraria submissioni præsenti, quæ significatur per adorationem externam, nempe voluntas præferendi te, & non cedendi illi, quem exteriùs colis, provt faciunt, qui vrgent, vt socius primum locum teneat quem tamen interiùs nullo modo cedere illi volunt, qui cultus, licèt sit verè cultus, quia est signum reuera significans submissionem internam; non est tamen cultus verus, id est, conformis rei significatæ, sicut propositio falsa est quidem verè propositio, non est tamen propositio vera, id est, conformis obiecto significato, vt explicuimus *disp.* 23. *de Incarnatione, sect.* 2. *n.* 14.

DISPVTATIO XVIII.

De infidelitate in communi.

SECTIO I. *Quod, & quale sit peccatum infidelitatis.*

II. *Comparatur grauitas infidelitatis cum aliis peccatis.*

III. *Diuisio infidelitatis in Paganismum, Iudaismum & haresim.*

IV. *De Apostasia: quid sit, & an sit species infidelitatis.*

HACTENVS actum est de fide actuali, & habituali: nunc incipimus agere de infidelitate fidei contraria, & eius speciebus. Quæ pars, quia magis moralis est, est etiam vtilior, & facilior: de qua agere incipit S. Thomas *q.* 10. *& sequentibus.* Dicemus autem priùs de infidelitate in communi, postea de eius speciebus, & præsertim de hæresi, & hæreticis, & eorum pœnis.

SECTIO I.

Quod, & quale sit peccatum infidelitatis.

DE hoc plura dicta sunt in superioribus, præsertim Disputatione præcedenti, dum explicaremus quali peccato excluderetur habitus fidei infusæ, vbi diximus, sola propria infidelitate excludi; & ibi oportuit declarare, quid addat infidelitas propria, supra alia peccata, quæ fiunt contra fidem: nunc tamen magis explicanda est essentia infidelitatis. Et in primis supponimus, non esse sermonem nunc de infidelitate, prout opponitur fidelitati, quæ est virtus quædam moralis inclinans ad seruandam fidem aliis datam; de qua dicitur Isaiæ 1. *Principes tui infideles*, id est, non seruantes fidem datam: & Eccl. 5. *Displicet Deo infidelis. & stulta promissio.* Nunc autem agimus de infidelitate prout opponitur fidei Theologicæ, & appellari potest infidelitas Theologica; quæ significatio frequentior est in Scriptura, in qua passim infideles vocantur, qui Deo non credunt, nec fidem recipiunt; & in eodem sensu dictum est Thomæ, *noli esse incredulus, sed fidelis*; vbi fidelitas opponitur incredulitati. 1

Porrò infidelitatem esse peccatum, constat ex dictis *suprà Disp.* 13. *sect.* 1. vbi actum est de præcepto fidei; & probauimus posse contra fidem peccari grauiter peccato omissionis, non recipiendo eius doctrinam sufficienter propositam: nec oportet nunc aliquid addere: videatur Suarez *disp.* 16. *sect.* 1. qui tamen *n.* 3. dicit, eum qui totam fidei materiam ignorat, etiamsi nihil de prima veritate, aut etiam diuina reuelatione audierit, habere veram infidelitatem, quia tanta est ignorantia, vt omnino fidem excludat: & *num.* 2. dixerat in vniuersum veram, & propriam infidelitatem esse illam, & solam, quæ fidem infusam ab homine, ex natura sua excludit. Quæ doctrina difficilis est: ille enim qui in infantia baptizatus est, & postea nihil prorsus de fide audiuit, neque de prima veritate aut diuina reuelatione, non potest perdere habitum fidei infusæ in eo statu, qui habitus non perditur, nisi solo infidelitatis peccato, quod peccatum ab huiusmodi homine non committitur, quandiu fides ei non proponitur, vt constat; non reperitur ergo tunc vera infidelitas: sed valde impropria, quatenus dicit carentiam actus fidei, absque peccato tamen, & obligatione credendi, propter ignorantiam omnino inuincibilem. 2 *Infidelitas est peccatum.*

Aliqui ergo latiùs nomen infidelitatis vsurpantes diuidunt illam in negatiuam, & positiuã: sub negatiua intelligentes charitatem fidei etiam inculpabilem: subdiuidunt enim negatiuam in merè negatiuam, quæ est inculpabilis, & in priuatiuam, quæ est culpabilis, & cum debito habendi fidem. Quam distinctionem P. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 1. *num.* 2. fatetur in re veram esse, sed malè vsurpare voces: igitur infidelitas etiam sine culpa non est merè negatiua, sed priuatiua; 3 *Infidelitas alia negatiua, alia positiua.*

quam etiam *num.*3. & 4. dicit contineri sub propria infidelitate, quando saltem datur carentia actus, & habitus fidei. Sed certè nec ipse vtitur bene vocabulis; nam carentia fidei inculpabilis non est propria infidelitas: nam sicut sub nomine *iniustitiæ*, vel *inobedientiæ*, non intelligitur mera, & inculpabilis carentia iustitiæ, vel obedientiæ, sed peccaminosa; ita nomine propriæ *infidelitatis*, non intelligitur inculpabilis carentia fidei, sed culpabilis. Eo autem modo, quo carentia illa inculpabilis fidei appellari potest infidelitas, meliùs dicetur negatiua, quàm priuatiua, quia non est carentia fidei debitæ inesse subiecto, cùm homo nec debeat, nec possit in eo ignorantiæ statu, fidem habere.

Sed contrà arguit ille Auctor: quia illa est verè negatio fidei debitæ inesse: cùm enim ea fides sit homini necessaria ad salutem, necessitate medij, vel præcepti est debita inesse, & homo ad eam habendam obligatur, etsi ob inuincibilem ignorantiam à peccato excusetur. Respondeo, quando sermo est de actibus moralibus, non solere appellari priuationem, nisi carentiam actus debiti, & quidem debito proximo; sic enim loquuntur omnes, qui dicunt, malitiam moralem consistere in priuatione: appellant enim priuationem carentiam rectitudinis debitæ, ad quam requirunt debitum proximum. Alioquin si sufficeret debitum illud remotum, sequeretur, quod volens vesci carnibus in die ieiunij cum ignorãtia inuincibili, haberet malitiam moralem, quia haberet carentiam rectitudinis temperantiæ debitæ, debito remoto; & tamen nemo vocat illam intemperantiam priuatiuam, vel carentiam rectitudinis debitæ, seu priuationem moralem, sed meram negationem. Hæc autem erit quæstio de nomine, quæ non multum refert.

5 Ex dictis ergo possumus aliter peccatum infidelitatis, seu propriam infidelitatem breuiter definire, per oppositionem, quam nomen ipsum infidelitatis significare viderur, cum fide: & dicere, illud solùm propriè esse peccatum infidelitatis, quod ex obiecto suo ita opponitur cum fide actuali, vt quandiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero, & proprio actu fidei diuinæ. Quæ definitio non competit imprimis errori inculpabili, cùm illud nõ sit peccatum: nec etiam errori culpabili, prouenienti ex ignorantia culpabili: cum hoc enim stare potest adhuc voluntas credendi alios articulos sufficienter propositos, quorum non sit ignorantia: & ratio est, quia voluntas illa, licèt sit peccaminosa, non est tamen nolitio credendi contra fidem sufficienter propositam, sed solùm voluntas, non adhibendi diligentiam debitam, vt sufficienter proponatur. Quare cum illa voluntate potest stare fides articuli sufficienter propositi; cùm duplex illa voluntas non opponatur ex parte obiecti volici: & ideo Suarez *disp.*15. *sect.*1. *num.*8. fatetur; hanc non esse infidelitatem, quia non opponitur directè fidei, sed præparationi ad fidem: similiter neque esset infidelitas propria negatio externa fidei, sine negatione interna, aut peruersio etiam aliorum & inductio ad falsam sectam, sine dissensu interno contra fidem: quia hæc omnia, licèt sint peccata grauissima contra fidem, non opponũtur ex parte obiecti cum actu fidei interno. Quando autem datur dissensus internus contra fidem peccaminosus, tunc datur vera, & propria infidelitas, siue dissensus ille sit, contra Dei venerationem siue contra reuelationem, siue contra articulum reuelatum: cum voluntate enim hac negandi, vel de iis dubitandi, nisi retractetur, non potest stare voluntas credendi actu perfecto fidei, vt latè explicuimus *disp.præcedenti sect.vltim.*

Quid sit propriè peccatum infidelitatis.

Maior esse posset difficultas, de voluntate graui- 6
ter peccaminosa, qua aliquis nollet in vniuersum fidem audire Christianam, neque eius doctrinam: an hæc voluntas quando est peccatum mortale, sit verum, & proprium peccatum infidelitatis, provt supponere videtur Suarez *disp.* 16. *sect.*1. *num.*3. Ratio autem ex dictis esse potest, quia voluntas illa videtur proculdubio opponi ex parte obiecti, cum quoliber actu fidei: quandiu enim durat voluntas illa nihil audiendi de rebus fidei, non potest fieri actus fidei, cùm fides debeat esse ex auditu, ergo voluntas illa ex natura sua excludit omnem actum fidei. Adhuc tamen dicendum videtur iuxta regulam positam: licèt voluntas illa sit peccatum graue contra fidem, quæ non solùm obligat ad assensum, sed etiam ad auditum præstandum, non tamen esse proprium peccatum infidelitatis; quia nimirum voluntas illa non repugnat ex parte obiecti cum voluntate credendi. Primò, quia cum voluntate illa non inquirendi veram fidem, nec audiendi illam potest stare simul voluntas efficax credendi illam firmissimè, quoties sufficiéter proposita sit; quæ voluntas est actus elicitus ab habitu piæ affectionis, & habet pro motiuo formali honestatem fidei; quare iam voluntas ex parte sua amplectitur honestatem fidei licèt nolit adhibere diligentiam ad quærendam occasionem exercendi illã: sicut est actus verus obediẽtiæ voluntas, qua subditus vult obedire superiori, quoties ipsi sufficienter fuerit intimata superioris voluntas, vel mandatum, licèt interim nolit diligentiam adhibere, ad eam volũtatem inuestigandam; & quamuis in hoc ipso aliquando peccet contra obediẽtiam, & se exponat culpabili periculo inobediẽtiæ materialis: non tamen est adhuc formaliter inobediens: sic ergo in casu nostro stare potest voluntas illa non audiendi; nec inquirendi res fidei, cum voluntate credendi, propter honestatem fidei; quare voluntas illa prior non denominat hominem formaliter infidelem.

Secundò probari potest hoc ipsum; quia stante illa voluntate non audiendi, nec inquirendi 7
res fidei potest homo inuitus cogi ad eas audiendas, vel casu ipsi non quærenti ingeri potest notitia fidei, & motiua credibilitatis sufficientia ad obligationem credendi. Quo casu adhuc non retractata priori volũtate potest velle credere, quia volũtas prior non excludebat assensum fidei sufficienter propositæ, sed solùm auditionem illius, vel diligentiam ad eam inquirendam: hæc autem secunda voluntas, nec vult auditionem, nec diligentiam, antea nolitam, sed assensum fidei iam auditæ, & sufficienter propositæ. Non ergo repugnat secunda voluntas cum prima non retractata, & per consequens prior illa voluntas non excludit ex natura sua secundam voluntatem, & assensum actualem fidei propositæ, atque adeo non est proprium peccatum infidelitatis, quod tunc solùm datur, vt diximus, quando ponitur 8
peccatum repugnans ex parte obiecti, cum voluntate credendi, & cum vero fidei assensu.

Hoc supposito, dubitari solet, an peccatum infidelitatis consummetur semper in intellectu,

an verò possit consummari in ipsa voluntate, sunt enim aliqua peccata, quæ consummari omnino possunt in voluntate, vt odium Dei, inuidia, & alia eiusmodi: alia verò sunt, quæ non possunt in voluntate consummari, vt furtum, homicidium, &c. eiusmodi etiam videtur esse hæresis: nam est dissensus à fide Catholica, atque ideo requiritur etiam ex parte intellectus dissensus, vel assensus contrarius Catholicæ fidei. Quæritur ergo, an aliquod aliud peccatum infidelitatis propriæ possit in sola voluntate consummari: & loquimur non de peccato habituali infidelitatis, quod in aliquo sensu potest aliquando perseuerare in voluntate, non remanendo iam in intellectu, postquam aliquis per assensum fidei priorem hæresim retractauit, non tamen per contritionem sufficientem ad delendam maculam peccati habitualis, vt obseruauit Suarez *disp. 16. sect. 3. in fine:* sed nunc loquimur de ipso peccato actuali infidelitatis, de quo quæritur, an possit in sola voluntate consummari.

9 Negant Suarez *disp. 16. sect. 3. num. 7.* Coninch *disp. 18. dub. 3.* & alij. Affirmant Valentia *in præsenti disput. 1. quæst. 10. punct. 1. vers. tertiò quæritur,* & Hurtado *disp. 68. sect. 2.* Quæ sententia, metaphysicè saltem loquendo, vera videtur, licèt moraliter, & communiter loquendo, prior sententia vera sit. Porrò posse aliquando infidelitatem consummari in sola voluntate, sine eo quod ponatur in intellectu, probat Valentia primò ab exemplo aliorum peccatorum, quæ licèt exteriùs consummentur; aliquando tamen possunt fieri, absque eo, quod prodeant in actum externum, vt intemperantia, propositum mentiendi, & similia.

Respondet Suarez *vbi suprà num. 7.* esse differentiam, quia potentiæ externæ possunt non obedire voluntati, quia impediuntur ab aliis causis extrinsecis: intellectus verò semper obedit voluntati imperanti dissensum, vel negationem assensus: ergo non potest esse talis voluntas, quin ponatur in intellectu dissensus, vel negatio assensus prohibita. Ex hoc autem argumento, & responsione constat, sensum huius quæstionis non esse, an possit dari peccatum consummatum infidelitatis in sola voluntate, sicut odium Dei, in illa sola, consummatur: nam in exemplis illis voluntas mentiendi, & intemperantiæ, licèt non sequuto opere externo habeant totam suam malitiam in voluntate; non tamen sunt mendacium, vel intemperantia consummata, sed solùm in affectu; odium autem Dei, est omnino consummatum, quia non requirit opus externum ad sui consummationem. Sensus ergo huius quæstionis solùm est: an sicut potest dari tota malitia mendacij, vel intemperantiæ in sola voluntate, non sequuto opere externo, quod ab illa malitia denominetur malum, ita possit dari tota malitia infidelitatis in sola voluntate, absque eo, quod in intellectu ponatur dissensus, vel quidquam aliud, quod ab illa voluntate denominetur malum quod fieri posse affirmat prima sententia, & negat secunda.

10 Secundò arguit Valentia, quia si aliquis demonstratione conuictus credat animam nostram esse immortalem, cum proposito id non credendi, nisi demonstraretur: vel si crederet res fidei, cum proposito eas negandi, si oppositum meliùs probaretur, peccat in affectu, & voluntate conditionata, quam habet, non tamen in intellectu, cùm adhuc eiusmodi obiecta credat: ergo potest esse infidelitas in sola voluntate, quin transeat ad intellectum.

Respondet Suarez, tunc etiam in intellectu dari errorem, nempe hoc iudicium, non est credendum, nisi quod demonstratur; iudicat item possibiles esse rationes, quibus contrarium meliùs probetur, alioquin non haberet voluntatem illam conditionatam. Hanc responsionem impugnat. Hurtado *dicta disp. 68. §. 7.* quia potest id totum fieri absque tali iudicio erroneo: nam sicut sine tali iudicio erroneo præcedente, potest quis dissentiri rebus fidei, etiam stante iudicio euidenti credibilitatis; sic potest habere voluntatem illam conditionatam non credendi sine demonstratione, non quia iudicat ita faciendum; sed quia vellet ita facere propter aliquam rationem boni, quæ apparet in non captiuando intellectu. Quæ duo iudicia immeritò confundit. P. Coninch *dicta disp. 18. num. 24.* pro eodem reputans iudicare commodum, aut vtile esse, Deo obscurè reuelanti non credere, & iudicare saltem implicitè, non esse credendum, propter solam Dei auctoritatem, aut Deum non esse dignum fide, sine quo iudicio non posset habere homo voluntatem illam non credendi. Hoc tamen falsum omnino esse ostendimus disp. præcedenti: nam Catholicus, & hæreticus in actu primo habet vterque eadem iudicia, & æqualem libertatem, & potestatem ad credendum, & nolendum credere, & quidem Catholicus non habet illa iudicia erronea, sed vterque habet iudicium de vtilitate aliqua, & commodo, quod est in non credendo quod iudicium verum est.

Vnde idem Hurtado §. 8. aliter respondet ad 11
idem argumentum Valentiæ; nimirum dari tunc iudicium erroneum in intellectu, quo iudicat non existere reuelationem Dei de illo obiecto: nam si crederet dari talem reuelationem, non posset velle dissentiri obiecto reuelato, etiam ablata demonstratione: posito enim assensu ad præmissas, nempe ad infallibilitatem, & reuelationem Dei, non possumus dissentiri conclusioni, quæ ex illis necessariò sequitur. Hæc tamen responsio faciliùs impugnatur; quia aliud est non credere esse reuelationem Dei, aliud verò credere non esse: Ad summum sequitur, quòd ille homo tunc non credat esse reuelationem, non verò, quod crederet non esse. Dicet autem Valentia posse contingere sæpe, quod non sit peccatum non credere positiuè reuelationem, quia præceptum positiuum credendi non obligat pro semper: quare omissio mera assensus circa reuelationem, non esset infidelitas in intellectu, sed voluntas non credendi sine demonstratione esset infidelitas in sola voluntate.

Aliter ergo responderi posset ad illud Valentiæ argumentum negando tunc consummari infidelitatem in sola voluntate, quin transeat etiam ad intellectum: nam ex vi illius voluntatis ponitur in intellectu negatio assensus ad reuelationem, vel ad obiectum reuelatum propter solam reuelationem, & auctoritatem Dei: quæ omissio licèt secundùm se non esset infidelitas, nec peccatum, quia non obligat pro tunc præceptum positiuum credendi, est tamen mala, & peccaminosa, provt promanat ab illa voluntate mala non credendi propter solam auctoritatem Dei, vt in simili diximus *disp. præcedenti sect. 4.* à qua voluntate negatio assensus subsequuta, denominatur mala,

mala,& constituitur in specie infidelitatis.Quam solutionem tradidisse etiam videtur Suarez loco citato;cuius responsionem non retulit integram Hurtado : vtramque enim solutionem Suarez reddidit,dicens,in eo casu consummari quidem infidelitatem in intellectu, quia in iis casibus homo caret fide illius veritatis in intellectu, imò habet errorem, existimans non esse credendum nisi quod demonstratur, & sub eadem disiunctione de illo, qui paratus est ad dissentiendum rebus fidei, propter aliquas rationes si asserantur, dicit, quòd in eo ipso non credit,vt fidelis,seu certitudine fidei,& ideo etiam in intellectu infidelitatem habet, vel omissiuam, quia non credit sicut oportet; vel commissiuam, quia iudicat res fidei non esse infallibiles,nec dignas tanta certitudine.Non ergo alligauit solutionem Suarez ad solum iudicium erroneum, quæ quidem solutio insufficiens erat; sed recurrit etiam ad omissionem,seu carentiam fidei,quæ carentia prout posita ex vi voluntatis illius malæ, pertinet ad infidelitatem, & eam complet in ipso intellectu.

13 Tertiò arguit Valentia, quia quando aliquis dubius manet,absque iudicio tamen,quo intellectus iudicet rem dubiam esse;aut suspicetur vel formidet contra eius veritatem : sed solùm voluntas suspendat omnem assensum, vel dissensum,tunc in intellectu nihil est contra fidem,sed solùm voluntas est dubia, & ideo infidelis. Ad hoc tamen respondet Suarez iuxta suam doctrinam,quam examinauimus *Disp. præcedenti sect.* 4.non posse contingere dubiũ culpabile in rebus fidei,sine iudicio erroneo in ipso intellectu.Nos autem iuxta doctrinam nostram ibi traditam,respondere possumus, dubium tunc propriè solùm esse,quando suspensio oritur ex motiuis propositis contra fidem,propter quam voluntas imperat suspensionem actus:quæ suspensio prout imperata, & procedens ab illa voluntate mala, est etiam mala, & consummat infidelitatem,& est in intellectu : quare ex eo casu non potest argui, quòd infidelitas aliquando non consummetur in intellectu,vt obseruauimus disp.præcedenti.

14 Hurtado *dicta disp.*6 S.§.10.reiectis argumentis Valentiæ, probat aliter, posse infidelitatem consummari aliquando in voluntate, quin transeat ad intellectum : nimirum si quando præceptum eliciendi actus fidei non vrget pro tunc, dicat aliquis; *nunc volo suspendere assensum; cras autem dissentiam reuelationi ; quamuis video me teneri ad non dissentiendum.* Quo casu in voluntate est peccatum infidelitatis, sicut voluntas homicidij crastini, est hodie peccatum iniustitiæ,licèt effectus non ponatur hodie. Rursus in intellectu non est hodie infidelitas, quia omissio assensus hodierni non est contra præceptum fidei, cùm videat homo se non teneri ad credendum hodie actu positiuo : datur ergo hodie peccatum infidelitatis in sola voluntate.

Hoc etiam exemplum nobis non placet, quia nomine *infidelitatis*,simpliciter,& absolutè diximus intelligi peccatum excludens ex natura sua, & ratione obiecti omnem actum fidei,& ideo excludens etiam ipsum habitum. Vidimus autem *suprà disput.*14. *de confessione externa fidei sect.* 5.§.4.merum propositum relinquendi fidem anno sequenti non esse propriè infidelitatem,nec impedire actum fidei tempore intermedio, nec excludere habitum fidei : sicut nec propositum acceptandi cras fidem facit hodie simpliciter fidem. Quamuis autem in casu posito excluderet etiam actum fidei præsentem, quatenus est voluntas suspendendi nunc assensum; hæc tamen exclusio fidei præsentis esset per accidens, nec proueniret à voluntate illa,quatenus infidelitas est; sed potiùs quatenus est voluntas licita suspendendi nunc assensum, quia non est debitus:infidelitas verò debet excludere assensum fidei,quatenus infidelitas formaliter est,& ideo est infidelitas,quia excludit assensum fidei.Cùm autem voluntas illa non suspendat assensum, nisi quia debitus non est,non opponitur obligationi credendi,quare si postea appareret obligatio credendi hodie,non excluderetur assensus fidei, ex vi prioris illius voluntatis, quæ solùm impedit assensum nõ debitum hodie. Adde,exclusionem illam,prout illis verbis exprimitur,non esse vniuersalem; solùm enim suspendit nunc assensum, & vult cras dissentire: vnde ex vi illius voluntatis non impeditur assensus fidei, hodie vesperè, vel nocte, sed solùm nunc. Quamuis autem fingeretur voluntas suspendendi assensum,hac tota die, quia non est debitus, & cras statim dissentiendi fidei, adhuc hodie ea voluntas non esset propriè infidelitas, quia hodie, vt diximus,non impedit assensum, quatenus est voluntas mala, sed quatenus est voluntas licita non eliciendi assensum fidei non debitum.

Petes,quid si voluntas illa non suspenderet hodiernum assensum præcisè,quia non est debitus, 15
sed etiam territa motiuis,& argumentis propositis contra nostram fidem.Respondeo ex supradictis, illud fore propriè peccatum infidelitatis; quia vt diximus *Disp.præcedenti sect.*4. voluntas illa esset retractatio virtualis, & implicita status fidelitatis,& excluderet assensum fidei & statum fidelitatis, quatenus esset voluntas mala, & approbans motiua contra nostram fidem,& ponens hominem in eo statu, vt quandiu voluntas illa non retractatur,non posset velle elicere assensum fidei, omnino firmum. Tunc tamen infidelitas non esset solùm in voluntate,sed etiam in intellectu, quia suspensio & omissio assensus, prout procedens ab illa mala voluntate infideli, esset mala,& habens malitiam infidelitatis, prout latiùs explicuimus *vbi suprà dicta sect.*4.

His ergo exemplis omissis, afferre possumus 16
aliud exemplum metaphysicum, magis quam morale,& ideò dixi suprà posse metaphysicè consummari infidelitatis peccatum in sola voluntate;casus autem esset,si posita voluntate infideli dissentiendi positiuè rebus fidei, Deus negaret concursum intellectui ad eliciendum dissensum; tunc enim haberet se sicut voluntas mouendi manum ad homicidium, cui manus non obediret, eò quòd ligata, vel impedita esset ab exercitio:sic intellectus, negato Dei concursu ad dissensum, non obediret voluntati, & per consequens maneret tota malitia in sola voluntate, quin transiret ad intellectum,in quo nõ poneretur actus imperatus incredulitatis. Idémq; esset, si Deus homini nescienti negaret ex se, & antecedenter ad voluntatem hominis concursum ad assensum fidei,vel ad dissensum,& homo voluntate infideli imperaret sibi negationem assensus; tunc enim videtur etiam malitia tota manere in voluntate sola : nam licèt esset etiam in intellectu negatio assensus,malè volita;illa tamen negatio non procederet à voluntate mala,sed haberet se

se concomitanter; cùm negatio illa procederet ex defectu concursus aliunde à Deo negati independenter ab illa mala voluntate. Non posset ergo omissio assensus denominari mala extrinsecè à voluntate illa, à qua non procedit, nec dependet & per consequens tota malitia, & omnis actus malus maneret in sola voluntate, & nullus in intellectu.

17 Quamuis autem videri posset casus hîc possibilis, solùm de potentia Dei absoluta, atque adeò manere in vniuersum verum, quod non possit ex natura rei peccatum infidelitatis consummari in voluntate: in rigore tamen hoc ipsum videtur posse concipi aliquando possibile, iuxta ipsam naturam intellectus; qui quidem cùm sit potentia finita, habet virtutem limitatam, nec potest simul plures, & plures actus absque termino elicere. Ponamus ergo habere iam in hoc instanti tot actus, quot simul potest habere; tunc licèt voluntas imperet illi dissensum rebus fidei, non poterit intellectus tũc obedire, cuius virtus tota inuenitur exhausta: quare habebit se sicut manus, quæ non obedit voluntati imperanti motum, eo quod ligata vel impedita sit, & per consequens manebit tunc tota infidelitatis malitia in voluntate sola, quin sit quidquã in intellectu, quod denominetur malum ab illa malitia. Idem esset, si voluntas imperaret dissensum ex odio in fidem, & tunc in intellectu non essent applicata motiua ad actum positiuum dissensus; non posset enim poni tunc dissensus imperatus, ex defectu obiecti nondum sufficienter applicati. Deniq; idem esset, si imperaretur ex eodem fidei odio, suspensio assensus fidei; qui tamen assensus tunc aliunde non posset elici, ex eo quòd motiua assentiendi non essent applicata intellectui, nec possent eo instanti applicari: nam tunc etiam negatio actus fidei, non procederet ab illo imperio prauo voluntatis, sed aliunde & ex defectu motiui ad assentiendum. Quos casus omnes fateor esse Metaphysicos, non tamen impossibiles etiam ex natura rei. Hinc autem patet responsio ad fundamenta, quibus Suarez suam assertionem probabat.

18 *An quando infidelitas consummaretur in voluntate quin transiret ad intellectũ id sufficeret ad expellendum habitum fidei infusæ.*

Dubium esse posset, an quando infidelitas consummaretur in voluntate, quin transiret ad intellectum, id sufficeret, ad expellendum habitum fidei infusæ. Videtur enim non sufficere, quia reuera, licèt posita sit tota infidelitatis malitia in voluntate, non est tamen infidelitas consummata: sicut non est homicidium consummatum, vel periurium, licèt ponatur voluntas efficax occidendi, vel peierandi, si reipsa non ponatur occisio, vel periurium volitum, nec incurruntur pœnæ homicidij, vel periurij. Habitus autem fidei non perditur, nisi posito peccato infidelitatis, vt habetur ex Tridentino *sess. 6. cap.* 10. Verius tamen videtur, debere eo casu perdi fidei habitum, provt etiam concedit Hurtado *dicta disp.* 68. §. 13. & ratio est, quia huiusmodi pœnæ, quæ infliguntur à solo Deo, sequuntur forum diuinum, in quo voluntas pro facto reputatur, nec malitiam, aut punibilitatem auget actus externus carens noua libertate, qualis est actus intellectus, vel eius carentia, sed tota punibilitas attenditur, secundùm gradũ malitiæ, quę est in volũtate. Nec ex hoc quod auferatur habitus fidei, qui erat in intellectu, sequitur peccatum illud consummari in intellectu, in quo ponitur carentia illius habitus. Nunc enim non agimus de consummatione infidelitatis quoad pœnam, sed de consummatione quoad peccatum. Consummatur itaque pœna illius infidelitatis in intellectu, si ab eo auferatur habitus infusus in pœnam illius peccati. Cæterùm peccatum ipsum non consummatur intrinsecè in intellectu, in quo tunc nec ponitur malitia formalis (quæ semper est in sola voluntate) nec etiam aliquod materiale, seu subiectum malitiæ, quod denominetur peccatum infidelitatis, sed solùm ponitur pœna peccati, quæ non est pars intrinseca ipsius peccati. Denique quando Tridentinum dixit, infidelitate amitti fidem; intelligi debet iuxta subiectam materiam: cùm enim agatur de pœna infligenda in foro Dei, culpa etiam intelligitur iuxta Dei forum, in quo ad infligendam pœnam non attenditur, an peccatum sit consummatum, necne, per actum externum, vel quasi externum, qui non auget malitiam, nec punibilitatem in ordine ad Deum. Sic enim idem Concilium in eodem loco dixit, gratiam Dei amitti aliis peccatis præter infidelitatem, qualia sunt fornicatio, adulterium, mollities, furtum, ebrietas, &c. vbi certè non restrinxit assertionem Concilium ad hæc peccata solùm consummata per actum externum, sed iis nominibus intellexit etiam eadem peccata non prodeuntia in actum externum, si tamen sit voluntas mortaliter mala quamuis per accidens non potuerit extra voluntatem consummari.

19 *An malitia infidelitatis sit in voluntate, an verò in intellectu tanquam in subiecto?*

Ex dictis inferri iam potest facilè decisio aliorum dubiorum. Primum esse solet, an malitia infidelitatis sit in voluntate, an verò in intellectu tanquam in subiecto. De quo agunt vltra alios ab iis relatos, Suarez *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 2. *& seqq.* & Hurtado *disp.* 67. Quod dubium generale est, vt bene aduertunt prædicti Doctores, & tractari solet in prima secundæ de omni peccato, quod consummatur per actionem externam, an malitia moralis primariò reperiatur in obiecto, seu actu externo, & inde refundatur in voluntatem; an è contra, primariò sit in voluntate, & inde refundatur in obiectum, seu actum externum: Et omissis variis dicendi modis, qui forsasse non tam reipsa, quàm vocibus differunt, ego in tractatu de actibus humanis dixi, malitiam moralem fundamentalem, seu radicalem, vel obiectiuam reperiri, in obiecto ipso, seu actu externo malo, ex quo refunditur malitia formalis in voluntatem liberam illius obiecti: malitiam verò formalem moralem primariò reperiri in voluntate: quæ sola est formaliter & immediatè libera, & inde deriuati in actum externum liberum, qui ab ea voluntate denominatur extrinsecè, & mediatè malus, malitia formali. Nam homicidium v.gr. antecederet ad voluntatem est malum obiectiuè, & dissonum rationi, & ideo voluntas libera illius est mala, malitia morali formali, à qua voluntate mala, denominatur etiam malum, & peccatum ipsum homicidium externum imperatum ab illa voluntate mala: In quo autem consistat malitia illa fundamentalis, & obiectiua, quæ se tenet ex parte obiecti: an in oppositione ad legem, vel ad rectam rationem, vel ad naturam rationalem, an in præponderantia boni contrarij, vel in aliquo alio, est quæstio longa, de qua dixi in prædicto loco. Nunc ergo solùm breuiter dicimus, infidelitatem, quæ est in intellectu, nempe dissensum, vel carentiam assensus debiti, habere se respectu voluntatis, tanquam obiectum, vel actum externum illius. Quare malitia obiectiua, seu fundamentalis infidelitatis reperitur in intellectu, &

inde

inde deriuatur malitia moralis formalis in voluntatem: ideo enim voluntas infidelitatis est mala malitia formali, quia infidelitas intellectualis, seu dissentire, aut non assentiri, provt oportet rebus fidei est malum obiectiuè. Postquam verò voluntas liberè vult illum dissensum, vel carentiam assensus debiti, ipsamet voluntas est primariò mala malitiâ formali infidelitatis, & inde derivatur extrinsecè hæc eadem malitia formalis in dissensum, vel carentiam assensus debiti, volitam, & imperatam per voluntatem illam malam: Itaque dissensus, v.g. de se, & antecedenter ad voluntatem est malus, malitiâ obiectiuâ; non est tamen de se malus malitiâ formali, sed ideo, quia est volitus, & imperatus per voluntatem malam. Nec in hoc potest esse controuersia de re, si termini explicentur, & percipiantur.

20 *An peccatum infidelitatis sit peccatum commissionis, vel omissionis.*

Secundum dubium esse solet; an peccatum infidelitatis sit peccatum cõmissionis, vel omissionis; vel saltem; an possit aliquando esse peccatum omissionis: de quo agit Suarez *disput. 16. sect. 1. num. 5. & sequentibus*, & affert argumenta pro vtraque parte: videtur enim esse peccatum omissionis; cùm infidelitas consistat in ignorantia, quæ videtur esse carentia scientiæ, & quia hoc peccatum est contra præceptum credendi, quod est affirmatiuum, & per consequens violatur peccato omissionis; sicut præceptum audiendi Missam, dandi eleemosynam, & alia præcepta affirmatiua. Aliunde verò videtur esse peccatum commissionis, nam infidelis ille solus est, qui repugnat, & resistit fidei, vt indicat S. Thomas *hac quæst. 10. art. 1.* repugnare autem, & resistere significat actum positiuum. Ipse verò Suarez concludit, vtroque modo posse committi peccatum infidelitatis, nempe omissione, vel commissione. Nam duplex est præceptum fidei, alterũ affirmatiuum credendi, & audiendi fidem; & hoc præceptum violari potest omissione: alterum est præceptum negatiuum non dissentiendi, nec credendi aliquid fidei contrarium; & hoc præceptum violatur commissione, nempe dissensu positiuo, vel assensu contrario. Negat tamen posse esse peccatum omissionis pertinens ad infidelitatem contra præceptum affirmatiuum credendi, nisi quatenus aliquis non vult audire res fidei, sibi nondum sufficienter propositas.

21 Ego paulo aliter dicendum puto. Et in primis suppono ex [illegible] secundæ iuxta sententiam meam, nullum posse esse peccatum puræ omissionis, sine aliquo actu voluntatis. Hoc tamen parum refert ad hanc quæstionem, quia in omni sententia conceduntur aliqua peccata cõmissionis contra præcepta negatiua, vt furtum, homicidium, &c. & alia peccata omissionis contra præcepta affirmatiua, vt omissio missæ, omissio baptismi &c. Non quia hæc peccata fiant sine vllo prorsus actu voluntatis: semper enim interuenit nolitio missæ audiendæ, vel baptismi; vel certè volitio alterius obiecti incõpossibilis cum missa, vel eius volitione. Dicuntur tamen peccata omissionis, quia obiectum per legem prohibitum, & malum non est aliquid positiuum, sed omissio Missæ, vel baptismi, &c. Hoc autem ipsum quæri videtur de peccato infidelitatis: an licèt semper includat actum voluntatis, obiectum tamen circa quod versatur, nempe infidelitas posita in intellectu, debeat esse positiua; an verò aliquando possit esse omissio actus positiui. Nec etiam est dubium, quod frequenter sit peccatum commissionis, quando habetur dissensus, vel error positiuus contra fidem; tunc enim est contra præceptum negatiuum non dissentiendi fidei: sed dubium est an possit aliquando esse peccatum omissionis contra præceptum solum affirmatiuum.

In primis ergo non est dubium, quod possit 22
contra fidem fieri peccatum omissionis, nam præceptum credendi est affirmatiuum, & obligat aliquando ad actum fidei positiuum eliciendum, quo casu omissio illius actus directè, vel indirectè volita, erit peccatum omissionis contra fidem; sed dubium est, an possit etiam esse peccatum infidelitatis, quod sit omissionis: non enim omnia peccata contra fidem sunt peccata infidelitatis. Quod dubium pendet omnino ex iis, quæ diximus supra disput. præcedenti de peccatis quibus habitus fidei amittitur. Cùm enim nomine *infidelitatis* propriè sumptæ intelligamus ea solùm peccata, quæ omnino excludunt actum fidei, atque ideo excludunt etiam eius habitum infusum; consequens est, vt si aliquod peccatum omissionis habeat hos effectus, concedendum etiam, sit peccatum infidelitatis, quod sit peccatum omissionis.

Quare non placet in primis, quod Suarez *vbi supra num. 7.* enumerat inter peccata infidelitatis peccatum omissionis, quo aliquis negligit audire res fidei: nam vt supra vidimus, hæc non est propria infidelitas sufficiens ad excludendum habitum fidei, si fortè in baptismo infanti infusus fuisset, quia cum ea voluntate & negligentia culpabili non retractata statim, vel [illegible], quod casu, vel inuito ingeratur alicui notitia fidei, & eam sufficienter propositam, aliquis credat. Erit ergo illud peccatum omissionis, & contra fidem, non tamen infidelitas propriè dicta. Sic etiã secundò displicet, quod docet idem Suarez, contra fidem sufficienter propositam non posse esse peccatum omissionis: nam voluntas nunquam credendi fidem sufficienter propositam, est verum peccatum infidelitatis excludens habitum fidei, vt *suprà* vidimus: & tamen habet pro obiecto solam carentiam actus fidei, quod est propriũ peccati omissionis, & est solùm, & directè contra præceptum affirmatiuum aliquando credendi, contra quod præceptum peccatur peccato omissionis.

Magis dubitari posset de peccato illo, quo vo- 24
luntas territa motiuis & argumentis contra fidem, imperat intellectui suspensionem assensus, & dissensus, quod diximus suprà esse propriè peccatũ, infidelitatis, licèt nullus ponatur actus erroneus in intellectu, sed mera suspensio. An verò peccatum hoc dicendum sit omissionis, vel commissionis, potest esse quæstio fortasse de vocibus. Nam in intellectu nullus actus positiuus ponitur, sed mera negatio actuum: quæ videtur esse peccatum omissionis. Aliunde verò videtur dicendum peccatum commissionis, quia non est contra præceptum affirmatiuum, cum tunc non vrgeat præceptum positiuè credendi, vt suppono; sed solùm videtur esse contra præceptum negatiuum non dubitandi de fide, nec approbandi motiua contra fidem, aut recedendi à statu fidelitatis, provt recedere videtur, qui voluntate approbat virtualiter motiua contra fidem, dum eorum intuitu imperat suspensionem assensus. Quæ omnia videntur esse præcepta negatiua, atque ideo violantur peccato commissionis; nempe approbatione illa virtuali, & dubio,

ac

ac recessu à statu fidelitatis. Qui loquendi modus mihi magis placet: quia licèt in intellectu ponatur sola omissio actuum, & hæc ipsa omissio sit mala, provt imperatur ab illa voluntate formidolosa: si tamen res attentè consideretur, in ipsa omissione, quæ est in intellectu non apparet malitia etiam obiectiua, quia illa omissio secundùm se non prohibetur, sed illa vt procedens à tali imperio formidoloso: quare non potest dici peccatum omissionis: hoc enim iuxta regulam supra positam opponitur præcepto affirmatiuo, & ideo omissio actus præcepti debet esse obiectiuè mala. Cùm ergo in casu nostro omissio assensus non sit secundùm se mala, malitia obiectiua, nec prohibita, sed solùm vt imperata ab illa voluntate formidante; consequens est, vt imperium illud, & approbatio talium motiuorum sit, quod prohibetur, atque ideo præceptum sit magis negatiuum, quàm affirmatiuum, & violatio illius magis sit peccatum commissionis, quàm omissionis.

25 *An ignorantia ipsa in rebus fidei sit peccatum, an verò solum effectus peccati?*

Hinc etiam facilè infertur obiter decisio alterius dubij; an ignorantia ipsa in rebus fidei sit peccatum; an verò solùm effectus peccati. Aliqui enim hoc secundum indicant. Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 118. *cap.* 2. & alij, quos affert; Suarez *in præsenti disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 5. quia ignorantia est carentia habitus, seu scientiæ habitualis, quæ carentia videtur esse solùm effectus negligentiæ sciendi. Alij verò meliùs, quos affert, & sequitur idem Suarez ibi, dicunt ipsam ignorantiam esse peccatum, & malâ formaliter denominatiuè à negligentia voluntatis, à qua procedit. Intelligendo nomine *ignorantiæ* non carentiam habitus, sed carentiam actus, quæ ipsa aliquando est prohibita, & mala obiectiuè, atque adeo tunc carentia ipsius notitiæ actualis erit peccaminosa, per denominationem à voluntate mala, à qua procedit.

26 *An peccatum omissionis, & commissionis intra idē genus infidelitatis differant specie, vel solo numero, & materialiter.*

Aliud dubium magis de re esse solet; An peccatum omissionis, & commissionis intra idem genus infidelitatis differant specie, vel solo numero & materialiter. De quo idem Suarez *dicta sect.* 1. *num.* 10. vbi concludit differre specie; quia habent se sicut peccatum odij Dei, & peccatum non diligentis Deum; quæ specie differunt, & opponuntur diuersis præceptis: aliud enim est præceptum negatiuum prohibens odium Dei, & aliud præceptum affirmatiuum diligendi Deum: sic etiam in præsēti aliud est præceptum negatiuum non dissēdiendi Deo, neque negandi res fidei, aut de iis dubitandi, aliud est præceptum affirmatiuum audiendi res fidei, & credendi illas. Ego in hoc puncto distinguendum censeo: inuoluitur enim duplex quæstio diuersa. Prima est, An assensus erroneus contra fidem habitus ex ignorantia grauiter culpabili differat specie quoad malitiam ab assensu erroneo habito sine tali ignorantia, & per consequens omissio diligentiæ debitæ ad inquirendam veritatē sit peccatum diuersę speciei, à peccato commissionis facto in assensu hæretico contra Ecclesiæ doctrinam sufficienter propositam. Secunda quæstio esse potest, An peccatum omissionis, quando quis non elicit actum fidei, quem tunc debebat ex fidei præcepto habere, differat specie à peccato commissionis, quo hæreticus mente sua positiuè negat articulum aliquem nostræ fidei. Quod ergo attinet ad primam quæstionem, non oportet de ea plura dicere, cùm latiùs explicuerim, & probauerim meam sententiam de eo puncto, *Disput.* 16. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 187. *& sequentibus*, vbi dixi, ea duo peccata non differre specie: est enim regula satis communis apud Theologos; peccatum ex ignorantia, & malitia factum, non pertinere ad diuersas species malitiæ moralis, sed ad eandem, quam regulam locum etiam habere in hac materia probaui latiùs in prædicto loco. Vbi tamen *num.* 183. *& sequenti* notaui, hanc regulam intelligi, quando ignorantia non est causa, nec exponit periculo contrahendi aliam malitiam alterius speciei ab ea, quæ contraheretur, si idem peccatum absque ignorantia fieret: nam qui carnaliter v. g. cognoscit fœminam coniugatam cum ignorantia culpabili adulterij, & quod illa habeat virum, contrahit quidem malitiam adulterij, & simul potest habere malitiam incestus, vel contra religionem, si propter illam ignorantiam exponit se culpabiliter periculo cognoscendi consanguineam, vel monialem. Quod idem in materia nostra contingere potest: nam aliquando ignorantia circa res fidei culpabilis potest hominem exponere periculo contrahendi alias malitias, & peccandi contra alia præcepta: vt si ex ignorantia culpabili neget aliquis præsentiam Christi in Eucharistia, non solùm contrahit malitiam contra fidem; sed etiam contra religionem; cùm exponat se periculo non deferendi debitum cultum illi sacramento, nec illud provt oportet suscipiendi, & sic de aliis. Quando verò ignorantia illa culpabilis solùm affert negationem illius articuli, dicimus non esse malitiam specie diuersam à malitia negantis eundem articulum absque tali ignorantia.

Inuoluitur duplex quæstio in hoc puncto.

27 Addo, regulam hanc ita esse vniuersalem, vt etiam in ipso peccato omissionis, cùm proportione habeat locum. Si enim comparemus eum, qui ex ignorantia culpabili non elicit actum fidei debitum, & peccat peccato omissionis contra præceptum affirmatiuum credendi res fidei, cum eo, qui non ex ignorantia, sed scienter committit etiam peccatum omissionis, nō credendo, nec eliciendo actum fidei, quem debet elicere; vtrumque peccatum erit eiusdem speciei: nam quòd fiat, vel non fiat ex ignorantia, non variat speciem malitiæ; sicut qui omittit auditionem missæ in die festo ex ignorantia culpabili, quòd sit dies festus, & qui absque ea ignorantia non audit missam, vterque peccat, peccato eiusdem speciei, vt cum communi Doctorum sententia probauimus *loco citato*.

28 Quod verò attinet ad secundam quæstionem propositam, facta comparatione inter peccatum illius, qui non credit quando debet elicere actum fidei, & illius, qui habet assensum erroneum contra doctrinam fidei, admittendam credo doctrinam illam Patris Suarez, & fatendam differentiam specificam inter hæc duo peccata. Non enim distinguuntur specie peccata, vt diximus, propter ignorantiam, vel malitiam, sed propter diuersitatem præceptorum, aut virtutum, quibus opponuntur. Videntur autem esse valde diuersa hæc duo præcepta, nempe præceptum affirmatiuum credendi, & præceptum negatiuum, non dissentiendi. Ad quod deseruit exemplum adductum charitatis, quæ licet sit eadem virtus, habet tamen duo præcepta valde diuersa, alterum affirmatiuum diligendi Deum, quod quia affirmatiuum est, non obligat pro semper, sed in certis temporibus: Alterum negatiuum; non odio habendi

habendi Deum: quod, quia negatiuum est, obligat semper, & pro semper; & ideo peccatum odij Dei differt specie à peccato omissionis dilectionis Dei. Sic etiam fides habet duo præcepta, alterum affirmatiuum credendi Deo, quod quia est affirmatiuum, non obligat pro semper; sed certis temporibus, cui præcepto aduersatur peccatum omissionis. Alterum est præceptum negatiuum non dissentiendi Deo, nec credendi contra eius reuelationem, aut de ea dubitandi; quod præceptum quia negatiuum est, obligat semper, & pro semper, & hæc duo peccata differunt specie, sicut & præcepta quibus opponuntur.

29 Dices peccata non differunt specie, nisi penes diuersas rectitudines, quibus priuant, nam malitia iuxta communem sententiam consistit in priuatione rectitudinis debitæ: sed rectitudo, quia vtrumque illud peccatum priuat, est eadem, nempe rectitudo debita fidei; ergo & malitia opposita est eadem in vtroque peccato. Respondeo, rectitudinem nõ esse eandem, sed diuersam. nam rectitudo vnius virtutis non est simplex; sed plerumque cõposita ex duplici rectitudine partiali. Exemplum habemus in temperantia, quæ præcipit moderamen in cibo, contra quam virtutem peccat, qui excedit in cibo, quod est peccatum gulæ; & peccat etiam, qui deficit in cibo debito non comedẽdo quantum necessitas exigit, quod non est quidem peccatum gulæ, sed alterius speciei. Quia nimirum lex temperantiæ non est simplex, sed composita ex duabus legibus, quarum altera prohibet excessum cibi, altera præcipit cibum, vsque ad talem mensuram. Et quidem, qui excedit in cibo non peccat contra legem præcipientem cibum necessarium; sed retinet totam rectitudinem illius legis: & peccat contra alteram legem prohibentem excessum, cuius rectitudini opponitur gula; Et è contra, qui deficit in cibo necessario, nõ peccat contra legem prohibentem excessum, sed totam eius rectitudinem retinet; peccat tamen contra alteram legem, & eius rectitudinem violat. Idem inuenitur in liberalitate, quæ præcipit sumptus necessarios, & prohibet superfluos, atque ideo duas complectitur leges; quarum vnam præcipientem vsus necessarios violat auarus, qui tamen retinet totam rectitudinem alterius legis prohibentis superfluos; quam legem violat prodigus, retinens totam rectitudinem alterius legis præcipientis sumptus necessarios; & ideo illa duo peccata auaritiæ, & prodigalitatis differunt specie, quia licèt videantur esse contra eandem virtutem, non sunt tamen contra eandem rectitudinem indiuisibilem, sed contra diuersas rectitudines partiales, seu contra diuersas partes, & leges vnius rectitudinis totalis quod idem in aliis multis virtutibus inueniri potest. Hoc ergo ipsum dicendum de rectitudine fidei, quæ quidem complectitur plures rectitudines, & leges: nempe legem non dissentiendi, & legem credendi; quare qui non dissentit, retinet vnam rectitudinem; & seruat vnam legem negatiuam fidei, sed non retinet alteram rectitudinem affirmatiuam, si non credit positiuè quando credere debet.

30 Dices hinc sequi, quod debeant etiam specie differre peccatum eius, qui non vult audire fidem Christi ab eo, qui vult eam illi proponere; & peccatum illius, qui eandem fidem sufficienter propositam non credit. Quia sicut est duplex fidei diuersum præceptum, nempe nõ dissentiendi fidei, atque etiam positiuè eam credendi, & ideò illa sunt diuersa peccata; sic etiam videntur esse duo præcepta diuersa: alterũ audiendi fidem, alterum eam credendi: qui enim loquitur vtrumque petit ab audiente, scilicet attentionem, seu auditum, atque etiam fidem. Vnde qui audit fidem, & non credit, violat quidem secundum præceptum, sed obseruat primum, & retinet illius rectitudinem; nec enim negat Deo auditum, & attentionem, sed assensum: qui autem non audit, violat etiam primum præceptum. Responderi potest negando sequelam, quia illa duo præcepta audiendi, & credendi, licet videantur esse diuersa, sunt tamen formaliter vnum, vt dixi *disp.* 13. *sect.* 2. quia sunt subordinata, ita vt vnum sit propter aliud, nam auditus propter fidem: qui enim loquitur, non petit auditum nisi propter fidem: nam vt sæpe diximus, loquutio ordinatur ad communicandam propriam mentem, quam loquens intendit communem, & eandem habere cum audiente, & quod idem sit vtriusque sensus, ad quem finem exigit auditum, & attentionem: idem ergo est finis vtriusque præcepti, nempe fides ad quam auditus exigitur, vt medium necessarium. Cùm autem malitia desumatur ex fine præcepti, & non ex re præcepta materialiter considerata, consequens est, vt sicut illa duo præcepta audiendi, & credendi non differunt formaliter ex fine, ita nec eorum violationes differant formaliter, sed solùm materialiter, & numericè. Aduerte tamen differentiam hanc 31
specificam, quam diximus esse inter duo illa peccata dissentientis, & non credentis, parum fortasse referre ad praxim: nam communiter, qui moraliter violat legem audiendi, vel credendi fidem, nolendo eam audire, vel etiam sufficienter sibi propositam credere, peccat etiam contra alterum præceptum, non dissentiendi, & non negandi res fidei. Quod ex supradictis, colligitur, quia ad contrahendam malitiam grauem infidelitatis, sufficit exponere se sine causa periculo graui illius: qui autem non vult audire, vel auditam credere fidem Christianam sine causa, exponit se manifesto periculo credendi errores multos contra illam, vt constat experientia, & omnes fatentur, quod periculum præcauere debebat; ergo ex hoc saltem capite contrahit malitiam illius, qui non solùm non credit, sed etiam dissentitur rebus fidei. Vix etiam vnquam contingere potest, vt qui fidem non credit, vel oblatam, non vult audire, non habeat actum positiuum, quo eam saltem dubiam iudicat, qui actus iam erit contra præceptum negatiuum, non negandi, nec dubitandi de rebus fidei. Solùm posset locum habere illa differentia; quando aliquis peccat contra præceptum affirmatiuum fidei, non propter difficultates, vel argumenta contraria; sed propter alias occupationes, quibus vult attendere; & ideo non elicit actum positiuum fidei, quem tunc ex directo fidei præcepto debebat elicere: sed in primis illud non esset propriè peccatum infidelitatis, de quo potissimùm nunc loquimur, licèt esset peccatum contra fidem: & deinde casus ille rarissimus erit, & vix vnquam continget, occupationes, vel quidquam aliud præter motiua intrinseca, & argumenta contra fidei veritatem, retardare ab assensu præstito præstando, qui ita breuiter, & facilè elici potest, superata iam

iam semel difficultate ex parte motiuorum contrariorum. Quòd si fingas occupationes saltem retardare ab examinanda credibilitate alicuius articuli, cuius fides explicita debita erat tunc directè ex præcepto fidei: Respondeo, vix posse hoc in homine Christiano contingere, nisi ex negligentia in addiscenda doctrina Christiana; & rebus, quas debet explicitè scire, & credere, de qua negligentia quando interuenit peccatum mortale, debet pœnitens se distinctè accusare, nec sufficit dicere, se peccasse contra fidem, aut non credidisse res fidei: nam ex hoc modo se accusandi Confessarius concipiet potiùs peccatum infidelitatis, quo contra fidei veritatem senserit, quàm negligentiam solùm in addiscendis rebus fidei, quod est peccatum specie diuersum.

32 *An peccatum dubitantis solùm de rebus fidei, differat specie à peccato sentientis positiuè, & absolutè contra illam?*

Quæret aliquis; an peccatum dubitantis solùm de rebus fidei, differat specie à peccato sentientis positiuè, & absolutè contra illam. Respondeo, dupliciter posse illud peccatum dubij contingere. Primò habendo iudicium, quo dicas res illas esse dubias, vel fortasse aliter esse, vel non esse omnino certas, &c. & tunc peccatum videtur esse per se loquendo eiusdem rationis cum peccato sentientis absolutè contra fidem. Nam eo casu licèt non negetur absolutè Incarnatio, v.g. vel Eucharistia, sed dubitetur solùm de illis: negatur tamen certitudo Incarnationis, vel Eucharistiæ, quæ certitudo non est minùs de fide, quàm sit ipsa Incarnatio, vel Eucharistia. Parum autem refert, quòd negetur Eucharistia, vel eius certitudo, cùm vtraque sit æquè de fide, & æquè certa. Dixi, *per se loquendo*, quia si negatio absoluta articuli haberet aliunde malitiam aliam, eo quod redderet hominem alterius sectæ, & addiceret aliis ritibus contra religionem, vel tolleret vsum debitum rituum debitorum religionis Catholicæ, quam malitiam non afferret mera dubitatio, iam inde possent illa duo peccata differre specie: hoc tamen esset per accidens, vt dixi. Secundò posset illa dubitatio haberi sine iudicio eiusmodi positiuo erroneo, sed per solam suspensionem assensus imperatam à voluntate formidante, hoc est, mota argumentis, & motiuis ab intellectu propositis contra veritatem fidei, vt explicuimus *disp. præcedenti sect. 4.* Et videtur hoc peccatum minùs graue esse, quàm dissensum rebus fidei, cùm solùm sit dubium per modum suspensionis. Itaque, si sit, cum deliberatione sufficienti ad mortale, videtur non differre specie à dissensu, quia vt prædicto loco diximus, est æquiualenter dubium positiuum: nam licèt intellectus non iudicet positiuè incertitudinem obiecti, voluntas tamen videtur eam approbare, cum approbet motiua ad formidinem, & eorum intuitu imperet suspensionem assensus: & ideo diximus esse æquialenter assensum de incertitudine, & formidinem intellectualem, & excludere habitum fidei, quia excludit statum fidelitatis, & denominat hominé infidelem: quare in ordine ad mores, vtrumque peccatum pro eodem videtur reputari.

SECTIO II.

Comparatur grauitas infidelitatis cum aliis peccatis.

33 DE hoc agit S. Thomas *quæst. 10. art. 3. & infrà quæst. 20. art. 3.* vbi comparat desperationem cum infidelitate, & odio Dei, & *qu. 34. art. 2.* vbi comparat odium Dei cum infidelitate, & desperatione. Quare operæ pretium erit, hæc omnia simul hoc loco expedire, vt postea non sit nobis necesse in aliis materiis hanc controuersiam repetere.

Itaque S. Thomas in his tribus locis docet, odium Dei ex genere suo grauissimum esse omnium peccatorum, secundo loco ponit peccatum infidelitatis, & tertio peccatum desperationis, quæ tria peccata esse dicit grauiora ex genere suo, peccatis contra alias virtutes morales, quia immediatè auertunt à Deo, quem immediatè respiciunt virtutes Theologicæ, quibus opponuntur. Addit, desperationem esse magis periculosum peccatum, quàm infidelitatem, propter maiora damna, quæ affert. P. Suarez *disp. 16. sect. 2.* approbat hanc S. Thomæ doctrinam, quam tamen *num. 6.* dicit intelligendam esse de grauitate ex genere suo: ita vt grauissimum peccatum intra genus infidelitatis, sit grauius quocunque peccato intra genus peccati contra virtutes morales, & peccatum grauissimum contra charitatem, sit grauius quocunque alio peccato, atque etiam peccato grauissimo infidelitatis. Postea tamen *disput. 2. de Spe, sect. 2. num. 5.* dicit, intra genus peccati contra spem reperiri posse peccatum aliquod grauius quocunque peccato infidelitatis. Quia nimirum à virtute spei elicitur amor concupiscentiæ erga Deum, vt bonum proprium. Quare odium Dei vt boni proprij, quod directè opponitur illi amori, opponitur etiam spei, & est grauius peccatum ex genere suo omni infidelitate, & hæresi; quia est magis directa, & formalis auersio à Deo, & quia immediatè attingit Deum, infidelitas verò, solùm mediante actu nostro, & denique, quia malitia, seu culpa ipsa est immediatè in voluntate: ergo ea est ex suo genere grauior, quæ per se corrumpit maiorem honestatem voluntatis: sed virtus spei perfectior est, quàm fides, saltem vt fides est in voluntate, atque ideo in genere virtutis, vt probauerat *disput. 1 sect. 6.* quia fides provt est in voluntate, non est virtus Theologica, sed moralis, cùm non habeat Deum pro obiecto, sed actum credendi Deo: spes verò provt est in voluntate, est Theologica, & terminatur ad ipsum Deum. Imò addit habitum fidei intellectualem esse etiam minùs perfectum habitu spei; vnde *dicto num. 5.* concludit, summum peccatum contrarium spei, esse maius maximo peccato fidei contrario; nempe odium illud Dei, quod paulò superiùs *num. 3.* explicuerat per has voces: *volo potiùs in re alia, quàm in Deo ponere felicitatem meam*: qui actus oriri potest, vel ex ira, vel ex nimio amore creaturarum. *Loquendo verò* (inquit num. 5.) *de proprio actu desperationis, qui non oriatur ex odio Dei, sed ex tædio, vel ex alia tentatione, ob quam aliquis desistit voluntariè à prosequutione beatitudinis, tanquam à re impossibili, vel nunquam futura, probabile est infidelitatem, & maximè hæresim, esse grauius peccatum tali desperatione, propter rationem D. Thomæ.* Hæc Suarez.

Odium Dei ex genere suo est grauissimum omnium peccatorum, secundò peccatum infidelitatis: tertiò, desperationis.

34 P. Hurtado partim hac Suarij doctrina excitatus, partim aliis argumentis, non parum discessit à doctrina S. Thomæ suprà adducta. Vnde *disp. 69. sect. 3.* in primis multa affert contra id, quod S. Thomas dixerat, desperationem esse maius peccatum infidelitate, quoad reparationem, & occasionem resipiscendi; eo quod qui desperat,

non habeat principium, quo frænetur. Quam doctrinam impugnat primò, quia infidelis pauciora habet, quibus auertatur à peccato, quàm solùm desperans, nam hæreticus caret non solùm fide, sed etiam spe, quæ sine fide esse non potest; & insuper caret cognitione intellectuali fidei, quæ eũ cohibeat, quam fidei cognitionem retinet Catholicus desperans. Quod maximè locum habet in hæretico negante beatitudinem, aut pœnas futuræ vitæ: hic enim caret motiuo sperandi, aut timendi, & excludit omnem affectum circa hæc obiecta. Confirmatur, quia solùm desperans habet potentiam proximam sperandi: hæreticus autem negans præmium, & pœnam futuram, habet impotentiam proximam sperandi; cùm intellectus non assentiatur motiuis sperandi.

35 Secundò arguit, quia posita fide, est distincta difficultas in spe; sunt ergo duæ difficultates superandæ, altera in credendo, altera in sperando: Catholicus autem desperans non habet vincendam nisi vnam, idque faciliùs, quia per fidem mouetur, & inclinatur; infidelis autem habet duas; ergo difficilior est ei resipiscentia. Tertiò denique, quia ruina totius ædificij à fundamentis ægriùs instauratur, quàm ruina vnius partis: per infidelitatem autem ruit ædificium spirituale à fundamento, per desperationem verò ruit solùm pars ædificij; ergo damnum fidei difficiliùs reparatur, quàm desperationis.

Postea verò *sect.* 4. contra Thomistas docet desperationem ex specie sua obiectiua esse peccatũ grauius infidelitate, quod probat argumentis ex P. Suarez supra adductis, quæ latiùs ponderat; & vrget ex eo, quòd fides provt est virtus in genere moris, solùm habet honestatem moralem piæ affectionis, quæ affectio non est virtus Theologica, sed moralis, cùm nõ habeat Deum pro obiecto sed honestatem credendi: inde infidelitas provt est peccatum in genere moris, non videtur esse vitium Theologicũ sed morale; cùm tamen spes in genere moris habeat honestatem Theologicam, & desperatio etiam in genere moris sit vitium Theologicum, & priuans honestate Theologica. Videtur autem Hurtado magis vniuersaliter loqui de desperatione, quàm Suarez, qui id non concessit de desperatione orta ex tædio, vel alia tentatione; sed de odio Dei, vt boni nostri, orto ex ira, vel nimio creaturarum amore: quam distinctionem Hurtado non facit, sed loquitur indefinitè de peccato desperationis.

36 *Sententia Auctoris.* Ego non puto, ob hæc argumenta discedendum esse à doctrina S. Thomæ. Et in primis quod attinet ad excessum odij Dei supra infidelitatem, & alia omnia peccata, omnes conueniunt, & ratio est clara, quia charitas est suprema virtutum, & versatur circa summam, & infinitam bonitatem Dei, & per consequens habet summam honestatem obiectiuam, & summam etiam honestatem formalem ex parte sui: quare odium Dei, quod ei honestati aduersatur habet summam inhonestatem, & indecentiam: cùm directè, & formaliter, ac expressè recedat à summa bonitate, & honestate. Nam iuxta regulam Aristotelis 8. *Ethic. cap.* 5. approbatam à S. Thoma 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 4. In moralibus illud est pessimum, quod optimo contrariatur, quod maximè habet locum in casu nostro, in quo illud optimum affert etiam summum debitum amandi illud bonum, cùm sit obligatio amandi illud super omnia: quare tam ex parte boni, quod amandum est, quàm ex parte debiti illud amandi, crescit grauitas odij Dei super omnia alia peccata. Quod tamen intelligo iuxta regulam generalem suprà positã ex Suario, quod hæc comparatio intelligi debeat ex genere suo. Aliunde enim non videtur repugnare, quod peccatum aliquod infidelitatis, vel alterius vitij in indiuiduo, propter circunstantias grauissimas, quas habet, sit adeo graue, vt superet aliquod peccatum odij Dei in indiuiduo, quod vel ex passione nimia, aut vehementi tentatione excutetur aliquantulum, & decrescat eius grauitas. Nam sicut potest aliquis plura, & plura, & peccata aliorum vitiorum multiplicando adæquare pœnam, quam aliquis patitur propter vnum peccatum odij Dei, quod commisit, ita possunt tot malitiæ, & circunstantiæ aggregari, & quasi multiplicari in vno aliquo peccato alterius vitij, vt adæquet, & superet pœnam debitam alicui odio Dei; & per consequens peccatum illud adæquabit, vel superabit grauitatem illius odij Dei: nam æqualis, vel grauior pœna non correspondet nisi æquali, vel grauiori culpæ. Quamuis autem in perfectione physica non possit supremum infimi attingere infimum supremi, & ideo imperfectissimum aurum, si verè est aurum, sit perfectius perfectissimo argento; & imperfectissimus Angelus sit perfectior perfectissimo animali: in moralibus tamen excessus perfectionis physicæ compensari potest multitudine rerum inferiorum, vel ex aliis circunstantiis, vt latiùs probaui *disp.* 5. *de incarnatione sect.* 2. *n.* 21. sic enim plures monetæ argenteæ adæquant, & superant in æstimatione morali vnam monetam auream; quod potest etiam contingere in hac materia.

In moralibus illud est pessimum, quod optimo contrariatur.

Dubitari potest circa hoc ipsum an sicut peccatum odij superat ex genere suo infidelitatem, & omnia alia peccata, ita peccatum non diligentis Deum, quod fit per omissionem amoris debiti, superet ex genere suo omnia alia peccata. Videtur enim eadem esse ratio, cùm omissio etiam dilectionis Dei aduersetur charitati, & priuet summa honestate diligendi Deum. Respondeo tamen in primis ad verificandam propositionem vniuersalẽ, quòd peccata contra charitatem sint ex genere suo grauiora aliis, non esse id necessarium: ad hoc enim sufficit, quod peccatum grauissimum contra charitatem sit grauius peccato grauissimo contra alias virtutes: peccatum autem grauissimum contra charitaté non est omissio amoris debiti, sed odium Dei. Deinde addo, oppositionem contra virtutis perfectionem, facere quidem, quod peccata, cæteris paribus sint grauiora, non tamen quando cætera non sunt paria: non sunt autem cætera paria, si comparetur, v. g. omissio amoris Dei, cum peccato homicidij: nam est valde diuersus modus oppositionis, cùm homicidium opponatur positiuè, & contrariè debitò iustitiæ, & charitatis erga proximum, omissio autem amoris Dei non ita opponitur charitati, sed omissiuè, & negatiuè, quæ est multò minor oppositio ex genere suo: sicut minus aduersatur Petro affirmãti Ioannem venisse Romam, qui negat venisse, quàm qui dicit nec ipsum, nec alium hominem venisse, aut potuisse venire, quæ est assertio contraria. Non ergo mirum, quòd ex diuersa, & maiori oppositione, cùm virtute pessimi aliud peccatum superare omissionem amoris Dei. Addo denique, cum proportione debita posse in omissione amoris Dei concedi eundem excessum respectu aliorum peccatorum; nimirum ex genere suo

37 *An peccatum non diligentis Deum superet ex genere suo omnia alia peccata.*

Omissio amoris Dei debiti est grauior omissione cuiusuis alterius præcepti pertinentis ad aliam virtutem.

suo omissionem amoris Dei debiti esse grauiorem omissione cuiusuis alterius præcepti pertinentis ad aliam virtutem, & hoc propter perfectionem virtutis, cui aduersatur, & maiori debito, quo obligat. Dixi semper, *ex genere suo* quia in individuo ex aliis circunstantiis potest alia omissio grauior esse, v. g. si aliquis omittat pro hac die dilectionē Dei, quam tenebatur hodie exercere, & alius omittat amorem proximi, vel parentū per totam vitam; vel omittat etiam hodie subuenire proximo in extrema necessitate spirituali, & alioquin in æternum damnando, cui si hodie non subuenit, cras non poterit remedium ei amplius præstari, cùm tamen, licèt hodie omittatur dilectio Dei debita, & ideo peccetur, cras tamen possit Deus diligi, quæ & aliæ similes circunstantiæ facere poterunt aliquando, quod grauior sit omissio alterius præcepti, quàm dilectionis diuinæ debitæ.

83 *Desperatio an sit peccatum grauius infidelitate.*

Quod attinet ad excessum illum, quem S. Thomas consideraüit in peccato desperationis supra infidelitatem, propter difficiliorem reparationem, aduerto, Hurtadum non retulisse fideliter conclusionē S. Thomæ, dum §. 5. ponit tanquam tertiam eius conclusionem, *desperatio est maius peccatum infidelitate, quoad reparationem, & occasionem recipiscendi.* Nunquam autem S. Thomas *dicta quæst. 20. art. 3.* dixit, desperationem esse *maius peccatum*; sed si consideretur ex parte nostra esse *periculosiorem*: quod quidem, loquēdo saltem de possibili, verissimum est, posse aliquod peccatum in se minùs graue, esse nobis periculosius, propter occasiones, quas affert ad alia peccata. Imò cōtinget aliquādo, peccatū quod in se est veniale, afferre maius periculum committendi alia mortalia, quàm aliud, quod in se est mortale, v. g. nimius affectus ad ludum, cum iactura magna temporis, & bonorum fortunæ affert magna pericula periuriorum, rixarum, & fortasse blasphemiarum, quàm si aliquis omittat Missam vno die festo. Item desertio status religiosi, etiamsi absque peccato graui aliquando fiat (vt fieri contingetab aliquo, qui vota simplicia in nostra societate emisit, à quibus per dimissionem absoluitur) affert tamen plerumque secum non mediocre periculum salutis æternæ ob sæculi occasiones, & ob defectum vberioris gratiæ, & protectionis diuinæ, qua priuantur non semel, qui postquam miserunt manum ad aratrum, retro recedunt, & fiunt minùs apti regno Dei. Quod tantum periculum non subiret fortasse, qui in ipso statu religioso manens vno die omitteret diuinum officium, à quo peccato celeriùs ibi resurgeret, & faciliùs ab illo aliisque peccatis in posterum caueret. Non repugnat ergo peccatum minus graue in se afferre occasiones, & pericula pluriū peccatorum, quàm aliud, quod in se grauiorem habet malitiam.

39 Porrò peccatum desperationis, comparatum cum peccato infidelitatis esse tale, probabiliter satis suadetur rationibus S. Thomæ. Pro quo aduerte, non debere fieri comparationem hominis Catholici desperantis de propria salute, cum hæretico etiam desperante: tunc enim non compararetur desperationis periculum, cum periculo solius infidelitatis, sed cum periculo infidelitatis, & desperationis simul, quod sanè vel maius, vel æquale esset; quamuis & tunc posset fortasse aliquando maius esse periculum, Catholici desperantis, quàm hæretici negantis præmia futura, & ideo non sperantis, vt postea dicam: sed comparatio debet fieri Catholici desperātis, cum hæretico errante circa Eucharistiam, v. g. vel Trinitatem, non tamen desperante de sua salute: sunt enim hæretici plures, imò fere omnes, qui non desperant de salute, imò excedunt præsumptuosè sperantes illam, vel sine meritis, vel certè extra Ecclesiam Catholicam. Quamuis autem sine fide non possint habere actum spei supernaturalem; non tamen peccant peccato desperationis, sed præsumptionis: cum quibus si comparetur Catholicus desperans existimari potest in maiori periculo.

Prima ratio est, qua vtitur S. Thomas, quia 40
Catholicus desperans de salute, non habet motiuum maximè hominem excitans ad obseruantiam legis diuinæ, nempe retributionis spem: amittit etiam magna ex parte motiuum pœnæ, cùm hanc iam supponat sibi incurrendam, quæ duo potissimùm cohibent passiones, & concupiscentias nostras, ne in præceps nos absque fræno coniiciant. Quibus motiuis non caret hæreticus errans circa Trinitatem: adhuc enim credit, licèt non fide supernaturali, præmium, & supplicium futurum, & sperat præmium, & timore supplicij, à vitiis abstinet, prout de facto Iudæi eo motiuo legis onera sustinent: & quamuis hæreticus erret aliquando circa aliquod peccati genus, putans, v. g. vsuram, vel fornicationem esse licitas, vel iciunia non esse obseruanda, & ideo in ea materia liberiùs peccet: circa alia tamen peccata non errat, & ab iis faciliùs cohibetur, quàm qui spem præmij acquirendi, vel pœnæ vitandæ amisit. Maius ergo periculum labendi in alia crimina affert, per se loquendo, desperatio quàm hæresis, vel infidelitas.

Secundò possumus aliam rationem addere, 41
quia nimirum errans circa fidem potest euidenter conuinci de credibilitate nostræ fidei, adductis motiuis, & argumentis euidentis credibilitatis. Catholicus autem, qui retenta omnino fide, desperat, non ita facilè conuinci potest; ipse enim non ideo desperat, quia neget Dei potentiam, vel fidelitatem (alioquin iam esset hæreticus) sed quia attenta sua debilitate, & propensione ad peccandum, non credit futurum, quòd se ab hoc affectu prauo velit vnquam corrigere, & diuinæ legis obseruantiæ difficultatem subire: nec potest euidenti argumento conuinci de falsitate huius existimationis, quæ fortasse est vera: facilior ergo via suppetit, conuincendi intellectum errantis circa fidem, quàm intellectum desperantis de propria salute absque vllo iudicio erroneo contra fidem.

Vnde vlteriùs colligo id, quod paulò ante in- 42
dicaui, contingere etiam aliquando, quòd faciliùs corrigi possit hæreticus errans, circa præmia, & supplicia futura, & ideo desperans, quàm Catholicus desperans etiam de propria salute. Nam hæreticus ille potest euidentibus argumentis conuinci de credibilitate euidenti nostræ fidei circa præmia, & supplicia futura: quo errore ablato cessat pariter eius desperatio, quæ illo errore nitebatur. Catholicus verò, qui ea omnia credit non ita mouetur iis argumentis ad sperandum, cùm desperatio non oriatur ex errore, circa ea obiecta, sed ex apprehensione vehementi proprij periculi orti ex inueterata consuetudine, & affectu ad vitia: ideo dixi non solùm comparatione facta inter Catholicum desperantem, & hæreti-

Hæreticus errās circa præmia & supplicia futura, & ideo desperans faciliùs corrigi potest quàm Catholicus desperans etiam de propria salute.

cum, non desperantem, difficiliorem esse resipiscentiam illius, quàm huius: sed etiam facta fortasse comparatione Catholici desperantis, cum hæretico desperãte, desperatione orta ex iudicio erroneo circa præmia futura: si autem hæreticus desperaret, non ex errore circa beatitudinem à Deo dandam, sed ex apprehensione suorum scelerum, iam tunc periculum non esse maius in Catholico sed tunc comparatio non esset desperationis vnius, cum infidelitate alterius, sed desperationis vnius, cum desperatione alterius, quæ vtraque desperatio esset eiusdem rationis, & ideo non mirum, quod afferret idem periculum, & eandem resipiscentiæ difficultatem.

43 *Hurtadi argumenta dissoluuntur.* Ex dictis facile iam erit Hurtadi argumenta supra posita dissoluere. Ad primum, negamus, hæreticum pauciora habere, quibus cohibeatur à peccato; nam licèt non habeat fidem, & spem, supernaturales, habet tamen iudicium de obligatione seruandæ legis, circa quam obligationem non errat: habet item spem præmij, & timorem supplicij quibus cohibetur, & retinetur in obseruantia legis saltem quoad multa: quæ spes, & timor in Catholico desperante non deseruiunt ad eum finem. Imò licèt hæreticus erret circa ipsa etiam præmia futura pro iustis, & ideo videatur deesse illi aliquod motiuum, quod Catholicus desperans habet adhuc ad sperandum: aliunde tamen cùm solum desperet ex errore circa fidē beatitudinis, de cuius erroris falsitate potest facilè conuinci, faciliùs poterit habere plura motiua ad sperandum, quàm ille alius Catholicus, quia difficiliùs poterit persuaderi, vt deponat iudicium de sua futura damnatione, quod est illi motiuum desperandi.

44 Vnde ad confirmationem. Respondeo etiam in primis, parum referre, quod Catholicus desperans habeat potentiam proximam ad sperandum, quam hæreticus errans circa beatitudinem promissam non habet; si tamen impotentia proxima in hæretico faciliùs tolli possit, adductis motiuis veræ fidei, quàm possimus Catholicum desperantem inducere ad spem concipiendam. Sic enim experimur etiam difficiliùs contingere, vt hæretici gnari nostræ fidei conuertantur, & redeant ad fidem, quàm vt gentiles carentes fidei notitia ea audita inducantur ad credendum: & tamen hæretici, habent potentiam proximam ad conuersionem, quam gentiles non habebant, antequam fidem audirent. Addere tamen possumus, Catholicum etiam desperantem non habere potentiam proximam ad actum spei, quamdiu habet iudicium de sua damnatione futura, cum quo iudicio voluntas sperare non potest; habet tamen potentiam remotam, quatenus potest iudicium illud deponere.

45 Dices iudicium illud esse contra virtutem spei, quæ præcipiens spem, prohibet iudicium illud, quo actus spei impeditur, habet autem Catholicus potentiam proximam cohibēdi semper illud iudicium: & ideo dicitur habere potentiam proximam antecedentem ad seruandum præceptum spei; quia iudicium illud non est antecedens, sed consequens, seu concomitans violationem præcepti sperandi. Sed contra, quia idem poteris dicere de hæretico errante circa beatitudinem, qui quamuis, stante eo errore, non possit sperare: habet tamen potentiam semper proximam antecedentem recedendi ab eo errore, qui error non solùm est contra fidem, sed etiam contra virtutem spei, quæ præcipiens actum spei, sicut obligat ad non habendum iudicium absolutum de damnatione propria futura, quo iudicio impeditur actus spei, sic obligat ad non habendum iudicium erroneum de beatitudine non futura pro iustis, quo etiam iudicio erroneo non minùs impeditur actus spei: quare vterque haberit actu primo potentiam remotam ad actum spei, & proximam ad impediendum illud iudicium, quo impeditur actus spei, & quod ea ratione videtur esse contra præceptum spei.

Ad secundum respondeo esse quidem duas difficultates, alteram ad credendum, alteram ad sperandum, quarum vna sola in Catholico restat superanda: sed in hæretico etiam non errante circa beatitudinem, non restat nisi vna superanda credendi articulum in quo errat; nullam enim habet ad sperandum, cùm adhuc in eo statu speret, & quidem cum excessu præsumptionis. Sed etsi erret circa beatitudinem, minùs difficile reduci potest ad sperandum, quàm Catholicus desperans, quia faciliùs conuinci potest de falsitate sui erroris, quo ablato non habebit difficultatem sperandi, quàm illi alteri Catholico desperanti suadeatur, vt deponat iudicium de sua damnatione futura, vt dictum est, quæ difficultas in eo Catholico est tanta, vt sit maior, quàm illæ duæ in hæretico, quarum vna pendet ab alia, qua ablata, statim cessabit, & non ita difficile auferri potest, sicut in Catholico. 46

Ad tertium respondeo iacturam fidei esse quidem iacturam fundamenti, quod est fides; esse tamen iacturam talem, vt restituto fundamento, statim sine nouis expensis restituantur omnia alia, quia non ceciderant, nisi propter defectum fundamenti, non per desperationis peccatum: sicut si fundamentum domus auferretur simul cum parietibus ei adhærentibus; repositio postea fundamento reponerētur simul cum eo parietes, sine noua eorum constructione, aut expensis. Sic etiam si arboris radices euellerentur simul cum trunco, & ramis, faciliùs restitueretur tota arbor in eundem locum, quàm si manentibus ibi radicibus abscissus fuisset truncus, qui certè non nisi longiori tempore, & maiori labore, per nouum incrementum recuperari posset. Hoc ipsum experientia testatur in eo, qui alioquin probus, & virtutibus plenus decipitur ab hæreticis, & perdit fidem: hic enim, vbi primùm errorem agnoscit, resipiscit, & facilè virtutibus floret, sicut antea, quia contra eas non peccauerat, sed solùm contra fidem: sic ergo recuperato fidei fundamento, absque difficultate sperat, quia non peccauerat contra virtutē spei. Sed etsi desperasset eo quod errasset etiam circa articulum remunerationis, adhuc restituto fidei fundamento, & ablato illo errore, statim absque noua difficultate speraret, quia tota iactura spei fuerat, propter iacturam vnius fidei. Catholicus verò qui retenta fide desperat, habet se sicut arbor cuius sola radix manet in terra, cui difficiliùs truncus restituitur: habet se sicut domus, cuius parietes destructi sunt, manente solo fundamento, cui maioribus sumptibus parietes sunt denuò construendi, quàm si parietes simul fundamento adhærentes cum eodem auellerentur, & simul cum fundamento redire possent. 47

Iam nunc explicanda, & probanda restat altera pars sententiæ S. Thomæ, qua docet infidelitatem ex genere suo grauius peccatum esse desperatione 48

ratione. Et in primis ad hominem impugnari potest distinctio illa Patris Suarez de desperatione orta ex tædio vel alia tentatione, quam dicebat minùs grauem esse quàm infidelitatem; & de desperatione continente odium Dei, vt boni nostri, orta ex ira vel nimio creaturarum amore, quam dicebat esse grauiorem infidelitate. Hoc, inquam, impugnari potest, quia si quid probant rationes eiusdem auctoris dicta *disp.2. de Spe, sect.2. num.5.* probant etiam, desperationem primi generis grauiorem esse ex genere suo infidelitate. Quia nimirum desperatio magis immediatè attingit Deum, à quo voluntas eo actu recedit, quàm infidelitas, in qua voluntas non recedit immediatè à Deo, sed ab actu credendi Deo, quem actum non vult habere, sed contrarium: Deinde arguit, hoc ipsum ex eo, quòd culpa sit immediatè in voluntate; ergo ea est in suo genere grauior, quæ per se corrumpit maiorem honestatem voluntatis: sed virtus spei perfectior est quàm fides, saltem vt fides est in voluntate, atque adeo in genere virtutis. Quod argumentum non solùm probat de odio secundi generis, sed etiam de odio primi generis, cùm illius etiam malitia sit immediatè in voluntate, & per consequens destruat per se honestatem spei, quæ est in voluntate, & quidem spei Theologicæ, cuius habitum à voluntate expellit, qui est habitus Theologicus in voluntate; cum tamen habitus piæ affectionis, quem à voluntate expellit infidelitas non sit habitus Theologicus prout est in voluntate in genere virtutis. Argumenta ergo de vtriusque generis odio probant maiorem grauitatem in genere peccati, quàm sit peccatum infidelitatis.

49 Faciliùs ergo absque vlla distinctione dicimus cum S. Thoma, infidelitatem ex genere suo esse grauius peccatum desperatione, & quidem infidelitatis grauitatem maximam probat bene inde Suarez *disp.16. sect.2. num.2.* ex Augustino *tract.85. in Ioannem*, & *lib.3. contra duas epistolas Pelagianorum cap.30.* dicente, peccatum absolutè dictum, intelligi per antonomasiam de peccato infidelitatis, & in hoc sensu accipienda verba Christi Ioannis 15. *Si non venissem, peccatum non haberent.* & illa alia verba cap.16. *arguet mundum de peccato.* & quia infidelitas constituit hominem in eo statu, in quo nullum meritum etiam de congruo exercere potest, & innumera peccata, & vitia secum affert, auferens principium totius Iustitiæ, quæ est fides.

Explicatur grauitas infidelitatis. Vt hanc autem infidelitatis grauitatem magis à priori explicemus, & simul respondeamus argumentis contrariis, quæ suprà ex Suario, & Hurtado retulimus, recolenda sunt, quæ diximus *disp.10. sect.3.* vbi explicuimus, actus reflexos imperantes alios actus directos ob eorum honestatem, non indigere alio habitu reflexo, sed elici ab habitu infuso directo eiusdem virtutis, quia æquivalenter versatur circa idem motiuum. Quod idem multò magis dicendum est, de actibus reflexis imperantibus actus directos alicuius vitij: vnde actus imperans odium Dei, habet æquivalenter malitiam odij Dei, cùm velit prosequutionem illius obiecti. Dixi verò id magis procedere in actu reflexo imperante actum malum, quàm imperante actum bonum; quia ad honestatem formalem non sufficit velle obiectum bonum, nisi ipsa bonitas sit etiam motiuum formale voluntatis; quare actus reflexus imperans amorē Dei, propter honestatem ipsius amoris, licèt velit mediatè obiectū amoris Dei, quatenus vult efficaciter voluntatem efficacem illius obiecti, non tamen habet formaliter honestatem amoris Dei, quia non habet idem motiuum formale, quod habet amor Dei nempe bonitatem infinitam Dei, sed motiuum formale actus imperantis, est bonitas amoris Dei, quæ non est bonitas increata, sed creata, & finita. At verò ad contrahendam malitiam vitij non est opus habere illam pro motiuo formali, sed sufficit eam directè, vel indirectè, velle, saltem vt obiectum materiale; vnde qui vult efficaciter, & imperat sibi actum odij Dei, eo ipso in actu ipso imperij contrahere videtur auersionem à Deo, quam secum affert actus odij, quam auersionem vult saltem mediatè per illud imperium; licèt fortasse non sit motiuum formale, sed solùm obiectum materiale, directè, vel indirectè volitum: sicut qui imperat sibi voluntatem efficacem luxuriæ, vel actum inuidiæ, contrahit in ipso imperio malitiam luxuriæ, vel inuidiæ.

Ex hac autem doctrina infertur, licèt voluntas 50
credendi non sit formaliter virtus Theologica, provt præcisè consideratur in voluntate, quia non habet pro motiuo formali veracitatem Dei nec aliquid diuinum; sed honestatem credendi Deo: voluntatem tamen contrariam dissentiendi Deo, dici posse vitium Theologicum; quia vult immediatè auerti à Deo per dissensum hæreticum, quo homo auertitur formaliter, & immediatè à veracitate Dei, quam negat: quare voluntas illa imperans auersionem formalem intellectualem à Deo, contrahit malitiam eiusdem rationis cum malitia formali, quam contraheret ipse dissensus erroneus intellectualis, si esset liber: sicut voluntas efficax odij Dei contrahit malitiam ipsius odij Dei. Cùm ergo ipsa infidelitas intellectualis sit vitium Theologicum, & contraheret malitiam formalem intrinsecam Theologicam, si esset intrinsecè libera, eo quod sit formalis, & immediata auersio à Deo, & eius veracitate: consequens est, vt voluntas eiusdem infidelitatis contrahat etiam malitiam formalem Theologicam, atque adeò sit non solùm vitium morale, sed etiam Theologicum, hoc est auertens à Deo immediatè, seu volens auersionem immediatam à Deo & eius veracitate: sicut etiam desperatio, & odium Dei, sunt vitia Theologica propter eandem rationem, quatenus inuoluunt auersionem immediatam hominis à Deo.

Quo supposito, verisimile valde fit, quòd ex 51
genere suo grauior sit malitia infidelitatis, quàm desperationis: vtraque enim auertit hominem à Deo immediatè: cum hoc tamen discrimine, quod desperatio auertit nos à Deo, quem debebamus sperare nobis, vt bonum nostrum, atque adeo affectu minùs nobili, quo magis Deus ad nos refertur, quàm nos ipsi ad Deum, vt videbimus agentes de virtute spei. Infidelitas verò auertit nos à veracitate Dei, quam per fidem debueramus amplecti sine respectu ad nostrum bonum aut commodum, sed propter infinitam Dei veritatem; quæ tendentia eò videtur nobilior, quò magis est ingenua. Quā rationem breuiter indicauit S. Thomas dicta quæst. 20. artic. 30. in corpore dicens: *Ex quo patet, quòd infidelitas, & odium Dei, sunt contra Deum, secundum quòd in se est: desperatio autem, secundum quod eius bonum participatur à nobis: vnde maius pec-*

catum est, secundùm se loquendo, non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quàm non sperare consequi gloriam ab ipso. Quia nimirum magis conuertimur ad nos ipsos, & ad nostrum bonum per spem, cùm tamen per fidem, & charitatem conuertamus nos ad solum Deum, & amplectamur eius veritatem, & bonitatem infinitam, quod magis constabit ex solutione argumentorum.

52 *Obiectio 1.* Ex dictis enim solui iam possunt; quæ P. Suarez obiicit *loco suprà citato.* Primò enim dicebat, odium Dei, quod opponitur amori concupiscentiæ elicito ab habitu spei, esse magis directam, & formalem auersionem à Deo, quàm infidelitatem. Ad quod respondere possumus, quidquid sit, an amor ille concupiscentiæ erga Deum, vt bonum nostrum eliciatur ab habitu spei, an ab alio diuerso, de quo dicemus suo loco agentes de virtute spei: pro nunc negari posse, esse grauiorem auersionem ex genere suo in illa fuga opposita spei, quàm sit in infidelitate: nam fuga desperationis non oritur ex eo, quòd obiectum sit malum, imò vt ibi videbimus, desperatio non potest esse, nisi de obiecto bono, quod amamus, & à quo recedimus, non quia sit malum; sed quia nobis vt impossibile, vel difficile proponitur. Vnde qui desperat, non profitetur implicitè in Deo aliquid mali, sed potiùs magnum bonum, ob quod eum amat: sed propter difficultatem, vel impossibilitatem saltem consequentem, quam apprehendit, tristis, & quasi fugatus recedit à bono amato. Infidelitas verò recedit à Deo impingens Deo virtualiter saltem defectum intrinsecum falsitatis; dum negat vel Deum esse veracem, vel saltem esse vera, quæ sufficienter proponuntur, vt reuelata à Deo: quæ auersio ex genere suo inuoluit maiorem iniuriam, & irreuerentiam in ipsum Deum.

53 *Obiectio 2.* Secundò arguebat: quia actus ille odij, seu desperationis immediatè attingit Deum, infidelitas verò, non nisi mediante actu nostro. Respondeo ex dictis, in primis infidelitatem intellectualem esse auersionem immediatam à veritate Dei, quam explicitè, vel implicitè negat, & quidem cum maiori irreuerentia erga Deum, quàm sit in recedente per desperationem à Deo propter difficultatem, quem nisi amaret non desperaret, vt diximus, nemo enim desperat de malis, quæ nollet: Deinde ipsa etiam voluntas precedens dissensum erroneum, licèt non habeat pro obiecto immediatè volito aut nolito Deum, sed dissensum intellectualem; contrahit, vt diximus malitiam auersionis immediatæ intellectualis, quam haberet dissensus ipse erroneus, si esset liber; sicut voluntas reflexa odij Dei, licèt non attingat immediatè Deum, sed mediante actu odij quem imperat, contrahit malitiam odij Dei, ad quam contrahendam sufficit attingere obiectum odij, mediante odio volito.

54 *Obiectio 3.* Tertiò arguebat, quia illa est grauior culpa, quæ per se corrumpit maiorem honestatem in voluntate: nam culpa est immediatè in voluntate: sed maior est honestas spei, quàm fidei in voluntate: nam spes in voluntate est virtus Theologica, qualis non est fides, prout est in voluntate, cùm pia affectio credendi non sit in voluntate virtus Theologica, sed moralis; ergo ex genere suo grauior est culpa desperationis, seu odij oppositi amori concupiscentiæ erga Deum, quàm sit culpa infidelitatis. Ad hoc argumẽtum in primis iam suprà vidimus, probare etiam maiorem grauitatem in desperatione, quæ non oritur ex odio Dei, sed ex tædio, vel ex alia tentatione, cùm hæc etiam corrumpat in voluntate honestatem spei Theologicæ: quam tamen maiorem grauitatem supra infidelitatem non cõcedit Suarez de eiusmodi desperatione orta ex tædio, omnes ergo debemus agnoscere in ipsa voluntate infidelitatis maiorem grauitatem, quàm in desperatione aliqua, quæ corrumpit honestatem Theologicam spei in volũtate. Quare ad obiectionem respondemus, licèt virtus fidei, prout est præcisè actus voluntatis, non habeat actus Theologicos, esse tamen ex genere suo maioris honestatis, quàm sit spes, & infidelitatem etiam prout est in voluntate esse grauius peccatum. Quia ad honestatem, & inhonestatem virtutis & vitij, non attenditur solùm, an actus sit formaliter Theologicus, sed etiam an sit Theologicus ex obiecto, hoc est, an afferat honestatem, vel inhonestatem Theologicam obiectiuam. Nam dignitas virtutis Theologicæ, & grauitas vitij oppositi, prouenit ex eo, quòd vnit immediatè cum Deo, vel auertit immediatè à Deo. Quando ergo bonitas obiectiua est vnio ipsa immediata cum Deo, & malitia obiectiua est auersio ipsa immediata à Deo, id sufficit ad refundendam maiorem honestatem, vel grauiorem turpitudinem in actu voluntatis ex genere suo. Quod de facto reperitur in voluntate credendi, & in voluntate infidelitatis: nam licèt neutra voluntas feratur formaliter immediatè in Deum, & ideo non sit formaliter Theologica; obiectum tamen vtriusque est vnio immediata cum Deo, vel auersio immediata à Deo, qua intellectus immediatè amplectitur diuinam veritatem, vel immediatè ab ea auertitur. Quare obiectum vtriusque voluntatis est Theologicum in ratione obiecti, & per consequens refundit bonitatem, vel malitiam in voluntatem, proinde ac si ipsa voluntas esset Theologica, quia bonitas, vel malitia voluntatis desumitur ex conditione ipsius obiecti. Vnde fides meritò appellatur communiter virtus perfectior, & dignior, quàm sit spes: quod quidem absque distinctione Theologi communiter affirmant, non distinguentes de fide, prout est in intellectu, vel prout est in voluntate, sed absolutè id affirmant de virtute fidei, quia nimirum vtriusque excellentiam considerant, ex vnione immediata, qua hominẽ cum Deo coniungit, quatenus actus spei, coniungit immediatè hominem cum Deo, vt obiecto sperato, & motiuo sperandi; fides verò prout est in intellectu, coniungit hominem cum diuina veritate, & prout est in voluntate, vult illam coniunctionem immediatam intellectus, cum veritate diuina: quæ coniunctio vt *suprà* diximus, perfectior est ex genere suo, quàm sit coniunctio, quæ fit per actum spei. Negamus itaque actum desperationis corrumpere per se maiorem honestatem, quàm actum infidelitatis: hic enim ex genere suo priuat maiori honestate obiectiua, nempe perfectiori coniunctione cum Deo, & affert grauiorem auersionem obiectiuam à Deo; vnde etiam corrumpit ex genere suo maiorem honestatem formalem, nempe voluntatem perfectioris coniunctionis immediatæ cum Deo, quo sensu sustineri potest satis verisimiliter sententia, & doctrina S. Thomæ, quæ est communis aliis Theologis.

Tria tamen obseruanda sunt circa hanc communem doctrinam. Primum est, hunc excessum

grauitatis

grauitatis semper debere intelligi, vt monuimus ex genere suo: potest enim cõtingere, vt in individuo propter alias circunstantias aggrauantes homicidium. v.g. hoc sit grauius, quam aliquod peccatum infidelitatis in individuo: si quis v.g. occideret summum Pontificem sanctissimum, & à cuius vita maximè dependet bonum totius Ecclesiæ & hoc sine causa; sed ex mera malitia, & odio, quis neget hoc peccatum in individuo, grauius esse, & maiori pœna puniendum, quàm hæresim illius, qui vt suo domino placeret, hæreticus ad breue tempus factus est, & statim resipuit & ad fidem Catholicam rediit? Debent ergo in hac comparatione cætera esse paria, quoad durationem, intensionem, libertatem, & alias omnes circunstantias: alioqui comparatio præcisè desumpta ex nobiliori virtute, cui peccatum aduersatur, sæpissimè fallere poterit. Quod à fortiori locum habebit, si peccata contra fidem facta ex ignorantia etiam culpabili comparentur cum peccatis alterius generis; cum circunstantia ignorantiæ multùm diminuat peccati grauitatem. Quin imo verisimile satis est, quod cum aliis dixit Suarez *Disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 6. non solùm in individuo, sed etiam in specie contingere quòd grauius sit peccatum aliquod, quàm aliud peccatum contentum sub genere perfectiori, v.g. fornicatio ex specie sua est grauior culpa, quàm sit furtum ex specie sua, vt fatetur S. Thomas *infrà quæst.* 154. *art.* 3. & tamen furtum opponitur iustitiæ, quæ est dignior virtus ex genere suo, quàm temperantia, cui opponitur fornicatio. Quod etiam in perfectione physica verum existimo, vt suppono ex philosophia, & fatetur Suarez *loco citato*. Nam genus viuentis secundùm se nobilius est, quàm non viuentis; & tamen fungus ex specie sua minùs perfectus videtur, quàm sit Sol ex specie sua, qui certè superat fungum in aliis multis prædicatis nobilioribus. Quamuis quoad hoc, vt verum fatear, potest fortasse esse quæstio de nomine: nam excessus ille potest dici prouenire non ex specie; sed ex alio etiam genere nobiliori, sub quo est illa species, v.g. excessus Solis supra fungum prouenit ex genere incorruptibilium, sub quo est Sol, quod genus ex se nobilius est, quàm corruptibilium, sub quo est fungus; atque ideo Sol non est solum perfectior fungo ex specie sua, sed ex genere suo, nempe ex genere incorruptibilium, & fungus nõ est solùm imperfectior ex sola specie sua, sed ex genere corruptibilium, & facilè defectibilium, & parùm actiuorum, &c. sic etiam fornicatio non solùm ex specie sua est grauior furto, sed ex genere suo, quod est versari circa bona corporis, quæ ex genere suo sunt nobiliora, quàm bona fortunæ, circa quæ versatur furtum; quod ideo etiam est leuius ex genere suo, quàm fornicatio, & sic de aliis similibus exemplis dici posset; de re tamen ipsa nobis sufficit, quòd sub aliquo genere ignobiliori, possit reperiri aliqua species nobilior, quàm sit species contenta sub alio genere nobiliori; siue hæc maior perfectio proueniat illi, ex ratione specifica, siue ex alio genere nobiliori disparato, sub quo continetur eadem species: hoc enim ad propositum parum refert.

56 Secundò obseruandum est, comparationem non fieri inter fidelem peccatorem, & infidelem: fortasse enim grauiùs punitur peccator fidelis, quàm infidelis, vt dixit Vrbanus Papa relatus in cap. *scimus* 12. *quæst.* 1. sed comparari solum peccatum infidelitatis, cum quolibet alio peccato & in hoc sensu dicimus, peccatũ infidelitatis infidelis hominis esse ex genere suo grauius quolibet alio peccato; quod nõ sit odium Dei: cætera tamen peccata, v.g. fornicatio, furtum, &c. hominis fidelis frequenter grauiora sunt, quàm eadem peccata commissa ab infideli, propter maius lumen, quod fidelis habet, & maiorem obligationem non peccandi: vnde fit, quod postea grauiùs punitur, quàm infidelis: non quòd furtum fidelis grauiùs puniatur, quàm infidelitas, sed quia cætera peccata, quæ plura sunt, grauiùs puniantur in homine fideli, quàm hæc eadem in infideli, & ideo sæpe omnibus pensatis maiorem pœnam habeat fidelis damnatus, quàm infidelis.

Tertiò obseruandum est, sicut suprà diximus 57
excessum odij Dei super omnia alia peccata non arguere, quod etiam omissio dilectionis Dei debitæ ex præcepto charitatis excedat omnia alia peccata, excedere tamen ex genere suo omissiones peccaminosas aliorum præceptorum: sic etiam cum proportione idem dicendum esse, de omissione fidei debitæ nõ excedere quidem grauitate alia peccata, quãdo est mera omissio actus fidei, qui eo tempore debebat elici, & non est etiam interpretatiuè infidelitas: excedere tamen ex genere suo peccata omissionis contra alia præcepta, præter omissionem dilectionis Dei, quæ est contra præceptum charitatis. Quod idem cum proportione dicere possumus de dissensu positiuo contra fidem orto ex ignorãtia, excedere quidem ex genere suo, & cæteris paribus, peccata ex ignorantia, quæ fiunt contra alia præcepta, excepto semper peccato ex ignorantia, contra charitatem Dei; quæ omnia ex supradictis facilè constant, nec indigent alia probatione.

Vna solùm restare potest difficultas contra to- 58
tam hanc doctrinam, quia licèt infidelitas, qua aliquis negat Deum esse summè veracem, auertat immediatè hominem à Deo, negando eius veritatem infinitam, & intrinsecam; alij tamen dissensus hæretici non negantes Dei veracitatem, sed eius reuelationem; nimirum quòd de facto Deus reuelauerit Eucharistiam, vel quid simile, non videntur euertere hominem immediatè à Deo, sed à creatura, nempe à reuelatione, quam negant, & quæ est aliquid extrinsecum Deo. Non ergo apparet vnde hæc infidelitas habeat tantam grauitatem, qua superet grauitatem aliorum peccatorum saltem ex genere suo, & cæteris paribus. Ad hoc tamen iam diximus suprà, non solùm auerti à veritate Dei eum, qui credit Deum non esse veracem, sed etiam eum, qui credit falsa esse, quæ debet Deo reuelanti credere. Quod idem cum proportione inuenitur in odio Dei, & in desperatione, per quæ etiam peccata auertitur homo immediatè à Deo. Ad odium enim auertẽs à Deo, non requiritur, quod apprehendatur in Deo non esse bonitas infinita, aut aliquod esse malum intrinsecum Deo: nam hæc iam esset hæresis manifesta, sine qua certum est posse committi peccatum odij Dei: vnde nec requiritur, quod voluntas auertatur à Deo, quia Deus malus est in se: sed sufficit apprehendere Deum, vt malum nobis propter mala nobis inflicta, propter quæ voluntas odit Deum, provt de facto odio habent damnati, propter tormenta, quæ ab ipso patiuntur; iam enim auertuntur per actum contrarium ab infinita bonitate Dei. Sic etiam Catholicus desperans,

desperans, non apprehendit Deo deesse fidelitatem, omnipotentiam, misericordiam, &c. nec ideo desperat, sed apprehendit difficultatem magnam ex parte sua, quam non credit de facto superandam auxiliis Dei, licèt non neget posse superari: & hoc sufficit, vt auertatur à Deo per actum contrarium, desperando Deum, quem deberet sperare. Similiter ergo hæreticus, licèt non neget, Deum esse veritatem infinitam; dissentit tamen iis, quæ Deo deberet credere, & ideo auertitur ab infinita veritate Dei per actum contrarium dissentiendo iis, quæ propter diuinam veritatem deberet credere. Auerti ergo à Deo per actum contrarium, non est solùm negare in Deo esse perfectiones illas, quæ sunt motiuum amandi, sperandi, aut credendi, aut propter defectum illius motiui increati dissentire, desperare, vel odio habere: sed sufficit, per actum contrarium resistere illis motiuis increatis: hoc sufficit ad excessum illum grauitatis, quam hic recessus immediatus à Deo habet ex genere suo super omnia alia peccata: quatenus per hæc tria peccata recedit homo immediatè ab ipso Deo.

59 Dices, qui odio habet proximum, quem deberet diligere propter Deum, non ideo dicitur odio habere Deum, propter quem diligendus esset proximus: ergo qui negat veritatem reuelatam, quam propter Dei veracitatè deberet credere, non ideo dicitur immediatè recedere à veracitate diuina, quam quidem non negat; sed solam Dei reuelationē, sine qua credi adhuc potest infinita Dei veracitas. Respondeo negando consequentiam: excessus enim infidelitatis, desperationis, & odij Dei super alia omnia peccata, quem Theologi considerant, prouenit ex eo, quod per hæc tria peccata homo auertit se directè, & immediatè à Deo, vt dixit S. Thom. *dicta quæst. 20. art. 3.* & alibi sæpe. Hæc autem auersio seu fuga, cùm sit intentionalis, pertinet ad intellectum, & ad voluntatem. Voluntas ergo recedit, & fugit per affectum fugæ, qui opponitur prosequutioni: fugit verò voluntas dupliciter obiectum; primò quia malum est, & hic est affectus odij: secundò non quia malum est, sed quia impossibile, vel difficile apprehenditur; & hic est actus desperationis, quo voluntas recedit ab obiecto bono, non tam fugiens, quàm fugata ab ipso obiecto voluntatem à se repellente, vt latiùs explicabitur Deo dante *in tract. de Spe.* Vtroque ergo modo voluntas recedit directè, & immediatè per actum positiuum à Deo, nempe per odium Dei, quo fugit Deum tanquam malum, vel in se, vel certè ipsi homini: atque etiam per desperationem, quia recedit etiam directè à Deo, non quia malus sit, sed quia eius assequutio difficultate sua deterret, & quasi fugat voluntatem; quæ licèt non tam fugiat, quàm fugetur, recedit tamen, difficultate depressa, auertit se à prosequutione summi boni, seu Dei; qui etiam est recessus directus, & immediatus à Deo, vt bono nostro. Intellectus autem non habet alium modum recedendi, seu auertendi se, & fugiendi positiuè ab obiecto, nisi per dissensum: nam sicut per assensum amplectitur obiectum, ita per dissensum ab eo positiuè fugit.

Voluntas dupliciter fugit obiectum.

Intellectus auertit se ab obiecto per dissensum.

Dissensus duplex.

Hic tamen dissensus potest esse duplex, nempe formalis, & expressus, vel virtualis, & æquiualens: Primo modo recedit intellectus à Deo negando expressè eius veritatem, qui est pessimus actus infidelitatis, quo homo se auertit immediatè, & expressè ab infinita veracitate Dei. Secundo modo recedit intellectus ab eadem Dei veritatè, negans id, quod sufficienter proponitur vt reuelatum à Deo, & quod propter diuinam veritatem deberet credi. Qui etiam est recessus directus, & immediatus à veritate Dei, licet non sit formalis, sed virtualis; quia negare esse verum id quod proponitur, vt dictum à Deo, & quod propter Dei auctoritatem debet credi, est virtualiter negare veracitatem Dei, quia negat veritatem creatam, sine qua in his circunstantiis Deus non potest esse verax: vnde æquialenter negatur veracitas Dei: & ideo S. Thomas *dicta quæst. 20. art. 3.* simpliciter, & absolutè dixit, quòd per infidelitatem, *homo ipsam Dei veritatem non credit:* quia nempe dicit non esse verum id, quod credere debet, dictum esse à Deo. Fateor hanc æquialentiam, qua dicimus, negantem articulum reuelatum, negare virtualiter Dei veritatem, non fundari in mero debito physico ipsius intellectus, sicut qui negat conclusionem, quæ euidenter sequitur ex præmissis, cogitur necessariò ad negandam præmissam aliquam, nec potest physicè intellectus, si attendat ad illationem, & connexionem, negare conclusionem assentiendo vtrique præmissæ: in casu autem nostro potest quidem intellectus, saltem imprudenter assentiri veracitati Dei, & negare articulum reuelatum, negando esse à Deo reuelatum. Dicitur tamen virtualiter negare veracitatem Dei, propter necessitatem partim physicā, partim ex debito morali, qua negato articulo debet negare veracitatem Dei. Quia nimirum videt esse obligationem credendi, illam esse reuelationem Dei, qua reuelatione Dei concessa, prout est obligatio illam concedendi, cogitur iam physicè intellectus, negato articulo reuelato, ad negandam veracitatem Dei, cum qua posita reuelatione, habet connexionem necessariam veritas articuli reuelati: & ideo dicitur æquialenter, seu virtualiter, dissentiendo articulo, negare veritatem Dei reuelantis.

Vnde constat iam differentia inter odium proximi, qui deberet amari propter Deum, & dissensum articuli, qui deberet credi, propter veritatem Dei. Nam qui negat articulum fidei, habet dissensum, qui eum cogit necessitate, partim physica, partim ex debito morali, ad negandam veritatem Dei, qui est intellectualis recessus, & auersio immediata, saltem virtualis, & æquialens ab ipsa veritate Dei, & perinde se habet æquialenter, ac si diceret Deus non est verax. Qui verò odio habet proximum, non habet vllum actum, qui eum cogat necessitate physica, vel orta ex debito morali, ad odium formale, vel ad desperandum Deum; sed solùm cogitur ad non diligendum Deum super omnia, durante illo odio proximi, quatenus in dilectione Dei super omnia continetur implicitè dilectio proximi propter Deum. Non tamen cogitur physicè ad habendū odium Dei, vt constat: nec etiam cogitur ex debito morali, cùm non habeat præceptum habendi aliquem actum, ex quo, durante odio proximi, cogatur ad habendum odium ipsius Dei: ideo odium proximi non est auersio directa à Deo, & immediata: dissensus verò articuli reuelati, est saltem virtualiter auersio immediata saltem virtualis ab ipsa veracitate Dei.

60

SECTIO III.

Diuisio infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim.

61 *Infidelitas in genere, & in specie.*

INfidelitas potest latè accipi, & in genere, vel strictè, & quasi in specie: Primo modo cõprehendit omnẽ dissensum contra nostrã fidem; siue sit hæresis, siue Iudaismus, siue gentilismus: secũdo modo accipitur magis strictè, provt condistinguitur ab hæresi de qua dicemus *disput. sequenti.*

Infidelitatis in specie diuisio.

Nunc loquimur de infidelitate in genere, & primo modo, quæ communiter diuidi solet in tria membra; Paganismum, Iudaismum, & hæresim; de qua diuisione agunt Theologi in præsenti, cum S. Thoma *qu. 10. art. 5.* circa quam diuisionem, Aduerto in primis, in eo sermonem esse solummodo de infidelitate, provt opponitur fidei Catholicæ, nam si aliquis dissentit reuelationi priuatiuæ sibi sufficienter propositæ, peccabit quidem grauiter contra fidem, vt vidimus in superioribus, & tamen non erit paganus, Iudæus, vel hæreticus: neque eius infidelitas pertinet ad iudicium humanum, sed ad diuinum. Theologi autem eas tãtùm species infidelitatis assignarunt, quæ deseruiunt ad dignoscendos infideles in humano iudicio, relicta illa alia infidelitate priuata, quæ ad humana iudicia inutilis est.

De diuisione ergo in hoc sensu intellecta plures occurrunt difficultates: Ante quas tamen obseruandum est, Paganismi nomine in præsenti comprehendi omnes alios infideles, qui nec ad Iudaismum pertinent, nec ad hæreticos. De etymologia autem huius nominis. *Pagani*, & cur ad infideles translatum sit, multa congerit Hurtado *disp. 71. sect. 1.* ex Azorio *tom. 1. lib. 8. cap. 24.* quibus omissis certum est, hoc nomen à pago deriuari, vnde rustici frequenter apud veteres auctores Latinos *pagani* dicebantur. Postea à Iureconsultis translatum est nomen ad significandos eos qui essent, militiæ ascripti; vnde frequenter leges distinguunt milites à paganis, hoc est, à non militantibus, qui aliis ad bella migrantibus domi manerent, & pagos habitarent: nam, & ipsæ vrbes in pagos, ideſt, regiones diuidebantur. Hinc teste Hieronymo, & aliis, Ecclesiæ Patres ethnicos cœpere appellare *paganos*. Hoc est militiæ Christianæ non ascriptos: quod etiam placuit Alciato, Connano, & aliis apud Azorium vbi supra, qui licèt id non probet, postea tamen approbauit; sumpta non leui coniectura ex narratione Theodoreti lib. 3. hist. c. 3. dicentis, Constantinum pugnaturum cõtra Maxentium tyrannum, voluisse milites omnes ad bellum difficilimum sacro baptismate suscepto præparati: eos verò, qui recusarent, immunes à militia domos suas redire iussos. Vnde credibile est eos omnes, qui Christiana sacra recusarent, cœpisse dici paganos; neque enim ante illud tempus *Pagani*, nomen inuenimus in hac *infidelium* significatione vsurparum. Sic etiam *gentiles* dicti sunt, eo quod Iudæi nationes omnes, præter suam *gentes*, seu *gentiles* appellabant. Frequenter etiam vocantur *Ethnici*, græco nimirum vocabulo ab ἔθνος quod gentem significat, & hæc sufficiant de voce prænotasse.

Paganismi nomine quid hic intelligatur.

Pagani nomen vnde desumptum.

62 Hoc supposito, Prima difficultas est, quomodo hæ tres species infidelitatis distinguantur inter se. Aliqui enim volunt distingui ex parte subiecti: nam ille, qui fidem nulla ex parte suscepit dicitur paganus; qui verò ex parte suscepit, nempe quoad legem Moysis, seu vetus testamentum, & reiicit fidem Christi, dicitur Iudæus: qui denique suscepit fidem Christi, seu nouum testamentum; & adhuc errat in aliqua parte dicitur hæreticus. Quod cum tanto rigore aliqui intelligunt, vt dicant, eum solùm esse hæreticum, qui verã Christi fidem suscepit, & postea quoad aliquid eam deserit; quo pacto loqui videtur Caietan. & Bañes *dicto art. 5.* Quem tamen sensum alij meritò reiiciunt, Suarez *in præsenti disp. 16. sect. 4. num. 5.* Lorca *dicto art. 5. num. 6.* Coninch *disp. 18. num. 59.* Hurtado *disp. 71. §. 11.* & alij communiter. Primò quia filij hæreticorum in hæresi educati nunquam receperunt veram fidem Catholicam, & tamen sunt verè hæretici, postquam fidem Catholicam sufficienter propositam respuunt. Secundò arguit idem Suarez *n. 9.* quia Catechumenus, qui ab hæreticis catechizatur & imbibit eorum errores, est verè hæreticus etiam antequam baptizetur: est enim infidelis, & non est paganus, nec Iudæis: & tamen ipse nunquam veram fidem suscepit. Tertiò quia Catholicus, qui postea ad Turcarum, vel Iudæorum sectam transit, non fit hæreticus, sed paganus, vel Iudæus; & tamen veram Christi fidem priùs susceperat, ergo non est hæreticus, omnis qui à vera fide suscepta deficit.

Quomodo hæ tres species infidelitatis distinguantur inter se.

63 Ipse verò Suarez *num. 4. & 10.* videtur, ad distinguenda hæc tria membra, recurrere ad scripturam sacram, receptam, vel non receptam, ita vt Paganus sit, qui neutrum testamentum recipit; Iudæus, qui recipit vetus, & reiicit nouum; hæreticus qui recipit etiam nouum, sed adhuc errores aliquos retinet. Hanc tamen distinctionem impugnat Hurtado vbi supra §. 15. Primò, quia Mahometani, seu Sarraceni plerique admittunt Pentatheucum, circumcisionem, & tamen non sunt Iudæi, sed cum paganis computantur. Nec obstat, quod non admittant libros prophetarum veteris testamenti, quia saltem admittunt illos alios libros, quod sufficit ad extrahendos illos à Paganismo; sicut extrahitur à Iudaismo hæreticus, qui admittit partem noui testamenti, licèt non admittat omnes eius scripturas. Secundò, quia potest hæreticus reiicere totum nouum testamentum, vt à Manichæis factum esse dicit Maldonatus, in præfat. ad Euangelia, c. 2. & tamen credere Christum venisse, & fuisse Redemptorem, &c. hic certè non erit paganus, cùm credat Christum, & in Christum, & ob eandem rationem non erit Iudæus: erit ergo hæreticus, licèt non admittat nouum testamentum.

Propter hæc idem Hurtado §. 18. dicit, hanc diuisionem non esse Metaphysicam, sed moralem, inductam ad commodè ferendum leges diuersas contra diuersos gradus infidelium, & ad œconomiam Ecclesiasticam, diuersæ enim leges statuuntur circa Iudæos, vel Paganos, vel hæreticos. Iudæorum ergo nomine Ecclesia intelligit omnes non baptizatos, qui circumcisione, & aliis ritibus Mosaycis vtuntur. Rursus baptizatos omnes, quomodocunque à Catholica fide deuient, vocat hæreticos: Paganos autem vocat alios omnes infideles, qui nec baptizati sunt, nec circumcisione, & ritibus Iudaicis vtuntur, in quo sensu diuisio est exacta, & adæquata.

Hic

64 Hic modus explicandi reipsa incidit in opinionem illam Caietani; & aliorum suprà relatorum, qui dicebant, has differentias, desumendas esse non ex obiecto, sed ex subiecto, in quo priùs recepta fuerat, vel non fuerat fides Christi: quam explicationem Lorca *loco suprà citato* dicit indignam esse, quæ ascribatur S. Thomæ, & ipse Hurtado §. 13. dixerat esse, homine Philosopho indignam: & tamen ipse postea, licèt non recurrat ad hoc, quod fides suscepta antea fuerat in subiecto, recurrit tamen ad aliam conditionem etiam præteritam ex parte subiecti, nempe quod baptismum antea susceperit, vt sit hæreticus, vel quod susceperit circumcisionem, vt postea dicatur Iudæus. Quare eisdem argumentis reiici potest; quia licèt antea circumcisionem vtilem crediderit, & ritus Iudaicos; si tamen postea circumcisionem, & omnes alios Iudæorum ritus detestetur, & transeat ad Ethnicos, falsósque Deos colat, iam nunc eiusdem prorsus sectæ, ac religionis est cum Ethnicis, quorum omnes ritus profiterur; ergo eius infidelitas præsens non pertinet ad Iudaismum, sed ad Paganismum, & ita omnes communiter dicunt illum ex Iudæo factum Gentilem, vel Mahomgranum. Quod idem est de Christiano baptizato transeunte ad Iudaismum, vel Gentilismum: non enim dicimus factum esse hæreticum, sed Iudæum, vel Gentilem, cùm idem prorsus sentiat, & eandem religionem profiteatur, quam Iudæi profitentur, vel Gentiles. Fateor, hunc ratione baptismi susceptì, subiici Ecclesiæ correctioni, & pœnis, quibus non subiacent non baptizati: hoc tamen non arguit diuersam infidelitatem, sed eandem puniri ab Ecclesia in vno, quia eius subditus est, & non in alio, qui non est eius subditus: sicut etiam Princeps punit pœna capitali reum homicidij sibi subditum, qua pœna non punit reum eiusdem criminis, qui non est eius subditus.

65 Confirmatur primò, ex communi loquendi modo, quo hæreticos appellamus eos, qui solùm circa veram baptismi formam errant, & ideo verum baptismum non suscipiunt, quoad reliqua verò Christianam religionem profitentur, & acceptant. Sic enim Paulianistæ, qui verum baptismi ritum non seruabant, hæretici tamen vocabantur, vt constat ex Hieronymo dial. contra Luciferianos circa finem, & Innocentio I. *epist.* 22. *cap.* 5. & excepti fuerunt à regula communi, de non rebaptizandis iis, qui ex hæresi conuertuntur, quia hi hæretici carebant vero, & valido baptismo: sic etiam hodie Anabaptistæ, qui non nisi prouecta valdè ætate baptizantur, dicuntur hæretici etiam ante baptismum susceptum, vt notauit Coninch *vbi suprà num.* 59.

Confirmatur secundò, quia Christianus baptizatus è contra, si ad gentilismum transeat, nunquam à sanctis Patribus hæreticus appellatur, sed Apostata; sicut Iulianus Imperator Apostata dictus est, non hæreticus, & alij similes: & in vniuersum regulam vniuersalem constituunt, quod hæreticus non est, qui Christum omnino negat: sic enim dixit vniuersaliter Ambrosius lib. 7. in Lucam: *nemo hæreticorum Christi nomen negat.* & Gregor. *lib.* 20. *moral. cap.* 9. dixit, hæreticos sub nomine Christi contra Christum militare. Qui ergo Christum negat omnino, nec sub nomine Christi errat, non appellatur hæreticus, licèt baptizatus fuerit, si ad ritus, & sectas Paganorum, vel Iudæorum omnino transeat.

Ego itaque opinor, differentiam inter hæc tria membra, non esse attendendam ex eo, quod homo susceperit, vel non susceperit baptismum, vel circumcisionem, sed ex parte obiecti negati, & crediti: addo tamen, vt diuisio sit adæquata, & membra ad inuicem sint condistincta, debere rem hanc non omnino metaphysicè considerari, sed cum aliqua moralitate pendente ex arbitrio prudentis viri. Primam partem declaro, & dico, Iudæum in hac diuisione appellari eum, qui legem, & ritus Iudaicos profitetur: hæreticum verò eum, qui profitetur religionem Christianam, & adhuc non totam eius fidem tenet: paganum denique eum, qui neutram religionem profitetur, in quo sensu diuisio est adæquata: nulla enim infidelitas reperitur, quæ ad aliquod ex illis membris non pertineat: loquimur autem nunc de hæretico in latiori significatione, non strictè de eo, qui punitur ab Ecclesia pœnis hæreticorum. Ad hoc enim aliæ conditiones examinandæ sunt, vt baptismus susceptus, pertinacia contra Ecclesiam, & aliæ de quibus *infrà disp.* 20.

Dixi autem attendi hanc differentiam *ex parte obiecti negati, & crediti*, quia ad ferendum iudicium de singulis actibus infidelitatis seorsim, imò & de omnibus simul non sufficit considerare quale obiectum nostræ fidei per illos actus negetur, sed oportet etiam considerare, quid aliud de obiectis nostræ fidei homo ille credat, vel non credat. Nam omnia, quæ Iudæus negat de nostra fide, negat etiam Paganus gentilis; & tamen infidelitas vnius pertinet ad Iudaismum; alterius verò ad paganismum. Illa ergo infidelitas Iudæi; qua negat dogmata nostræ fidei, non habet denominationem Iudaismi præcisè ex obiectis, quæ negat: nam eadem etiam obiecta negat Paganus, sed etiam ex obiectis, quæ Iudæus credit, seu non negat, & ideo est Iudaismus quia negat talia dogmata, & idem homo credit alia etiam dogmata nostra, quæ quia gentilis non credit, ideo infidelitas, in qua conuenit cum Iudæo non vocatur in gentili Iudaismus, sed gentilismus, seu paganismus partialis. Et in hoc sensu concedi potest, quòd differentia inter has infidelitates desumitur aliquando ex parte subiecti: nimirum comparando infidelitatem Iudæi cum infidelitate pagani, qua præcisè negat, quod Iudæus etiam negat, non differunt ex obiecto illius infidelitatis, sed ex subiecto negante, vel non negante alia dogmata: si tamen comparetur tota infidelitas Iudæi, cum tota pagani, differunt etiam ex parte obiecti, cùm tota infidelitas pagani terminetur ad plures errores contra fidem nostram, quàm infidelitas Iudæi. Quod idem etiam inter diuersas hæreticorum sectas apparet: nam Arianismus, quatenus præcisè negat supremam potestatem Pontificis Romani, non differt à Lutheranismo, quatenus eam negat, ex parte huius obiecti negati: differt tamen ex parte aliorum articulorum, quos negat Lutheranismus, & Arianismus non negat, sed credit, & è contra: & ideo singuli errores Lutherani pertinent ad Lutheranismum, & singuli errores Ariani pertinent ad Arianismum, quia obiectum adæquatum vnius differt ab obiecto adæquato alterius.

Vt autem melius adæquatio diuisionis, & condistinctio ad inuicem harum trium infidelitatum in hoc sensu appareat, oportet explicare secundam partem conclusionis, & ostendere quomodo aliquid admiscendum sit moralitatis ad eam verifican-

rificandam. Diximus enim paganum v. g. dici, qui nec ritum Iudaicum, nec Christianum profitetur: Potest autem contingere, quod aliquis negans fidem Christianam profiteatur aliquid ex ritu Iudaico; sed ita parum, vt moraliter id non sufficiat ad hoc vt dicatur profiteri Iudaismum. Sic enim Mahometani circumcisionem vsurpant, & abstinent carnibus porcinis, non tamen eorum infidelitas dicitur simpliciter Iudaismus, sed Paganismus, quia illa pauca non sufficiunt, vt dicantur moraliter profiteri sectam Iudæorum: sicut etiam iidem Mahometani fatentur, Christum fuisse hominem sanctum, & Prophetam, quod quidem Iudæi negant, & Christiani fatentur: id tamen non sufficit, vt dicantur hæretici, quia non sufficit, vt dicantur profiteri religionem Christianam. Cùm enim Iudaismus, v. g. contineat plurimos ritus, & confiteatur plures articulos, denominatio Iudæi non debet sumi ex vno, vel alio ritu iudaico, sed ex maiori parte, & ex substantialibus illius religionis. Si autem aliqua secta introduceretur magis à paganismo distans, quàm Mahometani, & plura ex Iudaismo accipiens, tunc arbitrio prudentis iudicandum erit, an pertineat ad Iudaismum, vel ad Paganismum, & ideo diximus, aliquid moralitatis debere misceri, ad condistinguendas has tres infidelitates, & collocandas singulas infidelium sectas, in aliqua ex his tribus classibus infidelium. Quod idem necessarium esse poterit, ad discernendum, an secta aliqua pertineat ad hæresim, an potiùs ad Iudaismum, vel Paganismum: poterit enim miscere adeo pauca ex Christianismo, & adeo multa ex Iudaismo, vt potiùs pertineat ad Iudaismum, quàm ad hæresim, vel è contra; solùm posset esse difficultas; si aliqua secta ex æquo misceret, ex Iudaismo, & Christianismo, vel ex iudaismo, & Paganismo ad quam ex his tribus classibus reducenda esset. Sed hic casus nec vnquam positus est, nec moraliter videtur ponendus: & congruitatem huius diuisionis in prædictas tres classes, satis est, quod apta sit ad condistinguendas infidelitates, quæ de facto sunt, & quæ moraliter occurrere possunt: cùm tota hæc diuisio magis sit doctrinalis, quàm metaphysica, & potissimum fuerit inducta ad distinguendas leges contra infideles latas, & instructiones necessarias ad eos conuincendos, vel corrigendos.

69 *Quid dicendum sit de illo, qui recipit Nouum Testamentum, non tamen vetus.*

Hinc infero primò, quid dicendum sit de illo, qui recipit nouum testamentum, non tamen vetus: hic enim propriè erit hæreticus, quia recipit religionem Christianam, secundum ea, quæ sunt propria religionis Christianæ, & continentur in nouo testamento: imo etiamsi nec nouum testamentum admitteret: si tamen Christum admitteret, & præcipua dogmata Euangelij, non vt contenta in scripturis, sed vt per traditionem habita, adhuc esset propriè hæreticus, quia sub Christiano nomine errores profiteretur. Et quidem antequam quidquam noui Testamenti scriberetur, iam erant plures Christiani, & fortasse ex eis orti iam erant aliqui hæretici; vnde professio ipsa religionis Christianæ absque receptione Scripturarum sufficit ad constituendum hominem hæreticum, si ex parte à Catholica fide pertinaciter erret.

70 *Et quid de eo qui Vetus Testamentum negaret; sed tamen profiteretur legē Iudaicam, quasi ex traditione acceptam.*

Infero secundò idem esse de eo, qui vetus Testamentum negaret; sed tamen profiteretur legem Iudaicam, quasi ex traditione à Deo accepram: hic enim etiam pertineret ad Iudaismum,

propter eandem rationem. Vnde quando S. Thomas *dicto art.* 5. probat hanc diuisionem ex eo, quod omnis infidelis vel renititur fidei nondum susceptæ, & pertinet ad paganismum, vel renititur fidei Christianæ susceptæ in figura, & pertinet ad Iudaismum, vel denique renititur fidei Christianæ susceptæ in ipsa manifestatioe veritatis, & tunc pertinet ad hæresim: hæc inquam ratio non debet ita intelligi, vt ad Iudaismum necesse fuerit recipere figuras fidei Christianæ, provt contentas in veteri Testamento; sufficit enim eas recipere provt etiam per traditionem habebantur: sic etiam & ad hæresim sufficit recipere fidem Christianam, provt à Deo, licèt non recipiatur, provt manifestatur per scripturas: vbi obiter nota, per fidei *susceptionem*, quam S. Thomas præexigit ad Iudaismum, vel hæresim, non intelligit, vt suprà dicebamus, quod homo ille veram fidem Catholicam aliquando antea habuerit, sed quod tunc quando habet hæresim, admittat fidem Christianam, quoad alia præcipua dogmata etiamsi ea non credat fide supernaturali, sed humana; & similiter ad Iudaismum sufficit ritus legis Iudaicæ profiteri, & suscepere tunc quando fidem Christianam respuit.

71 *Supradicta diuisio infidelitatis an potuerit etiam locum habere ante Euangelium, & in statu legis antiquæ.*

Infero tertiò, hanc diuisionem potuisse etiam locum, cum proportione debita habere, ante euangelium, & in statu legis antiquæ, tunc enim si Iudæus fidelis postea in errorem aliquam contra suam fidem incideret, fuisset in rigore hæreticus: in quo puncto Suarez *dicta sect.* 4. *n.* 19. & 12. licèt benè asserat contra Bannes *dicto art.* 5. Iudæum illum tunc non incidisse in infidelitatem iudaismi, sed in hæresim, si ab aliquo solùm articulo deficiebat; si verò à tota lege, & eius fide, incidisse in Paganismum: ratio tamen quam reddit *num.* 11. non placet. Dicit enim diuisionem hanc magis abstracto modo intelligēdam esse, vt omnis ille, qui nullam reuelationem Dei sibi propositam suscipit, dicatur Paganus; qui verò reuelationem propositam expressam partim reiicit, partim credit saltem materialiter, dicitur hæreticus. Quare Iudæus tunc potuit fieri hæreticus, negando aliquem articulū ex propositis tunc sibi expresè. Non tamen erat tunc infidelitas illa, quam nunc appellamus iudaismum, quia non poterat tunc peccari, negando aduentum Christi, admissa fide Christi in figura.

72

Hic tamen explicandi modus non placet, vt dixi, quia non est verum, vniuersaliter loquendo, esse hæreticum illum hominem, qui reuelationem sibi expresè propositam partim suscipit, & partim respuit: nam ante aduentum Christi, si aliquis ex Iudæis transiret ad populum gentium, & crederet vnitatem Dei, & negaret immortalitatem animæ, & alia dogmata omnia Iudæorum, non esset propriè hæreticus sed paganus, etiamsi vnitatem Dei crederet, per traditionem ortam ex prima Dei reuelatione, provt nunc de facto credunt Mahometani, qui certè non omnes cognoscunt vnum Deū ex creatutis, sed id credunt ex traditione, & fide humana orta ex reuelatione Dei, & deriuata vsque ad Mahometem; & tamen ij negantes Christi diuinitatem, & diuisionem Dei futuram, & redemptionem per Christum, & alia huiusmodi, non dicuntur hæretici, sed pagani. Sic ergo potuit tunc contingere; nam multi ex populo gentilium, fidem habebant de Deo vno, & remuneratione, imò & de futuro aduentu Messiæ, vt constat de S. Iob, & aliis, qui

in ea fide, & lege naturæ salutem consequebantur: si ergo aliquis Iudæus relicto Iudaismo, sed retenta credulitate vnius Dei, negasset alios articulos, de aduentu Christi futuro expresè sibi propositos, non deberet dici hæreticus, sed paganus, provt nunc Mahometani dicuntur pagani, licèt confiteantur vnum solum Deum, ergo ad hæresim non sufficit retinere partem fidei expressè propositæ, & partem respuere, sed aliquid vlterius addendum est.

73 *Regula S. Thomæ ad distinguendas species infidelitatis.*

Possumus ergo dicere, nunc de facto has tres infidelium classes bene distingui per illam regulam sancti Thomæ, nempe per renitentiam ad fidem non susceptam vel ad fidem susceptam in figura, vel ad fidem susceptam in manifestatione veritatis. Sed in primo membro per *fidem non susceptam*, non debet intelligi, quod nihil à Deo reuelatum suscipiat, sed in iis tribus membris, *fides*, significat statum quendam fidei, de redemptione per Christum futura: quæ quidem fides constituebat statum Legis naturæ, & fideles illius temporis coniungebat in vnitatem fidei: postea in statu legis scriptæ, fuit fides Christi in figuris quatenus lex illa constituebatur per ritus, & sacrificia, & alia multa, quæ omnia Christum, & eius redemptionē futurā præfigurabant. Deniq; in lege noua eadē fides Christi præsēs posita est in manifestatione veritatis expressę. Pagani ergo dicuntur, qui non suscipiunt fidem de Christo, etiā provt in statu antiquo proponebatur. Iudæi, qui eam susciunt, & vtuntur ritibus Christi redemptionem præfigurantibus; quoad fidem tamen eadem erat fides Iudæorum, & gentilium fidelium, & vtrique eadem credere tenebantur; nam gentiles fideles licèt non tenerentur vti ritibus Iudæorum, debebant tamen credere omnia, quæ Iudæi credebant, si iis sufficienter proponebantur: quare vtrorumque infidelitas tunc ad eandem classem pertinebat, si deficiebant à vera fide. Nam si negabant redemptionem futuram per Christum, aut alia, quæ cum ea redemptione habebant necessariam connexionem, vtrique fiebant pagani: si verò negabāt alia minoris momenti retenta saltem materialiter fide Christi venturi; vtrique fiebant non pagani, sed hæretici; quia retenta fide de Christo, erroresalios tenebant. Nam *hæretici* nomen abstrahendo ab hoc, & alio tempore vsurpatur ad eos solos significandos, qui susceptā professione fidei veræ de Christo, alios errores miscent. Tunc ergo hæretici erant, quicumque sub professione Christi redemptoris futuri (quæ tunc erat vera Christi fides) alios errores habebant; quales erant Saducæi, negantes resurrectionem, & alij similes. Nunc autem, quia vera fides Christi, est solùm de Christo iam præsenti, ideo *hæretici* illi soli dicuntur, qui retēta confessione Christi, non futuri, sed præsentis, & redemptionis factæ, alios errores tenent: semper ergo idem fuit formale significatum huius vocis (*hæretici*) licèt pro mutatione status, variatum fuerit materiale significatum illius, quia nunc sola fides euangelica, est vera fides de Christo, quare sub sola illius professione dari potest hæresis: semper tamen fuit paganismus eorum, qui Christum non agnoscerent, & hæresis eorum, qui sub professione eius fidei, quæ tunc erat fides vera de Christo, alios errores miscebant.

Hæretici nomen quid præcisè significet.

74 *Iudaismus an semper fuerit,*

Dubium esse posset de infidelitate media, quæ nunc est Iudaismus, an semper fuerit, an verò ante aduentum Christi essent solùm duæ classes scil. infidelium, nempe paganorum, & hæreticorum, nam iudaismus tunc non continebat infidelitatem, sed professionem veræ, & Catholicæ fidei. Adhuc tamen dicere possumus, diuisionem hanc potuisse habere statum medium tertiæ classis mediæ inter Paganismum, & hæresim. Nam sicut nunc Iudaismus est classis media distincta à Paganismo, qui nihil credit de Christo, & distincta ab hæresi, quæ credit verè Christū venisse, Iudæus autem credit Christum, sed venturum; ita ante aduentum Christi poterat Iudæus errare, credendo falsò Christum venisse, qui error extraheret à iudaismo in quo Christus credebatur, & creditur venturus, & non tranferret ad Paganismum, quia crederet Christum promissum redemptorem, atque adeo faceret classem mediam correspondentem Iudaismo præsenti, quæ classis nunc nō habet nomen proprium: differret tamen à paganismo, & hæresi, sicut nunc Iudaismus differt ab illis. Nam sicut nunc Iudæus falsò credit Christum venturum, quem hæreticos verè confitetur venisse; ita tunc illa infidelitas media falsò crederet Christum venisse, quē Iudæi; hæretici, & Catholici verè crederent venturum: atque ideo secta illa fortasse appellata fuisset *Christianismus*. Vel alio nomine deriuato à nomine illius hominis, quem eius sectatores crederent esse Christum. De re autem constat illam fore infidelitatem mediam inter hæresim, & Paganismum, quia non minus differret à Iudæis, quàm nunc ab eisdem Iudæis differant Christiani, atquæ etiam hæretici: nam Christiani, de facto differunt potissimum à Iudæis, quòd credant venisse Christum, quē illi credunt venturum. Hæc autem differentia tunc etiam fuisset, cum hoc solo discrimine, quòd nunc Christiani hoc verè credunt; quod tamen tunc sectatores illius sectæ falsò crederent: quod non videtur augere, vel minuere differentiam: nam licèt per impossibile Christiana nostra religio falsa nunc esset, non ideo minùs differret à Iudaismo ex parte obiecti atque ideo nos non essemus solùm hæretici respectu Iudæorum, sed essemus infideles ita à Iudæis distantes, sicut Iudæi nunc distant à nostra vera religione, quæ est distantia maior, quàm hæreticorum, cum non errent intra eandem professionem de Christo.

77

Dices, infidelitas illa tertia, tunc solùm reniteretur fidei susceptæ in figura, cui etiam reniteretur hæresis Iudæi hæretici, & non fidei manifestatæ in veritate: ergo magis differunt nunc hæresis, & Iudaismus ex quibus hæresis renititur fidei secundùm veritatem manifestatam, & Iudaismus solùm fidei, secūdum figuram susceptæ, quàm tunc differrent hæresis mera, & infidelitas illa tertia credens Christū iam venisse. Respondeo eandem fore tunc differentiā inter illas tres infidelitates, quæ nunc est etiam iuxta regulam S. Thomæ. Nunc enim iuxta S. Thomam differunt, quia paganismus opponitur fidei nullo modo susceptæ, (hoc est, vt diximus, fidei Christi.) Iudaismus fidei Christi susceptæ in figura, & hæresis fidei Christi susceptæ secundùm manifestatam veritatem: hoc est, susceptæ, quatenus profitetur Christum iam in veritate manifestatum esse. Tunc autem totidem tres status possemus considerare in fide, cui opponerentur tres illæ infidelitates. Nam Paganismus opponeretur fidei de Christo venturo, nullo modo à Pagano susceptæ

susceptæ: infidelitas verò illa media asserens Christum iam venisse, opponeretur eidem fidei veræ de Christo venturo, susceptæ ab illo fideli, saltem secundùm figuram, & promissionem factam: hanc enim promissionem factam, & figuras præcedentes non negaret, sed reciperet ille infidelis, & pseudochristianus; sicut non negamus, sed recipimus veri Christiani: opponeretur ergo eius infidelitas fidei Christi venturi, susceptæ secundùm figuram. Denique hæresis mera Iudæi hæretici, opponeretur eidem fidei Christi venturi, susceptæ ab illo hæretico; etiam secùdùm negationem manifestationis veritatis, seu quatenus negat Christum venisse, quæ negatio manifestationis veritatis constitueret tunc statum vltimum illius fidei, sicut nunc manifestatio veritatis constituit vltimò statum fidei nostræ. Clariùs, & breuiùs, nunc tres infidelitates, vt supra diximus, differunt ex parte obiecti totalis, quia Paganismus negat omnino Christum: Iudaismus negat solùm venisse: hæresis vtrumque admittit, & negat alios articulos. Sic etiam tunc differrent tres illæ infidelitates ex parte obiecti totalis: Paganismus negaret omnino Christum; infidelitas media Pseudochristiani, negaret solum Christum venturum: hæresis denique neutrum negaret, sed vtrumque affirmaret & negaret alios articulos: essent ergo tunc eædem tres classes infidelium, mutato nomine classis mediæ, quæ nunc est Iudaismus in *Pseudochristianismum*, qui affirmaret falsò Christum iam venisse, sicut nec Iudæi falsò affirmant Christum adhuc venturum.

76 *An eadem tres infidelitũ classes potuerint inueniri in statu legis naturæ?*

Infero quartò eadem tres infidelitũ classes potuisse inueniri in statu legis naturæ, in quo vt ex superioribus suppono, fideles etiam credebant venturũ reparatorem, & redemptorem; siue fides illa necessaria esset necessitate medij siue solùm præcepti. Paganus ergo esset, qui Christum, seu reparatorem venturum non crederet, vel aliquid cum eo articulo connexum: hæreticus verò, qui circa alios articulos non connexos erraret. v. g. circa corporum resurrectionem: media autem infidelitas esset sicut diximus numero præcedenti, quæ negaret reparatorem venturum, & diceret iam venisse, quod eisdem rationibus probatur, quibus probatum est in statu legis scriptæ.

77 *Quid dicendum de Philosopho credente esse vnum Deum, & negante alios articulos fidei*

Infero quintò, quid dicendum sit de Philosopho credente esse vnum Deum, & negante alios articulos nostræ fidei. Respondeo enim ex dictis, illum Paganis annumerari, non solùm, si vnum Deum, ex ratione solùm naturali, & ex creaturis cognoscat, sed etiam, si per traditionem id acceperit, quæ ex prima Dei reuelatione ortum habuerit. Nam vt supra diximus, vt aliquis inter hæreticos, vel Iudæos numeretur, non sufficit in vno, vel alio articulo cum eis conuenire, sed debet conuenire, quoad substantialia: potissima autem substantia Iudaismi est credere Christum venturum: sicut & Christianismi credere Christum venisse: qui ergo neutrum crederet, nec Iudæus esset nec Christianus, atque adeo nec hæreticus, sed Paganis annumerandus, provt nunc annumerantur Mahometani, qui vnum solum Deum confitentur, & quorum plures non ex ratione naturali, sed ex traditione id tenẽt, quę fortasse ortum habuit à reuelatione Dei, atque ideo fide naturali potiùs quàm ratione Deum vnum solum confitentur; Quod magis verisimile est, si, vt dicunt, totum etiam Pentatheucum recipiunt.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

Cùm tamen Christum redemptorem venturum, aut venisse negent, numerantur cum paganis, qui Christi fidem nullo modo recipiunt.

78 *Atheismus ad quam speciem infidelitatis pertineat?*

Infero sextò Atheismum etiam in homine baptizato non pertinere ad heresim, sed ad paganismum, cùm non magis suscipiat fidem quàm Paganus, imò minus credat de Deo, quàm Ethnici idololatræ, qui ad minus non negant aliquod numen. Magis dubitari potest de Antichristo, & eius asseclis, ad quam infidelitatis classem pertineat eorum infidelitas. Nam Suarez *in præsenti dicta disp. 16. sect. 4. in fine*, breuiter dicit, infidelitatem illam Antichristi, & suorum ad Iudaismum pertinere. Hoc tamen limitatione indigeti nam si sermo sit de doctrina illius, qua negabit Christum Dominum fuisse Messiam, sed legem Moysis adhuc durare, eiusque obseruantiã à suis exiget, & tandem se verum Messiam promissum esse persuadebit: hæc quidem doctrinam infidelitatis Iudaismi continet, quatenus suscepta fide Christi in figura discedit a vero Christo, & negat eum ante illa tempora venisse: ipse tamen Antichristus nõ habebit interiùs hoc infidelitatis genus, nec credet se esse verum Messiam, sed erit fortasse Atheus, & Paganus in corde vt putat idem Suarez *2. tom. in 3. part. disp. 54. sect. 4. §. Hinc colligitur 1.* Vnde nec semper eius asseclæ infidelitatẽ Iudaismi retinebunt, si credimus eidem Auctori ilꝝ dicenti, quòd post obtentum regnum, & dominium, larvam deponet, & verum Deum negabit, Moysis legem contemnet, seque solum adorari iubebit: ipse verò in occulto Dæmonis idolum colet, à quo regnum, opes, & concursum, ad mirabilia patranda obtinebit, quibus homines seducat, & abducat ad eum solum colendum, & venerandum: quare iam tunc eius asseclæ magis erunt pagani, quàm Iudæi.

Hinc denique facile erit iam dissoluere aliqua, quæ contra hanc trimembrem diuisionem obiici solent. Primò obiicitur, quia sicut hæresis distinguitur à Iudaismo, ex eo quod hæreticus suscipiat fidem contentam in veteri testamento, & hæreticus recipiat vtrumque testamentum, sic etiam deberent distingui duę classes infidelitatis, quarum vna recipiat dimidium testamenti veteris, & altera recipiat totum illud. Respondeo ex dictis diuisionẽ hanc non attendi secundùm partes scripturæ, quæ recipiuntur; sed ex Christo recepto, vel non recepto, vt explicuimus: siue ergo recipiat totum testamentum vetus, siue partem, siue etiam nihil; si tamen aliquis recipit Christum promissum, & neget venisse, pertinet ad Iudaismum: sicut è contra, si recipiat verum Christum redemptorem, qui iam venit, & erret circa alia, est hæreticus, siue recipiat totum nouum testamentum cum veteri, siue solum nouum, siue partem solam illius, siue nihil: sufficit enim errare sub nomine Christiano, & sub confessione Christi iam præsentis, vt à Iudæo, & Pagano distinguatur. 79 *Obiectio 1.*

Secundò obiicitur, quia si aliquis confiteatur Christum, neget tamen omnem reuelationem externam, & dicat omnia reducenda esse ad spiritum, & instictum internum, & ideo se credere Christum, quia spiritus internus id dictat, hic non erit Iudæus, nec Paganus, vt constat, sed neque etiam erit hæreticus, cùm nullam reuelationem recipiat; ergo pertinebit ad aliam quartam infidelitatis classem; vel dicendum erit, ad hæresim solùm attendi, an infidelitas sit in homine *Obiectio 2.*

mine baptizato: ita arguit Hurtado *dicta disp.* 71. §.17. Respondeo illum esse propriè hæreticum, ad hæresim enim pertinent omnes, qui recipiunt fidem Christi manifestati in veritate, & iam præsentis: quando autem dicimus hæreticum recipere fidem Christi, non est sermo de fide vera, & formali, sed de fide materiali, & obiectiua; hoc est, recipere Christum, quem vera fides Christiana creditⁱ; & docet, etiamsi illum non recipiat per verum actum fidei diuinæ; imò certum est hæreticum non recipere Christum per veram fidem diuinam, cùm nullum habeat actum fidei, vt suprà vidimus. Sic etiam ad Iudaismum pertinet, qui recipit fidem Christi in figura, & tamen certum est, Iudæum non exercere verum actum fidei diuinæ circa figuras Christi, & vetus Testamentum. Sicut ergo ad Iudaismum sufficit recipere fidem Christi in figura, materialiter, & obiectiuè, id est, confiteri, id quod confitetur fides Christi in figura, licèt id non credat per verum actum fidei, ita ad hæresim sufficit recipere materialiter, & obiectiuè fidem Christi manifestatam in veritate, id est confiteri, Christum præsentem, quem confitetur vera fides Christiana, licèt id ab hæretico non credatur per verum actum fidei diuinæ. Neque ex hoc sequitur Philosophum sequentem vnum Deum, quem ex creaturis ratione naturali arguit, non esse Paganum, cùm iam credat idem obiectum, quod credit fides, licèt id non credat per actum fidei, sed per discursum ex ratione naturali. Hoc, inquam, non sequitur, quia Philosophus ille nullam fidem etiam obiectiuam recipit de Christo: diximus autem cum, qui omnino negat Christum etiam in figura, pertinere ad paganismum.

81 *Obiectio 3.* Tertiò obiicit idem Hurtado *ibi*, quia potest aliquis credere Christum venisse, & esse Deum, simulque colere alios Deos; vt ferè de Tiberio Cæsare fertur: hic ergo erit mixtus ex Christianismo, & Paganismo, & pertinebit ad aliam infidelitatis classem. Respondeo, Tiberium, & si quis alius similis inueniatur, Paganum fuisse: non enim agnouit Christum Deum, nec etiam Christum Dei, cùm non attribuerit Deo veram diuinitatem, sed fictam, & nihil de diuinitate habentem: sicut etiam Philistæi, & alij gentiles, qui Deum aliquem Hebræorum esse dicebant, illum tamen non agnoscebant vt verum Deum; sed vt vnum ex aliis Diis, qui eo ipso, quod plures erant, nullus erat Deus. Ad hoc ergo, vt aliquis non annumeretur Paganis, necesse est, quod Christum vel futurum, vel præsentem fateatur, Christum, inquam, Dei Filium, siue consubstantialem, vt fides catholica agnoscit, siue non consubstantialem, vt Arius ponebat; sed tamen qui sit Christus Dei veri, ab eo ad salutem mundi mittendus aut missus, à qua existimatione longè aberat Tiberius, & si quis fuit similis, cùm nullum verum Deum agnosceret, sed plures fictos cum essentia repugnante diuinitati.

82 *Obiectio 4.* Quartò obiicitur, quia dubitans de fide ad nullam ex illis tribus classibus spectat. Respondeo facilè, eo modo, quo dubitans in fide, est infidelis, reduci ad aliquam ex illis classibus: est enim quid commune ad omnes illas: nam si dubitat totaliter de fide Christi etiam in figura, pertinet ad Paganismum; si verò dubitet, an Christus venerit, pertinet ad Iudaismum: si verò de hoc non dubitet, sed de aliis, est hæreticus. Quod idem cum proportione dicendum est de apostasia, quæ etiam est quid commune ad Paganismum, & Iudaismum, & hæresim, solúmque ex parte termini, *à quo*, connotat fidem Catholicam priùs habitam, & postea desertam, de quo tamen dicemus *sect. sequenti*.

83 His ergo suppositis circa explicationem, & sufficientiam huius diuisionis; secunda difficultas principalis esse solet; An possit aliquis contrahere duas vel omnes illas infidelitates, ita vt sit Paganus, Iudæus, & hæreticus. Non est autem dubium, quin successiuè id fieri possit: simul verò esse non posse constat ex dictis; quia Paganismus cùm excludat Christi confessionem, etiam in figura non potest esse cum hæresi, quæ Christum expressè confitetur, nec cum Iudaismo, qui eum confitetur saltem in figura: similiter Iudaismus, qui Christum venisse negat, non potest simul esse cum hæresi, cùm hæretici non sint, qui Christum venisse non confitentur. Dubium est de Iudæo, qui simul negaret Thobiam habuisse filium, aut necessaria esse bona opera ad salutem: nam quatenus hoc negaret eius infidelitas non pertineret ad Iudaismum, cùm Iudæi etiam hoc confiteantur, ergo pertineret ad hæresim, atque adeo esset simul Iudæus, & hæreticus. Suarez *dicto n.* 13. dicit, per se non posse id contingere, posse tamen per accidens, ex conscientia erronea, quem modum loquendi imitatur etiam Hurtado *dicta disp.* 71. §. 18. *in fine*: sed vix intelligo quorsum hic sermo fiat de conscientia erronea. Quæ enim conscientia erronea requiritur, vt peccet contra fidem, qui negat necessitatem bonorum operum ad salutem? nam conscientia erronea, est dictans obligationem, vbi non est, vel eam negans vbi est, in hoc autem casu conscientia dictaret obligationem confitendi, & non negandi necessitatem bonorum operum, quæ obligatio verissima est. Solùm posset conscientia erronea habere locum, quando Iudæus persuaderet sibi obligationem credendi, v.g. perseuerantem necessitatem circumcisionis, & tamen eam necessitatem negaret, tunc enim ex conscientia erronea contraheret malitiam hæresis, quidquid sit, an esset dicendus simpliciter hæreticus. Sed neque est ille casus de quo nunc agimus; nec P. Suarez eum casum expresserat, dum agit de Iudæo, *qui non solùm repugnaret Christianæ fidei, sed etiam inter credenda in lege veteri, aliquid negaret.* Talis autem est Iudæus, qui negaret purgatorium, vel necessitatem bonorum operum, cùm hæc sint ex credendis in lege etiam veteri.

84 De hoc itaque breuiter dicendum est, iuxta id, quod notauimus supra, infidelitatem illam specialem circa illum articulum, si secundùm se consideretur, non differre quidem ab infidelitate, qua hæreticus Lutheranus, vel Caluinista eundem articulum negat, in illo tamen subiecto, non dare denominationem hæretici simpliciter, & absolutè, quia differentiæ harum trium infidelitatum, vt ibi diximus, non desumuntur ex obiecto singulorum errorum seorsim, sed ex obiecto adæquato totius infidelitatis, quæ est in illo subiecto; in quo obiecto adæquato, si non contineatur negatio Christi iam manifestati, homo ille dicitur hæreticus: si contineatur, dicitur Iudæus, vel Paganus, quæ denominationes desumuntur ab infidelitate totali, & non ab vna solùm parte illius. Quare ad rationem dubitandi propositam dicimus, illum quatenus præcisè negat illum articulum, nec esse Iudæum, nec Paganum

ganum, nec etiam hæreticum, sed infidelem infidelitate indifferenti, ad illas tres classes, ad quarum vnam pertinebit ex coniunctione, vel separatione ab aliis erroribus propriis Paganismi, vel Iudaismi, à quibus, quia separatus reperitur, ille error in Christiano ideo dicitur hæresis, vt supra dictum est.

85 *Quæ infidelitas harum trium grauior sit.*

Tertia difficultas est, quæ infidelitas harum trium grauior sit; de quo S. Thomas *dicta quæst. 10. art. 6.* vbi docet, in vna consideratione Paganismum excedere, quia plures fidei veritates negat, atque ita magis corrumpit fidem, quod idem dicit, de Iudaismo comparato cum hæresi: in alia tamen consideratione dicit paganismum excedi à Iudaismo, & hunc ab hæresi, quia grauius est peccare in fidem susceptam, quàm in non susceptam: hæreticus autem plus suscipit de fide quàm Iudæus, & hic plusquàm Paganus: quare omnibus pensatis concludit, hæresim esse pessimam omnium infidelitatum. Quam etiam doctrinam aliis verbis amplectitur Suarez *dicta sect. 4. num. 14.* dicendo Paganum extensiuè plus peccare, quàm Iudæum, & hunc plus quàm hæreticum; intrinsecè tamen grauiùs peccare hæreticum, quàm Iudæum, & hunc etiam grauiùs quàm Paganum: quod etiam colligit ex Chrysostomo *hom. 50. ad populum*, dicente eum, qui sub nomine Christiano recedit à fide esse peiorem gentili pro quo etiam affert Hieronymum *in c. 18. Isaiæ.*

86 Ego eamdem doctrinam cum S. Thoma libenter admitto; circa eam tamen duo aduertenda videntur. Primum est, comparationem hanc solùm versari inter ipsa peccata infidelitatis, non verò inter peccata vtriusque infidelis: fortasse enim plerumque plura, & grauiora peccata in aliis materiis committunt pagani communiter loquendo, quàm Iudæi, & plura fortasse Iudæi, quàm hæretici, saltem si sint ex illis hæreticis, qui solùm circa speculabilia errant, & non circa res practicas provt errant hæretici moderni, qui errant circa præcepta, tollentes de medio ieiunia, castitatem, pœnitentiam, & alia eiusmodi, quorum certè peccata plura sunt, quàm Iudæorum: comparatio ergo solum fit inter peccata infidelitatis, inter quæ grauius videtur hæresis, quàm Iudaismus, vel paganismus, propter maiorem libertatem, cognitionem, obligationem, &c. quæ sunt in Christiano, quàm in Iudæis vel Paganis.

87 Secundò aduertendum est, doctrinam hanc S. Thomæ, intelligi regulariter, & vt plurimum solet contingere: Aliquando enim, & non rarò contingit etiam, quod Paganismus, vel Iudaismus, sit peccatum grauius intensiuè, quàm hæresis multorum, nam sæpe Iudæus, vel Philosophus gentilis habet maiorem cognitionem circa res nostræ fidei, & circa obligationem eam amplectendi, quàm habeant multi hæretici, præsertim rustici circa dogmata fidei Catholicæ, in quibus errant, & circa obligationem ea amplectendi: similiter quando Christianus transit ad Paganismum, vel Iudaismum grauiùs proculdubio peccat, quàm si idem fieret hæreticus, quia cum æquali notitia, & obligatione retinendi fidem Catholicam, longiùs ab ea recedit per Paganismum, aut Iudaismum, quàm per meram hæresim. Idem etiam dicendū est de maiori grauitate extensiua, quam diximus esse in Iudaismo, & Paganismo, quàm in hæresi. Nam aliquando etiam in pluribus, & crassioribus errant hæretici aliqui, quàm Pagani, vel Iudæi, vt notauit S. Thom. dicto art. 6. in corpore, adducto exemplo Manichæorum. Communiter tamen in pluribus errant Pagani quàm Iudæi, & ideo multi, quos affert, & sequitur Diana 4. parte tractatu 7. de pœnis delictorum pertinentium ad tribunal sanctæ Inquisitionis resolut. 2. §. *sed ex dictis* meritò dicunt, licèt Ecclesia non puniat infideles non baptizatos: puniri tamen posse ab Inquisitoribus Iudæos, qui ex Iudaismo ad Paganismum, seu Mahometismum transeunt: quia Gregorius XIII. in Bulla edita anno 1581. statuit, quod puniantur ab Inquisitoribus Iudæi negantes, quæ habent communia cum Christianis circa fidem, vel Dæmones inuocantes, consulentes, eis immolantes, vel thus, & fumigationes offerentes. Constat autem in Mahometismo, vel Paganismo plura contineri contraria iis, in quibus credendis Christiani, & Iudæi conueniunt: quare meritò punitur Iudæus ad illas aliorum sectas transiens tanquam errores plures, & nouos contra id quod benè sentiebat admittens.

88 *An hæ tres infidelitatis species differant essentialiter, an solùm differentia accidentali.*

Quarta difficultas esse solet, an hæ tres infidelitatis classes, differant essentialiter, an solùm differentia accidentali. De quo dixi latiùs *disp. 16. de pœnitentia sect. 5. num. 288. & seqq.* vbi docui, debere explicari in confessione; quia quamuis non differant specie, quatenus opponuntur contra fidem; differunt tamen propter ritus, & cæremonias diuersas, quas includunt, & ex quibus differunt, quatenus opponuntur contra religionem. Cæterùm si considerentur præcisè secundùm malitiam, quam afferunt contra fidem, an differant specie sub genere infidelitatis: mihi omnino videtur non differre secundùm singulas partes. Nam Paganus, Iudæus, & Arianus, omnes negant Christum esse Deum: qui dissensus secundùm se consideratus, in his omnibus est eiusdem rationis, cùm habeat idem obiectum, & opponatur eidem veritati fidei. Difficultas ergo tota esse potest, an ij dissensus contra fidem qui non sunt communes iis omnibus sectis, sed proprij singularum, differant specie, & ratione illorum singulæ sectæ completè acceptæ differant specie inter se. Nam Iudæus, v.g. creditMessiam venturum, quod Paganus, aut hæreticus non credit. Item Paganus negat, promissum fuisse Messiam, quod Iudæus, & hæreticus non negant: denique Caluinista dicit, fidem sine operibus sufficere ad salutem, & nos Christi iustitia esse formaliter iustos, quod Paganus & Iudæus non dicunt. Hæc tamen est difficultas generalis; An infidelitates differant specie penes diuersas fidei veritates, quas negant, de quo mox diximus. Nunc solùm aduerto, Caietanum, & alios, quos affert Suarez *dicta disp. 16. sect. 4. num. 7.* agnoscere videri diuersitatem specificam, inter illas tres classes, non solùm completè acceptas, sed etiam in singulis partibus: nam desumunt differentiam, ex diuerso modo, quo singuli illi infideles opponūtur fidei, nempe vel nondū susceptæ, vt Paganus, vel susceptæ solùm in figura, vt Iudæus, vel susceptæ in manifestatione veritatis, vt hæreticus. Hoc tamen non sufficit ad differēriam specificam in singulis actibus; quia si per *fidem susceptam* intelligant, quod in eo subiecto antea fuerit vera fides, id quidem non requiritur ad Iudaismum, aut hæresim, vt suprà vidimus: nec ex hoc sequitur differentia, in ratione infidelitatis talis, sed circunstantia

Apostasiæ, quæ potest esse circunstantia generalis ad omnes illas tres infidelium classes, cùm Christianus possit postea fieri Paganus, vel Iudæus, vel hæreticus, & semper erit Apostata. De qua circustantia apostasiæ, an afferat differentiam specificam videbimus *sect. sequenti*: si verò (quod magis est fortasse iuxta eorum mentem) nomine *fidei susceptæ* solùm intelligatur, Iudæum, & hæreticum suscipere ex parte maiori, hel minori fidem Christianam saltem materialiter, & obiectiuè, quam Paganus nullo modo suscipit, id etiam non sufficit ad differentiam specificam in singulis actibus Pagani, à singulis Iudæi, vel hæretici. Nam solùm arguit ad summum differentiam secundùm magis, & minus, propter maius lumen, atque adeo maiorem obligationem, quam habet hæreticus, quàm Iudæus, & Iudæus quàm Paganus. Qui tamen excessus non est vniuersalis, cùm possit esse Iudæus, vel etiam Paganus doctus & perspicax, qui habeat maius lumen de credibilitate fidei, & de obligatione credendi, quàm aliqui hæretici rustici, nec potest aliqua vniuersalis regula circa hoc statui, vnde arguatur semper differentia specifica vniuersalis quoad singulos actus infidelitatis illorum infidelium, vt diximus.

89 *An & quomodo sub genere infidelitatis dentur species diuersa in ratione infidelitat...*

Maior ergo, & quinta difficultas esse potest, an & quomodo sub genere infidelitatis dentur species diuersæ in ratione infidelitatis, & vnde ea differentia desumenda sit. Non est autem sermo de differentia specifica physica, de qua non dubito, cùm possint esse diuersi dissensus erronei, ex motiuis diuersis in specie; sed sermo est de differentia specifica morali, quæ afferat malitiam moralem specie diuersam. Quam etiam diuersitatem fateor inueniri posse, inter duo peccata infidelitatis, saltem ex malitia contra religionem, vel aliam virtutem, cui alterum ex iis peccatis opponitur: ideo enim *loco citato de pœnitentia, n.* 293. dixi hæresim continentem blasphemiam differre specie ab hæresi non continente blasphemiam, & Iudaismum differre specie ab hæresi, quæ differentia debet esse in aliquibus erroribus Iudæi, qui differunt specie, ab aliis omnibus hæretici erroribus. Hæ tamen differentiæ non sunt formales sub genere infidelitatis, sed sub genere irreligiositatis, vel aliis vitiis: non enim est blasphemia, quia opponitur solùm contra fidem, sed quia aliquid indecorum appingit Deo.

90 Aliqui ergo plures assignant species sub peccato infidelitatis, v.g. illam, qua fides amittitur, & qua fides non amittitur. Sed de hac differentia an sit essentialis, diximus *supra disput. præcedenti sect. 5.* Et quidem illa, qua fides non amittitur, non est propriè infidelitas; nam omnis infidelitas propria expellit fidem, vt ibi ex Tridentino ostendimus. Hinc etiam non est ad rem differentia, quam affert in exemplum Hurtado *disp. 72. sect. 2. §. 6.* inter omissionem credendi, quando debet elici actus fidei, & inter commissionem dissentientis positiuè rebus fidei. Nam omissio etiam illa mera credendi, non est infidelitas, nec expellit fidem.

91 De ipsa ergo infidelitate propria, & perfecta idem sentit idem Hurtado *ibi sect. 3.* & affert plura exempla. Primum est §. 7. quia negans veracitatem Dei committit hæresim, seu infidelitatem specie diuersam ab eo, qui fatetur Deum summè veracem, & solùm negat reuelationem factam de tali articulo: nam ille primus appingit Deo aliquid indecorum, & indignum, nempe defectum veritatis: hic autem secundus non est inferius Deo, nisi communi ratione, qua omne peccatum est iniuria Dei.

Hoc tamen exemplum non est ad rem: fateor enim illa duo peccata differre specie, id tamen prouenit ex blasphemia saltem mentali, quam primum peccatum includit, & conuitium turpissimum in Deum, ratione cuius etiam intellectus contrahit veram malitiam, & speciem blasphemiæ contra religionem, vt probat Suarez *tom. 1. de religione tract. 3. lib. 1. cap. 4. numero 2.* Hæc autem, malitia non est diuersa formaliter in ordine ad fidem, sed in ordine ad religionem, cui aduersatur irreligiositas blasphemiæ: & quamuis in ordine etiam ad fidem grauior sit malitia in primo peccato, quo expresè negatur auctoritas Dei, quàm in secundo quo solùm negari videtur æquiualenter, quatenus negatur veritas obiecti, quod proponitur cum obligatione illud Deo credendi: hoc tamen non arguit differentiam specificam oppositionis contra fidem, quæ obligat ad credendum Deo, cui obligationi opponitur, quisquis non credit Deo, quod debet ei credere, siue id sit quia dubitat de Dei auctoritate, siue quia negat Deum loqui, quando id negare non potest.

Vrget eodem §. 7. quia secundus negat reue- 92
lationis experientiam, eo quod putat Ecclesiam aut fallere, aut falli; id autem opinari de Deo, est in deteriori specie, vt irreuerentia in Deum, est in irreligione, non verò irreuerentia in homines. Respondeo, peccata illa si comparentur in ordine ad irreuerentiam contra Deum, & contra Ecclesiam differre specie: vt sic autem non considerantur præcisè, vt opponuntur fidei; nam irreuerentia contra Ecclesiam, non opponitur formaliter fidei, sed alteri virtuti præcipienti cultum Ecclesiæ. Malitia ergo infidelitatis solùm debet considerari per oppositionem ad honestatem, quam formaliter intendit fides, quæ honestas non est aliud, nisi subiectio intellectus creati ad Deum loquentem. Hoc enim vnum intendit loquens, conciliare sibi fidem apud auditores: quare licèt veracitas, & reuelatio sint obiectum formale assensus fidei, & articulus creditus sit obiectum materiale; sed tamen si consideremus intentionem loquentis, hic minùs formaliter videtur intendere, quod credatur eius veracitas, & loquutio, quàm quòd credatur res dicta: assensum enim veracitatis, & loquutionis vult, vt media ad extorquendam fidem rei, quam dicit. Cùm ergo virtus fidei intendat formaliter hoc ipsum, nempe quòd homo credat Deo, videtur quasi materialiter intendere honestatem assensus circa motiua, quæ sunt media ad credendum Deo, & quasi formaliter, quòd homo credat Deo id, quod Deus dicit. In ordine autem ad hunc finem materialiter se habet defectus circa hoc medium, vel circa illud: licèt defectus ille circa veracitatem Dei ex alio capite, vt dixi, sit diuersus specie, propter oppositionem cum reuerentia Deo debita.

Secundum exemplum affert idem Hurtado §. 8. 93
quia ille, qui dissentit fidei propositæ sibi, visis magnis miraculis, diuersum specie peccatum habebit ab illo, qui dissentit eidem fidei propositæ sibi ab Ecclesia, aut per eadem miracula ab aliis relata. Grauius enim peccatum fuit Iudæorum resistentium tot signis à se visis, vt ponderat S. Ioann.

S. Ioannes cap. 12. in illis verbis: *eum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum.* Ratio autem à priori est, quia Deus multis modis specie distinctis potest facere euidenter credibiles suas reuelationes, contra quos modos committuntur peccata specie diuersa. Respondetur, illas duas infidelitates procul dubio non differre specie: quòd enim reuelatio Dei, hoc vel illo modo alicui proponatur, materialiter se habet in ordine ad obligationem fidei, & ad summum circunstantia illa miraculorum visorum aggrauabit intrà eandem speciem; nec id semper, quia fortasse multi nunc habent, omnibus pensatis, maiora motiua credendi, quàm habuerint Iudæi, visis miraculis: non sunt ergo ex eo capite multiplicandæ species infidelitatis.

94 Tertium exemplum affert §. 9. ex differentia mysteriorum fidei, quæ negantur. Nam dissensus v.g. de existentia Pauli Hierosolymis, vel de cane Tobiæ, nullam habet malitiam præter dissensum in reuelationem, vt propositam ab Ecclesia: assensus verò de Deo auctore peccati, aut de Dei mortalitate addit specialem iniuriam, & conuitium Dei: quis enim neget, deteriorem hæresim esse malè sentientem de Deo ipso, & Ecclesia, quàm de Ecclesia sola? Hoc etiam exemplum non est ad rem: nam differentia illa non est in genere infidelitatis, sed extrahit ad genus blasphemiæ contra religionem, de quo non est quæstio, sed de peccatis infidelitatis præcisè, quatenus sunt infidelitas contra fidem. Restat, ergo, quod intrà genus infidelitatis non dentur differentiæ specificæ, nec ex diuersitate reuelationum, nec ex diuersitate articulorum, vt cum aliis dixi *in dicto loco de pœnitentia n.* 289. Quando verò, & cur deBeant explicari in confessione diuersitates sectæ, vel hæresim propter alias malitias, quas secum afferunt, explicui eodem loco latiùs, nec oportet iterum nunc repetere.

Quando, & cur debeant explicari in confessione diuersitates sectæ, vel hæresium, remissè.

SECTIO IV.

De Apostasia: quid sit, & an sit, species infidelitatis.

95 DE hoc agit S. Thomas *quæst.* 12. sed potest etiam pertinere ad exactam cognitionem diuisionis infidelitatis in suas species. Aliunde ferè omnia, quæ ad hoc punctum spectant, sunt controuersiæ de vocibus, ideo breuiter hoc loco illa expediemus. Mitto autem Apostasiam latè sumptam, quæ significat recessum ab obedientia diuinorum mandatorum; & Apostasiam etiam ab ordine, vel à professione, aut statu religioso, de qua agitur in tractatu de religione: nunc autem solùm agimus de Apostasia à fide, quo nomine intelligitur recessus à fide iam suscepta: quare vltra infidelitatem addit recessum à vera fide, qui recessus non est in eo infideli, qui veram fidem nunquam suscepit: sicut non est Apostata à religione, qui nunquam fuit religiosus, etiamsi habuisset obligationem ex voto, vel ex alio capite ingrediendi religionem: sic Turca non dicitur Apostata à fide, quia licèt habeat obligationem fidem suscipiendi, nunquam tamen eam sucepit nec professus est.

Apostasia latè sumpta quid.

Apostasia à fide. quid.

96 Hinc oritur Prima difficultas, an ad Apostasiam requiratur recedere totaliter à fide Christiana, sicut Christianus transiens ad Mahometismum, vel Iudaismum, eam totaliter deserit: an verò sufficiat recedere ex parte, vt hæretici abiicientes fidem Catholicam, & hæresim amplectentes recedunt à Christiana fide, non omnino sed ex parte: Quod est quærere. An licèt non omnes Apostatæ sint hæretici, omnes tamen hæretici saltem, qui antea Catholicam fidem professi sunt dicendi sint Apostatæ.

An ad Apostasiam requiratur recedere totaliter à fide christiana.

Prima sententia satis communis negat, Apostatam appellari, nisi qui à tota Christi fide recedit ita Turrecremata Caietanus, Syluester Bañes, Aragon. Cano, Castro, Valentia, Sanchez, Azor, & alij Theologi & Iuristæ apud Suarem *disp.* 16. *sect.* 5. *num.* 3. quibus accedit Hurtado *disp.* 89. §. 5. sic enim Iulianum Imperatorem, qui post baptismum Christum omnino negauit, vocamus communiter Apostatam: Alios verò Imperatores, qui hæretici facti sunt, non Apostatas sed hæreticos appellamus.

Secunda sententia vult, ad Apostasiam id non requiri, sed sufficere, si fidem quis ex parte deserat: ita Suarez *vbi suprà num.* 5. Lorca *disp.* 50. *num.* 7. Coninch *disp.* 18. *dub.* 6. *num.* 55. quibus fauet Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 2. *aliàs* 54. vbi hæreticos inter Apostatas numerat. Verùm hæc, vt dixi, est quæstio de vocibus, & parum vtilis, quia quoad rem ipsam certum est, omnes hæreticorum pœnas, & quidquid in iure contra hæreticos statutum est, locum habere in Apostatis; vt ex *cap. contra Christianos, de hæreticis in.* 6. *& ex leg.* 2. *Cod. de Apostatis*, probat Suarez *vbi supra num.* 7. & alij, quos congerit & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 7. *num.* 18. neque è contra vlla pœna inuenitur imposita Apostatis, quæ non incurratur ab hæreticis. Quare parum refert, an recedens à fide ad solam hæresim dicendus sit simpliciter Apostata. Possumus ergo concedere, quemcunque recessum à fide sufficere ad Apostasiam non impropriam, licèt per antonomasiam; & in sensu magis stricto solus recessus negans omnino Christum, appellari interdum soleat Apostasia: certum tamen est, in vtroque reperiri malitiam illam recedendi à fide suscepta, licèt maior recessus sit in eo, qui totam fidem negat, quàm in eo qui negat solam vnam partem.

97 Secunda Difficultas est, an Apostata sit ille, qui semel fidem nostram amplexus est, & adhuc catechumenus deseruit eam ante baptismum. Affirmant Hurtado *dicta disp.* 89. §. 3. dicens illum esse Apostatam in foro conscientiæ, & coram Deo, non tamen in foro externo, & quoad pœnas Ecclesiæ: eodem ferè modo loquitur Lorca *dicta disp.* 50. *num.* 11. dicens esse Apostatam non quoad pœnas, sed quoad speciem peccati, & grauitatem circunstantiæ. Denique Suarez *dicta sect.* 5. *in fine*, dicit illam esse quidem Apostasiam, & circunstantiam notabiliter aggrauantem peccatum infidelitatis, non tamen afferre malitiam specie diuersam, qualem in eius sententia affert Apostasia in homine baptizato. Hoc etiam pertinet ad quæstionem de nomine: nam reipsa certum videtur adesse in Cathecumeno recedente à fide suscepta circunstantiam aliquam, quæ non est in infidelitate alterius, qui fidem nunquam acceptauit, siue illa sit, siue non sit notabiliter aggrauans; erit ergo quæstio de vocibus: an id sufficiat, vt appelletur *Apostata*: quare possumus etiam distinguere strictam significationem illius vocis, quæ videtur applicari iis solis, qui profes-

An apostata sit ille qui semel fidē nostram amplexus est, & adhuc catecumenus deseruit eā ante Baptismū.

sionem quasi emiserunt in fide Christiana, qualis professio in solo baptismo fit, & in hoc sensu Catechumenus non dicitur Apostata, si à fide recedat, quia videtur adhuc esse quasi nouitius in probatione ad Christianam religionem: quare sicut nouitius deserens ordinem religiosum non dicitur Apostata, & hoc, etiamsi votum perseuerantiæ ex sua deuotione emisisset: sic Catechumenus, licèt peccet recedendo à fide, non dicitur Apostata. Cæterùm, si hoc ipsum nomen latiùs vsurpetur, poterit illi tribui, & quidem non impropriè. Quia licèt Apostata à religione non sit propriè nouitius etiamsi per votum se obligasset Deo ad perseuerantiam; hoc tamen ideo est, quia non potest esse Apostata à religione, nisi qui recedit à statu religioso: nouitius autem nondum habuerat eum statum, qui cùm sit aliquid iuris positiui humani, non potest contrahi, nisi per professionem, aut vota religiosa ad eum finem ab Ecclesia acceptata. At verò fides est aliquid internum; & independenter ab omni professione externa vel acceptatione Ecclesiæ, potest aliquis esse verè fidelis: quare si recedat postea ab hoc fidelitatis statu potest propriè appellari Apostata à fide Christiana, seu à statu fidelitatis, licèt non appelletur Apostata stricte, seu Ecclesiasticus: non enim recessit ab Ecclesia, in quam nondum visibiliter fuerat acceptatus, sed erat quasi nouitius, & in probatione, vt suo tempore per baptismum acceptaretur. An verò possit dici hæreticus, dicemus suo loco, agentes de hæresi.

98 *An sufficiat Baptismus semel susceptus, vt aliquis postea appelletur Apostata, fidem Catholicam negans?*

Tertia Difficultas esse potest: an è contra sufficiat baptismus semel susceptus, vt aliquis postea appelletur Apostata fidem Catholicam negans: quod est quærere; An omnes hæretici, eo ipso sint Apostatæ saltem in eo sensu, quo diximus, recedentes non totaliter, sed partialiter à fide, posse appellari Apostatas. Suppono enim hæreticum, saltem in sensu fori externi, non esse, nisi qui baptizatus sit, vt suo loco videbimus. Certum est, non omnes hæreticos esse Apostatas in eo stricto sensu, quo Apostata dicitur, qui à fide totaliter recedit: & in hoc sensu Doctores communiter distinguunt hæreticos ab Apostata, quod hic nihil fidei Christianæ retineat, hæretici autem non sint, nisi qui nomen saltem, & professionem Christianitatis retinent. Quæstio ergo solùm esse potest in alio sensu minùs stricto, in quo ij etiam, qui partialiter fidem susceptam deserunt, dicuntur apostatæ; in quo sensu multi dicunt, omnes hæreticos esse apostatas. Quod videtur supponere Suarez *infra disp.* 19. *in principio ante sectionem primam*: vbi vniuersaliter dicit, apostasiam committi proprio, & speciali modo ab illo, qui post baptismum receptum, quæ est peculiaris fidei professio, & ianua Ecclesiæ, fidem reliquit, & ab Ecclesia per infidelitatem separatur. Clariùs loquitur Lorca *disp. dicta*, 5 o. *n.* 7. dicens, ab hæresi nunquam separari circunstantiam hanc, quæ est recedere à fide susceptæ: ab aliis verò infidelitatibus separari posse: *Differentia ergo* (inquit) *inter hæresim, & apostasiam est inferioris à superiori, quia omnis hæreticus est apostata, non tamen omnis apostata est hæreticus*: eodem modo loquitur Hurta. dicta disp. 89, §. 3. vbi ait: *vnde omnis hæreticus est apostata, quia est desertor fidei semel iam susceptæ.*

99 In hoc etiam potest esse quæstio de vocibus; & quidem de re ipsa loquendo, certum mihi est, posse esse in rigore hæresim sine malitia formali, & propria apostasiæ. Nam si aliquis ab infantia apud hæreticos baptizetur, & postea adultus ignoret omnino inuincibiliter se esse baptizatum, & hæresim culpabiliter suscipiat, erit propriè hæreticus, & tamen malitiam formalem apostasiæ non contrahet: cùm enim omnino ignoret se aliquando fidem Catholicam suscepisse, aut eam fuisse in baptismo professum: non contrahet magis malitiam formalem desertoris fidei, quàm si baptizatus non fuisset. Quia non potest scire se deserere, qui non potest scire, se illam fidem aliquando suscepisse: non est ergo verum in vniuersum, quod omnis hæreticus contrahit malitiam propriam apostasiæ; incurret tamen omnes apostatæ pœnas Ecclesiasticas, quia hæ non sunt aliæ à pœnis hæreticorum, vt diximus.

100 Rursus quod ad rem attinet: distinguere oportet duplicem fidei desertionem, iuxta duos etiam modos, quibus fides antea suscipi potuit. Potuit enim suscipi, per assensum, & acceptationem internam, & voluntatem piæ affectionis, qua eam homo firmiter amplectitur: vel potuit etiam suscipi per actum externum, qui sit professio solemnis explicita, vel implicita eiusdem fidei, qualis est baptismus, quo ius acquiritur Ecclesiæ ad exigendam perseuerantiam in fide ab eo, qui iam per baptismum eidem Ecclesiæ aggregatus est. Prima fidei susceptio sufficit proculdubio, vt homo dici possit fidei desertor, si deficit à fide, quam iam suscepit, & in eodem sensu possit dici Apostata; saltem in ordine ad Deum, vt antea diximus. Secunda verò susceptio sufficit, vt dicatur Apostata, & fidei desertor in ordine ad Ecclesiã, quia deserit fidem, quam implicitè per baptismum professus est, & ad cuius retentionem, manet Ecclesiæ obligatus: quare omnes Ecclesiasticas Apostatæ pœnas incurrit: non tamen contrahit malitiam illam fidei mente, & corde antea susceptæ desertæ, si verè eam nunquam corde, & mente susceperat, atque ideo non est Apostata ita plene, sicut qui fidem antea, mente, & corde susceperat. Hoc itaque ad rem ipsam pertinet: quoad modum autem loquendi fatemur, inualuisse, vt sufficiat baptismus susceptus ad nomen Apostatæ participandum, quia Ecclesia de occultis non iudicat, & inuenit iam illum hominem extrius fidem per baptismum suscepisse, atq; adeo si adultus baptismum suscepit, obligasse se, saltem implicitè ad eandem fidem retinendam: si verò baptizatus fuit in infantia, præsumitur, quòd factus adultus baptismum ratificauit, & consequenter obligationem etiam per baptismum contractam ad perseuerandum in fide.

101 Quarta, & grauior difficultas esse solet: An apostasia sit species infidelitatis: aliqui enim volunt diuisionem illam infidelitatis in Paganismum, Iudaismum, & hæresim, esse ex eo capite diminutam, quia vltra tria illa membra, datur quartum apostasiæ, Aduertendum autem est, duas posse in hoc puncto esse quæstiones diuersas. Prima est, an apostasia addat supra Iudaismum, v. g. malitiam specie diuersam propter desertam fidem iam antea susceptam. Secunda quæstio est, an hæc malitia propria apostasiæ, sit non solùm contra alias virtutes, sed etiam contra virtutem fidei, & ratione illius constituat nouam speciem infidelitatis, quæ directè pertineat ad genus infidelitatis, propter diuersam oppositionem, quam habet cum fide.

Incipiendo ergo ab hac secunda quæstione: Non

Non pauci dicunt, Apostasiam esse propriam speciem infidelitatis: ita Caietan. Bañes, Aragon. Valentia, Azor, Alfonsus de Castro, & alij, quos affert Suarez *dicta disp.16.sect.5.num.7.* quorum aliqui dicunt esse quartam speciem præter Paganismum, Iudaismum, & hæresim; atque adeo in Apostata pagano reperiri duas species infidelitatis, nempe Paganismum, & Apostasiam: alij dicunt esse hæresim; quare ille qui à fide transit ad Paganismum habet solùm infidelitatem hæresis.

Alij communiter melius negant, esse propriam speciem infidelitatis, sed dicunt esse circunstantiam, quæ reperiri potest in qualibet alia infidelitate: nam si Christianus Catholicus fiat Paganus, Apostasia aggrauabit Paganismum: si verò fiat Iudæus, vel hæreticus, Iudaismus, vel hæresis habebit circunstantiam Apostasiæ. Ita videtur expressè docere S. Thomas *dicta quæst.12.art.1.ad 3.* & sequuntur Cano, Turrecremata, Angelus, Paludanus, & alij, quos affert, & sequitur Suarez *vbi supra num.8.* Lorca, *disput.50.num.7.* Hurtado *disp.89.§.6.* Et probatur exemplo aliarum virtutum; in quarum violatione non inuenitur malitia specie diuersa contra illas virtutes, ex eo quòd aliquis antea eas virtutes amplexus esset, v.g. non est intemperantia specie diuersa in genere intemperantiæ, quando fit ab eo, qui antea temperans erat: nec primum furtum est specie diuersum in materia iustitiæ, ex eo quòd antea Iustitiam obseruaueris; ergo neque erit infidelitas specie diuersa in genere infidelitatis, ex eo quod antea fidem amplexus fueris, sed ad summum erit circunstantia aggrauans intra eandem speciem. Neque enim magis opponitur veracitati Dei deserere, quàm negare illam, vel certè hæc oppositio non est specie diuersa, licèt possit regulariter esse grauior propter maius lumen quod Catholicus habebat ad non negandam fidem, quàm infidelis ad eam recipiendam: peccari tamen cum maiori lumine non refundit malitiam specie diuersam.

103 *Obiectio.* Obiciunt: quia Catholicus deserens fidem, eo ipso fit hæreticus, & incurrit pœnas hæreticorum. Alioquin si transiens ad Paganismum, vel Iudaismũ non fieret hæreticus, sequeretur quod si priùs factus sit Arrianus, postea multiplicando hæreses desineret esse hæreticus, quod videtur absurdum; ergo fatendum est omnem Apostasiam esse hæresim, & per consequens esse speciem quandam determinatam infidelitatis. Ad hoc tamen facilè constat ex supradictis: negamus enim, transeuntem ex fide ad Iudaismum, vel paganismum esse propriè hæreticum: nam hæreticus, vt vidimus, retinet professionem Christianitatis, & confitetur Christum: punitur tamen pœnis hæreticorum, quæ non latæ sunt contra solos hæreticos, sed etiam contra omnes Apostatas: vnde in *cap. contra Christianos, de hæreticis in 6.* ille non dicitur hæreticus sed puniendus vt hæreticus. Nec ideo est melioris conditionis, multiplicando hæreses: nam licèt amittat denominationem hæretici, & nominetur Iudæus, vel paganus retinet quidquid mali est in hæretico, & amittit particulam aliquam boni, quæ in hæretico erat, dum adhuc Christum credebat, & profitebatur. Nec hoc fit in rigore multiplicando hæreses: nam negare Christum non est hæresis, sed Iudaismus, vel Paganismus. Fit tamen de hæretico non hæreticus multiplicando infidelitates, quia multiplicatio illa, tollit illam particulam boni, quæ remanebat in hæretico confitente adhuc Christum: sicut etiam ad temperantiam requiritur aliquid comedere; qui enim nihil comedit non est temperans; & tamen plus & plus comedendo fit intemperans: ad liberalitatem etiam requiritur aliquid donare vel expendere, & tamen multiplicando donationes, & sumptus, desinit homo esse liberalis, & fit prodigus. Magis etiam ad rem nostram exemplum habes in religioso, qui fugiens ad tempus appellatur *fugitiuus*, multiplicata autem fuga, seu continuata, relicto animo redeundi, desinit esse *fugitiuus*, & fit Apostata, loquendo de *fugitiuo*, provt significat aliquod peccatum speciale condistinctum ab Apostasia, vt cum aliis obseruauit bene Thomas Sanchez *lib.6. in Decal.cap.8.n.2. & 3.* contra nonnullos confundentes fugitiuum cum Apostata, quos minùs cautè imitatus est Lorca *in præsenti Disput.51. num.1.* sic ergo hæreticus multiplicando infidelitatem, desinit esse hæreticus, quia hæresis est mixtum ex fide Christi, & aliis erroribus: omne autem mixtum, multiplicato vno ex simplicibus, amittit nomen mixti, & transit in alium statum.

Restat nunc prior quæstio suprà proposita. An licèt Apostasia non sit propria species infidelitatis, addat tamen malitiam specie diuersam, saltem contra aliam virtutem, ratione cuius hoc peccatum differat specie ab infidelitate, siue apostasia: de quo dixi *disput.16. de pœnitentia sect.5. num.294. & sequentibus*, vbi retuli sententiam Suarij, & aliorum, qui volunt eam circunstantiam explicandam esse in confessione, quia vel addit malitiam specie diuersam propter violationem promissionis specialis præstitæ in baptismo; vel saltem aggrauat notabiliter intra eandem speciem. Quam sententiam, & rationem, quoad necessitatem explicandi circunstantiam illam in confessione, impugnaui ibi, ex inconsequentia intrinseca, quam continet: illa enim sola circunstantia necessariò explicanda est in confessione, quam confessarius audito peccato, non potest scire, an fuerit in illo peccato, vt constat: violatio autem promissionis, vel obligationis specialis ortæ ex baptismo (si quæ est talis promissio, vel obligatio specialis ex baptismo) non est circunstantia talis, quam ignorare possit confessarius, etiamsi non explicetur. Nam quoties pœnitens se de aliquo peccato accusat, eo ipso, tacitè significat esse commissum post baptismum: peccata enim ante baptismum commissa, non possunt esse materia confessionis, vt constat ex Tridentino, & est certissimum, ergo eo ipso significatur circunstantia violatæ promissionis, vel obligationis ex baptismo ortæ, ad quid ergo explicare debet vlterius circunstantiam illam, cum sufficiat confiteri infidelitatem, vt intelligatur esse post baptismum commissa? Repugnat ergo in ipsis terminis dicere, circunstantiam illam, esse violationem obligationis ex ipso baptismo ortæ, & esse adhuc à pœnitente explicandam.

104 *An Apostasia addat malitiam specie diuersam propter desertam fidem iã susceptã.*

Indicaui præterea in eodem loco nullam eiusmodi promissionem specialem, aut votum fidei retinendæ fieri in baptismo, quod etiam cum aliis multis, quos affert, docet Thomas Sanchez *lib.4. de voto cap.1.num. vltimo.* & Hurtado *in præsenti disp.71.sect.3.§.12.* qui bene aduertit, in baptismo non solùm baptizatum profiteri fidem, sed renũciare Diabolo, & omnibus eius actibus: quare

re si ex hoc otiretur promissio specialis circa fidem retinendam, eadem esset circa alia peccata mortalia vitanda; quod tamen nemo admittit.

105 Denique dixi etiam eodem loco, facilius posse inueniri specialem hanc malitiam in Apostasia, quatenus Apostata recedit à subiectione, & obedientia, quam ex baptismo suscepto debet Ecclesiæ, & summo Pontifici, cùm subditus per baptismum factus est, à qua obedientia, & subiectione recedit transiens ad aliam sectam. Hæc tamen malitia imprimis non est vniuersaliter communis omni Apostasiæ latiùs acceptæ: nam Catholicus transiens ad aliquam hæresim peculiarem, quæ non negaret supremam Pontificis potestatem, non contraheret hanc malitiam, & tamen esset Apostata à fide per baptismum suscepta; sumpto saltem *Apostatæ* nomine in minùs stricta significatione, & prout diximus supra, omnes hæreticos posse non impropriè vocari Apostatas. Deinde Cathecumenus, qui à fide suscepta rediret ad Iudaismum, vel Paganismum, posset etiam vocari Apostata in minus stricta significatione, vt supra etiam concessimus: & in eo non inueniretur hæc specialis malitia, cùm adhuc non contraxisset subiectionem, & debitum obedientiæ respectu Ecclesiæ, vel Pontificis, saltem debito proximo, quod contrahitur in baptismo, licèt haberet debitum aliquod remotum, quatenus haberet debitum suscipiendi baptismum, quo suscepto contraheret debitum proximum, & fieret subditus Ecclesiæ. Denique quidquid de hoc sit, certum est ex supra dictis, hanc specialem malitiam, non esse explicandam in confessione, nisi quatenus explicatur qualitas sectæ, ad quam post baptismum transit; qua explicata, iam eo ipso confessio constat, negatam esse obedientiam Pontifici debitam, quam sectatores illius sectæ communiter negant cùm nulla sit hodie secta, quæ non includat schisma, & neget obedientiam Romano Pontifici: si tamen aliquis in specialem aliquam hæresim incidisset, ab obedientia Pontificis extrahentem, deberet hanc circunstantiam in confessione explicare, nec sufficeret dicere, se admisisse assensum aliquem contra fidem, quia per hoc non explicaretur violatio subiectionis debitæ Ecclesiæ, & Pontifici; sicut propter eandem rationem dixi *disp. illa 16. de pœnitent. n. 292.* debere explicari qualitatem sectæ, ad quam aliquis transiit propter diuersa alia peccata, quæ singulæ sectæ afferre, & proficeri solent, contra alias virtutes specie diuersas, licèt in ratione infidelitatis non habeant differentiam specificam.

DISPVTATIO XIX.

De infidelitate Paganismi, & Iudaismi, quæ reperitur in non baptizatis.

SECTIO I. *Vtrum infidelitas aliquando sine peccato infidelitatis contingat.*

II. *De potestate Ecclesiæ in infideles non baptizatos, quæ, & quanta illa sit.*

III. *An infideles non baptizati possint retinere potestatem, vel iurisdictionem supra fideles, & an possint ea potestate priuari.*

DE Paganis, & Iudæis baptizatis nihil speciale dicendum est, cùm in foro Ecclesiæ, æquiparentur hæreticis, quoad omnes pœnas, vt diximus *disp. præcedenti sect. vltima*, atque ideo cum hæreticis solent computari in omnibus odiosis. Vnde prohibitio etiam matrimonij, cum infidelibus quoad impedimentum dirimens non habet locum in matrimonio cum Iudæo, vel Pagano baptizato, sed cum non baptizato. Prohibitio autem coniungendi, & conuersandi cum Iudæis, an intelligatur etiam respectu Christiani Apostatæ, qui ad Iudaismum transiit, videbimus infra, agentes de hac prohibitione, *disp. 24. sect. 4.* vbi de communicatione in vniuersum cum infidelibus sermo redibit. Nunc ergo pauca aliqua tractanda erunt, quæ ad hos simplices infideles non baptizatos pertinere possunt.

SECTIO I.

Vtrum infidelitas aliquando sine peccato infidelitatis contingat.

INfidelitas dupliciter sumi potest: primò vt in- 1
uoluit vitium, & malitiam, ac oppositionem contra præceptum fidei, & in hoc sensu certum est, non posse esse sine peccato, sicut nec homicidium, aut periurium si formaliter considerentur: nam licèt possit contingere occisio priuata auctoritate, & sine excusatione inculpatæ tutelæ, & tamen sine peccato saltem graui, vel propter inaduertentiam, vel propter ignorantiam inuincibilem: tunc tamen non erit propriè, & formaliter homicidium, quia non habet malitiam formalem iniustitiæ, quam homicidium essentialiter inuoluit: sic ergo *hæresis* non potest contingere sine peccato graui, quia hoc nomen significat errorem contra fidem cum pertinacia culpabili, quod idem dici potest de infidelitate, si formaliter, & strictè accipiatur. Nunc ergo non loquimur de infidelitate in hoc sensu, sed magis abstractè, prout secundùm modum nostrum concipiendi indifferens est ad culpam, & ad carentiam culpæ: & quærimus, an error contra fidem nostram contingere possit solùm materialiter, & absque malitia formali infidelitatis. Nec etiam est dubium de vno, vel altero errore contra vnam, vel alteram veritatem nostræ fidei: nam eiusmodi errores etiam in Catholicis, non solùm imperitis, & rusticis, sed aliquando etiam peritis, & doctis inueniuntur absque culpa. Sed quæstio est de errore contra fidem nostram vniuersalem, qualis erat in Paganis, Gentilibus, vel etiam hæreticis an totus ille status infidelitatis excusari aliquando possit à peccato saltem graui, propter ignorantiam inuincibilem errantis. Vel certè an possit in vtrisque tam fidelibus, quàm infidelibus ignorantia inculpabilis reperiri, earum rerum, quarum fides necessaria est ad salutem æternam.

Rursus quæstio hæc duplicem sensum habere potest; primus est, an possit esse ignorantia inculpabilis horum obiectorum talis, vt ea obiecta, nec

nec ex reuelatione diuina credantur per fidē, nec etiam aliunde cognoscantur, v.g. vt sine culpa aliquis ignoret esse vnum Deum, qui prouidentiam habeat rerum humanarum, & præmiū, suppliciúmque statuat bene, vel malè operantibus; animam esse immortalem, & alia huiusmodi, quæ independenter à reuelatione diuina, & solo naturæ lumine cognosci possunt. Secundus sensus est; An possit sine culpa ignorari reuelatio Dei, de his obiectis, qua reuelatione ignorata, credi non possunt per fidem, licèt aliunde cognoscantur, quæ cognitio non sufficit ad salutē, quæ sine fide obtineri non potest. Prior autem sensus non pertinet ad hunc locum, sed tractari solet *in prima secundæ* vbi agitur de ignorantia; & ibi quæritur, an possit dari ignorātia inculpabilis circa ea, quæ sunt de iure naturæ. Et omnes ferè concedunt posse saltem pro aliquo tempore dari circa aliqua ex iis obiectis, non solùm quæ obscuriora sunt, vt de prohibitione vsuræ, de malitia mendacij ex causa prolati, de malitia simplicis fornicationis, de pluralitate vxorum prohibita, & similibus: sed etiam circa obiecta alia clariora; vt de vindicta non sumenda propria auctoritate, & de aliis ad Deum pertinentibus, vt fatetur Suarez *disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 7. Coninch *disp.* 18. *dub.* 2. *num.* 12. Vasquez & alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 16. *num.* 33. qui affert in exemplum pollutionem voluntariam, cuius malitiam aliqui præsertim pueri, qui aliunde peccare possunt, inuincibiliter ignorant. Alia verò obiecta clarissima sunt, quæ ignorari nō possunt, vt malitia homicidij sine causa commissi, debere parentes honorari, quod tibi non vis alteri non esse faciendum, & his similia. An verò circa Dei existentiam, & eius prouidentiam dari possit aliquando ignorantia inculpabilis, nō est huius loci vt dixi; nunc enim solùm agimus de peccatis contra fidem: illa autem ignorantia, si daretur in homine, qui nullam notitiam, vel suspicionē habuit de diuina reuelatione, etiamsi esset peccatum; non tamen esset contra fidem, sed contra obligationem naturalem cognoscendi Deum ex creaturis, & eius effectibus.

3 *An ignorantia nostræ fidei vel totius vel eius partis quæ necessaria est ad salutem, quatenus per fidem nosci possunt, contingat sine graui peccato.*

Posterior ergo solus sensus est, qui pertinet ad hunc locum, an scilicet ignorantia nostræ fidei, vel totius, vel eius partis, quæ necessaria est ad salutem, quatenus per fidem nosci possunt, contingat sine graui peccato. Suppono autem, inter ipsos fideles posse aliquando reperiri ignorantiā inculpabilem, non solùm aliarum rerum fidei; sed etiam illarum, quarum fides explicita est necessaria ex præcepto, vt cum aliis fatentur Suarez *disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 10. Hurtado *disput.* 65. *sect.* 2. §. 10. Vasquez, Azor, Nauarrus, & alij multi, quos affert & sequitur Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 3. *num.* 20. addens, non rarò, sed frequenter eam ignorantiam inculpabilem contingere. Difficultas esse potest, an cōtingat etiam hæc ignorantia, seu omissio fidei explicitæ inter fideles, inculpabilis, circa ea, quorum fides explicita necessaria est, necessitate medij; quale est, Deum vnum esse, & remuneratorem, & in satis communi sententia, Trinitas personarum, & incarnatio.

4 Negant à fortiori omnes ij, qui eam ignorantiam inculpabilem etiam in infidelibus non concedunt, quos postea referemus. Sed specialiter inter fideles dari non posse dicunt Gabriel. *in* 3. *dist.* 25. *art.* 2. *post.* 5. *concluſ.* Durandus *ibid. q.* 1. *num.* 9. quos sequitur Eman. Roderic. 1. *tom. sum-*

ma cap. 88. *num.* 4. & Lorca *hic disp.* 34. *& in* 1. 2. *sect.* 4. *disput.* 30. Alij tamen eam ignorantiam inculpabilem admittere videntur, loquuntur enim vniuersaliter de articulis nostræ fidei: ita loquitur Sanchez *dicto lib.* 2. *in Decal. cap.* 3. *num.* 20. vbi vniuersaliter loqui videtur de ignorantia etiam circa necessaria necessitate medij: nam postea *num.* 23. dicit instruendos esse eos rusticos in articulo mortis à Confessario circa Trinitatem, & Incarnationem, quorum fides explicita est necessaria necessitate medij: quorum rusticorum ignorantiam, *num.* 21. cum Azorio dixerat esse sæpe inuincibilem. Eodem modo loquitur Coninch *disp.* 4. *dub.* 11. *n.* 231. & 233. Clariùs id docet Castro Palao 1. *tom. tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 11. *n.* 5. Addit tamen, eam ignorantiam inuincibilem circa necessaria necessitate medij, rarò inter fideles contingere: loquitur autem non de fide explicita Trinitatis, vel Incarnationis (hanc enim superiùs *punct.* 9. *n.* 7. dixerat, non esse medium necessarium) sed de ignorantia circa fidem Dei potentis remittere peccata, & gratiam, gloriámque concedere, quam dicit esse necessariam necessitate medij.

Ego distinguendum puto iuxta id, quod dixi *supra, disp.* 12. *sect.* 4. *& seqq.* vbi egi de iis obiectis, quorum fides explicita est necessaria necessitate medij, & dixi, aliquorum obiectorum fidem esse necessariam omnimoda necessitate medij, aliorum verò solùm esse per se loquendo, per accidens tamen posse aliquando sufficere fidem implicitam, vel in voto, quod de fide explicita Trinitatis, & Incarnationis dixi esse probabile. Quo supposito, si sermo sit de fide Dei remuneratoris, facilè concedo cum prima sententia non dari inter fideles ignorantiam inuincibilem de his articulis: si verò sermo sit de fide explicita Trinitatis, & Incarnationis, concedo cum auctoribus secundæ sententiæ, posse inter fideles reperiri aliquando ignorantiam inuincibilem de iis obiectis. Pro quo aduerto, dubium propositum debere intelligi, de homine fideli non solùm materialiter, (vt ita dicam) sed formaliter. Potest enim contingere puerum aliquem baptizatum in infantia, & habentem habitum fidei infusæ, enutriri postea apud infideles. De quo puero, quod attinet ad hoc punctum, idem dicendum erit, quod dicetur de infidelibus non baptizatis, in quibus si potest dari carentia inculpabilis fidei de vno Deo remuneratore, idem dicendum erit de illo puero baptizato apud ipsos enutrito: Cùm non potuerit habere aliunde maiorem notitiam reuelationis diuinæ de iis obiectis, quàm illi, apud quos nutritus est. Dubium ergo debet intelligi de homine fideli nutrito inter fideles: imò hoc ipsum debet etiam intelligi, in sensu formali, hoc est, quòd sit nutritus inter fideles, vt fideles sunt. Posset enim etiam contingere, statim à primo rationis vsu, perum aliquem rusticum ad custodienda pecora à suis destinari, neque ad eos nisi semel in hebdomada redire, quo tempore de religiosis rebus non ageretur; sed de cœna, & somno capiendo: quare licèt à fidelibus nutriretur, non tamen formaliter vt fidelibus, atque ideo non minùs capax esset ignorantiæ inuincibilis, quàm alij, qui apud infideles nutriuntur. Hic tamen casus fortasse non est moralis, nec continget, quod vel à domesticis aliquando, vel certè à sodalibus in agro non accipiat fidei notitiam saltem sufficientem, vt teneatur inquirere, &

Sententia Auctoris.

5

iam

iam ignorantia non sit omnino inculpabilis, sed culpabilis.

6 Hoc ergo supposito, probari potest facilè nostra conclusio: nam qui non solum habet habitum fidei infusum, in baptismo, sed etiam apud fideles enutritur, & cum illis formaliter vt fideles sunt conuersatur, non potest ignorare illa potissima capita nostræ religionis, per quæ fides nostra potissimum distinguitur ab infidelitate Paganismi, & Iudaismi, alioquin falsò supponitur, quòd sit nutritus apud fideles, vt fideles sunt: nō potest ergo ignorare, Deum vnum esse, & remuneratorem, & Christum venisse, alioquin non differret à Pagano, vel Iudæo. Posset quidem aliquando inuincibiliter ignorare incarnationem Verbi, & Trinitatem personarum in vna essentia: sed tamen non potest, non habere aliquam notitiam de Christo non solùm promisso; sed iam dato: præscindendo ab eo, quod Christus sit Deus, vel Filius potiùs, quàm alia persona Trinitatis; alioquin eius notitia minor esset, vel certè non maior, quàm notitia Iudæi. Si ergo apud Christianos nutritus est, & cum illis conuersatus, provt fideles sunt, non potest inuincibiliter carere fide eorum obiectorum, quæ necessaria sunt necessitate medij. Si autem non est nutritus apud fideles, vt fideles sunt, eadem erit ratio de illo, ac de aliis infidelibus, de quibus nunc dicemus.

7 Restat ergo difficultas de infidelibus non baptizatis, Paganis, vel Iudæis; An infidelitas, qua doctrinam nostræ fidei non credunt, possit in illis aliquando peccato infidelitatis excusari. Iam vero dixi supra, me non agere nunc de illa alia quæstione; an possint inuincibiliter omnino ignorari ea etiam obiecta fidei, quæ lumine naturæ cognosci possunt, ita vt nec etiam lumine naturæ cognoscantur, sed solùm an possint inuincibiliter ignorari; quatenus à fide proponuntur, & pertinent ad fidem. In quo puncto est sententia aliquorum, qui id in vniuersum negarunt: ita Adrianus *quod lib. 4. art. 1.* Gabriel *in 2. distinct. 22. quæst. 2. art. 3. dub. 1.* Altissiodor. Guillelmus Parisien. Alexand. Bonauentura, Gerson, Syluester, Corduba, & Alphonsus à Castro, quos refert Suarez *disp. 17 sect. 1. n. 2.* quorum aliqui concedunt, posse pro aliquo breui tempore infidelitatem in iis à peccato excusari, non tamen pro toto vitæ tempore. Alij etiam pro breui tempore id negãt.

An infidelitas, qua pagani, vel Iudæi doctrinæ nostræ fidei non credunt, possit in illis aliquando à peccato infidelitatis excusari?

Prima sententia.

8 Solet hæc sententia probari ex illo vulgari axiomate; *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ex quo sic arguitur, quia vel ille homo perueniens ad vsum rationis facit, quod est in se, & operatur id, quod per lumen naturæ rectum iudicat, vel non facit. Si facit Deus non denegabit gratiam, sed per se, vel per alios eum illuminabit circa res fidei, cui fidei propositæ si resistat, iam infidelitas non erit inculpabilis: si verò non facit, quod in se est, & non operatur rectum, quod lumine naturæ cognoscit, iam in hoc ipso peccat, & in pœnam huius peccati iustè carebit lumine fidei, quod suo peccato impediuit, & per consequens infidelitas illius non erit inculpabilis, & inuincibilis, cùm proueniat ex impedimento culpabili, quod apposuit peccando, & quod impedimentum tenebatur non apponere.

9 Cæterùm si alia argumenta pro illa sententia non afferrentur, facilè possemus dicere, quæstionem hanc esse de nomine, & quoad rem ipsam eos auctores nō dissidere ab aliis, quos referemus: omnes enim facilè concedent, infidelitatem in eo homine prouenire ex eius culpa, non tamen prouenire ex peccato infidelitatis, nec properiam infidelitatis malitiam, & culpam in eo homine reperiri. Omnes enim aduertunt, non esse idem, quòd ignorantia aliqua oriatur ex culpa, & quòd sit ignorantia culpabilis, & vincibilis. Nam si aliquis omnino ignarus obligationis ieiunandi crastina die, vel inquirendi de illa obligatione, hodie omittat audire missam debitam ex præcepto, quã si audiuisset, admonitus ibi fuisset de ieiunio crastino, tunc ignorantia ieiunij oritur quidem ex peccato Missæ non auditæ non tamen dicitur ignorantia culpabilis, nec ille homo peccat contra præceptum ieiunij, sed solùm contra præceptum Missæ. Non potest enim peccare contra præceptum aliquod, qui nullam notitiam vel suspicionem habuit talis præcepti. Vnde erit omino quæstio de nomine, an ignorantia illa sit culpabilis: si enim culpabilis dicatur, quæ ex culpa vtcunque procedit, omnes admittent esse culpabilem: si autem hoc nomine intelligatur illa sola ignorantia, quam ex præcepto debebam tollere, & quam non expellendo peccem contra præceptum illius virtutis, cui talis ignorantia aduersatur; tunc certè non dicetur culpabilis, quando tale præceptum in mentem non venit, & hoc solùm intelligimus communiter nomine ignorantiæ culpabilis, vel vincibilis. Quod enim potuerit homo non peccando in aliis materiis non impedire notitiam fidei, quæ ei data fuisset, non sufficit, vt dicatur simpliciter potuisse vincere, & expellere eam ignorantiam: sicut non dicitur potuisse inuenire thesaurum, quicunque potuit fodere in loco, vbi erat, si tamen id omnino ignorabat: nec imputatur ei, quòd non inuenerit, si omnino nesciebat medium illud deseruire ad eũ finem. Sic ergo infideli peccanti in aliis materiis, non imputatur ad culpam infidelitas, vel ignorantia fidei, si omnino nesciebat obseruantiam aliorum præceptorum esse medium, ad illam ignorantiam expellendam: nec in hoc potest esse controuersia, nisi de solis vocibus.

10 Communis ergo iam Theologorum sensus, & veriſſimus est, in iis hominibus posse aliquando contingere infidelitatem meè negatiuam, & inculpabilem, seu inuincibilem ignorantiã nostræ fidei, nec ob id peccatum infidelitatis damnari; sed propter alia, quæ faciunt contra præcepta alia naturæ lumine sibi nota, à quibus si abstinuissent, illuminati fuissent ad fidem suscipiendam, vel saltem inquirendam. Ita supponit S. Thomas *in præsenti quæst. 10. art. 1.* vbi totam eam doctrinam expresè tradit, & ibi Caiet. Valentia, & alij expositores; quam etiam sequuntur cæteri omnes, quos congerit, & sequitur Suarez *dicta disp. 17. sect. 1. num. 5.* Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 16. num. 32.* Hurtado *disp. 65 sect. 2.* Coninch *disp. 8. num. 19.* Castro Palao *dicto tract. 4. d. 1. puncto 11. num. 4.* & alij passim.

Sententia communis.

11 Probatur primò à S. Thoma, & aliis, ex verbis Christi Ioann. 15. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Scilicet peccatum infidelitatis; aliis enim peccatis non ideo caruissent. Colligitur etiam ex verbis Pij V. & Gregorij VIII. in Bulla contra doctrinam Michaëlis Baij, vbi inter alias Auctoris illius propositiones, damnatur hæc quæ est 68. *Infidelitas purè negatiua, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Accedit consensus sanctorum Patrum,

Patrum, ex quibus sanctus Augustinus clarissimè id docuit tract. 89. in Ioan. his verbis. *Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondebo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quod in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus: sed non in eo sunt numero hi, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est loquutus*: eodem modo loquitur idem Augustinus epist. 115. ad Sixtum, & lib. quæstionum veteris, & noui testamenti quæst. 67. vel quicunque auctor est illius libri, & sanctus Clemens Papa epist. 3. & alij.

12 Ratio verò est clara, quia non potest refundere malitiam, & culpam id quod omnino ignoratur: si ergo aliquis ignorat omnino reuelationem Dei, de doctrina nostræ fidei, nec id ei vnquam in mentem venit, nec quidquam ab aliquo audiuit, non potest ei carentia fidei ad culpam imputari. Erit quidem carentia illa effectus, & pœna aliorum peccatorum, quorum malitia eis imputabitur, quia eorum malitiam agnouerunt, & debuerunt eam fugere. Quod verò iis peccatis impediretur notitia veræ fidei, nec cognouerunt, nec suspicati sunt, quare malitia contra præceptum fidei imputari eis non debet. Porrò multos eiusmodi inter infideles eperiri experientia quotidiana clarissimè testatur; apparentibus in dies prouinciis, & regnis innumeris, nec de nomine antea notis Geographis, vel scriptoribus antiquis, in quibus Euangelij, vel fidei nostræ nomen auditum non est, nec de illo cogitare potuerunt, vel ad eius inquisitionem animum applicare. Et quidem, si cætera deessent, sufficeret quod hoc ipso anno, quo hæc scribimus publica Patrum nostræ Societatis, tanquam oculatorum testium, narratione Europa tota non sine ingenti admiratione didicit; qui nimirum Patres non sine sociorum, & militum subsidio, magnum illud Amazonum flumen nemini huc vsque peruium, à primo suo initio, vsque ad Occeanum feliciter nauigarunt longitudine 4000 milium, latum verò antequam in Occeanum intret 240. millibus: ex vtráque parte prouinciæ apparent vltra 150. suo singulæ idiomate variæ, & incolis absque numero plenæ, ita vt circuitus huius quasi noui orbis nouissimè apparentis, sit fere 12000. milliarium Italorum. In hac autem vastissima orbis plaga nullum prorsus Euangelij prædicati vestigium apparet, sed dociliras, & aptitudo ad recipiendam facilè fidem, quam huc vsque penitus ignorarunt.

13 Obiectio 1. Contra hanc communem doctrinam, argui solet, primò ex illis verbis Pauli ad Romanos. 10. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ, verba eorum*: quæ verba Paulus desumpsit ex psalm. 108. & applicuit Apostolorum prædicationi, quam videtur supponere notam fuisse iam omnibus gentilibus, quæ inexcusabiles ideo essent, si non crederent. Aliqui tamen volunt, ea verba non intelligi de prædicatione facta per Apostolos, sed de notitia Dei accepta ex creaturis quarum voces à nemine non audiuntur: in quo sensu videntur à Dauide prolata, cuius sensum retinere debuit Apostolus, ne argumentum ex psalmo acceptum esset omnino inefficax: quam expositionem tuetur Vasquez 1. *parte disp. 97. cap. 5.* & alij, quos refert Suarez *dicta disp. 17. sect. 1. num. 12.* Ipse tamen Suarez cum communi Doctorum putat, debere verba Apostoli, de prædicatione Euangelij intelligi; de quo diximus etiam *supra disputatione 12. sect. 3.* & videtur colligi ex verbis præcedentibus, in quibus agitur de fide per auditum concepta, de qua dicitur: *ergo fides ex auditu*: cui opponi poterat, quod gentes non audissent fidem, & ideo excusabiles essent. Ad hoc autem Apostolus respondet, auditam iam fuisse: *nunquid non audierunt?* quod confirmat verbis illis; *in omnem terram exiuit sonus eorum &c.* quæ vel potuerunt à Paulo per accommodationem, vel allegoricè de Apostolis intelligi, vel etiam in sensu litterali: cùm possit idem locus scripturæ duplicem litteralem sensum habere vt notarunt Toletus, & alij apud Suarez *ibi*.

Alij volunt, Paulum propheticè loquutum de 14
prædicatione Euangelij futura per totum orbem, quamuis nondum eo tempore impleta esset, & more prophetico explicasse futurum per verba præterita. Quem sensum approbant Salmeron *ibi tom. 13. disp. 34.* & Pererius in eum locum *disp. 4.* Quam tamen explicationem alij reiiciunt, quos sequitur Hurtado *dicta disp. 65. §. 13. & sequentibus*: primò quia in eo sensu argumentum Pauli inefficax esset, vt probaret, inexcusabiles esse non credentes Euangelio. Secundò, quia idem Paulus de progressu fidei præsenti in toto orbe videtur loqui ad Coloss. 1. dicens: *verbum Dei in vniuerso mundo fructificat, & crescit sicut in vobis*: & clariùs ad Roman. 1. *quia fides vestra*, inquit *annunciatur in vniuerso mundo*. Quare alij putant, Apostolum per hyperbolem loquutum; quod tamen non placet Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, & aliis apud Hurtadum. Alij *totius orbis*, nomine dicunt intelligi orbem Romanum, hoc est, prouincias Romano imperio subditas: sicut, & illud Lucæ 2. *exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*; de solo Romano imperio intelligi debet, quod Romani orbem solebant appellare: in quo etiam sensu S. Leo Papa sermone 1. de SS. Apostolis Petro, & Paulo, dixit: *cuius autem nationis in hac vrbe tunc non essent, aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Romana didicisset*; Alij denique, cum quibus Toletus, Iustinianus, & Cornelius, fortasse meliùs putant Apostolum per synecdochem loquutum, eo quod, per omnes orbis partes Euangelium fuisset promulgatum, quamuis non per intimas singulas cuiusque partis prouincias penetrasset. Sic solemus dicere aliquem totum orbem peragrasse, licèt non singulas Asiæ, vel Armeniæ prouincias penetrarit. Ex quibus constat ad minus non haberi ex iis Pauli verbis, quod singulis etiam hominibus prædicata fuerit Euangelij fides, atque adeo potuisse, & posse in aliquo dari inuincibilem eius ignorantiam. Addere denique possumus: Esto & Paulo tempore omnibus fuisset annunciata fides, hanc tamen notitiam ita fuisse postea in plurimis prouinciis obliuione obrutam, vt iam nunc perinde sit, ac si nunquam ibi prædicata fuisset, atque adeo non minus erit nunc inuincibilis fidei ignorantia in iis regnis, quàm fuisset ante omnem Apostolorum prædicationem.

Secundò obiici, & argui solet ex August. *tom.* 15
7. de gratia, & libero arbitr. cap. 3. vbi de ea ignorantia sic dicit: *sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat.* Item epist. 180. dixit. *Ecclesiam Catholicam ignorare nulli licet,* Obiectio 2.

quia abscondi non potest. Respondeo in primo loco Augustinum non dicere, quòd ij infideles ob illud infidelitatis peccatum ardebunt sempiterno igne, sed non liberare eos ignorantiam inculpabilem fidei ab igne illo æterno, quem scilicet ob alia peccata sustinebunt, vt dixerat clarè in loco à nobis superiùs adducto. Quod attinet ad secundum locum, ego non inuenio verba illa, quæ Suarez affert, *vbi suprà numero* 4. ex Augustino *epist.*180. in illa epistola; inuenio quidem *in epist.*166. *post medium* hæc verba: *vbi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est*, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas, ad currendam viam; *ibi agnouimus, & Ecclesiam in eo, quod paulò superiùs dicitur*: in omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum: in Sole posuit tabernaculum suum: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota, vsque ad terminos terræ.* Inuenio etiam in indice operum Augustini, verbo *Ecclesia*, hæc verba. *Ecclesia ciuitas in summitate montis*, quæ citantur quidem *ex tom.*2. (qui est tomus epistolarum) sed in omnibus editionibus Parisiensibus antiquis, & nouis relictus fuit vacuus numerus paginæ, quia fortasse non fuerunt inuenta postea ea verba in Augustino, in editione verò antiquiori, & minori Venetiis anni 1584. citatur quidem numerus folij, sed ibi non inueniuntur talia verba: si tamen ea verba in Augustino inueniantur, responderi potest facilè cum Suarez ibi, Augustinum loqui de hæreticis contendentibus veram Ecclesiam apud se reperiri: vel saltem non constare, quod sit apud nos: contra quos meritò dicitur, per se loquendo, non licere ignorantiam veræ Ecclesiæ prætendere, quia tot signis, & notis deprehendi potest, vt eam inquirentibus non possit abscondi; sed ex variis signis manifestissimè deprehendatur: cum hoc tamen stare potest, quod per accidens aliqui rustici, & imperiti etiam apud hæreticos, qui eas notas, & signa discernere non valent, inuincibiliter veram Ecclesiam ignorent, quia vel non dubitarunt, vel non potuerunt dubium vincere, & multò magis apud Gentiles, & Paganos, qui nec Ecclesiæ nomen audierunt, nec cogitationem habuerunt de ea inquirenda.

16 *Obiectio* 3. Tertiò argui solet, & obiici ex S. Prospero lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. & 6. dicente: *qui de quibuscunque nationibus, quibuslibet temporibus, Deo placuerunt spiritu gratiæ fuisse discretos: quæ etsi parcior antea, atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negauit.* Hæc tamen, & similia verba, quæ aliquando apud Patres occurrunt, non significant omnibus, & singulis datam fuisse notitiam fidei, aut obligationis eam inquirendi: sed datam fuisse notitiam saltem per creaturas de Deo, vel certè de obligatione circa legem naturalem, cui si satisfacerent, quantum cum diuina gratia poterant, nec suis peccatis obicem apposuissent, fuissent ampliùs illuminati ad veram fidem, vel amplectendam, vel certè inquirendam. Hunc autem fuisse Prosperi sensum constat ex ipsius verbis *capite* 4. vbi lumen illud reducit ad notitiam Creatoris, ex ipsis creaturis ortam, quo lumine potuissent benè vti, si voluissent.

17 *Obiectio* 4. Quartò argui solet ratione, quia Deus singulis adultis prouidit media omnia necessaria ad salutem, & ideo singuli salui esse possunt: alioquin si non possunt, non apparet, quomodo Deus velit ex se omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cùm non prouideret eis media necessaria ad salutem: fides enim vera, & notitia illius est medium maximè necessarium, sine quo nullus adultus salutem consequi potest. Respondeo omnibus prouidisse media necessaria ad salutem, etiam iis, qui fidei notitia carent, quatenus etiam illis, vt diximus, communicat notitiam aliquam, vel Dei ex creaturis, vel saltem recti, & honesti, atque inhonesti iuxta legem naturæ, qua notitia, si benè vtantur, peruenient vel ad veram fidem, vel ad eius notitiam talem, vt possint eam vel amplecti, vel quærere, & inuenire. Vnde ortum est axioma illud commune; *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

De vero autem sensu illius axiomatis est controuersia inter Theologos recentiores: quidam enim volunt intelligi, de homine faciente quod in se est, ex viribus gratiæ, non ex viribus naturæ: ita vt sensus sit, facienti quod potest, cum auxilio gratiæ, non denegari alia auxilia gratiæ: Deus enim neminem deserit, nisi priùs ab ipso deseratur: ita P. Vasquez 1.*part. disp.*89.*cap.*5. & *disp.*91.*cap.*10. & 11. & 1.2.*disp.*199.*cap.*2. qui addit illam propositionem intellectam de faciente quod in se est, ex viribus naturæ, pertinere ad errorem Massilienses. Alij tamen multi illud axioma intelligunt, vt sonat, de faciente quod in se est ex viribus naturæ: ita Molina *in Concord. quæst.*14.*art.*13.*disp.*6.*membr.*5.& *disput.*10. & *quæst.*23.*disp.*3. Altisiodor. *lib.*3.*Summæ.tract.*2. *quæst.*5. Alens. 3. *part. quæst.*69.*membr.*5.*art.*3. Albertus *in* 2. *dist.*28. *art.*1.*ad* 4. Richard. *ibi. quæst.*2. Sotus *in* 4. *dist.*1.*quæst.*2.*art.*3.& *lib.*2. *de natura, & gratia c.*4. Barthol. Medina *in* 1.2. *quæst.*109.*art.*6.*in fine.* Vega 13.*in Trident.cap.* 12. Gerson *part.*1. *Alphabeto* 24.*in regulis moralibus littera M.*& *part.*3.*lect.*5.*de vita spirituali*, Driedo *de concordia Prædestinationis* 2. *part.cap. vlt.pag.*51. Ruardus *art.*7.§.*Doctores autem scholastici pag.*438. Mascarenas Episcop. Algarbiensis *lib.de auxiliis, disp.*1. *part.*5. & alij; quos refert, & sequitur late Lessius *tract.*1.*de auxiliis, in appendice ad capit.* 10. Quibus videtur fauere S. Thomas *quæst.*14. *de veritate art.*11. *ad* 1. & 3. *contra gentes, cap.*159. quod nunquam videtur retractasse *in summa*, quamuis 1.2.*q.*109.*art.*6. retractare videatur, quod aliquando dixerat *in* 2. *dist.*28. *quæst.*2.*art.*4. de dispositione vltima ad gratiam iustificantem, posse esse actum elicitum solis naturæ viribus.

18 Iuxta principia nostra facilè erit explicare, & defendere verum sensum illius axiomatis communis sine vllo inconuenienti. Duplicem enim sensum potest habere, & vtrumque verum. Primus est, facienti quod in se est, ex viribus gratiæ, & operanti, ex donis gratiæ, quæ accepit, actus supernaturales, & proportionatos, dari vlteriùs intuitu meritorum alia dona, & auxilia gratiæ, ad ea, quæ priùs non poterat saltem moraliter præstare: Et in hoc sensu videtur loqui S. Thomas 1.2.*quæst.*109.*art.*6.*ad* 2.& *quæstio* 112.*art.* 2.& 3. Bonauentura, & alij, quos adducit P. Vasquez *dilla disp.*91.*numero* 63. & Bellarm. *lib.*6. *de gratia & libero arbitrio, capite* 6. & videtur etiam esse sensus intentus à Tridentino *sess.*6. *capite* 11. dum dicit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet facere quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat vt possis*: sermo enim est

est de auxiliis, quæ dantur à Deo intuitu orationis præcedentis, & sine quibus auxiliis homo priùs non poterat moraliter præstare ea, quæ iubebantur: poterat tamen moraliter petere: si autem petit, impetrat vires morales ad faciendum, quæ priùs non poterat.

10 *Secundus sensus illius axiomatis.*

Secundus sensus est, hominem facientē, quod moraliter potest, exercendo actus naturales, quibus legem obseruet, quantùm moraliter potest, accipere semper vires, siue naturales, siue supernaturales, quibus moraliter possit facere ea omnia quæ sub mortali tunc tenetur facere, & priùs non poterat moraliter facere: non tamen ita, vt illa auxilia dentur intuitu eorum operum naturalium, quasi meritorum, saltem de congruo, sed quia per illa opera remouetur obex ad accipiendas eas vires & auxilia, Deus enim pro sua benignitate, & ex Christi Redemptoris meritis, voluit omnibus hominibus in vniuersum, dum sunt in hac vita, dare auxilium, seu vires, non solùm quibus physicè, sed etiam quibus moraliter possint præstare ea, quæ ab ipsis eo modo exiguntur, dummodo per ipsos non stet, quatenus apponunt obicem, quo impediant illas vires morales: Deus enim neminem deserit, nisi priùs ab ipso deseratur; desereret autem illum, quem relinqueret cum sola potentia physica ad seruandum præceptum graue, quę tamen potentia semper, & infallibiliter necessitate morali affert secum violationem præcepti; itaque si homini occurrit seruandum præceptum castitatis v. g. habet vires, & auxilia, quibus vel possit moraliter velle seruare castitatem, vel saltem possit relinquere aliquam occasionem, vel auertere cogitationem, vel apponere alia media, ad obtinendas eas vires. Quod si nolit apponere illa media, non mirum, quod aliquando meneat cum sola potentia physica ad castitatem: iam enim habebat potentiam moralem mediatam, seu remotam, & per ipsum stetit, quod non habuerit etiam immediatam, & proximam. Quod si apponit illa media per actus naturales, dantur infallibiliter virtutes morales ad alia, non vt præmium illorum actuum, sed vt non ponenti obicem ad receptionem illius auxilij. In quo sensu explicandi sunt secundo loco suprà allegati, dum dicunt, facienti quod in se est, per vires naturales, non denegari gratiam: loquuntur enim de dispositione non directa, sed indirecta, quatenus per illa opera impediunt obicem, qui excluderet illas vires morales.

21 *Iste secundus sensus nullo modo coincidit cū errore Massiliēsium.*

Iste secundus sensus nullo modo coincidit cū errore Massiliensium. Primò quia illa opera naturalia, non sunt meritum condignum, vel congruum, intuitu cuius detur illud auxilium, sed solùm, sunt remouens prohibens, nempe obicem. Augustinus autem solùm videtur excludere opera quæ habent rationem meriti, vt constat ex lib. 4. contra duas epist. Pelagianor. c. 6. vbi ait, quod dicunt, gratiam adiuuare vniuscuiusque bonum propositum sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum, si tamen in bono proposito meritum poneretur. Secundò & præcipuè differt à Massiliensibus, quia dato quod illa opera naturalia appellari possint aliquo modo dispositio ad auxilium gratiæ: non est tamen dispositio orta ex solis viribus naturæ, sed orta etiam, ex auxiliis gratiæ per Christum: Diximus enim in tractatu de gratia; nunquam impleri de facto aliquod præceptum, vel vitari aliquod peccatum sine auxilio gratiæ per Christum, siue sit naturale, siue supernaturale in entitate: ergo quoties remouetur obex noui peccati, semper remouetur ex auxilio gratiæ, atquè adeo ea remotio obicis, eo modo, quo disponit, ad auxilium gratiæ, non est dispositio habita ex solis naturæ viribus. Et licèt dixerimus, non requiri auxilium gratiæ propriè dictum ad omne opus bonum morale, id tamen intelligitur de opere bono, quo nullum vitatur peccatum, de quo sane operum genere modò non loquimur, nam illa per accidens omnino se habebunt ad accipienda auxilia gratiæ, nec directè vel indirectè disponunt ad gratiam: debet itaque intelligi axioma de homine faciente quod in se est in ordine ad vitandum peccatum, quod moraliter potest vitare; hic enim infallibiliter accipiet auxilium, quo moraliter possit obseruare omnia præcepta, quæ tunc occurrunt. Et hic etiam sensus videtur supponi à S. Thoma 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. *& quæst.* 14. *de verit. art.* 11. *ad* 1. vbi ait, certissimè tenendum esse, quod si homo in siluis nutritus ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, Deus per inspirationem internam, vel prædicationem externam reuelabit ei mysteria fidei: in quibus verbis illa particula *certissimè*, ostendit legem latam de hoc, quæ quidem non potest non esse ex meritis Christi.

22 *Proponitur difficultas.*

Hinc infertur etiam solutio alterius similis difficultatis; quia scilicet; si homo non potest naturæ viribus se disponere ad gratiam, sequitur multos non habere de facto auxilium sufficiens ad sam salutem: multi enim non habent fidem nec fidei notitiam, ac per consequens non habent principium proximum ad opera supernaturalia, sed solùm possunt operari honestè secundùm legem naturæ; ergo vel dicendū est, hos homines carere auxilio sufficienti ad suam salutem, vel fatendum erit, posse se disponere ad fidem, per exercitium operum naturalium, atque adeo habere saltem mediatè, & remotè aliquod auxilium, quo possint consequi vitam æternam.

An sint aliqui in hac vita, quibus Deus nō det auxilia necessaria ad suam iustificationem, vel salutem, remissiue.

Hæc obiectio tangit quæstionem illam. An sint aliqui in hac vita, quibus Deus non det auxilia necessaria ad suam iustificationem vel salutem, de qua quæst. videri possunt Bellar. *lib.* 2. *de Gratia, & lib. arb. c.* 5. *& sequentibus* Molinam *Concord. q.* 14. *art.* 13. *disp.* 10. *&* 1. *part. quæst.* 23. *art.* 5 *disput.* 3. *& quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 1. Valentia 1. 2. *disput.* 3. *quæst.* 3. *puncto* 4. §. 1. Vasquez 1. *p. disp.* 96. *&* 97. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 8. *sect.* 2. In quo puncto, omissis variis sententiis, quæ apud dictos auctores videri possunt; certum est, non dari omnibus auxilia efficacia ad salutem; certum etiam est, nullum esse peccatorem, qui si verè, & sufficienter doleat de peccatis, non possit obtinere eorum veniam, quantumcumque multa, & grauia sint: Certum denique est, nullum esse cumulum peccatorum, qui sit certa, & determinata regula, vt post illum terminum, non dentur auxilia sufficientia ad salutem, omnes enim ad pœnitentiam inuitat, & ad veniam peccatorum, vt latè explicui, & probaui *disp.* 8. *de pœnitent. sect.* 1. Hinc etiam certum videtur, nec respectu singulorum hominum, dari aliquem cumulum peccatorum singulis determinatum, post quem hic homo perseuerans adhuc in hac vita cum vsu rationis, per longum tempus non habeat auxilium sufficiens ad suam conuersionem. Nam in hoc sensu loquitur Apostolus Petrus epist. 2.

epist. 2. cap. 3. *non vult* (inquid (*aliquos punire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti*. Vide alia multa loca apud Bellarm. *dicto cap.* 5. Quibus adde Gregorium *lib.* 17. *moral. c.* 4. vbi sic ait: *quisquis delinquit, & viuit, idcirco hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat.* Denique certum etiam videtur, huiusmodi auxilium, non dari homini adulto, singulis momentis: sæpè enim dormit, sæpè attendit ad alia obiecta, nec potest tunc cogitare de iis quæ pertinent ad salutem, vel pœnitentiam, vt latè probat Bellarm. *vbi sup. cap.* 6. vnde fit posse aliquem adultum, carere auxilio sufficienti ad salutem, per aliquod breue tempus ante mortem, non solùm ratione amentiæ, vel somni, sed propter naturalem obliuionem, & alias causas similes. Cæterùm habet auxilium sufficiens oportuno tempore, hoc est, quando proponitur obiectum, vel excitantur species, quæ circunstantiæ frequentes sunt, & ratione illarum dicitur semper habere auxilium sufficiens, semper, inquam humano modo, & moraliter, non metaphysicè loquendo.

23 *Respondetur ad suprà posità difficultatem.*

His ergo suppositis ad difficultatem suprà positam respondeo, omnes homines, etiam infideles habere de facto auxilium sufficiens ad salutem mediatè vel immediatè: nam si sint fideles, monentur sæpè à Deo ad dolendum de peccatis, & procurandam gratiam Dei: si verò sunt infideles, excitantur etiam sæpè affectu aliquo relinquendi peccata, & inuestigandi viam salutis: vel saltem vtique mouentur ad non committenda noua peccata, quibus si resistant, & faciant quantùm moraliter possunt per aliquod tempus, Deus mouebit illos iterum per cogitationes spectantes ad salutem, vt doleant de peccatis, vel procurent sibi remedium spirituale: Differunt autem, quia peccatores fideles per illos actus bonos, quibus nouis peccatis resistunt, disponunt se remotè quidem, sed positiuè etiam, & directè ad iustificationem: cùm enim illi actus regulariter oriantur ex fide, sunt supernaturales, & proportionem habent, secundùm quam possint de congruo mereri iustificationem: at verò infideles, quorum actus regulariter sunt naturales, solùm se disponunt indirectè remouendo obicem noui peccati, quod impedire posset auxilia, & cognitiones bonas circa negotium salutis. Vtrorumque tamen dispositio siue directa, siue indirecta, non est ex solis naturæ viribus, quia, vt suprà vidimus, illi etiam actus naturales quibus vitamus aliqua peccata, non fiunt sine aliquo auxilio gratiæ datæ per Christum: in vtroque ergo hominum genere habet locum illud axioma, *facienti quod in se est* &c. & hoc duobus modis iuxta duos illos sensus: nam si intelligatur de auxilio requisito ad iustificationem obtinendam, dicendum est, quemlibet fidelem, vel infidelem, facientem per aliquod tempus, quantum potest moraliter, in ordine ad vitanda peccata, disponere se saltem indirectè, vt moueatur à Deo aliquibus auxiliis, & cogitationibus circa suam salutem, quibus si consentiat paulatim illuminabitur in ordine ad iustificationem. Si verò illud axioma intelligatur de auxilio gratiæ, ad seruanda præcepta, quæ occurrunt, dicimus etiam credibile esse, quemlibet fidelem, vel infidelem habere semper auxilium moraliter sufficiens mediatum, vel immediatum, ad non peccandum moraliter modo explicato, ita vt nemo sit adeo desperatus, dum est in via, vt non possit moraliter vitare peccatum, quod actu committit: licèt enim aliquando careat potentia morali proxima, ad aliquod præceptum obseruandum, potest moraliter aliquid facere, quod si fecerit, dabitur ei potentia moralis ad illud aliud.

Dices, aliqui peculiariter dicuntur obcæcati, vel obdurati ad peccandum; obduratio autem non est sola carentia auxilij efficacis, alioquin omnes qui peccant essent obdurati: ergo obduratio includit carentiam auxilij sufficientis moraliter, ita vt ille dicatur obduratus, qui solùm physicè potest vitare peccatum, non tamen moraliter. Respondeo obdurationem suprà carentiam auxilij efficacis, addere difficultatem, quidè maximam in ordine ad conuersionem, vel obedientiam: non tamen in eo gradu, in quo reddatur homo moraliter impotens, loquendo de propria impotentia morali, quamuis in latiori significatione illa etiam possit dici moralis impotentia. 24

Dubitari posset hic, quid senserint PP. Græci de sola viribus naturæ, vt disponat se homo per illas ad gratiam Deinam Vasquez 1. *part. diff.* 89. *cap.* 3. & 4. & *disp.* 91. *cap.* 8. & 9. existimat, eos hac in re cum Semipelagianis consensisse, quia non-dum exorta Pelagij hæresi, facile fuit minùs cautè in hac parte sentire, vel loqui. Alij tamen eos conantur inter prætari, vt Suarez *lib.* 2. *de prædest. cap.* 8. Arrubal 1. *part. quæst.* 23. *disp.* 75. *membr.* 3. qui de horum Patrum sensu, & explicatione videri possunt.

Aduertendum tamen est cum Suarez *in præsenti dicta disp.* 17. *sect.* 1. *num.* 9. dari quemdam statum medium aliquorum, quibus fides quidem sufficienter proposita non est, & ideo eam non tenentur amplecti, habuerunt tamen aliquam eius notitiam; quæ sufficit, vt teneâtur inquirere, & examinare doctrinam fidei, & eius motiua: quia licèt prima illa prædicatio non sufficiat ad obligationem proximam credendi, potest sufficere ad obligationem remotam: & in eiusmodi hominibus, qui plurimi quidem hodie sunt apud hæreticos, & apud Paganos, præsertim apud Turcas, & apud Mahometanos alios, ignorantia iam non erit inuincibilis, & inculpabilis, si debitam diligentiam non adhibeant: ea verò diligentia posita, si non possint sufficientem notitiam inuenire ad amplectendam prudenter fidem, ignorantia adhuc permanebit inuincibilis. Quanta autem, & qualis debeat esse illa diligentia, explicat idem Suarez *ibi num.* 10. 25

Denique ex dictis infertur, non solùm posse contingere ignorantiam inuincibilem circa fidem; provt versatur circa obiecta supernaturalia, & quæ possunt sola reuelatione cognosci, sed etiam provt versatur circa obiecta naturalia, quæ per eandem fidem manifestantur, & aliunde cognosci possunt. Potest enim homo ignorare inuincibiliter, quod Deus ea obiecta reuelauerit, atque adeo potest inculpabiliter fidem illorum obiectorum negare, & siue possit, siue non possit inuincibiliter eadem obiecta materialia negare; poterit tamen negare inuincibiliter quòd sint à Deo reuelata, & per consequens illorum fidem. Si autem circa eadem obiecta culpabiliter erret, quia aliunde naturæ lumine ea poterat, & debebat cognoscere, illud tamen peccatum non erit infidelitatis, cùm non sit contra præceptum, & obligationem fidei, vt fatetur Suarez *dicta disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 3. sed erit peccatum ignorantiæ culpabilis contra legem naturæ. 26

Hinc tamen oritur quædam Difficultas, quia si pec- 27

Proponitur difficultas contra præcita.

si peccatum illud non sit infidelitatis, sequitur fidelem in sensu compositio posse esse idololatram, Mahometanum, Paganum &c. probatur sequela, quia si puer baptizatus, & nutritus apud Turcas, vel idololatras nihil audiuit de fide, & factus adultus colat idola peccans in ipso actu idololatriæ, committit verum peccatum idololatriæ, & per consequens est idololatra. Aliunde autem retinet habitum infusum fidei, quem accepit in baptismo, & qui non perditur nisi peccato infidelitatis, quam tamen infidelitatis malitiam hic non contrahit iuxta suprà dicta; ergo remanet adhuc fidelis, & idololatra cum vera malitia idololatriæ.

28 P. Suarez *dicta sect. 2. num. 3. & 4.* fatetur, sine notitia reuelationis, non posse committi peccatum infidelitatis, atque adeo illum puerum factum adultum, qui totius reuelationis ignorantiam habet inuincibilem, non committere infidelitatem, quia non opponitur testimonio, & veritati diuinæ, licèt in illo actu colendi idola peccet grauissimè contra legem naturalem. Ad absurdum verò de habitu fidei manente in idololatra, respondet primò, posse ab aliquo negari, quod maneat, dicendo, habitum fidei perdi non solùm propter culpam, sed etiam propter physicam oppositionem, vel inter errores, & fidem, vel inter prauam dispositionem voluntatis affectæ ad huiusmodi errores, & consequenter auersæ à pia fidei affectione. Cæterùm idem Suarez meritò ab hoc respondendi modo recedit, eúmque improbat propter verba Tridentini, quibus dicitur, solo infidelitatis peccato fidem amitti: omnis ergo alia oppositio physica, & omne aliud peccatum, quod non sit infidelitas, non sufficit in hac vita, ad expellendum habitum fidei semel infusum. Quare concludit, non esse inconueniens, quod remaneat cum Idololatria habitus fidei, dum ipsa idololatria manet sine vera infidelitate: quia sicut puer baptizatus ab hæreticis potest postea diu retinere errores, retento simul habitu fidei, quandiu non peccat contra fidem sibi propositam: sic potest fides habitualis manere cum errore materiali idololatriæ, quandiu error ille non est error formalis contra fidem,

29 Circa hanc Suarij doctrinam, vnica mihi est difficultas; contra regulam illam generalem, qua negat peccatum infidelitatis in eo qui inuincibiliter ignorat reuelasse Deum obiecta nostræ fidei, atque adeo dicit stante illa ignorantia, non perdi habitum fidei ab illo, qui actus idololatriæ exercet, vel quoslibet alios. Contra hoc enim vrget, quod diximus *disp. 18. sect. 1.* peccatum infidelitatis committi, & habitum fidei perdi ab eo, qui negat scienter non solùm res reuelatas, sed etiam ipsam reuelationem, vel veracitatem summam Dei, quibus assensus fidei inniti deberet. Potest ergo contingere, quod baptizatus ille, & educatus apud hæreticos, vel etiam apud Gentiles, nullam habeat notitiam fidei nostræ, & tamen peccet grauiter negando pertinaciter veracitatē Dei, quæ naturæ, & rationis lumine sufficienter ei proponitur: qui dissensus in illo etiam homine habere videtur totam malitiam infidelitatis. Suppono enim ex dictis in principio huius materiæ, veracitatem Dei, licèt de facto sit etiam ipsa reuelata à Deo, & possit credi fide diuina propter reuelationem, debere tamen semper credi independenter ab ipsa reuelatione, antecedenter ad assensum rei reuelatæ; vt possit fundare assensum rei reuelatæ: & hunc ipsum assensum circa veracitatem Dei esse quidem supernaturalem, & firmissimum, non tamen ortum ex reuelatione, sed ex terminis, vel ex ipsa Dei perfectione infinita. Vnde sequi videtur eum, qui nihil audiuit de reuelatione Dei circa mysteria nostræ fidei, adhuc posse habere totam notitiam, & lumen requisitum ad ferendum iudiciū de veracitate Dei, quantum habet Catholicus, cùm hic etiam primum assensum circa veracitatem Dei non fundet in reuelatione Dei, sed aliunde eam cognoscat, vt diximus. Sicut ergo Catholicus peccaret contra fidem peccato infidelitatis, si nulla reuelatione Dei negata, negaret tamen eius veracitatem, & opponeret se lumini, quo veracitas Dei credenda proponitur independenter ab omni reuelatione: sic ille alius, qui eidem lumini se se opponeret, & negaret pertinaciter veracitatem Dei, sufficienter sibi propositam, vel ex terminis, vel ex aliis principiis, peccaret etiam peccato infidelitatis, & irrogaret diuinæ veritati iniuriam eiusdem rationis: cùm neuter se se opponeret reuelationi diuinæ, sed soli veracitati: quod facilius intelligetur, si supponamus Catholicum ignorare adhuc inuincibiliter reuelationem peculiarem reflexam factam de ipsa veracitate Dei, sed credere reuelationem factam de aliis mysteriis, quæ tamen mysteria, pertinaciter negat, quia negat Deum esse veracem. Certè tunc non solùm dissensus mysterij reuelati; sed etiam dissensus circa veracitatem Dei contineret malitiam infidelitatis, & expelleret habitum fidei: ergo dissensus veracitatis, qui eiusdem rationis esset in illo alio ignaro totius reuelationis, continebit eandem malitiam infidelitatis, & ponet eumdem effectum expulsionis habitus fidei infusæ.

Ratio autem à priori est, quia obligatio fidei 30
non est solùm credendi rem reuelatam, sed etiam Dei reuelationem, & veracitatem Dei, sine quibus creditis non potest res reuelata credi: ergo huic fidei obligationi se se opponit, non solùm qui negat rem reuelatam, sed etiam qui negat Dei reuelationem, aut eius veracitatem: imò hic negans veracitatem, radicitus destruit fidem, tollens eam à præcipuo fidei fundamento, quod est veracitas Dei: peccat ergo contra fidem, atque adeo peccato infidelitatis, & consequenter perdit habitum fidei infusum. Hic enim habitus, vt vidimus *disp. 17. sect. vltima*, expellitur illo peccato quod ratione sui obiecti opponitur exercitio actuum fidei, cui exercitio nullum aliud peccatum adeo clarè opponitur, vt peccatum negantis pertinaciter veracitatem Dei, cum quo actu non potest stare assensus vllus fidei diuinæ circa obiectum reuelatum, cùm non maneat fundamentum diuinæ veracitatis cui innitatur,

Dices, negantem veracitatem Dei, peccare quidem contra religionem, quatenus admittit blasphemiam mentalem, tribuens Deo defectum turpissimum, non tamen peccare contra fidem, nisi quatenus negando veracitatem impedit assensum rei reuelatæ, quem solum assensum fides formaliter intendit: qui enim loquitur, intendit formaliter conciliare sibi fidem ad ea quæ dicit: & quasi materialiter vult, quod audiens credat eum esse veracem, vt medium nempe ad hoc, vt credat rem dictam, vt diximus *Disp. 18. sect. 2.* Respondetur tamen, nos ibidem dixisse negantē veracitatem Dei, peccare etiam contra fidem, non quidē peccato infidelitatis diuerso in specie

intrà genus infidelitatis à peccato illius, qui negaret Dei reuelationem; sed tamen peccaret contra fidem, quæ licèt assensum veracitatis præcipiat propter assensum rei reuelatæ; sed tamen præcipit illum assensum, atque ideo præscindendo etiam à blasphemia violatur præceptum fidei, negando veracitatem Dei.

32 Vrgebis, quomodo potest peccare contra fidem ille, qui omnino ignorat fidem, & omnem doctrinam fidei; restat ergo quod solùm peccet contra lumen naturæ dictans, debere ex ipsis creaturis agnosci Deum infinitè perfectum, non verò contra fidem; & per consequens dissensus ille, etiamsi sit grauiter culpabilis, non expellet habitum fidei infusæ. Respondeo, hominem illum in casu posito ignorare quidem fidem, & eius obligationē, quatenus versatur circa reuelationem, & res reuelatas: non tamen ignorare obligationem fidei, quatenus hæc obligat etiam ad credendum veracitatem Dei aliunde cognitam, quàm ex reuelatione veracitatis. Potest enim contingere, aliquem ignorare, omnino inuincibiliter Deum aliquid reuelasse, & omnem prorsus Dei reuelationem; & tamen ex principiis naturæ cognoscere obligationem credendi Deo, si aliquid reuelet, quam obligationem fides ipsa imponit, & prohibet dissensum veracitatis, ne impediatur assensus rei reuelatæ: iam ergo cognoscit ex parte obligationem fidei, & potest contra fidem peccare, quod sufficit ad peccatum infidelitatis, & ad amittendum habitum fidei infusæ.

An omnia opera infidelium sint peccata, remissiuè.

Hic solet agi, an omnia opera infidelium sint peccata, hæc tamen quæstio magis propriè pertinet ad tractatum de Gratia, vbi agitur, an fides necessaria sit, ad quodlibet opus bonum naturale, & morale: quare eam quæstionem ad locum illum remittimus.

SECTIO II.

De potestate Ecclesiæ in infideles non baptizatos, quæ & quanta illa sit.

33 SVb hoc titulo multa dubia comprehenduntur, quæ sigillatim explicanda sunt, & de quibus vltra alios optimè tractat Suarez *in præsenti disput. 18. sect. 1. & sequentibus.* Pro quibus omnibus præ oculis habendum est, infideles huiusmodi alios esse subditos Ecclesiæ, vel Principibus Christianis in temporalibus, eo quod in eorum regnis, & terris habitent; alios verò non esse ita subditos, vnde oritur diuersitas potestatis in illos, vt constabit. Rursus potestas hæc considerari potest, vel ad prædicandā illis fidem, vel ad cogēdos eos, vt prædicationem, & fidem audiant, vel ad cogendos etiam, vt fidem auditam, & sufficiēter propositam amplectantur, vel saltem vt errores, qui non solùm sunt contra fidem, sed etiam contra rationem, & legem naturalem, deponant: vel denique ad priuandos eos, dum in infidelitate perseuerant, dominio, & potestate in personas fideles; de quibus omnibus in particulari dicendum est. Non est autem sermo de hæreticis, seu de baptizatis, de quibus disputatione sequenti agendum erit, sed solùm de non baptizatis.

§. I.

De potestate, & iure, quod Ecclesia habet ad prædicandam infidelibus fidem.

DIstinguit P. Suarez *vbi suprà, sect. 1. num. 1.* inter *potestatem*, &, *ius* ad prædicandum: aliqui enim habent potestatem meram aliquid faciendi, quamdiu nimirum ab alio non impediantur: sicut mihi licitum est ingredi alienam domum, si tamen dominus domus impediat, vtitur iure suo, quia mea potestas non fundabatur in iure, sed in permissione. Alij verò habent potestatem fundatam in iure, sicut est potestas vtendi proprtia domo, vel re communi. Hæc tamen differentia, vt verum fatear, materialis est, & solùm secundùm magis & minus: nam si attentè considereretur, prior etiam potestas affert secum aliquod ius, licèt magis limitatum, & minùs vniuersale, quamuis enim dominus possit mihi prohibere ingressum suæ domus alij tamen non possunt, & aduersùs eos habeo ius, ne me impediant: & possum impedire volentes cohibere, & ab illis me defendere, quia prohibent me ab exercitio actionis mihi liberæ. Sic Sacerdos, cui Pontifex dat facultatem audiendi confessiones in aliena parochia non contradicente Parocho, potest quidem à parocho impediri: non tamen potest iure impediri ab vllo alio inferiori, atque ideo potest se à quolibet alio impedire volente, defendere, & vti iure suo. Sic ergo Ecclesia posset quidem considerari cum potestate prædicandi fidem, limitata tamen, nempe quandiu Principes consentirent: quo casu non haberet ius illud ita illimitatum, quale nunc habet prædicandi fidem etiam Principibus repugnantibus: haberet tamen adhuc eo casu, ius aliquod contra omnes alios priuatos, à quibus consentiente Principe non posset prohiberi, & contra quos posset se tueri, si prædicationem impedirent. Eò ergo ipso, quòd Ecclesia habet potestatem prædicandi fidem, videtur habere ius etiam verum, saltem aduersus alios omnes, à quibus non penderet in vsu illius potestatis, atque ideo si ab illis aliis impediretur, posset eos cogere ad desistendum; nemo enim potest iustè me impedire ab vsu facultatis, quæ ab ipso non pendet, nec eius arbitrio subordinata est. 34

Hæc tamen ad quæstionem de nomine pertinere videntur; an scilicet *potestas* illa, appellari etiam possit *ius*. Cæterùm loquendo de re ipsa: fatendum est, de facto Ecclesiam habere non solùm potestatem prædicandi, quandiu à Principibus non impeditur, sed etiam habere hanc potestatem cùm iure ad hoc, vt neque à Principibus, nec ab aliis impediri possit, ne fidem liberè prædicet. Et in primis quoad potestatem, constat ex verbis illis Matth. vltimo, *euntes docete omnes gentes*, & Marci vltimo, *euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Lucæ 24. *Sic oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam.* Et ratio est clara, quia cùm fides necessaria sit omnibus ad salutem, quilibet potest, nisi aliud maius bonum obstet, imò & aliquando tenetur proximum suum instruere circa fidem, ne pereat. 35

Quòd verò Ecclesia habeat etiam ius, & auctoritatem prædicandi indepēdenter ab aliis, qui permittant, vel prohibeant, fatentur omnes, quos refert, & sequitur Suarez *dicta sect. 1. num. 2.* & probant 36

Ecclesia habet ius prædicandi.

fidem, independenter ab aliis qui id permittant.

probant ex potestate, quam Christus Dominus habuit in vniuersos homines, tanquam in hæreditatem suam, quam mediante prædicatione sibi erat acquisiturus; iuxta illud psalmi 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius; prædicans præceptum eius.* Vnde subditur dictum eidem à Patre. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et ideo ipsemet Christus agnoscens in se hanc potestatem, & ius dixit Math. vltimo: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Vnde statim intulit, quasi iure suo vtens; *euntes ergo docete omnes gentes.* Cùm ergo Christus ius haberet ad suam fidem omnibus prædicandam, quod munus per seipsum non erat exequuturus, sed per Apostolos, & alios ministros, quibus hoc munus delegauit, consequens est, vt eis non solam licentiam vtcumque, sed auctoritatem etiam, & ius prædicandi concesserit: ideo enim Paulus. 2. Corinth. 5. postquam dixit; *posuit in nobis verbum reconciliationis:* hoc est, commisit nobis prædicationis munus: subiungit: *pro Christo ergo legatione fungimur:* si ergo ministri Ecclesiæ legati Christi sunt, habent ius prædicandi fidem independenter ab omnibus aliis: nam legatus in rebus suæ legationis ius, & auctoritatem participat Principis, à quo mittitur, nec potest ab alio inferiori impediri, ne munere suo fungatur, & principis mandata proponat iis, ad quos legatus destinatur.

37 Hoc totum argumentum ex Christi potestate, & iure desumptum, videtur nimium probare: nam Christus non solùm habebat, & habet potestatem, & ius ad prædicandam, & annunciandam suam fidem, sed etiam potest homines vi, & metu, ac potentia sua ad fidem amplectendam obligare, & cogere: quare posset si vellet Principi Christiano committere, vt infideles subditos, vel etiam non subditos mortis pœna adiecta ad fidem amplectendam cogeret. De facto tamen ex eo, quod Ecclesiæ ministris Euangelij prædicationem delegarit, non censetur iis, hanc etiam potestatem delegasse, cogendi homines ad fidem amplectendam, vt postea videbimus: ergo nec ex delegata potestate prædicandi, colligi potest efficaciter delegata etiam potestas coërcendi eos, qui prædicationem impedire vellent, licèt hæc etiam potestas in Christo esset: neque enim Christus cum prædicationis officio communicauit potestatem omnem, quam ipse habebat.

38 *Ecclesia habet ius ad coërcendos eos, qui prædicationem fidei impedire voluerint?*

Addenda est ergo ratio, cur ex mandato prædicandi Euangelium Ecclesiæ dato, magis colligatur ius ad coërcendos eos, qui prædicationem impedire voluerint, quàm ius, & potestas ad cogendos infideles, ad fidem amplectendam. Hæc autem diuersitas fundari debet in fundamentis vtriusque partis nempe in rationibus, ob quas prima potestas dicitur esse in Ecclesia, & ob quas dicitur deesse secunda. Quod ergo Ecclesia possit cohibere eos, qui prædicationem impediunt, & aduersus eos se tueri, colligi potest ex potestate ipsius Christi delegantis, vt vidimus, & simul ex ipsa natura delegationis, primò. Nam Princeps mittens legatum ad aliquod munus obeundum, eo ipso censetur illum constituere independentem ab omni malo inferiori, quoad executionem muneris commissi, atque ideo cum auctoritate, & potestate coërcendi quoslibet inferiores volentes eum ab executione sui muneris delegati impedire, vt constat ex l. 2. ff. de *his*, quibus mandata est iurisdictio, *cap. Præterea de offic. deleg.* & aliis: Christus autem prædicatores mittens est Princeps supremus: ergo eius legati possunt quoslibet prædicationem impedientes coërcere ex potentia imbibita in ipso legationis munere sibi commisso. Quælibet enim Respublica, præsertim habens potestatem supremam, qualis est Ecclesia, potest tueri iura sua aduersùs eos, qui ea violare, & impedire iniustè conantur.

Secunda ratio est, quia quilibet supremus 39
Princeps potest propria auctoritate defendere innocentes, qui à suo Principe iniuriam patiuntur, & expresse, vel interpretatiuè auxilium implorant. Cùm ergo Princeps infidelis prædicationem Euangelij in sua ditione impediens lædat iniustè suos subditos, quibus ea prædicatio ad salutem necessaria est, & quorum multi, moraliter loquendo, conuerterentur, & amplecterentur fidem, eius prædicatione audita: poterit Ecclesia defensionem illorum subditorum suscipere, & propulsare iniuriam illis illatam, cogendo quacunque via Principem infidelem ad fidei prædicationem permittendam.

Tertiam rationem addit Suarez *vbi suprà n.* 4. 40
in fine, quia quælibet Respublica suprema habet ius mittendi legatos Pacis ad Principes alios, qui si vexentur, vel malè tractentur, possunt à suo Principe, vel Republica defendi, & vindicta sumi proportionata illatæ iniuriæ. Idem ergo poterit Ecclesia, si eius legati, quos ad prædicandam, & annunciandam Christi pacem mittit, indignè tractentur, & reiiciantur.

Quartam rationem addit Hurtado *disput.* 74. §. 6. quia Princeps prædicatoribus obsistens, est in ea parte tyrannus, ergo quoad hanc actionem potest cogi ab Ecclesia ad desistendum. Antecedens probat, qui abutitur iure, & potestate sua ad subditorum perniciem, quorum æternam salutem impedit: cùm tamen hæc omnia visibilia instituta sint à Deo, in assequutionem salutis æternæ, quam subditorum salutem earumdem visibilium rerum possessione, & auctoritate temporali, quam habet, fretus impedire conatur.

Ex hac autem communi doctrina plura dubia 41
oriuntur. Primum esse potest, an ius hoc, quod Ecclesia habet, cogendi infideles ad non impediendum prædicationem fidei; sit ius naturale, seu fundatum in ipso iure naturæ; an verò sit ius quasi positiuum concessum illi à Christo, ex suprema potestate, quam Christus habet; & ab illa potestate participatum, & quasi delegatum. Nam P. Suarez *vbi supra num.* 3. indicat, non esse naturale, sed positiuum: probat enim ius hoc esse in Ecclesia: *Quia Christus Dominus potuit potestatem prædicandi cum hoc iure communicare, ergo ita contulit illam. Deinde quamuis hæc potestas non possit probari ratione naturali, est nihilominus valde consentanea ipsi rationi naturali; quia ius docendi ignorantes, est quasi connaturale cuicunque homini; ergo supposita necessitate fidei, est valde consentaneum rationi, quod auctor fidei suis ministris, & præsertim Vicario suo, relinqueret, speciale ius ad illuminandos homines in doctrina fidei.*

An ius quod Ecclesia habet cogendi infideles ad non impediendam prædicationem fidei, sit ius naturale, an verò positiuum?

Ex alia verò parte videtur ex supradictis sequi, 42
hoc ius esse non positiuum solùm, sed naturale. Et quidem rationes illæ, quibus idem Suarez postea *num.* 4. probat hoc ius, videntur (si ali-

quid probant) probare non de iure positiuo, sed de iure naturali: Prima enim ratio est ex eo, quod quilibet potest, si est saltem supremus Princeps, propulsare iniuriam, quam accipit ab alio impediente per vim vsum sui iuris: Nam hoc, inquit, *naturaliter sequitur ex ipso iure*. Rursus ratio alia petita ex potestate tuendi, & defendendi innocentes, quales sunt illi, quibus prædicãda erat fides, & qui ab ea audiẽda prohibentur, fundatur etiam in iure naturali, quod Respublica habet defendendi innocentes, vt constat. Denique potestas protegendi, & defendendi legatos pacis, quos mittit, & propulsandi iniurias iis allatas, naturæ iure competit Reipublicæ, vt constat: ex qua potestate hoc etiam ius probat in Ecclesia idem Suarez. Ad quod etiam induci possunt argumenta alia adducta ab Hurtado, & aliis ad probandum hoc idem ius in Ecclesia, vt consideranti patebit.

43 In hoc non videtur esse posse controuersia, nisi de vocibus, nam de reipsa constat ex dictis, hoc ius in radice quidem esse positiuum, formaliter tamen, & proximè esse naturale. Quòd enim fides huius doctrinæ Euangelicæ necessaria sit ad salutem, ortum habet ex voluntate, & decreto Dei. Quòd etiam Ecclesia, & eius ministri debeant hanc fidem prædicare, & annuntiare omnibus eo modo, quo potuerint, ortum habet ex positiuo præcepto Christi, qui id Apostolis, & eorum successoribus præcepit; quale præceptum positiuum ministri legis antiquę non habebant: Christus autem ministros, & Apostolos suos legatos instituit, qua institutione, & præcepto, ac fidei necessitate supposita, sequitur ex natura rei ius in Ecclesia defendendi se contra iniuriam impedientis vi, & potentia, ne vtatur sua facultate, & fungatur munere suo, quod ius commune est omnibus in casu simili.

44 *In quibus eo ideat hoc ius.* Secundò ergo dubitatur, in quibus resideat hoc ius ad cogendos infideles impedire volentes fidei prædicationẽ, ne eam impediant. Ad hoc respondet Suarez *vbi suprà num. 5. & sequentibus*, distinguẽdo potestatem prædicandi, & potestatatem mittendi prædicatores, & denique potestatem defendendi ministros prædicationis. Ex quibus primam, nempe potestatem prædicandi, dicit competere solis Pastoribus, & iis, qui ab ipsis delegantur, vel mittuntur respectiuè; potestatem verò secundam mittendi, competere vniuersaliter pro tota Ecclesia soli summo Pontifici cui vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est: Episcopis autem, & inferioribus Pastoribus, competere intra terminos suæ iurisdictionis, & territorij. Denique tertiam potestatem defendendi ministros competere soli summo Pontifici.

45 Circa primam partem de potestate simplici prædicandi. Aduertendum est, hoc intelligi de potestate publica, & quasi ex officio, nam loquendo de prædicatione priuata, & intructione, quilibet fidelis eruditus potest data sibi commoda occasione, alios infideles instruere, & ad notitiam veræ fidei adducere: id tamen ex officio facere competit Pastoribus, & iis, qui ab illis mittuntur, iuxta illud Pauli ad Roma. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quem locum Innocentius III. relatus in *cap. cùm ex iniuncto*, de hæreticis, affert ad probandum, *quod non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare* quod etiam constat ex Christi verbis Lucæ 10. *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Et quidem nec inter fideles licitè quisquam sibi prædicationis munus assumit, nisi de Episcopi, vel Pontificis licentia, & designatione: multò minus hoc officium ad conuertendos infideles sine eadem designatione vsurpare licebit. Est enim pascendi munus, quod Pastoribus competit, non ouibus, quæ aptius pasci debent quàm pascere. Cæterum sicut inter fideles non prohibetur laicus & priuatus exhortari priuatis consiliis, & monitis, proximos ad honestatem & pietatem, sic nec inter infideles prohibetur fidelis data occasione alios ad fidẽ, & religionem Christianam inducere: quod etiã laicos, imò & seruos, atque ancillas Christianas fecisse legitur in Ecclesiasticis historiis.

Iuris prædicandi ex officio quibus competat.

Circa secundam partem de facultate, & iure mittendi prædicatores ad infideles, aduertit bene Suarez, licèt singuli Pastores non habeant potestatem vniuersalem mittendi ad Prouincias extra suum territorium; aliquando tamen ex præsumpta voluntate summi Pontificis, cuius licentia commodè expectari non potest, posse data opportunitate procurare per se, vel per alios, conuersionem etiam alterius Prouinciæ vicinæ ex ratihabitione futura summi Pastoris, qui quàprimum fieri poterit, consulendus est. Quæ etiam ratihabitio, & voluntas præsumpta sufficere poterit: vt inferior etiam minister prædicet data opportunitate alicui ciuitati, vel Prouinciæ, vbi fructus prædicationis speratur. Addo ego, sicut sufficit præsumpta voluntas summi Pontificis, in iis casibus, sufficere etiam ratihabitionem, vel voluntatem præsumptam Episcopi, vel Pastoris inferioris, ad cuius iurisdictionem, & territorium locus ille spectare potest. Quicunque enim antecedenter licentiam dare *potest ad prædicandum*, potest postea ratum habere, & eius ratihabitio, vel voluntas præsumpta sufficiet, ad excusandam actionem illam, dummodo postea data opportunitate ad ipsum recurratur, vt debita subordinatio seruetur, & nemo in alienam messem falcem mittat.

Iuris defensionis prædicatorum Euangelij.

Denique circa tertiam partem de iure defendendi ministros, & prædicatores Euangelij potest esse difficultas. Primò, quia quilibet, præsertim si sit supremus Princeps, habet ius defendẽdi innocentes, & eos, qui per vim ab aliis iniustè impediuntur, vt iure suo liberè vtantur, cùm defensio innocentis patientis iniuriam sit de iure ipso naturæ permissa, Diximus autem ministros Ecclesiæ legitimè missos à Pastoribus habere ius prædicandi iis, ad quos mittuntur, & esse legatos Christi, in ordine ad annunciandum Euangelium: si ergo ij per iniuriam à Principe infideli impediantur, ne fungantur suo munere, poterit quilibet alius Princeps fidelis arma contra impedientem mouere, vt ab iniuria desistat, & per consequens hoc ius defendendi fidei prædicatores non spectabit ad summum solum Pontificem.

Hoc argumentum probat, aliquid concedendum esse hac in parte Principibus. Nam sicut homo, etiam priuatus, potest seipsum, & alium etiam innocentem tueri, & defendere ab eo, qui actu iniuriam ei infert, quando non est recursus ad magistratum, qui publica auctoritate id faciat: non tamen quando est talis recursus, sicut nec post iniuriam iam illatam potest aliquis propria auctoritate iniuriam vindicare, aut delinquentem punire, sed solùm petere à Iudice pœnam delictorum commissorum dum actu

actu prædicationis ministri legitimi iniustè cohibentur,& vexantur,potest Princeps laicus eos defendere ab iniuria actuali, & prohibentem aut vexantem cohibere, quantum sat est, vt desistat, si non sit recursus ad legitimum iudicem communem, qui est summus Pontifex: non tamen potest vindictam sumere de iniuria iam illata: hoc enim spectat ad iudicem communem,qui est Pontifex,& potest auctoritate publica eiusmodi iniurias suorum ministrorum punire; quod duplex defensionis genus distinxit benè Hurtado *disp.*75.§. 11.

49 *Principes sæculares an habeant ius cogendi infideles ad prædicationem non impediendam, & puniendi resistentes*

Porrò Principes sæculares non habere ius hoc cogendi infideles ad prædicationem non impediendam, & puniendi resistentes,sed hoc ius esse penes Ecclesiam, probatur, quia ius hoc contra personas infidelium non competit Ecclesiæ directè,& immediatè, sed indirectè,& consequenter ad ius, & potestatem spiritualem, quam habet directè, & iimmediatè circa spiritualia, & circa prædicationem,& propagationem fidei sibi commissam, ex qua potestate spirituali oritur consequenter, vt possit etiam contra personas infidelium procedere, quantum satis, & necesse est, ad spiritualia exercenda. Cùm ergo Princeps sæcularis non habeat potestatem directam circa spiritualia, non est vnde possit indirectè contra infidelium personas procedere. Hac autem potestate vtitur summus Pontifex, quando Principibus fidelibus hanc curam demandat,& quasi delegat,vt in Prouinciis infidelium Prædicatores fidei protegant,& infideles resistentes coërceant; quo casu aduertunt bene Bañes, Aragon, Valentia, & Turrianus apud Hurtadum *vbi supra* §. 3. Pontificem non dare directè Principi fideli regna, & Prouincias infidelium,sed munus,& ius obsistendi, & coërcendi armis infideles illius, vel illius Prouinciæ, si iniustè fidei prædicationem impediant.Quo pacto diuisit Alexander VI. inter Reges Castellæ, & Lusitaniæ Prouincias vtriusq; Indiæ,nimirum diuidendo inter illos curam,& ius tuendi prædicatores fidei,& coërcendi iniustè resistentes, vt id præstet, vnusquisque in Prouinciis,& regionibus sibi assignatis;vt notarunt etiam Maior, & Victoria, quos affert, & sequitur Suarez *dicta sect.*1. *num.*7. qui etiam ibi bene explicat,quomodo potestas hæc defendendi bello etiam, & armis prædicatores fidei residеat penes solùm summum Pontificem, & non penes inferiores Episcopos,& Prælatos;quia scilicet ius bellum indicendi, maximè in vindictam, & punitionem, non est penes magistratus inferiores, sed penes potestatem Principis supremi: quare in Ecclesiastica Republica non debuit hæc potestas esse penes quemlibet Episcopum, aut Prælatum, qui non est supremus , sed subordinatus; sed debuit esse in supremo Principe, ad quem spectat cura vniuersalis , sine cuius nutu, & directione, si res tanti ponderis agerentur,orirentur plura incommoda,& diuisiones inter Principes fideles;quorum singuli proprij Episcopi auctoritate bella contra infideles Principes susciperent.

50 *An Ecclesia vel Pontifex ad defendendos suos prædicatores, possit armare exercitus ex ipsis personis Ecclesiasticis, an verò committere eam tutelam Principibus sæcularibus?*

Secunda difficultas circa hoc ipsum esse potest, an Ecclesia, vel Pontifex ad defendendos suos Prædicatores, possit armare exercitus ex ipsis personis Ecclesiasticis, an verò committere solùm eam tutelam, & defensionem Principibus sæcularibus , & laicis. Suarez *dicta sect.*1.*num.*7. dicit, hanc potestatem non ita conuenire Pontifici , vt per se , vel per Ecclesiasticas personas illam exequi debeat: quia non est Sacerdotis, neque Ecclesiastici status arma corporalia sumere, vt constat ex Ambrosio relato *in cap. conuenior* 23.*quæst.*8. & aliis relatis à Gratiano *eadem quæstione*. Potest tamen summus Pontifex committere hanc defensionem , seu executionem Principibus temporalibus: & ita de facto facit , dum inter diuersos Principes distribuit hanc curam prouidendi Prædicatores fidei variis infidelium Prouinciis,& eosdem Prædicatores postea ab iniuriis , & violentia defendendi. Huic doctrinæ consentit Hurtadus *disp.*75.§.8. Addit tamen, posse Papam, quia est simul Rex temporalis,bellum infidelibus inferre,quando scilicet alij Principes Christiani ex eius commissione possent: quare posset tunc exercitum cogere,illúmq; iure suo mittere. Prudenter verò indicat hoc non ita vniuersaliter procedere, vt non possit aliquando contrarium expedire , quando scilicet alias damnum Ecclesiæ timeretur.Quæ exceptio meritò,vt dixi , subintelligenda est: nam indecentia huius defensionis per ipsas personas Ecclesiasticas exequutioni mandandæ , quæ eam illicitam reddit, oritur ex scandalo , & ex præiudicio ipsius fidei, quæ minùs grata, & credibilis redderetur infidelibus , si videant Prædicatores, qui mansuetudinem,& patientiam Euangelicam prædicant,contrarium factis ostendere,vindicando proprias iniurias per seipsos,& fidem armis,ac potentia potiùs,quàm rationibus inducere velle. Possunt tamen aliquando hæc , & similia inconuenientia compensari pluribus, & maioribus eiusdem fidei commodis: nam sicut potest aliquando Prædicator carcerem,& vincula fugere,vbi ad mortem vrgebatur , & hoc propter maius bonum eiusdem fidei,licèt aliquando magis expediat non fugere, sed mortem patienter expectare , ad eandem fidem magis confirmandam:sic licèt regulariter ministri Euangelici non debeant se per vim defendere,aduersarios offendendo, & occidendo : aliquando tamen id expedire posset , ad maius fidei bonum.Quid enim si Regulus obuius impediret conuersionem Regni,vel Imperij latissimi,incarcerando,& vexando Prædicatores ad hunc finem missos? nonne possent non solùm fugere, sed & custodes per vim opprimere , vt se se liberarent, & opus inceptum prosequerentur,accedente saltem Pontificis permissione?Doctrina ergo illa intelligitur per se loquendo , & regulariter , excepto casu, quo contrarium magis expediens iudicaretur ad eiusdem fidei dilatationem , & augmentum promouendum.

51 *An ad hunc finem defendendi prædicatores fidei, possint hi mitti cum militibus armatis, qui eos defendant.*

Tertia difficultas est , an ad hunc ipsum finem tuendi,& defendendi Prædicatores fidei, possint hi mitti cum militibus armatis , qui eos defendant , & ad eorum securitatem. Affirmant Maior *in* 2. *dist.*44. *quæst.*2. & nouissimè Ioannes Solorzano apud Dianam 6.*part.tract.*4. *de bello,resolutione* 15. qui etiam eidem sententiæ contra Hurtadum ab eo adductum adhæret, & dicit, se illam cum Suario tenere *disput.*18. *de Charitate sect.*1.*n.*8. cum quo docet posse hodie Principes Christianos ad conuertendos Barbaros mittere Prædicatores cum sufficienti exercitu , non vt bellum inferant , sed vt prædicatores securi incedant , turrésque , & arces munitas in terminis Prouinciarum infidelium construere,vt facilior, & securior aditus,& exitus fidelibus pateat:dummodo tamen priùs tales infideles, blandè, & pacificè

cificè de audienda, & recipienda prædicatione moneantur. Hæc P. Diana *ibi*, qui in primis per errorem citauit Suarium *disput.18. de charitate*, cùm non habeat tot disputationes de charitate; sed id tractat *disp.18.de fide*. Deinde immeritò illum adduxit tanquam contrarium aliquid docẽtem sententiæ Hurtadi, quam retulerat. Nam Hurtadus *disp.75.§.15.* eandem omnino sententiam cum Suario docet, professus se Suarij assertioni subscribere, contra sententiam Maioris suprà relatam, quam quidem Suarez retulerat *illo n.8.* sed *n.9.* eam impugnat, & *n.10.* concludit, tunc locum esse coactioni, & mitti posse Prædicatores cum exercitu sufficienti propter rationes illas; quando Principes infideles resistunt, & ingressum concedere nolunt, quod etiam totum concedit Hurtadus, cuius sententia non est contraria, sed omnino eadem cum sententia Suarij. Quibus consentit Castr. Palao *tom.1.tr.4.d.2.punct.5.n.9.*

52 Ego ab hac communi sententia recedendum non puto; nec per se loquendo, & regulariter mittendos fidei prædicatores cum exercitu, & militum copiis. Hoc enim probat Christi exemplum, qui misit Apostolos suos, *sicut agnos in medio luporum.* Matthæi 10. *sine baculo, & pera*, inermes, & mansuetos, & annuntiantes pacem; quod non solùm de prima illa missione, sed de omnibus subsequentibus debere intelligi, probat Maldonatus in illud 10. Matth: ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & aliis. Hoc probat Chrysostomus tom.2.hom.24. in Matthæum dicens: *Mea est causa: Deus humano auxilio non indiget, ideo vos tantummodo mihi personam præstate, & ego vobis sensum*, &c. & infrà: *Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus.* Hoc probat antiquus Ecclesiæ vsus, etiam postquam ab Imperatoribus Christianis auxilium sperare poterat: vt constat de Gregorio magno, quando Prædicatores in Angliam misit. Hoc denique comprobat ratio ipsa, & fidei auctoritas, cui non parum derogaretur, si armis, & potentia obstruenda esset, ita vt eius acceptatio timori potiùs humano, quàm veritatis diuinæ ponderi tribui posset testante Paulo 2.ad Corinth.10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.*

53 Dixi tamen, *per se loquendo*, ita faciendum: nam per accidens aliquando licebit milites cum Prædicatoribus mittere. Peti enim potest priùs ab infidelibus, vt prædicti auctores fatentur, aditus pacificus, & securitas pro prædicatoribus mittendis, vt eos audire possint, & fidem, si placuerit, recipere. Quod si hanc securitatem Princeps dare noluerit, iam cogi potest armis, vt securitatem petitam præstet, & ad hunc finem Prædicatores possunt militibus associari. Priùs tamen pacatè, & sine armis securitas petenda est; postea, si negetur, armis vsurpari potest. Vnde si experientia docuit fidem securitatis, datæ non obseruari, possunt iam milites mitti ad vindictam violatæ fidei, & ad securitatem extorquendam. Addo posse etiam aliquando quasi per accidens, & concomitanter ire milites cum Prædicatoribus. Potest enim Princeps Christianus legationem ciuilem ad Principem infidelem mittere, vt pacem, commercium, & amicitiam ab eo petat, legatósque suos solito comitatu adornare, & comites etiam adhibere fidei Prædicatores. Si ergo Princeps infidelis neget iniustè, id quod de iure gentium omnibus debetur, nempe transitum necessarium, & pacificum, portum etiam in casu necessario, & alia, quæ de iure gentium debentur, & hoc sine causa iusti metus, aut periculi; iam meritò in eum armatur Princeps Christianus, & milites mittit, non ad tutelam prædicatorum, licèt hi etiam ibi sint, sed ad extorquenda, quæ sibi de iure gentium debentur, & iniustè negantur. Semper ergo fides sine armorum strepitu, & omnino pacificè offerenda est: si tamen legatio hæc Regis pacifici Dei, & Ecclesiæ iniuste lædatur, potest iniuria vindicari, & armis extorqueri id, quod omnibus Principum Legatis de iure debetur.

Hinc tamen oritur quarta difficultas, an si prædicatio fidei pacificè offeratur, & infideles nolint fidem audire, possint vi, & armis cogi ad eam audiendam. Prima sententia affirmat, pro qua affertur Maior *in 2.distinct.44. quæst.2.* vbi videtur eam significare. Secunda sententia id vniuersaliter negat, quam tenet Valentia *in præsenti disp.1. quæst.10. puncto 6.* & indicat Salmeron *tom.12. tract.38.* Denique tertia sententia media, & vera id affirmat in ordine ad infideles subditos Principibus Christianis, negat verò in ordine ad infideles non subditos, quam cum aliis quos afferunt, docent Suarez *disp.18.sect.2.n.3.& 6.* Hurtado *disput.75.sect.3.* & alij passim.

Prima pars, nempe quòd Princeps Christianus possit cogere subditos suos infideles, ad audiendam fidem, negatur non solùm ab auctoribus secundæ sententiæ, sed etiam à Coninck *in præsenti disp.18.dub.14. numero 240.* sed eam concedunt alij: & probatur primò ex vsu Pontificum Romanorum, qui pœnis, & mulctis cogunt Iudæos subditos ad audiendam singulis hebdomadis concionem de rebus nostræ fidei, vt constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit *Sancta mater Ecclesia* cuius obseruantiam exactam hodie Romæ videmus. Quamuis autem aduersarij respondeant, illam nó esse coactionem directam, sed indirectam, quatenus Princeps imponit Iudæis subditis triburum aliquod, quod aliunde licitè imponere poterat, à quo tamen tributo, & onere eximit eos, qui conueniunt ad audiendam concionem; sed eam solutionem reiicit Suarez *num.3.* quia Iudæis alia tributa imponuntur, nec illud imponitur sub nomine tributi, sed vt pœna inobedientiæ. Et quidem legenti verba prædictæ Bullæ constabit manifestè, illam esse propriè pœnam: nam sub nomine pœnæ, & punitionis imponitur, & in genere statuitur, eos eis, & aliis pœnis cogendos esse; vnde si quis inculpabiliter absit propter morbum, vel quid simile non patitur eam pœnam, quia vbi non est culpa, non debetur pœna: quod tamen ad vitandam solutionem tributi iusti non sufficeret, cùm hoc etiã sine culpa debeatur. Obiter aduerto, immeritò adduci apud Hurtadum hìc *disp.75.§.52.* & alios Bullam etiam Nicolai III. imponentis eiusmodi pœnam: nam Nicolaus III. neque imposuit pœnam, nec coëgit Iudæos ad audiendam fidem, sed præcepit, & commisit Patribus Ordinis Prædicatorum, vt Iudæorum conuersionem procurarent, & eis prædicarent, vt constat ex eius Bulla, quæ habetur *in Bullario communi tom.1.*

Ratione deinde à priori hæc pars probari solet, quia hoc præceptum non excedit potestatem laici Principatus, si quidem nihil supernaturale subditis præcipit Princeps; sed omnino naturale, & honestum, ac per se vtile ad finem laici Principatus, quia de Deo etiam, vt auctore naturæ

turæ, multum ab infidelibus erratur, de vitiis, etiam, & virtutibus naturalibus plura ignorantur; Item fides Christiana est valde vtilis etiam ad laicam politiam, cùm adeo seuerè prohibeat scelera contra legem naturæ: ita arguit Hurtado, *vbi supra* §. 54. & concludit, posse Principem laicum moderata mulcta, subditos infideles cogere ad audienda mysteria supernaturalia, maiori verò seueritate ad audiendam legem naturalem.

56 Hoc ipsum simili ferè argumento aliis verbis probat Suarez *dict. sect.* 2. *num.* 4. quia actio illa audiendi prædicationem, non est per se, & intrinsecè supernaturalis, & secundùm præsentes circunstantias possunt subditi conuinci, quod sit honesta, & ad eorum commodum ordinata: imo etiam referri potest, ad vtilitatem reipublicæ, quam Princeps temporalis procurare potest, & debet, nimirum ad maiorem pacem, & concordiã omniũ subditorum, vel vt subditi liberẽtur ab erroribus, de quibus cõuinci possunt, quod sint cõtra rationem naturalem, vel etiam cõtra alia, quæ ipsi admittunt & credunt, vt contingit in Iudæis.

57 Hæc ratio quibuscunque verbis explicetur, adhuc manet difficilis: quia imprimis, licèt obligatio audiendi fidem conuinci possit ratione naturali, quod sit hîc, & nunc debita, idem dici posset de ipsa obligatione credendi: sicut enim euidens est obligatio audiendi fidem, ita ea audita, & sufficienter proposita, euidens est obligatio credendi, & ideo præcedere debet iudicium euidens de credibilitate, seu de obligatione credendi: & tamen non possunt infideles cogi ab Ecclesia, nedum à Principe seculari ad credendum. Item, si bonum concordiæ, & pacis inter subditos, dat ius præcipiendi auditionem fidei, daret etiam ius præcipiendi fidem ipsam: vtilior enim est ad pacem, & concordiam vnitas fidei, quàm auditio sola fidei: imò hæc non aliter est vtilis ad illum finem nisi quatenus est vtilis ad fidem, quæ est vinculum pacis, & concordiæ inter subditos. Si ergo motiuum illud concordiæ politicæ non dat ius præcipiendi subditis fidem, quomodo dabit ius præcipiendi auditum fidei? Vnde argui potest à priori quia omne præceptum, aut lex vt iusta sit, debet esse de obiecto bono, & honesto, cuius honestas intendatur à superiore præcipiente: honestas autem, quæ est in auditione fidei nõ videtur esse diuersa ab honestate, quæ est in ipsa fide: ideo enim diximus *suprà dist.* 18. *sect.* 1. non esse malitiam specie diuersam in omissione auditionis debitæ fidei, à malitia omissionis fidei: quia Deus non præcipit fidei auditionem, nisi propter honestatem ipsius fidei: si ergo honestas ipsa fidei non est talis, quam possit Princeps latens intẽdere præcipiendo fidem, consequens est; vt nec possit præcipere auditionem fidei, quod præceptum deberet intendere eãdem honestatem fidei. Denique quod additur de erroribus contra legem naturæ, ad quos vitandos potest Princeps temporalis præcipere auditionem fidei; non est ratio vniuersalis: nam tunc posset etiam Princeps cogere; non solùm ad audiendũ, sed etiam ad deponendos illos errores, vt infra videbimus. Nunc autem agimus de coactione ad audiendam eam doctrinam, ad quam credendam, & suscipiendam, non possit idem Princeps cogere subditos infideles. Et quidẽ potest fingi, quod subditi nullum errorem sequerentur contra lumen naturæ, nollent tamen credere Euangelio. De quibus subditis quæritur iã, quomodo Princeps possit eos cogere ad audiendum Euangeliũ, quos tamen non posset cogere, ad illud credendum, postquam sufficienter propositum est cum euidentia credibilitatis.

Aliter possumus explicare, (& fortasse in idem recidet) cur hoc præceptum audiendi fidem non excedat potestatem humanam Principis temporalis: quia nimirum sicut Princeps recipere potest, & audire legatos vndecunque missos, licèt non teneatur eorũ postulatis annuere, ita potest præcipere subditis, vt eos audiant, & recipiant, præsertim si legatio sit de rebus ad subditorum bonum, & vtilitatem pertinentibus. Et sicut filius non potest à patre cogi ad ducendam vxorem, & tamen tenetur eius consilium audire, vt cum aliis probat Thomas Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio disp.* 23. ita Princeps, licèt non possit cogere subditum, ad amplectendam fidem; potest illum cogere, ad audiendos legatos Dei, & Ecclesiæ, qui sunt Prædicatores à Christo, & ab Ecclesia missi ad hunc effectum: turpe enim esset in ipsa republica ciuili, vt legati venerandæ Communitatis, qualis est Ecclesia, imò & legati ipsius summi Dei, qui parati sunt ad probandam suam legationem, adhuc à ciuibus cum contemptu reiiciantur, & ne ad audientiam saltem admittantur. Hanc itaque Reipublicæ indecentiam Princeps impedire & prohibere potest cogendo subditos ad non negandam audientiam eiusmodi legatis: sed potiùs honorificè eos excipiendos, sicut & ab ipso Principe honorificè excipiuntur, & audiuntur. Ratio autem esse videtur, quia sicut filius non subordinatur patri omnino in ordine ad electionem vxoris, quia hic status debet esse omnino liber, subordinatur tamen in ordine ad educationem, & ad hoc vt possit saltem bene eligere vxorem, & ad quem finem oportet paternum consilium audire: ita infideles subditi non subordinantur Principi temporali, in ordine ad finem supernaturalem, sed solùm in ordine ad politiam humanam, & naturalem, & ad bonum Reipublicæ statum, ad quem sufficit honestas morum secundùm regulas naturæ: ad hunc tamen ipsum statum naturalem, & ad eius honestatem spectat, quod subditi possint si velint credere, & amplecti fidem, in ordine ad finem supernaturalem. Nam, vt aliàs dixit Augustinus, licèt fides ipsa sit gratia Dei, & pertineat ad ordinem supernaturalem; posse tamen credere pertinet ad naturam intellectualem, hoc est, capacitas ex parte naturæ, seu non habere incapacitatem ad fidem, quare non excedit ordinem naturæ, & regiminis naturalis, auferre hæc impedimenta in quibus vnum est, & potissimum, non habere notitiam fidei ob defectum prædicationis: *quomodo enim credent sine prædicante?* Non est enim nouum, quod potestas superioris non extendatur ad præcipiendum aliquod opus, & tamen extendatur ad præcipiendam notitiam illius: sic Ecclesia non præcipit vniuersaliter consilia Euangelica omnibus, v. g. statum religiosum, & tamen præcipiet aliquando notitiam consiliorum, vt possint fideles ea agnoscere, & amplecti, si velint. Non præcipit vsum Indulgentiarum, & tamen præcipit notitiam talis vsus, & aliquando obligat, vt fideles interfint earum publicationi, vt fieri solet in publicatione Bullæ Cruciatæ. Sic ergo, licèt Princeps temporalis non possit subditos infideles obligare ad fidem amplectendam, poterit obligare ad audiendam, vt non sint incapaces 58

capaces eam recipiendi,si velint:hoc enim ad ipsum statum naturalem,& bonum Reipublicæ videtur pertinere, vt subditi habeant notitiam necessariam ad deliberandum,& eligendum, etiam in iis,in quibus non possunt à suo Principe obligari ad electionem determinatam.

59 Dices, Princeps temporalis non potest præcipere auditionem fidei,nisi ex fine honesto, quem debet habere quodlibet præceptum,& lex humana, vt diximus. Hic autem finis honestus, non potest esse ipsa honestas fidei, alioquin posset Princeps ad fidei honestatem obligare:sed neque esse potest alia honestas diuersa ab honestate fidei : Nam Deus præcipiens auditionem fidei, non intendit aliam honestatem, nisi honestatem fidei, & ideo diximus, præceptum illud non differre specie à præcepto fidei: & ratio videtur esse, quia medium non est amabile, nisi propter bonitatem finis: auditio autem fidei non est amabilis, nisi vt medium conducens ad ipsam fidem; ergo non potest esse præceptum humanum de audienda fide, si non potest esse de ipsa fide amplectenda.

Respondetur concessa maiori,negando minorem.Potest enim Princeps temporalis habere pro fine eius præcepti aliquam honestatem condistinctam ab honestate fidei, nempe, quod legati audiantur, quòd subditi habere possint notitiam ad electionem Religionis, &c. quæ omnia sunt bona honestè amabilia antecedenter ad ipsam fidem, & præscindendo ab obligatione fidei. Differunt autem præceptum Principis humani, & præceptum diuinum de audienda fide;quod præceptum diuinum obligat ad fidem audiendam, solùm quatenus obligat ad fidem amplectendam, atque adeo non intendit, nisi solam honestatem fidei; ad reliqua verò omnia tendit materialiter,& vt media solùm ad fidem præceptam:vnde cessante necessitate illius medij, v.g. si per internam reuelationem,aut per libros aliquis comparet notitiam fidei sufficiétem, non obligaretur præcepto diuino audiendi Prædicatores fidei, quia hoc præceptum solùm obligat directè ad fidem, ad reliqua verò solùm consequenter, & vt media quando necessaria sunt ad fidem. At verò præceptum illud humanum obligaret directè ad audiendum prædicatorem, propter honestatem peculiarem, quæ est in ea auditione,adeo vt licèt hîc, & nunc, non esset medium necessarium ad fidem, posset præceptum humanum ad prædicationem audiendam obligare: sicut de facto præceptum naturale, & diuinum obligat ad ieiunia, & alias corporis mortificationes solùm, quatenus sunt media necessaria ad castitatis præceptum, & alia similia obseruanda. Ecclesia tamen licèt illum etiam finem intendat, obligat adhuc ad ieiunium,licèt hîc,& nunc nõ sit necessarium ad carnis tentationes vincendas; quia nimirum intendit etiam honestatem temperantiæ; quæ reperitur in ipso ieiunio,& quæ honestas licèt de se non sit sub obligatione legis diuinæ,aut naturalis, est tamen materia talis, quæ possit intendi, & præcipi lege humana positiua. Sic præceptum illud humanum audiendi prædicatores fidei,posset intendere honestatem proptiam, quæ reperitur in illa auditione, quæ honestas, licèt secundùm se, & præscindendo ab honestate fidei, ad quam sit medium necessarium,non sit sub præcepto diuino,aut naturali; est tamen talis, vt possit præcipi,& intendi lege humana positiua, etiam sistendo in ipsa: & ideo omissio illius esset quidem contra præceptum diuinum fidei, quando auditio esset medium necessarium ad fidem:esset tamen etiam peccatum habens specialem malitiam contra præceptum illud humanum, quam malitiam haberet etiam, quando non esset medium necessarium ad fidem.

Obiiciunt primò, quia hæc potestas non est concessa à Christo Ecclesiæ,aut Principibus:cum de ea concessione non conster, sed solùm de potestate, vel iure prædicandi, quod stare potest sine potestate cogendi ad audiendum, sed ad summum erit potestas contra impedientes prædicationem. Respondetur hanc potestatem oriri ex ipsa natura principatus, qua Princeps potest cogere subditos ad actiones bonas politicas,& decentes Rempublicam bene morigeratam; inter quas computari potest,vt vidimus, quod legatos de rebus magni ponderis loquuturos non abiciant,sed recipiant,& audiant.

Secundò obiiciunt exemplum Christi,qui discipulos suos volentes Samaritanos ignis, & supplicijs cogere, vt Christum non abicerent, sed audirent, reprehendit, & dixit, *nescitis cuius spiritus sitis &c.* Lucæ 9. & iterum Matth.10. dixit Apostolis. *Si non receperint vos, neque audierint sermones vestros, excutite pulueren.&c.* volens nimirum, vt pacificè discederent, nec cogerent nolentes ad audiendum. Respondetur hæc nimiũ probare, nempe contra ipsos aduersarios, qui licèt non concedant posse subditos cogi ad audiendum; concedunt tamen posse cogi ad permittendos Prædicatores in Republica, & ad eos non eiiciendos, nec impediendos: Et ramen Samaritani illi non solùm noluerunt audire,sed neque in ciuitatem suam recipere Christum,& eius discipulos, sed omnino prohibuerunt, & turpiter eiecerunt. Respondetur ergo in primis, Apostolos non accepisse à Christo Principatum temporalem, ex quo oritur potestas cogendi subditos ad audiendam fidem. Deinde noluisse Christum introduci Euangelium armis, & potentia, sed pacificè,& cum mansuetudine,ac humilitate Christiana. Quare licèt Ecclesia habeat potestatem puniendi rebelles,qui prædicationem impediunt, & vi eos cogendi, vt desistant, vt supra vidimus:id tamen fieri debet,non per ipsos ministros Euangelij, sed per Principes sæculares ex commissione Ecclesiæ: nec tunc erat opportunitas id faciendi,nec in illis circunstantiis expediebat ita facere.

Tertiò obiiciunt, quia fides debet esse voluntaria, & non coacta, ergo & auditio fidei: nam eadem est ratio de mediis, & de fine. Respondeo negando consequentiam: nam ex coactione ad audiendum non sequitur, quod fides postea sit coacta, cùm maneat postea in audientis potestate libera credere, vel dissentiri: sicut etiam matrimonium debet esse liberum, & ideo non potest Pater filium cogere ac ducendam hanc vxorem, potest tamen eum cogere, ad audiendum consilium, & congruentias, quibus auditis, liber omnino maneat ad electionem coniugis. Non est ergo eadem ratio de fine,& de medio in casu nostro:præsertim cùm auditio illa non præcipiatur à principe sęculari propter honestatem solam fidei: nec præcisè,vt medium, sed propter honestatem propriam, quam in se habet,vt visum est.

Quartò obiiciunt, quia si hæc coactio non procedit ex potestate spirituali, vt conceditur, debet

debet prouenire ex potestate merè temporali: hęc autem sistit in actibus temporalibus, nec extenditur ad spiritualia, ad quæ pertinent, & fides, & auditio fidei. Respondeo, posse esse æquiuocationem in voce actuum *temporalium, & spiritualiũ*. Nam si sensus sit, legem ciuilem Principis temporalis solùm ordinari ad bona corporalia, falsissimum est: pertinet enim ad legem ciuilem facere bonos ciues, ac proinde bonos viros, vnde versari potest in materia omnium virtutum moralium quatenus hæ vtiles esse possunt ad statum tranquillum, & pacem Reipublicæ, vt probat, & explicat latè Suarez *lib. 5. de legibus cap. 12.* imò & punire potest peccata etiam cõtra Deum, quatenus naturali ratione cognosci potest, & quatenus ea bonum, & tranquillum Reipublicæ statum impedire possunt. Non ergo excedit potestatem Principis temporalis præceptum audiendi prædicatorem, cùm ad bonos etiam Reipublicæ mores spectare possit Legatos de rebus magni ponderis dicturos audire, & notitiam habere præcipuarum religionum, & quæ sint cuiuslibet religionis fundamenta, quando iam antea non certò constat de earum falsitate. Addo in ordine ad praxim rem hanc nullam habere difficultatem, cùm nulli hodie reperiantur infideles, qui non errent simul circa plurima, quæ spectant ad legem naturalem, atque adeo possunt ad hos errores corrigendos cogi à Principe, vt audiant Prædicatores Ecclesiæ, à quibus circa huiusmodi errores corrigi, & instrui possint.

64 *Obiectio 5.* Quintò argui potest, quia si Princeps Christianus sæcularis posset hoc præcipere suis subditis; posset etiam idem Princeps ethnicus, vel Paganus, cùm non sit maior eius potestas temporalis, quàm Principis Christiani: consequens autem reputat magnum absurdum Cominck *vbi supra n. 236.* Ego tamen loquendo de possibili, non inuenio vllum absurdum: nam in primis si Princeps ipse exemplo suo præcedat, & velit Prædicatorem fidei audire, quis dubitat, quod possit suis auulcis, & aliis ciuibus præcipere, vt eius exemplo ipsi etiam prædicatorem audiant? Deinde sicut Princeps infidelis potest lege prohibere subditis adulterium, quamuis adulter ipse sit, cur non posset præcipere auditum fidei, licèt ipse culpabiliter fidem non audiret? Itaque in hac illatione nullum apparet absurdum, licèt de facto rarò, vel nunquam id contingat.

65 *Ecclesia, aut Principes Christiani non possunt cogere infideles non subditos sibi in temporalibus ad audiendã fidem.* Restat iam probanda secunda pars assertionis, nempe non posse Ecclesiam, aut Principes etiam Christianos cogere infideles non subditos sibi in temporalibus, ad audiendam fidem: quæ pars communior est, quàm præcedens, & probatur facilè, quia hæc coactio deberet procedere ex potestate vel spirituali, vel temporali; neutra autem datur in casu nostro. Non spiritualis, quia hanc non legitur dedisse Christus suæ Ecclesiæ, cui potestas nulla est, aut iurisdictio in eos, qui foris sunt, sed solùm ius naturale ad tuendos suos Prædicatores, & se ipsam contra iniurias ab infidelibus illatas, vel ab iis, qui prædicationem iniustè impediunt. Sed neque in casu nostro datur potestas temporalis ad illam coactionem; cùm ij infideles supponantur non esse subditi huic Principi, qui eos cogere vult ad fidem audiendam.

66 *Obiectio.* Obiicitur, quia Christus dedit Ecclesiæ ius, & potestatem prædicandi omnibus fidem, ergo & cogendi, ad audiendam illam: prædicatio enim sine auditoribus fieri non potest, & concesso vno correlatiuo conceditur alterum, & concessa iurisdictione concessa intelligũtur omnia sine quibus iurisdictio exerceri non potest. Confirmatur, quia ex potestate data Apostolis à Christo remittendi peccata, verbis illis, *quorum remiseritis peccata*, &c. colligitur obligatio confitendi illa: non enim possunt remitti nisi audiantur: ergo ex potestate data ad prædicandum, colligi potest obligatio audiendi, & potestas ad cogendos auditores, sine quo auditu inutilis est potestas prædicandi. Respondetur, ex præcisa potestate prædicandi non argui potestatem cogendi alios ad audiendum. Nam Episcopus dans alicui facultatem concionandi, non cogit alios ad audiendum, nec concionatori dat potestatem, vt eos cogat: imò licèt non concedat solum, sed præcipiat prædicationem, non ideo dat potestatem cogendi, sed in vtroque casu, dat ius cogendi alios, ne eius prædicationẽ impediant. Ex eo ergo, quod Christus dederit ministris Ecclesiæ potestatem prædicandi, & hoc eis præceperit, non argnitur potestas, vt cogant auditores ad audiendum, sed satisfaciunt suo muneri prædicando, vel offerendo se ad prædicandum, si alij audire voluerint.

Ad confirmationem item omissis aliis solutionibus respondeo, necessitatem, & obligationem confessionis non colligi præcisè ex potestate data Apostolis remittendi peccata, sed ex potestate talibus verbis data, nempe cum potestate retinendi, cùm dictum fuerit; *& quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex qua potestate *retinendi*, seu, vt alibi explicata fuit, *alligandi*, colligi debuisse obligationem confessionis, & recurrendi ad sacerdotes, vt ad iudices necessarios, & non solùm arbitrarios, ostendi *disp. 15. de pœniten. sect. 1.* Non est hoc fundamentum in casu nostro ad dicendum, quod Ecclesia acceperit potestatem obligandi infideles, ad audiendam fidei prædicationem. 67

Vrgeri tamen potest, quia ad necessitatem Confessionis declarandam oportuit quidem eam retinendi potestatem à Christo explicari: nam institutio confessionis secundùm se non supponebat, nec afferebat secum eam obligationem. At verò in casu nostro non oportuit eam potestatem obligandi explicare; sed solùm dare munus prædicandi: quo munere Apostolis imposito, statim ex natura rei sequitur in aliis obligatio eos audiendi: vnusquisque enim præcepto diuino, & naturali tenetur inquirere, & audire veram doctrinam pertinentem ad religionem, & necessariam ad salutem: ergo eo ipso, quod data fuit potestas prædicandi, imposita fuit aliis obligatio audiendi. Respondeo, hanc obligationem à nobis non negari: certum enim est infideles teneri præcepto diuino ad audiendos Prædicatores, nisi aliunde ex libris, vel aliter notitiam eiusdem fidei sufficientem comparauerint. Negamus tamen datam fuisse Ecclesiæ potestatem cogendi, & obligandi infideles ad audiendum: multa enim sunt, ad quæ infideles præcepto naturali, aut diuino tenentur, ad quæ tamen Ecclesia non potest eos obligare, & in hac ipsa materia, tenentur infideles fidem sibi ab Ecclesia sufficienter propositam amplecti, & credere; & tamen Ecclesia non potest eos ad hoc ipsum obligare, vel cogere: similiter ergo nec potest obligare eos ad audiendum, quia hæc potestas nusquam legitur, vel inuenitur Ecclesiæ à Christo relicta. 68

Dicet aliquis, hanc etiam potestatem includi in munere Legati; nam licèt Princeps humanus non possit obligare Principem æqualem, vt audiat Legatum, quem ad ipsum mittit; Princeps tamen superior, mittens Legatum ad Principem inferiorem, & subditum, potest eum obligare ad recipiendum, & audiendum etiam Legatum. Cùm ergo Christus mittens Apostolos, & eorum successores ad prædicandum, sit Princeps omnium supremus, & mittat eos, vt suos Legatos ad annunciandam fidem; eo ipso intelliguntur mitti cum auctoritate, & potestate cogendi homines omnes ad quos destinantur, ad audiendam fidem. Respondeo, Legatum dupliciter posse à Principe supremo mitti. Primò cum potestate, & iurisdictione in eos, ad quos mittitur; quomodo Pontifex mittit frequenter Nuntios, seu Legatos Apostolicos cum potestate, & iurisdictione, quam exerceant in Prouincia, ad quam mittuntur. Secundò potest Princeps etiam supremus mittere simplicem Nuntium, sine vlla potestate, aut iurisdictione, sed solùm, vt aliquid denuntiet, vel intimet alicui, vel aliquibus. Quem quidem nuntium si subditi audire nolint, delinquunt certè contra Principem à quo missus fuit, & meritò possunt ab eo puniri: non tamen possunt puniri ab eodem Nuntio, sicut nec possunt ab eo vi, & pœnis compelli, vt audiant; quis enim dicat, famulum etiam inferioris notæ, quem Rex, vel summus Pontifex ad aliquem subditum mittit, vt certiorem eum reddat de re aliqua, eo ipso potestatem habere, vt illum audire renuentem in vincula coniiciat, & propria auctoritate, ferro etiam, & pœnis ad audiendum compellat? Hæc certè potestas in quolibet simplici Nuncio non agnoscitur, nisi à Principe mittente exprimatur. Cùm ergo Christus Apostolos mittens, & eorum successores ad Euangelium annuntiandum non expresserit hanc potestatem, non est, vnde colligamus eos illam habere, sed potiùs esse nuncios destinatos ad annuntiandam pacem, & Euangelicam doctrinam: nec Apostoli ipsi in se potestatem aliam agnorunt, vt audire nolentes cogerent ad audiendum.

Legatus potest dupliciter à Principe supremo mitti.

§. II.

An cogi possint infideles ad amplectendam fidem sibi sufficienter propositam.

70 NOn loquimur de doctrina fidei, quæ ratione etiam naturali haberi potest, & quæ dictat seruanda præcepta naturalia: de hoc enim dicemus §. 3. sed nunc loquimur de doctrina fidei, quæ solùm per diuinam reuelationem habetur. Prima ergo sententia vniuersaliter affirmat, posse omnes infideles pœnis compelli, ad amplectendam fidem sufficienter propositam; pro qua afferuntur Maior *in 2. dist. 4.* & quidam Genesius Sepulueda, qui hoc probare conatus est sub Carolo V. Imperatore, cùm de Iudæis ageretur. Secunda sententia id concedit de infidelibus, qui subditi sunt in temporalibus, Principi eos ad fidem cogenti: quod tamen intelligere videntur loquendo de iure diuino, vel naturali, & secluso iure humano positiuo, quo hæc coactio prohibetur. Hanc docet Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 7. in fine*, & aliqui ex eius schola, & probabilem existimat Lorca *in præsenti disp. 36. num. 7.* quamuis ipse communem, & contrariam sententiam sequatur. Alij denique hoc limitant ad coactionem indirectam, negant verò de directa, vt infrà explicabitur, in quo sensu loquutus videtur Gabriel *dicta dist. 4. quæst. 2.* & Angelus apud Suarez *disp. 18. sect. 3. num. 2.*

Prima sententia.

Communis, & vera sententia negat, posse infideles, siue subditi sint, siue non subditi, cogi, & obligari directè ad fidem amplectendam, non solùm loquendo de iure humano, sed etiam de iure naturali, seu diuino. Ita cum S. Thoma *in præsenti quæst. 10. art. 8.* & 12. Caietanus, Palud. Durand. Antoninus, Richardus, Sotus, Abulens. Syluester, Castro, Victoria, & alij, quos affert, & sequitur Suarez *vbi supra num. 4.* Bannes, Arragon. Turrianus, Valentia, Azor, & alij, quos afferunt, & sequuntur Hurtado *disput. 75. sect. 2. per totum*, Coninch *disp. 18. dub. 14. numero 225.* Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 6. num. 1.* qui tamen malè citat Sotum *in 4. dist. 4. quæst. vltima* dicentem posse infideles subditos cogi; nam Sotus ibi nihil dixit, sed postea *dist. 5. quæst. vnica art. 10.* contrarium latè probat: fortasse fuit typographi error scribentis *Sotum*, pro *Scoto*.

Et in primis prohibitum hoc esse de iure humano, constat ex multis Pontificum, & Conciliorum decretis Gregorius Magnus id præcipit *lib. 11. epist. 15.* relatus *in c. Qui sincera, dist. 45.* & Concilium Toletan. 4. *cap. 56.* relatum *in cap. de Iudæis eadem distinct.* Idem statuitur *in cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis*, & idem supponitur *in cap. Iudæi 3.* & *in cap. consuluit 8. eod. tit.* Ad hoc ipsum affert Suarez *vbi supra num. 5.* decretum Innocentij III. *in cap. Maiores, §. item quæritur de baptismo*, vbi Pontifex addit, id esse *contra Christianam religionem*: vnde idem Suarez colligit, prohibitum hoc esse, non solùm iure humano, sed etiam iure diuino. Sed reuera id ibi non dicitur, sed solùm, quod non sit cogendus ad obseruantiam legis Christianæ, qui omnino inuitus, & sine vllo prorsus consensu baptizatus est; nam baptismus ille non est validus, & ideo esse dicitur religioni Christianæ contrarium obligare omnino dissentientem, ad obseruantiam legis Christianæ: vnde statim additur non esse contra, sed iuxta religionem, vt qui per metum, & coactionem baptismum suscipit, obligetur postea ad seruandam legem Christianam. An verò cogere metu, & pœnis ad baptismum suscipiendum, & consentiendum sit contra legem diuinam nihil ibi dicitur. Addo, hanc coactionis prohibitionem approbatam etiam in iure ciuili *in leg. Christianis, Cod. de Paganis.*

Quod verò stando etiam in iure naturali, & diuino, cogi non possint ad fidem ij, qui non sunt subditi, probatur, quia coactio hæc esse non potest, nisi ab habente potestatem, & Iurisdictionem in illos; nam vis coactiua supponit potestatem præcipiendi, & puniendi, quæ solùm competit superiori in subditos. Hanc autem potestatem, & iurisdictionem non habet in primis Ecclesia in eiusmodi infideles: cùm eam non acceperit à Christo, nisi in eos, qui intra Ecclesiam sunt per baptismi sacramentum, & fatetur Paul. Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicens *quid mihi de iis, qui foris sunt? nam eos Deus iudicabit.* Vbi aperte significat Deum non dedisse Ecclesiæ iudi-

ciam

cium circa infideles non baptizatos, qui extra Ecclesiam adhuc sunt, sed iudicium hoc sibi reseruasse. Vnde ea verba in hoc sensu intellexerunt Innocentius III. in c. *Maiores*, de baptismo, & in cap. *gaudemus*, de diuortiis, & Concil. Trident. sect. 14. cap. 2. inferens, *Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui prius per baptismum non fuerit ingressus*: & est communis interpretatio Patrum Chrysostomi, Theophilacti, Ambrosij Anselmi & sancti Thomæ in illum Pauli locum, & Augustini de verbis Domini serm. 6. cap. 7. Et confirmatur apertè ex verbis Christi Matth. 10. vbi Apostolos ad prædicandum mittens sine baculo, & gladio, (quod, teste Hieronymo ibi, nihil aliud fuit, quàm instrumenta illis coactionis prohibere) postea concludit, *qui non receperint vos, non remittetur eis in die iudicij*. Sicut & Marci vltimo dixit, *qui non crediderit condemnabitur*: significans, punitionem huius delicti non pertinere ad Ecclesiæ, sed ad Dei iudicium. Quem potestatis defectum perpetuò Ecclesiæ Pastores in se agnouerunt, qui nunquam exercuerunt illam, vel exerceri permiserunt in infideles non baptizatos. Vnde multò minùs dici potest, quòd Christus eam potestatem dederit Principibus temporalibus; si enim aliquibus dedisset, vtique dedisset Ecclesiæ ministris. Sed neque ex iure naturali potuit Principibus temporalibus potestas hęc competere in infideles non subditos: quia eo ipso, quod subditi non sunt, repugnat quod ab iis cogi non possint, cùm par in parem nullum habeat imperium.

74 Denique à fortiori id constat ex eo, quod neque in subditos infideles non baptizatos habeat Ecclesia, vel etiam Principes temporales hanc potestatem cogendi eos ad fidem, quod erat vltimo loco probandum: & probatur etiam argumento supra facto ex defectu potestatis, quam Christus ad hanc coactionem Ecclesiæ nunquam communicauit: nam verba Innocentij III. & Tridentini supra adducta vniuersalia sunt, & de omnibus non baptizatis dicunt, non pertinere ad potestatem, vel iurisdictionem spiritualem Ecclesiæ: neque ipsa vnquâ talem potestatem exercuit, imò expresse prohibuit à suis ministris, vel etiam à Principibus Christianis temporalibus exerceri in subditos; nam subditi erant omnes illi Iudæi & infideles, qui cogi prohibentur ad fidem in decretis suprà citatis. Vnde satis cõstat, Ecclesiam non agnouisse in se, vel in principibus hanc potestatem etiam in subditos: incredibile autem esset quòd aliquando eam non exercuisset, vel exerceri permisisset in aliquibus circumstantiis, vel in subditos, vel certè in seruos infideles, in quos multò maior est Domini potestas, quàm Principis in subditos. Et tamen quacumque ex causa infideles fiant Christianorum serui, nunquam ad fidem Christianam coguntur, vel cogi permittuntur, sed quoad religionem liberi omnino manent: imò quando ij crimen aliquod committunt morte dignum, non solet eis pœnæ condonatio offerri, si ad fidem conuertantur: nam licèt hæc non esset coactio directa, sed solùm indirecta, quæ cum aliqua moderatione licita est, vt dicemus, in iis tamen circunstantiis, & cum tanto mortis metu præsumi posset ficta conuersio. Vnde colligitur, non solùm hanc potestatem non fuisse positiuè à Christo concessam, sed neque etiam iure naturæ Principibus competere in suos subditos, imò aduersarij naturæ iuri, & dignitati Christianæ religionis, vt ad eam amplectendam subditi cogantur. Ad quod Suarez *num.* 5. affert Gregorium *lib. 1. epist. 91. & lib. 11. epist. 15.* dicentem id esse contra religionem Christianam. Sed neque in illo lib. 1. habetur epist. 91. & fuit fortasse error pro 45. neque in illis epistolis dicit, esse contra Christianam religionem, sed solùm reprehendit cogentes, & prohibet ne fiat propter periculum, ne coacti ad baptismum, redeant postea ad suos errores, cum iniuria fidei.

Quod autem repugnet iuri naturali, seu diuino talis coactio, probant aliqui, quia ille, qui prudenter non creditur habere veram fidem, & velle eam amplecti, non est baptizandus: ideo enim adulti voluntas exactè examinatur ante baptismum: alioqui minister indignè ministraret, conferendo baptismi sacramentum homini non dispositi: ille autem, qui ad fidem cogitur, non creditur prudenter amplecti velle fidem, & religionem Christianam, vt constat ex dicto cap. *sicut Iudæi*, de Iudæis, & Saracenis, cuius hæc sunt verba, *quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum, non spontaneus, sed inuitus cogitur peruenire*; Ergo ille non potest licitè ad baptismum admitti, & per consequens non potest ad fidem cogi, cùm fides taliter ab eo suscepta, non possit ad hoc ei deseruire, vt ad baptismum licitè admittatur: ita arguunt Hurtadus *vbi supra* §. 35. & alij. 75

Hoc tamen argumentum reiicit Coninck *vbi supra num.* 237. & retorquet primò, quia hæretici compelluntur, vt abiurata hæresi sacramenta frequentent; cùm similiter probabile sit omnino, eos sacrilegè hoc facturos. Secundò quia subditus petere potest à suo pastore sacramenta, quando scit indignè eum collaturum. Cur ergo similiter non licebit compellere subditum ad aliquid faciendum, quod bene potest facere, quamuis superior sciat eum male facturum? Hæc tamen non soluunt vim illius argumenti: non enim agitur in casu nostro de petendo ab aliquo rem, quam facturus est malè cùm bene posset facere: nec de cogendo solùm, vt id faciat; sed agitur de conferendo sacramento baptismi ei, quem scimus non esse dispositum ad baptismum; & quidem, quidquid sit, an possimus ministrare sacramenta peccatori occulto, quando puplicè petit; de baptismo tamen dixi disp. 8. de sacramentis in genere sect. 12. num. 195. ministrum debere non solum nescire indignitatem, & indispositionem baptizandi; sed positiuè debere examinare, & inquirere, an sit bene instructus, & dispositus, nec posse admittere etiam in puplico petentem eum, quem constat puplicè esse indispositum. Vnde cùm in casu nostro præsumptio communis & puplicè manifesta sit, quod eiusmodi coacti non credunt ex corde, non potest Ecclesiæ minister eos ad baptismum admittere quandiu ea præsumptio non purgatur. 76

Ad exempla verò in contrarium adducta respondetur facilè. Ad primum dicimus, hæreticos compelli quidem ad abiurandam hæresim, non tamen statim conferri eis sacramenta sine maiori examine: quod examen ad absolutionem sacramentalem spectat ad Confessarium, qui in foro sacramentali debet examinare, & prudenter perpendere dispositionem pœnitentis, & an sponte, & ex corde credat, & doleat de hæresi præterita, alioquin non debet absolutionem sacramentalem ei impendere. Potest tamen communiter pœni- 77

tenti in foro illo credere, in quo ipse solus est sui accusator, & in quo à nemine cogitur, cùm Confessarius etiamsi eum inueniat indispositum, nec possit eum punire, nec ea notitia vti ad eum accusandum, aut denuntiandum, imò nec dicere se eum non absoluisse, vt suppono. Itaque Ecclesia tunc non cogit eum ad suscipiendum illud sacramentum, sed ad summum, vt Confessarium adeat, à quo examinandus, & iudicandus sit. Quamuis autem fideles excommunicatione puniantur, nisi confiteantur intrà annum; hæc tamen pœna non cogit indignos ad malè suscipienda sacramenta: non enim vitabitur pœna censuræ per confessionem fictam; sed incurretur eodem modo, vt dixi *disp. 15. de pœnitent. sect. 6. num. 138.* quare comminatio illius pœnæ per se loquendo, nõ præbet occasionem indignè suscipiendi sacramenta. Deinde quod attinet ad Eucharistiam, quando hæretici coguntur abiurare hæresim, si præsumptio sit, quod non sponte sed coacti abiurent, non debent statim ad Eucharistiæ communionem admitti. Imò olim iis, qui post baptismi gratiam idolis sacrificabant, licèt ad pœnitentiam admitterentur, negabatur Eucharistia etiam in mortis articulo, vt ex Conciliis ostendi *disp. 13. de Eucharistia sect. 5. num. 17.* & quamuis postea ab Innocentio I. rigor ille temperatus sit, cuius verba ibi retuli, laudat tamen veterem illum vsum. Denique licèt Alexander Papa in cap. *super eo*, de hæreticis in 6. voluerit, vt hæreticis etiam relapsis, & morte afficiendis Eucharistia non negetur, id tamen tunc solùm præcipit, quando, ipsi eam petant, *& eorum pœnitentia manifesta sit.* Quod etiam vniuersaliter dictum fuerat, in can. 13. Concilij Niceni, vbi cuiliber peccatori morituro, & poscenti sibi communionis gratiam, *Episcopus* (inquit) *probabiliter* (seu vt alij vertunt) *cum examinatione*, seu, *cum Episcopi cura, & probatione præcedente, ex obligatione dare debebit.* Vnde constat argumento à contrario, si pœnitentia non sit manifesta, sed potius præsumptio sit de abiuratione ficta, Eucharistiam non esse hæretico abiuranti dandam, sed suæ conscientiæ relinquendum, vt si præceptum communionis Eucharisticæ obseruare velit, pœnitentiam suam veram esse, ita comprobet, vt dari ei prudenter possit.

78 Ad secundùm verò exemplum respondetur, magnum esse discrimen: nam subditus petens sacramenta à Pastore, quem scit indignè ministraturum, non confert ipse sacramenta indigno, sed iure suo vtitur petendo id, quod pastor licitè, & bene potest præstare. At in casu nostro minister ipse, & Pastor tenetur ex officio examinare dispositionem illius, cui per baptismum aditum ad Ecclesiam aperit, ne indignum admittat, cui debito non satisfacit baptizans, quem moraliter, & prudenter iudicat esse manifeste indispositum, & indignum, & hanc indignitatem publica præsumptione constare. Non est ergo ratio illa contemnenda, cùm sit fundata in ipsa natura sacramenti baptismi, & obligatione non conferendi illud, nisi præuio examine de dispositione recipientis, quæ obligatio ex ipsa baptismi institutione oritur.

79 Secundò principaliter hoc ipsum probari potest à posteriori; quia si potestas hæc coactiua esset, siue in Ecclesiæ ministris, siue in Principe temporali, saltem erga subditos, non prohibuisset ita vniuersaliter Ecclesia vsum illius potestatis, vt in nullo vnquam casu eam permittat: potest enim casus euenire, in quo charitas saltem obligaret ad vsum illius potestatis, v.g. si ex conuersione duorum, vel trium, qui sunt capita familiarum, penderet baptismus totius oppidi, & omnium paruulorum, qui sub eorum potestate sunt, & aliter in infidelitate adolescent, & damnabuntur: cur ergo non cogendi essent illi pauci ad fidem, ne tota multitudo periret? Certè si id fieri non potest, ideo est quia coactio illa est intrinsecè mala; & ideo ab Ecclesia prohibita.

Tertiò considerari possunt inconuenientia intrinseca, quæ coactio illa secum afferret, primò, quia admitterentur ad baptismi sacramentum illi quos moraliter certum esset non esse sufficienter dispositos, vt diximus. Secundò quia hominum conuersio tribueretur humanæ potentiæ, & violentiæ, non efficaciæ verbi diuini, & Dei gratiæ, contra finem omnino à Deo intentum, vt significat Paulus 2. ad Corinth. 10. dicens; *arma huius militiæ non esse carnalia*, &c. & ideo 1. Cor. 1. dixerat, quod *non multi potentes, sed infirma mundi elegit Deus.* Tertiò, hoc derogaret honestati, & dignitati eiusdem fidei, & Christianæ religionis, cuius asseclæ non spontanei, sed coacti, & inuiti nomen darent Christo, & eius doctrinæ. Iam enim non veritatis, & argumentorum pondere, sed metu fortunas, vel corporis bona amittendi, dicerentur homines in eam sententiam venisse, vnde meritò tribueretur defectui rationum, & efficaciæ ad persuadendum, si intellectus captiuandus esset non veritatis propositæ splendore, sed amore bonorum temporalium, quod in Aduocatis ipsis vitio tribuitur, si opiniones, & assensus venales habeant, eaque opinentur, & doceant, non quæ vera apparent, sed quæ magis ad lucrum opportuna. Propter hæc, & alia noluit Christus suis discipulis, nec Ecclesiæ dare potestatem hanc coactiuam, vt notauit Ambrosius *lib. 7. in cap. 10. Lucæ* his verbis: *Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli: sic enim scribendum Matthæus putauit. Quid est virga nisi præferendæ potestatis insigne, & vltiscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini, in humilitate enim iudicium eius sublatum est; humilis, inquam, Domini præceptum discipuli eius humilitatis officiis, exsequentur: eos enim mittit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.*

80 Vnde quàrtò arguitur, quia si in Ecclesia non mansit hæc potestas coactiua, non apparet quomodo potuerit manere in Principibus temporalibus, etiam in ordine ad infideles sibi subditos: nam vis coactiua non reperitur sine potestate iudicatiua, nec potest Princeps præcipere, vel cogere subditos in iis causis, de quibus non potest iudicare; quomodo enim poterit ad pœnam condemnare, si non potest in ea causa sententiam ferre. Principes autem sæculares etiam Christiani non possunt de rebus fidei iudicare, cùm totum hoc iudicium ad Ecclesiam spectet, nec aliter nunc hæreticos puniunt, nisi potestate accepta ab Ecclesia, quæ priùs iudicium exercet, & hæreticos declarat, & Principi sæculari committit, vt eos debito supplicio puniat. Si ergo totum hoc de rebus fidei iudicium spirituale est, & pertinet ad Ecclesiam, ad quam spectat iudicare de doctrina fidei, & de peccatis contra fidem, non potest Princeps sæcularis ex se, & propria auctoritate

ritate iudicium illud inchoare, & ad sententiam peruenire, sed id facere deberet auctoritate Ecclesiæ, quæ tamen eiusmodi potestatem nec in se agnouit, nec Principibus vnquam communicauit, sed potiùs id facere volentibus omnino prohibuit.

82 Quintò denique, & à priori ratio esse videtur, quod peccatum hoc infidelitatis sit extra totum forum, & limites gubernationis, & potestatis politicæ Principis temporalis, cuius finis est tranquillitas Reipublicæ, & bonum in ordine ad pacem, & quietem communem ciuium: ad quem finem solùm possunt præcipi, quæ necessaria sunt, ne turbetur pax, & concordia publica ciuilis: neque enim commissa est Principi gubernatio animarum in ordine ad beatitudinem æternam, sed gubernatio hominum, vt boni ciues sint. Vnde nec potest prohibere omnia peccata etiam contra legem naturalem, sed ea, quæ turbare possunt honestatem Reipublicæ, & eam deturbare. Si ergo subditi iuxta naturalem legem probi sint, & iustè, ac honestè viuant, Princeps nihil aliud potest ab iis exigere, sed debet singulorum conscientiæ relinquere curam de æterna beatitudine, & salute comparanda; quamuis ad hoc etiam debeat conciliis, prædicatione, & mediis aliis omnibus eos indefessè adiuuare, imò & possit suauiter cogere coactione indirecta, vt postea in solutione argumentorum dicemus.

83 Ex hac autem communi, & vera doctrina obiter infertur, minùs consequenter loquutum fuisse Malderum *in præsenti quæst.* 10. *art.* 8. *post quartam conclusionem*, qui dixit, in duobus casibus posse non baptizatos cogi ad fidem; primus est, quando fatentur se esse Christianos, quia hoc ipso, quòd se Christianos profitentur, tenentur veram fidem Christianam suscipere. Secundus est, quando sunt filij Christianorum baptizatorum: hi enim quandiu sub patria potestate sunt, cogi possunt ad baptismum; si verò sint extra patriam potestatem, possunt etiam non quidem pœna mortis, sed exilio, aut moderato carcere ad fidem compelli, quod colligit ex Concilio 4. Aurelianensi, can. 31. vbi præcipitur, vt Iudæus, qui suum mancipium ex Christianis natum parentibus, spe liberationis ad Iudaismum induxerit, mancipio priuetur, & manumissio mancipio non prosit, qui deficiendo ad Iudaismum indignum se libertate fecit: cui videtur consentire Lorca *dicta quæst.* 10. *disp.* 36. *num.* 15.

84 Hæc tamen, vt dixi, non cohærent cum principiis positis: nam ij omnes, quandiu baptizati non sunt, extra Ecclesiam adhuc manent, & per consequens foris sunt, de quibus ad Ecclesiam non pertinet iudicare, vt dixit Paulus, cuius verba de omnibus nondum baptizatis intellexit Tridentinum loco supra citato, inde colligens, iudicium Ecclesiæ in sacramento Pœnitentiæ exerceri solùm circa peccata post baptismum commissa. Neque obstat, illos, qui se profitentur Christianos, teneri veram fidem Christianam suscipere: nam etiam, qui se profitentur Mahometanos tenentur illam suscipere, & tamen ab Ecclesia non possunt ad hoc compelli. Neque etiam obstat decretum illud Concilij Aurelianensis can. 31, (mihi tamen est canon 30. non 31. vt citatur à Maldero, nec caput 19. vt malè citatur apud Coninck dicto dub. 14. num. 222.) nam ibi non punitur directè seruus ex Christianis natus, ob Iudaismum susceptum, sed Iudæus Dominus, ob abusum potestatis, & dominij, priuatur iusto dominio in seruum, imò redditur inhabilis ad validam manumissionem faciendam. Potest enim Ecclesia ex potestate propagandi fidem leges condere, quibus conuersio ad fidem reddatur facilior, & tollantur de medio impedimenta subditorum ad eam amplectendam. Vnde vt liberi sint subditi ad fidem, & baptismum suscipiendum potest subditos infideles priuare potestate cogendi seruos indirectè, & ad hunc finem priuare eos facultate manumittendi seruos sub ea conditione, si fidem non amplectantur, & consequenter Dominos tentantes facere priuare dominio in seruos quæ est punitio directa Domini violantis legem iustam, & indirecta serui, cuius manumissio irrita redditur. Non itaque dicitur in illo canone, indignum esse libertate seruum, qui ex Christianis natus ad Iudaismum defecit, vt retulit Coninch loco citato, *sed iniustum esse, vt ei libertas maneat*: hoc est, esse contra ius, quod Ecclesia habet ad propagandam liberè fidem, quòd rata legibus habeatur ea manumissio, & non radicitus tollatur ea potestas, & ius, vnde occasio oritur vehemens auertendi subditos ab amplectenda fide. Adde, posse concedi eo casu, puniri seruum directè, & priuari libertate sibi data ob delictum commissum: non quidem immediatè, quia eadem parentum non amplectitur, sed quia legem iustam violauit, qua sicut domino prohibebatur munumittere seruum sub ea conditione; ita & seruo iustè prohibebatur manumissionem, sub ea conditione acceptare. Quamuis enim cogi non possit ab Ecclesia, ad fidem, quandiu baptizatus non est, potest tamen obligari ad non acceptandum pactum libertatis promissæ, sub conditione deserendi, vel non suscipiendi parentum fidem, quod pactum iustissimè ab Ecclesia potest, vt diximus, prohiberi. Denique quòd filius sit adhuc sub patris potestate, non facit, quod possit ad fidem obligari; multò enim magis est seruus infidelis sub potestate domini Christiani, & tamen non potest ab Ecclesia ad baptismum compelli. Possunt quidem parentes baptizati obligari, vt infantes suos baptizari curent: postquam tamen filius est adultus, necessaria est eius voluntas, cùm non subdatur patri quoad religionem eligendam: hanc autem filij voluntatem Ecclesia non potest à filio ipso extorquere, cùm nullam habeat adhuc in ipsum spiritualem iurisdictionem, quippe qui adhuc extra Ecclesiam reperitur.

85 Nunc restant soluenda argumenta, quæ contra hanc communem doctrinam afferri solent, ex quorum solutione ipsa magis elucidabitur. Primò ergo argui solet ex Scriptura Lucæ 14. *compelle eos intrare*, vtique in Ecclesiam, & ita videtur compulsus à Deo fuisse Saulus, vt conuerteretur, & fidem susciperet. Respondeo, compulsionem illam non debere intelligi per potentiam, & pœnas, sed per argumenta, & motiua, signa, prodigia, & similia, qua ratione compulsus fuit Saulus: nam Ecclesia etiam in quadam oratione petit à Deo, vt *nostras ad se rebelles compellat voluntates*: quod tamen de compulsione per gratiam efficacem, & vehementem intelligitur. Quamuis ergo Deus possit etiam pœnis, & terroribus homines ad fidem cogere, ipse enim iudicium exercere potest in infideles: hanc tamen potestatem Ecclesiæ non communicauit propter *Obiectio 1.*

inconuenientia suprà adducta, & quia de tali communicatione non constat. Scio, Augustinum *epist.* 48. & 50. de propria compulsione per pœnam verba illa intelligere; sed putat, ibi sermonem esse de hæreticis, qui eo modo compelli possunt. At verò Chrysostomus, & alij, quos sequitur Suarez *sect.* 3. *num.* 12. intelligunt de compulsione per ingentia signa, & prodigia, quibus in fine mundi adigendi sunt infideles ad Christum tandem suscipiendum.

86 *Obiectio 2.* Secundò obiicitur vsus in Ecclesia receptus: nam in primis Ferdinandus V. Rex Catholicus Hispaniæ Iudæos nolentes baptizari, regno expulit. Fisebutus etiam Hispaniæ Rex olim Iudæos ad baptismum coëgerat, cuius factum laudari videtur in Concilio Toletano 4. c. 56. & refertur in c. *de Iudæis dist.* 45. Resp. ibi zelum, & intentionem laudari, non factum, imò id in posterum prohiberi. Ferdinandus etiam non expulit Iudæos, quasi exilio puniens eorum infidelitatem, sed vel nolens in sua ditione illos ad habitandum admittere, propter subditorum vtilitatem, quibus non parum nocere poterat peruersorum hominum commercium, quæ ad summum erat coactio indirecta ad fidem: vel etiam cum detrimento non exiguo sui regni, maluit tanta incolarum multitudine priuari, quàm subire pericula, quæ ex eorum retentione timebat: sicut, & Philippus III. nostra ætate expulit ex Hispania innumeram Saracenorum multitudinem, quorum magna pars licet baptizati essent, vel crederentur, Mahometico ritu viuebant in occulto, & ruinam Regni machinabantur. Sic etiam præditus Ferdinandus V. Saracenos, quos bello subiugauerat expulit ex Hispania nisi baptizarentur, quod iure victoris facere potuit.

87 *Obiectio 3.* Tertium ad hoc ipsum affertur exemplum Gregorij Magni, qui *lib.* 3. *epist.* 26. relatus in cap. *Iam verò* 23. *quæst.* 6. videtur velle cogendos esse rusticos infideles ad fidem his verbis: *Iam verò si rusticus fuerit tantæ perfidiæ, & obstinationis inuentus, vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa executionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Idem habet lib. 4. epist. 6. & è contra lib. 7. epist. 30. vult, vt subditis aliquid de iustis tributis remittatur, vt hac benevolentia inducantur ad fidem suscipiendam. Respondeo cum communi Theologorum, quos affert, & sequitur Suarez vbi supra num. 8. & alij passim, hanc fuisse coactionem solùm indirectam, quæ licita est, dum iustè, & prudenter fiat. Dicitur autem indirectè cogere, qui iure suo vtitur, quod remittere non vult, sed toto rigore exequi; remittere tamen paratus, & remissionem offerens, si debitor conuertatur ad fidem: tunc enim non infert, aut minatur pœnam vel malum, quia non conuertitur infidelis, sed solùm negat liberalitatem, aut remissionem alterius debiti, quandiu non conuertitur, quod tamen debitum alio titulo iustè potest exigere. Sic ergo Gregorius monet, vt grauentur oneribus infideles subditi, qui non conuertuntur, & alliciantur gratiis, & remissionibus, vt conuertantur. Aduertit autem Suarez cum aliis bene, debere id fieri semper intra terminos iustitiæ; neque enim ad eum finem grauari possunt tributis, vel oneribus, ad quæ aliàs non possent iustè obligari, secluso etiam eo titulo. Quia tamen non consistunt in indiuisibili hæc onera, sed habent sicut pretia rerum, infimũ, medium, & summum, possunt vel ad summum obligari, vel ad infimum solùm, prout expediens fuerit ad fidei professionem faciliùs obtinendam. Debet etiam id caute, & prudenter fieri, ita vt non facilè ad baptismum admittantur, qui eo solùm fine baptismi voluntatem ostendere præsumi possunt vt sese iis oneribus subtrahant, sed præuio examine de intentione recta, ne periculum sit conuersionis fictæ, prout meritò timeri potest. Itaque Princeps secularis piè, & prudenter facit, dum iis mediis vtitur, & indirectè compellit subditos ad fidem; plique sufficit, quod subditi conuersionem offerant, & cathecumeni fiant, vt prudẽter illis possit onera remittere. Pastores tamen Ecclesiæ postea non debent sine dicto examine, & exacta probatione eos ad baptismum admittere propter fictionis periculum. Quæ probatio iam tunc facilior erit, si subditi pro baptismo instent: cùm enim iam cathecumeni facti grauamina, & onera non sentiãt, (prout omnino expedit fieri vt sese iam liberos experiantur) non ita præsumitur ficta instantia in petendo baptismo ex metu, cùm iam metus cessauerit, sed magis præsumitur ex mera deuotione procedere; adhuc tamen hoc ipsum desiderium probandum videtur, vt ex repetitis instantiis eius veritas magis appareat. Denique circa hanc indirectam coactionem aduertunt, licèt per se loquendo, non possit exerceri, nisi circa subditos, quia illi soli possunt iustè grauari oneribus grauioribus; per accidens tamen posse aliquando exerceri circa non subditos, priuando nimirum eos beneficiis gratuitis, & commodis non debitis, nisi fidem profiteantur, vel ea opitulentur. Potest, v. g. Princeps Christianus negare Principi infideli commercium in suo Regno, vel auxilium, & milites ad bellum alioquin iustum, nisi fidem profiteatur, vel ei in suo regno suorem præstet: vtitur enim iure suo negando ea, ad quæ concedenda nullo iure tenetur.

88 Quartò obiiciunt leges aliquas ab Imperatoribus diis, & Christianis latas contra idololatras, & eorum ritus, quales sunt lex 1. lex, *ne quis* lex *nemo ea*, lex, *nemo venerandi.* Cod. de Paganis, & aliæ similes, quæ leges laudantur à Conciliis, & Patribus relatis apud Suarez *vbi suprà sect.* 4. *n.* 6. Respondetur, eas leges iustas esse, non enim cogunt ad amplectendam fidem Christianam, sed prohibent cultus dæmoniorum sacrilegos, & alia quæ sunt contra rationem, & legem naturalem ad quod Princeps temporalis habet potestatem, vt videbimus, & explicabimus §. 3. sicut etiam potest prohibere blasphemias, & contumelias contra Christum, vel Christianam religionem, vt ibi videbimus. *Obiectio.*

89 Quintò obiiciunt, quia Imperatores tulerunt etiam leges contra hæreticos, eos cogentes ad fidem Catholicam amplectendam: ergo non est extra Principis potestatem, cogere subditos ad veram fidem. Respondetur, hæreticos esse iam per baptismum subditos Ecclesiæ, & intra Ecclesiam, quare supra illos Ecclesia habet potestatem coërcitiuam, vt videbimus infra agendo de hæreticis. Princeps autem sæcularis non habet potestatem cogendi illos ad fidem, quia non potest, vt diximus, iudicare de vera fide; habet tamen potestatem ad hoc sibi communicatam ab Ecclesia, quæ postquam iudicauit de causa fidei, & de crimine hæresis, implorat auxilium Principis sæcularis, vt hæreticum ab Ecclesia damnatum puniat; Ex hac eadem potestate leges condit, approbante *Obiectio.*

probante Ecclesia, statuens pœnas debitas huic criminis; quę leges non procedunt à potestate propria ipsius Principis; sed ab altiori potestate communicata sibi ab Ecclesia, quæ in hoc negotio vtitur Principibus, tanquam suis ministris: sicut quando Prælatus Ecclesiasticus, qui simul est Princeps temporalis, committit causam aliquam sanguinis alicui iudici laico, qui potestate à Prælato accepta iudicat in ea causa, in qua sine tali potestate nihil potuisset propria auctoritate decernere.

90 Obiectio 6. Sed contra hoc sextò obiiciunt, quia Principes illi non solùm contra hæreticos baptizatos, sed etiam non baptizatos leges condunt, eósque puniunt: sic enim leges latæ sunt contra Cælicolas, vt constat ex lege *Cælicolarum*. Cod. de Iudæis, & Cælicolis, qui videntur fuisse Pagani, cùm Cælum colerent; item contra Manichæos, & Samaritanos, qui baptismum non recipiebant. Respondeo, de Cælicolis S. Augustinum epist. 163. circa finem testari, quod erant baptizati, de Manichæis dubitari etiam potest: nam ij vtebantur Episcopis, & Eucharistia, imò circa eius vsum grauissima sacrilegia committebant, vt refert Augustinus *tom. 6. lib. de hæresibus hæresi* 46. ibi tamen testatur idem Augustinus, quia de necessitate, & vtilitate baptismi malè sentiebant, ideo, quos discipulos denuò acquirebant, non solitos fuisse baptizare. Cæterùm quidquid de hoc sit, tam isti, quàm Samaritani, & alij similes iustè poterant puniri, & cogi ad suos errores deserendos; quia plura docebant, & agebant contra legem naturalem, & Manichæi plura sacrilegia, & scelera patrabant in vsu rituum Christianorum, cum magna Ecclesiæ contumelia, vt constat ex Augustino loco citato, & fatetur Coninck de illis, & de Samaritanis vbi supra num. 242.

91 Obiectio 7. Septimò obiicitur, quia illi, qui metu coacti baptizati fuerunt, coguntur postea ad fidem, & puniuntur, si ab ea deficiant, vt constat ex Concilio Tolet. 4. *cap. 56.* relato *in cap. de Iudæis, dist.* 45. sufficit ergo Ecclesiæ voluntas coacta baptizati, vt eum recipiat, & retineat. Respond. sufficere quidem ad retinendum, & cogendum, postquam semel baptizatus est, non verò sufficere ad licitè recipiendum. Ratio differentiæ ex dictis est clara, quia ad conferendum licitè adulto baptismum, requiritur fides in adulto, vt dispositio necessaria, quæ in coacto non præsumitur: ad retinendum verò, & cogendum postea, non requiritur, quod habeat, vel habuerit vnquam fidem. Sufficit, quòd receperit baptismum, qui est ianua, qua baptizatus ingreditur Ecclesiam, & fit subditus illius. Potest autem baptismus recipi validè sine fide, dum adsit voluntas illius etiam coacta, & inuoluntaria secundùm quid; quæ voluntas præsumitur, quoties aliquis dicit se velle baptismum, & illum petit; sicut præsumeretur etiam professio valida, & matrimonium validum, etiamsi metu fierent, nisi Ecclesia eo casu vtrumque irritasset, quod tamen fieri non potuit in baptismo, nec in ordinis susceptione, quæ sunt sacramenta, nec includunt contractum humanum (sicut includitur in matrimonio, & ex eo capite potuit subiacere humanæ irritationi: (& ideo applicata materia, & forma, non potuit Ecclesia impedire eorum sacramentorum valorem. Posito autem baptismo valido, iam ille est subditus Ecclesiæ, quæ sicut alios subditos, potest eum cogere ad professionẽ Christianæ religionis, & idcirco Concilium Toletanum id præcipit.

92 Obiectio 8. Octauò arguitur ratione, quia Princeps temporalis potest subditos suos obligare ad obedientiam debitam suis superioribus exhibendam. v.g vt filij parentibus, serui dominis obediant, ergo poterit etiam, & debebit eos obligare ad obediẽdum Deo, & exhibendum ei debitum cultum. Si ergo infideles proposita eis sufficienter fide nostra debent eam recipere, & hunc fidei cultum Deo exhibere, poterit Princeps temporalis subditos suos cogere, si huic debito non satisfaciant. Respondeo negando consequentiam, quia hæc obedientia Deo præstanda est extra Iphæram, vt diximus, Principis temporalis, qui ea solùm potest subditis præcipere, quæ ad politiam ciuilem, & temporalem, & ad honestatem illam, quæ à bonis ciuibus exigitur, spectant, qualis non est fides Christiana, quæ ad salutem æternam ordinatur, & in qua Princeps temporalis non potest esse Iudex, sed Ecclesia: vnde nec potest punire peccata contra fidem, cùm punitio sit actus Iudicis. Potest tamen punire filios, vel seruos non obedientes parentibus, vel dominis, quia hæc obedientia pertinet ad statum bonorum ciuium, & de illa potest bene iudicare. Cur autem, & quomodo possit Princeps temporalis prohibere, & punire blasphemias, & irreuerentiam contra Deum, dicemus §. *sequenti*.

93 Obiectio 9. Nonò arguitur, quia charitas obligat ad subueniendum proximis indigentibus, & maximè ad procurandam eorum salutem; si ergo iudicatur vtilis coactio, prout de facto sæpe vtilis erit saltem in ordine ad filios eorum, qui coguntur, charitas obligabit ad cogendum. Respondeo, charitatem obligare ad ea, quæ licitè possunt fieri, non ad illicita, non enim sunt facienda mala, vt sequantur bona: vidimus autem, hanc coactionem esse illicitam. Nec refert vtilitas futura filiorum; nam si hoc sufficeret possent cogi etiam Iudæi subditi, vt consentirent baptismo suorum filiorum paruulorum, ad quod tamen cogi non possunt, nec parentibus inuitis possunt filij paruuli baptizari, vt tradunt omnes in materia de baptismo. Nec homo priuatus potest vi cogere volentem committere fornicationem, v. gr. vel aliud simile peccatum, ne illud committat. Similiter ergo Princeps non potest vi cogere subditum infidelem ad fidem; quia in hoc puncto ex defectu potestatis habet se Princeps, sicut si esset homo priuatus, & exerceret potestatem, quam non habet in hac materia. Si enim penes aliquem esset hæc potestas, & obligatio charitatis, maximè esset penes Prælatos Ecclesiasticos, quibus magis incumbit cura salutis animarum, & tamen Ecclesia nunquam agnouit in se hanc obligationem, vel potestatem ad cogendum infideles, vt vidimus, sed solùm ad prædicandum, exhortandum, & aliis modis licitis procurandam eorum conuersionem.

§. III.

Vtrum infideles non baptizati cogi possint ad relinquendos errores, vel ritus rationi naturali contrarios.

94 CErtum videtur ex dictis, non posse hos infideles, siue subditi sint, siue non subditi, cogi ad relinquendos eos errores, & ritus ex fide,

seu quatenus contrarij sunt fidei nostræ. Si enim non possunt cogi ad amplectendam fidem nostram, quæ eos errores damnat, non poterunt cogi, vt ex motiuo fidei eos relinquat, seu quia fidei nostræ aduersantur. Difficultas solùm est, an possint cogi ad eos relinquendos, quatenus aduersantur rationi naturali. Similiter certum videtur ex dictis, non posse eos infideles ad hoc cogi ab Ecclesia per potestatem spiritualem, quam habet; cùm enim hæc potestas sit solùm directè in subditos, & nemo sit subditus Ecclesiæ, vt Ecclesia est, nisi sit baptizatus: non potest Ecclesiæ potestas directè cogere hos infideles ad aliquid, cùm nec possit eos punire, nec eos iudicare; sed tota quæstio erit de potestate temporali Principum, An possint omnes infideles, vel saltem subditos ad hoc obligare.

95 *Prima sententia.*

Prima sententia vniuersaliter affirmat, posse hos omnes infideles, siue subditi sint, siue non subditi, vi, & potestate ad hoc compelli. Hanc tenent Maior, & Sepulueda apud Suarez *disp.* 18. *sect.* 4. *numero* 2. citantur etiam apud Coninch *disp.* 18. *num.* 184. Antoninus tertia parte, titulo 22. non designato capite, & Syluester verbo *Papa quæst.* 7. fortasse occasionem dedit Antoninus, quia illo titulo 22. cap. 5. §. 8. ex sententia Augustini de Ancona habet hæc verba. *Item secundum Augustinum de Ancona vbi supra, Papa potest punire paganos, & barbaras nationes, cum agunt contra legem naturalem in manifestis, quia vnusquisque potest puniri pro transgressione legis quam recipit, & profitetur: sed lex naturalis est ita cordi inserta, quod deponi non potest, vt si fuerentur vel committerent vitium Sodomiæ, & huiusmodi. Sed pro eo, quod faciunt contra legem diuinam, scilicet veteris, vel noui testamenti, aut contra legem positiuam, cùm neutram recipiant, puniri non possunt.* Eodem ferè modo loquitur Syluester illa quæst. 7. his verbis. *Septimò quæritur, quid possit Papa supra Paganos. Et dico ex Archid. post Augustinum de Ancona, quod in eos habet Iurisdictionem, quia est Vicarius Christi habentis iurisdictionem in omnes, non tamen potest ab eis auferre dominia, si qua iusta tenent: Intellige, nisi eo modo, quo à Christianis potest auferre propria bona, scilicet ex causa iusta; quia dominium est beneficium naturale, primò Polit. cùm quidam naturaliter sint Domini, & quidam serui. Beneficia autem naturalia etiam Dæmonibus non sunt ablata. Nec potest eos cogere, ad relinquendos suos ritus, etiam quantùm ad matrimonia, aut faciendum nostros, sicut nec ad fidem. Potest autem eos punire, scilicet pœna pecuniaria vel corporali, non autem spirituali, ideſt excommunicatione, cùm sint extra, si peccent contra legem quam recipiunt, sicut & omnes alios scilicet si peccant contra naturalem in manifestis, non autem diuinam, veterem, aut nouam, vel contra positiuam ab eis non receptam, nisi sint temporaliter ei subiecti.* Hæc Syluester illo loco. Pro eadem autem sententia citantur Hostiensis & Panormitanus *in cap. quod super his*, de voto. Quorum Panormitanus Hostiensi posterior, & eius ac Innocentij sententiam referens ita dicit num. 10. *Fatetur tamen Innocentius, quòd si infideles sunt infesti Christianis, vel aliter delinquant contra legem naturæ, quod Papa poterit contra eos indicere bellum, & eos priuare huiusmodi bonis* (scilicet quorum dominia licitè acquisierant) *Hostiensis dicit, quod si infideles non cognoscunt dominium Ecclesiæ, licitè possunt bonis spoliari, per quod habetur Ecclesiastes 10. transferetur de gente in gentem regnum: & in Euangelio Matthei c. vltimo, Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; Quam quidem potestatem transtulit Christus in Vicarium suum. Sed si recognoscunt dominium Ecclesiæ, nec sunt infesti Christianis, debent tolerari. Pro opinione Innocentij facit cap. dispar. 23. quæst. 7. sed pro opinione Hostiensis videtur textus cum gloss. in cap. si de rebus 23. quæst. 7.* Postea verò num. 12. explicans magis suam propriam sententiam, sic prosequitur. Secundò *principaliter quærit Innocentius, si delinquant infideles, per quem debent puniri, & concludit quod per Papam: quia est generalis Vicarius in terris, & ipse Deus fecit vnum ouile, & vnum Pastorem, vt habetur in Euangelio, & si infideles velint nolint, sunt de illo ouili. Et dicit Innocentius, quod cùm infideles non habeant aliam legem licitam præter legem naturæ, fideliter quant in illam, puniuntur per Papam, ad instar Dei, qui punivit Sodomitas vt habetur Genes. 19. & 2. quæst. 1. cap. Deus omnipotens Iudæi veri, si delinquunt contra legem in eorum moralibus puniuntur per Ecclesiam. Et aduerte, quod Innocentius totam Iurisdictionem infidelium videtur attribuere Papæ: quod non procedit indistinctè. nam sunt sub Romano Imperio, vt patet Cod. de Iudæis, & Cod. de Paganis per totum: ad idem cap. postulasti, infra de Iudæis. Item Imperator, saltem quoad exercitium, habet Iurisdictionem super vniuersum orbem, & est Dominus mundi. l. deprecatio, ff. ad leg. Rhod. de iactu. & l. bene à Zenone, Cod. de quadrien. præscrip. facit quod ipse Innocentius notat, in cap. licèt ex suscepto, de foro comp. vbi dicit, quòd si Imperator, non est negligens, sed subditi sunt sibi rebelles, non succedit Papa in iurisdictione, sed debet adiuuare Imperatorem, ad domandum rebelles, arg. in cap. Cùm ad verum, 96. dist. Vnde concordando dicta Innocentij, & Iura supra allegata, distinguo quod quædam sunt crimina Ecclesiastica, & in istis Papa exercet Iurisdictionem in infideles, sicut exercet contra fideles, vnde si Iudæi, vel alij infideles delinquant contra matrimonium, Papa, seu Ecclesia posset in eos animaduertere, vt in cap. nouit, de iudiciis. In criminibus verò non Ecclesiasticis Imperator exercebit Iurisdictionem. In mistis verò locus erit præuentioni, ad hoc, quod bene dico in cap. cùm sit generale, de foro compet. Vnde in peccato contra naturam, dico, quòd vterque potest esse Iudex, quia hoc peccatum principaliter concernit Dei reuerentiam, qui est Conditor vniuersalis creaturæ; nam ob hanc causam Ecclesia impedit se, (debet fortasse legi, ingerit se) contra laicos de crimine vsurarum etiam infideles, vt in cap. post miserabilem, & cap. fin. infra de Iudæis.* Hæc est sententia Panormitani suismet verbis explicata, quam ideo ad longum retulit, vt constet, quantùm distet à sententia Theologorum doctrina horum doctorum Iuris Canonici quos sequuntur alij plurimi ex iis, qui videri possunt in glossis & additionibus marginalibus eiusdem Panormitani, & quàm nimium tribuere voluerint hac in parte non solùm summo Pontifici, sed etiam Imperatori, cui etiam in criminibus non Ecclesiasticis tribuunt Iurisdictionem supra infideles totius Orbis.

Melius ergo, & magis modestè Theologi ferè omnes distinguunt de infidelibus, & eos qui-

dem,

dem, qui in temporalibus non sunt subditi, negant posse ab vllo Principe, vel etiam Papa ad seruanda omnia præcepta legis naturalis cogi, quando non peccant in præiudicium Christianorum, vel aliorum innocentium; eos verò qui subditi sunt, concedunt cogi posse etiam pœnis, ad seruanda præcepta naturalia, imò etiam leges ciuiles, communes omnibus ciuibus, quæ non concernunt religionem; ita Caietanus, Victoria, Soto, Valentia, Aragon, & alij, quos refert, & sequitur Suarez *dicta disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 3. & 6. Turrianus *disp.* 52. *dub.* 2. Coninck *dicta disp.* 18. *dub.* 12. *num.* 187. & 196. Hurtado *disp.* 75. §. 23. *in fine*, qui alios afferunt.

97 Probat primò Suarez *num.* 3. exemplo Dei, qui cùm vellet destruere, vel punire gentes habitantes in terra promissionis, noluit tamen eas debellari ab Israëlitis propter crimen idololatriæ, sed propter negatum transitum pacificum per terras suas, vt colligitur ex cap. 20. Numerorum, & significat August. relatus in cap. 3. 23. quæst. 2. his verbis: *Notandum est sanè, quemadmodum iusta bella gerebantur à filiis Israël, contra Amorrhæos; innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanæ societatis æquissimè patere debebat.* Sed tamen Coninck *vbi suprà num.* 199. faretur, exemplum illud non esse ad rem, quia Israëlitæ gentes illas deleuerunt ex concessione, & peculiari Dei præcepto, qui cùm sit dominus omnium, potest cuiuis potestatem dare alios occidendi, eorumq; bona inuadendi. Et certè titulus ille solus transitus negati, non videtur vniuersalis ad iustificanda omnia Israëlitarum bella; transitus enim ideo iustè petebatur, quia transire necesse erat, ad occupandas alias Prouincias, sibi à Deo promissas. Vnde quando transgressi Iordanem ad eas peruenerunt, non leguntur petiisse vlteriùs ab incolis transitum, sed etiam vrbes illas debellauerunt, & occupauerunt occisis earum incolis, vt constat in Iericho, quæ prima ciuitas erat, Iosue cap. 3. & aliis subsequentibus: Imò Gabaonitæ tantum abest, quod eis resisterent, vt statim pacem, & amicitiam obtulerint, quam non nisi dolo, & fingentes se in remotissima Prouincia habitare, impetrare potuerunt, vt constat ex cap. 9. Iosue. Quid, quod in iis regionibus nõ solùm viros, sed mulieres, & paruulos omnes occidebant; quod ob solum negatum transitum nõ liceret sine particulari Dei concessione, & præcepto, cùm non possent Innocentes directè puniri iustè ob delictum solùm aliorum: fatendum ergo est non solum illum titulum negati transitus interuenisse, sed diuinum præceptum, quo stante non iã propria, sed diuina auctoritate bella gerebant.

98 Meliùs probatur ex Nicolao Papa, qui ad interrogationes Bulgarorum ita respondit. *De iis, qui idolis immolant, nihil aliud dicere possumus, nisi quod ratione potiùs, quàm vi conuincendi sunt.* Ratio autem ex suprà dictis est clara; quia Ecclesia in primis hanc potestatem à Christo non accipit, quæ in eos, qui foris sunt, nullam in se directam potestatem agnoscit, vt suprà vidimus. Principes verò temporales non sunt Principes, vel superiores, nisi suorum subditorum: nam superior, & subditus sunt correlatiui, & repugnat superioritas, & iurisdictio in non subditos: non possunt ergo illis præcipere & per consequens nec punire, quia vis coactiua, & potestas puniendi; supponit necessariò potestatem præcipiendi: alioquin, quilibet priuatus posset propria auctoritate punire quemlibet alium ob peccata contra legem naturalem patrata, quod absurdissimum esset, & totam humanæ Reipublicæ pacem perturbaret.

Obiicitur primò *ex cap.* 10. *Ecclesiastici*, vbi dicitur: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Videtur ergo, quod eiusmodi crimina contra legem naturæ commissa dent aliis ius spoliandi bonis suis ipsos delinquentes. Respondeo in primis, ibi sermonem esse, non de quouis peccato contra legem naturæ, sed de peccatis contra iustitiam, de quibus est peculiaris ratio, vt mox dicemus. Deinde ibi solùm explicatur, quid Deus ipse frequenter faciat, vel permittat in pœnam peccatorum, non quid alij homines non superiores iustè facere possint: sæpè enim in pœnam permittit Deus, vt alij etiam iniustè, & illicitè Christianorum terras occupent, nedum Paganorum. 99 *Obiectio 1.*

Secundò obiicitur Cyprianus in exhortatione ad martyrium, cap. 5. vbi adducto præcepto Dei qui in veteri lege præcepit idololatras interfici, subdit. *Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt, quantò magis post aduentum Christi seruanda sunt?* Respondeo facilè, exempla omnia, & præcepta ibi à Cypriano adducta esse de puniendis fidelibus ad idolatriam transeuntibus vel iis, qui eos ad hoc crimen allicerent, non verò de alienigenis non subditis ob idolatriæ crimen puniendis, vt ex toto illo capite satis constat. 100 *Obiectio 2.*

Tertiò obiicitur Gregorius *lib.* 1. *Registri, epist.* 73. laudans Gennadium, quod bello contra infideles gesto, fidem Christianam propagaret. Respondeo, laudari Gennadium, quod occasione belli contra hæreticos, vel alios infideles Imperij rebelles curaret propagari Christianam religionem. Non itaque gerebat bellum contra infideles non subditos, sed contra subditos rebelles, quos occasione victoriæ curabat ad veram fidem adduci, vel reduci. 101 *Obiectio 3.*

Quartò obiicitur Augustinus *lib.* 5. *de Ciuit. cap.* 12. & 17. laudans Romanos, quòd barbaras nationes sibi subiicerent, vt earum deprauatos mores corrigerent, & mutarent in melius. Cui consentire videtur S. Thomas *lib.* 3. *de regimine Principum, cap.* 4. & *sequentibus.* Respondeo, ibi non affirmari causam illam corrigendi mores fuisse iustam ad bellum inferendum, sed laudantur Romani, quod gentium debellatarum mores correxerint, ideóque fortasse Deus victores illos esse voluit, si aliunde iustam belli causam habebant, vel certè permisit eorum bella, vt bonus ille effectus consequeretur. *Obiectio 4.*

Quintò obiicitur, quia Alexander Papa VI. transtulit in Ferdinandum, & Elizabetham Reges Castellæ, & Legionis, dominium omnium Insularum, & Prouinciarum inuentarum, & inueniendarum in India Occidentali, quæ non essent sub dominio alicuius Principis Christiani, vt constat ex eius Bulla data anno 1493. quæ est Bulla 2. eiusdem Alexandri VI. in 1. tomo Bullarij communis, ergo agnouit in se potestatem ad disponendum de Regnis infidelium, quod nullo alio titulo videtur fieri potuisse, nisi ob Idololatriam incolarum, & vt conuerterentur ad fidem, & prauos suos mores contra legem naturæ corrigerent. Respondeo in primis, hoc argumentum nimium probare. Si enim ob idololatriam, & alia 102 *Obiectio 5.*

pecca

peccata contra legem naturalem dominium bonorum ab infidelibus auferebatur, oportebat tamen, quod priùs admonerentur, & inuitarentur ad morum correctionem, quam si negligerent, tunc procederet contra eos, vt incorrigibiles ad has pœnas, quæ tamen conditio præmittenda, ibi non explicatur: omnes ergo respondere debemus, Pontificis donationem intelligendam esse iuxta terminos iuris, & suppositis terminis habilibus, nimirum supposita aliunde iusta causa belli, quia, v.g. prædicatio impediretur, & expellerentur fidei ministri, vel quia iniustè aliquid in aduenas pacificos machinarentur, vel interueniente alio simili titulo; tunc Pontifex ius tribuerat Regibus Castellæ, Regna illa sibi occupandi, prohibitis aliis omnibus Christianis, ne ea sibi occuparent. Vnde meritò Paulus III. postea in Bulla quadam declarauit, Indos infideles esse veros dominos suorum bonorum, nec posse iis spoliari, vt refert Coninch vbi suprà n.160. quod similiter in eodem sensu intelligitur, scilicet, nisi aliunde iusta spolij causa interueniat.

103 *Obiectio 6.* Sextò obiicitur, quia possunt etiam non subditi prohiberi, & cogi ne iniurias aliis inferant, ergo multò magis ne inferant Deo, provt per idolatriam, vel alia scelera similia, inferunt. Respondeo, in primis hoc argumentum, si quidquam probat, probare etiam de peccatis aliis, quæ non sint contra legem naturalem, sed contra fidem, vel alia præcepta supernaturalia: nam iis etiam offenditur Deus, nec minor est ibi iniuria in Deum, quàm in aliis peccatis contra legem naturæ: sicut ergo possumus vi, & armis coërcere aggressorem iniustum nostri proximi, siue iniuria illa sit contra legem naturæ, siue sit contra doctrinam fide reuelatam, si tamen vera iniuria proximi est; sic licebit coërcere, & cogere infideles, ne iniuriam in Deum committant, siue ea sit contra legem naturæ, siue solùm sit contra doctrinam fidei, si tamen illa sit iniuria grauis in Deum.

104 Ad argumentum ergo P. Coninck *dicta disp. 18. n. 201.* respondet negando Consequentiam: tunc enim solùm possumus vi cogere, & prohibere ab iniuria, quam proximo infert, quando ipsemet, qui patitur iniuriam, cupit defendi, secus si id non petat, nec cupiat, præsertim si ipsemet posset se ab iniuria liberare, sicut Deus de facto potest, & tamen iustas ob causas impedire non vult. Hæc tamen responsio difficilis est: dixi enim *to. 1. de iust. disp. 10. sect. 11. n. 202.* cum aliis, quos attuli, posse nos vi, & armis defendere innocentem ab iniusto aggressore, etiamsi ipse innocens nolit nostram defensionem, & licèt ipse potens se defendere, id non faciat. Ex hoc ergo capite non repugnaret, quòd infideles possent ob crimina idololatriæ, & alia contra legem naturæ, coërceri, & cogi à Principibus Christianis, & nisi ab iis peccatis, & iniuriis diuinis abstinerent, priuari etiam regnis, & bonis suis, donec resipiscerent.

105 Faciliùs ergo responderi potest, in primis non omnia peccata mortalia continere iniuriam propriè dictam contra Deum, vt cum aliis dixi *disp. 3. de Incarnatione, sect. 3. & sequentibus.* Deinde, quidquid de hoc sit, Regula illa, quòd ad defendendum innocentem, ab iniusto aggressore, fas sit tertio non superiori aggressorem occidere, vel pœnis aliis coërcere, non est vniuersaliter vera, sed habet suas limitationes, quarum vna est, vt id non liceat, quando ex aggressoris occisione (quæ idem est, cum proportione de spoliatione, vel quolibet alio malo ei illato) maiora damna publica timerentur, quàm ex iniuria innocentis, quæcunque illa sit. Exemplum commune est, si Princeps cuius vita ad publicum bonum, & Reipublicæ pacem necessaria est, iniustè aggreditur innocentem, vt eum occidat: non enim ideo cuilibet licebit Principem occidere, vt liberet innocentem: imò debet huius mortem iniustam 106 permittere, ne illa alia grauiora mala subsequantur. Hinc ergo reddi potest ratio, cur etiamsi concederetur vera, & propria iniuria diuina in peccato mortali, non tamen ideo liceat priuatis, vel certè non superioribus vindictam sumere de peccatore, vel eum vi à peccato coërcere. Ex hac quippe communi licentia cuiuslibet in quemlibet, ingentia mala sequerentur, & pessimè turbaretur pax, & tranquillitas humani generis. Quis enim est homo, qui non peccet: omnes ergo, & singuli in omnes, & singulos haberent potestatem, & præterea tum spoliandi eos vita, bonis, & rebus omnibus, vt à peccatis, & offensis in Deum abstinerent: qua licentia concessa tota humanæ Reipublicæ pax turbaretur, & prorsus tolleretur; essent enim omnes, quasi banniti, quos singuli impunè possent occidere ob sua peccata, & bonis omnibus spoliare. Quod quidem, quàm graue sit malum, & omnino præferendum permissioni eiusmodi peccatorum, constat apertè ex eo, quod nec ipsimet Principes supremi temporales possunt omnia mortalia peccata suis subditis prohibere, cóque ob quodlibet mortale crimen punire, *sed* solùm ob aliqua grauiora, quæ bono publico, & Reipublicæ tranquillitati aduersantur; cætera verò relinquenda sunt diuino iudicio, vt cum communi sententia tradit Suarez *lib. 3. de legibus cap. 12. num. 12. & sequentibus.* Imò in Prælato, & superiore etiam Ecclesiastico eam potestatem prohibendi omnia peccata mortalia, & ea puniendi, negat idem Auctor *lib. 4. cap. 11. num. 3.* quia ex tali potestate maius damnum, quàm bonum resultaret fidelibus. Quantò ergo minus dicemus licere punire non subditos, & cogere eos pœnis acerbissimis ad non peccandum contra legem naturalem; ex qua potestate singulis concessa, maiora, & grauiora sine proportione mala consequerentur contra pacem, & tranquillitatem humanam?

Septimò obiicitur, quia possunt Christiani 107 vindicare blasphemias, & cõtumelias infidelium contra Christum, & contra nostram religionem eosque vi, & armis coërcere, ne res nostras contumeliosè tractent: cur ergo non poterunt impedire etiam eorum idololatriam, quæ continet maximam veri Dei iniuriam, & condemnationem veræ religionis; Respondetur blasphemias illas, & contumelias nostræ religionis vt breuiter indicauit Suarez *dicta disp. 18. sect. 4. num. 4.* dupliciter posse considerari, primò quatenus præcisè sunt contra Deum, & ex hoc capite non dant iustam causam belli contra infideles non subditos, secundò possunt considerari, quatenus ex illis redundat inhonoratio positiua Ecclesiæ, & Christianorum, contra quos etiam conuitia illa proferuntur: qua ratione sicut propter alias iniurias potest licitè bellum inferri non subditis: sic etiam poterit propter has, licèt in hoc etiam cautè, & prudenter procedendum sit, ne maius forsan fidei

fidei detrimentum inde sequatur, quàm si patienter tolerando, & dissimulando proprias iniurias, ratione magis, & exemplo infideles alliceretur ad fidem amplectendam, à qua potiùs magis abhorrerent, viso studio vltionis, & vindictæ contra Euangelica consilia, quæ fides ipsa prædicat, & commendat. Huiusmodi autem iniuriam redundantem etiam contra nos ipsos non continet propriè simplex idololatria, aut similia peccata, sed solùm manifestationem proprij erroris: sicut non sum ego iniurius alicui doctori sequendo contrariam sententiam contra illius doctrinam. Aliud verò esset, si subsannarem illius doctrinæ auctores, aut doctrinam ipsam iis dicteriis prosequerer, vt Auctores etiam pungere, & acerbiùs notare velle existimari iure possem.

108 *Obiectio 8.* Octauò obiici potest, quia si non licet infideles non subditos cogere, vt ab idololatria desistant, neque etiam licebit ad hunc finem eorum idola confringere, & templa diruere, quod tamen plures sancti fecisse leguntur. P. Suarez *dicta sect. 4. num. 8.* dicit, id non licere auctoritate priuata facere, vt colligitur ex *l. sicut*, & *l. Christianis. Cod.* de Paganis; ideoque in Concilio Eliberino can. 60. decerni, non esse habendum pro martyre, qui propria auctoritate frangens idola, propterea ab infidelibus occidatur. Contra hoc tamen videntur esse, vt dixi, exempla multorum, qui id fecerunt, & vt veri martyres, ab vniuersa Ecclesia coluntur. Quare de hoc puncto consulendus est Baronius in notis ad martyrologium die 9. Aprilis, vbi iuxta doctrinam S. Augustini ep. 50. ad Bonifacium longè ante medium, distinguit inter eos, qui auctoritate priuata, & furore perciti indiscreto, idola, vel templa diruebant, & eos, qui legitima auctoritate legibus principum concessa id exequebantur. Hi enim secundi laudabiliter id faciebant: secus illi primi, nisi diuino instinctu, vel Dei iussu moti facerent, prout multos fecisse constat. Canon verò citatus ex Concilio Eliberino intelligitur solùm de iis, qui propria, & priuata auctoritate operabantur, & de his etiam intelligendus est Suarez, cùm expressè loquatur de frangente idola priuata sua auctoritate.

109 Dixi tamen in Conclusione principali, non posse infideles non subditos prohiberi, aut cogi, ne ea peccata committant, quando non peccant *in præiudicium aliquorum innocentium*. Si enim in eorum præiudicium fiant, possunt ab aliis, vi etiam, & armis impediri; Exemplum commune est de iis infidelibus, qui idolis victimas humanas offerunt, immolando in eorum honorem homines, vel pueros innocentes, quos quidem charitas permittit, & aliquandò iubet (si sine graui incommodo proprio fieri potest) ab iis malis eripere etiam cum aggressorum morte. Dixi autem, *si homines innocentes immolent*: si enim nocentes solùm, & mortis reos, propter alia crimina, ad sacrificia illa sacrilega assumant, non possunt propter illud solum sacrilegij peccatum, quod sine innocentis alicuius iniuria committunt, ab aliis quorum non sunt subditi, bello inuadi, vt doctores citati communiter fatentur.

110 *Proponitur difficultas.* Difficultas est, si ipsi innocentes auxilium non petant, imò nec eripi velint, an possint adhuc occisores non subditi ab eo crimine prohiberi. Et quidem certum videtur, licèt id non petant, præsumi tamen velle, & desiderare suam tutelam ab iis qui opem ferre possint. Si tamen expressè suam libertatem respuerent, & excluderent, vel si ex circunstantiis hæc voluntas præsumeretur. P. Coninch *dicta disp. 18. num. 197.* negat posse occisores vi prohiberi ab iis immolandis; quia cum ius vim vi repellendi per se ei soli immediatè conueniat, qui illam iniustè patitur, vel qui huius, aut vim inferentis superior sit, illicitè illud mihi vsurpo, nisi ab aliquo horum mihi committatur: sicut nequeo validè alterius nomine aliquid agere, si ipse nolit me hoc eius nomine agere. Meliùs tamen Suarez *vbi suprà num. 4.* dicit posse prohiberi vi aggressorem iniustum ad defendendum innocentem, etiamsi ipse nolit defendi; quod etiam dixi *tomo 1. de Iustit. disp. 10. num. 202.* Vnde licèt ipsi defendi nolint nec etiam se defendant, cùm possint poterunt infideles à nobis prohiberi, ne eos idolis immolent, & occidant; quia quicunque illi sint, qui morti destinantur, mihi generis humani communitate coniuncti sunt, & possum ego, non solùm meas, sed etiam aliorum, qui mihi coniuncti sunt graues, & enormes iniurias, vi etiã, & armis impedire, non exspectato eorum consensu.

Hoc tamen, ni fallor, aliqua indiget explicatione: dupliciter enim contingere potest, quod innocens patiens consentiat, & nolit se defendere, vel ab alio defendi; primò retinendo adhuc ius suum, ita vt veram, & propriam iniuriam patiatur; potest enim aliquis libenter pati, imò & de passione sua gaudere, & tamen adhuc retinere ius suum, quantum sufficit, vt patiatur iniuriam; prout Martyres veram iniuriam patiebantur, licèt nollent se defendere, imò & de morte sibi inferenda gauderent: vt latè probaui *disp. 3. de Incarnat. sect. 6.* & constat exemplo eorum, de quibus Paulus ad Hebr. 10. dixit. *rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Si enim rapina fuit iniuria fuit; & tamen cum gaudio suscepta fuit. Et in hoc casu procedere debet doctrina posita: nam licèt illi nolint se defendere, nec defendi, iniuriam tamen patiuntur, & per consequens iniustus aggressor vi etiam ab alio tertio reprimi potest. Potest autem rursus, secundò qui mortem, vel aliud malum patitur, ita consentire, vt auferat omnem rationem iniuriæ, quia omnino cedit iuri, & quantum ex se potest, tribuit facultatem, & licentiam eiusmodi bona auferendi: quo casu, non ita facilè concedam, posse ab aliis per vim eripi etiam cum morte aggressoris. Et quidem, si innocens bonis solùm fortunæ spolietur, idque consentiente ipso, & iuri suo cedente, absque vi, & dolo; certum videtur non esse locum defensioni violentæ: tunc enim proinde se habet, ac si bona sua donaret accipienti, qua Domini voluntate posita, non potest per vim donatarius prohiberi, ne iure suo sibi concesso vtatur. Quod locum etiam habet in bonis honoris, & famæ, saltem in iis, quibus homo licitè potest seipsum priuare: nam sicut ipse potest se iis licitè spoliare, quando id non cedit in damnum aliorum, ita possunt alij ex eius consensu id facere; nec possunt vi prohiberi, ne faciant. 111

De bonis autem corporis, qualia sunt vita, membra &c. maior videtur esse difficultas: dicit enim Suarez *loco citato*; si quis velit se occire, posse ab alio etiam auctoritate priuata cogi, ne se occidat: vnde infert, posse & alios cogi, ne eum etiam consentientem, & volentem occidant. Quod etiam explicatione, & limitatione indiget. Certum enim in primis est, non posse aliquem ab 112

alio

alio priuato occidi, ne se occidat: de illo quippe qui id faceret, meritò dici posset illud Poëtæ: *Dic mihi, non stultum est, ne moriare, mori?* Vnde nec alius posset à priuato occidi, ne aliquem volentem, & petentem occideret: quale enim lucrum esset mortem voluntariam vnius violenta alterius inuiti morte redimere? Posset quidem, qui se stulto desperationis impetu occidere vult, cohiberi per vim, ablato ei gladio, & ligatis etiam manibus ad tempus, donec iræ feruor sedaretur, quia hæc leuiora remedia sunt, per quæ non videtur inferri iniuria, nec vsurpari iurisdictio in illum, cui applicantur; imò quilibet potest ægroto sitienti aquam prohibere, & auferre, quæ ei morbum faciet lethalem: ergo & poterit auferre venenum volenti sumere. Vnde hoc ipsum poterit facere circa alium, qui eum consentientem, & petentem vult occidere. Non tamen puto, posse quemlibet priuatum hoc prætextu, alium in vincula diuturna coniicere, & multò minus eius bona inuadere, spoliare, & fortunis priuare, qui sunt actus solius potestatis publicæ, superioris: non enim sunt facienda mala, vt sequantur bona. Nec obstat quod Suarez dicit, volentem se occidere, non esse dominum suæ vitæ: ex hoc enim ad summum fit, quòd peccet contra iustitiam in Deum. Diximus autem supra, peccata contra solum Deum, non dare ius homini priuato peccatorem puniendi, inuadendi, vel superioritatem in illum exercendi. Sicut ergo in aliis contra Deum peccatis, sic etiam in hoc, iudicio Dei relinquendus erit, & suis superioribus, qui possunt, & debent subditos à sui, vel aliorum etiam volentium occisione, aut mutilatione pœnis debitis, & proportionatis coërcere.

113 Denique aduerte, tunc etiam quando hæc peccata cedunt in præiudicium innocentis inuiti, ita demum posse ab aliis aggressorem iniustum coërceri vi, & potestate adhibita, vt tamen non ad punitionem progrediatur, sed solùm ad impediendum, & quantum ad hunc præcisè finem sufficit: nam punire pro præteritis pertinet ad solum superiorem: defendere autem innocentem permittitur communiter, & pro se, & pro aliis. Quare si iniustus aggressor cesset ab iniuria, cessare etiam debet vis, & coactio; ita tamen, vt innocens securus maneat, ne fortasse recedente tutela defensoris, statim in easdem angustias recidat sine remedio; ita cum aliis Coninch *dicta disp.* 18. *n.* 198.

114 *Infideles subditi possunt à suo principe cogi, ne, scelera contra naturalè legem committant.*

Restat nunc secunda pars nostræ conclusionis & communis sententiæ probanda, & explicanda, nempe subditos infideles posse à suo Principe cogi, ne scelera contra naturalem legem committant: quod tamen intelligi debet de iis peccatis, quæ Legislator humanus lege ciuili prohibere potest, pœnis etiam adhibitis suis subditis. Nam, vt suprà indicauimus, non potest Legislator humanus lege ciuili punire subditos ob omnia mortalia peccata, nec ea potestas necessaria erat ad finem politicum gubernationis ciuilis. In hoc ergo sensu conclusio potest facilè probari, ex potestate humana Principis, quæ non limitatur ad subditos fideles, sed ad omnes extenditur, & comprehendit etiam infideles. Omnes enim dirigere potest, in ordine ad pacem Reipublicæ, & ad morum probitatem, quæ necessaria sit ad conuictum humanum, & honestum Reipublicæ statum. Quare sicut furta, homicidia, fraudes, & alia eiusmodi, sic etiam prohibere potest adulteria, cultum Dæmonum, magiam, periuria in iudicio, blasphemias, & similia peccata, quæ Rempublicam maximè deturpant, & legi naturali repugnant. Vnde imperatores Christiani, vbi primùm fidem nostram amplexi sunt, idolatriam seuerissimis legibus prohibuerunt, quæ à Conciliis, & Patribus laudatæ, & commendatæ, atque aliquando postulatæ etiam fuerunt, de quo videri potest Suarez *dicta sect.* 4. *numero* 6. Hodie etiam in Philippinis Insulis, quæ Hispaniæ Regi subiacent, plura Sinensium Gentilium millia, qui artes omnes ferè mechanicas ibi exercent, ea lege ibi degere permittuntur, vt à certis vitiis contra naturæ legem abstineant, grauissimas alioquin pœnas subituri.

Dicet aliquis, videri hoc esse supra Principis laici potestatem: nam vt supra dicebamus, non potest Princeps punire ob delicta, de quibus non potest iudicare: non videtur autem posse Princeps laicus iudicare de rebus spectantibus ad materiam religionis, qualis videtur esse cultus vnius Dei, & aliæ similes: non potest ergo ea peccata punire. Respondeo Principem sæcularem non posse de iis rebus iudicare, prout sunt contra fidem, nec etiam punire ob ea peccata, prout includunt infidelitatem, posse tamen de iis iudicare, quatenus sunt contra rationem naturalem, & punire subditos infideles in his delinquentes. Nam sicut iudicat de homicidio, adulterio, & aliis peccatis contra legem naturalem; poterit etiam iudicare de irreligiositate, idolatria, & aliis similibus, quæ sunt etiam contra legem naturalem, saltem quamdiu *Ecclesia non* aduocat ad se eas causas, quando *pertinent* ad subditos baptizatos. Hæc enim peccata, præscindendo etiam à malitia infidelitatis, quæ opponitur fidei, habent malitiam contra ipsam legem naturæ, & rationem naturalem, ratione cuius non excedunt potestatem, & sphæram Principis sæcularis.

Aduertunt tamen bene Bañes *in præsenti, quæst.* 10. *articul.* 10. *Dub.* 2. *conclus.* 3. Suarez *vbi supra num.* 8. Coninch *numero* 188. & alij, debere Principem priùs lege sua prohibere eiusmodi delicta, antequam delinquentes puniat. Quod probat Coninch, quia respublica eos solos subditos punire potest, qui eam, eiusue statum, & tranquillitatem lædunt, aut turbant; peccata autem, quæ ab ea non sunt prohibita, non censentur eius tranquillitatem, vel auctoritatem lædere, nisi eam directè; aut dolo impugnent: non possunt ergo puniri antequam prohibeantur: ideo namque simplex fornicatio non punitur, quia lege non prohibetur, & sic de aliis. Adde, debere Principem, & Rempublicam suauiori modo, quo possit, subditos cogere: est autem suauior modus, & humanis moribus magis accommodatus, vt subditi priùs moneantur, & deterreantur prohibitione, antequam puniantur. Vnde iuxta horum etiam auctorum mentem, ego eam doctrinam solùm regulariter intelligendam puto, & de criminibus ordinariis. Alioquin non videtur negandum atrociora, & extraordinaria crimina posse à Principe puniri, licèt lex nullam pœnam designarit: quod videtur esse iuxta l. 1. ff. de effractoribus, & explicatoribus, & l. *hodie* ff. de pœnis, vbi Vlpianus ita respondet. *Hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem*

leuiorem, ita tamen, vt in vtroque moderationem non excedat. Et quidem ipse Coninck admittit exceptionem eorum criminum, quæ directè, vel dolo tranquillitatem, vel auctoritatem Reipublicæ lædunt, aut impugnant idem ergo dici potest de quolibet atroci crimine in Deum, vel homines, licèt lex mentionem eius non fecerit, quia hæc etiam Reipublicæ statum, & tranquillitatem maximè perturbant. Quis enim credat, quia Solonis, vel Romuli etiam legibus nulla parricidis pœna statuta fuerit, quia ob eius atrocitatem, non timebant vnquam futurum, vt ex Cicerone oratione pro Rosc. Amerino, & Plutarcho in Romuli vita colligitur; quis, inquam, dicat adueniente casu, non potuisse in illa Republica parricidam pœna etiam acerbiori puniri? sic etiam factum vidimus nostris diebus, vt in occisorem Henrici IV. Galliæ Regis extraordinaria, & acerbissima pœna meritò animaduersum fuerit. Nec possunt leges humanę ad omnes casus extraordinarios descendere, & satis est quod ipsa delicti atrocitas suadeat, non fuisse Legislatoris mentem impunitatem concedere; sed iudicis arbitrio reseruatam fuisse pœnam, si casus occurreret.

117 *Potestas cogendi Infideles, & prohibendi illis crimina contra legem naturæ competit solis superioribus, quorum subditi sunt.*

Ex dictis verò infertur primò hanc potestatem cogendi infideles, & prohibendi illis crimina contra legem naturæ, non competere homini priuato, nec ciui fideli erga conciuem infidelem, sed solis superioribus, quorum subditi sunt: procedit enim ex potestate dominatiua, vel gubernatiua, vt dictum est, & obseruat Suarez *dicto num.* 8. Si tamen crimen infidelis redundaret in præiudicium innocentis, cui iniuria infertur, nec esset recursus ad iudicem, vel potestatem superiorem à quo innocens defenderetur; posset tunc priuatus, priuatum conciuem infidelem ab innocentis læsione iniusta, vi etiam prohibere, in iis casibus, in quibus possumus vi repellere vim cuilibet innocenti ab iniusto aggressore illatam, vel inferendam.

118 *Potestas cogendi subditos infideles, vt abstineant à criminibus contra legem naturalē, & ab idololatria &c. competit etiam Principibus infidelibus.*

Infertur secundò, potestatem hanc cogendi subditos infideles, vt abstineāt à criminibus contra legem naturalem, idololatria, & aliis similibus, competere non solùm Principibus Christianis, sed etiam Principibus infidelibus respectu suorum subditorum, vt obseruat idem Suarez loco citato. Ratio autem est clara, quia ij etiam Principes infideles, habent æqualem potestatem temporalem in suo subditos ad dirigendos eos iuxta regulas rationis, & legis naturalis: quare sicut possunt iis furta, adulteria, & homicidia prohibere, sic etiam poterunt idolorum cultum, & alia, quæ non minus aduersantur legi naturali.

119 *Non solum possunt, sed debent Principes hæc peccata, & ritus etiam legi naturali aduersos suis subditis prohibere, & ob eorum, & ritus suos subditis prohibere.*

Infertur tertiò non solùm posse, sed debere Principes, hæc peccata, & ritus etiam legi naturali aduersos suis subditis prohibere, si id sine grauiori incommodo facere possint: ita idem Suarez ibidem: quia tenentur benè subditos gubernare in ordine ad finem suæ gubernationis; quare sicut homicidia, furta, & adulteria, sic etiam hæc alia delicta, quæ ex genere suo pleraque grauiora sunt prohibere debent. Dixi tamen, *si sine grauiori incommodo possint:* quando enim ex prohibitione maiora timentur mala, an possint licitè permitti ea dicemus §. *sequenti.*

§. IV.

An, & quomodo liceat, infidelium ritus permittere?

120 NOn loquimur de ritibus, qui soli fidei Christianæ aduersantur, quales sunt ritus Iudaici lege veteri approbati, & præscripti: sed de ritibus legi naturali aduersariis, qualis est idololatria, & similes: ex iis tamen, quæ de his ritibus dixerimus, colligi facilè poterit, quid dicendum sit de permittendis erroribus hæreticorum, seu de libertate conscientiæ illis concedenda, ne iterum de illa cogamur postea tractare, quando de hæresi in particulari agetur, præsertim cùm de eo argumento latè, & doctè post alios scripserit Hurtado *infrà disput.* 79. qui videri potest, & primo loco S. Thomas *quæst.* 10. *art.* 11. vbi breuiter totum hoc argumentum comprehendit.

121 *Ritus infidelium non sine grauissima causa à Principe permitti debent.*

Regula communis, & verissima hæc est, eiusmodi ritus in infidelibus subditis non esse à Principe permittendos sine grauissima causa cum illa verò posse: ita cum S. Thoma cæteri Theologi, quos sequuntur Suarez *dicta sect.* 4. *num.* 9. Coninch *vbi suprà num.* 195. Hurtado *vbi supra*, & alij passim. Et in primis non posse sine grauissima causa permitti, constat clarè, quia deesset Princeps in præcipuo munere, & debito sui Principatus: si enim minora alia vitia permittere non potest, quantò minùs ea, quæ præcipuam religionis virtutem oppugnant? Vnde in Scriptura reprehenduntur Reges omnes, qui excelsa non abstulerunt: hoc est, permiserunt populo sacrificia offerre ritu prohibito, quem, sanè totis viribus auferre debuissent, & in profanis etiam litteris commendantur, qui religionis, & pietatis studium politicis omnibus rationibus, & negotiis in Republica administranda præposuerunt, vt latè probat Hurtado *vbi supra* §. 11. & *seqq.*

122 Quod verò ex grauissima causa liceat etiam aliquando ritus illos illicitos permittere, constat ex regula generali; quòd licèt nunquam mala facienda sint, vt sequantur bona; aliquando tamen mala permittenda sunt, ad vitanda grauiora mala provt de facto meretrices, & lupanaria publicè permittuntur, ne grauiora peccata ex humana fragilitate, & prauitate sequantur, vt dixit Augustinus adductus à S. Thoma, dicto art. 11. in corpore: *Auferte meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus.* Similiter ergo quando ex coactione infidelium subditorum, & prohibitione eorum rituum, grauiora damna prudenter timētur, tolerandi, & permittendi sunt: exemplo patris familias Euangelici, qui Matth. 13. seruis volentibus eradicare Zizania, respondit: *non, ne fortè eradicantes Zizania, eradicetis similiter triticum.* Quam regulam plures, & piissimi Principes sequuti dissimularunt, & tolerarunt in subditis ritus sacrilegos, & hæreses manifestas, quandiu sine maioris mali timore sese opponere non poterant. Quare tota difficultas in hoc puncto consistit in iudicio ferendo de circunstantiis, & causa sufficienti ad iustificandam eiusmodi tolerantiam, & permissionem.

123 In quo iudicio Hurtado *vbi suprà* §. 10. videtur statuere pro vnica causa religionem, dicens, tunc solùm permissionem esse licitam, quando maiùs

imminet religioni damnum alioquin incuitabile nisi concedatur permissio. Vnde §. 31. concludit, in prouincia hæretica facilè admittendam à Principe Catholico libertatem conscientiæ, quia religio Catholica luctatur tunc impunitatem, qua in eo loco antea carebat: è contra verò in Prouincia Catholica non esse permittendam, nisi desperatis iam rebus, quia talis libertas religioni solùm falsæ lucrum affert. Hæc tamen regula, vt in vniuersum vera sit, intelligi debet de licentia, & periculo, respectu earundem personarum, non respectu loci materialiter sumpti: nam in Prouincia, vel ciuitate Catholica potest aliquando permitti ex causa iusta ritus falsus, vel hæresis in aduenis, quando id fieri potest sine periculo, quod peruertantur indigenæ: possunt enim permitti hæretici deforis aduenire ad commercium, vel legationis causa, quorum sæpe aliqui ea occasione conuertuntur, nec tunc religio detrimentum patitur; cùm illi iam antea hæretici essent in suis Prouinciis. Sic etiam in insulis Philippinis, permittuntur Sinenses idolorum cultores, ad opificia, & artes exercendas diu commorari, quorum plures ea occasione fidem recipiunt. Non ergo solùm debet considerari locus antea Catholicus, vt dicamus, præiudicari religioni, si eo in loco detur impunitas infidelibus, vel hæreticis: si tamen non detur iis, qui ante eam concessionem Catholici erant. Sicut è contra etiam in Prouincia infidelium, vel hæreticorum non debet concedi ea impunitas Catholicis illuc euntibus, si ibi à fide deficiant, imò ij seueriſſimè solent à summis Pontificibus puniri, si capi possint. In vniuersum autem præferendum est negotium religionis, & fidei cuicumque rationi politicæ & præ oculis habendum, ne religio notabile patiatur detrimentum ex eiusmodi concessionibus: si autem non timeretur periculum commune, sed vnius, vel alterius Catholici, qui fortasse ea occasione à fide deficeret: posset aliquando bonum publici status huic periculo præponderare; nec omnia particularia mala præcaueri possunt; & sæpe propter communem vtilitatem, etiam politicam, permittitur vnius, vel alterius ciuis mors corporalis: potest ergo & permitti periculum spirituale, præsertim cùm ipse ciuis possit si velit, malum illud vitare. Nec enim Princeps tenetur cum quolibet incommodo, præsertim publico, præcauere mala omnia particularia singulorum: sed tamen oportet semper, quoties permissio hæc positiuè, & non solùm dissimulatione quadam, sed legitima declaratione conceditur, determinate, & exprimere pro quo loco, & pro quanto tempore, & quibus personis, & pro qua secta concedatur, & curare, ne vlterius extendatur, ne amplior sit quoad personas, locum, tempus, vel sectas, quam necessitas ipsa cogat.

124 *An Princeps Christianus possit hanc conscientiæ libertatem, sine consensu & facultate summi Pontificis subditis concedere.*

Dubitari potest, an Princeps Christianus possit hanc conscientiæ libertatem, sine consensu, & facultate summi Pontificis subditis concedere, de quo videri potest Hurtado *disp. 79. sect. 5.* qui latè de hoc agit, & concludit, posse subditis non baptizatis quia ij non pertinent ad iudicium Ecclesiæ; non verò posse hæreticis, seu subditis baptizatis, in quos cùm Ecclesia habeat directam Iurisdictionem: non potest Princeps Laicus huic Ecclesiæ potestati, sine eiusdem Ecclesiæ consensu præiudicare. Vnde quantumcumque Princeps saluum conductum, vel libertatem, & immunitatem hæreticis promittat; potest eo non obstante Ecclesia semper hæreticos illos capere, & puda erit concessio, & consensus Pontificis, provt datus fuit in Concilio Tridentino in bulla, quæ habetur post sessionem 15. Ex quo loco clare colligitur, Ecclesiam teneri ad seruandam fidem datam hæreticis de eorum immunitate, dum tamen ipsi seruent conditiones, sub quibus fides, & securitas data est, quod latè, & doctè probat Magister Ioan. Marq. Augustinianus, *lib. 1. de Gubernatore Christiano cap. 24.* Ex quo totam illam quæstionem ferè desumpsit Hurtado, *vbi supra sect. 7.* Ratio autem est, quia totum id quod sine peccato fieri potest: potest etiam promitti, & seruari debet, si promissum sit. Potest autem sine peccato impunitas dari hæreticis: imò expedit, & necesse est plerumque ita fieri, & promitti, promissione obligante: aliquin spe omnino abiecta non auderent vnquam hæretici fidere Ecclesiæ, vt ad Concilia, vel loca Catholica accederent ad examinandam suam fidem, & conferendam cum nostra, quo remedio ablato occluditur aditus eorum reductioni. Necesse ergo est ad bonum commune religionis, quod Ecclesia possit se obligare ad fidem hæreticis seruandam, quam semel datam violare non liceat.

Nec obstat, quod aliqui præsertim hæretici 125
dicunt de facto Ioanni Hus, Hieronymo Pragæ, qui fide accepta ad Concilium Constantiense accesserant, eam non fuisse seruatam, sed publico iudicio ibidem combustos esse. Hoc enim maiori ex parte figmentum est, vt pluribus ex ipsa historia argumentis petitis probant Marquez, & Hurtado *locis citatis*. Primò quia negant aliqui, eos hæreticos saluum conductum habuisse, nec à Principe quidem sæculari, vel Imperatore. Secundò quia licèt ab Imperatore habuissent, Ecclesia tamen non potuit ab eo obligari, & adhuc ius suum retinebat, ad eos iudicandos, & puniendos. Tertiò quia Praga, licèt saluum conductum petierit à Concilio, sed tamen Patres Concilij noluerunt illum concedere absolutè, sed cum limitatione, nimirum, promiserunt illum sine vi audire, iustitia semper saua, itaque promiserunt solùm immunitatem ab oppressione iniusta, vt constat ex sessione 6. in cap. cui titulus est, *Decernitur citatio contra Hieronymum de Praga.* Qua promissione fortasse sibi saluum conductum finxit, & accessit. Sed adhuc fides ei seruata fuit, & ipse clementer auditus hæreses abiurauit, vt constat ex sess. 16. additis illis verbis: *Et si ego ipse aliquando, quod absit, aliquid contra sentire, aut prædicare præsumpsero, Canonum seueritati subiaceo.* Vbi iam cessit iuri impunitatis, si iterum ad hæresim rediret, provt postea rediit pœnitens obiurationis factæ, & protestatus in ipso Concilio, se impiè fecisse damnando doctrinam, quam damnauerat. Vide plura alia argumenta apud prædictos auctores, quæ manifestè probant, non fuisse in eo Concilio violatam fidem, datam illis hæreticis.

Illud mihi difficilius est, quod docet idem 126
Hurtado *ibi §. 53.* Principem, nisi iuramento confirmet libertatem conscientiæ, non teneri, nec debere stare promissis, quia promissio absque iuramento non obligat, quando vi, aut metu extorquetur, & res promissa cedit in graue promittentis detrimentum: hæc autem libertas conscientiæ semper extorquetur vi, & metu iniusto

cadente

cadente in virum constantem. Hoc, inquam, difficile est. Primò quia si promissio secluso iuramento, non obligat promittentem propter metum iniustum, quo extorquetur, iuramentum superadditum non affert obligationem iustitiæ, sed solius religionis, atque adeo inuito promissario, poterit vinculum illud relaxari, ab eo, qui potest relaxare iuramenta, per quæ non acquiritur homini aliquod ius, & ablato vinculo religionis, perit tota promissionis illius obligatio, vt cum communi sententia dixi *tom. 2. de Iust. disput. 22. sec. 8. num. 195. & 230. & sequentibus.* Parum ergo, vel nihil deseruiet promissio illa iurata hæreticis ad eorum securitatem, cùm iurans possit postea, quoties libuerit, petere, hæreticis inuitis, relaxationem iuramenti, ab eo, qui potest iuramenta solùm religionis vinculum continentia relaxare, & tunc poterit licitè hæreticos punire, sicut si nihil promisisset.

127 Secundò quia Patres, & Doctores, qui fidem infidelibus, & hostibus seruandam dicunt, si eorum verba inspiciantur, non limitant suam doctrinam, ad fidem solam iuramento confirmatam, sed vniuersaliter de promissione, & fide data loquuntur. ita loquitur Ambrosius *lib. 1. officiorum cap. 29.* Concludens: *liquet igitur etiam in bello fidem, & iustitiam seruari oportere, nec vllum decorum esse posse, si violetur fides.* Eodem modo loquitur Augustinus *epist. 207. & 225.* Isidor. *lib. 1. synonim. cap. 10.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 40. art. 3.* & ibi alij Theologi, & interpretes communiter. Vnde Ioann. Marquez *loco suprà citato* magis cautè loquutus est: non enim dixit, tunc solùm iis seruandam fidem, quando iuramentum interceßit, sed absolutè seruandam fidem, præsertim si cum iuramento data fuit: sic habet *pagina mihi 302. columna 2. & pag. sequenti colum. 1.*

128 Tertiò denique ratione idem ostendi potest, quia si metus redderet inutiles has promissiones factas hæreticis sine iuramento eodem modo redderentur inualidæ, & inutiles promissiones omnes & pacta, quæ sine iuramento fierent hostibus in bello, saltem quando hostes, quibus fiunt gerunt bellum iniustum ex parte sua; nam tunc certum est, quòd metus belli, & copiarum hostilium mouet ad consentiendum huiusmodi pactis, & dandam eam fidem, quæ metus causa, multo magis in iis pactis apparet, quàm in concessione libertatis conscientiæ, in qua non ita proximè arma, & bella minantur. Si ergo Patres, & Theologi fatentur, fidem hostibus etiam iniquis, & iniustis seruandam esse, nulla limitatione addita fidei iuramento confirmatæ; quia ex huius fidei violatione maxima humano commercio damna sequerentur; idem dicendum erit de fide data hæreticis circa conscientiæ libertatem, etiamsi sine iuramento præstita sit. Ratio enim eadem est, nempe, quod res promissa potest sine peccato exhiberi: nam si esset intrinsecè mala, etiamsi appositum fuisset iuramentum, seruanda non fuisset; in neutro ergo casu deciendus est hostis, vel hæreticus circa rem licitam illis promissam.

129 Quod rursus confirmari potest, quia si libertatis conscientiæ promissio absque iuramento non obligaret, nec etiam obligaret saluus conductus simpliciter concessus absque iuramento, atque adeo nihil aliud fecisset Tridentina Synodus toties saluum conductum hæreticis offerendo absque vlla iuris iurandi mentione, quàm speciosis verbis hæreticos decipere, ostendendo externam quamdam obligationis speciem absque obligatione vlla, ob defectum iuramenti ad obligationem necessarij. Respondet Hurtado §. 53. ad hoc exemplum. Primò interuenisse ibi implicitè iuramentum contentum in clausula generali, qua asseritur adiici illi fidei publicæ, quidquid exigitur ad eius obseruationem: vnde iam implicitè includitur iuramentum, si hoc necessarium est, vt saluus conductus obliget concedentem. Hæc tamen responsio probaret, in omni contractu ex iis, qui sine iuramento non obligant, & iuramento addito confirmantur, de quibus latè egimus *dicta sect. 8.* intelligi additum iuramentum, etiamsi non exprimatur, atque adeo omnes illos contractus de facto esse validos, quomodocumque fiant: quia semper contrahens dicit se velle obligare omnino, & per consequens significat se iurare, sine quo iuramento non potest se validè obligare. Consequens autem est satis absurdum, alioquin frustra inualidantur legibus illi contractus, cùm eo ipso, quod quis se velit obligare, intelligatur implicitè velle adhibere iuramentum necessarium, ad valorem obligationis. Non ergo sufficit illa clausula generalis, vt intelligatur iuramentum adhibitum; sicut nec sufficit, vt intelligatur datus fideiussor, vel posita obligatio dandi fideiussorem, aut renuntiata lex aliqua prohibens obligationem: sed debet exprimi inuocatio Dei, vt aliquis iurasse dicatur.

Quare idem auctor respondet secundò *ibid.* in saluo conducto non requiri ad obligationem iuramentum, sicut requiritur in concessione libertatis conscientiæ, quia saluus conductus non extorquetur vi, aut metu iniusto, sed Princeps sine vi, aut metu rogatus illum concedit. Hæc etiam responsio non videtur subsistere; quia in concessione salui conductus videtur etiam intercedere coactio, quædam eiusdem generis cum illa, quæ facit concedi libertatem conscientiæ: nam sicut Princeps non permitteret libertatem conscientiæ si posset absque sui detrimento hæreticos compescere, & punire: ita non daret saluum conductum, si hæreticum posset cogere, vt veniret ad concilium, vel ad iudicium tanquam reus citatus & iudicandus: in vtroque ergo casu cedit iure suo, quia non potest illo sine detrimento vti. Solùm est discrimen, quod libertatem conscientiæ frequenter concedit Princeps temporalis, ne subditos temporales, ea fortasse negata, amittat, tumultuantes nimirum, & ad rebellionem propendentes, & aliquando iam obedientiam negantes, metu amittendæ potestatis temporalis conceditur eis iniqua petitio. At verò saluus conductus conceditur, vt veniant ad locum disputationis, & conuincantur: sed reuera tunc etiam interuenit metus amittendi potestatem Ecclesiasticam in subditos. Quare Ecclesia, ne eos subditos tumultuantes, & rebelles amittat, sed potiùs conuictos reducat ad debitam obedientiam, offert illis saluum conductum; & impunitatem, quæ in rigore est libertas conscientiæ non perpetua, sed ad tempus, pro quo saluus conductus conceditur. In vtroque ergo casu, præcedit impotentia puniendi subditos, & eorum rebellio contra obedientiam debitam, vel temporalem, vel saltem spiritualem, & denique desiderium non amittendi potestatem in illos, vel amissam recuperandi, in 139

vtroque ergo, vel in neutro casu interuenit metus,& coactio ad concessionem sufficiens ad eam inualidandam.

131 Ratio à priori in vtroque casu, cur iniquitas, & iniuria subditorum non reddat inualidam obligationem Principis concedentis petenda est ex iis, quæ indicaui *tom.2. de iustit. & iure disp.37. sect.15. num.* 179. nempe hostibus etiam iniustè bellantibus seruandam esse fidem propter publicum pacis bonum, & regnorum quietem: nisi enim ea pacta seruarentur, maximum esset impedimentum pacis componendæ: sicut ob eamdem rationem debetur impunitas, & indemnitas oratoribus, & legatis publicis etiam hostium, quia id necesse est, vt tractatus circa pacem haberi possint: sicut ergo bonum publicum pacis, & quietis publicæ reddit immunes oratores, & legatos hostium, qui alioquin rei sunt, & pœna digni propter bellum iniustum; sic etiam idem bonum publicum religionis dat valorem saluo conductui concesso hæreticis, quia aliter non possent religionis amissæ damna resarciri. Et sicut idem bonum publicum pacis obligat ad seruandam fidem datam hostibus etiam iniustis in bello, sic bonum publicum obligat ad seruanda pacta facta cum hæreticis circa libertatem conscientiæ, quando ad bonum publicum necesse erat, quod eiusmodi pacta cum obligatione fieri possent. Quando autem in illo loco citato diximus, pacta hostibus seruanda, *quando fiunt sine coactione, & metu*, id intelleximus de coactione alia intrinseca, & priuata, ac condistincta ab ea, quam bellum ipsum secum affert: nam certum alioquin est, pacta omnia, quæ hostibus iniustè bellantibus fiunt, fieri cogente ipso bello, cuius vitandi causa, ea omnia pacta fiunt, quæ si bellum abesset, non fierent. Sed tamen propter publicum pacis bonum, quod sine valore, & obligatione talis fidei obtineri non posset iure gentium data est obligatio iis pactis, quod similiter in casu nostro propter eandem rationem dicendum est: neque ad hanc obligationem iusiurandum videtur necessariò requiri, sicut nec ad pacta, quæ cum hostibus in bello fiunt. Alia verò argumenta leuiora, quæ aliqui afferunt ad probandum, non debere seruari fidem hæreticis in saluo conductu, vel aliis pactis, videri possunt apud Marquez, & Hurtadum locis citatis, qui bene ea dissoluunt.

SECTIO III.

An infideles non baptizati possint retinere potestatem, vel Iurisdictionem suprà fideles, & an possint ea potestate priuari.

132 NOn loquimur de hæreticis, sed de infidelibus non baptizatis, qui non sunt subditi Ecclesiæ, de quibus quæri potest, primò an iure ipso careant potestate in subditos fideles, secundò. An possint saltem ob infidelitatem ea potestate priuari. Supponemus breuiter ea, quæ videntur esse extra controuersiam, & postea ad ea, quæ magis esse possunt dubia descendemus.

Infideles sunt capaces dominij veri, nō solum rerum, sed etiam personarum.

In primis ergo certum est infideles esse capaces dominij veri, & legitimi, non solùm aliarum rerum, sed etiam personarum, seruorum, ancillarum, &c. Et quidem de dominio bonorum non est dubium, quod infideles habeant veruā dominium suorum bonorum, vt definisse traditur de Indis infidelibus Paulus III. in quadam sua Bulla, cuius meminit Coninch *disp.18. dub.10. num.* 160. De dominio etiam, quo vnus est dominus alterius hominis tanquam serui, certum est, posse illud esse penes infideles, qui verè & propriè possunt habere in suo dominio seruos bello captos, vel alio iusto titulo ad seruitutem inducendam. Certum etiam est, posse infideles non subditos Principibus Christianis habere in suo dominio seruos fideles, si alioquin iustus titulus intercessit ad seruitutem inducendam. Vnde certum denique est, posse retinere *Infideles possunt retinere dominium seruorum fidelium.* etiam iurisdictionem in subditos fideles, neque hos eo ipso, quòd ad fidem conuertantur, fieri exemptos, & liberos à potestate, & iurisdictione Principis infidelis, cui antea legitimè subdebantur.

Doctrina hæc colligitur apertè ex Scriptura 133 vtrumque dominium, tam reale in seruos fideles, quàm iurisdictionis in subditos etiam fideles *Colligitur ex Scriptura.* agnoscente, in domino, vel Principe infideli. Et quidem de dominio in seruos Christian. sunt loca clarissima. Ad Ephes.6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus: scientes, quòd vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* Quod idem repetit ad Colossenses tertio, & ad Titum 2. erant autem Domini tunc plerumque infideles, & Pagani. Vnde Petrus epist.1. cap.2. de seruis etiam dominorum infidelium loqui videtur, dum dicit: *serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Et August. in psal. 124. rationem reddidit, dicens: *Christus non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos.* Quod etiam confirmat concione 31. in psal. 118. & Auctor quæstionum noui, & veteris testamenti sub eiusdem Augustini nomine quæst. 35. & in Concilio Grangensi can.3. relato in cap. *si quis seruum* 17. quæst.4. anathema infligitur eis, qui seruo sub prætextu religionis fugam suaserit; in quo videtur esse sermo de prætextu religionis Christianæ, quia Concilium celebratum fuit tempore Syluestri Papæ, in quo domini Gentiles plures habebant seruos Christianos. Ratio autem est clara, quia sicut infideles capaces sunt dominij legitimi circa res alias, sic etiam dominij circa seruos, nec hoc dominio propter serui fidem priuantur, si eum à sua fide non turbant.

De dominio etiam iurisdictionis in subditos 134 fideles sunt innumera Scripturarum loca, in quibus ea potestas supponitur, per solam subditorum conuersionem ad fidem, vel propter dominorum infidelitatem non destrui. 1. Petr.2. *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti*, &c. & infra: *Regem honorificate*, Ad Roman. 13. *omnis anima potestatibus superioribus subiecta sit*, & infrà, *non solùm propter iram, sed etiā propter conscientiam*: vbi legitima iurisdictio supponitur in Principibus infidelibus; quales tunc omnes erant, nam conscientia non obligat ad obediendum præcienti

pienti sine legitima potestate. Quod idem significauit Christus Matth. 22. iubens reddi tributa Cæsari, verbis illis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quod præceptum inculcarunt frequenter Apostoli, & Apostolici viri, ad defendas calumnias infidelium, qui religionem nostram accusabant, quod doceret negare Principibus debitam obedientiam. Vnde Paulus ad Titum 3. ei iubet, vt documentum hoc subditis omnibus reuocet in mentem: *Admone illos, vt Principibus obediant.* Vnde sancti Patres frequenter etiam hoc documentum fidelibus inculcabant, Clemens Papa libro 4. Constit. capit. 12. *estote*, inquit, *subiecti omni Regi, & Potestati in iis, quæ Deo placent tanquam ministris Dei, & impiorum iudicibus.* Et infrà; *exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum*, &c. quod idem repetit libro 7. cap. 17. eodem modo loquitur Tertullianus lib. ad Scapulam capit. 2. *Christianus*, inquit, *nullius est hostis nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum esse velit.* Polycarpus apud Eusebium libro 4. Histor. cap. 14. aliàs 15. de infidelibus Principibus sic loquitur: *Magistratibus, & Potestatibus à Deo constitutis, eum honorem, qui nostræ saluti, ac religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur.* Eodem modo loquuti sunt alij Patres, Basilius in moralibus regula 79. Hieronym. epist. 4. post. medium, Chrysost. in epist. ad Roman. homil. 23. Origen. lib. 9. in epist. ad Rom. Oecumenius, Nazianzenus, Ephiphanius, & alij quos affert Suarez *de defensione fidei, libro 3. cap. 1.*

135 *Ratio communis & vera.* Ratio communis, & vera est, quia potestas hæc Iurisdictionis, non fundatur in gratia sanctificante, nec in fide, sed in ipso iure naturæ, quo homo capax est potestatis, & iurisdictionis ad regendos alios, modò interueniat iustus titulus subiectionis, siue quia bello iusto debellati sunt siue quia hanc potestatem in aliquem transtulerunt, siue in vnam personam veram qualis est Rex, siue in vnam personam fictam qualis est Respublica, & Senatus constans certo Senatorum numero, penes quos summa potestas resideat; siue quia consuetudine, vel præscriptione legitima iurisdictio comparata sit. Semel autem comparata, & radicata non amittitur de se per infidelitatem Principis, vel per fidem subditorum sicut non amittitur per alia peccata mortalia Principis, vel per subditorum sanctitatem: potest enim peccator potestatem habere in probos, & iustos subditos, & potest eos bene regere, quamuis ipse in se improbus, & infidelis sit.

136 *Obiectio 1. Hæc verba D. Pauli No lite fieri serui hominũ, explicantur.* Non defuerunt olim, ac etiam nunc qui prætextu libertatis fidei voluerint fideles liberos esse, ab omni seruitute, & subiectione respectu infidelium, quos tamen bene impugnat Suarez *dicto lib. 3. cap. 1. & 4.* Pro quibus afferri posset primò illud Pauli 1. ad Cor. 7. *nolite fieri serui hominum*, cuius rationem præmiserat dicens, *pretio empti estis*, quasi dicat, indignum esse, eum, qui iam à Christo ingenti pretio redemptus est, adhuc in seruitute remanere. Ad hoc tamen facilè respondetur Paulum ibi non loqui de seruitute ciuili, vel pœnali: de hac enim iam paulò ante dixerat, *seruus vocatus es? non sit tibi curæ:* & concludit: *vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* Loquitur ergo ibi de seruitute morali & vitiosa, qua homo homini ita vult obsequi, vt eum Christi imperio præferat: *nemo enim potest duobus Dominis seruire*, nimirum contraria præcipientibus: ita explicat Suarez *illo c. 4. n. 22.* & alij interpretes. Mihi tamen, vt verum fatear, magis placet aliorum interpretatio, quos sequitur Cornelius etiam in eum locum, intelligentium ea verba de seruitute ciuili. Quamuis enim Apostolus suadeat omnibus, in eo statu permanere, in quo ad fidem vocati sunt negans posse, (vt aliqui sibi blandiebantur) prætextu fidei susceptæ, & libertatis Christianæ, seruum se eximere à potestate sui Domini, etiam Pagani, ostendit tamen, si licitè fieri possit, satius, & vtilius esse Christianis, quòd liberi sint à ciuili seruitute, vt liberiùs possint Deo, & religioni vacare. Qui est legitimus sensus verborum illorum præcedentium: *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Quæ verba licèt alij, quos sequitur Suarez *ibi*, intelligant in sensu contrario, quasi dicat tantùm abest, quòd propter fidem susceptam, prætendas seruitutem excutere vt licèt possis libertatem obtinere, melius, & securius esset permanere in seruitute propter maiorem humilitatem: melius tamen alij, quos sequitur idem Cornelius explicant in sensu prædicto, quem verba ipsa præ se ferunt: nimirum, licèt fides non det tibi ius libertatis contra Dominum, si tamen in potestate tua sit, magis expediet libertatem procurare, & acceptare: cuius rationem reddunt verba sequentia: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum:* quasi dicat, qui in libertatem filiorum Dei vocatus est, non debet subiici iugo seruitutis humanæ, quæ magis obesse, quàm prodesse communiter potest, ad perfectionem Christianam consequendam.

137 *Obiectio 2.* Secundò obiici potest, quia lex Euangelica attulit fidelibus libertatem contrariam subiectioni, qua homines antea subdebantur Dominio, & potestati etiam Principum infidelium, ideo enim Christus Matth. 17. cùm tributum ab eo exigeretur, interrogauit Petrum: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* Et respondente Petro, *ab alienis.* Christus concluſit; *ergo liberi sunt filij.* Quo loco *filiorum* nomine omnes fideles comprehendisse videtur. Quia vt dixit Augustinus libr. 1. quæstion. Euangelic. quæst. 23. *omnes sunt filij regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena:* provt eius verba refert Suarez *dicto libro 3. defens. fidei capite 4. numero 2.* & quia omnes sunt de familia Christi, atque ideo participant eamdem exemptionem à tributis, vt indicauit Liranus ibi, & Hieronymus dicens. *Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis, à vectigalibus immunes sumus.* Quæ verba ad omnes fideles extendi videntur: pro illis enim omnibus Christus crucem sustinuit, & tributa reddidit; quam Hieronymus affert, vt radicem libertatis, & exemptionis, à tributis, atque adeo à Iurisdictione: nam iurisdictio Principis, & potestas exigendi tributa semper sese inuicem comitantur.

135 Respondeo, circa sensum verborum illorum Christi varias esse Patrum, & Doctorum sententias, de quibus vltra alios videri potest Suarez *in defensione fidei dicto lib. 3. cap. 4. numero 20. & lib. 4. cap. 5. & cap. 8. num. 16.* Certum autem est, verbis illis non fuisse exemptos fideles omnes, imo nec iustos à subiectione debita Principibus humanis, & temporalibus, nec à tributorum solutione; cùm Apostoli hoc subiectionis debitum omnibus postea fidelibus prædicauerint. Imò ex loco illo arguunt Patres ad probandam filiationem naturalem Christi, qui ex eo quod filius naturalis Dei summi Regis esset, probauit se non esse tributi debitorem, Chrysostomus, & Hilarius apud Suarez *dicto c. 5. num. 5.* Et in eo sensu loquutum August. suprà adductum, de filiis solùm naturalibus, de quibus solis poterat Petrus intelligere, probat idem Suarez *ibi num. 4. & 5.* cum Iansenio, & Salmerone, quos affert. Nec enim Augustin. significauit, fideles, aut iustos omnes intelligi ibi à Christo *filiorum* nomine, qui vectigal non debent: cuius Augustini verba non retulit fideliter Suarez *illo c. 4.* Sunt enim diuersa, provt melius ea retulit *dicto lib. 4. num. 4.* nimirum hæc. *Quod dixit, ergo liberi sunt filij: in omni Regno intelligendum est, liberos esse Regni filios, id est, non esse vectigales, multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filij regni illius sub quo sunt omnia regna*: in quibus verbis propositionem statuit vniuersalem; nempe filios naturales supremi Principis in eo regno esse immunes à soluendis tributis: ex qua propositione infert aliam vniuersalem; scilicet, illius Regis filios (nimirum naturales) cui alia Rgna, & Reges subiacent, immunes, & liberos esse in omnibus illis Regnis, quæ paterno subiacent imperio. Vnde immediatè, & directè solùm infertur immunitas Christi, qui filius naturalis erat supremi Regis, cui subiacent omnia Regna terrena. Fateor, Christum exemptionem illam significasse ampliandam, vel reipsa, vel saltem fundamentum esse illam ampliandi ad eos, qui sunt de eius familia, in quo sensu videtur Hieronymus suprà relatus ea verba intellexisse, & ex eisdem verbis probat Suarez *dicto cap. 4. num. 8. & sequentibus*, Christum non solùm probasse suam immunitatem, quam solam directè probabat filiatio, sed etiam potestatem communicandi immunitatem aliis, & de facto eam communicasse, vel ostendisse communicari posse, & communicandam Petro, & eius successoribus, vt significant verba illa: *vt non scandalizemus eos, solue pro me, & te.* Seclusso enim scandalo potuisset etiam Petrus non soluere, communicata ei à Christo immunitate, quam tamen quia noluit fidelibus omnibus communicare, quia nec id expediebat, non competit iis in vniuersum. Imò ex eisdem verbis, quibus de cæteris Apostolis Christus nihil dixit, sed de solo Petro, infert Abulensis ibi quæst. 200. cuius sententiam non improbat noster Cornelius ibi, alios Apostolos, qui saltem habebant vxores, & liberos, & erant capita familiarum, soluisse didrachma ex communibus loculis, quos portabat Iudas, vel ex eleemosynis amicorum, idque Matthæum ibi præsupponere, & præterire vt rem parui momenti, & notam: narrare verò solum didrachma Christi, quia illud per miraculum inuentum fuit in ore piscis, vt ostenderet se ad illud non obligari, nec Cæsari esse subiectum. Vnde idem Cornelius parum antea præmiserat, non rectè quosdam ex illa Christi ratiocinatione intulisse iure diuino clericos omnes esse immunes à tributis; sufficit enim, quòd Christus dictauerit, æquum esse, quod eximerentur, provt postea exempti fuerunt, & ideo dici posse hanc exemptionem esse de iure diuino: nimirum dictante hanc exemptionem esse concedendam, de quo tamen modò non disputo, an verum sit. Sufficit enim ad verba Hieronymi suprà relata explicanda, si dicamus cum Suario dicto lib. 4. cap. 8. num. 16. & 17. ipsum pronomine illo, *nos*, non intellexisse omnes fideles, sed se, & alios presbiteros, vel clericos, qui magis propriè sunt de familia Christi, & quibus communicauit, vel communicandam dictauit hanc exemptionem, propter peculiarem coniunctionem ad familiam filij naturalis summi Regis, cui iure suo exemptio, & immunitas competit.

Tertiò obiici solent verba Pauli 1. *ad Cor. 6.* 136 vbi reprehendit fideles, eo quod apud tribunalia iudicum infidelium litigarent. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus: quantò magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis; contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico: sic non est in vobis sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?* Ad hoc tamen facilè respondetur, obiurgationem illam, non eò tendere, vt neget, vel tollat iurisdictionem Iudicis infidelis; sed imprimis vt reprehendat lites ipsas, quæ plerumque delictum, & iniuriam vnius litigantis supponit, ideo enim subdit: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.* Deinde etiam propter scandalum, poterant enim infideles scandalizari, videntes fideles, qui pacem charitatem, & patientiam euangelicam prædicabant, & profitebantur, iudicio contendere in suis tribunalibus, & ad minus anxietatem circa bona terrena ostendere, & aliquando etiam fraudes & iniurias in fratres eiusdem professionis; quod indecorum erat religioni Christianæ, maximè illis temporibus: sicut si, nunc, vnus Conuentus aduersùs alium eiusdem religiosæ familiæ conuentum, circa pecuniam litigaret coram externis iudicibus, non posset id fieri, sine dedecore aliquo ipsius ordinis.

His suppositis quæ faciliora sunt, Difficultas 140 præcipua esse solet, an licèt infideles Ecclesiæ, vel Principibus Christianis non subditi, non pe-

uentur ipso facto Iurisdictione temporali in subditos fideles, possint tamen ab Ecclesia, eiusmodi potestate, & iurisdictione priuari. In quo puncto conuenire videntur iam ferè omnes, non posse Ecclesiam potestate directa eiusmodi infideles sua potestate in subditos fideles priuare, quidquid sit, An potestate indirecta id possit. Nam licèt Aluarus Pelagius, & Hostiensis citati soleant, quasi concedant eam potestatem directam

ctam, vt refert Suarez *in præsenti disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 2. Alij tamen omnes eam directam potestatem negant, quos congerit, & sequitur idem Suarez *ibi num.* 3. Et probatur breuiter, quia nec ipso facto iure naturæ, vel diuino priuantur sua potestate; cùm id nullo scripturæ testimonio probetur, sed potiùs contrarium ex scriptura colligatur, vt supra vidimus: nec fundamentum vllum est ad id asserendum; cùm gratia aut fides non destruat naturam, nec tollat, quæ ius naturale vnicuique tribuit. Difficultas solùm est de potestate indirecta, de qua etiam conueniunt Theologi dari in Ecclesia duplici titulo; Primus est, iure defensionis legitimæ, quando scilicet Princeps infidelis persequitur, & vexat iniustè subditos fideles, vel impedit iniustè fidei prædicationem, aut propagationem, vel alias graues iniurias in nostram religionem committit. Tunc enim ius habet Ecclesia defendendi se, & suos fideles, atque adeo priuandi Principem infidelem sua potestate, si id necesse sit, ad fidei, & fidelium tutelam. Secundus titulus est iure gubernationis, quia Ecclesia habet ius regendi, & gubernandi fideles in ordine ad salutem cõsequendam, & ad finem spiritualem, ad quem finem potest potestate indirecta alterare, & disponere res temporales, vt deseruire possint ad finem spiritualem: quare si ad hunc finem necesse esset eximere subditos aliquos à subiectione, qua pendent à Principe temporali infideli, poterit hos subditos ab ea subiectione legitimè eximere & consequenter priuare Principem illum potestate in eos subditos, non potest enim Princeps retinere ampliùs potestatem iurisdictionis in eos subditos, qui legitimè ab eius iurisdictione, & potestate liberati, & exempti sunt. Aduertit autem bene Suarez *dicta sect.* 5. *n.* 9. hunc secundum titulum competentem ratione gubernationis non conuenire aliis Principibus Christianis, sed soli Ecclesiæ, vel summo Pontifici, aliis verò Principibus, solùm vt motis à Pontifice, & vocatis ad exequutionem huius potestatis.

141 *An Ecclesiæ potestas sit vniuersalis, itaut quoslibet Principes infideles possit potestate, & iurisdictione in subditos fideles priuare, an verò sit limitata ad certos casus.*

Dissensio est, an hæc Ecclesiæ potestas sit vniuersalis, ita vt quoslibet Principes infideles possit potestate, & iurisdictione in subditos fideles priuare, an verò sit limitata ad casus illos solos, in quibus id necesse sit ad regimen spirituale, & ad salutem subditorum fidelium. Primam partem, & potestatem illam vniuersalem concedere videtur S. Thomas *quæst.* 10. *art.* 10. in corpore his verbis: *Potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei; sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit.* Et postea cùm explicuisset, quomodo ea potestate vratur Ecclesia in infideles superiores, qui subduntur in temporalibus Principibus Christianis, de illis aliis non subditis ita dicit: *In illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licèt posset instituere de iure, & hoc facit ad scandalum vitandum.* Quare S. Thomam in hac fuisse sententia faretur Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 5. *de Romano Pontifice cap.* 7. & Valentia *in præsenti quæst.* 10. *puncto* 8. qui ideò vtramque partem probabilem iudicat: Fauet etiam Suarez *dicta disput.* 18. *sect.* 5. *num.* 8. & *lib.* 3. *defensionis fidei cap.* 30. *num.* 6. eam potestatem concedens in Ecclesia, quoties Princeps infidelis habet subditos fideles, licèt propter scandalum vitandum putet, necessarium esse communiter loquendo, quòd Princeps fidem, vel fideles impediat.

Alij tamen communiter negant hanc potestatem indirectam in Ecclesia, ob solam Principis infidelitatem, nisi redundet in fidei præiudicium, ita Caietan. Bella. Lorca, & alij quos affert, & sequitur Hurtado *disp.* 77. *sect.* 2. *qui* §. 11. addit, nec posse Ecclesiam eos Principes regno suo priuare, ob solum timorem de impedimento fidei, aut fidelium diuexatione: in eadem sententia est Sotus, quem affert & sequitur Coninck *disp.* 18. *dub.* 10. *num.* 160. Turrianus *in præsenti disp.* 52. *dub.* 1. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 6. *& sequentibus*, qui alios afferunt. 142

Possumus fortasse sensum vtriusque partis ferè conciliare: omnes enim admittunt, hanc potestatem Ecclesiæ non esse directam, vt diximus, sed indirectam: quare solùm videtur ei concessa propter aliud, nempe propter bonum spirituale, & finem salutis æternæ: atque adeo tunc solùm exercenda erit, quando eius vsus necessarius sit ad eum finem: si enim necessarius non sit, sed potius vel inutilis, vel etiam noxius, non est credibile hanc potestatem datam esse Ecclesiæ ad destructionem, & non solùm ad ædificationem. Quod à fortiori probari potest ex potestate indirecta, quam habet Ecclesia circa res temporales suorum fidelium; circa quas, vt suppono non potest aliquid disponere, nisi indirectè, & quando id requiritur ad finem spiritualis gubernationis, & salutem fidelium, vel bonum fidei, vt cum communi probat, & docet latè Bellarmin. *lib.* 5. *de Roman. Pontifice cap.* 5. *& sequentibus.* Quare non est concedenda maior Ecclesiæ potestas circa Regna, & bona temporalia infidelium, qui non sunt Ecclesiæ subdit, vel Principum Christianorum: non est enim credibile, quod maior, & minùs limitata sit Ecclesiæ potestas indirecta in bona temporalia infidelium non subditorum, quàm si in bona temporalia fidelium, & sibi spiritualiter subditorum. Vnde rursus consequi videtur, quòd si ablatio potestatis, & iurisdictionis non sit necessaria ad regimen spirituale, & ad bonum religionis; non potest Ecclesia eiusmodi infideles, potestate, & iurisdictione priuare, etiam circa subditos fideles: cùm hæc etiam potestas, & iurisdictio computetur inter bona temporalia Principum infidelium. 143

Duplex ergo remanere potest controuersia inter vtriusque partis Doctores: altera de nomine, altera quidem de re, sed non tam de iure, quàm de facto. Prima ergo esse potest, An licèt Ecclesia non possit hac potestate vti circa infideles non subditos, nisi quando id exigit fidei bonum, vel necessitas, dicendum tamen sit, tunc non deesse potestatem in Ecclesia, sed propter scandala, vel alia inconuenientia Ecclesiam abstinere ab vsu, & exercitio suæ potestatis: sic enim videtur loqui S. Thomas *dicto art.* 10. & Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 8. quem tamen loquendi modum alij vident negare, & reprobare, supponentes eo casu deesse potestatem, quæ cùm sit indirecta, intelligi debet solùm ad eum vsum, qui necessarius, & vtilis sit ad finem spiritualem, & non ad alios casus. Dixi tamen, hanc posse esse quæstionem ferè de nomine: certum enim videtur, vsum illius potestatis, 144 *An licèt Ecclesia nõ possit hac potestate vti circa infideles non subditos, nisi quãdo id exigit fidei bonum, vel necessitas, tamẽ sit tunc potestatem non deesse in Ecclesia; & cur eã non vtatur.*

testatis, quando ad bonum spirituale non expediret, imò noceret, fore illicitum, atque adeo eo casu potestas Ecclesiæ esset impedita ex defectu circunstantiæ requisitæ, ne prodiret in suum actum. An verò dicendum sit id prouenire ex defectu potestatis, vel ex alio capite, potest vterque loquendi modus in sensu debito admitti. Quod explicare possumus exemplo potestatis dispensandi in votis, quam Pontifex habet simpliciter, & absolutè, sed quia, eam habet ad ædificationem, & non ad destructionem, requiritur in primis causa rationabilis, ad eius vsum, quæ si desit, non potest dispensare. Imò (vt exemplum sit magis ad rem nostram) contingere potest, quòd adsit causa sufficiens ad dispensandum, & tamen dispensatio non possit licitè concedi propter alia inconuenientia, vel scandala, quæ ex dispensatione sequerentur. v.g. si aliquis petat dispensationem voti castitatis, propter vehementes carnis stimulos, quos patitur; Pontifex autem sciat concessa semel dispensatione, illum ducturum coniugem hæreticam, de qua timeri possit, quod corrumpet fidem familiæ vel subditorum, si eos vir habeat: tunc quidem Pontifex, qui in vsu suæ potestatis attendere debet non solùm ad bonum personæ petentis, sed etiam ad bonum commune Ecclesiæ, vel aliorum, debet vtique abstinere à dispensatione concedenda: cuius concessio in iis circunstantiis esset magis in destructionem, quàm in ædificationem. Vnde eo casu dicere possemus in vno sensu, non prouenire ex defectu potestatis, quòd non dispenset Pontifex, sed propter inconuenientia, quæ ex vsu potestatis sequerentur: nam reuera Papa potestatem habet ad dispensandum cum causa, qualis est tentatio vehemens, quam orator patitur: sed tamen impeditur vsus illius potestatis ab inconuenientibus extrinsecis. In alio autem sensu possemus etiam dicere, non habere tunc Papam potestatem ad dispensandum, quia quamuis ex parte oratoris sit causa sufficiens ad dispensationem; Papa tamen debet attendere ad bona, vel damna publica, vel extrinseca: quare si omnibus pensatis dispensatio plus nocet, quàm prosit Ecclesiæ, non potest concedi, cùm potestas hæc data sit ad ædificationem, & non ad destructionem, & per consequens omnibus pensatis, deest potestas in eo casu, & in iis circunstantiis ad dispensandum. Sicut verè dici potest, quòd ignis etiam applicatus non potest comburere lignum madefactum: quia licèt nihil desit ex parte potentiæ actiuæ, impeditur tamen eius actio per resistentiam passi. Vtraque ergo loquutio est vera in diuerso sensu, nempe non prouenire ex defectu potentiæ ignis, quod tunc non operetur, atque etiam prouenire ex defectu potentiæ, quia licèt ignis habeat suam potentiam ad comburendum, non tamen habet potentiam ad comburendum lignum madefactum: similiter Pontifex habet potestatem dispensandi in voto castitatis cum patiente graues tentationes, &c. Non tamen potest cum eo dispensare in his circunstantiis in quibus dispensatio vergeret in damnum Ecclesiæ: quare in diuerso sensu potest tribui, & non tribui defectui potestatis, quod in eo casu non dispenset. Pariter ergo in casu nostro iuxta diuersos sensus dici potest prouenire, vel non prouenire ex defectu potestatis, quod Ecclesia, vel Pontifex, non priuet Principes infideles sua potestate, & iurisdictione in subditos fideles. Datur enim verè in Ecclesia potestas ad eos priuandos; aliquando tamen concurrunt tales circunstantiæ, quæ huius potestatis vsum impediant, propter inconuenientia, & damna publica, quæ consequerentur. Nam per se loquendo, Ecclesia posset eos potestate in subditos fideles priuare, eósque ab ea subiectione eximere; quia per se loquendo, semper existimari potest necessaria ea exemptio ad bonum fidei, & ad fidelium libertatem, ac securitatem: per accidens tamen propter maiora alia inconuenientia, quæ sequuntur ex huius potestatis vsu, debet ab eo plerumque Ecclesia abstinere, quia circunstantiæ tales resistunt, & impediunt potestatem illam, ne prodeat in suum actum. Et in hoc sensu intelligi potest S. Thomas, dum hoc non tribuit defectui potestatis, sed scandalo, vel aliis periculis, quæ timeri prudenter debent. In alio tamen sensu, dici etiam potest, deesse potestatem in Ecclesia ad id faciendum in talibus circunstantiis, quia potestas Ecclesiæ non est, nisi ad ædificationem, atque adeo non est, nisi ad priuandos infideles sua potestate in bonum fidei, non verò quando omnibus pensatis, resultaret in maius fidei detrimentum, prout reuera resultaret in hoc casu. Redderetur enim fides & eius prædicatio maximè odiosa, & scandalosa Principibus infidelibus, si subditos ab eorum obedientia separaret: ideóque Christus, & Apostoli tantopere curarunt subiectionem, & obedientiam in subditis fidelibus versùs Principes infideles verbis, & exemplis confirmare, vt omnem timendi occasionem ad infidelium Principum animis auerterent, & maximum hoc fidei impedimentum de medio tollerent: & hac ratione vtriusque partis Doctores quoad rem ipsam conciliari posse videntur, licet verbis videri possent contraria docuisse.

Solùm obstare possent verba S. Thomæ supra adducta, quibus plus aliquid significare videtur, & agnoscere potestatem aliquam directam in Ecclesia, dum dicit, posse infideles iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, iure dominij, vel Prælationis priuari; quia merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Vbi S. Thomas videtur supponere potestatem Ecclesiæ directam, ad quam pertinere videtur actus puniendi: solus enim superior punire potest subditum, ob eius delicta. Respondeo, S. Thomam non loqui de pœna propria, qua Ecclesia punire intendat eiusmodi Principes ob delictum infidelitatis, sed solùm de pœna materialiter sumpta, seu de malo pœnæ, quod quidem à Deo infligitur formaliter, vt pœna infidelitatis, ab Ecclesia solùm vt medium ad bonum fidei. Quia tamen ipsi infideles conqueri possent, quòd Ecclesia eis regna, & dominia propria tollerent: respondet tacite huic querelæ dicendo, quòd ipsi sibi imputent, & suæ infidelitati, quæ occasionem dat Ecclesiæ vtendi sua potestate indirecta ad bonum fidei, & ob hanc culpam dignos quidem esse apud Deum ea pœna, & ideo iustè eam pati, dum Deus hanc potestatem indirectam Ecclesiæ attribuit, cuius ministerio Deus iustè punit eorum infidelitatem, quando Ecclesia auctoritatem Dei habens, & potestate indirecta vtens, eos Regnis, dominiisque suis iustissimè priuat. Alij aliter S. Thomæ mentem explicant. Videatur Hurtado

disp.77. sect.2. §.10. Lorca *dicto art.10.* Suarez *dicta sect.5. num.8.* Turrianus *disp. 52. dub.1.* & alij interpretes, qui varias afferunt S. Thomæ explicationes.

146 *An ad hoc, vt Ecclesia hac potestate vtatur, necesse sit, quòd infideles iniuriam fidelibus inferant: an verò sufficiat solus timor iniuriarum.*

Altera controuersia magis de re, quæ esse potest, est vtrùm ad hoc, vt Ecclesia hac potestate vtatur necesse sit, quòd infideles iniuriam fidelibus inferant, eos persequendo, vel prædicationem impediendo, &c. An verò sufficiat, eos esse infideles, à quibus mala hæc timeri possint, vt Ecclesia præueniat & liberet fideles ab eorum potestate, & subiectione. Suarez *dicta sect.5. n.8.* & aliis locis supra citatis significat, solam Principis infidelitatem sufficere. Alij id negant, Coninck *disp.18. dub.10. n.160.* Hurtado *vbi suprà §.8. & 11.* vbi alios plures affert. Dixi tamen supra, hanc quæstionem, licèt sit de re, magis tamen esse de facto, quàm de iure: cùm enim dictum sit, potestatem hanc Ecclesiæ, non esse directam, sed indirectam, quatenus potest disponere circa temporalia, quando id necesse est ad bonum, & ad finem spiritualem; tota controuersia erit, an infidelitas sola Principis sufficiat, vt ad bonum fidei necessarium iudicetur tollere ab eo Principatum, & potestatem in subditos.

147 Ego puto in primis, non esse in hac re bonam regulam in vniuersum, quam videntur supponere Coninck *num.160.* & Hurtado. §.11. nempe ante iniurias illatas contra fidem, vel fideles non posse Principem ab Ecclesia ob solum timorem iniuriarum priuari. Et quidem ipsemet Hurtado paulò post nempe §.15. admittere videtur, sufficere, quod ex Principis natura, & gestis timeatur periculum proximum, metu cadente in virum constantem: quare non videtur satis constans in exigenda iniuria iam actu illata. Fateor ad lædendum alium iure defensionis requiri ad minus, quòd ille inceperit aliquo modo te aggredi, saltem volendo, & decernendo iniuriam tibi inferre, vt ostendi *tom.1. de Iust. disp.10. sect.7. n.156. & sequentibus.* Cæterùm in casu nostro id non requiritur, quia non agitur solo iure defensionis, sed titulo potestatis indirectæ supra res temporales, quando id necessarium est ad finem spiritualem, & supernaturalem: ad quod non opus est expectare iniurias illatas: sed sufficit periculum proximum eorum malorum inferendorum contra fidem, & eius propagationem.

148 *An sufficiat sola infidelitas Principis.*

Cæterùm non puto etiam in vniuersum ad hoc sufficere infidelitatem Principis solam: nec id Suarez videtur concessisse, nam semper requirit periculum morale; & clariùs *in præsenti dicta sect.5. num.8.* id explicuit, & rationem subiungit; *quia in rebus moralibus vitandum est periculum, priusquam speciale nocumentum eueniat: quod principium certè verissimum est, quando periculum est proximum, & morale, & ideo etiam in hoc negotio obseruandum est, vt consideratis circunstantijs in particulari, tale iudicetur esse fidelium periculum.* Non ergo in vniuersum, sed attentis particularibus circunstantiis, ferri potest iudicium de periculo sufficienti, ob infidelitatem Principis. Vnde si experientia constaret, Principem infidelem bonæ indolis esse, & finere pacatè viuere fideles, nec fidei prædicationem impedire, vt non paucos sæculo nostro experti sumus Principes apud Iapones, & alias Prouincias orientales; infidelitas Principis non daret ius Ecclesiæ, vt eos potestate, & iurisdictione, in subditos fideles priuare posset. Denique ad hoc ipsum iudicium considerare oportet, ne fortè maius sit damnum, quod ipsa fidei prædicatio in genere pati potest, si Principes infideles concipiant, hunc fidei prætextum vsurpari, ad regna dominiaque sua inuadenda, & ex hoc capite fides ipsa odiosa reddatur, tanquam titulus politicus ad occupanda aliorum bona: quod si semel sibi Principes infideles persuadeant, plus nocumenti afferet religioni, quàm prodesse possit, potestas amouendi Principem aliquem infidelem, ad vtilitatem subditorum fidelium.

149 *Quid dicendum de potestate Ecclesiæ ad priuandos infideles Christianis non subditos dominio & potestate, quam habent in seruos fideles.*

Ex dictis de potestate Ecclesiæ, ad priuandos Principes infideles iurisdictione in subditos fideles: infertur iam facilè, quid dicendum sit de potestate eiusdem Ecclesiæ, ad priuandos infideles Christianis non subditos dominio, & potestate, quam habet in seruos fideles. Supponimus autem, interuenisse titulum iustum seruitutis, quo titulo interueniente, diximus supra, conuersionem serui ad fidem non eximere eum ipso facto à vinculo seruitutis, quando dominus non subiacet in temporalibus Principi Christiano. Dubium solùm esse posset, An possit Ecclesia potestate sua, saltem indirecta, priuare eo casu dominum infidelem dominio in seruos fideles. In quo puncto eædem possunt esse opiniones, quæ in præcedenti de potestate Iurisdictionis: quare Lorca, Bañes, & alij, quos affert Castro Palao *tom.1. tract.4. disp.2. punct.8. num.8.* concedunt posse Ecclesiam priuare dominos infideles Christianos non subditos dominio seruorum fidelium, etiam quando domini permittunt seruos Christianè viuere: Communis tamen sententia eo casu id negat, quam tenent Suarez Molina, Nauarrus, Turrianus, Coninch. & Couarru. quos affert, & sequitur idem Castro Palao ibi num.9. quibus consentit Hurtado *disp.76. §.31. & Disp. 77. sect.2. §.9.* Ratio autem est eadem, quia subiectio seruitutis iustæ, non dependet à fide, vel infidelitate ex natura sua, & aliunde non expediebat ad bonum ipsius fidei hæc potestas Ecclesiæ ita absoluta ad priuandos infideles non subditos dominio suorum seruorum, quos pacificè permittunt Christianam fidem suscipere, & retinere, imò id redderet fidem non parum odiosam, & daret occasionem vehementem, vt domini impedirent seruorum conuersionem, vel ne fidei prædicationem audirent, ne eo pacto suis seruis spoliarentur. Sicut autem diximus posse Ecclesiam Principes infideles priuare iurisdictione in subditos fideles, quando id necessarium esset ad titulum fidei; ita dicendum est, posse priuare dominos infideles, etiam non subditos, dominio in seruos fideles, quando id ad bonum fidei necesse fuerit. Considerandæ tamen sunt circunstantiæ omnes, vt diximus, ne fortè ex vsu huius potestatis, maius detrimentum fidei, & religioni immineat, & cum proportione applicanda est doctrina puncti præcedentis.

150 Obiici solet exemplum matrimonij, in quo coniux ad fidem conuersus, & baptismo susceptо, non solùm si alter coniux infidelis nolit sine iniuria creatoris cohabitare, quo casu potest fidelis vinculum matrimonij dissoluere contrahendo cum alio fideli, vt colligit Innocentius III in c. *quanto.* & in c. *gaudemus*, versic. *qui autem* de Diuortiis, ex verbis Pauli 1. ad Cor. 7. dicentis *quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi:* sed etiam quando coniux infidelis cohabitare vult,

vult, sine iniuria creatoris, renuit tamen conuerti, potest, & debet coniux fidelis ab eo diuertere, vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib.7. de matrimonio disp.73. num.12.* Imò postquam coniux infidelis requisitus negat obstinatè conuersionem, potest fidelis ad alias nuptias transire, vt docent communiter multi, quos congerit, & sequitur idem Sanchez *vbi suprà, disp.74. num.9.* Ex quibus argumentum fit, vt dixi eodem modo, seruum ad fidem conuersum debere manere liberum à seruitute, & dominio domini infidelis: magis enim firmum, & indissolubile est vinculum coniugij, quàm seruitutis: & tamen ob fidei fauorem dissolui potest, non solùm quoad thorum, & cohabitationem, sed etiam quoad substantiam ipsius matrimonij.

151 Aliqui, quos sequitur Sanchez *dict. disp.73. num.7.* dicunt differentiam esse inter vinculum matrimonij, & seruitutis, quod hoc non dedeceat, imò deceat humilitatem christianam: illud verò deceat, quia non expedit fideli iugum ducere cum infideli. Hæc tamen ratio difficultatem adhuc habet, quia subiectio seruitutis licèt ad humilitatem conducat, affert tamen alia grauia inconuenientia, ob quæ Ecclesia non permittit in Prouinciis ei subditis, vt Christianus sit seruus Pagani, vt videbimus; & seruus ipse si potest, tenetur se redimere, & ab ea seruitute se legitimè liberare. Imò quò grauior est subiectio serui, & maior est potestas domini, quàm coniugis, eò magis videtur arcenda, & dissoluenda, quàm vinculum coniugij.

Alij ergo recurrunt ad meram voluntatem Christi, qui poterat quidem vtrumque priuilegium fidei concedere: de facto tamen scimus ex scriptura, & Pontificum decretis, concessum fuisse hoc priuilegium coniugi fideli: cùm non consteret ex Scriptura, aut Patribus seruis fidelibus concessum, nec Ecclesiæ datam hanc potestatem absolutam. Ita Coninch *dicta disp.18. num.154.* Castro Palao *dicta disp. 2. puncto 8. num.11.* & alij. Sed de hoc ipso ratio quæritur aliqua, vel congruentia, cur in vno potiùs, quàm in alio casu Christus fidelibus aduersùs infideles consulere voluerit.

152 Supposita itaque voluntate Christi diuersa, afferri potest ratio congruentiæ, & discriminis supponendo quoad aliquid nullam esse differentiam; nam sicut coniuge infideli nolente cohabitare absque iniuria creatoris, potest fidelis diuertere, & dissoluere etiam matrimonij vinculum contrahendo cum illo fideli; ita seruus fidelis, si nolit dominus eius obsequio sine iniuria Dei vti, sed eum ad infidelitatem, vel peccatum graue cogat, poterit se ab ea subiectione, & seruitute alioquin iusta liberare, & fugere, vt notat Suarez *dicta sect.5. num.11.* Coninch *vbi suprà, num.161.* & alij, quos ad hoc ipsum attuli *disp.3. de iust. sect.2. n.21.* differunt ergo solùm, in casu, quo coniux, vel dominus absque contumelia Creatoris sinit eos christianè viuere, in quo casu coniux fidelis discedere potest, seruus non potest. Ratio autem differentiæ esse potuit, quia seruitus non est vinculum mutuum, sed solùm ex parte serui: matrimonium verò est vinculum mutuum, & æquale ex parte vtriusque. Vnde videtur fieri, quod potestas libera concessa seruis conuersis ad fidem discedendi à dominis infidelibus, & abiiciendi iugum seruitutis odiosa esset dominis, qui iacturam seruorum incurrerent, absque vllo lucro, atque ideo prædicationem fidei sibi noxiam impedirent. Potestas autem concessa coniugi fideli discedendi à coniuge infideli non afferret hoc periculum, quia potestas hæc vtrique coniugi æquè, & indifferenter conceditur, vt si conuertatur, possit ab altero renuente conuersionem discedere: quare vtrique coniugi esset æquè vtilis potestas illa, qua vterque vti posset, vt se à proprio vinculo liberaret. Non est ergo tantum periculum, quod ea de causa fidei prædicatio impediretur. Non enim à fœminis, quæ imbecilliores sunt, & non possent virorum conuersionem impedire; sed nec etiam à viris, cùm iis æquè vtilis conditio proponatur, vt si renuentibus vxoribus conuertantur, possint ab iis se liberare, si velint, & alias ducere. Imò & non rarò continget, quod & viri ipsi conuersionem renuentes, sed etiam tædio prioris coniugij affecti gaudeant dari vxoribus facultatem dissoluendi vinculum cõiugij, quod non solas vxores, sed viros etiam ipsos inuitos plerumque adstringit. Potestas ergo dissoluendi vinculum illud mutuum fidelibus concessa, non reddit fidem odiosam, sicut redderet potestas data seruis dissoluendi vinculum seruitutis, quod nullatenus dominos, sed solos seruos ligabat.

Huc vsque dictum est de infidelibus non subditis Ecclesiæ, nec Principibus Christianis, nunc restat dicendum breuiter de iis, qui subditi sunt Principibus Christianis, circa quos maiorem potestatem habet Ecclesia, vel Principes, & ideo circa illos nonnullæ, sanctiones, & leges latæ sunt. Nam in primis statutum est, ne infideles Christianis subditi, siue Iudæi sint, siue Saraceni, siue quouis alio nomine Pagani seruos habeant, vel ancillas christianas ita habetur in leg. *Iudæus*, Cod. ne Christianum mancipium, leg. *Deo nobis*, Cod. de Episc. & Cleric. in cap. *Iudæi* 2. & in cap. *nulli Iudæo*, de Iudæis, & Saracenis, & in cap. *mancipia*; & in cap. *nulla*, cum aliis distinct. 54.

Circa quam prohibitionem aduertunt primò Doctores, nomine *paganorum*, hìc intelligi etiam cathecumenos, quia licèt fidem Christi corde teneant, baptismo carent, & in foro Ecclesiæ non numerantur in grege fidelium, ita Hurtado *d.76. §.36. in fine.* Aduertunt secundò non prohiberi, quòd Christianus possit esse colonus, siue aduentitius, vel originarius in terris, vel prædiis infidelis, quando nec interuenit cohabitatio, nec frequens familiaritas cum infideli, vt colligi videtur ex cap. *multorum*, de Iudæis, & ibi notant Canonistæ communiter, quos sequitur Suarez *disp. 18. sect. 5. num.14.* Aduertunt tertiò si Iudæus, vel Saracenus, non ad proprium vsum sed mercaturæ causa, emerit seruum, qui postea ad fidem conuertitur, debere intra tres menses eum venalem exponere, alioquin liber fit, vt colligitur ex dicto cap. *nulli Iudæo.* de Iudæis, & Saracenis, & notat Coninch, *vbi supra num.162.*

Secundò statutum est, ne eiusmodi infideles subiecti Principibus Christianis eligi possint in officia, & munera publica; ita habetur in cap. *Cum sit nimis.* de Iudæis; vbi & Principes prohibentur eiusmodi officia illis committere, & fideles prohibentur cum illis infidelibus communicare, donec officium dimiserint, & acquisita pet tale officium in pauperes Christianos erogauerint. Quod etiam habetur in Concilio Toletano 3. cap.14. relato in cap. *nulla* distinct.54. & in Concil. Toletan.4. cap.64. relato in cap. *constituit.*

tuit. 17. quæst. 4. & in Concil. Matisconensi 1. cap. 13. Et in leg. *hac valitura.* Cod. de Iudæis & Cælicolis; per quas leges derogatur legi, *generaliter*, §. *& is qui ff.* de Decurionibus, vbi ex concessione Imperatorum Gentilium Lucij Veri, & Antonini permittebatur Iudæis honores in Republica adipisci. Imò in cap. penultimo de Iudæis additur, & imponitur Regi Lusitaniæ, ne tributa sua, vel Regalia Iudæis vendat per ipsos exigenda, nisi adiuncto aliquo fideli, qui curet, ne fidelibus iniuria fiat.

156 Potuit autem meritò tota hæc prohibitio fieri, quia hoc non est cogere directè infideles ad fidem amplectendam, sed Princeps Christianus vtitur iure suo excludendo à dignitatibus, & officiis publicis aliquos subditos, quos prudenter iudicat minùs idoneos, quales sunt infideles, vt potestatè in Christianos exerceant, qui ratione fidei in sublimiori dignitatis gradu positi sunt. Quod est iuxta sensum, & mentem Pauli, primæ ad Cor. 6. consulentis fidelibus, ne causas suas agerent apud Magistratus infideles, etiam quando infideles nulli Principi Christiano suberant. Quantò magis inter Christianos non decet infideles fidelibus præfici? hoc enim esset tacitè eos declarare aptiores, & digniores ad ea munera publica, quàm sint ipsi fideles, quod in dedecus cederet nostræ religionis.

157 Circa hoc dubitari potest, primò an hæc prohibitio intelligatur solùm in ordine ad nouam electionem, aut collationem talis officij, vel potestatis, & iurisdictionis, an verò etiam in ordine ad continuationem potestatis habitæ, antequam essent subditi Principibus Christianis, v.g. si nunc Rex Paganus, & cum eo maior pars subditorum conuertatur ad fidem, & in eo regno sint aliqui Principes non supremi, sed subditi eius Regis, & habentes vassallos, quorum Principum aliqui non conuertantur, an ij debeant priuari à Rege potestate, quam antea habebant in subditos, & dominio Iurisdictionis, ne habeant Pagani iurisdictionem in subditos fideles. Supponimus autem, eos Principes non vexare vassallos fideles, sed tranquillè eos permittere religionem christianam obseruare. Aliqui ergo videntur vniuersaliter explicare hoc præceptum, ita vt vtrumque casum videatur comprehendere. Sic loquitur Suarez, *dicta sect. 5. num. 13.* dicens prohibitum esse, *ne Indæi officia publica gererent respectu fidelium.* & rursus loquens de Innocentio III. *pœnam*, inquit, *imponit Iudæis acceptantibus, vel gerentibus talia munera, & fit extensio ad Paganos, idest Saracenos.* Eodem modo loquitur Castro Palao dicto tract. 4. disp. 2. punct. 8. num. 2. dicens: *certum est, infideles in Christiano Regno, seu Principi Christiano subiectos non posse iurisdictionem in Christianos habere.* & inferiùs addit, quod Romanus Pontifex, *iudicauit expediens, ne in Christiano regno infidelis iurisdictionem habeat in Christianos fideles, & sic præcepit.*

An hæc prohibitio intelligatur solùm in ordine ad nouam electionem an verò etiam in ordine ad continuationem potestatis habitæ antequàm essent subditi Principibus Christianis.

158 Alij tamen non ita generaliter loquuntur, sed dicunt, prohibitum esse, ne in Prouinciis Christiano Principi subiectis infideles præficiantur, vel eligantur ad ea munera publica. Sic loqui videtur Coninch dicta disp. 18. num. 158. dicens: *infideles ob Ecclesiæ prohibitionem non possunt inter Christianos publicis officiis præfici, nec Principes Christiani possunt ijs conferre iurisdictionem in Christianos sibi subditos.* Et paulò post subdit: *Innocentius III. præcipit eos per Concilium Prouinciale grauiter argui, qui Iudæos, aut Paganos publicis officiis præfecerint.* Et postea rationem subdit, *quia cum hoc casu illi Christianorum iudicio, & opera Christianis præficiantur? tacitè indicatur, inter Christianos non reperiri aptos ad illa officia administranda, aut saltem non tam aptos, quàm sunt infideles.* vbi indecentiam totam videtur reducere ad hoc, quòd iudicio, & auctoritate Principis Christiani eligantur infideles ad hæc officia; quæ ratio non procedit, quando iam infidelis inuenitur iure suo possidere officium, & solùm agitur de auferendo ab eo id, quod iam aliunde, & non ex commissione Principis Christiani legitimè habebat. Clariùs loquitur Hurtado disp. 78. §. 17. vbi de infidelibus subditis Principi Christiano, sic ait: *Non possunt habere Christiana mancipia: vassallos autem non video, cur non possint. Itaque si Regi Hispano subdantur Pagani Principes, permittens prædicationem fidei, tametsi plurimi in eorum terris conuertantur ad fidem, non possunt ipsi Principatu priuari, quòd infideles persistant: licèt non possint habere Christiana mancipia.* In quibus verbis displicet illa vniuersalitas circa vassallos habendos, oportebat enim dicere, posse ab illis retineri potestatem antiquam circa vassallos, licèt non possint denuò potestatem nouam circa nouos vassallos à Principe Christiano accipere: hoc enim iam esset præfici à Principe Christiano, & eligi ad officium, & iurisdictionem supra subditos fideles.

159 Cæterùm loquendo de retentione Iurisdictionis, & potestatis legitimæ antiquæ, non video prohibitionem factam, saltem dum subditos circa negotium religionis non turbant. Nam sanctiones, & leges suprà adductæ videntur solùm loqui de electione denuò facienda, qua à Principe Christiano eligantur ad ea munera, & præficiantur infidelibus, ita loquitur Innocentius III. in dicte cap. *cùm sit nimis* de Iudæis: *Prohibentes*, inquit, *ne Iudæi publicis officiis præferantur*, & infrà: *si quis autem eis officium tale commiserit; per Prouinciale Concilium compescatur. Officiali verò huiusmodi:* nempe sic electo; *tandiu Christianorum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec in vsus pauperum.* &c. *& officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad Paganos.* Eodem modo loquitur Concilium Toletanum tertio relatum in dicto cap. *nulla* distinct. 54. *nulla* inquit, *officia publica Iudæis iniungantur, per quæ eis occasio tribuatur Christianis pœnam inferre.* Et Concilium Toletanum 4. relatum in dicto cap. Constituit 17. quæst. 4. *constituit*, inquit, *sanctum Concilium, vt Iudæi, aut hi, qui ex Iudæis sunt, officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt.* Denique eodem modo loquitur Concilium Matisconense primum dicto cap. 13. his verbis. *Nec Iudæi Christianis populis iudices deputentur, aut teloneary esse permittantur per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti*: Ex quibus omnibus constat, curam potissimùm Ecclesiæ fuisse, ne officia hæc Iudæis vel Paganis committerentur. Quamuis enim potestas sit in Ecclesia priuandi etiam eos muneribus, & potestate antiqua aliunde quàm à Principibus Christianis habita, quando iam sunt subditi Principi Christiano; potuit tamen hoc prudentiæ Principum relinqui, qui iuxta circunstantias

præsen

præsentes iudicabunt, an id necesse sit, vel expediat: sæpe namque continget, vt non expediat, ne reductio Prouinciæ ad fidem impediatur, si Princeps Paganus timeat se loco, & Principatu amouendum, si ipse in infidelitate maneat. Fateor, in Iudæis maiorem quandam turpitudinem inueniri, si infideles ad fidem conuersi manerent adhuc sub potestate Principis Iudæi, sub quo antea essent. Sed hic casus rarissimus esset, nec vnquam contigisse scio, nec oportuit pro eo legem positiuam fieri: quia si locus ille sub potestatem Principis Christiani vnquam veniret, non posset moraliter fieri, vt sine religionis iniuria potestas illa Iudæi supra Christianos permanere posset: quare ipsa naturalis legis, seu religionis obligatio sufficiet, vt Princeps Christianus fidelibus subditis prouideat, melior quo possit modo, eos à potestate Principis Iudæi eximendo.

160 *Quid dicendum sit, si mortuo Principe fideli cui subditi fideles suberant, succedat iure cõsanguineus infidelis.*

Hinc tamen dubitari potest secundò quid dicendum sit, si mortuo Principe fideli, cui subditi fideles suberant, succedat iure suo, & legitima successione consanguineus infidelis: an hæc etiam noua Principatus, & potestatis occupatio prohibita sit prædictis sanctionibus Ecclesiasticis P. Suarez in defensione fidei lib. 3. cap. 4. n. 6. & 7. dicit: *si contingeret, plebem fidelem inuoluntariè subiici denuò Principi infideli iusto titulo, vt v. gratia, si Rex Gentilis iusto bello ciuitatem Christianam occuparet, tunc eorum dominium acquireret: nam hoc etiam est de iure gentium à naturali deriuatum, quod fides non tollit, nec Ecclesia, per se loquendo, impedit, quando Princeps infidelis Ethnicus est, & ipsi Ecclesiæ non subditus. Idemque esset, si contingeret, Regem infidelem legitimo iure successionis Christianum populum Christiano Principi antea subiectum obtinere; quia tunc etiam fides subditorum non impedit acquisitionem dominij: nec pendet ex illius populi voluntate, sed necessariò venit ex aliqua priori, & iusta institutione. Hæc autem intelligenda per se sunt, id est, præcauendo scandala, & pericula fidelium, quæ sequi etiam possunt ex subiectione fidelium ad antiquos Principes infideles: ideoque in vtroque casu, si talia incommoda probabiliter timerentur, & vitari non possent, nisi vel non ferendo, vel non acceptando talem Principem, fieri posset, & deberet, quia ius, & potestas ad id faciendum Ecclesiæ non deest.* Hæc Suarez, cui subscribit Hurtado dicta disp. 77. §. 18. vbi sic ait. *Censeo non posse Ethnicum Principem, eo Principatu priuari, si iusto titulo antiquo aut nouo in illum intrat, v. g. iure hæreditario, aut iusto bello, est enim eadem ratio de hoc iure, ac de iure possessionis: quia sine iusta causa nullus potest spoliari iure suo: at non est illa iusta causa comparatione hominum, qui non sunt subditi temporales supremi Principis, nec infidelitas illis permissa est ad punitionem, nec Ecclesia habet iurisdictionem spiritualem, nisi in baptizatos: si verò sit probabile periculum deserendæ fidei, tunc poterit Princeps contumax priuari regno: at electione non licet dare Principatum infideli: quod rectè probat ratio S. Thomæ.*

161 *Quid dicendum de eo infideli, qui succedit iure suo in Principatu subdito Principi supremo Christiano.*

Hi duo auctores solùm videntur loquuti de Principe infideli, non subdito Principi Christiano, nempe de illo, qui non subditur mediatè, vel immediatè potestati Ecclesiæ: quare difficultas esse potest de eo infideli, qui succedit iure suo in Principatu subdito Principi supremo Christiano. De quo videtur sanè mihi eadem esse ratio, nec hunc comprehendi sub præfata prohibitione. Nec enim eligitur, vel assumitur à Christianis, sed succedit iure, quod iam aliunde habebat datum sibi lege, vel institutione antiqua. Posset tamen, & deberet priuari iure successionis si eo admisso timeretur præiudicium fidei, vel subditorum fidelium. Aliud verò esset, si non iure anteriori succederet, sed ex institutione moderna Principis antecessoris, qui eum hæredem sibi nominaret in hoc Principatu: tunc enim locum haberet prædicta Ecclesiæ prohibitio, nec admitti deberet ad hæreditariam successionem; nam sicut in Prouincia illa, nec ipse supremus Princeps, nec alij inferiores, & subditi, possunt eligere infidelem, cui potestatem, & iurisdictionem conferant, ita nec vllus potest, testamento etiam, vel per vltimam voluntatem eiusmodi potestatem, aut iurisdictionem infideli conferre: quare defunctus non potuit intra illam Prouinciam hæredem in tali munere nominare infidelem, aut ius successionis hæreditariæ ei tribuere.

Tertiò circa hanc ipsam prohibitionem dubitari potest, an ita sit vniuersalis, vt in nullo casu liceat Pagano potestatem, & iurisdictionem in Prouincia Christiana conferre. Respondeo, loquendo de prohibitione præcisa iuris positiui, de qua nunc est sermo, idem dicendum esse de illa, ac de legibus aliis positiuis, quæ per se loquendo vniuersaliter obligant, sed semper intelligitur exceptus casus necessitatis proportionatæ, iuxta maiorem, vel minorem rei positiuæ dignitatem. Quare in hac materia Hurtado *vbi sup.* §. 18. duos casus excipit, in quibus necessitas excusaret ab hac lege. Primus est, si communitas aliqua fidelium libera impeteretur à Principe infideli, à quo cogendi essent ad fidem relinquendam: tunc enim ob vitandum hoc periculum, si remedium aliud non esset, possent se dedere Principi alteri infideli, penes quem spetarent non esse religionis causa turbandos. In quo non videtur esse difficultas, quia cùm eo casu vitari non posset potestas, & iurisdictio alicuius infidelis supra fideles, præferendus esset ille, cui cum minori fidei detrimento subderetur: nec tunc ipsi infidelem assumerent ad Principatum, sed ex duobus, quorum alteri necessariò subdi debent, eligunt minùs malum, cui subdantur.

Secundus casus est, si tyrannus fidelis vellet eos opprimere, essétque periculum immanitatis in illos exercendæ, quo casu dicit, posse se licitè dedere Principi Pagano eis securitatem præstanti de conseruanda in eis fide Christiana, si non esset periculum ab ea deficiendi. Addit tamen, si tyrannus fidelis non sit eis graue illaturus damnum, non posse eligere infidelem, quia minus malum est per vim subiici alicui Principi Catholico, quàm sponte subdi Pagano, apud quem minùs tutam habebunt suam fidem. Ego puto, hunc casum esse Metaphysicum, & non moralem: vix enim, aut ne vix quidem fieri potest, quod non sint grauiora, & diuturniora mala, quæ ex Imperio Principis infidelis timere prudenter subditi possunt sibi, & suis posteris, quàm quæ ex tolleratione Principis fidelis, cuius saltem filij mitioris ingenij erunt, & ad minus religio in ditione illa salua permanebit, cuius iacturæ reliqua omnia fortunarum: & tranquillitatis damna postponenda sunt.

Huc vsque dictum est de potestate dominorum in seruos, & Principum, seu superiorum in subditos.

Ecclesia prohibuit ne Christiani sint famuli Iudæorum.

subditos. Restat alia duplex potestas, nempe domini, seu heri in famulos, & parentum in filios, de quibus nunc breuiter dicendum est. Et quod attinet ad famulos, Ecclesia prohibuit, ne Christiani sint famuli Iudæorum, vt habetur in cap. *Ad hæc*, de Iudæis, vbi etiam additur, ne fœminæ Christianæ sint nutrices filiorum Iudæorum, quod videtur esse quoddam genus obsequij, & famulatus. Circa quam prohibitionem plura dubitari possunt. Primò an ea prohibitio extendatur ad omnes infideles, an solùm ad Iudæos, de quibus solis ibi sermo est.

Ne fœminæ Christianæ sint nutrices filiorum Iudæorum

An ea prohibitio extendatur ad omnes infideles.

165 Negat P. Thomas Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 31. num 25.* & Hurtado *disp. 76. §. 40.* quia de solis Iudæis ibi fit mentio, & odia restringenda sunt, & in Iudæis est ratio specialis propter subiectionem, quam debent potiùs sustinere erga Christianos, quàm dominatum exercere, & hoc in pœnam Deicidij patrati, & quia maior est eorum obstinatio, difficiliùs conuertuntur, & ingeniosiùs subuertunt fideles sibi familiares. Cæterùm P. Suarez *in præsenti dicta disp. 18. sect. 6. num. 10* putat, extendi ad Mahometanos, seu Saracenos, non tamen ad Gentiles, quia nimirum plures aliæ prohibitiones circa Iudæos factæ extendi solent in iure ad Saracenos, vt constat ex cap. *Ad hæc* cap. *cùm sit nim.* cap. *in nonnullis*, & cap. vltimo de Iudæis, & ex lege vltima, §. vlt. Cod. de Episc. & Cleric. Verùm P. Sanchez retorquet hoc argumentum, quia quoties iura voluerunt, legem extendi etiam ad Saracenos, id explicuerunt, vt constat ex dictis iuribus; ergo vbi id non explicuerunt, non est præsumenda extensio. Addere possumus, quod in dicta lege vltima §. vltimo adducta à Suario extensio non solùm fit ad Saracenos, sed etiam ad omnes Paganos; sicut etiam in dicto cap. *cùm sit nimis*: si ergo ex iis iuribus desumitur argumentum, non deberet extensio in casu nostro fieri ad solos Mahometanos, sed etiam ad omnes Paganos. Aliunde tamen sententia Suarij mihi probatur, nempe ex cap. *Iudæi* 5. de Iudæis, vbi de Iudæis, & Saracenis sermo. est, & de vtrisque subditur: *excommunicentur autem, qui cum eis præsumpserint habitare.* Vnde colligo prohibitum esse ad minus famulatum, qui cohabitationem secum affert: de famulatu autem extra domum, statim dicemus.

An prohibeatur famulatus solùm intra domum, an etiam extra domum infidelis.

166 Secundò ergo circa hoc ipsum dubitatur, an prohibeatur famulatus solùm intra domum, an etiam extra domum infidelis. Aliqui, quos refert Sanchez, *vbi supra num. 20.* de famulatu solùm intrà domum id intelligunt, quibus videtur fauere Coninch *vbi supra num. 171.* & clarius Castro Palao *dicta disput. 2. punct. 9. num. 15.* Alij tamen meliùs omnem proprium famulatum interdici dicunt, quia etiamsi famulus extra domum domini habitet, adhuc propriè famulus illius est. Ita aliis relatis Sanchez *loco citato* Hurtado *disputat. 76. sect. 2. §. 43. in fine.* Falsò enim supponit Castro Palao, non esse propriè famulum, qui non est in eadem domo, cùm passim reperiantur multi, qui vel ob angustias proprij palatij, vel alias ob causas extra domum habentur, & non minùs famulantur, & assistunt, quàm si domi degerent. Dixi tamen, omnem *proprium famulatum* interdici: quia non ita dicendum de colonis, & operariis, qui non sunt proprij famuli, & quos communiter Doctores colligunt non comprehendi in hac prohibitione, ex cap. *multorum.* de Iudæis. Videatur Coninch *num. 171.* Castro Palao *dicto num. 15.* Hurtado *vbi supra §. 38.* alij, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 21.* qui tamen magnam vim facit in eo, quod Iudæus non sit præsens: secus si esset præsens, hoc est si ferè semper operi assistat, non verò si aliquando ad perspicienda ædificia, vel agriculturam, pro quibus Christiani locant operas suas, illuc adeat. Ego magis considerandum puto in ordine ad hanc prohibitionem, an sit vere famulus, an solùm operarius. Nam faber, fossor, & alij opifices qui suas locant operas, non sunt propriè famuli conductoris, cui laborant, etiamsi in eius prædio, vel domo laborent, nec pendent ab eius voluntate, sicut famuli à voluntate domini, sed remanent sui iuris, sicut & medicus, qui operam suam locat infirmo: quare non inuenitur ibi subiectio, quam leges, & canones nolunt habere Christianos versùs Iudæos: semper tamen familiaritas vitanda est.

De nutricibus Christianæ, peculiaris difficultas.

567 De fœminis Christianis nutrientibus filios Iudæorum est peculiaris difficultas, eo quod in dicto cap. *Ad hæc*, de Iudæis, vbi id prohibetur, additum sit, *in eorumdem domibus.* Vnde multi colligunt, non prohiberi, quòd extra domum parentum fœminæ Christianæ in propriis domibus eorum filios nutriant. Sed tamen alij non pauci, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 19.* hoc etiam prohiberi dicunt, propter vitandam familiaritatem nimiam, quæ ea occasione contrahitur. Si tamen extra domum ita id munus obiri posset, vt vitaretur omnino familiaritas cum Iudæo, dicunt non prohiberi. Ego iuxta supradicta puto, tunc id prohiberi, quando nutrix videbitur famulari Iudæo: quod quidem propriè contingit, quando est in domo ipsius, tunc enim censetur esse in numero famularum. Quando verò est extra domum parentum, magis censetur locare suas operas, quoad illum actum, cùm adhuc remaneat in propria domo, & sui iuris, & ideo fortasse addita fuerunt verba illa, *in eorumdem domibus.* Si autem aliquando etiam extra domum manens censeretur assumpta in famulam, & solùm propter angustiam loci, vel aliam ob causam haberetur in domo separata, tunc iam prohiberetur ex vi prohibitionis generalis famulandi Iudæis, qui tamen casus rarus erit.

Quid dicendum de potestate Patris infidelis in filios fideles.

168 De potestate Patris infidelis in filios fideles, doctores dicunt perdi eo ipso, quòd filius baptizetur. Quod Suarez *dicta sect. 5. num. 15.* & Castro Palao *dicto puncto 8. num. 5.* dicunt haberi in c. *Maiores* de baptismo, in quo tamen capite, nec verbum est directè, vel indirectè ad hoc spectans. Addit Suarez, idem haberi in Conciliis Toletanis à se supra adductis: attulerat autem *num. 13.* Concilium Toletanum 3. & 4. sed in 3. Concilio nihil de hoc dictum fuit, sed solùm in 4. c. 59. relato in c. *Iudæorum filios. 28. q. 1.* his verbis. *Iudæorum filios, vel filias, ne paremium vltra inuoluantur erroribus, ad eorum consortio separari decernimus.* quæ verba intelliguntur de filiis baptizatis, non de non baptizatis, vt notauit glossa ibi verb. *Iudæorum*, & verb. *proficiant*: inde inferens, per baptismum solui ius patriæ potestatis & notans non tolli per hoc ius successionis in hæreditate paterna, vt colligitur ex cap. *Iudæi. 5.* de Iudæis, & Saracenis. An verò paruuli possint inuitis parentibus baptizari, saltem quando parentes infideles subduntur Principi,

vel domino Christiano; cuius subditi, vel serui sunt, est quæstio pertinens ad materiam de baptismo, de qua vltra alios videri possunt Suarez *tom. 3. in 3. partem disput. 25. sect. 4. 5. & 6.* Lorca *præsenti disp. 37.* & alij multi, quos congerit Diana *tom. 1. part. 2. tract. 1. miscell. resolut. 45. & 5. parte tractatu. 3. de casibus occurrentibus tempore mortis resolut. 10.* Et hæc dicta sint de infidelibus non baptizatis: nunc dicamus de hæresi in particulari. Posteà verò agemus de communicatione licita, vel illicita cum omnibus infidelibus, vbi videri poterunt, quæ hic desiderari possent de communicatione cum infidelibus non baptizatis.

DISPVTATIO XX.

De Hæresi, & Hæreticis.

SECTIO I. *Quid sit hæresis formalis, & quid sit hæresis obiectiua.*

II. *Quæ requirantur ex parte obiecti ad hæresim, & hæreticum constituendum.*

III. *De aliis propositionibus infra hæresim, & de variis singularum censuris.*

IV. *De iis quæ requiruntur ex parte subiecti ad hæresim contrahendam.*

V. *De pertinacia, an, & qualis in hæretico requiratur.*

VI. *De ignorantia, quomodo excuset, vel non excuset ab hæresi.*

POstquam diximus de simplici infidelitate, sub qua Iudæi, & Pagani comprehenduntur, sequitur vt dicamus de hæreticis, de quibus dicendum erit primò quid sit propriè hæresis formalis, & obiectiua. Deinde quid requiratur ex parte obiecti, vt sit obiectum hæresis. Vnde postea explicandi erunt diuersi gradus censuratum, quibus Theologi notare solent propositiones alias infra hæresim. Deinde quæ conditiones requirantur ex parte subiecti; vt aliquis dicatur hæreticus. Denique de pertinacia requisita ex parte voluntatis ad incurrendam hæresim.

SECTIO I.

Quid sit hæresis formalis, & quid sit hæresis obiectiua.

Hæresis alia formalis, alia obiectiua.

1 DIuiditur communiter hæresis, in hæresim formalem, & obiectiuam. Formalis est peccatum illud actuale, à quo aliquis formaliter denominatur hæreticus. Obiectiua verò est obiectum illud, quod falsò creditur vel assentitur ab hæretico v. g. in eo, qui docet in Deo esse quatuor personas, datur hæresis formalis, nempe actus quo illud affirmat: hæresis autem obiectiua est obiectum illud falsum, quod affirmat: ipsa verò assertio externa, seu loquutio externa, qua id profertur, licèt sit obiectum voluntatis internæ hæreticæ, non tamen dicitur hæresis obiectiua, sed hæresis formalis externa, quæ denominatur hæresis, & peccaminosa ab ipsa voluntate interna hæretica, & mala: quare si voluntas interna non esset mala propter ignorantiam, vel inaduertentiam, voces externæ non essent hæresis formalis externa, sed solùm materialis. Obiectum tamen ipsum semper est hæresis obiectiua, nec hoc pendet à culpa affirmantis, quia obiectum semper opponitur veritati reuelatæ, quod sufficit ad hæresim obiectiuam. Sicut enim obiectum fidei dicitur simpliciter fides, prout de mysteriis, & articulis contentis in symbolo Athanasij subditur: *hæc est fides Catholica &c.* ita de obiectis contrariis dici potest simpliciter, & absolutè, *hæc est hæresis.* Fateor, hanc denominationem semper inuoluere ordinem ad hæresim formalem possibilem: nam dicere de obiecto illo, quod sit hæresis, est dicere, quod sit obiectum contradicens obiecto à Deo reuelato, & sufficienter ab Ecclesia proposito, atque adeo aptum, vt terminet hæresim formalem in illud affirmante, nisi ignorantia, vel aliquid aliud per accidens excuser. Non tamen requiritur, quod actu supponat hæresim formalem actualem, vt dicatur hæresis obiectiua actualis, sed sufficit quod sit obiectum tale, & taliter reuelatum, atque ab Ecclesia propositum, vt ex se sit aptum ad terminandam hæresim formalem. In quo non potest esse quæstio nisi de nomine, de qua videri potest Suarez *disp. 19. sect. 2. num. 2. & sequentibus*; qui tamen distinguere videtur inter *hæresim*, & *propositionem hæreticam*, & facilius admittit secundam appellationem in casu posito, quàm primam, licèt hanc etiam admittat, præsertim si dicatur *hæresis materialis*. Sed hoc etiam pertinet ad modum loquendi; & negari non potest, quod Censores, quibus ab inquisitoribus fidei dantur propositiones censurandæ, absque vlla distinctione, vel addito dicunt, talem propositionem esse, vel non esse hæresim, sicut de eius contradictoria dicunt esse fidem Catholicam, præscindendo ab animo, vel dispositione eius, qui eam protulit: hoc enim iudicium reseruatur ipsis inquisitoribus, ad decernendum de hæresi formali, & an reus sit iudicandus hæreticus. In hoc tamen, vt dixi, non potest esse dissensio de re.

Circa nomen ipsum *hæresis*, & *hæretici*, obseruant communiter Doctores, nomen *hæresis* ex prima sua etymologia, & vsurpatione indifferens fuisse ad bonum, & malum; oritur enim à verbo Græco αἱρέω, id est, *eligo*, atque adeo significat opinionem, quam sibi aliquis voluntariè eligit, siue bona, siue mala sit. Vnde & *secta* dicitur, quia eam sequimur, & in eo sensu dicebantur variæ Philosophorum sectæ, & in eo sensu Cicero in Paradoxis dixit: *Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, & ea sentit, quæ non sanè probantur in vulgus, & in ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum.* Et de secta, idem Cicero in Verrem. *Horum*, inquit, *nos hominum sectam, atque institutionem prosequimur.* Imò & Paulus Apost. Act. 26. in bonam partem, *secta*, nomen accepit, dicens, *quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Et cap. 24. dixerat: *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri, & Deo meo, credens omnibus quæ in lege, & Prophetis scripta sunt: spem habens in Deum.*

Nomen hæresis quid significet ex prima sua etymologia, & vsurpatione.

Posteà verò Patres, & Ecclesia, nomina hæc hæresis

hæresis, & *secta* in malam partem solùm vsurpare cœperunt: ad quam vocis vsurpationem fundamentum habuerunt in ipsis litteris sacris, in quibus semper *hæresis* nomen in eo sensu accipitur. Sic enim 1. ad Cor. 11. dicitur, *necesse est hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesto fiant.* & ad Tit. 3. *hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Et ad Galat. 5. inter opera carnis enumerantur, *dissensiones, sectæ*, &c. vbi in Græco pro *secta*, habetur *hæresis*: & denique act. 24. vbi, vt vidimus, *secta* in bono sensu sumitur, *hæresis* tamen non ita, sed in malo, ideo enim cum distinctione loquutus est Paulus, dicens, *secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri, & Deo meo:* nolens ex proprio sensu eam appellare hæresim, sed ex aliorum errore. Quin imò in re ipsa significata fundamentum erat: nam hæresis, cùm ex primæua significatione electionem significet, non videtur aptè competere sententiæ, quam non ex electione libera, sed ex necessitate amplectitur. Ideo namque conclusiones euidentes non dicuntur hæreses, quia in iis non est electio, sed euidentiæ necessitas. Cùm ergo fidei doctrina necessariò nobis amplectenda sit, necessitate saltem obligationis, nec ad eam electio humana, sed diuinus impulsus compellat, meritò *hæresis* nomen ab ea abiicitur, quam rationem ex aliis Patribus reddidit Isidorus lib. 8. etymo. cap. 3. his verbis: *Apostolos enim Christi habemus auctores qui neque ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo doctrinam fideliter nobis tradiderunt.* Theophylact. in cap. 2. ad Coloss. *hæreses*, inquit, *propterea dicuntur, quia humana sunt opiniones: Christianorum autem dogma non est humanum, & propterea, neque tale nomen consequitur.* Vnde certum, est, hodie non posse iam doctrinam fidei *hæresim* appellari, quia nomen hoc communi consensu ad significandam solùm vitiosam doctrinam applicatum est.

4 *De nomine fidei.*

Maius dubium esse posset de nomine *sectæ*, quia Paulus suprà adductus videtur illud ad bonam, & Catholicam doctrinam applicuisse, & ita etiam loqui videtur Cyprianus epist. 23. vbi idem obseruat Pamelius congerens alia testimonia; & quia secta dici videtur à sequendo, vel sectando, & nos verè Christianam fidem, & religionem sectamur. Meritò tamen Suarez *dicta sect. 2 num. 4.* monet, iam nunc ab eo nomine abstinendum esse; quia longo Ecclesiæ, & Christianorum vsu ad falsas solùm religiones applicatur, vt notauit etiam Beda in locum illum act. 24. pro verbis illis *secundum sectam*, leges, *secundum viam*, quod etiam Græca vox propriè significat, & hæreticos communiter *sectarios* appellamus: & dicto cap. 5. ad Galatas, inter vitia enumerantur *sectæ*, quod in ipsa etiam voce fundamentum habet: tum quia aliqui *sectam*, non à *sequendo*, vel *sectando*, sed à *secando*, seu *sectione* deriuant, vt notauit Calepinus in voce *secta*: hæretici autem sunt, qui religionem secant, & diuidunt, non Catholici, qui eius indiuisionem, & vnitatem procurant: tum etiam, quia vt obseruauit Suarez *secta* significat particularem doctrinam: fides autem Catholica non est particularis, sed vniuersalis, quæ omnibus data est & ad omnes pertinet, & ideo Catholica, seu vniuersalis appellatur: non est ergo illa appellatio hodie permittenda etiam elegantiæ, vel Ciceroniani styli prætextu. Præstat enim religiosè, & piè in Ecclesiasticis rebus, quàm Ciceroniane loqui: & hæc de voce dixisse sufficiat.

5 *An omnes hæreses sint æquales.*

Nunc iam quod ad rem ipsam attinet, dubitari solet 1. an omnes hæreses sint æquales. P. Suarez *dicta disp. 19. sect. 2. num. 6. & seqq.* docet loquendo formaliter de propositione hæretica quoad gradum falsitatis, non distingui in eo plures gradus secundùm magis, & minus, sed omnem propositionem hæreticam esse æquè falsam, & hæreticam. Primò, quia quælibet pertinacitas credita sufficit ad corruptionem totius fidei. Secundò, quia omnis propositio de fide est æquè certa, quia innititur summæ veracitati Dei, qui in omnibus est æquè verax; ergo & quælibet propositio hæretica, quatenus destruit quamcunque veracitatem fidei, eiusdem gradus falsitatis, & erroris est.

P. Hurtado *dicta disp. 80. §. 16.* dicit non omnes propositiones hæreticas esse in eodem gradu: nam quæ negat veracitatem Dei deterior est cæteris, tum quia est obiectum contradictoriè oppositum Deo: tum quia funditus euertit fundamenta credendi Catholicè; tum denique, quia irrogat Deo grauissimam iniuriam. Qui autem solùm negat reuelationis existentiam, non ita insanè desipit, nec tam malè sentit de Deo, nec physicè destruit totam credendi rationem: potest enim miraculis, & aliis argumentis conuinci.

6

In hoc puncto potest quæstio esse de re, vel de nomine, de re autem certum est, peccata hæresis non omnia esse æqualis grauitatis. Primò, quia potest crescere malitia ex maiori libertate, maiori attentione, minoribus difficultatibus, & aliis circunstantiis extrinsecis, quæ augeant malitiam etiam in proprio genere, & prout formaliter opponitur contra virtutem fidei, & eius obligationem. Deinde potest esse inæqualitas, imò & diuersitas specifica propter oppositionem contra alias virtutes, v. g. si hæresis contineat blasphemiam, quæ transfert iam illud peccatum in aliam speciem explicandam etiam in confessione, de quo dixi *disp. 16. de Pœnit. sect. 5. n. 288. & sequentibus*, & suprà *disp. 18. sect. 3.* ex quo capite fatemur grauiùs peccare, qui negat Dei veracitatem, quàm qui negat præcisè reuelationis existentiam, cùm ille primus grauissimam blasphemiam incurrat. Potest etiam hæc inæqualitas esse extensiua, vt si vnus neget vnam propositionem contentam in vno libro sacro, alter verò neget totum illum librum: hic enim, cæteris paribus, grauiùs peccat, cùm plura reuelata neget.

7

Aliqui hanc inæqualitatem videntur agnoscere ex eo, quod aliqua obiecta sunt de fide primariò, alia verò secundariò: item alia directe, alia solùm indirectè, seu aliqua immediatè, alia verò solùm mediatè, quas distinctiones bene explicat Suarez *vbi suprà num. 9. & 10.* Et quidem primariò dici possunt pertinere ad fidem, quæ ex primario fidei fine reuelata sunt, quia necessaria sunt ad Dei notitiam, vel ad nostram beatitudinem: secundariò autem dicuntur ad fidem pertinere, quæ aliorum occasione reuelata sunt, v. g. quod Abraham habuerit duos filios, &c. & de his intelligi potest S. Thomas *in præsenti qu. 11. art. 1. & 2.* distinguens obiecta fidei in primaria, seu principalia, & secundaria: nam vt obseruauit Hurtado *vbi supra §. 15.* apud S. Thomam

totum solum cognoscitur per se, & primariò, partes verò, quæ cognoscuntur prout sunt in toto, dicuntur cognosci per aliud, & secundariò. Si autem obiecta mediata accipiantur pro iis, quæ non sunt in se reuelata, sed inferuntur ex reuelatis; distinguendum est iuxta ea, quæ latiùs diximus *suprà disp. 1. sect. 13.* Nam si aliquod obiectam contineatur in reuelatis, vt pars in toto, illud etiam est de fide, & propositio contradictoria erit hæretica, quia illud etiam obiectum est partialiter reuelatum, quatenus est pars obiecti reuelati; si verò solùm contineatur vt conclusio in præmissa, prout risibilitas continetur in humanitate Christi reuelata, ex qua infertur; tunc obiectum illud non est propriè, & formaliter reuelatum, nec propositio negans illud erit in rigore hæretica, sed habebit aliam censuram inferiorem, vt infra videbimus, quamuis plerumque in foro externo puniatur tanquam hæreticus in illa persistens, quia præsumitur negare præmissam reuelatam, vt notant Suarez, Sanchez, & alij, quos congerit, & sequitur Diana *4. part. tract. 8. de officio, & potestate inquisitarum resolutione 79.*

8 *An omnes hæreses sint æquales in gradu falsitatis.*

Hoc supposito, restat quæstio aliqua de vocibus, an omnes hæreses sint æquales in gradu falsitatis, quod pendet ad alia quæstione, an omnia obiecta fidei sint æqualia in veritate. Quæ est quæstio Philosophica, vel Logica, an omnes propositiones veræ sint æque veræ quod Hurtado *vbi suprà*, §. 17. negat, quia licèt omnes actus veri sint æque veri, veritate formali, non tamen fundamentali, cùm obiecta ipsa affirmata non sint æque necessaria, atque ideo Trinitas magis vera est radicaliter, quàm existentia reuelationis, quæ est contingens, vel quam canis Tobiæ. Sed certè illa inæqualitas in veritate fundamentali parum refert, si concedatur æqualitas in veritate formali: hæc enim sufficiet, vt falsitas saltem formalis sit æqualis in omnis hæresi, cùm opponatur semper æquali veritati formali. Aliunde tamen puto, posse dici, hæreses esse inæquales in gradu falsitatis, quia etiamsi concedatur, omnes propositiones veras esse æque veras; nam veritas formalis est conformitas cum obiecto, quæ conformitas debet esse totalis, alioquin si in aliquo deficiat, non erit veritas, sed falsitas, nec potest vna conformitas esse maior, quam alia, si vtraque est conformitas omnimoda, & totalis: hoc tamen non procedit in falsitate formali, quæ est difformitas ab obiecto; potest autem vna propositio magis difformis esse suo obiecto, quam alia. Nam si sint in hoc cubiculo decem homines, magis distat à vero, qui dicit nullum esse, quam qui dicit esse solos nouem; sicut magis distant decem à nullo, quam à nouem. Sic ergo magis distat à vero, qui dicit in Eucharistia esse solum panem, quam qui dicit esse in hostia solum corpus Christi sine sanguine, atque ideo eius hæresis erit magis falsa, & maior hæresis. Item qui dicit, Deum non posse dicere verum, magis errat, quàm qui dicit, Deum de facto illud non dixisse: & sic de aliis. Poterit ergo inæqualitas inter hæreses reperiri, quatenus vna magis à vero distat, quam alia: in quo etiam sensu posset dici maior hæresis negans attributa Dei intrinseca, quam negans opus aliquod Dei extrinsecum: quia qui negat attributum Dei intrinsecum, negat etiam eius possibilitatem, cùm in prædicatis Dei necessariis id, quod non est, non possit esse: quam tamen possibilitatem non negat; qui solùm negat de facto tale, vel tale Dei opus ad extra positum esse. Omitto inæqualitatem repertam inter hæreses, in maiori, vel minori grauitate: nam perniciosiùs errat, qui negat Eucharistiam, quàm qui negat, Abrahamum habuisse duos filios, atque ideo grauior est illa hæresis, quàm hæc. Sed hæc non est inæqualitas in ratione falsitatis, de qua nunc loquimur, sed in alio genere.

Secundò dubitari solet; an possit Ecclesia facere, quod nunc incipiat aliqua propositio esse hæretica, quæ antea non erat hæretica. Certum autem est, posse aliquod obiectum esse de fide, quod antea non erat de fide, si de nouo Deus reuelet id, quod antea nondum reuelauerat; quo casu id postea negans erit hæretica, quæ antea non erat hæretica, quia antea non negabat obiectum reuelatum. Dubium ergo solùm est, quando obiectum antea fuerat reuelatum. Sed non erat reuelatio proposita sufficienter, vt obligaret ad fidem illius Lorca *disp. 39. num. 10.* distinguit inter propositionem hæreticam, & errorem contra fidem, & concedit posse Ecclesiam facere, vt aliquod dogma sit hæreticum, quod antea hæreticum non erat, non tamen posse facere, quòd sit error contra fidem, qui antea non erat: sicut nec potest facere, quod sit dogma fidei, quod antea non erat. Sed meritò hanc differentiam reiicit Hurtado *vbi suprà* §. 19. quia ad propositionem hæreticam sufficit, si neger dogma fidei: si ergo antea erat dogma fidei, antea etiam erat propositio hæretica, quæ illam negabat, vel si non erat hæretica, ideo erat, quia nondum negabat dogma fidei. Nec in hoc potest esse quæstio de re: & quod attinet ad modum loquendi, retinenda videtur communis loquutio, quod scilicet, quamuis post Apostolos nihil proponat Ecclesia de nouo credendum de fide, quod non fuerit Apostolis etiam reuelatum; vt diximus *disp. 3. sect. 5.* aliqua tamen proponantur de fide credenda ab Ecclesia, quæ aliquando ante eiusmodi definitionem non erant credenda de fide, quia non erant sufficienter fidelibus proposita, antiquata iam, & in dubium reuocata propositione per Apostolos facta, quæ iterum ab Ecclesia in lucem profertur. Quare tempore illo proximè antecedenti res illa non erat complete de fide, quia ad hoc requiritur non solùm reuelatio Dei, sed etiam quod sit sufficienter proposita, quod secundum deerat, & habetur, Ecclesia iterum rem illam vt reuelatam proponente: ideoque propositio contraria non erat tunc in rigore hæretica, quia non negabat aliquid, quod tunc esset complete fidei dogma, sicut ob eandem rationem non erat error contra fidem. De hoc tamen ampliùs dicemus *sect. 2.*

Tertiò dubitari solet, quomodo verum sit id, quod ex S. Hieronymo refert S. Thomas dicta quæst. 11. art. 2. in 2. argumento. *Quod ex verbis inordinatè prolatis sit hæresis.* Ratio autem dubitandi est, quia non est hæresis, nisi negetur obiectum fidei, ergo qui in re ipsa non errat, imò credit idem, non committit errorem contra fidem, sed contra regulas Grammaticæ, vel Calepini. Propter quod Hurtado vbi supra num. 20. axioma illud videtur reiicere. Quod verò attinet ad auctoritatem Hieronymi, potuisset fortasse illam negare, cum Canus lib. 12. de locis, cap. 9. ad 3. fateatur apud Hieronymum, nec verba illa, nec

nec eorum sensum vspiam reperiri. Sed reuera ante S. Thomam Magister sentent. in 4. distinct. 13. axioma illud retulit ex Hieronymo in epist. ad Damasum, ex quo illud tanquam Hieronymianum communis schola recepit: & in illa epist. aliquid simile inuenitur his verbis: *Non sufficit sensus ipsum nomen effligitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet.* Et axioma ipsum potest verum, & proprium sensum habere: non enim significat, quod variatio sola verborum vitiosa iuxta regulas grammaticæ, sed retinens adhuc sensum Catholicum reddat propositionem hæreticam: sed solum quod variatio verborum, quæ prima facie appareat leuis, & retinens eundem sensum: possit tamen occultare sensum hæreticum vt si quis dicat *filius est suppositum aliud à Patre:* Catholicè loquitur quia solùm significat distinctionem in persona. Si autem alius id ita referat: *filius est suppositum, & aliud à Patres* occultat hæresim, significans filium esse aliud à Patre simpliciter loquendo, quod est significare distinctionem in essentia. Vides ex leuiuscula variatione verborum occulari, & incutri hæresim. Si tamen non intenderet hunc sensum, sed solùm quod filius sit suppositum, & quidem suppositum aliud à suppositio Patris, non noceret variatio illa, sed esset periculosa propter sensum alium, quem magis sonare videtur.

11 *An hæresis formalis consummetur in voluntate, vel in intellectu.*

Quarto dubitari solet an hæresis formalis cõsummetur in voluntate, vel in intellectu. P. Suarez *disp.* 19 *sect.* 4. *num.* 2. dicit, consummari semper in intellectu per aliquem assensum erroneum, quod quidem cohæret cum iis, quæ suprà docuerat, de infidelitate in communi, consummari semper in intellectu, de quo nos latè diximus *suprà Disput.* 19. *sect.* 1. At verò Hurtado *Disput.* 82. *sect.* 7. §. 69. solùm concedit posse aliquem esse hæreticum affectu, quin habeat hæresim in intellectu: nempe quando nunc dicit, ego credo Ecclesiæ, sed si expediret ad meum commodum ego non crederem: quo casu nunc habet affectum hæreticum in voluntate, nondum tamen hæresim in intellectu. Nos tamen iuxta ea quæ loco citato diximus de infidelitate, consequenter de hæresi dicimus, posse quidem metaphysicè eius malitiam sistere in voluntate quin transeat defectus culpabilis in intellectum moraliter tamen id non contingere. Et quidem duo casus iuxta ibi dicta excogitari possunt, in quibus hoc peccatum consummetur in sola voluntate. Primus est, quando posito affectu hæretico in voluntate, & volitione efficaci dissentiendi, vel suspendendi malè assensum, negatur concursus à Deo intellectui ad actum dissensus, vel etiam ad assensum: quare nec sequitur dissensus, nec etiam omissio assensus est culpabilis, cùm non procedat ab imperio voluntatis, sed ex defectu concursus diuini: qui defectus potest etiam sine miraculo esse ex eo, quòd intellectus habens alios actus, vel non habens motiua proposita ad assensum, non potest tunc elicere actum assensus. Secundus casus esse potest de eo, qui voluntariè dubitat de rebus fidei Catholicæ, suspendendo culpabiliter assensum, quo casu diximus posse dari peccatum infidelitatis sufficiens ad expellendum habitum fidei infusæ: de vtroque autem casu dicendum nunc est, an eo casu detur peccatum hæresis sufficiens ad denominandum illum hominem hæreticum.

Duo casus in quibus hæresis consummatur in voluntate. Primus.

Secundus casus.

12 Quod ergo attinet ad primum casum, fatendum est, tunc dari totam malitiam formalem hæresis, illúmque reputari coram Deo pro hæretico, atque ideo incurrere in foro Dei pœnas, quæ à Deo hæreticis infliguntur, cùm ex parte sua posuerit voluntatem, in qua sola residet malitia formalis peccati, & per ipsum non steterit, quod cætera omnia sequerentur, quæ quidem sine noua eius libertate sequi deberent in intellectu, vtpote in potentia necessaria. Deinde suppono, ex infrà dicendis, non esse hæreticum in foro Ecclesiæ, nec quoad pœnas Ecclesiasticas, nisi sequatur actus externus manifestatiuus illius voluntatis. Dubium solùm esse potest, si homo manifestet exteriùs illam solùm voluntatem non manifestato dissensu hæretico intellectuali, qui non fuit, nec etiam suspensione intellectuali pecaminosa, quam supponimus non fuisse voluntariam, nec dependentiam habuisse à voluntate, sed ortam ex defectu potentiæ aliunde posito, atque ideo solùm se habuit concomitanter, an eo casu censendus sit hæreticus externus, & incurrat pœnas hæreticis ab Ecclesia impositas.

13 Et quidem metaphysicè loquendo, dici posset, eum non esse hæreticum externum completè, quia sicut habens voluntatem efficacem homicidij, & non sequuto per accidens effectu occisionis, licèt postea manifestat hanc voluntatem internam, non est homicidia; ita impedito per accidens dissensu interno, non videtur esse completè hæreticus: nam hoc nomine Patres, & Doctores intelligunt habentem defectum, vel errorem voluntarium in ipso intellectu; sic enim Gregorius Papa in Pastorali parte 3. cap. 25. generaliter dicit, hæreticum habere intellectum deprauatum, & eodem modo loquuntur Augustinus, Hieronymus, Origenes, Cyprianus, Irenæus, Tertullianus describentes hæreticum per defectum intellectualem, quorum loca congerit Suarez, *disput.* 19. *sect.* 4. *num.* 2. vbi etiam affert doctores scholasticos Theologos, & Canonistas eodem modo loquentes: non est ergo hæreticus completè, cuius intellectus nullum vitium, aut defectum voluntarium patitur. Vnde etiamsi defectum voluntatis exteriùs manifestaret, non manifestato vllo modo, imò negato errore, vel defectu intellectuali, non manifestaret exterius hæresim completam, sed solùm affectum malum erga hæresim absque effectu subsequuto. Quod proculdubio concedere tenentur, data illa hypothesi, illi omnes, quos affert, & sequitur Suarez ibidem, dicentes non posse hæresim consummari, absque errore in intellectu. Vnde consequenter concedere etiam debent, quod si in casu à nobis posito homo ille falsò manifestet exteriùs se habuisse dissensum erroneum intellectualem, vel dubium voluntarium intellectuale circa res fidei, adhuc non esset completè hæreticus externus. Ad hoc enim non sufficit exteriùs promere errorem internum, nisi reuera errorem illum interiùs habuerit: cùm ergo in casu posito non præcedat hæresis completa interna, sed solùm quoad affectum; non potest verè manifestari hæresis completa interna, sed solùm manifestari poterit affectus hæreticus, vel si plus manifestetur, manifestabitur falsò: quod non sufficit ad hæresim completam externam, sed requiritur quod præcedat hæresis completa interna, & quod illa exterius manifestetur.

14 Dixi tamen, posse ita Metaphysicè dici: nam reuera in ordine ad praxim, & ad mores, semper

ille, qui talem voluntatem internam haberet, & eam exteriùs manifestaret, reputari deberet pro hæretico externo, non solùm ab aliis, sed etiam à seipso, & in foro etiam conscientiæ. Quia Deus in primis non negat miraculosè concursum ad dissensum, vel assensum intellectualem: quare si posita voluntate suspendendi assensum, sequitur ipsa suspensio, præsumitur omnino sequi ex vi illius voluntatis, & non ex negatione concursus diuini. Quod autem dissensus erroneus imperatus non sequatur ex defectu potentiæ intellectiuæ applicatæ ad alia obiecta etiam posito imperio efficaci; licèt fortasse posset metaphysicè contingere pro aliquo instanti, non tamen moraliter, quia saltem tempore proximo sequeretur: quare posita illa voluntate imperante, præsumi semper debet interuenisse dissensum etiam in intellectu, sicut ob eandem rationem præsumi semper debet posito imperio suspensionis assensus propter difficultates propositas ab intellectu, & periculum errandi apprehensum, suspensionem subsequutam fuisse ex vi illius voluntatis, quo casu loco citato diximus per suspensionem illam subsequutam consummari infidelitatem in intellectu: neque enim præsumitur suspensio eo instanti, & tempore sequenti sequuta præcisè ex defectu concursus diuini, vel ex sola applicatione inuoluntaria intellectus ad alia obiecta, quæ impedirent applicationem sufficientem ad cogitandum de rebus fidei.

15 *An peccatum hæresis consummetur in voluntate, quando homo non dissentit fidei sed dubitat.*

Vnde iam facilis est responsio ad secundum casum, An peccatum hæresis consummetur in voluntate, quando homo non dissentit fidei, sed dubitat. Diximus enim *loco citato, & disput. 17. sect. 4.* tunc dubium esse infidelitatem, quando interuenit actus positiuus voluntarius in intellectu, quo dicatur obiectum fidei dubium, vel cui fortasse error subesse possit, aut etiam quando voluntas deterrita motiuis contrariis ab intellectu propositis, & periculo fundamentali deceptionis proposito eo modo, quo ibi explicatum est, imperat suspensionem assensus, quia eo ipso approbat virtualiter, & implicitè ea motiua, quæ prudenter non deberet approbare, & suspensio subsequuta in intellectu denominatur mala ab illa voluntate, & per ipsam suspensionem consummatur infidelitas in intellectu. Quare consequenter idem dicendum est de peccato hæresis quando articulus, de quo dubitatur, est talis, & concurrunt cætera requisita, vt dissensus illius esset hæreticus: tunc enim hæresis etiam peccatum cõsummatur in intellectu, per suspensionem assensus procedentem à voluntate imperante suspensionem ob motiua contraria, & propter periculum fundamẽtale deceptionis propositum ante ab intellectu. Erit autem hæresis etiã externa, & sufficiens ad pœnas Ecclesiasticas contrahendas, si manifestetur suspensio illa vt procedens à tali voluntate, provt communiter illam significat, qui circa res manifestè pertinentes ad fidem dicit, *ego suspendo iudicium circa hæc*, qui modus loquendi satis manifestat dubium in fide culpabili, si adsint cætera requisita.

16 *Dubitans in fide an sit hæreticus?*

Hinc etiam facilè resoluere possumus quintum dubium, quod proponi solet de dubitante in fide, an sit hæreticus: similem quæstionem tractauimus *suprà disp. 17. sect. 4.* An dubitans de fide sit infidelis, vbi sententias, & auctores retulimus, & nos diximus, illud esse peccatum infidelitatis, quando dubium est voluntarium, & procedit ex voluntate mala, siue in intellectu sit iudicium erroneum, siue mera suspensio assensus, imperata tamen à voluntate deterrita motiuis apparentibus contrariis, quæ non debuisset virtualiter approbare, sed reprobare. Quo supposito nunc solùm restat videndum an in materia capaci, & quando dissensus esset hæreticus, dubium ipsum merum sufficiat ad hæresim.

17 Negant Canus, Thomas Sanchez, Tannerus & alij, quos affert, & sequitur Diana *1. tom. 2. part. tract. 2. miscell. resolut. 53.* Communis tamen, & vera sententia affirmat, eum qui voluntariè, & pertinaciter dubitat circa fidem, esse hæreticum, si adsint cætera requisita: ita cum S. Thoma cæteri, quos latè refert, & sequitur Suarez *disp. 19. sect. 4. num. 10.* Hurtadus *disp. 80. sect. 4. §. 21.* Coninck *Disp. 18. dub. 7. num. 102.* Lorca *disp. 42.* Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. num. 9.* & alij plures, quos ipsi afferunt. Ratio autem sumitur ex dictis *illa. sect. 4.* Quia vel dubitans habet actum positiuum; quo iudicat res fidei esse incertas, & posse aliter se habere, & tunc iam habet errorem positiuum contra fidem, atque ita in illo casu hæresim dari, fatentur aduersarij. Sanchez, & Diana locis citatis. Vel dubium fit per meram suspensionem iudicij, ortam tamen ex motiuis contrariis, quibus deterrita voluntas imperat suspensionem iudicij modò explicato, & tunc iam voluntas approbat virtualiter motiua contraria, & facit, quod intellectus etiam virtualiter illa approbet, dum propter illa motiua contraria suspendit assensum, quod moraliter idem est, ac affirmare motiua illa tanti ponderis esse, vt reddant rem dubiam. Quare in eo potissimum casu locum videtur habere doctrina Augustini *in Enchyridio c. 17.* dicentis errorem esse approbare certa pro incertis, & incerta pro certis; hoc enim facit tunc intellectus ex imperio voluntatis, dum rem fidei certissimam pro incerta virtualiter approbat, suspendendo assensum circa illam propter motiua contraria. Quod rursus à posteriori probari potest, quia si aliquis ita dubitans manifestaret, vt paulò ante dicebam, illud suum dubium internum, & pertinaciter in hoc maneret, iudicaretur ab omnibus vt hæreticus quippe qui perinde se haberet, ac si res fidei incertas esse diceret, ac posse in dubium reuocari: illa ergo suspensio assensus taliter imperata sufficit cum pertinacia ad hæresim internam, sine qua non potest esse hæresis externa, vt constat.

18 Obiiciunt, non posse esse hæresim sine errore contra fidem: ille autem nondum errat contra fidem, cùm nullum habeat iudicium falsum, nec aliquid contra fidem sentiat, contra quam debent versari omnes hæreses. Respondeo illum errare contra fidem, & sentire contra fidem non iudicio physico, & formali, sed virtuali, & æquiualenti, quod moraliter æquiualet errori physico. Nam sicut qui concedunt in voluntate puram omissionem liberam, dicunt illam esse fugam positiuam seu nolitionem interpretatiuam, & virtualem, qua voluntas propter motiua proposita relinquit obiectum sibi propositum: ita suspensio intellectualis ob difficultates contrarias, & ob periculum fundamentale incertitudinis propositum est dissensus virtualis, & interpretatiuus respectu obiecti, vel certè respectu certitudinis obiecti ob difficultates apparentes, atque ideo est error virtualis, & interpretatiuus contra fidem, quæ

Obiectio.

quæ docet obiecta reuelata habere omnimodam certitudinem.

Consonant autem huic doctrinæ loquutiones Pontificum, & Patrum: nam Stephanus Papa, (siue vt alij volunt Xistus 1. *in epist.1. decretali*, siue Iulius 1. *in epist.2. seu rescripto ad orientales cap.11.*) relatus in *cap.1. de hæreticis*, dicit, *dubius in fide infidelis est:* quæ verba non intelligi de infidelitate, provt solùm est contraria fidelitati, seu veritati, sed provt opponitur fidei Catholicæ, nec solùm secundùm præsumptionem fori externi, sed secundùm veritatem, & hoc in vniuersum de omni dubio, probant Suarez *vbi suprà num.11.* & alij auctores citati. Item in Clement.1.§. *porro* de summa Trinitate, damnantur vt hæretici, qui negant animam rationalem esse formam corporis humani, vel qui de eo dubitauerint. Sicut etiam Leo X. in Concil. Lateranensi damnat eos, qui negauerint, vel in dubium verterint animæ rationalis immortalitatem, aut quod non sit vna in omnibus hominibus. Ad quod etiam alias Patrum loquutiones congerit idem Suarez *vbi suprà num.12.* & Lorca *n.5.* Omnes autem aduertunt, id non debere intelligi de dubio, quod non sit completè voluntarium, & peccatum mortale: imò dubia inuoluntaria, quæ inuiti aliqui patiuntur, & tentationes contra fidem contemnendas esse, & pro nihilo habendas docet ex Bonauentura, & aliis Sanchez *lib.2. in Decal.c.7.n.13.*

20 *An qui actu opinatiuo assentitur alicui fidei mysterio sit hæreticus.*

Sextum dubium huic proximum esse solet, an qui actu opinatiuo assentitur alicui fidei mysterio, sit hæreticus. De hoc tamen dixi *suprà disp. 17.sect.4.* vbi distinxi de opinante cum formidine actuali voluntaria, vel præscindendo ab illa. Nunc addo illi nostræ, & Suarij doctrinæ, validè se opponere P. Coninch *disp.18.dub.7.n.105. & sequentibus*, cui assentitur Castro Palao, *vbi suprà, puncto 2.num.12.* qui alios affert, qui tamen loquuntur de assensu excludente positiuè certitudinem, & afferente formidinem actualem. Sicut etiam de eodem loquitur expressè Augustinus lib.8. de Trinit. cap.5. quem immeritò pro se affert Coninch, nam loquitur de eo, qui dicit, *fortè de Virgine natus est Christus:* nam illud *fortè* explicat positiuè contingentiam, & incertitudinem, de quo omnes fatemur esse actũ infidelitatis, atque adeo etiam hæresim. Fundatur autem omnino Coninch in quodam principio falso: quod scilicet, qui assensu probabili assentitur incarnationi, v.gr. dicit, & iudicat obiectum illud secundùm se esse probabile: quod tamen principium nos falsum esse putamus: nam qui iudicat assensu probabili obiectum, nihil prorsus iudicat de probabilitate, sed de obiecto; probabilitas autem tota se tenet ex parte ipsius actus. Sicut qui diligit Deum actu minùs perfecto, & non super omnia, potest id facere absque peccato, quia non dicit, obiectum non esse dignum maiori amore, nec excludit positiuè alium maiorem amorem, sed habet se præcisiuè, non exhibendo per illum actum tantum affectum, quanto obiectum dignum erat, vt dicebamus loco citato. Similiter ergo intellectus dum aliquo assensu non credit obiectum firmissimè, vel super omnia, non dicit obiectum non esse dignum firmiori assensu, vel esse solùm probabile, sed solùm non fertur in obiectum per illum actum tota firmitate, & certitudine, quam obiectum meretur, & exigit; per quod non redditur actus positiuè peccaminosus, sed imperfectus, quatenus non habet totam perfectionem, qua obiectum illud deberet attingi. Omnia itaque argumenta, quæ P. Coninch ibi congerit, solùm probant, non posse nos sine peccato dicere, obiectum fidei esse probabile, quia per hoc significatur, quod obiectum illud non debeat certò credi, non tamen probat, quod non possit sine peccato credi assensu probabili, non excludendo maiorem certitudinem, qua idem obiectum possit, & debeat credi, quæ duo valdè diuersa sunt, vt exemplo dilectionis Dei suprà adducto clarè constat.

21 *An sit hæreticus, qui credit verũ articulum, falsò putans esse contra Ecclesiæ sensum, remissiuè.*

Septimò dubitari solet, an sit hæreticus, qui credit verum articulum, v.g. præsentiam Christi in Eucharistia, falsò tamen putans ex conscientia erronea, hoc esse contra Ecclesiæ sensum, de hoc tamen diximus *dicta disput.17. sect.4.*

An qui exponit se periculo errandi dissensu hæretico contra fidem, sit hæreticus, licèt postea fidem non neget, remissiuè.

Octauò dubitatur, an qui culpabiliter exponit se periculo errandi dissensu hæretico contra fidem, sit hæreticus, licèt postea fidem non neget. De quo etiam dixi *loco citato.*

22 *An sit hæreticus, qui credit, & docet tanquam de fide id quod non est de fide.*

Nonò dubitatur de eo, qui credit, & docet tanquam de fide id quod non est de fide, an sit hæreticus? Lorca *disp.39.num.11.* dicit, hunc esse errorem contra fidem: nam sicut errat contra veritatem is, qui vera pro falsis, & falsa pro veris æstimat, & qui certa pro incertis, & incerta pro certis tradit; sic errat contra fidem, qui ea, quæ fidei sunt negat, & qui ea, quæ non sunt de fide existimat esse de fide. Addit tamen hunc errorem si desit pertinacia, non esse ex suo genere culpam grauem: pertinacia autem erit, si cognoscat Ecclesiam docere, obiectum illud non pertinere ad fidem, & adhuc persistat credens, & asserens esse de fide: tunc enim Ecclesia eiusque auctoritas contemnitur, atque ideo erit hæresis; nec mirum cùm sit error fidei oppositus, licet ex accidenti. Eodem ferè modo loquitur Corduba *in suo quæstionario lib. 1. quæst. 17. §.7. dub. 2.* qui affert Castrum *lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap.8.*

23

In hoc puncto non est dubium, si Ecclesia non solùm id nõ definiuit de fide, sed etiam definiuit non esse de fide non posse sine hæresi pertinaciter asseri, aut credi, quod sit de fide. Deinde si adsit animus non recedendi ab eo dogmate, vt de fide etiamsi Ecclesia contrarium definiat, vel certè declarat, quod non est de fide; iam erit hæresis in eo ipso, quod ex nunc negatur auctoritas Ecclesiæ. Hoc autem peccatum non solùm inuenitur in credente obiectum illud, vt de fide, sed etiamsi id teneret, solùm vt propriam opinionem, cum animo tamen eam non relinquendi, etiamsi Ecclesia contrarium definiat (sermo verò est de materia apta, & capaci Ecclesiæ definitionis) nam ille etiam esset hæreticus propter contemptum auctoritatis Ecclesiæ. Dubium solum esse potest, an deficiente eo animo contra auctoritatem Ecclesiæ, sit peccatum contra fidem. Et quidem certum esse videtur non esse hæresim, cùm nulli Ecclesiæ definitioni aduersetur. Suppono enim, Ecclesiam neque explicitè, neque implicitè contrarium declarasse. Ille ergo homo nihil aduersùs Ecclesiam credit, vel docet, sed solùm vltra doctrinam Ecclesiæ. Sicut non sentit contra S. Thomam, vel alium doctorem, qui peculiare aliquid sentit, vel docet in quæstione aliqua, de qua ille non egit: in hoc enim non sentit cum S. Thoma, sed nec etiam contra illum. Vnde nec eo casu

perderet habitum fidei infusæ; quia adhuc paratus est credere firmissimè omnia fidei dogmata, & omnia obiecta reuelata sufficienter proposita, cum qua dispositione habituali, non datur proprium peccatum infidelitatis expellens fidē: imò idem dicendum puto, quamuis homo ille non solùm crederet, aut diceret id esse de fide, sed etiam adderet ita ab Ecclesia teneri, & proponi vt de fide. Hoc enim mendacium quidem esset, sed non esset hæresis, vel infidelitas: sicut non perditur fides humana erga Petrum, licet credas aliquid propter eius auctoritatem, vel testimonium, quod ipse nunquam dixit, sed erit peccatum credulitatis leuis, & sine fundamento, non verò incredulitatis, & infidelitatis. Denique quod Lorca addit illum esse errorem fidei oppositum, *sicut ex accidenti* difficile est: videtur enim loqui, quando adest pertinacia, seu animus retinendi eum errorem, etsi Ecclesia contrarium definiat, quo casu non ex accidenti, sed per se est contra fidem, cùm negetur Ecclesiæ auctoritas. Quando verò non adest huiusmodi pertinacia, non video quomodo dici possit opponi fidei ex accidenti, nisi fortè quatenus fidei, vel Ecclesiæ auctoritate rebus falsis vel apocriphis consequenter minuitur fidei, aut Ecclesiæ auctoritas circa alia obiecta reuelata. Sicut qui Regem iactat pro auctore alicuius obiecti falsi consequenter minuit auctoritatem & fidem Regiam circa alia obiecta, quod tamen damnum remotum est, nec videtur communiter sufficere ad culpam grauem.

24 *An secluſa pertinacia mendacium illud eſſet graue, & contra virtutem fidei.*

Difficultas tamen esse potest, an secluſa illa pertinacia, mendacium illud esset graue, & pernicioſum, an solùm leue, & an esset peccatum contra virtutem fidei, licèt non posset dici peccatum infidelitatis. Et in primis, si non esset assensus firmus internus, sed sola manifestatio externa leuitatis, vel negligentiæ causa; diximus *suprà disp.* 14. *sect.* 3. posse aliquando dari leuitatem materiæ in eo peccato: quando verò materia esset grauis iuxta regulam ibi traditam posset esse peccatum mortale, vel negando rem notabilem pertinentem ad fidem, vel etiam fingendo miracula, vel reuelationem ad confirmationem nostræ fidei: quæ quidem fictio esse potest peccatum graue, etiamsi non proferatur tanquam res pertinens ad fidem: multò magis si auctoritate fidei falsò confirmetur.

25 *Quid dicendum de eo, qui nō ſolum exterius, ſed etiā interius, credit tāquā de fide, id quod non eſt de fide.*

Loquendo verò de eo, qui non solùm exteriùs, sed etiam interiùs credit tanquam de fide, id quod non est de fide, puto difficilè posse inueniri peccatum graue in eo assensu, quando res credita nō est fidei contraria: quia in primis illud non est mendacium graue, cùm nemo possit in rigore sibimet mentiri, vel fingere, non enim credit, nisi quæ vera putat. Sed erit credulitas leuis, & imprudens, sine sufficienti fundamento credens firmiter id, quod magis examinandum esset, & vel non credendum, vel certè non ita firmiter. Videri tamen posset, quod aliunde sit culpa grauis si adhibeatur assensus ita firmus, qualis adhiberi solet rebus fidei: nam sicut charitas obligat ad diligendum solum Deum summo amore, hoc est, Deum super omnia, & nihil aliud sicut Deum, quare peccaret grauiter contra charitatem, qui aliquid aliud amaret eo amoris gradu, quo Deus diligi debet: sic fides videtur obligare ad credenda Deo suprema adhæsione, quæ à Deo reuelata sufficienter proponuntur, hoc est, ad credendum ea super omnia, & nihil aliud eodem firmitatis gradu, contra quam obligationem facere videtur aliquid, qui aliud æque credit, atque ideo videtur grauiter peccare contra fidei obligationem.

Ad hoc tamen responderi potest eodem charitatis exemplo, contra quam non videtur facere 26
qui aliquam creaturam, v. g. patrem diligit super omnia propter Deum: semper enim Deus diligitur magis quam pater. Nam Deus diligitur charitate super omnia, atque adeo super ipsum patrem; alioquin non diligeretur super omnia: pater autem non diligitur super ipsum patrem, vt constat, sed super alios: magis ergo diligitur Deus, qui amatur super alios, & semper ipsum patrem, quàm pater, qui diligitur super alios præter ipsum patrem, quare eo casu non diligeretur pater æque ac Deus, neque illa dilectio Patri esset grauiter contra charitatem, nisi pater diligeretur super ipsum Deum, vel nisi excluderet amorem Dei super ipsum Patrem. Similiter ergo in casu nostro fides obligat quidem ad credendū obiectum reuelatum super omnia alia: cui obligationi non aduersatur, qui aliud obiectum credit firmissimè, quia illud non credit super obiecta, quæ verè fides proponit, imò nec etiam æque firmiter cum illis: nam actus veræ fidei non solùm credit suum obiectum super omnia non reuelata, ita vt si opponatur cum illis, huic potiùs assentiatur quàm aliis, sed etiam implicitè habet hanc conditionem, vt si per possibile, vel impossibile inueniatur hoc obiectum opponi cum aliis, quæ apparent reuelata, illi obiecto assentiendum sit, de quo magis probetur reuelatio, hoc enim exigit cultus intellectualis, quem fides præbet auctoritati Dei reuelantis. Sicut charitas, quando odit peccatum, quia displicet Deo, odit illud super omnia alia, quæ non displicent Deo, & implicitè etiam habet hanc conditionem, vt si per impossibile non possint vitari duo obiecta quæ apparent displicere Deo, illud charitas magis fugiat, quod magis displicet Deo, vt latiùs dixi *Disput.* 5. *de Pœnit. sect.* 4. Et in hoc sensu contritio detestatur peccatum super omnia, hoc est, super omnia, quæ non sunt peccata. Comparando verò vnum peccatum cum alio, detestatur magis ea, quæ grauiùs, & magis displicent Deo, quia eorum fuga plus participat de obiecto formali charitatis. In nostro ergo casu assensus firmus circa obiectum non reuelatum ferri in illud super omnia non reuelata: comparando autem ipsa reuelata inter se, fides magis assentitur obiecto, quod plus participat de reuelatione, hoc est, implicitè profitetur, si inter se opponantur, magis adhærendum obiecto, cuius reuelatio credibilior appareat, & proponatur. Quare eo ipso implicitè magis assentitur obiecto, quod verè est de fide, quàm illi, quod solùm ex inaduertentia apparet de fide, cùm reuera de fide non sit, & per consequens homo non æquè assentitur huic obiecto quod fides non proponit, ac illi, quod fides reuera proponit; nec ex hoc capire videtur ille assensus malitiam grauem continere contra virtutem fidei.

Restat vltima pars dubij propositi, an hoc 27
peccatum, siue graue, siue leue, credentis fide *An ſit*
firma, & tanquam de fide, id quod non est de *ſummus*
fide, sit contra virtutem fidei: videtur enim non *fidei de*
esse, cùm fidei præceptum non sit aliud, nisi cre- *obiecto*
dere Deo loquenti, cui non opponitur credere *reuelato*
Deo *falso.*

Deo etiam non loquenti. Aliunde verò videtur esse contra fidei virtutem, quia aliæ virtutes consistunt in medio inter vitia opposita, v.g. liberalitas inter auaritiam, & prodigalitatem: studiositas inter ignorantiam culpabilem, & curiositatem, quæ plus sapit quàm oportet sapere: temperantia inter gulam, & abstinentiam à victu necessario, & sic de aliis: imò etiam spes quæ est virtus Theologica est media inter desperationem & præsumptionem, quæ vanè sperat. Similiter ergo fides videtur versari inter vitia opposita, quæ sunt infidelitas, seu incredulitas, & credulitas etiam nimia, seu leuitas in credendo. Vnde S. Thomas 1.2. *quæst.*64. *art.*4. concessit ipsas etiam virtutes Theologicas, licèt non habeant mediocritatem ratione obiecti formalis, habere tamen illam ex parte subiecti, quòd alij explicant ex parte obiecti materialis: quare sicut est contra virtutem spei, non sperare quæ speranda sun, atque etiam sperare quæ non sunt speranda; sic erit contra virtutem fidei non solùm non credere Deo, quæ credenda sunt, sed etiam credere, quæ non essent credenda: hoc tamen secundum non est peccatum infidelitatis, quo solo fides amittitur, sed peccatum nimiæ credulitatis, seu leuitatis de quo dicitur, *qui citò credit, leuis est corde.* Ratio autem est, quia voluntas credendi regulari debet à prudentia, quæ aliquando dictat esse firmiter credendum, aliquando verò non esse credendum, vel saltem non firmiter, à qua prudentiæ regula deuiare possumus per defectum non credendo quod oportet, vel per excessum credendo, quando non oportet. Quare in aliquo sensu dicere possumus peccatum illud esse contra virtutem fidei in sua latitudine acceptam, non tamen contra fidem, quatenus solùm affert præceptum credendi: sicut prodigalitas non est contra liberalitatem, quatenus præcipit sumptus necessarios, sed est contra illam quatenus prohibet superfluos, quæ sunt duo præcepta distincta, quæ complectitur virtus completa liberalitatis: sic virtus fidei in sua latitudine sumpta complectitur duo præcepta: nempe credendi quæ sufficienter proponuntur à Deo reuelata, cui opponitur infidelitas, & præceptum non credendi saltem firmiter, quæ non ita proponuntur, cui opponitur credulitas, & leuitas in credendo.

28 Vltimò dubitari potest, an in peccato hæresis detur paruitas materiæ, excusans à peccato mortali: de quo agit vltra alios Diana *part.*5. *tract.*5. *de paruitate materiæ, resolut.*28. vbi pro parte affirmatiua affert Saynm *in clauc Regia lib.*12. *cap.*2.*num.*19. dicentem, in materia fidei posse esse peccatum veniale: potest enim esse tam leuissimum verbum, vt esset hæresis tantùm venialis, & Alfonsum de Leone de officio confessoris *parte* 1.*recollectione*.7.*num.*45. concedentem esse posse peccatum veniale in leuissimo verbo sapiente hæresim. Ipse tamen Diana contrarium docet cum communi sententia, pro qua affert Castrum Palao, Merollam, Baldellum, Thomam Sanchez, & Molfesium negantes esse posse peccatum veniale ex paruitate materiæ in hoc genere.

An in peccato hæresis detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali

29 In hoc punto distinguendum est. Aliud enim est loqui de mero præcepto confessionis fidei, an contra illud possit esse peccatum veniale in eo, qui negligentiæ causa, vel quia concionis, verbi gr. themati magis congruit vnam, vel alteram circunstantiam historiæ sacræ, contra veritatem historiæ addit in re leui, an peccet solùm venialiter, de quo diximus *supra disput.*14. *sect.*3. Aliud verò est, quando ille scienter dissentit etiam interiùs veritati reuelatæ; & hunc dissensum manifestat exteriùs; de quo Doctores communiter meritò dicunt, non excusari à mortali propter leuitatem materiæ, in qua dissentit. Ratio autem, quia sicut in periurio non datur leuitas materiæ, eo quòd afferendo Deum in testem mendacij etiam leuissimi, grauissima irrogatur iniuria diuinæ veracitati, cui non minùs repugnat mentiri in re leui, quàm in re graui: sic repugnat diuinæ auctoritati fallere in re etiam leuissima, non minùs quàm in re graui: quare dissentiens rei reuelatæ sufficienter propositæ, non irrogat leuem, sed grauissimam iniuriam diuinæ auctoritati; nunquam ergo dissensus ille potest esse venialis ex paruitate materiæ, licèt aliunde ex defectu plenæ aduertentiæ esse possit. Hinc autem rursus fieri videtur, neque etiam posse hæresim esse leuem in ratione manifestationis externæ, hoc est, quod manifestatio in genere manifestationis sit ita leuis, & exigua, vt non sufficiat ad incurrendas censuras, & pœnas Ecclesiasticas hæretici externi. Nam vel signum externum sufficienter manifestat hæresim internam, vel non: si non manifestat sufficienter, neque est signum sufficiens ad manifestandum, & hoc non per accidens, sed ex defectu signi: tunc ille non est hæreticus externus grauis, nec leuis: si verò est signum sufficiens per se ad manifestandum; iam est hæresis grauis externa, nec potest dari medium; cum enim hæresis interna sit grauis, & hæc non manifestetur quoad partem, quia est indiuisibilis, debet vel tota, vel nihil illius manifestari. Si nihil manifestari possit per illud signum, non fit hæreticus externus: si verò tota manifestari potest, iam fit hæreticus grauis externus.

Dices, aliqua esse signa externa, quæ non manifestant plenè hæresim internam, sed reddunt hominem suspectum grauiter, vel leuiter de hæresi, & ideo solet cogi abiurare grauiter, vel leuiter de hæresi: tunc ergo dabitur paruitas materiæ, non in hæresi interna, sed in exterioritate, atque adeo poterit ob leuitatem signi externi non incurri censura. Respondeo, aliud esse, quod requiritur ad probandum sufficienter hæreticum externum in foro contentioso, & damnandum illum: aliud verò quod sufficit ad hæresim externam in ordine ad incurrendas in foro conscientiæ pœnas spirituales hæreticorum. Nam si aliquis coram vno solùm teste hæresim suam proferat, erit certè hæreticus externus, & incurret censuras; vnius tamen testimonium non sufficit ad damnandum illum, vt hæreticum. Rursus in ipsismet signis, quibus manifestatur hæresis interna, plus requiritur, & magis clara significatio, vt in iudicio, & foro contentioso quis declaretur hæreticus, quam ad incurrendas pœnas spirituales hæreticorum: ad hoc enim sufficit, quòd hæresim, quam mente habet, exprimere voluerit signo aliquo de se illam significante, licèt ex defectu auditorum, vel alijs circunstantijs, non fuerit significatio percepta, vel certè non satis, nec plusquam ad dubitandum, vel suspicandum, v.gr. si vsus est verbis æquiuocis, intendens tamen significationem hæreticam, quam significationem non perceperunt auditores determinatè propter

30

dupli

duplicem significationem, quam verba poterant habere. Sic etiam sacerdos, qui recitans in Missa epistolam Pauli ad Corinthios verba illa *hoc est corpus meum*, profert cum intentione consecrandi tunc hostiam præsentem, consecrat verè illam licèt auditores eam significationem non percipiant, sed intentionem meram legendi epistolam. Quia nimirum quamuis ad consecrandum requirantur verba significantia sensum affirmatiuum, & enunciatiuum iuxta communem sententiam, & hic sensus non percipiatur ab auditoribus, sed merè recitatiuus epistolæ Pauli; sufficit tamen, quòd verba illa de se illum sensum significare possint, & quod sacerdos eum significare intendat, vt sacerdos dicatur suam intentionem, & sensum internum exteriùs expressisse. Similiter ergo sufficiet ad hoc, vt dicatur suam hæresim internam exteriùs expressisse, licèt ob aliquas circunstantias non potuerit percipi ab auditoribus sufficienter ad eum damnandum vt hæreticum, sed ad summum ad habendam de eius hæresi suspicionem. Quoties ergo signum profertur externum, aptum, secundùm se ad hæresim internam significandam, & animo eam significandi, ille erit hæreticus externus in foro conscientiæ, nec in hoc poterit contingere paruitas materiæ, cùm quælibet hæresis interna sit materia grauis, & exteriùs signo de se sufficienti exprimatur; si enim signum non sit de se sufficiens, nullo modo faciet hæreticum externum etiam leuiter: sicut verba ad consecrandum, vel absoluendum non possunt habere leuitatem in significando, sed vel significant sufficienter, vel nullo modo significant, aut faciunt consecrationem, aut absolutionem. Quæ autem sint signa externa de se sufficientia ad exprimendam hæresim internam, & ad incurrendam censuram, dicemus infra disp. 23. agentes de pœnis spiritualibus hæreticorum.

31 *Variæ definitiones hæresis formalis.*

Ex dictis in hac sectione colligi iam potest definitio hæresis formalis, cuius varias definitiones, seu descriptiones ex Patribus, & aliis refert Hurtado disp. 82. sect. 1. Suarez disp. 19. sect. 5. num. 13. sic definit. *Hæresis est voluntarius, & pertinax error in materia fidei Catholicæ contraria in homine, qui se Christianum esse profitetur.* ipse verò Hurtado. §. 6. sic definit *Hæreticus est, qui retento Christiano nomine, post acceptam fidem asserit, quod censet esse contrarium Ecclesiæ Catholicæ.* Vtraque definitio placet, & in vtraque prudenter additum est, *in homine, qui se Christianum profitetur*, vel *retento Christiano nomine*. Nam qui etiam post baptismum negat totam fidem Christianam, non est hæreticus, sed Paganus, vel Iudæus; vnde licèt ille neget etiam purgatorium, in quo errore cum hæreticis sentit, ille tamen error in eo non est hæresis, quia ad denominationem hæresis non debet attendi illa sola assertio secundùm se, sed etiam qualiter se habeat homo ille circa alia dogmata nostræ fidei: nam si alia concedat, illa assertio erit hæresis; si verò alia omnia neget, non erit hæresis, sed pars paganismi. Vnde non omnis assertio contra fidem est hæresis: nam hæc est propositio contra fidem *Iupiter, & Mars sunt veri Dei.* non est tamen hæresis, sed propositio ethnica, vel Pagana sicut neque hæc est hæretica, *Christus non fuit Messias promissus*, licèt sit contra fidem Ecclesiæ Catholicæ; sed est propositio Iudaica, & Iudaismus si proferatur à Iudæo profitente legem Moysis, & acceptante vetus testamentum: si autem proferatur à Pagano, non erit propositio Iudaica, sed pars paganismi. Quod idem cum proportione dicendum est de hæresi obiectiua, quæ est obiectum hæresis formalis: ad eam tamen non sufficit, quòd sit contra dogma fidei Catholicæ, sed semper debet esse cum respectu ad hominem profitentem Christianismum: nam idem obiectum negatum à Iudæo, vel Pagano non erit hæresis obiectiua, sed iudaismus, vel paganismus partialis obiectiuus.

Vt tamen appareat congruentia harum definitionum, examinanda sunt singillatim, quæ ad hæreticum constituendum requiruntur: nam in hac sectione solùm generaliora dubia proponimus; in sequentibus autem videndum erit in particulari, quæ conditiones requirantur ex parte obiecti, atque etiam ex parte subiecti, ad quæ duo potissimùm capita reduci possunt omnia, quæ ad constitutionem hæretici requiruntur.

SECTIO II.

Quæ requirantur ex parte obiecti ad hæresim, & hæreticum constituendum.

EX iis, quæ suprà dicta sunt de hæresi obiectiua, constat ex parte obiecti requiri, quod obiectum sit aliquid contradicens obiecto fidei: non dico *obiecto reuelato*, quod per fidem creditur, sed obiecto fidei, quod latiùs patet quàm obiectum reuelatum, & comprehendit obiectum formale, & materiale fidei. Nam fides credit non solùm obiecta materialia, quia reuelata sunt, sed etiam ipsam reuelationem, quæ propriè non creditur, quia reuelata sit, & ipsam etiam Dei veracitatem, quæ licèt sit reuelata etiam, & possit credi reflexè propter reuelationem, & esse obiectum materiale fidei: sed tamen provt est obiectum formale fidei, non creditur propter reuelationem. Et tamen, qui negaret veracitatem Dei, vel eius reuelationem de Incarnatione, etiamsi non negaret Incarnationem, non minùs esset hæreticus, quàm si negaret Incarnationem ipsam, quia iam negaret obiectum fidei Catholicæ. 32

Constat etiam non requiri, quòd obiectum hæresis opponatur articulis fidei, sumpto nomine *articuli*, strictè, provt significat præcipua quædam fidei dogmata, quæ continentur in symbolis, sed sufficere quod opponatur cuicumque veritati, quam fides Catholica credit, quæcunque illa sit, quare qui pertinaciter negaret Isaac fuisse Abrahæ filium, vel Iacob fratrem gemellum Esau, & natu minorem, non minùs esset hæreticus, cùm ea assertio opponeretur rei reuelatæ, quam fides credit. 33

His suppositis, aliquot restant difficultates. Prima est, an dissentiens rei reuelatæ sibi à Deo priuata reuelatione sit hæreticus; an verò ex parte obiecti requiratur, quod obiectum negatum sit reuelatum à Deo reuelatione communi toti Ecclesiæ. Prima sententia docet, hunc esse reipsa hæreticum. Ita Vega, & Catarinus, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 7. n. 32.* Suar. *disp. 19. sect. 5. n. 11.* Azor *tom. 1. lib. 8. c. 9. qu. 4.* Coninch *disp. 18. dub. 7. n. 118.* Castr. Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 3 punct. 2. n. 14.* & alij *fe.*

alij, qui tamen non conueniunt postea, an hic incurrat pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas. Affirmant enim incurrere Sanchez, & Coninch *locis citatis*, negant verò Suarez, Azor, & Castro Palao *vbi supra*.

Secunda sententia negat, illum esse hæreticum; ita late Lorca *disput.* 39. qui tamen excessit dicens, ita sentire eos etiam, qui dicunt reuelationem priuatam, & eius obiectum credi eodem habitu fidei infusæ, quo creduntur reuelationes communes, quod tamen falsum est: nam Suarez; & alij, qui id dicunt, censent hunc esse hæreticum. Eam tamen sententiam tenent omnes ij, qui dicunt reuelationem priuatam non credi eodem habitu fidei infusæ, quo reuelationes communes, quos adduximus *supra disp.* 1. *sect.* 11. tenent etiam Hurtado *disp.* 80. *sect* 3. §. 12. *& disp.* 82. *sect.* 5. §. 38. *& sequentibus*, & alij.

35 In hoc puncto duo possunt esse dubia, alterum de re, alterum de nomine. De re erit an dissentiens reuelationi priuatæ incurrat pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas: de nomine autem erit quæstio, an ille dicendus sit hæreticus, esto pœnas Ecclesiasticas hæreticorum non incurrat. Et quidem iam supradicta disp. 1. diximus reuelationem priuatam eodem habitu fidei infusæ credi posse, quando alicui sufficienter proponitur. Diximus etiam disp. 17. sect. 5. committi verum peccatum infidelitatis ab eo, qui eam non reciperet, atque adeo contra Hurtadum probauimus, eo etiam peccato vtpote vero infidelitatis peccato, habitum fidei infusæ disperdi. Quod intelligi debet, quando reuelatio sufficienter proponitur, cum euidenti iudicio credibilitatis, seu obligationis firmiter, & super omnia credendi; quæ tamen talis, & tanta obligatio non semper interuenit in eiusmodi reuelationibus, sed fortasse ratiùs: potest tamen aliquando interuenire, sicut etiam Prophetæ absque alia præcedente Ecclesiæ propositione, tenebantur credere firmiter quæ Deus illis reuelabat, vt ea toti Ecclesiæ proponerent.

36 Quibus suppositis, vt à controuersia de re incipiamus, mihi placet secunda sententia, quod dissentiens eiusmodi priuatæ reuelationi non incurrat pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas, cuius contrarium singulariter asseruerunt Patres Sanchez, & Coninch contra aliorum omnium sensum, & contra praxim ipsam: neque enim vnquam ab initio Ecclesia declarauit, aut puniuit tanquam hæreticum eum, qui priuatam reuelationem non credidisset: sed eiusmodi peccata diuino iudicio relinquit. Quomodo enim potest in iudicio Ecclesiæ æstimari hæreticus, vel tanquam hæreticus puniri, qui credit, & profitetur omnia, quæ vniuersa Ecclesia credit imò cùm hæretici ab Ecclesia reconcilientur facta priùs abiuratione suæ hæresis, & præmissa fidei professione, non apparet, quomodo hæreticus ille reconciliandus esset, vel quam fidei professionem deberet facere: nam professio fidei iure statuta, non continet retractationem illius hæresis contra reuelationem priuatam. Nec dici potest, cogendum illum tunc ab Ecclesia ad abiurandam illam hæresim, & credendam, ac profitendam rem sibi peculiariter reuelatam; hoc enim non posset Ecclesia prudenter præcipere, cui non constat de veritate reuelationis, imò nec rei reuelatæ: imò nec apparet quomodo posset reconciliari cum Ecclesia, qui nunquam ab Ecclesia separatus fuit, nec ab ea dissentit, sed potiùs cum ea in omnibus sentit, & eandem Ecclesiæ fidem tenuit. Aliam congruentiam addit Suarez *loco citato*, quia nimirum peccatum illud vix vnquam posset esse sufficienter externum; cùm non possit Ecclesiæ exteriùs constare, quòd ille habuerit reuelationem veram obligantem ad firmiter credendum. Quod explicari potest, quia etiamsi ipse dicat exteriùs, se non credere illam reuelationem, ex hoc non potest conuinci quod peccauerit contra fidem, cùm non possit conuinci de obligatione credendi illi reuelationi: nec enim ipse moraliter loquendo dicet, reuelationem sibi esse sufficienter propositam, & tamen se eam nolle credere, imò nec hæretici hoc dicunt de rebus nostræ fidei. Posset autem aliquis ita insanire, vt vtrumque simul diceret, & manifestaret se esse infidelem contra reuelationem sufficienter propositam: ideo dixi vix vnquam id posse contingere, quia casus ille metaphysicus potiùs est, quàm moralis, nec pro casu illo imaginario, & metaphysico Ecclesia pœnas statuit, nec tunc etiam esset hæreticus in sensu ecclesiastico, cùm homo ille ab Ecclesiæ sensu non discederet. Denique ad hoc ipsum conducere possunt, quæ statim afferam in controuersia de nomine ad probandum illum non esse dicendum hæreticum, quæ eo ipso probant non incurrere Ecclesiasticas pœnas hæreticorum.

Addit Hurtado *dicta disp.* 82. §. 43. aliud argumentum ad hoc idem probandum: quia nimirum non solet Ecclesia punire tanquam hæreticum eum, quem plures viri docti probabiliter iudicant non esse hæreticum, sed solùm notorium hæreticum ita punit: sed multi probabiliter docent dissentientem reuelationi priuatæ non esse hæreticum, nec perdere habitum fidei, imò nec assensum illius reuelationis elici ab habitu fidei infusæ; ergo ille non incurrit pœnas pro hæreticis constitutas. Hoc tamen argumentum non videtur solidum, quia leges contra hæreticos sunt vniuersales comprehendentes omnes hæreticos, quicumque illi sint. Si postea verò Doctores disputent, an hic vel ille sit hæreticus, & alij affirment, alij negent, non sequitur quod in omni sententia ille talis liber sit à pœnis; imo illi qui affirmant esse hæreticum, eodem modo affirmant incurrere pœnas hæreticorum. Et quamuis in foro externo quoad pœnas à iudice exsequendas, possit iudex mitiorem partem sequi, & non infligere eas pœnas, amplectendo sententiam contrariam probabiliorem, vel æquè probabilem: quoad pœnas tamen, quæ non indigent iudicis opera, non est dubium quod incurrantur, si sententia affirmans esse hæreticum sit vera; licèt contraria sit probabilis. Sicut etiam in materia Simoniæ, & aliis materiis solent esse variæ Doctorum opiniones, an tali, vel tali casu cõmittitur v.g. vera simonia, & quamuis aliqui id probabiliter negent; alij tamen, qui affirmant, dicunt consequenter, quod eo casu incurrantur pœnæ simoniacis constitutæ, quia leges vniuersaliter loquuntur, nec limitant pœnas ad solos illos, qui in omnium sententia simoniaci sint. Imò in hac eadem hæresis materia solent esse opiniones an in aliquibus casibus contrahantur pœnæ, & censuræ hæreticorum, quibusdam affirmantibus, & quibusdam negantibus, vt testatur idem Hurtado *disp.* 81. per varias sectiones, & tamen non minus incurrentur eæ pœnæ ex eo quòd alij negent 37

gent incurri, vel illos esse hæreticos externos, nec ea de causa Ecclesia minùs intendit pœnas in eos, ac censuras proferre, si tamen verior sit sententia affirmans eos esse hæreticos externos.

38 Contra hanc primam partem, & assertionem
Obiectio. 1. obiicitur primò ex Sanchez, *vbi suprà num.* 32. & Coninck *num.* 120. quia licèt Ecclesia non proponat reuelationem illam priuatam, sed tamen proponit, Deum esse summè veracem, & illi credendum, quando sufficienter alicui reuelatio proponitur, quibus se opponit dissentiens reuelationi priuatæ sufficienter sibi propositæ, dum negat esse verum id, quod Deus illi reuelat, & per consequens implicitè, & moraliter Deum facit mendacem: ergo opponitur Catholicæ doctrinæ & per consequens est hæreticus. Hoc tamen argumento Suarez, & alij vsi non sunt, & merito: quia hic nullum habet assensum contradicentem assensui fidei Catholicæ: nam in primis non negat, Deum esse summè veracem, imò id apertè fatetur: neque etiam negat Deo sufficienter proponenti esse credendum: nam aliud est non credere diuinam reuelationem sufficienter propositam, aliud verò est dicere, non esse illam credendam. Sicut qui mœchatur non habet iudicium contra fidem dictantem non esse mœchandum: non enim dicit esse mœchandum, sed mœchatur, quamuis credat, non esse mœchandum: sic qui non credit reuelationem sufficienter propositam, non dicit illam non esse credendam, imò potiùs aduertit, & iudicat obligationem illam credendi, & ideo peccat, quia habet iudicium euidens de credibilitate, seu obligatione credendi; & tamen in actu exercito eam non credit: non ergo negat aliquid contra fidem Catholicam, sed facit contra id, quod fides catholica docet esse faciendum, sicut omnis etiam peccator facit, & non ideo est hæreticus.

39 Dices, implicitè saltem negari eo casu summam Dei veracitatem: nam negatur res illa reuelata, ex cuius negatione inferri potest per euidentem consequentiam Deum non esse summè veracem: hoc enim argumentum bene concludit: *sufficienter proponitur, quòd res hæc sit reuelata à Deo, & tamen res hæc est falsa; ergo aliquid potest à Deo proponi, & reuelari, quod sit falsum.* Maior autem euidenter cognoscitur in casu nostro ab eo, qui dissentiendo reuelationi priuatæ peccat grauiter contra fidem: habet enim iudicium euidens de obligatione credendi, & per consequens euidenter iudicat, quod hæc reuelatio sufficienter ei proponatur credenda, vt reuelatio Dei. Minorem autem illius syllogismi, nempe quòd res illa sit falsa, ipse concedit, dum dissentit reuelationi & rei reuelatæ, ergo tenetur concedere etiam consequentiam, & consequens, nempe quòd aliquid reuelatum à Deo possit esse falsum, cùm hoc ipsum in præmissis à se concessis contineatur, atque adeo iam implicitè concedit aliquid, quod apertè est contra fidem Catholicam totius Ecclesiæ. Respondeo non negari etiam implicitè summam Dei veracitatem ab eo, qui dissentit priuatæ reuelationi sibi sufficienter propositæ, neque id concludi syllogismo proposito, qui si attentè examinetur, est in quatuor terminis, & ideo non potest euidenter concludere: nam in maiori, non habetur, quod obiectum illud reueletur, vel proponatur à Deo, sed solùm quòd sufficienter proponitur vt obliget ad credendum quòd sit reuelatum, & propositum à Deo. Potest autem aliquis euidenter cognoscere obligationem credendi aliquid reuelari à Deo, & eam obligationem fateri; & tamen ex malitia, vel imprudentia culpabili nolle credere, quòd sit reuelatum à Deo. Sic enim hæretici multi penetrant vim motiuorum nostræ fidei, & cognoscunt euidenter obligationem eam recipiendi tanquam fidem diuinam, & tamen eam obstinatè, & culpabiliter negant. Non ergo cogitur euidenter ad negandam veracitatem Dei, qui negat esse verum aliquid quod proponitur sufficienter cum obligatione ad credendum: neque enim est euidens, quòd omne, quod proponitur cum tali obligatione, sit reuelatum, & propositum à Deo. Alioquin esset euidens fides nostra, quia euidens est obligatio credendi eam à Deo proponi, & reuelari.

Vrgebis: euidens est, quòd nemo possit obligare ad sibi credendum, qui mentiri potest; sed euidens est in casu posito habenti reuelationem priuatam obligatio credendi obiectum reuelatum, ergo euidens illi est reuelationem illam à Deo esse: si enim esset ab alio non esset obligatio credendi, cùm omnis alius præter Deum mentiri possit: ergo dum negat veritatem obiecti reuelati, eo ipso implicitè negat veracitatem Dei. Hoc etiam argumentum nimis probat, quia probaret, fidem habere euidentiam de veritate obiecti reuelati: quare in forma respondendum est ad illud, negando maiorem; non est enim euidens nobis, quòd non possint poni circunstantiæ, in quibus obligemur ad credendum aliquid, tanquam dictum à Deo, in quibus circunstantiis non sit Deus qui loquitur; neque enim habemus euidentiam, quod motiua credibilitatis, quæ nobis proponuntur, non potuerint poni aliter, quàm à Deo loquente; alioquin haberemus euidentiam de rebus ipsis creditis per fidem. Habemus ergo solùm euidentiam de obligatione credendi firmiter Deo in his circunstantiis, quia circunstantiæ sunt tales, vt licèt non probent euidenter, quod Deus sit, qui loquitur: probent tamen euidenter obligationem non dubitandi, sed amplectendi firmiter hunc sermonem tanquam sermonem Dei obscurè loquentis. Sicut euidens est obligatio adorandi absolutè, & supremo cultu hanc hostiam, quæ mihi proponitur in Ecclesia, quando prudenter non est ratio dubitandi de eius consecratione, licèt non sit euidens, imò nec verum vniuersaliter, non posse intercedere eam obligationem nisi respectu hostiæ verè consecratæ, quia licèt sit euidens non esse obligationem adorandi ita hostiam, quæ scitur non esse consecrata, vel de qua prudenter dubitatur: non est tamen euidens non esse hanc obligationem, quando hostia reuera non est consecreta, & id à me ignoratur. Fateor quidem, motiua credibilitatis nostræ fidei, quæ Ecclesia habet, talia esse, vt non poterint concurrere hæc omnia in testificationem doctrinæ falsæ: hoc tamen ipsum non est nobis euidens, sed solùm est euidens motiua esse talia, quæ inducant obligationem credendi firmiter hanc esse reuelationem Dei saltem obscurè loquentis, de quo diximus *supra disp. 5. sect. 1. & 2.* agentes de euidentia credibilitatis. 41

Secundò obiici potest contra eandem partem conclusionis: quia infidelitas exteriùs manifestata in homine Christiano reddit eum hæren-

cum

cùm punibilem, cùm iam constet Ecclesiæ illum esse in eo statu, in quo non potest credere articulos fidei Catholicæ provt oportet ad salutem: qui enim dissentit alicui reuelationi diuinæ sufficienter sibi propositæ, non potest alios articulos credere fide diuina, sed eo ipso amittit habitum fidei infusæ, vt diximus disp. 17. sect. 6. Potest autem hoc peccatum sufficienter exteriùs manifestari, & constare, nimirum si ipsemet, cui facta est reuelatio, dicat, ego habeo reuelationem de tali re mihi taliter factam, vt obliget ad credendum esse reuelationem Dei, sed tamen ego nolo credere, quòd sit reuelatio diuina: ergo potest incurrere pœnas Ecclesiasticas tanquam hæreticus externus. Respondeo ex dictis, hæreticum punibilem ab Ecclesia idem esse ac Sectarium, seu qui ab Ecclesia diuiditur: quare quodlibet aliud peccatum, quod ab Ecclesia non diuidit, etiamsi ex propria confessione exteriùs constet, non punitur ab Ecclesia hæreticorum pœnis, quia eos solos hæreticos Ecclesia punit, quos necesse est postea Ecclesiæ reconciliari, & ad Ecclesiam redire. Qualis non esset is, qui credit omnia, quæ credit Ecclesia, & solùm negat priuatam reuelationem, quam nec ipsa Ecclesia credit, dum tamen ille neget credendum esse reuelationi priuatæ sufficienter propositæ: hoc enim iam esset contra doctrinam Ecclesiæ vniuersalis, & per consequens iam in hoc ipso discederet à communi sensu Ecclesiæ.

42 Dices, eo ipso, quod fatetur se non credere, nec recipere reuelationem priuatam sibi factam à Deo, & sufficienter propositam, significat se non credere etiam articulos fidei Catholicæ, saltem fide diuina, & provt oportet ad salutem: diximus enim *supra disput. 17. sect. 5.* non posse aliquem dissentiri vni obiecto reuelato sibi sufficienter proposito, & simul credere alios articulos fide diuina assensu saltem perfecto, & ex toto corde; ergo si fatetur se dissentire vni obiecto reuelato, quod credere debet fide firma, eo ipso significat exteriùs se non esse paratum credere articulos fidei Catholicæ, provt credendi sunt ex toto corde, & fide perfecta, atque adeo significat se discedere ab Ecclesia, si non in rebus creditis, in modo saltem debito illas credendi, quod sufficere videtur, vt puniatur tanquam hæreticus. Ad hoc responderi facilè potest ex dictis *illa sect. 5.* vbi diximus, assensum ad alios articulos in eo, qui negat vnum, ideo non esse actum perfectum fidei, quia non procedit à voluntate perfecta, & vniuersali subiiciendi intellectum in omnibus veracitati, diuinæ, quamuis ex parte intellectus possit esse assensus firmus, & super omnia ad illum articulum, qui creditur. Vnde consequenter dicimus, eum, qui dissentit reuelationi priuatæ sibi sufficienter propositæ, & cum obligatione firmiter credendi, peccare quidem in hoc grauiter contra fidem: posse tamen adhuc credere firmiter omnes articulos fidei Catholicæ, & ita de facto profitetur, se eos firmissimè credere, & tenere. Differt ergo ab aliis Catholicis non in rebus creditis, neque etiam in assensu firmissimo ad omnes illas, sed in voluntate imperante assensum, quæ non est ita perfecta, & vniuersalis extendens se ad subiiciendum intellectum in ordine ad omnia, quæ proponi possunt sufficienter vt reuelata à Deo. Ideoque non habetur pro hæretico ab Ecclesia, quæ non punit eum, cuius intellectus in omnibus consentit Ecclesiæ: nam hæresis saltem in sensu Ecclesiæ, debet consummari in intellectu, imò & in actu externo significante sensum intellectualem diuersum à sensu Ecclesiæ. Quod in casu posito non inuenitur, cùm intellectus illius significetur, & esse possit consentiens omnino sensui Ecclesiæ, & firmissimè credens omnia, quæ Ecclesia Catholica credit, & sentit.

43 Ex his autem, quæ pro hac prima parte nostræ sententiæ dicta sunt, quæ vt diximus, erat magis controuersia de re, faciliùs erit probare alteram partem, quæ tangit controuersiam magis de vocibus, an ille, qui dissentit reuelationi priuatæ sibi sufficienter propositæ, appellandus sit simpliciter, & absolutè hæreticus, provt cõcedunt Azor, Suarez, & alij; negantes tamen eum incurrere pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas. Nos tamen consequenter dicimus, non esse ita in rigore, & propriè appellandum: nam Ecclesia censuras, & alias pœnas vniuersaliter imponit, & siue vlla limitatione omnibus hæreticis: si ergo hic non incurrit eiusmodi pœnas, consequens est, vt ipse non intelligatur simpliciter, & absolute sub nomine hæreticorum. Nomina enim non habent aliam significationem, nisi illam, in qua communiter vsurpantur ab hominibus. Si ergo Ecclesia hoc nomine nunquam intelligit eum qui reuelationi priuatæ dissentit, sed eum solùm qui ab Ecclesiæ sensu discedit, signum est, quod nomen, *hæretici*, non significat propriè, & in rigore eum, qui soli reuelationi priuatæ dissentit, & quoad alia omnia, sentit & credit cum ipsa Ecclesia.

An ille, qui dissentit reuelationi priuatæ sibi sufficienter propositæ, appellandus sit hæreticus.

44 Porrò in hoc sensu nomen *hæretici* ab Ecclesia vsurpari, constat ex Catechismo Pij V. part. 1. in 9. art. symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, §. 1. vbi sic dicitur; *non enim, vt quisque primum in fide peccarit, hæreticus dicendus est: sed qui Ecclesiæ auctoritate neglecta, impias opiniones pertinaci animo tuetur.* Quæ doctrina videtur desumpta ex Innocentio III. in Concil. Lateranensi relato in cap. *damnamus*, de summa Trinit. vbi cùm aliquas propositiones Abbatis Ioachimi vt hæreticas damnasset, ipsum tamen auctorem dicit non fuisse hæreticum, quia iudicio Ecclesiæ sua scripta summisit, protestatus se eam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia. Eodem modo loquitur S. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 6. art. 1. ad 6. dicens non esse hæreticum, *si aliquis simplex credat, Iacob patrem fuisse Abrahæ, quod est contra veritatem Scripturæ, quam fides profitetur, quousque hoc sibi innotescat, quod fides Ecclesiæ contrarium habet, quia non discedit, per se loquendo, à fide Ecclesiæ, nisi ille, qui scit hoc, à quo recedit, de fide Ecclesiæ esse.* Ad hoc etiam Valentia in præsenti quæst. 11. puncto 1. post §. *quarta difficultas*, & Hurtado disp. 82. §. 32. afferunt verba Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 6. (debuerunt dicere c. 16.) *Constituamus* (inquit Augustinus) *duos aliquos isto modo: vnum eorum, v. g. id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem, alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit: quod antequam fiat manifestum est, illum, qui foris baptizatus est, esse peiorem: itaque in hoc sola*

falsa opinio, in illo autem ipsa diuisio corrigenda est, sed in neutro illorum Sacramenti veritas repetenda. Sed fortasse Augustinus non loquitur in secundo exemplo de peccante contra fidem in illa falsa opinione, sed solùm de errante materialiter, quod magis indicant verba illa, *existimantem illam esse Catholicam fidem.* In quo sensu videtur hic locus intellectus à Suarez adducto à nobis suprà pro contraria sententia, qui eandem disp. 19. sect. 3. num. 10. affert Augustinũ loco citato, vt probet requiri pertinaciam voluntatis ad peccatum hæresis, quare videtur supponere, quòd Augustinus loquatur ibi de errante sine pertinacia, atque adeo sine peccato graui. Nec obstat, quod Augustinus dicat, in eo aliquid esse corrigendum: loquitur enim de correctione non culpæ, sed opinionis, quæ cùm falsa fuerit, & hæresis materialis omnino corrigenda est. Fateor, Suarium illo num. 10. non videri satis cautè loquutum, vt cohæreret doctrinæ, quam tradit postea sect. 5. num. 11. vbi ad hæresim non requirit, quod aliquis opponat se doctrinæ totius Ecclesiæ: nam in illo priori loco repetit sæpè, non posse esse hæreticum eum, qui vult cum Ecclesia sentire, & illi se subiicere, vbi etiam ad hoc probandum affert Origenem. Tertullianum, & Hieronymum, qui apud ipsum videri possunt.

45 Accedit communis vsus concipiendi, & loquendi, qui Catholicos Hæreticis opponit, & è contra; vnde neque Catholicus est hæreticus, neque è contra. Qui autem non credit reuelationem priuatam, adhuc est Catholicus: nam fides Catholica idem est, quod fides vniuersalis, & communis, quam totam ille adhuc retinet, & firmissimè credit, ac profitetur. Si ergo Catholicus est, non potest simul esse hæreticus: nec enim vllum inuenies, qui ea duo vocabula *Catholici*, & *hæretici*, proprièe, & in rigore, eidem homini simul attribuat, vel tribui posse fateatur.

46 *Obiectio. 1.* Obiici potest primò ex Hieronymo in epist. ad Galat. cap. 3. in verba illa Pauli. *iræ, dissentiones, hæreses*, vbi absque recessu ab Ecclesia videtur propriam hæresim, & hæreticum agnoscere his verbis. *Quicunque igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licèt de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. & de carnis operibus est quæ peiora sunt eligens.* Tres solutiones affert, & approbat Hurtado *Disp.* 82. §. 28. & *seqq.* Prima est, Hieronymum loqui de hæretico in latiori significatione, quod videtur ex præcedentibus colligi, nam loquitur de dissensionibus domesticis, quæ inter domesticos oriuntur circa interpretationem alicuius loci scripturæ: quo casu, qui scripturam suo sensu interpretatur minùs bene, potest in latiori significatione appellari hæreticus iuxta vocabuli etymologiam, quam ibi ex Græco Hieronymus affert, quatenus significat electionem prauam, in quo sensu est hæreticus, *quæ peiora sunt elegens.* Secunda interpretatio est, quod loquatur de eo, qui licèt absolutè ab Ecclesia non recedat, conditionato tamen affectu recedit, adeo nimirum obstinato animo suæ doctrinæ adhærens, vt licèt Ecclesia eam reprobet paratus non sit Ecclesiæ obedire. Tertia est, loqui Hieronymum, non de hæretico primario, & completo, sed secundario, & incompleto, quatenus affirmat id, quod reuera hæresis est contra Ecclesiæ sensum, & hoc non consulens Ecclesiæ mentem; sed temere se periculo exponens, quare licèt stricte non sit hæreticus, nec id dixerit Hieronymus, dixit tamen posse appellari hæreticum, nimirum in latiori significatione: quare hæc ferè recidit in primam responsionem, quæ confirmari potest ex aliis Patrum loquutionibus, qui solent etiam homicidam appellare eum, qui pauperi non subuenit famelico, & indigenti. Possumus etiam quartam addere, nimirum non excludere recessum omnem ab Ecclesia, sed solum visibilem, & explicitum. Solebant enim hæretici Catholicorum Ecclesias sponte vitare, & eorum communionem, protestantes facto ipso, se ab Ecclesia discedere: aliquando etiam expellebantur, nisi resipiscerent, ipsique repulsam hanc malebant, quàm errorem reuocare. Sic ergo Hieronymi tempore hæretici ab Ecclesia materiali recedebant explicitè, & sensibiliter, vel sponte sua, vel expulsi à Prælatis Catholicis: & in hoc sensu verissimum est, quod potest esse, & appellari propriè hæreticus, qui Scripturam contra Ecclesiæ sensum explicat, licèt ab Ecclesia materiali non recedat, sed adhuc cœtibus Catholicorum interueniat, & inter Catholicos versetur, communionem cum iis habens, quia iam à Catholica Ecclesiæ fide, & spirituali coniunctione recessit. Aliunde autem videtur de Hieronymi mente constare, quod requirat in hæretico pertinaciam contra Ecclesiam: nam in cap. 3. epist. ad Titum super illa verba, *hæreticum hominem*, &c. Sic ait: *Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes, quæ recessio propria conscientia videtur esse damnatio.* Vbi de recessu non solùm ab Ecclesia, & cœtu materiali, sed etiam, & multò magis de recessu formali loqui videtur, cùm eum referat ad iudicium ipsius conscientiæ recedentis.

Hæreticus in latiori significatione.

Secundò obiici solet, quia contrariorum eadem est ratio, si ergo assensus reuelationis priuatæ sufficienter propositæ elicitur ab habitu fidei infuso, sicut & assensus reuelationis publicæ; dissensus etiam erit hæresis sicut & dissensus fidei Catholicæ: nam in homine Christiano contrariè opponuntur fides, & hæresis: nec potest homo baptizatus retinens confessionem religionis Christianæ esse infidelis, quin sit hæreticus: quæ enim alia esset species illa infidelitatis, cùm neque esset Paganismus, nec Iudaismus: Respondeo ex dictis disputat. 18. sect. 3. in principio non opponi vera oppositione contraria, & stricta, sicut calidum, & frigidum, fidem, & hæresim in homine Christiano profitente etiam religionem Christianam, cùm possit nec fidem infusam, nec hæresim habere, contrariæ autem qualitates caloris, & frigoris non possint simul abesse à subiecto capaci. Opponuntur quidem hoc modo contrariè fides Catholica, & hæresis in eo, qui Christianam religionem profitetur, non autem fides, abstrahendo à Catholica. Ille ergo tunc nec esset Paganus, nec Iudæus, nec hæreticus, quæ tres species diuidunt solùm infidelitatem oppositam fidei Catholicæ: sed haberet aliam infidelitatem specialem oppositam fidei diuinæ, de qua specie Theologi non curarunt, quia non pertinet ad iudicium humanum, nec ad regulas diuersas, quæ pro infidelium diuersitate assignari solent in iure, & ideo in rigore metaphysico non repugnat aliqua infidelitas specialis in homine

Obiectio.

mine Christiano, quæ non sit Paganismus, Iudaismus, vel hæresis, sed alia irregularis, quæ non est iuridica, quia iura de ea non loquuntur, nec opus fuit vt de ea loquerentur.

49 Obiectio 3. Tertiò obiicitur, quia hoc peccati genus expellit habitum fidei infusæ, ergo reddit hominem infidelem, non ergo manebit Catholicus, sed hæreticus; nam omnis Catholicus est fidelis. Respondeo retorquendo argumentum, quia omnis, qui sentit in omnibus cum Ecclesia catholica, est catholicus; non enim potest esse singularis, qui in nullo dissentit à sensu communi, & vniuersali totius Ecclesiæ vniuersalis, seu Catholicæ: cùm ergo homo ille in omnibus sentiat idem, quod Ecclesia Catholica, non potest non esse catholicus. Quare si aliunde est infidelis, quatenus dissentit reuelationi particulari, fatendum erit posse eo casu esse aliquem infidelem infidelitate contra fidem particularem, qui adhuc sit catholicus, quia non sentit, nec peccat contra Catholicam fidem, atque adeò non est infidelis infidelitate, vt ita dicam, chanonica, de qua leges Ecclesiasticæ loquuntur. Ad retinendum ergo habitum fidei infusæ non sufficit credere fidem Catholicam, atque adeo denominari catholicum, sed requiritur non committere vllum infidelitatis peccatum, vt dixit Tridentinum *sess. 6. cap.* 15. vbi meritò non est dictum sola hæresi fidem amitti, sed sola infidelitate, quæ latiùs patet, quàm hæresis, vt dictum est.

50 Obiectio 4. Quartò obiicitur ex Coninck *vbi suprà num.* 118. quia assensus circa reuelationem priuatam sufficienter propositam, & obligantem ad assensum firmum eiusdem rationis est omnino quoad omnia prædicata intrinseca, ac assensus circa articulum ab Ecclesia propositum, & ab eodem habitu infuso procedit: quod verum est tam de actu intellectus, quàm de voluntate pia, qua imperatur assensus: ergo eiusdem etiam rationis erit error, seu dissensus contra vtramque reuelationem, quia vitia, quæ eidem virtuti, & eadem ratione opponuntur, eiusdem omnino rationis esse debent. Si ergo error contra reuelationem communem in homine Christiano est hæresis, error etiam contra reuelationem priuatam hæresis erit. Respondeo in primis, non reperiri eadem prædicata intrinseca in vtroque dissensu; nam vnus respicit reuelationem priuatam, & immediatam, alter reuelationem mediatam, & communem, quæ duæ reuelationes specie differunt, atque adeo, & ipsi dissensus differre debent specie saltem physica imò & fortasse differre debent specie etiam morali in ratione peccati, quatenus error contra reuelationem ab Ecclesia propositam inuoluit etiam culpam non solùm contra Deum, cui non creditur, sed etiam contra Ecclesiam proponentem illam reuelationem, cuius Ecclesiæ auctoritati detrahitur; quare licèt hic Ecclesiæ contemptus ibi contentus non refundat differentiam specificam in ratione formali infidelitatis, & quatenus præcisè aduersatur virtuti fidei; potest tamen afferre speciem nouam peccati propter circunstantiam irreuerentiæ, & contemptus contra Ecclesiam, quæ differentia satis est, vt hoc solum peccatum, & non illud aliud appelletur nomine *hæresis*.

51 Addo deinde, non semper quodlibet peccatum hæresis debere differre specie morali à quolibet alio peccato, quod non est hæresis, non solùm in ratione infidelitatis; sed neque etiam in vlla alia ratione morali, sed aliquando differre solùm materialiter, aliquando etiam solùm per denominationem extrinsecam. Exempla attuli *suprà disp.* 18. *sect.* 3. agens de differentia specifica infidelitatum: nam dissensus, quem habet hæreticus circa existentiam Christi sub speciebus panis, & dissensus, quem habet Iudæus circa hoc ipsum, non differunt secundùm se considerati, sed solùm per denominationem extrinsecam, quatenus prior est in homine confitente aliquin religionem Christianam, posterior verò est in negante illam, quæ differentia est extrinseca ipsi dissensui circa Eucharistiam; & tamen prior dicitur hæresis, posterior non est hæresis, sed Iudaismus. Rursus in multorum sententia error ille contra Eucharistiam in homine non baptizato non est propriè hæresis, qui tamen idem esset hæresis in homine baptizato, de quo videbimus *infrà sect.* 4. vbi iam vides, totam illam differentiam non posse esse nisi extrinsecam ex baptismo antea susceptо, vel non susceptо. Multò ergo magis ex eo, quòd vnus error sit contra reuelationem communem, & alter contra solam priuatam, licèt vterque sit contra eandem fidei virtutem, fieri potest quod vnus appelletur hæresis, alter non sit hæresis, sed infidelitas priuata contra priuatam etiam obligationem.

Quintò ex eodem auctore *n.* 119. obiicitur, quia licut fidei bonitas non consistit in eo, quod credens subiiciat se auctoritati Ecclesiæ, eique obediat (hoc enim non facit propriè per actum fidei, sed ad summum per iudicium præuium, quo propter Ecclesiæ auctoritatem iudicat aliquid esse credendum; nam actus fidei nullo modo Ecclesiæ auctoritate, sed sola diuina nititur) sed quod subiiciat se sponte, siue voluntariè, auctoritati primæ veritatis, ei firmissimè adhærendo: sic etiam malitia erroris contra fidem, quatenus habet rationem infidelitatis non consistit in eo, quod quis sit contumax contra Ecclesiam, eiúsve auctoritatem contemnat (quia sic peccat propriè, non contra fidem, sed contra obedientiam, ac reuerentiam Ecclesiæ debitam) sed quòd voluntariè resistat auctoritati primæ veritatis, atque implicitè faciat eam mendacem. Atqui vterque errans eodem modo, ac æquè voluntariè resistit primæ veritati, ac eam facit mendacem, ergo vterque error habet eandem malitiam contra fidem, siue infidelitatis. 52 Obiectio 5.

Respondeo ex dictis, etiamsi vterque error habeat malitiam eiusdem speciei contra fidem, & in genere infidelitatis, posse tamen propter circunstantiam diuersam, siue specificam contra aliâ virtutem, siue non specificam, alterum solùm errorem, & non alterum appellari nomine *hæresis*, vt vidimus; præsertim cùm vnus respiciat intrinsecè differentiam illam reuelationis mediatæ, & communis, quam alter non respicit, sed differentiam aliam reuelationis immediatæ, & priuatæ. Falsum præterea est, id quod Auctor ille addit, Ecclesiam solùm attingi per iudicium fidei præuium, & non per ipsum assensum fidei: nam vidimus supra agentes de obiecto formali fidei, licèt assensus fidei non nitatur auctoritate Ecclesiæ, quatenus est auctoritas Ecclesiæ; niti tamen auctoritate, & reuelatione diuina per Ecclesiam proposita, quare attingit intrinsecè Ecclesiam, saltem vt organum per quod Deus 53

mediatè nobis loquitur, & proponit reuelationem suam præteritam; quæ propositio Ecclesiæ integrat, & componit partialiter loquutionem Dei mediatam, quæ est motiuum formale fidei, vt ibi latiùs explicuimus. Alia verò eiusdem auctoris argumenta iam in superioribus soluta sunt; & hæc dicta sint circa primam difficultatem, an ad hæresim ex parte obiecti requiratur oppositio cum reuelatione communi, & publica.

54 *An sufficiat ad hæresim propriam si quis pertinaciter neget aliquid ad fidem Catholicam pertinès & sibi sufficienter propositum, non tamen auctoritate Ecclesiæ.*

Secunda difficultas huic affinis esse potest, an sufficiat ad hæresim propriam, & ad constituendum hæreticum, si aliquis pertinaciter neget aliquid ad fidem Catholicam pertinens, & sibi sufficienter propositum, non tamen ei proposita auctoritate Ecclesiæ, id sentientis. De hoc agit Hurtado *disp.* 82. §. 44. vbi proponit exemplum si aliquis, v.g. contendat, Tobiam non habuisse canem in sensu litterali, sed in allegorico; alius proposita Scriptura, eum ab illo errore remouere conetur, idque miraculis in testimonium veritatis, & mortui etiam suscitatione confirmet, ita vt euidentem credendi obligationem inducat; non tamen adducat Ecclesiæ auctoritatem, ille verò alius adhuc obstinatè resistat; quæritur an sit propriè hæreticus. Negat ipse Hurtado, quia eadem est ratio, ac si solùm resisteret reuelationi priuatæ sufficienter propositæ: & quia adhuc potest ille paratus esse ad correctionem Ecclesiæ suscipiendam, cum qua præparatione non potest aliquis esse hæreticus.

55 Ego puto, casum illum ab Hurtado adductum magis esse metaphisicum, quàm moralem: nam eo ipso, quòd de dogmate communi, & publico agatur, ille, qui propugnat pro eius veritate, implicitè dicit, ita ab Ecclesia credi, atque ideo non solùm dicit esse verum, sed contineri in reuelatione communi toti Ecclesiæ proposita; non ergo præscindit ab auctoritate Ecclesiæ. Ille etiam qui audit, & negat; non potest non cogitare de Ecclesiæ auctoritate, videt enim agi, non de re priuata, sed de dogmate communi, & publico, & de sensu Scripturæ sacræ omnibus ad fidem proposito: quare miracula, quæ videt non solùm probant veritatem dogmatis, sed etiam quòd ille sit Ecclesiæ sensus, quæ in legitimo Scripturæ sensu amplectendo decipi non potest. Vnde meritò quisquis Catholicæ fidei dogma sufficienter propositum pertinaciter negat, eo ipso indifferenter pro hæretico habetur, quia non potest moraliter contingere, vt sine Ecclesiæ contemptu id faciat. Si tamen metaphysicè loquendo ita contingeret, quod per ignorantiam, vel inaduertentiam aliquis ita se haberet, ac si de reuelatione priuata ageretur, nec aduerteret agi non de rebus priuatis, sed de spectantibus ad fidem toti Ecclesiæ communem, idem dicendum esset, quod de dissentiente reuelationi priuatæ, peccaturum illum quidem grauiter contra fidem, non tamen esse in rigore hæreticum, cùm licèt per accidens, ratio eadem esset. Sed certè in foro externo meritò ab omnibus iudicaretur, & damnaretur vt hæreticus; quia præcisio illa in eiusmodi materiis, vt dixi, non est moraliter possibilis.

36 *An si propositio aliqua verè sit reuelata à Deo in Scriptura sed non ita manifestè, vt Ecclesia obliget ad eam credendam firmiter, tunc non esse errorem contra fidem; quia vt aliquid sit de fide, requiritur non solùm reuelatio, sed etiam applicatio reuelationis, quæ applicatio non inuenitur sufficiens, quando reuelatio diuina in Scriptura contenta ab Ecclesia non proponitur.*

Tertia difficultas principalis esse potest, an si propositio aliqua verè sit reuelata à Deo in Scriptura, v.g. sed non ita manifestè, vt Ecclesia obliget ad eam credendam firmiter, tanquam à Deo reuelatam, dissensus illius sit hæresis, & dissentiens sit hæreticus. Lorca *disput.* 39. *num.* 4. dixit, illum esse quidem errorem contra fidem, non tamen hæresim, quia ad hanc requiritur pertinacia contra Ecclesiam proponentem aliquid vt reuelatum à Deo, quæ pertinacia non reperitur, quando non est certum, & manifestum, quod Ecclesia id doceat: potest enim tunc aliquis dissentiens paratus esse assentiri, si Ecclesia proponat. Hurtado verò *disp.* 80. §. 19. significat, 37

Pater Coninch *dicta disp.* 19. *dub.* 7. *num.* 121. *& sequentibus* in hanc sententiam inuehitur, & dicit, propositionem à Deo Ecclesiæ reuelatam, licèt obscuriùs, ita vt pauci eius sensum percipiant, ideoque contrarium sentientes in Ecclesia tolerentur, esse simpliciter de fide; nec Ecclesiam postea, data occasione, eam definientem efficere, vt incipiat esse de fide, sed solùm declarare eam esse de fide; quare antea etiam erat de fide, licèt fides non obligaret ad eam credendam, & ideo per accidens ratione ignorantiæ non esset hæreticus, qui eam negaret. Sicut autem propositio illa erat verè de fide, ita eius contradictoria erat verè hæresis, non tamen manifesta, quia non omnibus manifestum erat, quod ab Ecclesia proponeretur, pro qua sententia affert alios antiquiores *n.* 125. 38

Ego in primis puto, in casu proposito, si constat sufficienter de reuelatione Dei in Scriptura contenta, constare etiam sufficienter de propositione Ecclesiæ, atque adeo non posse dissensum excusari ab hæresi ex defectu solùm propositionis, seu applicationis ab Ecclesia faciendæ, quare si dissensus est error contra fidem, quia constat sufficienter de reuelatione Dei, erit etiam contra propositionem Ecclesiæ, quia eodem modo constat de propositione Ecclesiæ. Nam Ecclesia clarè, & manifestè proponit credendam Scripturam, & omnia, & singula in ea contenta: si ergo manifestè constat, aliquid in Scriptura contineri, æquè manifestè constare debet id ab Ecclesia nobis credendum proponi. 39

Dico tamen secundò, sicut homo loquens non æquè percipitur ab omnibus, sed meliùs ab iis, qui vel meliori pollent auditu, vel meliùs penetrant vocum significationem; ita Deus in Scriptura loquens non necesse est, quod æquè ab omnibus percipiatur, sed contingere potest, vt aliquando ab omnibus, aliquando à maiore parte, aliquando à dimidia, aliquando à paucis percipiatur, qui magis penetrant sensum, & significationem Scripturæ. Quare sicut ij, qui Regem loquentem audiunt, & percipiunt, non excusantur à fide ei habenda, ex eo quòd alij eundem Regem non intellexerint: ita ij, quibus de certo Scripturæ sensu constat, ita vt de eo prudenter dubitare, aut formidare non possint, non excusantur, si id negent, vel dubitent, ex eo quod alij ex defectu capacitatis, vel scientiæ, sensum illum Scripturæ non ita percipiant, vt ad id fide etiam diuina credendum obligentur. Potest ergo contingere, quod aliquibus sit de fide aliquid in Scriptura contentum, quibus manifestum est, id in Scriptura contineri, quod tamen non omnibus sit de fide, quia non ita clarè Scriptura loquitur, vt id possit ab omnibus animaduerti. 40

Vnde

60 Vnde dico tertiò, ij quibus Scripturæ sensus manifestus est, ita vt non possint prudenter de eo dubitare, vel formidare, esto alij Catholici dubitent, quibus non ita manifestus est, non solùm peccant grauiter contra fidem, si dissentiant, sed etiam committunt peccatum hæresis, & sunt verè, & propriè hæretici, si communiter fideles eum scripturæ sensum manifestè percipiunt, & indubitanter credunt, licèt aliqui rudiores eum non percipiant. Si autem communiter in Ecclesia dubitetur, vel saltem non habeatur pro certo, & indubitato, licèt aliqui eum manifestè percipiant, ita vt prudenter formidare non possint, & ideo dissentiendo peccent grauiter contra fidem; non tamen credo eos esse propriè, & strictè hæreticos. Ratio autem est, quia hæresis, vt sæpè diximus, est secta seu diuisio, & hæreticus est sectarius, quia secat, & diuidit vnitatem Ecclesiæ, séque à reliquo Ecclesiæ corpore, & sensu diuidit, sectando, & amplectando proprium sensum, & opinionem contra id, quod Ecclesia sentit. Si ergo fideles, & Catholici (ex quibus intrinsecè conflatur, & constituitur Ecclesia) non sentiunt communiter, eum esse indubitatum sensum illius scripturæ, licèt aliqui pauci doctiores id sentiant, sed potiùs de eo dubitent, & formident, non potest esse hæreticus propriè, qui de eo dubitat, aut id negat, cùm in hoc ipso Ecclesiam non diuidat, nec sentiat contra communem Ecclesiæ sensum, licèt peccet grauiter contra fidem negando id, quod videt non posse prudenter negari, vel dubitari quòd sit à Deo reuelatum in eo scripturæ loco de quo agitur.

61 Dices, non solùm peccare contra fidem, sed contra Ecclesiam, quæ manifestè proponit esse reuelata à Deo, quæcunque in scriptura continentur: ipse autem negat aliquid, de quo dubitare prudenter non potest, quod in scriptura contineatur: ergo negat reuelationem Dei sufficienter ei per Ecclesiam propositam, atque adeo erit hæreticus. Respondeo, hæreticum propriè non esse, qui negat reuelationem Dei illi sufficienter propositam, nisi ita sit proposita, vt ex vi illius propositionis, ab omnibus vel saltem communiter percipiatur, vel percipi possit, & indubitanter teneri, quod sit sufficienter proposita, quia hæreticus esse non potest, vt diximus, nisi qui à communi Ecclesiæ sensu discedit. Non ergo desinit eo casu esse hæreticus ex defectu reuelationis diuinæ, vel propositionis Ecclesiæ, (nam vtraque præcedit, cùm Deus iam id in scriptura reuelauerit, & Ecclesia eam scripturam proposuerit, vt reuelationem diuinam) sed ex eo quod non discedit à communi Ecclesiæ sensu, in qua propter scripturæ obscuritatem fideles communiter non percipiunt manifestè sensum diuinæ reuelationis.

62 Explicare hoc possumus exemplo humano. Ponamus, esse Rempublicam aliquam, in qua ex affectu erga Romanos Pontifices sit lex statuens peculiares pœnas contra eos, qui è Reipublicæ sensu, & vsu discedunt, non obediendo præceptis Pontificiis à Republica acceptatis, & propositis. Mittat Pontifex ad eam rempublicam bullam aliquam cum variis præceptis, in qua tamen clausula aliqua propter caracteres peregrinos, vel compendiosè formatos, non bene communiter percipiatur: ideóque quamuis Reipublicæ iussu bulla publicè proposita sit, vt ab omnibus obseruetur, clausula tamen illa non obseruatur quia communiter illius sensus non percipitur: qui tamè percipitur optimè ab aliquo ciue legendi perito, qui caracteres & sensum bene nouit. Certè hic, si contentum etiam in ea clausula non obseruet, peccat contra obedientiam Pontificiis præceptis debitam; non tamen incurrit pœnas peculiares contra eiusmodi inobedientes in ea Republica statutas, quia pœnæ non sunt contra inobedientes omnes præceptis Pontificiis à Republica acceptatis, & propositis, sed contra discedentes ab vsu, & sensu Reip. in ea inobseruantia: Et quamuis bulla illa acceptata sit, & proposita à Republica omnibus, vt obseruetur: sed tamen communis sensus, & vsus Reipublicæ non adest circa eam clausulam, quam Respublica communiter in suo vero sensu nondum intellexit ad concipiendam obligationem. Si ergo in casu nostro Ecclesia proponit totam scripturam sacram, vt indubitanter à fidelibus credatur, tanquam vera Dei reuelatio: addit insuper pœnas speciales, non contra omnes non credentes, sed contra hæreticos, hoc est, contra eos, qui contra communem Ecclesiæ sensum aliter credunt, ac à Deo reuelatum sit. Quamvis ergo aliqui, vel aliquis subtiliùs, & melius scripturam legens penetret, & percipiat sufficienter sensum in aliqua scripturæ clausula contentum, quem communiter alij non ita poterant percipere, atque adeo aliter sentiens peccet contra Dei fidem: non tamen incurrit pœnas specialiter ab Ecclesia statutas, quæ non sunt contra omnes non credentes, sed contra aliter credentes contra communem Ecclesiæ sensum, quæ circunstantia tunc deest, eo quod propter obscuritatem Scripturæ non potuerit communiter illius clausulæ sensus percipi, & intelligi.

63 Confirmatur denique à posteriori, quia in foro externo non punietur ille pœnis corporalibus hæreticorum, quoties ipse ostendet Doctores Catholicos communiter non tradere eum sensum tanquam certum, sed aliquos eum negare, alios fateri non omnino certum nec pertinere ad fidem Catholicam. Imò licèt aliqui dicant id esse de fide, si tamen ipse pro se afferat alios graues doctores id negantes, non damnabitur tanquam hæreticus, vt obseruauit Hurtado *disp.* 82. §. 43. addens, hæresim propriam talis esse naturæ, vt ab omnibus viris doctis, & Catholicis censeatur hæresis post diligentem criminis cognitionem. Et quidem hoc idem regulariter sufficit, vt excusetur etiam à culpa interna infidelitatis, licèt apud se dubitet de veritate illius obiecti, cùm possit regulariter loquendo, saltem per principia extrinseca iudicare probabile, quod illud non sit de fide, cùm videat id in opinione positum apud Doctores graues, & Catholicos. Casus tamen dubij nostri procedit, quando ipse propter ingenij, & doctrinæ excessum penetrat, & percipit ita manifestè sensum in scriptura latentem, vt non obstante aliorum opinione, non possit etiam per principia extrinseca prudenter id negare, vel dubitare. Quo solùm casu diximus, ipsum posse grauiter, peccare contra fidem, absque eo quòd sit propriè hæreticus, eo quod in eo dissensu, non discedat à communi fidelium, & Catholicorum sensu.

64 Dices, ex hoc sequi omnes hæreses esse hæreses manifestas: si enim hæresis requirit, quòd sit contra totius Ecclesiæ sensum, semper erit manifesta.

nifesta. Ad quid ergo aliquando additur de aliqua esse hæresim manifestam; provt additum fuit in Concilio Constantiensi *sess.*8. vbi de erroribus Vviclephi dicitur, aliquos ex iis fuisse, & esse *notoriè hæreticos*, per quod significatur posse esse aliquas propositiones hæreticas, quæ non sint notoriè hæreses. Nec satisfacere videtur quod dicit Lorca *vbi supra dicto num.*4. ideo dictum esse *notoriè hæreticos*, quia hæresis non potest esse, nisi sit notoria, & manifesta, atque ideo quando alios dixit esse erroneos, non addidit *notoriè*; quia error potest esse notoriè & non notoriè. Hoc inquam, non satisfacit, quia si de ratione intrinseca omnis hæresis est quòd sit notoria, frustra adderetur illa particula, sed sufficeret dicere esse hæreses: & quidem in communi modo loquendi, quando dicimus aliquid esse notoriè falsum, plus volumus dicere, quàm falsum, & sic de aliis.

65 *Hæresis manifesta seu notoria, quid addat supra hæresim non manifestam.*

Respondeo ergo, hæresim manifestam, seu notoriam aliquid addere supra hæresim non manifestam. Primò quia potest aliquando esse hæresis occulta, seu talibus verbis significata, vt hæreticus habeat ansam tergiuersandi, & negandi, se dixisse hæresim, sed potiùs loquutum se in sensu Catholico, quæ solent dici propositiones hæresim sapientes, hoc est de quibus est suspicio quod dicantur in sensu hæretico, qui sensus, & hæresis ipsa obiectiua est hæresis manifesta, sed voces, quibus significatur, sunt ambiguæ, & non est manifestum, quòd proferantur in sensu hæretico. Illi ergo articuli Vviclephi erant hæretici manifestè, quia voces ipsæ nullum relinquebant locum ambiguitatis de sensu hæretico per eas significato. Rursus secundò ipsa etiam hæresis obiectiua dicitur aliquando hæresis notoria, & manifesta, quia non sunt opiniones doctorum circa illam, an sit hæresis, sicut contingit esse circa alias, quas aliqui doctores dicunt esse hæreses, alij negant. Diximus enim hæreticum esse, qui negat aliquid quod iuxta communem Ecclesiæ sensum pertinet ad fidem Catholicam. Possunt ergo esse Doctorum opiniones circa hoc ipsum, an talis propositio æstimetur communiter à Catholicis, & Patribus esse de fide. Aliqui dicunt eam communiter æstimari de fide, alij id negant. Quia communiter æstimari talem est pro tali haberi à maiori & meliori Patrum, & Doctorum parte; & potest esse sub opinione, an maior, & melior pars id dicat, an minor, & ignobilior, & ideo potest sub opinione manere, an ea sit vel non sit hæresis, atque adeo non erit hæresis manifesta, & notoria, sed dubia, & sub opinione probabili asserêre probabiliter eam esse contra sensum maioris, & melioris partis Catholicorum contrarium habentium pro dogmate fidei. Et quidem quoties saltem per principia extrinseca probabile manet, quod aliqua non sit hæresis, non credo in foro externo procedi ad rigorosas hæreticorum pœnas infligendas. In foro autem interno ad iudicandum, an ille incurrerit censuras, & alias hæreticorum pœnas, videndum erit, an ipse per principia saltem extrinseca iudicauerit probabiliter eam non esse hæresim, nec repugnare communi Ecclesiæ, & Catholicorum fidei, & sensui: si enim hoc iudicium habuit, non est æstimandus hæreticus etiam in foro interno, quamuis iudicauerit, ab aliis multis pro hæresi haberi. Si autem tale iudicium probabile habere non potuit, sed potiùs quia meliùs communem Ecclesiæ sensum nouit, manifestè vidit, eam propositionem esse contra communem eius sensum, non obstante, quòd aliqui etiam docti, qui eum sensum non ita perfectè nouerant, contrarium docuerint, tunc censebitur incurrisse eas censuras, & pœnas saltem in foro conscientiæ. Neque enim obstat paucorum sensus contrarius, cum quo stare adhuc potest, quod reuera aliquid sit contra communem fidelium sensum, & fidem, quod sufficit ad constituendum hæreticum, si ipse eum communem sensum manifestè nouerat.

Vnde infero primò idem, quod dictum est de re in Scriptura contenta, dicendum esse cum proportione de re aliqua habita in Ecclesia per sufficientem traditionem. Nam sicut Ecclesia proponit nobis vniuersam Scripturam, & omnia in ea contenta, tanquam obiecta fidei, ita proponit nobis traditiones Ecclesiasticas tanquam sufficientes ad dogmata fidei credenda, vt constat ex Concil. Tridentino sess.4. initio, & colligitur ex Paulo 1. ad Cor.11. dicente, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & 2. ad Thessal.2. *tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Vnde Basilius lib. de Spiritu sancto c.7. loquens de Scriptura, & traditione, *vtraque*, inquit, *parem vim habent ad pietatem:* sicut autem Scriptura propter obscuritatem potest non æquè ab omnibus percipi, sed ab aliquibus, vel à pluribus, & non ab omnibus; ita idem contingere posset in dogmate per traditionem habito, quare eodem modo iudicandum erit ad censendum, vel non censendum hæreticum eum, qui contra dogma illud in traditione fundatum sentit, sicut de sentiente contra sensum in Scriptura contentum, sed non omnibus manifestum, cui casui doctrina suprà posita applicanda erit cum eisdem distinctionibus, & explicationibus.

66 *Et quid de aliquibus doctrinis, quæ à Concilio, vel à summis Pontificibus declaratæ sunt hæreses, cùm tamen antea à multis Catholicis tenerentur salua fide.*

Infero secundò quid dicendum sit de aliquibus doctrinis, quæ à Conciliis aliquando, vel à summis Pontificibus declaratæ sunt hæreses, cùm tamen antea à multis Catholicis tenerentur salua fide: illæ enim doctrinæ repugnabant veritati contentæ in Scriptura, vel traditionibus etiam ante definitionem Pontificum, vel Conciliorum. Quia tamen Scriptura, vel traditio non ita clara erat, vt ab omnibus communiter perciperetur, ideo contraria doctrina non æstimabatur hæretica, quia non repugnabat communi fidelium fidei. Vnde licèt aliqui tunc meliùs, & accuratiùs rem inuestigantes, verum sensum ita manifestè inuenirent, vt non possent sine graui contra fidem peccato contrarium sentire; non tamen fuissent hæretici propriè, & in rigore contrarium dicentes, quia protunc non repugnarent adhuc communi Ecclesiæ, & fidelium fidei. Qualis fuit Cypriani error circa baptismum ab hæreticis collatum, quem dixit esse inualidum, & alij similes errores materiales, qui apud nonnullos sanctos reperirentur. Postea tamen Pontifices, & Patres in legitimis conciliis congregati attentiùs, & diligentiùs scrutantes Scripturas, & traditiones præmisso studio, collationibus etiam, & disputationibus, & (quod plus est) accedente diuino lumine, quod summo Pontifici, & legitimo Concilio non deest, ne errent in sinistro Scripturæ, & traditionum sensu, pro vero, & legitimo proponendo, meliùs & clariùs Scripturam legunt, & intelligunt, eiusque

que, & traditionum etiam sensum inueniunt, & fidelibus proponunt, quo facto doctrina contraria incipit esse hæretica, quæ antea talis non erat, eo quod Scripturæ, vel traditionis sensus non fuisset ita sufficienter, & communiter à fidelibus perceptus.

68 *Propositio opposita assertioni Theologicæ an sit hæresis, & sufficiens accedente pertinacia ad constituēdum hominem hæreticum.*

Quarta difficultas principalis esse solet de propositione opposita assertioni Theologicæ, an sit hæresis, & sufficiens accedente pertinacia ad constituendum hominem propriè hæreticum. Quæstio hæc pendet omnino ex illa alia quæstione; an conclusio, quæ euidenter infertur ex principiis reuelatis pertineat ad fidem, ita vt possit fide diuina credi: de qua quæstione satis latè egi *suprà disp.* 1. *sect.* 13. §. 1. & sequentibus, vbi adductis variis auctorum sententiis, dixi, conclusionem deductam ex vna præmissa reuelata, & altera euidenti non reuelata, non esse de fide, nec posse terminare assensum fidei. Item quando conclusio infertur ex duabus præmissis reuelatis, obiectum conclusionis esse de fide, & posse credi per actum fidei, licèt assensus conclusionis ipsius, provt infertur ex præmissis reuelatis, & nititur illis non sit actus fidei, sed conclusio Theologica. Quare consequenter ad ea, quæ ibi dicta, & latiùs explicata, ac probata sunt, dicendum nunc est, eum, qui dissentit conclusioni Theologicæ, quæ euidenter infertur ex vna reuelata, & altera euidenti non reuelata, tunc esse hæreticum quando negat conclusionem, eo quod neget præmissam reuelatam, ex qua infertur, quia iam dissentit immediatè propositioni reuelatæ. Si autem conclusionem neget, quia negat præmissam alteram euidentem, vel illationem euidentem, qua conclusio ex vtraque præmissa infertur, non erit hæreticus, cùm nec præmissa illa euidens, nec illatio etiam euidens sit reuelata. An verò in foro externo puniendus sit hic, vt hæreticus, dicemus postea. Si autem conclusio deducatur euidenter ex duplici præmissa reuelata, tunc qui obiectum illius conclusionis negat, erit hæreticus, nisi excusetur ignorantia. Nam licèt conclusio ipsa quatenus conclusio non sit actus fidei, obiectum tamen materiale illius est de fide vt pars in toto, vel vt particularis in propositione vniuersali: nec aliter inferri potest ex propositionibus duabus de fide, nisi quia obiectum ipsum conclusionis reuelatum fuit, non solùm virtualiter, & quasi in causa, sed formaliter & in seipso, quando reuelata sunt obiecta præmissarum, licèt fortasse non ita clarè, & explicitè, sed magis confusè, provt citato loco latiùs probatum, & explicatum fuit.

69 *Si Ecclesia definiat in Concilio legitimo propositionem aliquam deductam euidenter ex vna præmissa reuelata, & altera euidenti non reuelata, an qui eam postea negat, sit propriè hæreticus.*

Quæri potest, si Ecclesia definiat in Concilio legitimo propositionem aliquam deductam euidenter ex vna præmissa reuelata, & altera euidenti non reuelata, an qui eam postea negat, sit propriè hæreticus. De hoc etiam dixi *loco citato*; propositionem illam post Ecclesiæ definitionem esse de fide, quare consequenter dicendum est, negantem postea illam propositionem esse hæreticam propriè. Idque satis testatur vsus Ecclesiæ apponentis vocem *Anathema* negantibus propositiones quascunque, quas in synodis definit, quæ vox non solet nisi contra hæreticos apponi. Et in praxi omnes ij, qui definitionibus expressis Conciliorum opponuntur, puniuntur vt hæretici. Quomodo autem id, quod antea non erat formaliter, & expressè de fide, possit postea esse formaliter de fide dixi loco citato.

70 *Et an qui sub prædictâ propositione pertinaciter negat, habendus sit in foro externo pro hæretico, & puniendus pœnis hæreticorum.*

Restat solùm dubium, an qui pertinaciter negat propositionem, seu conclusionem Theologicam, quæ infertur ex vna de fide, & altera euidenti non reuelata, habendus sit in foro externo pro hæretico, & puniendus pœnis hæreticorum. De quo agit breuiter Diana *part.* 4. *tract.* 8. *de officio, & potestate Inquisitorum, resolut.* 79. vbi affert Valentiam, Canum, & Bonacinam, affirmantes illum esse hæreticum: & pro contraria sententia alios dicentes, non esse quidem hæreticum sed præsumi, si in ea opinione persistat. Quare quoad praxim videntur omnes conuenire, quod puniendus sit vt hæreticus, siquidem præsumitur talis, non enim præsumitur negare præmissam euidentem, sed reuelatam, & ideo negare conclusionem Theologicam, vt fatetur Suarez *disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 15. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *num.* 33. Hurtado *disputat.* 12. §. 27. qui tamen dicit, eam præsumptionem locum habere solùm in homine mediocriter docto, non in homine ignaro, & rudi. Vnde *disput.* 80. §. 13. dicit, si constaret, quod negat conclusionem ex eo quòd vim illationis non penetrat, non esse puniendum, sed pro asino relinquendum, & *disputat.* 81. §. 14. dicit si homo ignarus sit, non esse censendum hæreticum, sed instruendum: quod si instructus non capiat argumentorum vim, cogendum esse, vt acquiescat doctoribus proponentibus, alioquin in illum esse animaduertendum. Ego puto, id totum arbitrio & prudentiæ iudicum relinquendum esse, qui attentis circunstantiis personæ, loci, occasionis, & materiæ, ac aliis omnibus, potest magis vel minus præsumere animum hæreticum. Nam materia ipsa etiam aliquando potest esse ita abstrusa, & difficilis, vt non solùm rudes, sed litterati etiam possint circa propositiones aliis euidentes hallucinari, & errare. Vnde licèt punienda esset proteruia nolentis acquiescere viris doctis circa principiū Philosophicum; seriò tamen cogitandum esset, an esset puniendus vt hæreticus, vel solùm vt defendens pertinaciter propositionem erroneam, & ante omnia indaganda videntur à reo fundamenta, quibus ad errorem sustinendum mouetur; ea enim patefacient, an verè circa præmissam reuelatam, an circa alteram euidentem erret. Memini aliquando audisse me de quodam alioquin simplici, & pio, qui obstinatè contendebat, omnes Trinitatis personas carnem ex Virgine assumpsisse, & cùm diu Iudices frustrà ab eo resipiscentiam peterent, parum aberat, vt tanquā hæreticus obstinatus damnaretur; quæsiuit ab eo aliquis ei notus amicè, quale haberet fundamentum, quo ita fortiter sententiæ illi adhæreret. Respondit, se id tamdiu ita recitasse frequenter in Ecclesiastico hymno officij B. Mariæ, dum dicitur: *qui natus es de Virgine, cum Patre, & sancto Spiritu.* Ecce hic ex sola crassissima Grammaticæ ignorantia errabat, cuius defectus si ab initio inuentus fuisset, causa absoluta erat. Vidi ego & alium, qui parum ab obstinatione aberat, Catholicum alioquin & pium, & ob alium grammaticæ errorem in loci cuiusdam intelligentia commissum omnino volebat, corpus Christi Domini non fuisse totum ex Virgine assumptum, sed ab initio mundi formatum, & ad vterum Virginis adductum, vt ibi incrementum acciperet: vbi verò de Grammaticæ errore edoctus à me fuit, omnino quieuit, & doctrinæ etiam errorem reuocauit, & quidquid in eius confirmationem scripserat;

sponte combussit. Oportet itaque erroris causas, & occasiones ab eiusmodi personis diligenter exquirere, vt iudicari possit, an ex malitia, an ex ignorantia errent, & possit faciliùs morbo medicina parari.

SECTIO III.

De aliis propositionibus infra hæresim, & de variis singularum censuris.

71 NOn omnis propositio damnabilis, & quæ censura Theologica affici potest, est hæretica; ideo postquam de hæresi formali, & obiectiua dictum est, & de iis, quæ ex parte obiecti ad hæresim requiruntur, antequam vlteriùs progrediamur ad alias, conditiones, quæ ex parte subiecti requiruntur in hæretico, dicendum breuiter erit de aliis propositionibus damnabilibus, quæ non sunt hæreses, & de iis, quæ parte obiecti requiruntur ad eiusmodi censuras imponendas. De quibus agunt Turrecremata, Albertinus, Simancas, Alfonsus Castro, Cano, Corduba, Penna, & alij apud Suarez *in præsenti disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 1. & alij Recentiores in præsenti communiter.

72 Variæ species censurarum, seu propositionum damnabilium enunciari solent, quæ desumptæ sunt ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi articulis VViclephi apponuntur respectiuè hæ censuræ, *notoriè hæretici, & à sanctis Patribus reprobati: alij non Catholici, sed erronei; alij scandalosi, & blasphemi; quidam piarum aurium offensiui: nonnulli temerarij, & seditiosi:* Quas easdem censuras apponit idem Concilium *sess.* 15. propositionibus Ioannis Hus, excepto illo verbo: *blasphemos:* desumuntur etiam ex Bulla Pij V. & Gregor. XIII. edita contra aliquas propositiones Michaëlis Baij, quas respectiuè dicunt esse *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias scandalosas, immittentes offensionem in aures pias.* His alij addunt propositionem, *proximam hæresi*, possumus & nos addere *errori proximam, & suspectam de errore.* Imò si de propositione non solùm infra hæresim, sed in rigore damnabili sermo sit, addendæ erunt propositiones, Iudaica, Pagana, Athea. Nam propositio dicens, Christum nondum venisse, sed venturum non est hæretica, cùm religionem Christianam non retineat, provt hæretici omnes retinent, vt suprà vidimus, sed erit propositio iudaica. Quæ verò dicit, esse plures Deos, non erit iudaica, cùm non retineat vetus testamentum, sed Pagana inducens idololatriam; ad quod genus reduci possunt propositiones propriæ Mahometismi, quæ nec Christianam, nec Iudaicam religionem retinent, sicut & sectam illam diximus, ad Paganismum reduci. Denique propositio negans omnem Deum erit Athea: de his tamen modò sermo non est; sicut neque etiam de propria hæresi, de qua dictum est suprà, sed solùm de aliis infra hæresim, de quibus, & de singularum differentia in particulari dicendum erit, vt in qualitate; & censura propositionum stabilis aliqua, & certa regula obseruetur.

De Propositione erronea.

73 *Erroris* vox latissimè sumpta attribui potest cuilibet propositioni falsæ in qualibet materia: nam qui falsum pro vero credit, errat à vero, & decipitur. Communiter tamen ea vox solet restringi ad falsum, quod opponitur non solùm vero, sed euidenti, vel certo, quod apud omnes communiter certò scitur. Nec appellatur error in Philosophia, quælibet opinio falsa, sed quæ opponitur dogmati certo, & pro tali apud Philosophos recepto. Quare in Theologia non dicetur error, nisi qui certæ alicui veritati aduersatur, quæ apud Catholicos, & Theologos pro certa habetur. Cæterùm adhuc hæc acceptio est nimis lata, & generica, cùm in eo sensu hæresis etiam sit error; & quidem aliquando hæreses *erroris* nomine appellantur in cap. *excommunicamus* 2. cap. vltimo de hæreticis, & cap. *accusatus*, §. *ille quoque* eodem titulo in 6. Sed nunc magis strictè accipitur, provt est censura specialis infra hæresim: nam quidquid alij dixerint, quos tacitè refert Suarez vbi suprà num. 12. in prædicto Concilio, & Bulla Pontificum, condistinguitur propositio erronea ab hæretica, & ita Theologi communiter mitiorem censuram existimant, & quæ non attingat hæresim.

74 Quæ autem differentia sit inter hæresim, & errorem omnes eodem modo explicant. Aliqui primò dicunt, errorem esse hæresim sine pertinacia prolatam, accedente autem pertinacia erit hæresis. Ita Antonin. 2. *part. tit.* 12. *cap.* 4. sed id communiter displicet, & meritò, quia pertinacia habet se ex parte subiecti, non ex parte obiecti: hæ autem censuræ non tendunt ad iudicandum crimen in concreto, sed propositiones secundùm se: atque adeo solùm ratione sui obiecti. Ande Pius V. & Gregorius XIII. non distinxerunt in sua Bulla duos illos gradus censuræ ex pertinacia, vel eius defectu, nullam enim pertinaciam agnouerunt in Baio, qui semper Catholicus fuit, & Ecclesiæ obediens, sed ex parte ipsius doctrinæ differentiam inuenerunt inter propositionem hæreticam, & erroneam. Sicutè contra Concilium Constantiense circa omnes illos articulos æqualem pertinaciam inuenit in illis hæreticis, & tamen in illis vidit differentiam inter articulos hæreticos, & erroneos. De facto etiam Inquisitores petentes à suis Qualificatoribus censuras propositionum, nihil dicunt de pertinacia, aut culpa Auctorum, sed iudicium exigunt solùm de propositione secundùm se an sit hæretica, vel erronea, vel temeraria &c. *Quæ differentia inter hæresim, & errorem.*

75 Alij ergo secundò dicunt propositionem hæreticam esse, quæ opponitur veritati reuelatæ, non demonstrabili, v. g. *Deus non est Trinus*: erroneam verò, quæ non opponitur veritati Catholicæ demonstrabili, v. g. *Deus non est*, vel *Deus non est vnus*, ita Castro apud Hurtadum *disp.* 81. §. 9. Hoc tamen sustineri non potest, quia quodlibet obiectum reuelatum, etiamsi aliunde ratione naturali demonstrari possit, non poterit sine hæresi negari, v. g. immortalitas animæ rationalis, malitia adulterij, vel fornicationis, immensitas Dei, & alia eiusmodi, quæ qui negaret, esset proculdubio hæreticus, & incurreret omnes hæreticorum pœnas. Si autem obiecta hæc non essent reuelata, quantumcumque probari possent ratione naturali, nec sine culpa negari possent, adhuc non pertinerent ad fidem, quæ credere non potest quidquam, nisi propter diuinum testimonium, atque adeo qui ea negaret non peccaret contra fidem, & per consequens non esset hære- *Secunda opinio affirmans dicta.*

hæreticus, cùm omnis hæresis sit infidelitatis species.

76 *Tertius.* Alij tertiò dicunt, errorem esse, qui negat doctrinam aliquam ita receptam communi Ecclesiæ consensu, vt nullus pius, ac verè doctus de ea dubitare audeat, & licèt non sit expressè reuelata aut definita; est tamen Catholica doctrina. Ita Cano, Corduba, & Simancas apud Suarez *vbi suprà num.* 13. Et exemplum afferri solet in negante Beatissimam Virginem resurrexisse, seu in corpore, & anima esse assumptam: quod licèt non inueniatur expressè reuelatum, aut definitum, pertinet tamen ad doctrinam Catholicam. Item si quis ante Concilium Tridentinum dixisset, eamdem Virginem peccasse aliquando venialiter; cuius licèt non fuisset contrarium tunc definitum, non tamen poterat sine errore negari. Hic modus explicandi displicet Hurtado *vbi suprà* §. 7. tum quia spectat magis ad propositionem temerariam, tum etiam quia Catholica doctrina est solùm doctrina fidei, qua credita homo constituitur Catholicus. Sed Suarez vbi suprà illum fatetur esse modum explicandi probabilem: & certè exempla ibi adducta acerbiorem censuram merentur, quàm temeritatis, & de primo esse errorem, vel errori proximum fatetur idem Suarez 2. *tom. in 3. partem, disp.* 21. *sect.* 1. §. *sed quæres*, iuncta *disp.* 3. *sect.* 1. *in fine*. Nec etiam verum est, doctrinam Catholicam esse solùm doctrinam de fide: nam Catholicum est vniuersale, quare doctrina illa, quam tota Ecclesia indubitanter profitetur, Catholica appellari potest. Cæterùm, quia error in præsenti materia proximum gradù post hæresim videtur habere, & ideo in Concilio Constantiensi, & bulla Pontificia supra allegatis post hæreticas nominantur immediatè propositiones erroneæ, non videtur satis ad errorem propriè, & in rigore sumptum, quòd aduersetur doctrinæ, quàm omnes pro certa tenent. Nam temeraria etiam, vel scandalosa propositio, videtur aduersari doctrinæ, quam omnes indubitanter tenent: alioquin non esset temeraria, vel scandalosa. Quare ego regulam illorum Doctorum intelligerem de propositione, quæ aduersatur doctrinæ apud omnes Catholicos communi sensu indubitanter receptæ, qui nempe ideo de ea dubitare non audent, quia vident valde connexam cum doctrina fidei. Error enim in fide, opponi debet aliquo modo cum ipsa fide, quatenus saltem negat aliquid, quod propter connexionem cum fide nemo negare audet. Quando verò communis ille consensus fidelium aliunde oritur, & non ex connexione rei illius cum principiis fidei, non videtur propriè erronea doctrina, quæ rem illam negat; sed aliam censuram habebit ex infra adducendis. Exempla autem à Suario adducta, si benè perpendantur, inuenientur eum sibi certitudinis gradum apud Catholicos comparasse propter connexionem magnam, quam habent cum doctrina fidei. Ex eo enim quòd B. Virgo fuerit vera Dei mater, sequi videtur illam non fuisse vnquam peccati actualis ream, quod in Dei matre maximam indecentiam haberet. Sicut etiam ex eadem maternitate, & aliis pluribus coniecturis, ac traditione historica sequitur eam in corpore, & anima assumptam fuisse in Cœlum: quamuis hoc secundum, non ita apertam connexionem ostendat, sicut primum, & ideo non ita clarè constat, quod sit propriè, & rigorosè erronea propositio contraria. In hoc autem sensu propositio erronea coincidet ferè cum modo explicandi eorum, qui dicunt errorem esse, qui negat propositionem Theologicam, de quo postea dicemus.

77 *Quartus.* Quartus ergo explicãdi modus est aliorum, qui dicunt errorem esse, qui deficit, ab vna, vel altera conditione requisita ad hæresim perfectam: ad hanc enim requiritur, quod certissimè opponatur, & indubitanter alicui propositioni, quæ certissimè etiam, & indubitanter sit de fide. Quando ergo vel oppositio non est ita certa, vel non est ita certum, quod sit de fide propositio, cui opponitur, tunc deficit ex ea parte ab hæresi, & est error: ita id explicant iidem Auctores apud Suarez *vbi suprà*, qui hoc etiam probabile reputat, quibus adde Lorcam *disp.* 40. *num.* 7. qui erroneam propositionem definit eam, quæ opponitur quidem fidei veritati, sed non oppositione omnino certa, & indubitata. Hic etiam explicandi modus non videtur omnino satisfacere, quia eiusmodi propositiones magis propriè videntur esse proximæ hæresi, quàm errores: participant enim substantiam hæresis, quæ est oppositio immediata cum fide; & ideo diximus supra eum cui certò constare ea oppositio, ita vt nec per principia extrinseca prudenter posset dubitare, de oppositione cum fide, & cum communi fidelium sensu, non posse sine hæresi assensum eis præbere, licet apud aliquos sit dubium an sint hæreses. Differunt ergo ab hæresi non tam in ipsa substantia, quàm in modo, hoc est, in certitudine an sint hæreses, & ideo vocari possunt proximæ hæresi quatenus non ab omnibus, sed à pluribus æstimantur hæreses. Quæ differentia non videtur intrinseca, sed extrinseca prouenions à iudicio aliquorum negantium esse hæreses, quod sufficit vt in foro externo ille non condemnetur absolutè, vt hæreticus, quia potest se tueri opinione aliquorum negantium, quòd opponantur fidei. Hinc autem colligitur posse, & sæpe de facto propositiones illas esse intrinsecè hæreticas, quia de eiusmodi propositionibus communiter solent esse Doctorum opiniones affirmantium, & negantium esse hæreticas, vel id quod eis negatur esse de fide. Frequenter etiam opinio affirmans contrarium esse de fide, & illam esse hæresim erit vera: Si ergo opinio illa vera est, propositio illa erit reuera hæretica: sicut sacramentum, de cuius materia sunt opiniones, validum erit, si opinio affirmans materiam illam esse validam vera sit, quamuis opinio contraria probabilis id neget. Alioquin si propositio illa nunquam sit hæretica, sed solùm error, nunquam erit vera sententia docens illam esse hæresim, & contrarium esse de fide, nec possent vnquam esse opiniones circa hoc punctum: quia vbi primùm aliqui dubitarent, an sit hæretica ea propositio, eo ipso iam non esset hæretica, atque adeo falsa esset quælibet sententia dicens esse hæreticam. Cùm ergo maneant adhuc in scholis opiniones probabiles diuersæ circa hoc ipsum, an talis vel talis propositio sit hæretica, supponi omnino videtur quòd adhuc possit illa esse intrinsecè hæretica, non obstante opinione excusante illam ab hæresi.

78 *Quintus modus ex licèt communis, & probabilis.* Restat ergo quintus, & vltimus modus explicandi satis communis, & probabilis, quòd error propriè sit, qui non opponitur immediatè, sed solùm mediatè doctrinæ fidei quatenus ne-

gat

gat immediatè propositionem, quæ non est de fide sed conclusio solùm Theologica, deducta euidenter ex vna de fide, & altera euidenti lumine naturæ. Ita communiter Theologi, vt testatur Bañes in præsenti quæst. 11. art. 2. in quæstione quæ incipit, *circa hos articulos*, vers. *nihilominus*. Suarez *vbi suprà num.* 14. Hurtado *disp.* 81. §. 10. Turrianus *disput.* 55. *dub.* 3. Coninck *disput.* 18. *num.* 130. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. & alij ferè communiter, qui communis consensus sufficit, vt nomen *erroris* eiusmodi propositionibus applicari possit, cùm enim hæ propositiones mereantur censuram aliquam Theologicam, nec sint hæreticæ, cùm non negent formaliter aliquid reuelatum; debent habere aliquam aliam censuram diuersam ab hæresi, nec potest alia aptior inueniri, quæ eas ab hæresi distinguat: quamdiu enim obiectum contrarium non est in se reuelatis per discursum infertur, non potest qui illud negat, esse hæreticus, nisi neget etiam præmissam de fide ex qua infertur. Dicetur ergo solùm errare grauissimè, quia negat id, ex quo negato conuinci potest adhibito alio principio naturali euidenti ad negandum obiectum fidei. Hoc autem intelligi debet de negante conclusionem deductam ex vno principio fidei, & altero euidenti lumine naturæ: si enim negat conclusionem euidenter deductam ex duplici præmissa de fide, iam diximus supra esse hæreticum, quia conclusio illa, licèt vt conclusio formaliter, & prout infertur ex principiis reuelatis, non sit actus fidei; obiectum tamen materiale illius potest credi per actum fidei, & continetur formaliter in obiecto præmissarum quod est reuelatum: quare propositio negans illud obiectum non erit erronea, sed hæretica, vt diximus sæpe in variis locis.

De Propositione hæresi proxima, vel errori.

79 Ex proximè dictis facilè constabit, quas propositiones comprehendat hæc censura. Lorca *vbi suprà num.* 11. dicit propositionem contrariam alicui conclusioni Theologicæ esse proximam hæresi, sed nos cum communi diximus illam appellari erroneam: quare Hurtado *disp.* 18. §. 17. & Coninck *vbi suprà num.* 132. melius dicunt hac censura comprehendi propositionem oppositam doctrinæ, quæ licèt non omnino certò, est tamen probabiliter, &, vt plerisque videtur, de fide: nam sicut illa propositio est ferè, seu proximè de fide quæ plerisque apparet de fide, ita illa erit ferè, vel proximè hæresis, quæ plerisque apparet hæresis. Idem est de propositione illa, quæ opponitur non certò sed plurium iudicio propositioni indubitatæ de fide; nam sicut accedit ad oppositionem manifestam cum fide, ita accedit ad hæresim. Quare idem etiam dicendum erit de eo, qui negat conclusionem deductam ex duabus præmissis de fide, sed per consequentiam non omnino claram, & certam, vel deductam per certam consequentiam ex duplici præmissa, quæ non sit vtraque omnino indubitanter, sed plurium iudicio de fide. Sicut enim diximus propositionem euidenter deductam ex duabus præmissis de fide, non posse sine hæresi negari: ita conclusio proximè ad hunc gradum accedens, sed deficiens ex defectu claritatis consequentiæ, vel certitudinis, quod vtraque præmissa sit de fide, accedet proximè, ita vt negans illam accedat proximè ad hæresim.

Hoc tamen meo iudicio iuxta dicta puncto præcedenti, intelligendum ita est, vt possit aliquando eadem propositio esse hæretica ipsa, & tamen affici hac censura, & iudicari proxima hæresi. Quia cùm hæc censura inuratur propositioni illi, quæ opponitur certò doctrinæ, quam non omnes sed plures censent esse de fide, vel quam non omnes sed plures censent opponi doctrinæ indubitatæ de fide, & sæpe contingat veram esse opinionem dicentium eam propositionem opponi fidei, vel contrarium esse de fide; consequens est, vt quoties ea opinio vera sit, toties hæc propositio sit verè, & à parte rei hæresis alioquin opinio dicens contrarium esse de fide, vel eam propositionem verè opponi fidei, non esset vera, sed falsa. Erit ergo tunc ipsa hæretica illa propositio; in iudicio tamen vltimo censores non debent iudicare illam, vt absolutè hæreticam, & sine addito; sed debent dicere eam plurium iudicio esse hæreticam, sed quia alij id negant, esse iudicandam proximam hæresi. Et ideo fortasse in Concilio Constantiensi dictum fuit de aliquibus articulis, *esse notoriè hæreticos*, hoc est, certò, & sine controuersia; illi autem, qui non omnium, sed aliquorum sententia sunt hæretici, non possunt dici notoriè hæretici, sed dubiè, & id significatur per *proximum hæresi*: quæ censura, vt supra notabam, non tam videtur intrinseca ipsi propositioni, quàm extrinseca propter diuersa doctorum iudicia, quorum aliqui eam dicunt esse hæresim, alij negant, quam varietatem, & controuersiam significamus, dum dicimus esse proximam hæresi. Quod immeritò negasse videtur Suarez *dicto sect.* 2. *numero* 21. dicens, si *erroris* nomine intelligatur propositio, cuius oppositio cum fide incerta est, vt ex aliquorum sententia ipse dixerat *num.* 13. non posse eandem propositionem esse hæreticam, & erroneam, quia hoc esset habere certam, & non certam oppositionem cum fide. Sed nos probauimus, oppositionem incertam cum fide posse sufficere, vt propositio illa hæretica sit, quia in iis casibus incertitudo frequenter noscitur ex diuersis doctorum sententiis probabiliter affirmantibus, vel negantibus, eam propositionem esse hæreticam. Sæpe autem continget propositionem affirmantem esse veram, nam opinio probabilis aliquando & sæpe vera est: tunc ergo verè propositio illa erit hæretica, sed propter opinionem probabilem contrariam non puto esse iudicandam in iudicio vltimo vt hæreticam simpliciter, & sine addito, sed vt hæreticam aliquorum iudicio, & simpliciter, vt proximam hæresi.

Notandum tamen est primò circa hanc censuram, vt aliqua propositio ea afficiatur, & iudicetur proxima hæresi, non sufficere, quòd vnus aut alter doctor eam dicat esse hæreticam. Sunt enim aliqui procliues, & faciles ad censuras acerbiores, atque ideo plures propositiones inueniuntur, quas aliqui hæreticas esse dicunt, alij tamen vel solùm temerarias, vel fortasse nullâ censura dignas. Illam ego solam propositionem iudicarem hæresi proximam, quam non omnes, plures tamen graues doctores, & cum graui fundamento dicunt esse hæreticam: ille enim, qui probabiliter hæreticus iudicatur, vel hæreticus

cus est, vel hæresi proximus; ipsum autem *proximitatis* vocabulum, indicat propinquitatem maximam, quam non habet propositio ex eo, quòd ab vno vel altero, & sine graui fundamento hæretica pronuntietur.

82 *Propositio modalis nō est proxima hæresi, ex eo quòd propositio categorica sit proxima hæresi.*

Secundò notandum videtur cum Hurtado *vbi suprà* §. 21. propositionem modalem non esse proximam hæresi, ex eo quòd propositio Categorica, seu *de ineſſe*, sit proxima hæresi: exemplum affert ipse in hac propositione: *paruuli non habent iustitiam inhærentem* quam ipse dicit proximam hæresi, quia multi communiter dicunt in Concilio definitam esse iustitiam inhærentem vniuersaliter de omnibus. Non tamen erit proxima hæresi propositio modalis dicens; *non est de fide, nec definitum, quòd paruuli habeant iustitiam inhærentem.* quia hæc non negat obiectum ipsum proximum fidei, nempe iustitiam inhærentem paruulorum, sed solùm gradum certitudinis illius veritatis, qui gradus potest esse sub opinionibus, licèt obiectum ipsum directum non possit in dubium reuocari. Aliud exemplum esse potest de eo, qui negaret sanctum aliquem canonizatum esse in gloria, vel diceret summum Pontificem posse errare in eiusmodi Canonizatione, quæ assertiones mensurantur à Theologis, vt impiæ, temerariæ, scandalosæ, & hæresim sapientes, vt docent Suarez *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 8. Cano, & Bañes, quos affert Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 5. §. 4. *num.* 1. imò alij addunt esse erroneas, & hæreticas, vt Valentia *in præsenti disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *q.* 6. quem affert, & sequitur idem Palao *vbi suprà n.* 2. si quis tamen diceret, non esse hæresim, vel non esse errorem dicere, quod Papa posset errare in ea Canonizatione, hæc assertio reflexa non esset erronea, sed opinio multorum Catholicorum, & his similia reperiri possunt passim alia exempla.

83 *Vtra sit grauior censura propositionis, an erronea, an proxima hæresi?*

Quæri potest, vtra sit grauior censura propositionis, an erroneæ, an proximæ hæresi, intelligendo vtramque censuram in sensu à nobis explicato? Credo, omnibus pensatis grauiorem esse censuram erroris: nam qui dicitur hæresi proximus, solùm significatur, quòd in aliquorum opinione sit hæreticus, quæ tamen opinio falsa esse potest; & ideo non inuenitur in eo necessaria connexio cum hæresi, sed contingens. Qui tamen negat conclusionem Theologicam, deductam euidenter ex præmissa certa de fide, & ex alia præmissa euidenti lumine naturæ, quæ conclusio sine errore negari non potest, eo ipso inuenitur habere necessitatem ad negandam præmissam de fide, quantum est ex parte obiecti negati, quia præmissa euidens necessitat ad eam non negandam, & aliunde constat non posse conclusionem esse falsam, nisi vna ex præmissis sit falsa: cùm ergo illatio etiam sit euidens, & negari non possit, inuenitur necessitas, quantum est ex parte obiecti nisi ignorantia excuset, ad negandam præmissam de fide, quæ sola potest licitè negari. Ideo eiusmodi error obstinatè retentus inducit in foro externo præsumptionem adeo vehementem de hæresi, & maiorem, quam inferat propositio hæresi proxima, propter rationem allatam: quod fatetur etiam Hurtado *dicta disp.* 81. §. 20.

84

Hinc infero, sicut datur propositio proxima hæresi, posse etiam dari aliam, quæ sit errori proximæ: nempe quando plerisque videtur vnam præmissam esse de fide, ex qua, & altera euidenti sequitur euidenter conclusio, quæ negatur vel etiam quando certum est alteram præmissam esse de fide, & alteram euidentem, & plerisque videtur illationem conclusionis ex illis præmissis esse euidentem, quamuis aliqui negent consequentiam esse euidentem. In vtroque enim casu plerisque videtur conclusionem, quæ negatur, esse Theologicam, & per consequens non posse sine errore negari. Sicut ergo si quis negat propositionem, quæ plerisque videtur esse de fide, nec posse sine hæresi negari, propositio negans dicitur hæresi proxima; sic quando negatur propositio, quæ plerisque videtur esse conclusio Theologica, nec posse sine errore negari, propositio negans erit errori proxima, cum eadem omnino sit cum proportione ratio. Quare hoc eodem modo, & cum iisdem obseruationibus cum debita proportione applicetis intelligendum erit, sicut diximus de propositione hæresi proxima. Vnde hanc etiam censuram videtur agnoscere Coninch *vbi suprà num.* 130. qui eam dicit locum habere quando propositio contradicit conclusioni probabilissimè ex principiis fidei deductæ. Quod tamen exemplum ego non facilè admittam: nam Doctorum vsus videtur esse contrarius, quorum plures probant suas sententias ex principiis fidei, ex quibus probabiliter putant eas deduci; & tamen alij probabiliter etiam negant consequentiam, & ideo probabiliter, & impunè docent sententias contrarias: non est ergo proxima errori propositio negans id, quod solùm probabiliter infertur ex principiis fidei, sed negans id, quod plerisque videtur euidenter inferri ex principiis fidei, quamuis aliis videtur non euidenter inferri, qui est gradus quidem superior, & ideo propiùs ad errorem accedit, & reddit propositionem errori proximam: ille autem alius gradus longiùs distat ab errore, cùm inter illum: & errorem intercedat hic alius, qui minùs ab errore distat.

85

Dices, vt propositio sit proxima hæresi, sufficit quòd plerisque videatur opposita propositioni de fide, licèt non omnibus, ergo vt sit proxima errori, sufficiet, quod plerisque, licèt non omnibus, videatur opposita conclusioni Theologicæ. Talis autem est propositio opposita conclusioni, quæ probabilissimè deducitur ex principiis reuelatis: nam eo ipso, quod plerique eam iudicant ex illis principiis deduci, iudicant illam esse conclusionem Theologicam, & per consequens iudicant non posse sine errore negari, quæ omnia videntur consequenter connexa. Respondeo, concessa prima consequentia, negando subsumptum. Sufficit ad propositionem errori proximam, quod sit opposita conclusioni, quam plerique iudicant Theologicam: non potest tamen à plerisque iudicari conclusio Theologica illa, quæ solùm probabiliter infertur ex principiis reuelatis: omnes enim definiunt conclusionem Theologicam eam, quæ infertur euidenter ex vna saltem præmissa reuelata, & altera euidenti. Conclusio ergo, quam omnes fatentur, inferri solùm probabiliter ex principiis reuelatis, in nullius sententia erit conclusio Theologica, & per consequens propositio eam negans in nullius sententia negat conclusionem Theologicam, atque adeo non erit errori proxima: non enim est proxima errori, nisi propositio, quæ in plurium sententia negat conclusionem Theologicam, & ideo in eorundem sententia est error. Si ergo in nullius sententia conclusio illa negata

est

est conclusio Theologica, quia nemo dicit eam inferri euidenter, sed solùm probabiliter ex principijs fidei, non potest æstimari à plerisque erronea propositio illam negans, & per consequens non debet iudicari proxima errori, sicut nec iudicatur hæresi proxima, nisi ea, quæ à plerisque, licèt non ab omnibus, æstimatur hæretica.

86 *Tripliciter reperiri potest propositio erroris proxima.*

Tripliciter ergo videtur posse reperiri propositio errori proxima. Primò, quando negat conclusionem, quæ euidenter sequitur ex vna præmissa euidenti, & altera, quam plerique, licèt nõ omnes, iudicant esse de fide. Secundò, quando conclusio negata infertur ex vna indubitanter reuelata, & altera euidenti per illationem, quam non omnes, sed plerique iudicant euidentem. Tertium modum addere possumus, quando negat conclusionem, quæ euidenter infertur ex vna præmissa indubitanter reuelata, & altera, quam plerique, licèt non omnes, iudicant euidentem. Non dico ex vna præmissa reuelata, & altera probabili, nam conclusio ex iis illata etiam per euidentem consequentiam, non appellatur conclusio Theologica, sicut paulò ante dicebamus de conclusione illata ex vna reuelata, & altera euidenti, non per illationem euidentem, sed probabilem: omnes enim eam solùm dicunt conclusionem Theologicam, quæ ex vna saltem reuelata, & altera euidenti infertur euidenter. Quando ergo constat vnam præmissam esse solùm probabilem, conclusio non est in vllius sententia Theologica, atque ideo propositio illam negans neque error, nec proxima errori. Potest tamen contingere vt constet apud omnes alteram præmissam esse de fide; de altera etiam omnes consentiant esse veram, sed aliqui negent esse euidentem, plures tamen id affirment. Nam sicut solent esse opiniones aliquãdo reflexæ circa probabilitatem aliarum opinionum, an talis opinio, v.g. sit, vel non sit probabilis; ita aliquando sunt opiniones, non circa veritatem alicuius sententiæ, sed circa eius euidentiam, an scilicet sit, vel non sit euidens: & in eo casu dicimus conclusionem euidenter illatam ex vna de fide, & altera, quam plerique euidentem iudicant, esse talem, vt propositio eam negans censenda sit proxima errori. Ratio autem est eadem, quia si ea conclusio à pluribus æstimatur illata euidenter ex vna de fide, & altera euidenti, ab eisdem necesse est, quod æstimetur conclusio Theologica: cui enim competit definitio, competit definitum, quare ab eisdem propositio contraria æstimabitur error, & ab omnibus debet censeri proxima errori propter regulam supradictam, quod proxima errori est propositio, quæ à plerisque, licèt non omnibus, iudicatur erronea.

De Propositione sapiente hæresim, & suspecta.

87 Aliqui putant, has duas censuras in eandem coincidere, quia si sapit hæresim, suspecta est, & è contra. ita Hurtado *dicta disput.* 81. §. 22. Alij confundunt sapientem hæresim cum erronea, vt Simancas, & alij, quos affert Suarez *dicta disput.* 19. *sect.* 2. *num.* 16. qui bene notat, hanc censuram distinctam esse ab errore, & in gradu inferiori, vt colligitur ex bulla citata Pij V. & Gregorij XIII. contra propositiones Baij, vbi aliæ propositiones dicuntur erroneæ, aliæ verò suspectæ. Quare minùs videtur significare suspecta, quàm erronea, & constat ex te ipsa: quia error concessus cogit ad negandum principium reuelatum, vt suprà vidimus; & ideò non solam suspicionem, sed præsumptionem magnam affert de hæresi. Suspicio autem multò minus est quàm præsumptio, vt constat; quare multò minus requiritur ad suspectum, quàm ad errorem.

Ego itaque puto vtramque censuram differre notabiliter ab errore: posse etiam distingui à propositione errori proxima, quia hæc à plerisque saltem, licèt non ab omnibus, iudicatur erronea, quod tamen iudicium non inuenitur in propositione suspecta, vel sapiente hæresim. Denique credo parum addere sapientem hæresim supra propositionem suspectam: posse tamen aliquando inter illas inæqualitatem considerari. Vtraque quidem dat ansam timendi, ne lateat hæresis; neutra dat fundamentum sufficiens alicui iudicandi absolutè esse hæresim, vel errorem: dat tamen fundamentum sufficiens ad suspicandum, vel timendum quod Auctor illius propositionis habeat apud se hæresim aliquam, vel errorem, ex quibus illa propositio oriatur. Hoc tamen fundamentum non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem secundùm magis & minùs, & ideo dixi posse secundùm illum excessum distingui duos gradus: aliquando enim fundamentum, siue propter verba, siue propter materiam, siue propter locum, tempus, personam loquentis, & alias circunstantias, tale erit, vt probabiliter possit iudicari, aliquam aliam hæresim esse in auctore, ex qua hæc alia assertio procedat: aliquando verò fundamentum non erit tantum, sed solùm sufficiet ad id suspicandum. In primo casu poterit propositio appellari *sapiens hæresim*, quia sapor magis indicat substantiam rei, quæ sentitur, & in eodem sensu poterit dici *olens hæresim*, quia etiam odor ostendit naturam rei odoriferæ. In secundo autem casu poterit appellari *suspecta*, quia non sufficit ad iudicium probabile ferendum, quòd Auctor sit hæreticus, sed solùm ad suspicionem, & timorem aliquem absque temeritate concipiendum, quæ censura minor erit quàm prima de sapiente hæresim.

88 Aduerto primò in exemplum huius censuræ afferri apud Lorcam *dicta disput.* 60. *num.* 10. & apud Coninch *dicto dub.* 8. *num.* 131. hanc propositionem: *statutum, & inutile est, sacramentum Eucharistiæ solemni ritu per plateas circumducere:* quia licèt nihil dicat contra fidem expressè, sapit tamen hæresim Lutheranam, quæ in Sacramento altaris negat Christi præsentiam: sed hoc exemplum non videtur esse ad rem: illa enim propositio hodie videtur iam esse hæretica formaliter contra expressa verba Concilij Tridentini sess. 13. cap. 5. vbi dicitur, *declarat præterea sancta synodus piè, & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & venerabile sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, vtque in processionibus reuerenter, honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur:* & postea can. 6. *Si quis dixerit, in Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circumgestandum*

dum, &c. *Anathema sit.* Propositio ergo, quæ hunc vsum stultum, & inutilem dicit, non debet appellari sapiens hæresim, sed hæresis manifesta.

90 Aduerto secundò: sicut datur propositio sapiens hæresim, vel suspecta de hæresi, quia fundamentum præstat maius, vel minus iudicandi, vel suspicandi, quod Auctor habeat in corde aliquam hæresim, licèt propositio non sit hæretica; sic dari propositionem, quæ sapiat errorem, vel sit suspecta de errore, quatenus cum proportione præstat fundamentum maius, vel minus iudicandi, vel suspicandi quòd Auctor in corde habeat aliquem errorem, nempe aliquod dogma contrarium conclusioni Theologicæ: quæ censura minor erit, quàm sapientis hæresim, vel suspectæ de hæresi, & eodem modo cum proportione debita explicanda est.

De propositione malè sonante, & piarum aurium offensiua.

91 Hanc vtramque censuram aliqui non distinguunt à sapiente hæresim, quorum meminerunt Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 18. & Hurtado *dicta disp.* 81. §. 33. Sed in dicta Bulla Pij V. & Gregor. XIII. condistinguitur piarum aurium offensiua, tanquam longè inferior à suspecta, quæ tamen leuior est, quàm sapiens hæresim, vt vidimus. Alij non distinguunt malè sonantem à scandalosa, quos refert Lorca *dicta disp.* 40. *num.* 14. Sed reuera in Concilio Constantiensi supra allegato, & in dicta Bulla Pontificia scandalosa condistinguitur à piarum aurium offensiua, & quamuis possit eadem propositio esse scandalosa, malè sonans, & piarum aurium offensiua, hæc tamen distingui possunt in ordine ad diuersa connotata, vt videbimus. P. Suarez *vbi supra* dixit, propositionem malè sonantem appellari illam, quæ est æquiuoca, & habet sensum etiam Catholicum proprium, sed frequentiùs voces illæ vsurpantur in sensu hæretico, quòd etiam docuerunt Cano, & Corduba, quos refert, & sequitur Lorca *vbi supra num.* 15. & Coninch *vbi supra n.* 133. Addit Suarez etiamsi sit significans æquè sensum Catholicum, & non Catholicum, & ideo non mereatur tam grauem censuram, non excusari ab omni censura, quia imprudenter sine explicatione, aut limitatione profertur. Demique Hurtado §. 36. dicit malè sonantem esse, quæ sensum habet congruentem fidei, verba autem incongrua, itavt malitia huius censuræ non sit in sensu verborum, nec sit argumentum animi infidelis, sed solùm in verbis, quia sunt in ea significatione parum aut nihil vsitata, ob quod absonant auribus, vnde ortum est illud adagium, *ex verbis inordinatè prolatis enascitur hæresis.*

92 Ego fateor, huiusmodi censuras, si in latiori significatione, & solùm iuxta proprietatem vocum accipiantur posse facilè coincidere: nam propositio sapiens hæresim proculdubio malè sonat, & pias aures offendit: sicut etiam omnis hæresis est error, latè, & communiter sumpto *erroris* nomine. Possunt tamen hæc eadem nomina fieri quasi propria, ad significandas aliquas particulares propositionum species, vel qualitates ad inuicem distinctas. Et in hoc sensu placet, quod propositio *malè sonans*, dicatur illa solùm, quæ non dat audientibus fundamentum iudicandi vel suspicandi quod proferens habeat in corde hæresim, vel errorem aliquem circa fidem, sed solùm peccat in abusu vocum diuersarum ab vsu communi, quo solent à fidelibus vsurpari. Vnde non placent omnino exempla, quæ affert Lorca, nempe si quis dicat: *perniciosum est ditare Clerum*: vel si dicat, *Papa non debet dici sanctissimus ratione officij*: nam hæ propositiones potiùs videntur sapere hæresim, vel saltem suspectæ de hæresi eorum, qui dicunt esse contra præceptum Christi, quòd Clerici possideant diuitias, vel eorum, qui negant Papam esse supremum Ecclesiæ vniuersalis caput. Melius exemplum est, quod affert Hurtado; si quis dicat, *in Deo sunt tres essentiæ relatiuæ*; quæ propositio nullam habet suspicionem hæresis in proferente, omnes enim credunt, eum non ponere tres essentias in Deo, quas Catholici negant, sed solùm tres subsistentias relatiuas, quas tamen non deberet significare nomine *essentiæ relatiuæ*, quia nomen *essentiæ* reseruatum est à Doctoribus Catholicis ad id solùm, quod commune est omnibus personis.

93 *Propositio piarum aurium offensiua, an distinguatur à malè sonante?*

Propositionem verò piarum aurium offensiuam multi non distinguunt, vt diximus à malè sonante; quia id quod auribus absonat propter vocis abusum, aures offendit: nec hîc nomine *piarum aurium*, intelliguntur nisi aures Catholicæ, & fideles ita aliqui, quos affert, & sequitur Lorca *vbi supra num.* 14. *qui num.* 16. aduertit, has pias auras debere esse prudentes, & doctas; nam imprudentes, imperitos, & maleuolos offendit aliquando propositio, quæ doctos, prudentes, & beneuolos non offendit, & hæc non debet dici piarum aurium offensiua. Alij distinguunt hanc à malè sonante, quia hæc addit aliquid in ordine ad religionem. Nam specialiter offendit pias aures, quando aliquid indecens, vel indignum in materia religionis sentitur, vel profertur: ita Suarez *vbi supra nume.* 19. Addit verò Hurtado *vbi supra* §. 38. illam propositionem propriè pias aures offendere, qua indecorum aliquid Deo, vel sanctis, non tamen falsum asseritur; vt si actiones humanæ Christi omni homini necessariæ, vel eius membra explicentur nominibus obscœnis. Idem est, si de statu Ecclesiastico, cæremoniis, sacris, sanctisque viris dicantur ridicula, quibus modestus auditor rubore suffunditur. Vnde aduertit, quamuis hic gradus culpæ minor sit, quàm malè sonantis, quod attinet ad falsitatem, quia sine falsitate, & sine incongrua significatione vocis potest propositio offendere pias aures; in genere tamen moris esse grauiorem; quia procedit ab animo procaci, & effrænata lingua.

94 Ego existimo, hanc censuram differre in rigore à malè sonante, quia malè sonans abutitur vocibus extra communiorem significationem, eas applicando ad minùs vsitatam; quare eius indecentia consistit in vsurpatione vocum, quæ habent malam significationem, & falsam, licèt non vsurpentur ad illam, sed ad aliam veram. At verò propositio, quæ solùm offendit pias aures, vsurpat voces in sola propria, & vsitata earum significatione, & nihil falsum dicit, nec vocibus habentibus aliam significationem falsam, sed tamen dicit id, vel tali modo, vt fidelium pietatem, & reuerentiam, si non extinguat; ad minus ex se tepidiorem reddat: & ideo aures piæ horrore huius imminentis tepiditatis, auditis iis vocibus offenduntur.

95 Dixi autem, hanc culpam consistere, vel in eo, quod dicitur, vel in modo, quo dicitur, vtrumque enim offendere potest pias aures. Aliquando quidem prouenit hęc offensio ex re ipsa, quæ dicitur, quæ licèt sit in rigore vera, non debebat tamen dici, quia propter fragilitatem, & consuetudinem humanam, non audiuntur sine offensione omnia, quæ in rigore vera sunt. Exemplum esse potest, si aliquis excommunicatus, & nondum absolutus, sed tamen præuia contritione iustificatus occidatur interim propter fidem, & martyr fiat: verum quidem erit in rigore, quod mortuus fuerit perseuerante adhuc excommunicatione, à qua non fuerat adhuc ritè in Ecclesia absolutus: si quis tamen postea dum eius festum celebraretur, diceret, colimus, & celebramus publicum excommunicatum & anathematizatum, offenderet aures pias, quia diceret id, quod de tali sancto, vel tacendum fuisset, vel saltem non nisi ad eius gloriam, & commendationem proferendum, qui censuram ecclesiasticam apud Deum, sanguine gloriosè profuso compensauit. Idem esset, si aliquis non sine graui fundamento putans debere ex Breuiario expungi narrationem aliquam, vel circunstatiam historiæ, tanquam minùs veram, diceret. *Ecclesia nobis fabulas, & Apocrypha narrat*: vel si indulgentias aliquas sine sufficiẽti causa concessas fuisse sciens, diceret, *eas indulgentias ridiculas esse, & fabulas aniles pueris solis proponendas*. Hæc & similia offendunt meritò pias aures, & pietatem, ac reuerentiam minuunt. Aliquando verò peccatur in modo solùm, & vocibus indecentibus, quibus res alioquin veræ enarrantur, vt in exemplo proposito de Christi membris sanctissimis, vel actibus necessariis, & naturalibus per obscœnas voces significatis, vt si aliquis diceret, *Magdalena meretrix, Matthæe vsurarie, & auare, Petre periure, & Apostata, orate pro nobis*: quæ quidem vix vnquam sine blasphemia non hæreticali proferri possunt, & meritò in malitia morali præcedunt alias propositiones solùm malè sonantes, quæ eiusmodi irreuerentiam in Deum, vel sanctos non inuoluunt.

De Propositione temeraria, scandalosa & seditiosa.

96 *Quid sit Propositio temeraria.* Propositio temeraria apud censores Teologos est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut quæ contra doctores Te ologos sentit sine sufficienti fundamento, quale esset, si magni ponderis ratio, vel graui doctoris auctoritas, qui rem bene discussisset pro ea etiam parte reperiretur. Ad hoc autem, vt propositio hanc censuram mereatur, debet esse in materia propriè Teologica; nam quæ solùm est talis in materia merè philosophica, vel Astrologiæ. v. g. erit quidem temeraria in philisophia, vel Astrologia non tamen dicetur temeraria simpliciter; & absolutè, quia hæc censura vsurpatur solùm in iis, quæ res Theologicas concernunt. Talis erit, si aliquis dicat, aliquem alium sanctum præter Beatissimam Virginem conceptũ fuisse sine peccato originali, quamuis hæc grauiorem censuram fortasse mereretur; vel eandem Beatissimam Virginem non esse assumptam in corpore, & anima in Cœlum, vel etiam qui negat historias pias communiter ab Ecclesia receptas, & propositas, v. g. quod Christus B. Thomæ Aquinati dixerit: *bene scripsisti de me Thoma*, & his similia.

97 Vt verò hæc censura ab aliis distinguatur, & inferior illis sit, aliquid addendum est: nam in rigore omnis etiam propositio hæretica, vel erronea est temeraria, cùm sine sufficienti fundamento opponatur communi doctorum sensui; sed temeritas apud Theologos aliquid minus significat, nempe imprudentiam in opponendo communi aliorum sensui sine fundamento in materia Theologica; quæ imprudentia à Theologis apellatur meritò temeritas, sicut etiam non caret imprudentis culpa, qui in materia philosophica singulariter opinatur contra aliorum philosophorum sensum sine fundamento sufficienti, licèt culpa, & imprudentia non appelletur in ea materia in scholis temeritas simpliciter, vt diximus, sed cum addito, nempe sententia temeraria in Philosophia. Vltra hoc tamen addendum est quod propositio illa temeraria in materia Theologica peccet solùm in hoc, & non sit etiam contra fidem directè, vel indirectè: alioquin non diceretur temeraria, sed hæretica, vel erronea, aut hæresim vel errorem sapiens, vel proxima hæresi, vel errori, &c. Quando ergo dicitur *temeraria* eo ipso significatur, quòd per illam non negatur obectum fidei directè vel indirectè, nec in ipsa, vel in vocibus sit suspicio contra fidem, sed solùm quòd in rebus non reuelatis, & tamen ad Theologiam, vel pietatem spectantibus opponatur sine fundamento communi doctorum, & fidelium sensui. Dicitur autem meritò hæc etiam censura Theologica, quia licèt propositio merè temeraria non neget fidem, nec conclusionem Teologicam; negant tamen temerè, & imprudenter aliquid ad Theologiam spectans, & ad doctrinam communem circa res, quæ spectant ad pietatem, & salutem, quam doctrinam, & communem fidelium sensum, multum refert indemnes conseruare, & coërcere effrænatam pro libito opinandi libidinem, & temere asserendi quidquid cuilibet arridet, ex quo paulatim gradus fit ad audendum etiam circa alia, quæ propius ad fidem accedunt: sunt enim hæc omnia quasi antemuralia, quæ doctrinam fidei muniunt, quibus ablatis facilior patet aditus ad fidem ipsam, vel alia dogmata fidei proxima oppugnanda: quare propter connexionem aliquam, licèt nõ necessariam, nec euidentem, quam cum fide habent, exigunt peculiarem reuerentiam, ne facilè, & temerè contemnantur. Qui enim hodie communem Patrum, vel doctorum sensum, circa conclusionem aliquam non reuelatam spernit, cras spernet communem Patrum sensum in aliquo scripturæ loco interpretando, & dicet, eos omnes in eius intelligentia deceptos fuisse, quod proprium hæreticorum est dicentium, verba scripturæ non esse iuxta Patrum, & doctorum, sed, iuxta cuiusque sibi melius sapientis sensum accipienda.

98 Dubium est, an propositio temeraria sit, quæ non habet pro se Patres vel doctores graues ita sentientes, quæ dici soleat temeraria priuatiuè, an verò illa solùm, quæ habet contra se Patrum vel Doctorum sensum communem, quæ dici solet temeraria positiuè. Nam Suarez *disp. 3. sect. 2. num. 20.* vtramque dicit esse dignam censura, licet mitiori, quæ est solùm priuatiuè, quam quæ est etiam positiuè; Hurtadus verò *sect. 1. §. 41.*

§.41. negat, eam censuram competere temeratiæ solùm priuatiuè, eámque dicit, solùm dici improbabilem. Sed fortasse de re non poterit esse controuersia: nam illæ, quæ appellantur temeratiæ, solùm priuatiuè, aliquid habent etiam de gradu positiuo, licèt in hoc differant ab aliis, quòd Patres, & doctores de iis explicitè, & in particulari non fuerint loquuti sicut de aliis, sed solùm implicitè, & in communi, v.g. quòd aliquis sanctus fuerit conceptus sine peccato originali præter Deiparam, quod exemplum affert ibi Suarez. Nam licèt de illo sancto non fuerint Doctores loquuti, posuerunt tamen propositiones vniuersales illum sanctum comprehendentes, & omnes alios, in quibus non inueniantur rationes adeo efficaces ad hanc exceptionem, quales reperiuntur in Deipara: imò hæc assertio grauiori, vt dixi, censura digna videtur. Huc etiam spectat illud aliud exemplum, quod affert, de affirmante sine reuelatione vt certum, quod dies iudicij erit intra centum annos. Nam hoc etiam affirmare ex propria ratione, & discursu vt certum videtur esse contra regulam generalem, & sensum communem, quòd Deus voluerit arcanum illud esse occultum nec posse à nobis ex principiis aliis, sine reuelatione diuina certò cognosci. Itaque optima regula ad dignoscendum, an propositio aliqua sit temeraria, quamuis de ea explicitè Patres, vel doctores non sint loquuti, hæc esse potest. Nimirum attendere, quid dixissent Patres vel doctores interrogati de hac propositione in particulari, quantum ex reliqua eorum doctrina colligere possumus. Si enim certum est, eos licèt de facto propositionem hanc non expressérint, negaturos tamen illam fore, si eis proponeretur, hoc sufficit, vt censeatur temeraria, cùm sit contra habitualem saltem Patrum, & Doctorum sensum, qui ita fuerunt, & sunt habitualiter dispositi, vt interrogati ita formaliter dicerent, & exprimerent: quando verò manemus verè dubij, & ancipites quid dixissent, vel dicturi sint, si hoc explicitè proponatur, non debet censeri temeraria, licèt non habeat positiuè pro se communem sensum, quia nec à formali, nec ab habituali doctorum sensu recedit.

Optima regula ad dignoscendū, an propositio aliqua sit temeraria.

99 *Propositio scandalosa, vt aliquid addat supra prædictas Censuras.*

Propositio *scandalosa*, vt aliquid addat supra prædictas censuras, intelligi debet, quæ præstat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando auditores ad peccata, vel auocando eos ab exercitio virtutum. Tales sunt propositiones detrahentium religioso statui, pericula item piorum exercitiorum exaggerantium, vnde tepescunt homines, & timent, ne in iis periculum sibi lateat. Item si quis populo ad venerationem Eucharistiæ, vel ad sepulchrum alicuius sancti concurrenti, dicat, *quis scit an hæc hostia sit consecrata? quis scit, an hoc sit corpus illius sancti, & non sit corpus alicuius malefactoris loco illius suppositum?* Quæ omnia in aliquo vero sensu possunt non esse contra fidem; generant tamen scandalum, & remouent homines ab exercitio pietatis. Aliud exemplum affert Suarez *num.* 19. nempe si quis absolutè dicat imagines non esse adorandas. Hæc tamen propositio plus est quàm scandalosa, cùm erret etiam circa ipsum dogma fidei, vt constat ex Concilio Tridentino *sess.* 25. Et ex formula professionis fidei per Pium IV. edita, & quam omnes Episcopi, & aliæ personæ emittere tenentur.

Seditiosa

Seditiosa propositio videtur, quæ ad seditionem contra Principes, vel ad tumultus in Republica excitandos conducere potest. Hæc tamen propositio nisi aliunde opponatur doctrinæ fidei, vel communiter apud doctores receptæ, non videtur esse censura Theologica. Potest tamen Ecclesia meritò eiusmodi propositiones prohibere, sicut & alias, de quibus nunc dicemus, licèt non videantur ad fidei doctrinam pertinere.

Propositio quæ dicatur?

De quibusdam aliis propositionum censuris.

100 *Propositio blasphema quæ?*

Sunt & aliæ notæ, quibus interdum propositiones aliquæ affici solent. Primò solet dici aliqua propositio *blasphema*, quæ scilicet iniuriam & irreuerentiam contra Deum, vel sanctos continet, quæ aliquando potest simul errare contra fidem, & erit blasphemia hæreticalis: aliquando solùm peccat contra reuerentiam debitam Deo vel sanctis, aut rebus sacris, & tunc solùm dicetur *blasphema*, verbi gratia, si quis dicat: *intolerabilis fuit pertinacia aliquorum sanctorum Patrum in defendendis suis priuatis erroribus, quos habuerunt.* Quæ & similia verba irreuerentiam grauissimam contra sanctos continent. Quod idem reperiri potest erga res sacras inanimatas: quale fuit quod per iocum non sine blasphemia dixisse fertur Elizabetha impia Henrici Regis ex Anna Bolena filia; quæ cùm de more, adepto Regno, ungeretur oleo sacro, postea sub papilionem parumper ad regales vestes induendas diuertens, nobilioribus circunstantibus ancillis dixisse fertur; *Abite, ne fœtor huius olei vos offendat.* vt refert Sanderus *lib.* 3. de Schismate Anglicano paulò post initium. Verba sanè tali Auctore digna, quæ non solùm blasphemiam, sed saporem, & odorem, vel fœtorem hæresis animo conceptæ præ se ferebant, quæ paulò post in lucem orbis apertam imprudentissimè erupit.

101 *Quæ propositio dicatur impia?*

Secundò dici solet aliqua propositio, *impia* quam aliqui mitiori vocabulo, sed minùs aptè dicunt, *non piam.* Solet autem hæc censura tribui doctrinæ, qua verus Dei cultus euertitur, vel minuitur, sed posset etiam extendi ad eam, qua cætera pietatis, & præsertim misericordiæ erga proximos opera impediuntur; multóque magis, si debita erga parentes, vel rempublicam officia dissuaderet, qualis erat Pharisæorum doctrina, quos Christus reprehendit Matth. 15. qui vt oblationes templi augerent, eas præferebant pietati erga parentes, filiósque impiè, licèt pietatis prætextu, à debita pietate auocabant.

102 *Quæ dicatur iniuriosa.*

Tertiò dicitur propositio aliqua, *iniuriosa.* Et quidem, si iniuria sit in Deum, vel sanctos, aut res sacras, erit blasphemia. Potest tamen aliquando esse contra alios, quorum honori consulit meritò Ecclesia prohibens, & seuerè puniès libellos famosos contra Principes etiam sæculares, aut contra personas publicas, contra ordinem aliquem religiosum, contra Prælatos, Cardinales, & alios. In quibus casibus, licèt nihil contra fidem mediatè, vel immediatè dicatur: sed tamen dicitur contra charitatem, iustitiam, & alias virtutes, quarum indemnitas pertinet etiam ad Ecclesiæ curam, quæ sicut non solùm prohibet libros contra fidem, sed etiam eos, qui sunt contra bonos mores, ita potest linguam coërcere ab eiusmodi propositionibus, quæ grauissimè bonos mores perturbare possunt, licèt nul-

lam prorsus hæresis suspicionem secum afferant.

103 *Quæ Propositio schismatica?*

Quartò dicitur propositio *schismatica*, quæ sine hæresi promouet schisma, vel illud generare potest, vel ad illud inducere. Quintò dicitur aliquà propositio *superstitiosa*, quæ nullum quidem errorem, sed tamen superstitionem docet: & eiusmodi propositiones prohiberi solent frequenter, & meritò ab Inquisitoribus fidei. Sextò, solet propositio appellari *arrogans, vana, stulta, insana*, quæ vt notauit Lorca *disp.* 40. *num.* 25. non sunt censuræ Theologicæ: addo, nec significare qualitatem propositionis, nisi aliquid magis in particulari adiiciatur.

104 *Quæ propositio iudicetur improbabilis?*

Vltimò solet propositio aliqua iudicari *improbabilis*, quam non esse censuram Theologicam dicit Hurtado *dicta disp.* 81. §. 46. & §. 51. sed plerumque pertinet ad iudicium inquisitorum fidei, quatenus si est in materia morali, potest præiudicium afferre bonis moribus, cùm homines indocti, qui non possunt discernere, nec iudicare de vera probabilitate, facilè arripiunt laxiores opiniones, quas ab hominibus doctis propositas, & approbatas inueniunt. Si autem materia est merè speculatiua, & ex qua nullum fidei præiudicium mediatè, vel immediatè imminet, non ita strictè cum illis agi solet, sed relinquitur examini, & disputationi Doctorum. Præsertim cùm non rarò videamus fieri, quod opinio aliqua, quæ hoc tempore non apparet probabilis, postea excusso timore, & accedentibus nouis Auctoribus, probabilis euadat. Sicut è contra quamplures opiniones quæ apud antiquos scriptores probabiles erant, nunc iam re melius examinata, & sine Auctore desertæ, antiquatæ, & improbabiles reputentur. Pendet enim probabilitas magna ex parte ex iudicio prudentum, & auctoritate extrinseca, quæ successiuè variari possunt, & consequenter sententiæ probabilitas: quod in aliis censuris Theologicis non ita fit, nisi denuo auctoritas Ecclesiæ accedat, quæ clariùs diuinam reuelationem proponat, atque ideo faciat, vt iam censeatur hæretica propositio, quæ antea sub opinione inter Catholicos erat, vel fortè vocabula ipsa in sua significatione varientur, atque ideo possit propositio aliqua nunc admitti, quæ antea reiiciebatur. Tunc tamen, licèt videatur esse eadem propositio materialis quoad voces, non est tamen eadem propositio formalis, cùm voces non retineant eandem significationem formalem, quam antea habebant. Vnde è contra reperiuntur apud Patres loquutiones aliquæ circa fidei mysteria, quæ nunc prolatæ malè sonarent, eo quod vsus voces illas in alia significatione vsurpat. Imò eadem mutatio obseruari potest apud scholasticos, quorum aliquando sententiæ deseri videntur nonnullis, cùm reuerà non deserantur, sed tota variatio facta est in vocibus, quæ tempore sancti Thomæ, v.g. vel Bonauenturæ paulò diuersam significationem habebant ab ea, quam nunc habeant, & cogitur eandem rem contrariis vocibus significare, quorum exempla non rarò prudens, & doctus Magister pleraque obseruare poterit.

Dubia aliqua, & notationes circa prædicta.

105 *Propositiones quæ iniquè*

Addenda sunt aliqua notatu digna circa propositionum censuram. Primum est, posse esse dignam censurâ propositionem, quæ iniquè aliam propositionem censurat, vt notat Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 21. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 1. *numero* 9. & alij. Et quidem, si propositio de fide afficiatur censura, iam propositio illa reflexa esset hæretica, cùm negaret, & damnaret propositionem de fide. Similiter si conclusio Theologica afficeretur censura, propositio illa reflexa esset erronea, cùm reprobaret conclusionem illam Theologicam, & sic de aliis. Quando verò censura cadit supra propositionem veram quidem, vel probabilem non tamen talem, vt qui eam simpliciter negat mereatur censuram, magis dubitari potest, an qui eam non solùm negat sed damnat, & graui censura afficit, dignus sit censura aliqua; in quo casu loqui videntur prædicti auctores. Et loquendo de possibili certum videtur: nam sicut in aliis quæstionibus, quæ à Theologis agitantur, assertio aliqua contra communem Theologorum sensum, & sine sufficienti fundamento proposita censetur temeraria: sic quando Theologi tractant, an aliqua propositio sit digna censura, si aliquis id affirmat, aliis omnibus negantibus, & id quidem sine sufficienti fundamento asserat, tunc hæc assertio reflexa censebitur temeraria, cùm in re Theologica, sine fundamento sese opponat communi aliorum doctorum sensui. Quando verò propositio illa ab aliquibus doctoribus censuratur, licèt id fortasse improbabiliter faciant, censura erit ad summum improbabilis, probabilis autem, si aliqui alij probabiliter ita sentiant, licèt alij probabiliter etiam id negent. In quo excedunt procul dubio aliqui, qui sine fundamento censuras proferunt, & nouissimè excessit Lussius Turrianus in suis centuriis censurarum, contra plures sententias probabiles grauissimorum Doctorum; quare continget, quòd hæ propositiones reflexæ damnantes alias, sint simul iniuriosæ contra auctores graues, & doctos iliarum sententiarum, quæ immeritò damnantur, qui grauem patiuntur iniuriam ex censuris huiusmodi ab aliis prolatis. Ideoque meritò Ecclesia, & Pontifices eiusmodi propositiones reflexas, & censuras temerè prolatas grauiori nota inurere, & prohibere solent, quia offendunt doctorum animos, & iurgia, ac scandala inter scholasticos, & magistros generare solent.

Secundò notandum est, solere aliquando Ecclesiam, non solùm propositionem, vel assertionem aliquam reprobare, aut prohibere, sed etiam censuræ gradum determinare, dicendo illam esse hæreticam, vel erroneam, vel piarum aurium offensiuam, &c. in quo casu quæruntaliqui, an Ecclesiæ iudicium circa gradum censuræ certum sit, & infallibile. Et quidem non est dubium, quando Ecclesia determinat, & declarat aliquam propositionem esse hæreticam: nam tunc implicitè declarat contradictoriam esse de fide: non potest autem Ecclesia aberrare proponendo nobis aliquid vt de fide, quod non sit reuera de fide: alioquin tota nostra fides nutaret, quæ fundatur supra fundamentum Apostolorum, & Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

De aliis autem censuris potest esse maior difficultas. Ratio autem dubitandi esse potest primò, quia si certa est Ecclesiæ censura, sequitur quòd ipsa censura destruat seipsam: nam si Ecclesia declarat aliquam propositionem esse erroneam, temerariam, &c. eo ipso constat esse falsam: si

ergo

ergo infallibile est eiusmodi Ecclesiæ iudicium: infallibile erit propositionem illam esse falsam, repugnaret ergo declarare illam solùm vt erroneam, vel temerariam, quia eo ipso in actu exercito redderetur hæretica. Secundò, quia Ecclesia aliquando declarat aliquam propositionem solùm vt probabiliorem, provt facit in Clementina vnica de summa Trinitate, & fide Catholica circa sententiam ponentem in paruulis baptizatis virtutes infusas. Si autem iudicium illud Ecclesiæ est infallibiliter verum, iam illa sententia non esset deinceps solùm probabilior, sed omnino certa, quia si non esset infallibiliter vera, sed falsa, Ecclesia erasset declarando illam probabiliorem: probabilior enim esset sententia contraria, & meliora haberet fundamenta, cùm fundata esset in veris, & solidis fundamentis, & eius contradictoria non haberet vera, & solida fundamenta, sed solùm apparentia.

108 Communiter tamen doctores fatentur, Certum esse Ecclesiæ iudicium in his censuris statuendis. Bañes *in præsenti quæst. 11. art. 2. in fine* dicit esse errorem, vel errori proximum dicere, posse Ecclesiam in eo iudicio errare. Malderus *ibidem membr. 5* dicit hæreticum esse, qui id pertinaciter affirmaret. P. Coninch *disp. 18. dub. 8. n. 134.* dicit esse valde probabilem hanc Malderi sententiam P. Luisius Turrianus *in præsenti disp. 55. dub. 5. §. Deinde in aliis*, dicit esse errorem dicere, quod in his censuris decernendis possit Pontifex summus errare: quod dubium sub eisdem verbis transcripsit postea in disputationibus selectis *part. 1. disp. 30. dub. 3.*

109 Ego etiam id puto vel esse erroneum, vel errori proximum, quia infallibilis Spiritus sancti assistentia Ecclesiæ promissa non videtur limitanda ad ea solùm dogmata, quæ tanquam de fide proponuntur, & creduntur ab Ecclesia, sed debet extendi ad ea omnia, quæ fideles ex præcepto Ecclesiæ credere tenentur. Hinc enim colligunt Theologi summum Pontificem non posse errare in decretis morum, quæ pro vniuersali proponit: quia vt notauit Cardinalis Bellarmin. *lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 5.* si Pontifex loco virtutis præciperet vitium, fideles, qui obedire tenentur Pontifici, deberent credere vitium esse bonum, vt illud honeste amplecterentur, in quo iudicio deciperentur, & errarent omnes, quem errorem, & deceptionem totius Ecclesiæ in iudicando honestum, quod inhonestum, & turpe esset, debet Spiritus sanctus ex peculiari sua assistentia impedire. Hoc autem idem argumentum ad casum præsentem applicari potest: quia si summus Pontifex prohibet fidelibus assertionem aliquam, vt erroneam, temerariam, &c. debent fideles obedire, & cauere ab illa doctrina, tanquam ab erronea, temeraria, &c. debent ergo iudicare turpe esse amplecti doctrinam illam, & quidem tali gradu turpitudinis, qualis reperitur in amplectenda doctrina illa erronea, vel temeraria, &c. Sicut si Pontifex declarat contractum aliquem esse vsurarium, v.g. debent fideles abstinere ab eo contractu ob turpitudinem vsuræ in eo apprehensam. Sicut ergo non potest Pontifex decipere Ecclesiam declarando contractum vsurarium eum, qui iustus, & licitus est, quia faceret, quod fideles omnes deciperentur abstinentes ab eo contractu ob turpitudinem vsuræ in eo falsò apprehensam: sic non potest decipere Ecclesiam declarando aliquam doctrinam erroneam, ver. g. quæ talis non esset, quia eo ipso faceret, quod fideles fugerent eam doctrinam ob turpitudinem erroris in ea falsò apprehensam, atque adeo deciperentur iudicantes eam turpitudinem peculiarem esse in assensu talis doctrinæ, cùm reuera non esset.

Dices Pontificem non habere hanc Spiritus 110
sancti assistentiam, vt non erret, quando egredi vult extra suos limites, vt si vellet de quæstionibus Philosophicis, aut medicis decernere: quod quidem facere videtur, quando declarat assertionem aliquam esse erroneam: nam error, vt suprà vidimus, est, qui opponitur conclusioni Theologicæ: conclusio autem Theologica est, quæ per euidentem consequentiam infertur ex vna præmissa de fide, & altera naturali euidenti. Decernere ergo, quòd aliqua conclusio sit Theologica, est declarare, quòd sequatur ex duabus præmissis, quarum altera sit de fide, & altera euidens lumine naturæ, quæ declaratio non videtur esse totaliter intra sphæram potestatis Pontificiæ. Nam licèt possit Pontifex declarare, an sit, vel non sit de fide altera præmissa, non tamen videtur posse declarare, an sit, vel non sit altera euidens lumine naturæ: hoc enim iam esset posse definire circa quæstiones etiam Philosophicas, vel medicas, cùm non possit decernere erroneam hanc propositionem, *Christus non est risibilis*, quin decernat esse euidentem lumine naturæ hanc aliam, *omnis homo est risibilis*: si enim hæc non sit euidens in Philosophia, illa alia non erit erronea. Si ergo Pontifex non habet assistentiam Spiritus sancti ad iudicandum de illa propositione naturali euidenti, non poterit certò statuere de conclusione an sit erronea.

Respondetur, idem argumentum fieri posse 111
ad probandum non habere summum Pontificem assistentiam Spiritus sancti, ne erret in decretis vniuersalibus circa mores: nam sæpe etiam honestas, vel inhonestas alicuius actus præcepti, vel prohibiti, non pendet solùm ex principio reuelato, sed etiam ex aliquo alio principio iurisprudentiæ, vel Philosophiæ moralis, quod lumine naturæ euidenter cognoscitur, vt quod contractus aliquis sit, vel non sit vsurarius, vel quòd aliquod matrimonium sit, vel non sit validum. Et tamen in iis etiam decretis vniuersalibus agnoscunt Theologi communiter assistentiam infallibilem, ne Ecclesia decipi possit in ordine ad mores: quia Pontifex est in spiritualibus Pastor communis omnium fidelium, quem omnes tenentur audire, & cui debent obedire in iis, quæ pertinent ad salutem: similiter ergo in censuris doctrinæ necessariæ, vel spectantis ad salutem, in quibus non minùs tenentur fideles audire suum Pastorem, & Doctorem vniuersalem, nec minùs ei obedire debent in amplectenda, vel cauenda doctrina, quam ipse ei præcipit, vel prohibet, credendum est habere illum eandem assistentiam Spiritus sancti, ne fideles decipiat, etiamsi eiusmodi iudicium dependeat ex parte à principiis lumine naturali cognoscendis. Vnde sicut dicere solent Theologi, Pontificem habere potestatem directam in res spirituales, indirectam verò saltem in res omnes temporales quando oportet de iis etiam disponere in ordine ad finem salutis spiritualis, cui temporalia omnia debent subordinari, & deseruire: sic dicendum est, posse ipsum, quasi potestate, & assistentia directa decernere circa doctrinas reuelatas: quasi indirectè verò

circa doctrinas naturales, & naturali lumine cognoscibiles, quando harum etiam cognitio deseruit ad doctrinam salutis, & Teologicam stabiliendam, & iudicandam.

112 Vnde faciliùs apparet, quomodo ex eadem Dei assistentia non possit Pontifex errare in aliis censuris, temeritatis, sapientis hæresim, malè sonantis, &c. nam licet iudicium etiam de his censuris videatur pendere ex notitia aliqua humana non reuelata, vt ex sensu Patrum, & Doctorum, à quo recedit temeritas: ex significatione vocum, & specie, quam auditoribus ingerunt, & aliis huiusmodi: in hoc tamen iudicio non permittit Deus errare Pontificem, ad quem spectat indicare fidelibus scopulos, quos vitare debent in doctrina pertinente ad viam salutis, atque etiam voces, quas debent vsurpare, vel fugere, vt castè, piè, & turò, ac propriè loquantur de rebus salutis, provt synodus etiam Tridentina Spiritu sancto edocta decreuit, quomodo propriè in materia Eucharistiæ vsurpandum sit à fidelibus *Transsubstantiationis* vocabulum. Et idem est de iudicio circa alias Teologicas censuras.

113 Ex quibus constat iam solutio eorum, quæ pro ratione dubitandi in contrarium proposita sunt. Ad primum enim negamus sequelam. Nam quando Pontifex prohibet assertionem aliquam vt erroneam, non ideo reddit illam hæreticam, nec eius contradictoriam reddit certam de fide, sed sicut dicit hanc esse erroneam, ita dicit contradictoriam esse conclusionem Teologicam, & habere gradum certitudinis correspondentem conclusioni Theologicæ. Nec enim quãdo Pontifex definit, vel declarat propositionem illato, esse erroneam, definit aut declarat formaliter illam esse falsam, vel contradictoriam illius esse veram: sed solùm dicit illam esse erroneam, hoc est, opponi assertioni Theologicæ, quæ sequitur euidenter ex vno principio reuelato, & altero euidenti. Fateor, ex hoc ipso sequi propositionẽ illam esse falsam, & eius contradictoriam esse veram: hoc tamen non definitur à Pontifice, sed id sequitur ex assertione & definitione Pontificis atque ideo qui postea doceret propositionem illam, quam Pontifex damnat vt erroneam non esset hæreticus formaliter, sed præsumptiuè, quatenus assereret esse verum id, cuius falsitas sequitur ex definitione Pontificis declarantis illud tanquam erroneum. Vnde Bañes, Malderus, & Coninck locis citatis aduertunt, grauiùs errare qui dicit Ecclesiam errare posse, vel errare in iis censuris, quàm qui solùm assereret esse veras propositiones illas ab Ecclesia iudicatas temerarias, offensiuas &c. Quod quidem verum est, si Ecclesia non iudicauit propositionem illam ad minùs erroneam: nam si solùm iudicauit esse temerariam. v.g. ille, qui postea illam affirmat, erit solùm temerarius; qui autem dicit Ecclesiam in ea censura errasse, incurret hæresim in aliquorum sententia, vt vidimus, & in sententia aliorum incurret vel errorem, vel aliquid errori proximum.

114 Dices, qui affirmant esse veram propositionem, quam Ecclesia vt temerariam damnauit, dicit aliquid, ex quo per euidentem consequentiã infertur, quòd Eccclesia, errare possit in iis cẽsuris: si enim propositio illa est vera; ergo Ecclesia errauit iudicando illã temerariam, nam quod verum est, non est temerarium: ergo qui affirmat esse verum, dicit aliquid erroneum, vel errori proximum, cùm dicat id, ex quo euidenter sequitur Ecclesiam posse decipi in iis censuris. Respondeo negando antecedens; neque enim in rigore verum est, eum, qui tenet propositionem, quam Ecclesia vt temerariam damnauit, cogi per euidentem consequentiam ad dicendum Ecclesiam deceptam fuisse in ea censura: nam sicut propositio contradictoria temerariæ non est de fide, nec omnino infallibiliter vera, nec eam Ecclesia definit esse veram, sed solùm quòd sit iuxta communem Patrum, & Doctorum sensum, à quo non nisi temerè receditur, ita propositio temeraria nó est omnino infallibiliter falsa, nec eam Ecclesia falsam esse definit, sed solùm quod sit contra communem sensum Doctorum, & Patrum, & ideo non sine temeritate asseri. Quamuis ergo qui iam asserit, cogatur euidenter fateri, se eam temerè asserere, vel Ecclesiam errasse in ea censura, non cogitur euidenter fateri, quod Ecclesia in censura errauerit, non enim cogitur euidenter fateri, quod non possit aliquando contingere, quod aliquid temerè asseratur, quod tamen reipsa falsum non sit. Quod idem cum proportione dici potest de aliis censuris similibus: nam qui affirmat propositionem malè sonantem, vel piarum aurium offensiuam, vel scandalosam, quas Ecclesia his censuris notauit, non dicit Ecclesiam in censura errasse, nec aliquid, ex quo cogi possit per euidentem consequentiam ad fatendum Ecclesiam errasse in censura, sed cogitur per euidentem consequentiam fateri, quòd vel ipse dicat propositionem malè sonantem offensiuam, aut scandalosam, vel quòd Ecclesia in censura errauerit. Denique qui asserit id quod Ecclesia proximum errori declarauit, non dicitur per euidentem consequentiam fateri, quod Ecclesia errauerit in censura, quia proximum errori, vt suprà diximus, est, quod contradicit conclusioni deductæ ex præmissis, quarum plerique licèt non omnes, iudicant esse alteram de fide, & alteram euidentem, & illationem etiam esse euidentem: non est autem euidens, quod illorum plurium iudicium sit verum, atque ideo non est euidens, quòd qui asserit propositionem illam, vt veram, negare debeat, quòd sit proxima errori, non ergo admittit errorem, illam affirmando, sed solùm in ea assertione censendus erit proximus errori, quamuis grauiorem fortasse censuram mereretur, si adderet Ecclesiam in ea censura deceptam fuisse.

In secundo argumento pro ratione dubitandi adducto, tangitur dubium illud, An Pontifex, vel Ecclesia decernens sententiam aliquam esse probabiliorem, decipi possit in hoc iudicio declarans probabiliorem sententiam, quæ reuerà minùs, vel non magis probabilis est, vel etiam quæ à parte rei falsa sit. De quo egit P. Turrianus *dicta disp. 55. dub. 5. & in disputationibus selectis loco supra citato*, & P. Ferdinandus de Salazar *in defensione pro immaculata Deipara Conceptione cap. 43. §. 1. & 4.* vbi dicunt, nec posse Ecclesiam declarare probabiliorem sententiam minùs probabilem, nec etiam posse contingere, vt falsum reperiatur id, quod Ecclesia aliquando, vel Pontifex probabilius declarauit, provt de facto *in Clementina de summa Trinitate* vnam ex duabus sententiis probabiliorem esse iudicatum fuit. Pro quo P. Salazar *dicto §. 1.* adducit Sotum, Vasquez, & alios, qui tamen id non dicunt, sed solùm

115 Primum dubium.

solùm affirmant, in Concilio Viennensi relato in directa Clementina, electam fuisse tanquam probabiliorem sententiam illam de infusione virtutum in baptismo paruulorum; imò Vasquez in loco ibi allegato, nempe 1. *tom. in* 1.2. *disp.* 86. satis indicat *cap.* 2. ex illo decreto Concil. Viennensis nullam certitudinem pro sententia illa de infusione habituum colligi posse, quia nimirum infrà terminos opinionis relicta fuit.

116 Ego in primis cum prædictis Auctoribus certum puto, non posse Pontificem, vel Ecclesiam errare, quando fidelibus declarat aliquam doctrinam probabiliorem esse, ita vt proponat, & doceat probabiliorem esse, quæ minùs probabilis est. Ad hoc enim applicari possunt rationes pro iudicio Ecclesiæ in aliis censuris, & fundari potest in assistentia Spiritus sancti Pontifici, & Ecclesiæ promissa, qua impeditur, ne doceat fideles falsa pro veris, in iis quæ ad salutem, & pietatem spectant. Sicut ergo Ecclesia proponens alias veritates fidelibus, errare non potest, sic nec poterit errare proponens hanc veritatem, nimirum, quòd talis opinio probabilior sit, quàm opposita: hæc enim est etiam veritas aliqua, quam Pontifex, & Ecclesia absolutè proponit, & docet. Nam licèt non proponat opinionem ipsam, vt veram, sed intra terminos opinionis eam relinquat; propositionem tamen reflexam, seu modalem, nimirum quòd sententia illa sit probabilior, proponit, & docet absolutè, nec hoc relinquit intra terminos opinionis, sed vt certum, & ex proprio sensu absolutè pronunciat hanc sententiam esse probabiliorem. Quare sicut in aliis, quæ absolutè proponit omnibus fidelibus, decipi non potest, sic nec in hoc iudicio reflexo de maiori probabilitate huius partis, quod æquè absolutè, & determinatè proponit.

117 Ad quod confirmandum applicari potest argumentum supra adductum, quia sicut Ecclesia definiens aliquam assertionem esse temerariam, facit, quòd fideles apprehendant in eius assensu temeritatis turpitudinem, cuius timore ab ea caueant, & ideo non potest Ecclesia errare proponendo vt temerarium quod tale non est, quia hoc esset decipere fideles proponendo illis honestum, & bonum, pro inhonesto, & turpi; ita commendans maiorem probabilitatem alicuius sententiæ, eo ipso videtur fidelibus proponere honestatem in ea amplectenda, cùm honestum, & laudabile sit probabiliorem partem amplecti relicta minùs probabili: quare fideles auctoritate Ecclesiæ ducti, eam sententiam amplectentur, quia eius assensus ab Ecclesia vt honestus proponitur, & commendatur: deciperentur ergo ab Ecclesia, si reuera sententia illa minùs probabilis esset, dum honestum iudicant id, quod reuera magis esset contra, quàm secundùm regulam veræ prudentiæ, ad quam spectat probabiliora eligere relicto minùs probabili. Quare, si quis post eiusmodi Ecclesiæ declarationem de maiori probabilitate alicuius sententiæ, diceret eam esse minùs probabilem, & Ecclesiam deceptam fuisse in eo gradu probabilitatis, decernendo, ego hanc assertionem vt erroneam, vel errori proximam facile damnarem.

118 *An contingere possit, vt Ecclesia probabiliora iudicet, & vt talia fidelibus proponat id quod re vera falsum est.*

Maior difficultas est in secundo puncto, an scilicet contingere possit, vt Ecclesia probabilius iudicet, & vt tale fidelibus omnibus proponat id, quod re vera falsum est. P. Turrianus dicto dubio 5. sic ait: *existimo non posse Pontificem errare circa veritatem propositionis, quam declarat esse probabilem (loquimur autem de materia, quæ possit ad mores, vel ad fidem pertinere, licet res non sit de fide. (Nam si in hoc posset Pontifex errare, magnum detrimentum posset sequi in Ecclesia: omnes enim amplecterentur, & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & eius probabilitas in dies creseeret, ac proinde tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendum est.* Huic sententiæ subscribit P. Salazar *dicto capite* 43. §. 1. *vers. in primis autem*, vbi non satis clarè loqui videtur his verbis. *Postquam verò ad eum modum Pontifex declarauit, ac sanxit sententiam aliquam esse magis probabilem, qui oppositum asserit, temeritatis saltem nota dignus est.* Vbi videtur significare, non posse sine nota temeritatis negari assertionem, quam Pontifex probabiliorem esse definit, sed fortasse noluit id dicere, sed solùm, quòd non possit sine temeritate negari, quod eiusmodi assertio probabilior sit, postquam Pontifex eam probabiliorem declarauit. Alioquin contradiceret sibi, qui cùm ibidem multis probet sententiam de immaculata Conceptione Deiparæ propositam esse ab Ecclesia, vt probabiliorem, adhuc tamen §. 2. vers. *ego verò*, fatetur sententiam contrariam sine nota temeritatis posse defendi. Cæterùm posteà § 4. vers. *ergo ex præmissa*, ita concludit: *Pontifex declarans opinionem aliquam esse magis probabilem, circa veritatem illius errare nequit, nec fieri potest, vt quod ipse probabilius esse decreuit, falsum sit a parte rei.*

Ne fidelibus proponat id quod re vera falsum est.

119 Ego quidem in primis puto, quandiu Ecclesia, vel Pontifex solùm declarat, alteram ex duabus opinionibus esse probabiliorem, non extrahi contrariam à statu opinionis, nec tale, ac tantum præiudicium pati vt qui eam teneat, vel asserat, censura aliqua Theologica, vel temeritatis nota dignus sit. Imò aliquando solet Pontifex iustis de causis prohibere ne interim alterutra ex duabus sententiis censura aliqua Theologica ab aduersariis notetur. Per quod tamen præcisè non declarat positiuè vtramque esse probabilem, sed permittit vtramque impunè defendi, & ad vitanda scandala prohibet vtrimque censuras. Sed licèt positiuè dicat alteram esse probabiliorem, non ideo directè vel indirectè prohibitum intelligitur, ne aliquis contrariam sententiam teneat, vel profiteatur nisi id etiam Pontifex exprimat, prout exprimere etiam, & præcipere aliquando posset; quo præcepto prohiberetur solùm actus externus, non verò metus internus, quia dum doctrina ipsa non censuratur, sed manet intrà terminos opinionis, licèt minùs probabilis non esset peccatum saltem graue internum metè assensum contrariæ sententiæ præbere.

120 Ratio autem ex dictis videtur clara quia si Pontifex non posset declarare aliquam doctrinam vt probabiliorem, quin eo ipso contraria assertio maneret digna censura aliqua Theologica, contradiceret sibi eiusmodi declaratio: siquidem ex vno capite protestatur Pontifex, se nihil certum definire, sed solùm maiorem vnius partis probabilitatem declarare relinquendo vtramque partem in statu opinionis: ex altero autem capite sententiam contrariam in actu exercito extraheret à statu opinionis, ad statum doctrinæ temerariæ atque adeo illam etiam aliam, quam dicit esse probabiliorem redderet in actu exercito certam, & à qua sine graui peccato non posset

quispiam etiam per assensum merè internum recedere. Si ergo supponit, posse Pontificem iudicare de mera probabilitate maiore alterius partis citra omnem certam definitionem, aut declarationem, fatendum est, posse id facere, ita vt contraria sententia non maneat adhuc illi Theologicæ censuræ obnoxia.

121 Dices, si post illam Pontificis declarationem aliquis doceat contrariam sententiam, quam Pontifex iudicauit minùs probabilem, eo ipso dicit, eam esse magis probabilem, quod est directè contra declarationem Pontificiam, nec potest ad minus sine temeritate affirmari. Sequela verò probatur, quia qui post decretum Concilij Viennensis, v. g. quo sententia ponens virtutes infusas in paruulis baptizatis, vt probabilior approbata fuit, dixissent, non poni eiusmodi virtutes infusas in paruulis, eo ipso eam sententiam negantem approbaret vt veram, atque adeo vt veriorem, & probabiliorem, quàm, contrariam. Quotiescunque enim magister statuit assertionem aliquam absolutè, videtur etiam absolutè asserere, id sibi verius, & probabilius saltem videri, quàm oppositum: ergo contradiceret Concilio dicenti probabiliorem esse sententiam contrariam affirmatiuam, atque adeo non posset ea assertio temeritatis ad minus notam non incurrere. Respondetur, negando sequelam: nam in rigore loquendo non est idem aliquam conclusionem absolutè, & vt veram statuere, ac dicere eam esse probabiliorem, quàm oppositam. Quod in primis à posteriori constat in hæretico, cui sufficienter in actu priori proximo proponitur fides Catholica, ita vt posset illam amplecti, & per consequens habet indicium euidens de eius credibilitate, quo euidenter iudicat illam esse prudenter credibilem, imò esse obligationem grauem illam credendi doctrinam contrariam, vtpote quæ prudenter credi non possit: quare iudicat euidenter credibiliorem esse doctrinam Catholicam, quàm suam, alioquin non haberet omnia requisita in actu primo ad credendum fide diuina. Cum quo iudicio euidenti non potest stare simul iudicium, quo dicat credibiliorem esse doctrinam contrariam; non potest enim simul iudicare euidenter maiorem credibilitatem nostræ fidei, & iudicare etiam, suam sectam esse magis credibilem, quia hoc esset affirmare simul duo contradictoria: & tamen cum illo iudicio euidenti de maiori credibilitate nostræ fidei, & quod doctrina contraria non potest prudenter credi, habet assensum actualem, quo imprudenter credit doctrinam suæ sectæ. Non est ergo idem credere illam doctrinam, ac iudicare, illam esse magis credibilem, sed potest assentiri illi passi, quam simul iudicat esse minus credibilem. Similiter ergo poterit quis assentiri alicui opinioni, quamuis simul cum Ecclesia sentiat, contrariam esse probabiliorem, & per consequens non sequitur, quòd contradicat Ecclesiæ dicenti, illam esse probabiliorem, ex eo quod præstet assensum contrariæ, quam Ecclesia dicit esse minùs probabilem.

122 Ratio autem à priori est, quia quoties obiectum non proponitur euidenter, sed obscurè, intellectus non conuincitur, nec cogitur ad assensum vnius partis, etiamsi pro illa sint meliora argumenta, quàm pro parte contraria, sed subordinatur voluntati, quæ pro maiori affectu ad vnam partem potest imperare intellectui assensam ad illam partem, in qua apparet etiam aliqua ratio veri, etiamsi prudentia dicket, non illi, sed alteri assentiendum esse. Nam sicut in aliis materiis potest voluntas contra regulas prudentiæ eligere minus bonum, in quo tamen aliqua ratio boni appareat; ita potest eligere contra easdem regulas prudentiæ assensum veri minùs probabilis, dum tamen in eo aliqua species veri appareat. Cùm ergo Pontifex declarans aliquam sententiam probabiliorem non intendat negare probabilitatem alterius, multò facilius poterit voluntas ex aliquo peculiari affectu eligere assensum partis minùs probabilis, cùm in ea non solam speciem aliquam veri, sed etiam probabilitatem inueniat. Vnde sicut voluntate eligente minus bonum, relicto meliori, non est necesse, quod intellectus erret circa excessum bonitatis, vel decipiatur dicendo, illud, quod eligitur esse maius bonum, quàm illud, quod relinquitur, imò iudicat actu, esse maius bonum illud, quod relinquitur; alioquin peccator eligens bonum delectabile turpe, relicto bono honesto, & æterno, erraret semper in fide iudicans, melius esse bonum turpe, quàm bonum honestum: ita intellectus eligés ex imperio voluntatis assensum opinionis minùs probabilis, non est necesse quòd erret circa excessum probabilitatis, sed potest simul, & actu concedere maiorem probabilitatem alterius partis, & tamen assentiri huic alteri minùs probabili: nimirùm namque potest affectus noster, facere vt intellectus assentiatur vni potiùs parti, quàm alteri & communiter is assensus ad minùs probabile procedit ex affectu aliquo ad aliquod aliud bonum, quod voluntas per talem assensum intellectualem intendit.

Vnde vlteriùs addo, licèt pie credi possit nun- 123
quam Deum permissurum, quod summus Pontifex, vel Ecclesia approbet, & proponat omnibus fidelibus, tanquam probabiliorem doctrinam aliquam, quæ à parte rei sit falsa, id tamen non repugnare ex principiis intrinsecis, nec ex aliqua Dei promissione hucusque facta id posse satis colligi. Ratio autem eadem esse videtur, quia si id fieri non posset, idem esset decernere eam doctrinam esse probabiliorem, ac decernere absolutè eius veritatem: quare postquam declarata esset doctrina illa probabilior, non posset vllus fidelis licitè ei dissentire: vel contrariam sententiam tenere, nam eo ipso diceret Ecclesiam proponere vt probabiliorem doctrinam aliquam falsam: quare non minùs tenerentur omnes eam sententiam in posterum amplecti, quàm si contraria sententia damnata fuisset absolutè, & declarata ad minùs erronea, vel temeraria. Consequens autem est apertè falsum, & contra mentem Pontificum, qui declarantes solùm aliquam sententiam esse probabiliorem, non intendunt obligare fideles ad eam tenendam, sed potiùs eo ipso tacitè permittunt contrariam sententiam, & eam intrà terminos opinionis relinquunt: non ergo sentiunt, quòd repugnet iam falsitas in ea sententia, quam dicunt esse probabiliorem, sed solùm de gradu probabilitatis, loquuntur, scientes iuxta commune Philosophi axioma, posse aliquando falsa esse probabiliora veris: possunt enim habere maiora auctoritatis, vel apparentis rationis fundamenta, quæ ea reddant probabiliora, hoc est, magis persuasibilia, & facilia, vt defendantur ab argumentis contrariis: sicut ante reuelatum Trinitatis mysterium probabilius fuit

set

set stando in mera ratione humana, & naturali repugnare Trinitatem personarum cum vnitate essentiæ, quàm id non repugnare, & multò faciliùs iuxta humanum captum id defendi potuisset, quamuis reuera esset falsum, quod idem nunc in materiis non reuelatis contingere potest.

124 Dicet aliquis, non sequi hanc obligationem, ex eo quòd repugnet falsitas sententiæ declaratæ ab Ecclesia probabilioris, quia cùm non sit certa hæc ipsa repugnantia falsitatis, sed solùm sit sub opinione, posset aliquis sequi opinionem contrariam negantem illam repugnantiam, & hoc pacto excusari sequenda sententia, quam Ecclesia declarat probabiliorem, quia probabiliter putat adhuc illam posse esse falsam. Sed contra, quia hæc excusatio esset solùm per accidens: nam si reuerà adest talis repugnantia intrinseca, vel ex promissione Dei, idem erit reipsa declarare aliquam sententiam esse probabiliorem, ac illam esse veram, & solùm per accidens excusabuntur fideles dubitantes de eius veritate, eo quod aliqui dubitent de infallibili promissione Dei, quæ reuera est circa repugnantiam maioris probabilitatis declaratæ cum falsitate. Per se tamen, & secluſa ignorantia declaratio illa obligaret omnes fideles ad amplectendam sine vlla controuersia in posterum sententiam illam declaratam probabiliorem; atque adeo, per se loquendo, non habet Ecclesia potestatem declarandi opinionem probabiliorem, relinquendo eam in statu opinionis probabilioris, & relicta facultate amplectendi contrariam, sed vsus ille, quem Ecclesia habet declarandi opiniones probabiliores, totus est per accidens, & procedit ex ignorantia diuinæ promissionis factæ de assistentia Spiritus sancti, ne declaretur opinio probabilior ab Ecclesia, quæ non sit vera, quam promissionem diuinam, si Ecclesia non ignoraret non posset declarare opiniones probabiliores, sed deberet eo ipso declarare esse veras, ablata omni facultate sequendi opiniones contrarias, quæ omnia, vt constat, non possunt sine absurdis concedi. Et quidem magis derogari videtur auctoritati Pontificum, & Ecclesiæ, dicendo, quòd propter ignorantiam promissionis sibi à Deo factæ exercent potestatem, quam non habent declarandi maiorem probabilitatem alicuius opinionis, sine obligatione illam amplectendi, quàm dicendo non habere hanc assistentiam Dei promissam, vt non declaret magis probabilem opinionem, quæ reipsa falsa sit. Nam primum illud non potest esse sine deceptione Ecclesiæ putantis, se non habere talem promissionem, quam re vera habet: hoc autem secundum potest fieri sine vlla deceptione Ecclesiæ, quæ quidem non errat circa maiorem probabilitatem, cùm illa reperiri possit de facto etiam in ea doctrina, quæ à parte rei falsa sit.

125 Quod denique confirmari potest quia eo ipso quod Ecclesia solùm proponit doctrinam aliquam vt probabiliorem, significat non posse prudenter præstari à fidelibus, nisi assensum probabilem, & per consequens assensum cum formidine formali, & actuali, quæ formido solùm excluditur per assensum certum, & firmum. Formido autem formalis æquiualet huic iudicio, *fortasse non ita est*, per quod satis significatur non repugnare, quod contrarium sit verum; ergo eo ipso quòd Ecclesia proponat aliquid solum, vt probabilius, debent fideles, si prudenter operantur, formidare, & putare, quod non repugnet id falsum esse. Quomodo ergo declaratio illa maioris probabilitatis potest afferre infallibilitatem, & repugnantiam cum falso, quæ eadem declaratio dictat modum assentiendi cum formidine, & timore ne fortè falsum sit id, quod creditur? Timor certè, & maximè timor, & formido prudens, non est de periculo impossibili, sed solùm de possibili.

Contra hoc tamen P. Salazar *loco citato* §. 4. 126
ex Turriano arguit ex illo alio principio communiter recepto, quod scilicèt impossibile sit Ecclesiam totam decipi in doctrina aliqua, quæ concernat doctrinam fidei, vel pertineat ad mores. Quod quidem ipse ita intelligendum putat vt non solùm repugnet omnes fideles vel doctores scholasticos, assensu firmo, & certo aliquod falsum amplecti, sed etiam assensu probabili; nec id solùm dum in Concilio aliquo Episcopi, & Pastores totam Ecclesiam repræsentant, sed etiam extra Concilium, ita vt falsum esse non possit id, quod omnes Episcopi, vel maior eorum pars etiam extra Concilium assensu saltem probabili credit, in rebus ad fidem, vel mores spectantibus. Si autem Pontifex aliquid vt probabilius proponit, eo ipso Ecclesia tota, vel certè maior eius pars eam opinionem amplectitur, ergo ea sententia falsa esse non potest, alioquin iam tota, vel maior pars Ecclesiæ deciperetur, quod repugnat.

Hoc tamen argumentum, ni fallor, retorqueri potest contra ipsos, quia si Pontifex solùm declarat aliquam opinionem esse probabiliorem, tota vel maior pars Ecclesiæ eam solùm probabiliter, & opinatiuè sequetur, tanquam opinionem magis probabilem, vt aduersarij fatentur; ergo assentientur cum formidine, & per consequens saltem implicitè sentient, posse fortasse non esse veram, hoc enim est formidare: ergo iam tota Ecclesia sentit aliquod falsum: nam sentit, posse sententiam illam esse falsam, cùm in sententio horum auctorum non possit ea sententia esse falsa, quam Pontifex declarauit esse probabiliorem. Si ergo est absurdum, quod fideles omnes sentiant aliquid falsum, multò magis hoc absurdum sequitur, in eorum sententia, quam in nostra, cùm iam tunc omnes formident, & dicant saltem implicitè posse illam opinionem esse falsam, quæ tamen in eorum sententia falsa esse non potest. 127

Faciliùs ergo in nostra sententia respondetur, 128
non esse repugnantiam intrinsecam, nec promissionem diuinam Ecclesiæ factam de veritate opinionis, quam Ecclesia declarat solùm, vt opinionem magis probabilem, & ideo fideles non errare, nec decipi, dum formidant, & dicunt, fortasse esse falsam, quia per principia intrinseca, aut promissionem Dei id non repugnat. Quamuis autem non solùm maior pars, sed omnes prorsus fideles, eam opinionem amplectantur, dum tamen solùm eam vt opinionem tenent, consensus ille fidelium non est regula infallibilis veritatis, sed solùm quando aliquid firmiter tenent, & vt dogma; vt docent Doctores, quos idem Salazar ibidem citauit, vocans eos seueriores Theologos, & satis significauit Cardinalis Bellarmin. lib. 3. de Eccles. c. 14. Et quidem cùm ex consensu Ecclesiæ fundamentum accipiant Pontifices, & Concilia ad definitiones fidei faciendas non possent id prudenter colligere ex solo consensu

sensu formidoloso, quo doctores fatentur se de veritate talis doctrinæ dubitare. Quisenim neget, sæculo proximo ante Scotum maiorem partem Theologorum, imò ferè omnes docuisse in scholis B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali? Pero ergo ab Auersariis, an consensus ille Theologorum scholasticorum sufficeret tunc ad infallibilitatem illius doctrinæ astruendam? id quod in plerisque aliis materiis obseruari facile potest: nam quæ opinio hoc sæculo in scholis frequentissima est, & ferè ab omnibus defenditur, sæculo proximo, re meliùs examinata, & nouis fundamentis apparentibus, à paucis retinebitur. Non ergo repugnat aliquandiu maiorem scholasticorum partem opinionem aliquam, vt probabiliorem amplecti, quæ reipsa falsa sit, atque adeo, quamuis posita declaratione Pontificia, de maiori probabilitate vnius opinionis omnes ferè, vel maior pars eam sequeretur, non inde infallibilitatem ex diuina promissione sibi compararet; quamdiu eam solùm vt opinionem, & cum formidine sequerentur.

129 Addidi tamen, posse piè credi, quod licèt circa hoc nulla extet diuina promissio, Deus tamen non permittet ab Ecclesia doctrinam aliquam circa huiusmodi materiam fidelibus omnibus, vt probabiliorem proponi, quæ re ipsa falsa sit. Ratio autem ad hoc ita piè existimandum non est, quòd ex illa declaratione iam fidelium sensus communis in eam opinionem propenderet, qui communis sensus haberi non potest, circa opinionem falsam: sed ratio esse potest, quia Deus dedit summum Pontificem præceptorem, & magistrũ communem, quem omnes fideles audire debent, & eius doctrinam amplecti, atque adeo promisit etiam ita ei assistere, vt iis, quæ circa pietatem, religionem, & mores omnibus fidelibus proponit, errare non possit. Et quamuis tota hæc promissio, & assistentia Dei integra esse posset, etiamsi doctrinam aliquam probabiliorem esset doceat, quæ falsa sit; si tamen reuera sit probabilior, vt dictum est, nec enim tunc falsum doceret, cùm non dicat doctrinam illam esse veram: adhuc tamen ad diuinam prouidentiã videtur aliquo modo spectare, & piè credi potest, Deum semper prouidere, ne opinionem falsam, vt probabiliorem Ecclesiæ proponat. Qua licèt nec tunc Ecclesiam deciperet, ex superabundanti tamen Dei erga Ecclesiam prouidentia, piè credi potest, quod id etiam impediat, ne fidelibus detur occasio etiam indirectè ex Pontificis doctrina adhærendi tenaciùs opinioni falsæ. Negari enim non potest, quod posita illa Pontificia declaratione de maiori probabilitate sententiæ falsæ, reuerentia, & affectus, quem fideles erga Pontificem, & præceptorem suum habent, efficeret, vt maiori propensione deinceps erga opinionem illam ferrentur, & difficiliùs multo ab ea possent remoueri. Quare etsi declaratio Pontificis non contineret falsum, daret tamen occasionem magnam fidelibus adhærendi magis, & magis doctrinæ falsæ; & hoc propter reuerentiam erga communem præceptorem ab ipso Deo fidelibus propositum, quæ redderet difficiliorem inuentu falsitatem, si quæ in ea opinione esset: nam declaratio illa Pontificia tantum pondus opinioni illi addidisset, vt paucissimi deinceps inuenirentur, qui contrariis rationibus aures præberent, imò omnes incumberent ad eas dissoluendas. Possumus ergo piè existimare non permissurum Deum, quòd opinio vnquam falsa, vt probabilior fidelibus omnibus à summo Pontifice proponatur, quamuis de hoc nulla specialis promissio Christi domini nobis, vt dixi, facta sit.

Tertiò notandum puto in hac censuratum materia id, quod propria experientia didici, necesse omnino esse, vt censuræ fideliter, & iisdem verbis referantur, quibus Censores vsi sunt; nam vnius; vel alterius verbi omissio multum conferre potest ad substantiam, vel modum censuræ latæ. Vnde prudenter faciet Censor, si nunquam nisi in scriptis censuram propositionis ibi. dem scriptæ proferat, imò & apud se exemplar propositionis, & censuræ retineat, quo conuincere possit, si vel propositio, vel censura postea alterata referatur. Inueni non semel responsa, vel censuras à me petitas non eisdem verbis relatas, & editas, ita vt necesse fuerit mihi pro meis non agnoscere. In quo aliquis quærelę scrupulus mihi remansit erga P. Thomam Campanellam, qui in suo opusculo de Prædestinatione, & reprobatione statim initio, aliquos suos articulos refert, meo nomine subscripto, & à me simpliciter approbatos sine vlla restrictione, vel explicatione, quos tamen ego, quantum meminisse potui, non ita absolutè probaui, sed cum explicationibus, & limitationibus addendis, quæ ibi desiderantur. Eodemque iure possum aduersùs alios conqueri, quorum tamen nominibus parcendum dixi: lectorem tamen monitum volo, ne facilè approbatores, vel Censores damnet, nisi approbationem, vel censuram originalem videat. Ego certè hanc fidem censoribus meorum librorum ita religiosè seruo, vt si quid postea addendum, vel explicandum mihi occurrat, iisdem denuò notum esse velim, nec vsurpem mihi licentiam sub eorum censuræ prætextu quidquam addere, quod non probauerunt. Nec mirum, cum expertus fuerim, eamdem cautelam ab Illustrissimis Sacræ Rotæ auditoribus prudentissimè obseruari, à quibus, cum ipsis exemplar responsi alicuius moralis meo nomine subscriptum ab vno, vel altero litigante offerri contingit, mandatur exemplar ipsum à me coram notario relegendum, & recognoscendum. Quod quidem prudentissimè fit, quia siue bona, siue mala multorum fides licentiam hanc induxit, vel addendi, vel tollendi, vel sub breuioris compendij prætextu omittendi, quæ ipsis fortasse parum videntur ad substantiam rei spectare, sine quibus tamen prudens Doctor, nunquam censuram, vel responsum illud sui nominis subscriptione consignasset. Sufficiat id breuiter monuisse, vt ex iis quæ ego non sine dolore didici, prudentiores alij in hoc periculo fieri possunt.

Quartò, & vltimò dubitari potest de malitia, & culpa eorum, qui infra hæresim errant in propositionibus, vel erroneis, vel temerariis, vel alia Theologica censura dignis. De quo puncto agit Suarez *disp. 19. sect. 6.* & notat meritò, sicut non dicitur hæreticus simpliciter, & absolutè, qui ex ignorantia errat in fide, sic nec dici simpliciter temerarium, vel erroneum, &c. qui ex ignorantia assentitur propositioni temerariæ, vel erroneæ, sed ad hos gradus requiri cũ proportione aduertentiam ad oppositionem, quam habet cum doctrina Patrum, vel cum conclusione Theologica, &c. Supponit deinde, hos assensus, & assertiones non carere peccato, cùm ab Ecclesia, & Conci-

131

liis

liis damnentur, & puniantur grauiter, nec possint sine imprudentia admitti, imprudentissimum enim est temerè, vel erroneè opinari in doctrina sacra: præsertim cùm hinc sit facilior occasio negandi etiam res ipsas fidei, & scandalum, ac præiudicium magnum proximis inferatur, in quorum mentibus errores in materia tanti ponderis gignuntur.

132 Addit deinde peccatum hoc non esse propriè, & directè contra fidem, nec etiam reductiuè, quia non opponitur diuinæ reuelationi, & quia debet habere speciem propriam, ad quam directè pertineat: omne enim peccatum debet directè opponi alicui virtuti debitæ. Quare dicit, hoc peccatum ex sua specie intrinseca directè opponi studiositati, & pertinere ad curiositatem vitiosam, seu intemperantiam sciendi, contra illud Pauli ad Rom. 12. *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem:* & illud Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus Dei noli esse curiosus,* quod Augustinus peccatum intemperantiæ vocauit lib. 10. de moribus Ecclesiæ c. 21. *Rectè,* inquit, *curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ genus est:* quod de temperantia, & intemperantia spirituali intelligi debet. Potest tamen ex circunstantiis hoc peccatum ad aliquas alias species quasi extrinsecas pertinere; nimirum contra fidem ob periculum, vel detrimentum fidei illatum, quatenus eius fundamenta debilitantur, vel hæresis periculum procuratur; vel contra charitatem, quatenus proximis scandalum præbetur, vel contra iustitiam, quando aliquis ex iustitia, & officio tenetur ad docendam veritatem.

133 Hæc latiùs Suarez ibi, à quibus tamen paulò aliter in aliquibus dicendum puto; & in primis videtur peccatum hoc, quando assertio versatur in materia morali, pertinere etiam ad genus vitij, cuius materiam concernit illa assertio falsa, vt si sit in materia iustitiæ, pertinebit ad iniustitiam; si in materia religionis, ad irreligiositatem, &c. Secundò plerumque eiusmodi propositiones censurabiles esse etiam contra Religionem, quatenus vel continent blasphemiam, vel irreuerentiam contra res sacras, vel ritus, aut vsus Ecclesiasticos. Vnde aliquando etiam erunt contra Duliam, vel Hyperduliam, quando sunt contra reuerentiam debitam sanctis, vel Deiparæ Virgini, & sic de aliis.

134 Tertiò non videtur in vniuersum verum, quòd omnes assertiones censurabiles sint contra virtutem studiositatis. Vidimus enim aliquas propositiones notari censura, propter inordinatum vsum vocum, quibus proferuntur, quales sunt, *sapiens hæresim, sapiens errorem, male sonans, suspecta, piarum aurium offensiua, scandalosa,* & similes, de quibus vidimus supra, posse nullam falsitatem continere, sed sensum verum, qui tamen vel non deberet proferri, vel certè non iis verbis, quæ dubium possunt ingerere, vel suspicionem de alio sensu falso in corde proferentis latente. Vnde non erit contra studiositatem verum illum sensum in corde sentire, sed malitia se tenet ex parte prolationis, vel verborum quibus profertur. Nam si proferens propositionem sapientem hæresim, vel suspectam de hæresi, vel errore, hæresim, vel errorem illum in corde teneat, iam peccat contra fidem: si verò nihil tale habeat in corde, non peccat contra studiositatem, nec contra temperantiam debitam in sciendo, sed potiùs contra temperantiam, & modestiam debitam in loquendo, quam vnusquisque debet obseruare, vt non solùm à falsis abstineat, sed etiam à veri prolatione, quæ vel propter rem ipsam, vel modum, & verba quibus vtimur, offendere possit vel dare ansam suspicandi sensum aliquem falsum, & pernicioſum in hisce materiis, Malitia ergo harum assertionum, quando proferens falsum sensum non significat, non est contra studiositatem, sed contra alias virtutes. Et quidem quando verba propter malum sonum, vel abusum offendunt, vel dubium, aut suspicionem ingerunt de falso sensu, aut falsitate saltem latente in proferente circa fidem, vel circa aliquid, quod connexionem habet cum fide; qualis est conclusio Theologica, vel aliquid aliud, quod oportet firmum esse, ne fides ipsa vacillet; Hæc peccata sunt contra ipsam virtutem fidei. Nam sicut *disp.* 14. *sect.* 1. diximus, confessionem externam fidei esse actum proprium ipsius virtutis fidei, quatenus imperatur ab eodem habitu piæ affectionis, quo volumus cultum diuinæ veracitatis, atque adeo negatio externa fidei opponitur etiam virtuti fidei, quæ eam prohibet, vt repugnantem cultui externo veracitatis diuinæ: sic dicendum est ab eadem fidei virtute, & ab eodem habitu piæ affectionis prohiberi omnes assertiones externas, quæ licèt non ita immediatè, vel clarè, mediatè saltem, vel dubiè præferunt speciem aliquam, vel suspicionem contra fidem: hæc enim omnia derogant cultui debito diuinæ veracitati, quam ob eius infinitam excellentiam ita debemus colere, vt nec mediatè, nec per consequentiam, nec alio modo apparere possit, quod eam negamus; sed ita potiùs obseruare debemus verba nostra, vt synceram omnino fidem ostendant. Vnde meritò hæc etiam peccata ab iisdem fidei Inquisitoribus puniuntur, vtpotè quæ eidem fidei virtuti aduersantur.

135 Quando verò assertiones non censurantur propter oppositionem, vel suspicionem oppositionis cum fide, sed propter alias rationes, tunc malitia non erit contra virtutem fidei, sed contra alias virtutes, v.g. propositio *scandalosa* potest esse extra doctrinam fidei, vt supra vidimus, quatenus præbet occasionem peccandi in aliis materiis, atque adeo malitia erit diuersa in specie, pro diuersitate virtutis, contra quam peccandi occasionem, & scandalum præbet doctrina illa. Propositio etiam *piarum aurium offensiua* si non offendat aures circa doctrinam fidei, sed circa alias materias, pertinebit eius malitia, ad diuersas species iuxta diuersitatem materiæ virtutis, contra quam offensionem præbet. Blasphema verò propositio, quæ errorem, vel falsitatem non continet continebit solam malitiam contra religionem, vel contra duliam, cùm eius malitia desumatur ex irreuerentia contra Deum vel res sacras, aut sanctos, &c.

136 Quæri potest, quid dicendum sit de illo, qui non profert exterius, sed solùm in mente sua habet assensum erroneum oppositum conclusioni Theologicæ: ita tamen, vt non neget vllo modo præmissam de fide, sed solùm præmissam illam aliam naturalem, & idcirco neget conclusionem Theologicam: an hic peccet contra fidem, vel contra alias virtutes? Respondeo, vel ille aduertit, præmissam illam naturalem esse euidentem, & tunc non potest illam negare, & falsam

Quid dicendum sit de illo, qui non profert exterius, sed solùm in mente habet assensum erroneum oppositum conclusioni Theologicæ, &c.

falsam asserere; vel non aduertit esse euidentem, & tunc iterum distinguo. Vel enim scit ab aliis, vel saltem à plerisque iudicari euidentem, licèt sibi euidens non appareat, vel id ignorat. Si ignorat, non admittit errorem, cùm ignoret suam opinionem aduersari conclusioni Theologicæ. Si verò sciat ab aliis reputari euidentem illam præmissam, & tamen pertinaciter dissentiat, non carebit culpa graui, cùm eo ipso sciat propositionem illam esse ad minùs proximam errori iuxta definitionem supra à nobis traditam, de propositione errori proxima, & quidem culpa illa erit contra fidem quia propter connexionem, quam conclusio Theologica habet cum fide, eadem fides videtur obligare ad eam non negandam, sicut multò minùs excusaretur, qui propositionem erroneam crederet, licèt id posset facere, negando solùm præmissam naturalem, ex qua infertur si tamen hic dissensus stare posset cum notitia de euidentia talis propositionis.

SECTIO IV.

De ijs, quæ requiruntur ex parte subiecti ad hæresim contrahendam.

137 DIximus de iis, quæ requiruntur ex parte obiecti, vt propositio sit hæretica: nunc dicendum est de iis, quæ requiruntur ex parte subiecti vt homo censendus sit hæreticus: certum enim est, posse aliquem hæresim credere, & profiteri, quin ipse hæreticus sit ob defectum alicuius conditionis requisitæ ex parte subiecti, quæ conditiones nunc in particulari examinandæ sunt. Aliquæ tamen breuiter indicandæ sunt, quia de iis dixi *Disp.* 18. *sect.* 3. & 4. vbi diximus, hæreticum non esse in rigore proprio, qui etiam post baptismum deserit omnino totam fidem Christianam, & transit ad iudaismum, vel paganismum: ille enim vocatur Apostata, & licèt omnes hæreticorum pœnas incurrat, non tamen est hæreticus, quia hæreticus non est, qui Christum non confitetur, sed qui partem Christianæ religionis propriam retinet, & sub nomine Christiano alios errores contra Catholicam fidem admiscet.

§. I.

De Baptismo, an sine illo possit aliquis esse hæreticus.

138 *An malitia hæresis reperiri possit in homine non baptizato remissiuè.*

SEcunda ergo, & potissima conditio ad hæreticum requisita assignari solet baptismus, pro quo distinguenda est duplex quæstio, Prima esse potest, an malitia hæresis reperiri possit in homine non baptizato, & ille in foro Dei censendus sit hæreticus, in quo sensu loquuti sumus *dicta disp.* 18. *sect.* 3. vbi dixi differentiam hæresis ab aliis infidelitatibus, non desumi ex parte subiecti errantis, sed ex parte obiecti negati: sed tamen ibidem monui, me non agere de hæretico strictè, sed latè sumpto, & in eodem sensu *ibi sect.* 4. dixi, Cathecumenum recedentem à fide posse appellari Apostatam. Secunda quæstio diuersa esse potest, & hæc pertinet ad hunc locum an strictè loquendo, & in foro Ecclesiæ, requiratur baptismus susceptus, vt aliquis dicatur propriè hæreticus. Negat Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione cap.* 8. quia Cathecumenus est intra Ecclesiam saluari enim potest, & extra Ecclesiam salus esse non potest, ergo est membrum Ecclesiæ, cùm sit membrum Christi, cuius fidem profitetur, & ideo possit à Christo salutem participare: ergo est membrum corporis Christi, quod est Ecclesia, & per consequens potest Ecclesia eum iudicare, & punire, sicut quæuis Respublica potest suum ciuem tanquam proprium membrum iudicare, & corrigere.

An strictè loquendo, & in foro Ecclesiæ requiratur Baptismus susceptus, vt aliquis dicatur propriè hæreticus.

Hanc Castri sententiam meritò alij omnes reiiciunt, quos afferunt, & sequuntur Suarez *disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 3. & 6. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *num.* 34. Hurtado *disp.* 82. *sect.* 2. §. 11. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 20. & alij communiter. Ratio autem est clara, quia Cathecumenus quantumlibet desiderium baptismi ostenderit, & fidem mente conceperit, re tamen vera nondum Ecclesiam ita ingressus est, vt Ecclesiæ iudicio subesse possit, vt definitur in Trident. sess. 14. c. 2. his verbis: *cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus de his, qui foris sunt iudicare?* non potest ergo Ecclesia eos, qui nondum per baptismi ianuam in eam sunt ingressi, pœnis suis propter eorum crimina punire, atque adeo licèt in foro Dei hæretici sint, recedendo ab aliquo dogmate Christianæ fidei, non sunt tamen hæretici in foro Ecclesiæ, nec eos sub hæreticorum nomine Ecclesia intelligit, quoties pœnas aliquas aduersus hæreticos statuit. Sunt enim de corpore Christi, atque adeo ad Ecclesiam pertinent, solùm interiùs, & quoad fructus internos, & inuisibiles participandos, non verò exteriùs, & quoad effectus visibiles, quia nondum signo visibili baptismi insigniti sunt, nec per visibilem ianuam sunt ingressi in corpus Ecclesiæ visibile, quare ab Ecclesia, quæ est visibilis Respublica, iudicari non possunt: & hic est sensus, & praxis ipsius Ecclesiæ, quæ nunquam se se ingerit in hæc iudicia, sed ea relinquit inuisibili iudici, qui Deus est, vt innumeris adductis testatur Farinacius *de hæresi quæst.* 178. *a num.* 128. per plures sequentes. 139

Circa hoc dubitatur primò. An qui baptizatus fuit, sed tamen baptismo inualido ob defectum substantialem in materia, vel forma, vel intentione, sit postea hæreticus punibilis ab Ecclesia. Affirmant Alfonsus de Castro, Simancas, Gabriel. Azor, & Farinacius apud Castrum Palao *dicto punct.* 2. *num.* 20. quibus adde Sayrum, & Henriquez apud Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *de officio & potestate Inquisitorum resolut.* 78. quod probat Simancas, quia iste baptizatus est baptismo flaminis, & quia in hac re plus operatur opinio, quàm veritas. Alij tamen communiter, & meritò id negant, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *dicto cap.* 7. *num.* 34. Castro Palao *loco proximè citato*, Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 8. Hurtado *dicta disp.* 82. §. 17. & alij. Quia adhuc in eo casu verificatur ratio à Tridentino adducta, quod ille verè non est ingressus in Ecclesiam per baptismi ianuam, atque ideo foris adhuc sit, quare ad Ecclesiæ iudicium adhuc non spectat. Nec obstat, quod dicebatur de baptismo flaminis: nam illud retorquet bene Suarez aduersus ipsum Simancam, qui negauerat Cathecumenum

An malitia hæresis reperiri possit in homine non baptizato remissiuè.

cumenum posse ab Ecclesia vt hæreticum puniri, cùm tamen Catecumenus etiam baptismum flaminis acceperit, nempe desiderium baptismi. Nec denique potest magis opinio, quàm veritas operari in hoc casu, cùm supponamus constare iam Ecclesiæ sufficienter de inualiditate baptismi suscepti, atque ideo iam non manet opinio de baptismo, sed notitia manifestata de carentia baptismi.

141 *Maurus non baptizatus, Cæsaraugustæ reconciliatus ob delictũ commissum contra nostrã religionem.*

Solùm posset obstare id, quod refert Castro Palao *dicto tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 16. §. 6. *num.* 3. nempe Cæsaraugustæ anno 1619. quemdam Maurum, qui aduersùs fidem nostram delinquit, reconciliatum fuisse, etiamsi allegasset se baptizatum non fuisse, & verè in libro Parochi eius baptismus scriptus non inueniretur. Vnde ipse infert, ad hoc sufficere, quòd in communi hominum existimatione reputetur baptizatus, quia inter Christianos natus, & nutritus est. Cui ex parte fauere videtur Sanchez *dicto capite* 7. *num.* 36. vbi cum Sayro, & Henriquez docet, posse eiusmodi hominem cogi saltem ab Ecclesia ad verum baptismum suscipiendum, quando inualidum suscepit, quia iam ex parte sua illum suscepit. Hoc tamen mihi non satis videtur consequenter dici, quia voluntas suscipiendi baptismum, non dat ius Ecclesiæ, vt cogat ad illum suscipiendum: nam Cathecumenus eo ipso, quòd in albo Cathecumenorum vult adscribi, ostendit voluntatem suscipiendi baptismum, & quidem voluntas illa sufficit, vt si morbo præuentus sensum amitta, vel rationis vsum, possit validè baptizari. Et tamen semper antequam baptizetur, potest ab ea voluntate ita recedere, vt non possit ab Ecclesia cogi ad baptismum, vt faretur expressè Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 6. quia eiusmodi voluntas, & petitio baptismi nullum ius Ecclesiæ dat non subsequuto ipso baptismo: si ergo constat de baptismo vero non subsequuto, non potest ab Ecclesia cogi ad permanendum in ea voluntate.

142 Ad exemplum ergo, & casum Mauri illius suprà adductum dicendum est, vel rem manssisse dubiam, & in dubio præsumptum fuisse baptizatum propter possessionem, & communem existimationem, vt mox videbimus; vel certè illum non fuisse punitum vt hæreticum propter hæresim, sed propter delictum commissum contra nostram religionem. Sciendum enim est, licèt Ecclesia non procedat contra non baptizatos præcisè propter hæresim, vel propter negationem fidei, in aliquibus tamen casibus procedere contra infideles subditos Principibus Christianis, vt constat ex Bulla Gregorij XI. incipiente, *Admodum dolenter audiuimus*, & Bulla Gregorij XIII. incipiente, *Antiqua Iudæorum improbitas*, quas refert Peña inter litteras Apostolicas, in fine directorij, & de quibus tractat Diana *dicta parte* 4. *tract.* 7. *de pœnis delictorum, &c. resolutione* 2. Castro Palao *dicto* §. 6. vbi Inquisitoribus committitur, vt puniant Iudæos, & alios Paganos negantes, quæ in sua secta communia habent cum nostra religione, vt Deum vnum, æternum, omnipotentem, creatorem &c. Item si Dæmones inuocant, colunt, consulunt, vel iis sacrificia, vel thura offerunt. Si Christianos velint seducere, vel ad suos ritus, vel ad alia falsa dogmata sollicitant, vel si eos, qui fidei amplectendæ voluntatem ostendunt, ab eo proposito retrahant, eósve impediant. Si blasphemias proferant hæreticales in Christum, vel Deiparam, vt illum esse peccatorem, hanc non esse virginem, vel alia eiusmodi dicant. Si hæreticos, vel Apostatas adiuuent, vel defendant. Si libros prohibitos deferant, retineant, diuulgent, vel ad id operam suam conferant. Si derisioni habeant Christianos, sacram hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuentes, vel quid simile facientes. Si Christianas nutrices habeant, vel cogant eas, quando communicant, vno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. Quali autem pœna Inquisitores punire debeant infideles ob hæc delicta, tradunt Doctores, quos congerit Diana *dicta resolutione* 2. Vnde alij, quos vbi refert, satis probabiliter inferunt contra alios id negantes, posse ab Inquisitoribus puniri Iudæum, qui ex Iudaismo, ad Mahometismum transit, quia eo ipso negare incipit aliqua nostræ religionis dogmata, quæ Iudæi nobiscum communiter credunt, & profitentur. Vnde constat quomodo Maurus ille non baptizatus puniri potuerit ab Inquisitoribus, non propter hæresim, sed propter alia delicta hic enumerata, quæ etiam in non baptizatis puniuntur.

143 *An is cuius Baptismus dubius est, si in hæresim incidat, puniri possit ab Ecclesia, tanquam hæreticus?*

Hinc secundò dubitari solet, quid dicendum sit de eo, cuius baptismus dubius est, an hic si in hæresim incidat, puniri possit ab Ecclesia, tanquam hæreticus. De hoc agit breuiter Diana *dicto tract.* 8. *resolutione* 113. & refert sententiam Didaci Canteræ *in quæstionibus criminalibus, capite primo de hæreticis, numero quinto*, dicentis, si ille natus est, & conuersatus inter Christianos, præsumi in dubio baptizatum, & puniri tanquam hæreticum: è contra verò si sit natus, & conuersatus inter infideles: de quo non videtur esse controuersia. Difficultas esse potest, quando facta diligentia res manet dubia, an fuerit baptizatus; vel quando constat de baptismo collato cum materia, vel forma, quæ reuera est dubia, & ita manet dubius baptismi valor. Quo casu iuxta principia generalia ego distinguerem: nam vel dubium est positiuum, vel negatiuum: si dubium sit positiuum, hoc est, habens rationes probabiles pro vtraque parte, tunc videri posset, quod Iudex Ecclesiasticus debet iudicare secundùm probabiliorem opinionem, vt cum aliis dixi *tom.* 2. *de Iustitia, disp.* 37. *sect.* 10. *num.* 116. quare si probabilius sit, non esse validè baptizatum, non debet eum punire vt hæreticum; poterit tamen si probabilius sit, esse baptizatum: & in vtroque casu debet iterum sub conditione baptizari. Si autem æquè probabilis sit vtraque pars poterit Iudex quam voluerit sententiam amplecti, vt dixi *ibid. num.* 115. Sed tamen puto in neutro casu puniri posse pœna saltem ordinaria; nec doctrinam illam posse bene ad hos casus applicari, quia procedit solùm de dubio positiuo, & probabilitate, quæ versatur circa ius: quando verò dubium etiam positiuum versatur circa factum, dixi *ibid. num.* 113. fauendum esse Reo. Tale autem est dubium hoc, quod totum versatur circa factum, an hic fuerit, vel non fuerit reipsa baptizatus: quare dum factum manet dubium, non debet reus absolutè condemnari in foro externo, nisi sint aliæ Iuris præsumptiones contra ipsum: an verò possit ad pœnam extraordinariam leuiorem damnari, vide quæ dixi *ibid. sect.* 12. *num.* 141. *& sequentibus:*

in foro autem conscientiæ ipse poterit iudicare se non incurrisse censuras, & alias pœnas hæreticorum, cùm probabiliter iudicet se non fuisse baptizatum, atque ideo non fuisse capacem incurrendi.

144 Quando verò dubium est negatiuum, in quo pro neutra parte fundamenta sunt probabilia, ego putarem reum non posse condemnari, vt hæreticum, nisi contra ipsum staret aliunde præsumptio ex possessione, vel quasi possessione, vel ex aliis capitibus. Ratio est, quia vt condemnetur reus debet probari delictum: si autem delictum nec certò, nec probabiliter probetur, non apparet, quomodo possit condemnari. Delictum verò in casu nostro est hæresis, quæ vt hæresis punibilis sit, debet esse hominis baptizati: si ergo non probetur baptismus, non probatur hæresis punibilis, onus autem probandi incumbit auctori, nisi sit aliunde præsumptio contra reum, quæ in ipsum probandi onus reiiciat.

145 *An is, qui fictè voluit baptizari, cum voluntate nõ recipiẽdi Sacramẽtũ puniri possit tãquam hæreticus.*

Tertiò dubitatur circa hoc ipsum, an si baptismus validus fuit ex parte materiæ, formæ, & ministri, sed inualidus ex parte baptizati, qui fictè, & sine intentione voluit exteriùs baptizari, cum voluntate non recipiendi sacramentum, puniri hic possit propter hæresim tanquam hæreticus. Respondetur breuiter cum Suare *dicta sect.* 5. *num.* 9. & Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum capite* 7. *num.* 35. in foro externo præsumi ab Ecclesia validè baptizatum, atque adeo puniendum vt hæreticum, nisi fictio illa interna aliunde probari possit. Addit bene Hurtado *dicta disp.* 82. §. 8. si seriò absque coactione, sed solo ardore baptismi, dicat se non validè baptizatum, debere Episcopum, aut Parochum illum baptizare absolutè, vel sub conditione pro qualitate argumentorum: credendum enim est, in ea materia præsertim, quando confessio baptismi inualidi non ei deseruit ad fugiendum aliquod periculum, vel incommodum, quod timet si se baptizatum fateatur.

146 *An puniri possit tanquã hæreticus qui se Christianum, & baptizatum profitetur, licèt postea reperiatur nõ validè baptizatus?*

Quartò dubitatur de eo, qui se vt Christianum & baptizatum profitetur, an ea publica professio sufficiat, vt puniatur tanquam hæreticus, licèt postea reperiatur non validè baptizatus. Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 8. *puncto* 16. §. 6. *num.* 3. videtur affirmare cum aliis quos affert: quia ille offendit religionem nostram, quam exteriùs saltem profitetur. Hoc tamen non probat, quòd debeat tanquàm hæreticus puniri, sed sicut puniuntur Iudæi, & alij infideles in iis casibus, in quibus puniri possunt ob religionem Christianam læsam: non tamen puniuntur ob infidelitatem, vel hæresim contra illam. Quare si ille sciret, se non fuisse baptizatum, & tamen se ingereret actibus Christianorum propriis, verb. g. suscipiendo Eucharistiam, & se se Christianum simulando, ne à Christianorum commercio, & cohabitatione excluderetur, posset ob hæc puniri, quia offendit, & lædit Ecclesiam eiusque sacramenta, decipiendo in re graui, & se se sub baptismi ficti prætextu Christianis ritibus ingerendo. Noui ego Iudæum Romanum ita se gerentem, qui etiam cum Christianis ad sacram hostiam accedebat, vt pro Christiano à sociis haberetur, qui tamen, antequam omnino detegeretur Christianus, ni fallor, factus fuit, vt iam licitè prosequeretur in iis, quæ antea illicitè & sacrilegè faciebat.

147 Quintò dubitatur de eo, qui coactus metu baptismum suscepit, an si postea contra fidem delinquat, possit vt hæreticus puniri. Distinguenda est duplex coactio, prima omnino extrinseca, & ipso apertè renitente, & protestante se dissentire, & tunc baptismus est irritus, vtpote collatus adulto sine voluntate cum recipiendi, quæ coactio cum constet Ecclesiæ, non potest pro hæretico haberi, aut puniri. Secunda coactio est, qua ex metu cogitur consentire, consentit tamen, & ostendit se consentire, & hic consensus validus est: nam voluntas coacta voluntas est, & reddit baptismum validum, & fit subditus Ecclesiæ, à qua postmodum puniri potest tanquam hæreticus vt habetur in Concil. Toletan. 4. c. 56. quod postea probauit Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, & docent Doctores, quos congerunt Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *in fine*, & Fatinacius *de hæresi quæst.* 178. §. 6. *n.* 141. & 142.

An qui coactus metu baptismum suscepit, possit vt hæreticus puniri.

§. II.

An in hæretico necesse sit, quòd antea crediderit.

148 LOquimur semper de hæretico punibili ab Ecclesia: nam in ordine ad contrahendam malitiam hæresis iam diximus *supra disp.* 18. *sect.* 3. esse verum,, & substantialiter hæreticum, quicumque profitetur Christum, & aliquos nostræ fidei articulos negat, licèt ille non profiteatur Christum per veram & supernaturalem fidem diuinam, quæ in infideli esse non potest: sicut est Iudæus, qui confitetur vetus testamentum seu Christum in figura, & negat Christum venisse; qui certè non credit vetus testamentum per fidem diuinam, & supernaturalem, vt constat. Sufficit ergo quòd fides Christi obiectiua materialiter suscipiatur, siue per actum naturalem, siue per supernaturalem: omnis enim qui cum professione Christi coniungit alios errores, hæreticus dicitur, sicut dicitur Iudæus, qui profitetur Christum, sed negat venisse. Dubium ergo solùm nunc restat, an puniendus sit, vt hæreticus, & pœnas Ecclesiasticas hæreticorum incurrat, qui nunquam habuit fidem supernaturalem, an verò ad hoc requiratur, quod aliquando fidem infusam habuerit.

An puniendus sit, vt hæreticus & pœnas Ecclesiasticas hæreticorum incurrat, qui nunquam habuit fidem supernaturalem?

149 Hurtado *dicta disp.* 82. *sect.* 2. §. 8. dicit, vt aliquis sit hæreticus, exigi, quòd aliquando fidem habuerit, & clariùs §. 14. necessariam esse ad hæresim eam Christi professionem, per quam homo sit moraliter certus de omni doctrina fidei, & paratus actu, vel habitu ad eam sequendam ex auctoritate Ecclesiæ: alioquin nunquam ille homo fuit in professione Christiana. Hæc autem fides in adulto nunquam separatur ab infusa. Vnde infert ex hypothesi, quòd aliquis erret quin habuerit fidem supernaturalem, eum minimè esse hæreticum. Hæc Hurtadus, qui tamen oppositum significasse videbatur *disp.* 71. *sect.* 3. §. 11. Et quidem negari non potest, id esse contra communem fidelium sensum, & praxim Ecclesiæ, quæ hæreticos simpliciter, & absolutè reputat eos omnes, qui baptismo suscepto, & Christi nomen profitentes errores alios contra fidem tenent, quantumuis Catholici nunquam fuerint, vt latiùs probat Suarez *disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 5. & *disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 1. & 2. & consentiunt alij quos attuli *dicta disp.* 18. *sect.* 3. Quamuis enim qui

qui in infantia baptizatur apud hæreticos, & apud eos in falsa doctrina nutritur, postea factus adultus possit aliquandiu non peccare contra fidem Catholicam, quandiu non ei proponitur sufficienter vt obligetur ad eam amplectendam: postquam tamen fides Catholica ei sufficienter proponitur, vt obligatio eam amplectendi, & relinquendi errores contrarios, si adhuc in iis perseueret, erit hæreticus, & vt talis ab omnibus reputatur, & ab ipsa Ecclesia, quæ nunquam inquirit, an antea Catholicus fuerit, sed solùm an sit baptizatus, & contra fidem Catholicam peccet, quibus stantibus eum excommunicatum iudicat, aliisque Ecclesiasticis pœnis irretitum: non est ergo necesse, quod antea fidem habuerit, vt hæreticus sit, sed sufficit esse baptizatum, & retenta adhuc Christianitatis professione Catholicæ fidei dissentire, quando ei sufficienter proponitur, vt cum aliis etiam notauit Thomas Sanchez *lib. 2. in decalog. c. 1. n. vltimo.*

150 Dices, eos omnes in baptismo fidem suscepisse saltem quoad habitum infusum, quare merito reputantur hæretici, qui postea reiiciunt fidem infusam, quam acceperunt. Respondeo, in primis in mea sententia non infundi habitum fidei sine habitu charitatis, vt dixi *supra disp. 16. sect. 2.* quare licèt infans baptizatus apud hæreticos vtrumque habitum accipiat, adultus tamen, qui ab hæreticis in hæresi culpabiliter existens baptizatur, neutrum habitum accipit, & tamen perseuerans in eodem errore post baptismum est verè hæreticus ab Ecclesia punibilis. Deinde dato quòd adulto possit habitus fidei in baptismo, vel etiam extra baptismum infundi sine gratia, & charitate; id tamen non fit sine aliquo actu fidei infusæ præcedente, tanquam dispositione requisita ex lege Dei, neque id concedunt illi auctores, sed omnes exigunt eam dispositionem in adulto ad primam infusionem habitus fidei. Alioquin posset infundi habitus fidei in baptismo homini perseueranti actu in sua infidelitate, quod est impossibile, cùm peccatum infidelitatis expellat habitum fidei antea infusum. Si ergo adultus perseuerans in sua infidelitate culpabili baptizetur apud hæreticos, non recipit habitum fidei infusum, & tamen postea reputatur hæreticus ab Ecclesia punibilis, licèt nunquam habuerit fidem infusam actualem, nec habitualem. Denique licèt id totum tibi concedamus, nempe in baptismo etiam apud hæreticos infundi semper habitum fidei omnibus, siue paruulis, siue adultis (quod falsum omnino est) nihil contra nos haberetur: nam adhuc verum esset id, quod nunc contendimus, nempe sufficere baptismum susceptum, vt error contra fidem postea reddat hominem hæreticum punibilem ab Ecclesia: si enim baptismus semper affert habitum fidei infusæ, iam error consequens erit contra fidem infusam antea susceptam, & per consequens verum erit, nihil aliud requiri quàm baptismum præteritum, licèt homo ille nunquam crediderit actu fidei infusæ, vllum articulum religionis Christianæ.

151 Dices, hæreticus non est, qui non profitetur Christum, sed erit Iudæus, vel Paganus: non videtur autem profiteri Christum, nisi, qui certò credit in Christum, atque adeo actu fidei infusæ, qui solus certitudinem habet: non enim dicitur Christianus, qui solùm opinionem probabilem haberet de Christiana religione, vel de Christi aduentu iam posito, ergo non est hæreticus, qui non credidit aliquando fide infusa doctrinam nostræ fidei. Respondeo, hoc argumentum, si quid probat, probare etiam quòd cum ipsa hæresi manere debeat fides supernaturalis de veritate Christianæ religionis: in hæretico enim non tam requiritur, quod antea professus fuerit, quàm quòd actu profiteatur Christianam religionem: nam si illam iam nunc non profitetur, non erit hæreticus, sed infidelis, Iudæus, vel Paganus, licèt antea Christianus fuerit. Sicut ergo sufficit in hæretico quòd actu profiteatur Christianam religionem, licèt non illam credat fide infusa; ita multò magis sufficiet illam credidisse etiam sine fide infusa, dum tamen eam non omnino abiecerit, sed ex parte adhuc retineat.

152 *An dicendus sit hæreticus qui de Christiana religione retinet opinionem probabilem, non tamen firmè assensum?*

Potest tamen quæstio leuioris momenti esse, an dicendus sit hæreticus, qui de Christiana religione retinet opinionem probabilem, non tamen firmum assensum. Hoc, inquam, dubium, quoad rem ipsam parui ponderis est, quia siue ille dicendus sit hæreticus, siue infidelis alio genere infidelitatis; si tamen baptizatus est, certum est mihi, quòd possit incurrere pœnas omnes Ecclesiasticas internas, vel externas contra hæreticos statutas; sicut & illas incurreret Apostata, qui post baptismum susceptum transit ad Iudaismum, vel Paganismum, licèt hic non sit propriè hæreticus, sed Iudæus, vel Paganus. Restat ergo solùm quæstio ferè de nomine, an ille, qui solum retinet opinionem formidolosam de veritate nostræ religionis, dicendus sit hæreticus: in quo placet magis, quòd non sit appellandus propriè hæreticus: quia non profitetur propriè Christianam religionem; nam *profiteri* sonat plus quam assensum formidolosum, nempe firmam adhæsionem cum mentis stabilitate, sicut ergo dubius in aliquo fidei articulo est hæreticus, ita dubitans, vel formidans de. Aduentu Christi posito est infidelis, infidelitate quæ reduci potest ad Iudaismum; non tamen erit propriè Iudæus: nam Iudæus profitetur firmiter sectam suam, quod ille non facit, sed fluctuat: quod idem dicendum videtur de habente assensum probabilem, cùm hic etiam formidet. Si tamen aliquis retineat assensum firmum circa alios articulos, & opinionem solam de veritate Eucharistiæ, v.g. hic non solùm reductiuè, sed propriè, & directè esset hæreticus, quia negaret aliquid pertinens ad fidem, nempe infallibilitatem, & certitudinem nostræ fidei circa Eucharistiam. Vnde infero contra Hurtadum *dicto §. 14. disp. 82.* posse aliquem esse propriè hæreticum, & punibilem vt talem ab Ecclesia, qui nec nunc, nec antea professus, vel confessus fuerit auctoritatem Ecclesiæ. Potest enim quoad reliqua religionem Christianam, & Christum confiteri, & credere negando articulum illum de auctoritate Ecclesiæ; quare si baptizatus sit, erit hæreticus negans vnum articulum fidei nostræ, & quoad alios Christianam religionem profitendo, & actu naturali fidei amplectendo.

An qui solùm retinet opinionem formidolosam nostræ religionis, dicendus sit hæreticus.

Potest aliquis esse propriè hæreticus, & punibilis ab Ecclesia qui nec nunc, nec antea confessus fuerit auctoritatem Ecclesiæ.

Aduertunt denique, & fatentur omnes, non requiri in hæretico, quod veritatem, vel articulum illum fidei, quem hæreticè negat, antea crediderit: satis est, quod Christianam religionem quoad substantialia professus fuerit, vel profiteatur: multi enim hæretici fiunt circa dogmata denuo ab Ecclesia definita, de quibus

antea non cogitauerant, vt notat Suarez *d. disput.19.sect.5.num.2.*

§. III.

De deliberatione in hæretico requisita.

153 Deliberatio etiam requiritur ex parte subiecti, vt aliquis sit hæreticus Ecclesiasticis pœnis punibilis,& quidem deliberatio plena, sine qua non datur culpa mortalis;& quamuis possit in hac materia contingere peccatum veniale ex defectu plenæ deliberationis; illa tamen non appellatur *hæresis*, nec punitur ab Ecclesia, quæ nomen hoc applicuit ad illam solam hæresim, quæ cum peccato mortali, & cum plena deliberatione admittitur. Aduertunt autem Doctores, frequenter contingere præsertim scrupulosis mētibus, vt hi dissensus interni sine deliberatione fiant, vel veriùs non fiant, sed fieri appareant ob vehementiam imaginationis, aut tentationis à Dæmone immissæ, remediumque optimum esse eas cogitationes irridere, & de iis non curare: de quo videri possunt Gerson, & alij, quos affert Sanchez *lib.2.in Decal.cap.7.num.13.& 14.* Aduerte item, in foro externo non præsumi defectum plenæ,& sufficientis deliberationis ad peccatum graue in blasphemiis hæreticalibus, quæ impetu vehementis iracundiæ proferuntur, imo grauiter puniuntur,vt contra aliquos notat cum aliis Diana *4.part.tract.7.de pœnis delictorum,&c. resolut.8. & tract.8. de officio & potestate inquisitorum resol.87.* vbi etiam an de vehementi, an solùm de leui,an nullo modo abiurare cogendi sint.

Ad hoc caput deliberationis requisitæ ex parte subiecti spectat potissimum duplex quæstio. Prima est de pertinacia requisita ad hæresim punibilem. Secunda de ignorantia inuincibili, aut etiam vincibili, an & quomodo excuset ab hæresi, & eius pœnis contrahendis, de quibus suo ordine agendum erit duabus sectionibus sequentibus.

SECTIO V.

De pertinacia, an, & qualis in hæretico requiratur.

154 FAtentur omnes, requiri pertinaciam, vt aliquis hæreticus sit, & dicatur, atque adeo, vt hæreticorum pœnas incurrat Ecclesiasticas. Quod supponitur in Conciliorum decretis damnantibus eos, qui pertinaciter contradixerint; in cap. *Damnamus*, de summa Trinit. Clement. *1.5. porro* eodem titulo cap.vnico, eodem titulo lib.6. Clement. vnica §.vltimo de vsuris, & aliis, quæ congerit Suarez *disp.19.sect.3.num.9.* vbi etiam apud Coninch. *disp.18.dub.7.num.76.* videri possunt loca Augustini eam pertinaciam exigentis, & de communi doctorum consensu videri etiam potest vltra alios Farinacius *de hæresi, quæst.196.*& plures etiam congerit Diana 4. parte tract.7. de pœnis delictorum &c.resolutione 36. Quæstio tota est, quanta, & qualis hæc pertinacia esse debeat.

155 *Pertinacem* aliqui cum Isidoro lib.10. sub littera P. volunt dictum esse, quasi *imprudenter* *Pertinacis etymologia.* *tenentem*, quam etymologiam approbare videtur Suarez *dicta sect.3. num.12.* sed alij cum Varrone deriuant à *pertendendo*. Alij fortasse melius deducunt à *per*, & *teneo*, quasi pertinax, sit *nimis tenax*, vt videri potest apud Calepinum in verbo, *pertinax*, vbi etiam afferuntur loca nonnulla, in quibus in bonam etiam partem vsurpatur: frequentius tamen in malam, & in præsenti materia significat procul dubio vitiosam & obstinatam tenacitatem propriæ sententiæ contra sensum Ecclesiæ. Quo supposito primum dubium esse potest, an requiratur pertinacia contra Ecclesiam, an verò sufficiat quod reiiciatur fides sufficienter proposita, licèt nihil proponatur de sensu Ecclesiæ. Diximus enim *supra Disput.1. sect.12.* non repugnare quòd aliquid proponatur, vt euidenter credibile,& cum obligatione id credendi, quamuis non proponatur auctoritas Ecclesiæ: si quis ergo dissentiret, peccaret quidem contra fidem peccato infidelitatis,& perderet habitum fidei infusæ:an verò esset hæreticus, diximus *hac eadem disputatione sect.1.* agentes de iis, quæ ad hæresim requiruntur ex parte obiecti,ad quem locum pertinet hoc dubium.Nam hæc circunstantia non se tenet ex parte subiecti, sed ex parte obiecti,cui per dissensum contradicitur. Vnde ibi diximus casum esse metaphysicum,si res ipsa sit de iis, quæ non ad reuelationem priuatam,sed communem spectant. Semper enim obiicitur auctoritas contraria Ecclesiæ.Data tamen illa hypothesi,eum non fore hæreticum propriè loquendo, quia hoc nomen ex vsu Ecclesiæ vsurpatur solùm ad significandum eum, qui Ecclesiæ Catholicæ sese opponit,quare consequenter ille non incurreret censuras, & pœnas hæreticorum.Semper tamen in foro externo præsumetur hæreticus, quia non præsumetur pertinacia contra reuelationem publicam, sine pertinacia contra auctoritatem Ecclesiæ.

156 Secundum dubium, & magis ad rem præsentem est, an hæc pertinacia dari possit, antequam errans admoneatur de suo errore, & ipse monitionem contemnat. Est enim aliquorum sententia id exigens, atque adeo temporis durationem non modicam, in quo incorrigibilitas appareat, & obstinatio contra monitiones,& correctiones adhibitas. Pro qua citari solent Syluester verbo *hæresis 1.quæst.2.num.5.* & Archidiaconus apud ipsum dicentes hæreticum esse, qui publicè, vel latenter diu in errore persistit. Alij tamen eos explicant,quod loquantur non de culpa ipsa, sed de præsumptione criminis, & pertinaciæ in foro Ecclesiastico.Eam tamen videtur docuisse Alciatus in l.2. Cod. de summa Trinitate, num.3. vbi sic ait: *Pertinacia est, qua hominem hæreticum facit, quapropter si quisquam in Trinitate non rectè sentiat, nisi admonitus persistat, hæreticus non est.* Quod idem docuisse videtur Menochius volum.2. Concil.149. num.49. dicens: *vt quis dicatur hæreticus pertinax, debet constare quod fuit monitus, & instructus de veritate, & quod ea instructione spreta persistat in eadem opinione.* Pro quo citat Lupum, & Turrecrematam, quibus alij addunt Palatium,Rubeum in allegatione in materia hæres. §.3. & fundari possunt in verbis Pauli ad Titum 3. *hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita.* & Augustini contra Manichæos relati in cap. *qui in Ecclesia,24.q.3.* dicentis, *Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid prauumque sapiunt si correcti* vt

vt sanum rectúmque sapiant, resistant contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, heretici sunt. Sed reuera Alciatus, & Menochius explicari adhuc possent, sicut & alij: cùm enim Iuristæ sint, qui de foro externo solùm agunt, in eo solùm foro dicunt excusari posse reum, si monitus non fuit nec correctus, paratus enim erat corrigi, & errorem deponere si monitus fuisset. Cæterùm in foro Dei qui corda scrutatur, si verè ille in corde paratus non erat ad errorem corrigendum, quippe sciebat iam bene eum esse contra Ecclesiæ sensum, non excusabitur ab hæresis labe contrahenda ob defectum monitionis externæ.

157 *Communis & verissima sententia.* Communis ergo, & verissima Theologorum sententia docet, eam monitionem, vel temporis diuturnitatem, aut moram non exigi, vt aliquis hæreticus fiat, & pœnas hæreticorum incurrat; sed sufficere, quòd cum deliberatione plena errorem amplectatur, & exprimat, quem videt ab Ecclesiæ sensu; & definitione alienum esse. Ita Suarez *dicta disp.19.sect.3.n.23.* Caiet. Vasquez, Valentia, & alij innumeri quos afferunt, & sequuntur Sanchez *dict.cap.7.num.7.* & Diana *dict. resolutione 36.* qui bene ex aliis à se relatis obseruat contra Alciatum, & alios, nec etiam in foro externo requiri semper monitionem, & correctionem præcedentem, vt aliquis tanquam hæreticus, & pertinax puniatur, nec id quidem in praxi sancti officij obseruari. Si enim aliunde constare posset ex ipsa doctrinæ notorietate, & qualitate personæ, aliisque circunstantiis, non potuisse Reum ignorare oppositionem illius doctrinæ cum Ecclesia, eo ipso iudicabitur hæreticus & ad hunc finem interrogatur in iudicio an sciret, quod id esset contra Ecclesiæ doctrinam, quod si fatetur, iam censebitur sufficienter hæresim, & pertinaciam confessus.

158 Ratio autem est clara, quia monitio externa solùm deseruire potest, vt errans aduertat ad oppositionem sui erroris cum doctrina Ecclesiæ. Si ergo id totum ipse multò meliùs scit ex libris, & definitionibus Conciliorum, quàm ex monitoris verbis scire posset, non est cur necessaria sit alia monitio, vt pertinax sit contra Ecclesiam. Neque etiam ad hoc alia temporis mora requiritur, cùm breuissimè possit auctoritas, & sensus Ecclesiæ cognosci, & deliberatè contemni, sicut in aliis peccatis contingit; & à contrario optimè arguitur ex actu fidei, quem breuissimè potest homo elicere, & Ecclesiæ se reuerenter submittere, eiusque doctrinam amplecti; contrariorum autem eadem est ratio, nec plus temporis requiritur, vt ab Ecclesia pertinaciter recedas, quàm vt ad eam constanter, & firmissimè accedas. Nec obstant verba Pauli in contrarium adducta, imò vt notauit Suarez, supponunt etiam ante monitionem esse iam hæreticum, dum dicit *hæreticum post primam, & secundam monitionem deuita.* Monitio ergo requiritur ad iustificandam separationem, probata iam eius incorrigibilitate, ne operam perdamus cum nostro periculo, & sine spe illum lucrandi. Addere possumus illud documentum dari Tito, qui cùm esset Episcopus debebat vt pastor quærere oues errantes, vt ad Ecclesiæ ouile reduceret. Aliis verò priuatis salubriùs aliquando erit statim hæreticum vitare, quem sciunt non ex ignorantia, sed malitia peccare; debent enim sibi consulere, & cauere, ne dum sanare eum volunt, periculosè inficiantur.

Denique in eodem sensu Augustinus suprà adductus docet constare satis de hæresi illius, qui correctionem respuit, quia antea potuisset ignorantiæ prætextu se se aliquando subdolè, aliquando veraciter excusare.

159 *An satis sit ad pertinaciam requisitam si quis ab Episcopo, vel Inquisitoribus monitus non acquiescat. Prima sententia. Secunda sententia.* Hinc tamen dubitari solet tertiò, an satis sit ad pertinaciam requisitam, si quis ab Episcopo, vel inquisitoribus monitus, & correctus, eorum iudicio non acquiescat, sed in suo errore permaneat. Prima sententia affirmat, quam tenent Cardinalis, Bartolus, Penna, Farinacius, & alij apud Suarez *dicta sect.3. num.20.* quibus adde Castrum Palao *dicto tract.4. disp.3. puncto 2.num.6.* Secunda sententia negat id sufficere, quia Episcopus, & Inquisitores non habent infallibilem veritatem in proponendo, nec sunt regula certa ex assistentia Spiritus sancti; sed possunt decipi, & decipere in rebus fidei: quare potest aliquis paratus esse ad credendum Ecclesiæ, licèt nolit credere Episcopo, & inquisitoribus, qui Ecclesia non sunt, ita cum Cano, Vasquez, & aliis Sanchez *dicto cap.7.num.25.* Valentia, Torres, Salas, & alij apud Dianam *vbi suprà §. Prima opinio negat.* Tertia denique sententia distinguit, & dicit, primam sententiam veram esse in foro externo, secundam verò in foro interno; ita ferè Suarez *vbi suprà num.21.* Lorca, & alij, quos affert, & sequitur Diana *loco citato.* *Tertia sententia.*

160 *Quid sentiat Auctor.* Ego tamen difficilè inuenio quoad hoc differentiam inter forum internum, & externum. Quia vel propositio facta ab Episcopo, & Inquisitoribus talis est, vt reuerà afferat obligationem credendi; & tunc in foro etiam interno erit pertinax, qui non credit, cùm resistat fidei doctrinæ propositæ sibi sufficienter ad obligandum. Vel propositio non est talis, vt obliget in conscientia ad credendum, & tunc sicut in foro interno non erit pertinax si non credat, ita neque in externo debet talis iudicari. Forus enim externus non iudicat contra internum, nisi propter præsumptionem fundatam in aliqua circunstantia externa sufficienti ad præsumendum: si ergo propositio facta ab Episcopo, vel Inquisitoribus in illis circunstantiis non est de se sufficiens, vt obliget ad credendum, non debet etiam in foro externo iudicari pertinax, qui stante illa propositione non credit.

161 Notat tamen meritò Suarez *vbi suprà*, communiter instructionem illam, & propositionem, quæ ab Episcopo & Inquisitoribus fit, sufficientem esse ad obligationem credendi, & vt resistens pertinax sit, quia communiter non fit sine magno consilio, & doctrina, nec nisi de rebus iam antea definitis, & in Ecclesia communiter receptis. Ratio autem à priori est, quia sicut tenemur credere reuelationem diuinam, quæ nobis euidenter non constat, quando circunstantiæ, quibus nobis proponitur, sunt tales, vt reddant eam euidèter credibilem, & in quibus non possit prudenter negari, vel de ea dubitari, aut formidari; ita non est necesse quòd propositio Ecclesiæ, per quam Deus nobis mediatè loquitur, nobis euidenter constet, si circunstantiæ, quibus hæc eadem Ecclesiæ doctrina nobis proponitur, sunt tales, vt reddant eam nobis euidenter credibilem, & de qua non possimus prudenter dubitare, aut formidare, quod sit doctrina Ecclesiæ, quæ nobis proponitur. Tales autem sunt communiter illæ circunstantiæ, nec enim communiter Pontifex

aut Ecclesia in Concilio congregata fidelibus immediatè hæc dogmata proponit, sed mediatè per suos ministros. Cum quo tamen stat, quod aliquando proponentes, vel circunstantiæ, quibus doctrina proponitur, non sint tales, vt obligent omnes ad firmiter credendum fide diuina. 162 In quo tamen cautè intelligendam existimo differentiam, quam inter doctos & indoctos adhibet Castro Palao *vbi suprà num.*6.ex Sanchez,& aliis, dicens hominem doctum faciliùs præsumi pertinacem, quàm indoctum,& rusticum, si dissentiat mysteriis propositis,quia rusticus faciliùs ignorare poterit regulas fidei, & obligationem credendi. Hæc tamen regula cum distinctione accipi debet: nam si agitur de iudicando reo accusato,quod propositiones aliquas protulerit,& docuerit, faciliùs præsumitur hominem doctum animo hæretico illas dixisse, quia præsumitur quòd sciebat oppositas esse doctrinæ Ecclesiæ, & Conciliorum,quod homo rusticus poterat ignorare,vt cum Albertino,& aliis multis notat Diana vbi suprà §.*Notandum est tamen:* si verò agatur de pertinacia orta ex eo, quòd reus non se summittat iudicio Episcopi, & Inquisitorum proponentium ei doctrinam aliquam, vt necessariò tenendam, & profitendam; existimo tunc faciliùs iudicari pertinacem in ordine ad hæresim hominem rusticum,si resistat,quàm Theologum doctum. Nam,vt vidimus *suprà disput.*5.*sect.*2. minora motiua credibilitatis sufficiunt homini rustico,vt obligetur ad credendum quàm homini docto, qui meliùs penetrat fundamenta formidandi: quare aliquando excusari non poterit à pertinacia hæresis rusticus non acquiescens iudicio Episcopi,& Inquisitorum,licèt Theologus doctus excusari posset ab eo gradu pertinaciæ ad hæresim requisitæ, eo quod afferat rationem aliquam verisimilem, cur non obligetur, quam rationem rusticus afferre nescit, & nequit; vt fatetur etiam Lorca *in præsenti disp.*41.*num.*21. Per hoc tamen non intendo, quòd Iudices fidei, & Inquisitores non possint eo casu peruenire ad condemnandum etiam Theologum illum tanquam pertinacem; sed dico non ita breuiter,& facilè id faciendum,ac fieret cum rustico,cui sufficit doctrinam Ecclesiæ proponere:Theologo autem docto,qui negat illam esse doctrinam Ecclesiæ,& affert fundamenta apparentia ad probandũ ignorantiam Censorum,qui immeritò eius assertiones damnarunt,oportet rursus satisfacere, & disputare, ac explicare illi fundamenta censuræ, vt conuincatur, vel conuinci debeat sapientum iudicio, quòd censura meritò prolata sit, postea verò si non acquieuerit,poterit rationabiliter declarari pertinax: nec enim in singulis casibus ad nouam Pontificis declarationem recurrendum est,vt errantes in fide corrigi & puniri possint.

163 Quartò dubitatur,vtrùm ad hanc pertinaciam requiratur,quòd homo velit directè resistere auctoritati Ecclesiæ,an verò sufficiat id velle solùm indirectè.P.Suarez *dicta sect.*3.*num.*22. dicit requiri,quod directè velit.P.Vasquez 1.*tom.in* 1.2. *disput.*126.*cap.*3.*in initio*,& P.Sanchez *dicto c.*7. *num.*4.dicunt sufficere,quòd indirectè velit. Sed reipsa vtrique conueniunt,licèt diuersis vocibus loquantur; volunt enim quòd non requiratur, quod contradictio ipsa, & resistentia contra auctoritatem Ecclesiæ, sit finis formaliter intentus, ita vt quis neget aliquas veritates vt contradicat Ecclesiæ, quod aliqui vocant velle directè resistentiam ipsam, sed sufficit scire, id esse contra sensum Ecclesiæ, & tamen id tenere,ex quocunque fine id fiat,siue ob lucrum,siue ob honorem, siue ob alium affectum, quod vocant velle indirectè. Quod in re ipsa verissimum est; sicut in aliis etiam peccatis id sufficit ad peccandum contra obedientiam, iustitiam, religionem, & alias virtutes, licèt non habeatur pro fine formaliter volito iniustitia, inobedientia, irreligiositas, &c. sic etiam peccatur pertinaciter contra auctoritatem Ecclesiæ, negando id, quod scimus Ecclesiam docere, licèt non intendamus formaliter contradicere Ecclesiæ.Quoad modum verò loquendi placet magis, quod quoties cognoscitur oppositio cum doctrina Ecclesiæ, dicatur ipsa resistentia directè volita, licèt non sit formaliter intenta. Nam qui vult aliquid necessariò connexum cum alio effectu, licèt ipsum effectum non intendat,dicitur illum directè velle, quia volendo causam, vult implicitè effectum in ea causa virtualiter inclusum.Sic qui dat fœminæ grauidæ potionem ad abortum fœtus animati, dicitur homicida voluntarius, quia licèt non intendat occisionem fœtus, sed potiùs vellet quod post abortum viueret, vult tamen causam necessariò connexam per se loquendo cum morte filij, atque ideo dicitur directè velle eandem mortem, nam sine voluntate directa occisionis non contrahitur irregularitas homicidij voluntarij, vt cum omnibus Doctoribus obseruat Suarez *de censuris disp.*44.*sect.*1.*num.*1. Voluntas ergo credendi id, quod scio esse contra Ecclesiæ doctrinam, qui assensus esse non potest sine resistentia contra Ecclesiam, est verè voluntas directa resistendi Ecclesiæ. Quod adhuc 164 dupliciter fieri potest, primò itavt ipsa resistentia, & oppositio contra Ecclesiam,sub conceptu proprio sit obiectum intrinsecum voluntatis hæreticæ, qua quis præuisa contradictione cum sensu Ecclesiæ, velit contradicere, & opponi Ecclesiæ,licèt hanc ipsam oppositionem non intendat formaliter, & propter ipsam, sed solùm materialiter, & propter aliud, nempe vt retineat suam opinionem, vel propter honorem, lucrum, &c. ita tamen vt volitio ipsa habeat ordinem intrinsecum ad resistentiam, & contradictionem illam, vt ad obiectum volitum, non formale, sed materiale. Secundò fieri potest, vt solùm sit obiectum extrinsecum, quatenus præcognita contradictione, & oppositione, quam assensus ille habebit contra doctrinam Ecclesiæ, voluntas adhuc velit illum assensum, nec dicat, *volo dissentire Ecclesiæ:* sed solùm dicat, *volo negare præsentiam realem Christi in Eucharistia:* quæ voluntas, posita præuisione repugnantiæ cum doctrina Ecclesiæ, vult oppositionem cum Ecclesia, & quidem directè, quia vult directè eum dissensum,qui est oppositus Ecclesiæ,atque adeo vult id, quod est formalis oppositio cum sensu Ecclesiæ, licèt non terminetur intrinsecè ad illud sub hac formalitate, & prout est oppositio cum Ecclesia. Vterque autem modus sufficit ad pertinaciam, quæ constituat hæreticum: nam vtroque modo vult voluntas dissensum, quo præuidetur intellectus dissentire doctrinæ Ecclesiæ. Sicut qui vult esum carnium in die ieiunij præuisa prohibitione Ecclesiæ, vult violare Ecclesiæ præceptum, etiamsi ipsa volitio non semper feratur intrinsecè in prohibitionem, vt in obiectum formale, vel materiale, sed solùm specifica

An requiratur ad hanc pertinaciam, quòd homo velit directè resistere auctoritati Ecclesiæ, an solùm indirectè.

cificatiuè in obiectum, quod est prohibitum, id est, in esum carnium delectabilem, qui tamen cognoscitur, & proponitur ab intellectu prohibitus, quod sufficit, vt dicamur velle directè obiectum prohibitum, & violationem præcepti Ecclesiastici.

165 *An ad pertinaciam hæretici requiratur, quod aduertat oppositionem eiu doctrina Ecclesiæ, quæ habet infallibilem auctoritatem, &c.*

Quintò dubitatur, vtrùm ad pertinaciam hæretici requiratur, quod aduertat oppositionem cum doctrina Ecclesiæ, quæ habet infallibilem auctoritatem in proponendo, & quæ reipsa proponit contrarium. Certum est in primis non requiri, quòd credat contrarium esse verum, & de fide, & tamen dissentiat. Nam vt bene aduertit Sanchez *dicto cap.7. num.3.* id impossibile est, quòd simul dissentiat obiecto, quod actu iudicat esse verum, vel quod iudicat esse de fide, quæ habet infallibilem veritatem. Vnde nec etiam requiritur, quod cognoscat, & credat contrarium proponi ab Ecclesia habente auctoritatem infallibilem in proponendo. Nam cum hoc iudicio etiam esset impossibilis dissensus, alioquin crederet esse falsum id, quod simul credit proponi ab Ecclesia non potente proponere falsum, quod esset apertè sibi contradicere, vt ex ipsis terminis constat. Vt ergo aliquis sit hæreticus, & pertinaciter se opponat auctoritati Ecclesiæ, sufficit quod ei taliter proponatur infallibilis auctoritas Ecclesiæ, & eiusdem Ecclesiæ definitio de contrario dogmate, vt licèt nolit vtramque credere, possit tamen, & videat obligationem vtramque credendi, & quod non possit prudenter negari, nec de illis dubitari, aut formidari. Nam hoc ipso si dissentiat, & neget Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel etiamsi id concedat, neget tamen contrarium dogma esse ab Ecclesia propositum; iam pertinaciter respuit Ecclesiæ doctrinam sibi sufficienter propositam. Nec aliter peccant de facto hæretici, qui certè de facto non credunt nostram Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel contraria dogmata esse à vera Ecclesia proposita, vt notauit Suarez *dicta sect.3. num.14.* Quia tamen vtrumque iis taliter proponitur, vt possint, & debeant id credere, dicuntur, & sunt hæretici, & pertinaces contra Ecclesiæ auctoritatem & doctrinam. Sicut etiam vt aliquis peccato infidelitatis peccet grauiter contra diuinam veracitatem, & auctoritatem, & pertinaciter ei resistat, non requiritur quod credat obiectum illud esse à Deo reuelatum: alioquin ferè nunquam dissentiret: sed sufficit quod taliter ei proponatur reuelatio diuina, vt possit & debeat eam firmiter acceptare, & credere. Similiter ergo, vt pertinaciter repugnet Ecclesiæ (quod ad hæresim requiritur) sufficit, quod infallibilitas & propositio Ecclesiæ taliter ei proponatur, vt possit, & debeat eam credere: nam eo ipso si dissentiat pertinaciter reiicit auctoritatem, & definitionem Ecclesiæ sibi sufficienter proposi tam, cum obligatione eam accepta ndi, & cre dendi.

166 *Infertur nonnulla.*

Ex dictis autem infertur primò non excusari à pertinacia sufficienti, ad constituendum hæreticum illum, qui paratus est corrigi, & aquiescere Ecclesiæ, si ab ea argumentis conuincatur, vt cum Vasquez, Ledesma, & aliis notat Sanchez *vbi suprà num.6.* addens contrarium non esse probabile. Suarez etiam *vbi suprà num.13.* & alij. Ratio autem est clara, quia ille non est paratus consentire auctoritati Ecclesiæ, sed rationibus, & argumentis ab ea adducendis in confirmationem suæ definitionis, quare pertinaciter resistit auctoritati Ecclesiæ.

Infertur secundò, posse etiam esse pertinacem, & hæreticum, qui nihil ab Ecclesia definitum & propositum scienter negat, sed nesciens quid Ecclesia in re tali definierit, adhæret suo errori, cum affectu non deserendi illam opinionem, etiamsi sciat Ecclesiam contrarium definiuisse. Ita Suarez *dicto num.13.* & cum aliis, quos affert Sanchez *dicto cap.7. num.31.* Quod quidem verum est, etiamsi Ecclesia de facto in puncto illo nihil definiuisset, vt cum Caietano, Nauarro, & Vasquez docet idem Sanchez *ibid. num.29.* Idem denique est de eo, qui falsò putat aliquid esse ab Ecclesia definitum, cùm reuerà non sit, & tamen ipse contrarium sentit, quem quidem grauiter peccare, sed non esse iudicandum hæreticum in foro externo dixit Simancas *de Cathol. instit. tit. 31. num.9.* Contrarium tamen, & meritò etiam in ordine ad pœnas hæreticorum, docent alij communiter, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibi num.30.* Quod intelligitur si ipse vtrumque exteriùs manifestauit, nempe se sentire contra id, quod putabat esse ab Ecclesia definitum. Ratio autem est clara, quia in his omnibus casibus negatur aliquid, quod est verè contra fidem, & Ecclesiæ doctrinam, nimirum infallibilitas Ecclesiæ in proponendo; ergo non solùm in existimatione, vel sub conditione, sed absolutè, & in reipsa pertinaciter resistit auctoritati, & doctrinæ Ecclesiæ in aliquo dogmate Ecclesiæ sufficienter proposito.

197

Infertur tertiò, non sufficere ad pertinaciam dispositionem merè habitualem ad non credendum aliquid etiamsi cognosceres illud ab Ecclesia definiri: ita Vasquez 1.2. *disp.126. n.8.* Turrian. *in præsenti disp.55. dub.2. §. item ex doctrina.* Coninck *in præsenti disp.18. dub.7. num.94.* Nomine autem dispositionis merè habitualis intelligunt, quod quis adeo sit affectus ad suum errorem, quem inuincibiliter putat esse verum, vt si ei constaret de contrario Ecclesiæ sensu, adhuc in sua opinione permaneret: nunquam tamen actum aliquem habuit, quo vellet vlla ratione, vel sub vlla conditione ab Ecclesiæ sensu discedere, sed potiùs actu vult Ecclesiæ in omnibus consentire. Quo casu ita explicato non videtur dubium, quòd homo ille nondum sit hæreticus, cùm dispositio illa remaneat semper in actu primo, & nunquam prodeat in vllum actum secundum contemnendi Ecclesiæ auctoritatem: sed vt verum fatear, casus difficilè continget, quòd actu præferat auctoritatem Ecclesiæ omnibus aliis argumentis, & tamen ita tenaciter adhæreat suo errori, vt si sciret esse contra sensum Ecclesiæ; adhuc ab ea opinione non discederet, quin assensu ipso erroris implicitè præferat sua argumenta auctoritati Ecclesiæ, saltem sub conditione. Non tamen nego, posse id aliquando euenire: nam voluntas sæpe ita afficitur ad aliquod obiectum sensibile, vt si in notitiam veniret esse prohibitum, adhuc non desisteret: dum autem prohibitio ignoratur, non peccat, & potest cum illo affectu stare actus attritionis vel contritionis de peccatis, & dilectio Dei appretiatiuè super omnia & ideo occultamus pœnitentibus debilibus aliquas prohibitiones, ne rei difficultate deterriti, cadant ab actu pœnitentiæ vel à proposito necessario implèdi omnia præcepta. Hoc itaque, quod in voluntate frequentiùs inuenitur, posset ali-

168

quando contingere in intellectu, ob peculiarem hominis dispositionem, sed multò ratiùs, quàm in voluntate, quæ facilius, & fortiùs trahitur à bonis sensibilibus, vt constat in matre ratiùs plorante ob sua peccata, quàm ob dolores, vel mortem filij, quamuis appretiatiuè magis doleat de peccatis: intellectus tamen, qui non quærit bonum, sed verum, minùs à passionibus, & sensibilibus trahitur, sed à veritate vndecunque appareat: quare si verè præfert Ecclesiæ auctoritatem omnibus aliis argumentis, non facilè continget ea dispositio habitualis, vt si constaret de contrario Ecclesiæ sensu, adhuc in suo errore permaneret.

169 Petes, quid si idem homo aliquando interiùs habuisset actu, & postea habitualiter retineat eam mentem non acquiescendi Ecclesiæ, quando sibi rationes in contrarium occurrerent, quam tamen mentem nunquam exteriùs manifestasset, postea verò errorem aliquem teneat contra Ecclesiam, sed inuincibiliter ignorans esse contra Ecclesiæ doctrinam eúmque errorem manifestet exteriùs, dicetúrne hic hæreticus externus? Videtur hic peccasse quidem interiùs malitia hæresis, quando illum animum habuit, vt constat ex supra dictis, non videtur tamen postea incurrere pœnas hæreticorum: quia illa dispositio interior habitualis habet se merè concomitanter ad errorem præsentem, sicut qui occidit inimicum putans inuincibiliter esse feram, & facta debita diligentia: occisorus tamen, si sciret esse inimicum, non incurrit pœnas homicidij, quia ignorantia concomitans excusat à pœnis, ergo nec homo ille, qui non manifestat exteriùs talem dispositionem, quam non potest intendere manifestare non cogitans, nec sciens vllo modo de oppositione illius erroris contra doctrinam Ecclesiæ, incurrit pœnas hæreticorum: ita videtur indicare Coninch num. 95. de hoc tamen dicemus *sect. sequenti*.

170 *Quo sensu verum sit, protestationem fidei excusare à pertinacia?*

Infertur quartò, quo sensu verum sit, protestationem fidei excusare à pertinacia, provt significant aliqui, quos affert Castro Palao *dicta disp. 3. puncto 2. num. 7.* Quod tamen cum grano salis intelligi debet. Et in primis in foro conscientiæ potest id deseruire ad coniecturam, quod vel non peccauerit propter ignorantiam inuincibilem, vel certè non fuerit propria hæresis propter ignorantiam saltem vincibilem, de quo dicemus *sect. sequenti*: nam qui protestatur se velle in omnibus sentire cum Ecclesia, non præsumitur velle statim se se opponere ipsi Ecclesiæ: in rigore tamen non est argumentum certum de defectu pertinaciæ requisitæ ad hæresim, præsertim si protestatio illa non proximè præcessit, sed cum morali distantia. Nam pertinacia hæc vt vidimus potest in instanti, vel in breuissima morula consummari. Quare sicut ille, qui nunc proponit seruare omnia Dei præcepta, post horam solet adueniente occasione, vel tentatione graui, peccare mortaliter; ita post voluntatem sentiendi cum Ecclesia, potest, adueniente tentatione, mutari voluntas illa in pertinaciam contra Ecclesiam. Dein de diximus suprà posse dari pertinaciam etiam in eo, qui non credit hunc articulum proponi ab Ecclesia, si tamen videt debere id credi, quia adhuc potest nolle credere, quod proponatur ab Ecclesia: quare potest dicere simul, ego credo omnia quæ credit Ecclesia, & non credo hunc articulum, quem non credo proponi, & credi ab Ecclesia, qui eo casu pertinax erit, & hæreticus vt suprà vidimus. Si tamen diceret, ego credo omnia quæ mihi proponentur sufficienter ad obligandum me, vt recipiam ea tanquam proposita ab Ecclesia, non posset cum hac voluntate efficaci nolle credere hunc articulum, quem videt sibi proponi cum obligatione eum acceptandi tanquam propositum ab Ecclesia: quia essent voluntates omnino contrariæ. Illi ergo auctores loquuntur de præsumptione pertinaciæ in foro externo, ad quam impediendam dicunt deseruire protestationem fidei, & doctrinæ Ecclesiæ, vt obseruat etiam Suarez dicta sect. 3. num. 26. Hoc tamen ipsum cum limitatione intelligendum dicunt alij, quos ibidem affert, & sequitur Castro Palao. Nempe quando verba sunt dubia, vel res circa quam erratur obscura, & cuius non præsumebatur sufficiens notitia: secus verò si notitia præsumebatur; tunc enim protestatio ab hæresi, & pertinacia non excusat, quæ omnia ex circunstantiis obiecti, personæ, & aliis mensuranda sunt, ad tollendam, vel non tollendam præsumptionem pertinaciæ in foro externo: de quo vltra alios videri potest Farinacius *de hæresi q. 178. n. 138. & sequentibus.*

SECTIO VI.

De ignorantia, quomodo excuset, vel non excuset ab hæresi.

171 *An ignorantia excuset à pœnis, quas incurrit, si se grauiter Ecclesiæ.*

DIximus ad hæresim, & ad incurrendas eius pœnas requiri ex parte subiecti pertinaciam, qua se se oppponat Ecclesiæ. Quæstio celebris est, an requiratur, quod se se scienter opponat, ita vt quælibet ignorantia etiam culpabilis, licèt non excuset à peccato graui, excuset tamen ab hæresi, & eius pœnis. De ignorantia inuincibili, & de ea etiam, quæ non est mortaliter culpabilis, sed solùm venialiter, non est dubium, quod excuset, cùm non possit esse hæreticus, nec hæreticorum pœnas incurrere sine peccato mortali. Suppono etiam ex dictis *sect. præcedenti*, posse esse hæresim, & pertinaciam, quamuis quis non credat Ecclesiam docere articulum quem ipse negat; dum tamen proponatur sufficienter obligatio credendi, quod Ecclesia id proponit. Difficultas est, quando hæc ipsa obligatio ignoratur, quia nondum apparent motiua sufficientia ad hanc euidentiam credibilitatis: hæc tamen ignorantia, & quòd non appareant motiua sufficientia, prouenit ex graui culpa nolentis attendere vel scire Ecclesiæ doctrinam.

172 *Prima sententia.*

Variæ sunt Doctorum sententiæ Prima dicit nullam ignorantiam grauiter culpabilem excusare ab hæresi. Ita Sotus (quem Suarez loco statim citando dicit fuisse huius sententiæ auctorem.) Ludouicus Lopez, & Palatius, quos affert idem Suarez *disp. 19 sect. 3. num. 3.* quos sequutus est Lorca *in præsenti disp. 41. num. 15.* relicta sententia contraria, quam amplexus fuerat *in 1. 2. sect. 4. disp. 33. membr. 2. ad 3.* & quidem constat, Lorcam vsque ad illam horam in priori sententia perseuerasse; nam in hoc eodem tomo de fide *disp. 33. num. 5.* adhuc illam mordicus defendit, quem locum morte forasse præuentus corrigere non potuit, ne sibi in eodem volumine breuissimo interuallo contradiceret, quam etiam

contradi

contradictionem in eo animaduertit Hurtado *disp.* 82. §.49. sed malè eum citauit pro hac sententia, *disp.* 14. *num.* 41. vbi de hoc puncto nihil dicit.

173 *Secunda sententia.* Secunda sententia hoc admittit, quando ignorantia est crassa nimis, & facilè vincibilis: ita Sayrus quòd probabile putat Valentia, quos affert Suarez vbi suprà.

Tertia sententia. Tertia sententia hoc admittit, quando ignorantia est affectata, ita Cano, Nauarra, Corduba, & Torrensis, quos affert Suarez, ibi, & Valentia etiam *in præsenti disp.* 1. *q.* 11. *puncto* 1. *Difficultate* 4. *in solutione ad primum.*

Quarta sententia. Quarta sententia distinguit de ignorantia affectata; nam si affectetur ex falsa opinione contra Ecclesiam, quasi parui momenti sit Ecclesiæ propositio, vel ad finem liberiùs errandi in fide, non excusat ab hæresi: si verò affectetur tantùm ex negligentia, & tædio addiscendi, vel ex quauis alia causa, non constituet hæreticum, ita Thomas Sanchez *dicto lib.* 2. *in Decal. cap.* 7. *num.* 23. quem alij sequuntur.

174 *Quinta, & verior, ac communior sententia.* Quinta, & verior, ac communior sententia dicit, quamlibet ignorantiam, etiam crassam, & affectatam, excusare ab hæresi, & hæreticorum pœnis. Hanc tenent Bañes, Azor, Aragonius, Coninch, & alij, quos affert, & sequitur Castr. Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 3. *puncto* 2. *n.* 3. Suarez *dicta sect.* 3. *n.* 9. *& sequentibus.* Hurtado *dicta disp.* 82. §. 50. vbi alios plures afferunt. Quam sententiam ego etiam amplexus sum *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 4. §. 6. *& suprà disp.* 17. *sect.* 4. & nunc etiam probanda nobis est. Eam autem aliqui probant ex eo, quod peccatum illius qui scienter recedit ab Ecclesia, differt specie morali & habet malitiam specie diuersam à peccato illius, qui non scienter, sed cum ignorantia culpabili recedit, licèt in aliis materiis peccata scienter vel ignoranter commissa ad eandem speciem pertineant. Hoc tamen negaui, & impugnaui, latè *in dicto loco de Pœnitentia*, vbi probaui, non posse afferri rationem sufficientem huius discriminis, & ideo etiam in peccatis contra fidem procedere eandem regulam, & non esse ex hoc capite præcisè ponendam differentiam specificam.

175 *Ratio potissima ad probandam veram sententiam.* Variæ ergo rationes ad hanc sententiam probandam afferuntur ab eius auctoribus. Ratio potissima est illa, qua locis citatis diximus, non expelli habitum fidei infusum, propter peccatum contra fidem ex ignorantia commissum: quia nimirum habitus fidei non perditur, quamdiu homo in ea dispositione manet, in qua potest diuinæ fidei actus elicere circa articulos sibi sufficiéter propositos: ideo enim peccato proprio, & perfecto infidelitatis deperditur, quia homo quantum est ex se, fidem abiicit, nec potest, quandiu in ea dispositione manet, credere actu fidei diuinæ, & ex voluntate debita piæ affectionis articulum aliquem sibi propositum, quam indispositionem non incurrit per dissensum malum ex ignorantia prouenientem: potest enim adhuc habere voluntatem vniuersalem, & piam credendi firmissimè omnia, quæ sufficienter proponentur, vt reuelata à Deo, quamuis non habeat voluntatem adhibendi diligentiam, vt sciat quæ sint à Deo reuelata. Peccat ergo ille contra fidem, sed non est simpliciter, & absolutè infidelis, sed fidelis credens omnia, quæ à Deo reuelata sunt, & sibi sufficienter proponentur. Hoc itaque idem cum proportione in casu nostro dicendum est, hæreticum simpliciter & absolutè non esse, nisi eum, qui scienter recedit ab Ecclesia: nam qui ex ignorantia recedit, adhuc manet in ea dispositione, vt possit acceptare, & firmissimè credere, quidquid ei sufficienter proponitur vt dogma Ecclesiæ, quare sicut non perdit fidem nec recedit à fide, qui per ignorantiam etiam culpabilem negat fidem; ita non perdit Catholicismum, nec recedit ab Ecclesia Catholica, atque adeo non est hæreticus, qui per ignorantiam etiam culpabilem recedit à doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quia adhuc cum illo peccato potest dicere ex corde, se credere firmissimè omnia, quæ Ecclesia proposuerit, & docuerit. Quod melius constabit ex solutionibus argumentorum: multa enim à diuersis opponi solent.

176 *Soluuntur multa argumenta, quæ à diuersis opponi solent.* *Obiectio* 1. Primò ergo arguunt ex Augustino epist. 162. relata in cap. *Dixit Apostolus*, 24. quæst. 3. his verbis: *Qui sententiam suam, quantumuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota solicitudine veritatem, corrigi parati, vbi inuenerint, non sunt inter hæreticos deputandi.* In quibus verbis Augustinus eos solos à pertinacia, & hæresi excusat, qui sollicitè veritatem quærunt, non qui negligunt inuenire, & multò minùs eos, qui ex industria fugiunt, ne inueniant. Respondetur Augustinum ibi eos quidem excusare, qui veritatem quærunt, alios autem non excusat, nec hæreticos declarat, sed quod certum erat, statuit, quod minùs certum non disputat. Nec enim condemnat vt hæreticos eos qui quærunt quidem veritatem, sed non *tota sollicitudine*. Retorqueríque potest argumentum: nam idem Augustinus in aliis locis, nimirum, libro contra Manichæos relatus in cap. *qui in Ecclesia* 24. quæstione 3. eos solos declarat hæreticos, qui animaduertentes, & admoniti, quòd Ecclesia contrarium doceat, adhuc pertinaciter resistunt. *Qui in Ecclesia*, inquit, *morbidum aliquid prauúmque quid sapiunt, si correcti, vt sanum rectúmque sapiant resistant contumaciter, suáque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolùt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.* Quod idem docet lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 16. dicens, ex errore credentem idem cum Photino, tum primum esse hæreticum, cùm manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei, maluerit resistere, & illud quod tenebat elegerit. Ex quibus locis posset apparentiùs argui, non esse aliquem hæreticum, non solùm quandiu ex ignorantia errat, sed etiam quandiu non admonetur, quod tamen nimium esset, *vt suprà* vidimus.

177 *Obiectio* 2. Secundò obiiciunt, quia in aliis materiis peccatum ex ignorantia, & ex scientia eandem malitiam participant, & ad eandem speciem spectant: qui enim ex ignorantia culpabili occidit, est homicida, & qui ex ignorantia culpabili mœchatur, mœchus est, & sic de aliis; ergo & qui ex ignorantia culpabili hæresim admittit, hæreticus erit. Nam voluntarium directum, & indirectum pertinent ad eandem peccati speciem, vt inductione ex aliis peccatis constare potest. Ad hoc argumentum variæ solutiones ab Auctoribus solent afferri, quas refert, & impugnat Hurtado *dicta Disp.* 82. §. 56. *& sequentibus*, & ego etiam latè impugnaui *loco citato de Pœnitent.* & ideo nunc eas non repeto. Vbi etiam negaui esse differentiam quoad hoc inter hæresim, & alia peccata: nam sicut inobedientia ex ignorantia vel scientia pertinent ad eandem speciem, ita scientia

tia, vel ignorantia non distinguunt specie peccata contra fidem: quare peccatum hæretici non differt specie morali à peccato errantis ex ignorantiâ, differt tamen numero propter circunstantiam scientiæ, quæ auget grauitatem intra eamdem speciem, & ratione illius circunstantiæ, & maioris grauitatis affert denominationem hæretici, & inducit pœnas hæreticorum, quas sine illa circunstantia non induceret. Quam doctrinam Suarez *dicta sect. 3. num. 24.* fatetur probabilem, & sufficienter argumento proposito satisfacere. Eam tamen impugnat Hurtado *dicta disput. 82. §. 60.* quia in primis licèt voluntarium cum ignorantia, vel cum scientia non differant specie obiectiua, differunt specie intrinseca physica, & morali, quia cognitio expressa reddit actum magis voluntarium, vt dixerat §. 53. Deinde quia in peccato hæresis est magis manifesta hæc differentia: nam peccatum ex ignorantia habet pro obiecto negationem studij, & diligentiæ; peccatum verò scienter commissum habet pro obiecto negationem auctoritatis Ecclesiæ, quæ duo manifestè differunt specie morali: sicut specie differt peccatum illius, qui negat reuelationem solum, à peccato illius, qui negat infallibilem Dei veracitatem, & per consequens negat auctoritatem: in quo differt exemplum homicidij, in quo, siue scienter, siue cum ignorantia culpabili fiat, semper læditur, & cognoscitur idem obiectum, nempe vita hominis: in casu autem nostro læditur, & cognoscitur diuersum obiectum: nam peccans ex ignorantia negat solum obiectum reuelatum, & non vult scire propositionem Ecclesiæ; hæreticus autem negat obiectum reuelatum, & auctoritatem Ecclesiæ, quam iam cognoscit sibi aduersari. Vnde ipse §. 61. ad argumentum propositum respondet, quidquid sit de aliis peccatis, & dato, quòd illa non differrent specie propter scientiam, vel ignorantiam; in hac tamen materia differre omnino, quia per hæresim læditur auctoritas Ecclesiæ, quæ nullo modo læditur, aut negatur ab errante per ignorantiam, cùm ipse potiùs credat, & fateatur auctoritatem Ecclesiæ infallibilem in proponendo.

178 Hæc Hurtadi doctrina, quoad vtramque partem displicet. Nam in primis supponit falsum, quòd in aliis peccatis scientia, & ignorantia afferant differentiam specificam moralem intrinsecam, quod falsum esse probaui cum communi sententia latiùs in dicto loco de Pœnit. Deinde non potest explicari discrimen illud quoad hoc inter alia peccata & peccata contra fidem. Nam sicut per homicidium cum ignorantia culpabili læditur vita hominis, ita per hæresim materialem cum ignorantia culpabili læditur & offenditur auctoritas Ecclesiæ, ad hoc enim sufficit cognoscere saltè periculum repugnandi Ecclesiæ; quod quidè periculũ cognoscere potest ille, qui per ignorantiã culpabilẽ errat, sicut qui per ignorantiã culpabilem occidit hominem, licèt ignoret esse hominem quem putat esse feram, aduertit tamen periculum occidendi hominem, & obligationem adhibendi diligentiam & inquirendi; alioquin non contraheret culpam homicidij. Similiter ergò cum peccato ex ignorantia culpabili circa res fidei stat aduertentia ad periculum recedendi à doctrina Ecclesiæ; in quo casu procedit nostra quæstio, an ille sit hæreticus. Et in eo casu non habet locum differentia Hurtadi: nam sicut homicidium ex scientia, vel ignorantia lædit idem obiectum, quia ignorantia culpabilis non tollit cognitionem periculi occidendi hominem, & hoc sufficit, vt sit eadem malitia obiectiua vtriusque actus: ita error in fide ex scientia, vel ignorantia culpabili lædit idem obiectum, nempe auctoritatem Ecclesiæ, quia ignorantia culpabilis non tollit aduertentiam ad obligationem inquirendi propter periculum, quod subest recedendi à doctrina Ecclesiæ; nec apparet quæ differentia possit inter illa duo peccatorum genera assignari.

Exemplum etiam, quod affert de differentia 179
specifica obiectiua inter negantem reuelationem Dei, vel eius veracitatem, solidum non est, neque etiam ad rem nostram. Nam in primis supponit falsum, quòd illa duo peccata differant specie sub genere infidelitatis; vt enim dixi *suprà disp. 18. sect. 3.* differre quidem possunt illa duo peccata specie aliunde, quatenus negans Deo veracitatem offendit reuerentiam debitam Deo per blasphemiam mentalem, vel externam, atque adeo peccat non solùm contra fidem, sed etiam contra religionem; contra quam non semper peccat, qui solùm negat reuelationem actualem, sed solùm contra fidem: quatenus, verò opponuntur fidei, non differunt specie, sed penes maiorem, & minorem grauitatem intra eamdem speciem. Quare cum proportione idem dicendũ de errante contra Ecclesiæ auctoritatẽ, nam licèt qui eam negat magis Ecclesiam offendat, quàm qui eam concedens negat culpabiliter aliquid esse ab Ecclesia propositum, hæc tamen duo peccata non different specie in ratione infidelitatis, sed si differunt, id erit sub alia ratione peculiaris contemptus, & irreuerentiæ in Ecclesiam.

Vnde addidi, exemplum illud non esse ad 180
rem nostram, imò retorqueri potest, quia si negatio veracitatis Dei differt specie in genere infidelitatis à negatione solius reuelationis, ita dici deberet peccatũ negantis auctoritatem Ecclesiæ differre specie à peccato negantis solam definitionem, seu propositionem factam ab Ecclesia, quia hic secundus non negat auctoritatem infallibilem Ecclesiæ in proponendo. Tunc autem possumus reducere nostram quæstionem ad peccata duorum, quorum vterque credat, & confiteatur auctoritatem Ecclesiæ in proponendo; vnus tamen scienter neget talem articulum propositum esse ab Ecclesia; scienter, inquam, hoc est non credendo simul esse propositum (id enim esset impossibile simul cum dissensu) sed habendo motiua talia ad credendum esse propositum, vt non nisi imprudenter id possit negare: alter verò idem neget, sed ex ignorantia culpabili, non attendendo ad motiua, quæ inuenire facile posset, vt fieret ei proximè credibilis propositio facta ab Ecclesia. Comparemus ergo vtriusque peccatum. Primus in omnium sententia est hæreticus, quia pertinaciter negat articulum propositum ab Ecclesia, & cuius Ecclesiæ propositio est ei euidenter credibilis, quod sufficit ad pertinaciam, & hæresim, vt suprà vidimus, cùm nihil ignoret ex iis, quæ requiruntur, vt accepter Ecclesiæ propositionem: Secundus autem non est hæreticus in sententia Hurtadi, & nostra, quia propositionem Ecclesiæ ob ignorantiam reiicit, & tamen neuter negat auctoritatem Ecclesiæ, sed vterque negat Ecclesię propositionem; ergo peccatum hæretici non differt semper à peccato errantis ex ignorantia, ob negatam, vel non negatam auctoritatem Ecclesiæ. Quod idem argumentum

gumentum fieri potest in exemplo adducto ab Hurtado, & ideo dixi posse retorqueri: nam licèt peccatum negantis veracitatem Dei differret specie in ratione infidelitatis à peccato negantis solam reuelationem; comparatio tamen fieri posset inter peccata duorum, quorum neuter neget veracitatem Dei, sed solam reuelationem, alter tamen cum ignorantia culpabili, alter sine illa, quorum primus non perderet habitum fidei infusæ, quem tamen perderet secundus, & per consequens solum secundum peccatum esset infidelitas propriè dicta, quæ differentia non posset tunc prouenire ex diuerso obiecto negato, cùm neuter negaret veracitatem Dei, sed vterque negaret reuelationem solam. Sicut ergo differentia tunc infidelitatis à non infidelitate non esset ex obiecto negato, sed ex eodem obiecto magis, vel minùs cognito; ita differentia hæretici à non hæretico non debet desumi semper ex obiecto negato, sed ex diuerso modo, quo obiectum cognoscitur, qui modus sufficit ad grauitatem maiorem, & talem, quæ tribuat denominationem hæretici.

181 Confirmari potest solutio nostra exemplo vulgari, & morali homicidij voluntarij, quod non differt specie ab homicidio casuali, quando saltem homicidium casuale non fit ex ignorantia culpabili, sed sine ignorantia: & tamen in iure habent diuersos effectus penes maiorem reseruationem, & indispensabilitatem vnius, quàm alterius irregularitatis, quia licèt homicidium voluntarium solùm differat numero, & addat maiorem grauitatem intra eandem speciem: voluerunt tamen Ecclesiasticæ leges eiusmodi grauiorem pœnam imponere soli homicidio habenti talem circunstantiam indiuidualem aggrauantem. Sic ergo Ecclesia noluit suis pœnis punire omnem recessum à fide, nec aliquam speciem determinatam peccati contra fidem, sed tunc solùm quando ob carentiam ignorantiæ haberet talem circunstantiam aggrauantem intra eandem speciem. Hoc autem peccatum recessus scienter à fide, & ab Ecclesia appellatum fuit nomine *hæresis formalis*, quod non est nomen speciei, sed indiuiduorum habentium talem circunstantiam aggrauantem: sicut nomen *homicidij voluntarij*, non est nomen totius speciei peccati, sed indiuiduorum habentium talem circunstantiam aggrauantem intra eandem speciem. Fatemur ergo voluntarium directum, & indirectum, non refundere differentiam specificam moralem in peccata, sicuti nec scientiam, & ignorantiam culpabilem; ex hoc tamen non sequitur, quòd peccata contra fidem ex ignorantia debeant habere eosdem effectus, nec idem nomen commune cum peccatis aliis eiusdem speciei habentibus aliam circunstantiam peculiarem aggrauantem.

182 Obiectio 3. Tertiò principaliter obiiciunt, quia errans ex ignorantia vincibili peccat grauiter contra fidem, ergo peccato infidelitatis; non pertinet autem peccatum illud ad Paganismum, vel Iudaismum, cùm adhuc retineatur confessio Christi, & religionis Christianæ; ergo pertinet ad hæresim; non enim sunt aliæ infidelitatis species. Respondeo concesso antecedenti, negando primam consequentiam. Est quidem peccatum illud contra fidem, non est tamen propria infidelitas, & ideo non excludit habitum fidei, vt diximus loco citato. Non ergo mirum, quod error ex ignorantia culpabili non sit Paganismus, Iudaismus, vel hæresis, cùm non sit propria infidelitas, quæ sola diuiditur in illas tres infidelitatis species. Aliqui dicunt, illud peccatum pertinere reductiuè, & incompletè ad hæresim, contra quos inuehitur Lorca *vbi suprà num.* 16. quia peccatum illud est completum in se, cùm sit mortale, & grauissimum; debet ergo esse completè, & directè in aliqua specie, & sub aliquo genere. Hæc tamen erit quæstio de vocibus: nam reipsa fatemur peccatum illud esse indiuiduum completum alicuius speciei, quæ species appellari posset peccatum contra fidem Catholicam vel, (si velis) contra fidem, & auctoritatem Ecclesiæ, retenta professione Christianæ religionis: sub qua specie sunt peccata scienter commissa, quæ appellantur hæreses, & ignoranter commissa, quæ non appellantur hæreses, licèt non differant specie ab hæresi, vt dictum est. Quando autem dicitur pertinere reductiuè ad hæresim, non est sensus quòd non sint directè, & propriè sub aliqua specie nec etiam quod spectent ad illam seriem peculiarem indiuiduorum, quæ appellantur hæreses; sed solùm significatur, quòd pertineant ad illam speciem, sub qua continentur hæreses, licèt non habeant idem nomen, nec eandem grauitatem aut eosdem effectus morales. Quia tamen non habemus nomen incomplexum ad nominandam speciem illam communem hæresi, & peccato ex ignorantia, sicut habemus nomina incomplexa ad significandum infidelitatem, & tres species infidelitatis, ideo vt dignoscantur peccata ex ignorantia inter se, reducimus illa tria nomina vulgaria, cum quibus habent maiorem affinitatem; ita vt negans per ignorantiam vnum Deum dicatur pertinere reductiuè ad Paganismum: negans ex ignorantia Christum, reduci ad Iudaismum, & negans aliquid aliud retento Christo reduci ad hæresim, hoc est, peccare peccato simili, quoad speciem cum hæresi, licèt non peccato hæresis: sicut illi alij habent peccatum simile, quoad speciem cum Paganismo, vel Iudaismo, licèt non sit Iudaismus, vel Paganismus.

183 Dices, peccatum mortale, etiamsi non semper sit directè contra charitatem, semper tamen expellit habitum charitatis, & opponitur charitati, atque adeò peccata etiam mortalia ex ignorantia culpabili id habent; ergo peccata etiam contra fidem commissa ex ignorantia culpabili habebunt oppositionem cum fide, atque adeo erunt propria peccata infidelitatis, & per consequens poterunt aliquando esse hæreses propriæ. P. Suarez *dicta sect.* 3. *num.* 25. respondet esse discrimen, quia peccata mortalia expellunt charitatem demeritoriè, quare licèt non omnia sint illi formaliter contraria; omnia illam expellunt: fides autem non expellitur per omnia peccata mortalia contra fidem, sed per illud, quod illi formaliter opponitur, & quod eius formale obiectum euertit, qualis non est error per ignorantiam culpabilem admissus.

184 Hæc tamen responsio difficilis est, omne enim peccatum mortale actuale videtur habere ex obiecto suo repugnantiam formalem cum obiecto formali charitatis, nec posse simul stare, cum actu dilectionis Dei super omnia, vt cum S. Thoma, & aliis Theologis latè probaui *disput.* 5. *de Incarnat. sect.* 5. *numero* 84. & sequentibus, quod de omni prorsus peccato mortali intelligunt, adeo vt Luisius Turrianus *opusc.* 6. *de gra-*

tia

tia disp.7. num.5. dicat, neminem vnquam concessisse, posse etiam de potentia Dei absoluta, esse simul actum dilectionis Dei super omnia cum quolibet peccato mortali actuali. Imò idem P. Suarez alibi sæpe supponit, repugnantiam peccati mortalis cum charitate oriri ex oppositione penes obiectum formale, vt constat ex locis eiusdem, quæ attuli in dicto loco num.74. Debemus ergo in peccato mortali, etiam ex ignorantia culpabili commisso, agnoscere repugnantiam ex obiecto cum obiecto formali charitatis ratione cuius vnus actus non potest esse cum alio, quæ repugnantia non inueniatur inter errorem contra fidem ex ignorantia culpabili, cum actu fidei diuinæ.

185 Potest autem hæc differentia explicari ex ipsa natura peccati mortalis, quo, vt Theologi fatentur, creatura constituitur vltimus finis, quatenus Deus creaturæ postponitur, ad quod necesse est, quòd appareat oppositio peccati cum Deo, vel eius lege, & ideo non potest esse peccatum illud cum dilectione Dei, qua Deus amatur super omnia, & præfertur aliis omnibus: esset enim contradictio præferre, & postponere simul Deum obiecto creato, quod per peccatum Deo præfertur, quæ repugnantia inuenitur etiam in peccato mortali per ignorantiam commisso, cum ipsa saltem ignorantia, & omissio diligentiæ debitæ cognoscatur prohibita, & oppositа Deo, & eius legi. Hæc autem repugnantia non inuenitur inter errorem ex ignorantia culpabili & actum fidei diuinæ: qui actus solùm dicit, *credo firmissimè quicquid Deus reuelat, & Ecclesia proponit:* cui non contradicit errans ex ignorantia culpabili, nam solùm dicit, *nolo scire quid Deus, reuelauerit, vel quid Ecclesia proponat*; promptus tamen ad firmissimè vtrumque credendum, licèt non ad inuestigandum: in qua omissione licèt peccet contra fidei obligationem, quæ obligat etiam ad inuestigandum, & audiendum Deum & Ecclesiam, ne illis dissentiat etiam materialiter; non tamen contradicit obiecto per fidem credito, nec voluntati credendi firmissimè Deo, nec illi vnquam dissentiendi. Sicut pater amans filium plus quàm voluptatem capiendi feram, non contradicit sibi nec huic voluntati, quando occidit filium, quem per ignorantiam culpabilem putauit esse feram. Nam licèt in hoc ipso peccauerit contra obligationem, qua ex pietate erga filium debebat inuestigare, an esset filius; adhuc perseuerat amor ille, quo vitam filij præferebat voluptati capiendi feram, & ideo occisio filij est illi inuoluntaria, quia est contra voluntatem illam adhuc moraliter perseuerantem, & non reuocatam per voluntatem non adhibendi debitam diligentiam. Sic etiam in eo, qui per ignorantiam culpabilem errat contra fidem, & Ecclesiam, dissensus est illi inuoluntarius, quia est contra voluntatem absolutam non dissentiendi Ecclesiæ, voluntas adhuc moraliter perseuerat, nec reuocatur per voluntatem illius dissensus, vel non adhibendi debitam diligentiam, alioquin si reuocaretur, non fuisset dissensus ille inuoluntarius, cùm tamen omnes cum S. Thoma *in* 1.2. concedant, omnem ignorantiam etiam culpabilem causare inuoluntarium.

186 Vrgebis, quia non potest esse actus fidei diuinæ, nisi ex voluntate vniuersali subiiciendi intellectum fidei, vt diximus *disp.17. sect.5.* ob cuius voluntatis defectum diximus ibi non posse esse in hæretico actum fidei diuinæ, etiam circa alios fidei articulos, quos credit: voluntas autem vniuersalis videtur extendi ad vitanda omnia peccata grauia contra fidem: ergo cum peccato graui contra fidem etiam ex ignorantia culpabili non potest manere voluntas requisita ad fidem diuinam. Ad hoc tamen argumentum respondi *dicta sect.5.* errorem ex ignorantia culpabili, non repugnare cum voluntate illa vniuersali, subiiciendi intellectum auctoritati Dei, & Ecclesiæ. Quia potest aliquis velle seruare castitatem, & tamen non velle vitare omnia pericula amittendæ castitatis; sic enim chirurgus aliquando licitè se exponit tali periculo, licèt habeat voluntatem castitatis: non ergo opponuntur ex obiecto illæ duæ voluntates, alioquin in nullo casu possent licitè, vel illicitè coexistere. Sic ergo potest stare voluntas subiiciendi intellectum fidei, & Ecclesiæ, cum negligentia etiam culpabili in inuestiganda reuelatione Dei, vel doctrinæ Ecclesiæ, quæ solùm vult periculum infidelitatis, vel hæresis materialis, atque ideo solùm opponitur voluntati fugiendi periculum etiam infidelitatis materialis, non verò voluntati subiiciendi intellectum Dei reuelationi, & Ecclesiasticæ doctrinæ.

Quarto obiiciunt, quia ad alias duas species 187
infidelitatis, nempe Iudaismum, & Paganismum *Obiectio.*
sufficit errare ex ignorantia culpabili, ergo id etiam sufficiet, vt aliquis fiat hæreticus. Respondet Suarez *dicta sect.3. num.25.* infidelitatem priuatiuam etiam per ignorantiam culpabilem, esse posse sine pertinacia, per carentiam totius fidei, quia id totum pertinet ad peccatum omissionis: at verò infidelitatem contrariam, qualis est hæresis, non posse esse sine aliqua fidei notitia, saltem per sufficientem eius propositionem: quæ doctrina, cùm eam ad argumenti formam non applicuerit, videtur adhuc rem hanc obscuram relinquere. Clariùs ergo dicere possumus, in omnibus illis tribus speciebus, quoad rem ipsam eandem esse rationem: nulla enim ex illis est species propria infidelitatis cum solo peccato ex ignorantia, quia per nullam ex illis expelleretur habitus fidei antea infusus, si error esset solùm ex ignorantia culpabili, & fides non esset sufficienter proposita. Vnde si infans baptizatus nutriatur postea apud Paganos, vel Iudæos, & eorum doctrinam sectetur, non erit propriè infidelis, nec amittet habitum fidei infusæ, donec fidem sibi sufficienter propositam respuat quod idem est de infante baptizato, & apud 188
hæreticos nutrito. Est tamen duplex differentia de nomine inter hæreticum, & Iudæum, vel Paganum. Prima est quòd ille, qui non est baptizatus, si fidem sibi sufficienter propositam respuat, non solùm dicitur, & est infidelis, sed etiam dicitur, & est Iudæus, vel Paganus, cùm habeat iam propriam infidelitatem pertinentem ad illas species. At verò, qui cum hæreticis sentit, & fidem Ecclesiæ sibi sufficienter propositam respuit, si nondum est baptizatus, licèt latè loquendo vocetur hæreticus, non tamen strictè, & in sensu ecclesiastico, quo hæretici dicuntur punibiles ab Ecclesia, & qui ob baptismum susceptum legibus Ecclesiæ, & correctioni subiacent: quare dicetur ille hæreticus coram Deo, & habebit malitiam illius infidelitatis, non tamen coram Ecclesia, & in ordine ad eius leges, vt diximus *suprà*

supra sect. 4. Altera differentia etiam de nomine est, quòd nomina *Iudæi*, & *Pagani* faciliùs extenduntur ad eos etiam, qui non sunt propriè & in rigore infideles, quàm nomen *hæretici*: nam Iudæi etiam dicebantur fideles ante legem Christi promulgatam, & nunc etiam infans baptizatus, & apud Iudæos nutritus, eorúmque religionem sectans, dicetur esse in Iudaismo, etiamsi nondum Christianæ fidei notitiam habuerit, nec contra eam peccauerit, etiam ex ignorantia culpabili. Eodémque modo si apud Gentiles enutritus esset, eorúmque ritus teneret, diceretur esse Paganus, licèt nondum fidem infusam per propriam infidelitatem perdidisset: non tamen ita diceretur hæreticus, si contra fidem Catholicam nondum peccasset. Quæ modi loquendi diuersitas fundari potuit in eo, quòd nomina *Iudæi*, vel, *Gentilis*, ex modo significandi non videntur dicere ordinem ad Ecclesiam à qua discedunt, sed solùm ad obiectum, quod profitentur, vel negant, nempe *Iudæus*, ad Christum negatum, & legem veterem creditam: *Gentilis* verò, ad falsum Deum receptum, & verum Deum negatum, & ideo in latiori significatione præscindere possunt à propria infidelitate, siue intercedat culpa ignorantiæ vincibilis contra fidem, siue nulla grauis culpa intercedat. At verò nomen *hæretici*, ex proprio suo modo significandi videtur dicere ordinem ad Ecclesiam, eiusque fidem relictam, aut reiectam, & contra distinguit *à Catholico*, ita vt nec hæreticus sit catholicus, nec catholicus sit hæreticus. Ille ergo, qui siue sit, siue non sit baptizatus, quoad omnia sentit cum Ecclesia Catholica Christi, & per ignorantiam culpabilem, vel inculpabilem dissentit in aliquo, non est hæreticus, quia verè adhuc est Catholicus, cùm habeat voluntatem sentiendi in omnibus cum Ecclesia Catholica, & amplectatur in communi totam eius doctrinam. Tunc autem incipit esse hæreticus, quando Ecclesiæ resistit, & ab eius doctrina se separat; hæreticus, inquam, in foro externo, si sit baptizatus, & in foro interno, si baptizatus non sit: quia iam tunc incipit non esse Catholicus, nec sentire in omnibus cum Ecclesia Catholica. Iudæi autem, & Pagani errantes per ignorantiam culpabilem appellantur Iudæi, vel Pagani, quantumlibet non sint adhuc propriè infideles: sed tamen tunc non sunt Catholici, cùm nec explicitè, nec implicitè sentiant cum vera Ecclesia Catholica, quæ hodie est sola Ecclesia Christiana. Ad obiectionem ergo dicimus, Iudæos, & Paganos errantes ex sola ignorantia culpabili non esse propriè infideles, atque adeo non esse Iudæos, & Paganos, prout Iudaismus, & Paganismus sunt species infidelitatis, esse tamen Iudæos, & Paganos in alia significatione latiori: quatenus dicuntur tales, qui extra Catholicam Ecclesiam, & fidem positi, negant Christum, & verum Deum: negamus verò esse hæreticos, qui fidem Catholicæ Ecclesiæ profitentur, dum infideles non sunt, quia nomen *hæretici*, non solùm dicit ordinem ad obiectum negatum, sed etiam ad separationem ab Ecclesia talem, vt aliquis desinat esse propriè Catholicus.

189 *Obiectio 5.* Quintò obiicitur pro secunda sententia, quia ignorantia saltem ita crassa, vt facillimè superari potuerit, æquiparatur scientiæ; sicut ergo scienter errans est hæreticus, ita erit errans ex ignorantia adeo crassa. Respondeo, quando pœna aliqua imponitur facienti scienter, vel ex dolo, aut præsumenti, &c. ignorantiam crassam excusare, nec reputari pro scientia, vt cum aliis docet Thomas Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 32. num. 36. & sequentibus, quando saltem non esset affectata, vel cum ingenti temeritate, quæ dolo æquipararetur. Meritò itaque Suarez, dicta sect. 3. num. 17. dicit, distinctionem illam ignorantiæ magis, vel minùs crassæ, non esse vtilem in hoc puncto: tum quia vtraque admittit secum voluntatem sentiendi in omnibus cum Ecclesia, & ei non dissentiendi, quæ voluntas non stat cum hæresi: tum etiam quia in praxi non posset moraliter assignari gradus ille negligentiæ sufficiens, vel non sufficiens ad hæresim incurrendam.

190 *Obiectio 6.* Hinc tamen obiicitur sextò pro tertia sententia, quia ignorantia saltem affectata, sufficiet ad hæresim: nam hæc non minuit, sed aggrauat culpam: si ergo error scienter admissus reddit hæreticum, magis id faciet cum ignorantia affectata, quæ culpam grauiorem reddit. Respondetur, quandiu errans eo est animo affectus, vt si sciret Ecclesiæ mentem, eam amplecteretur, ignorantiam etiam affectatam non aggrauare, sed minuere culpam, cum retineatur adhuc affectus reuerentiæ erga Ecclesiam, & animus eius doctrinam non deserendi, & quod plus est, adhuc possit stare actus, quo credantur firmissimè omnia, quæ Ecclesia proposuerit. Quamuis ergo ignorantia sit voluntaria, & volita, dissensus tamen ab Ecclesiæ doctrina est minùs voluntarius, quàm si scienter fieret, & ideo non attingit pertinaciam ad hæresim requisitam.

191 *Obiectio 7.* Septimò obiicit Sanchez pro quarta sententia, quia ea excusatio locum non habet, quando ignorantia affectatur ad finem liberiùs errandi, quia tunc recessus ab Ecclesia est magis voluntarius, & reperitur pertinacia, & nolle illi subiici. Item quando affectatur ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia parui momenti putatur, quod Ecclesia aliquid proponat. In hoc tamen potest esse aliqua æquiuocatio, & fieri quæstio de vocibus. Nam in primis, si omissio diligentiæ debitæ ad explorandam Ecclesiæ mentem procedit ex contemptu Ecclesiæ, & ex falsa opinione de defectu infallibilitatis, quam Ecclesia habet in iis, quæ proponit, fatemur omnino illum esse hæreticum, quia non solùm errat circa articulum, quem ignorat ab Ecclesia proponi, sed etiam circa auctoritatem Ecclesiæ, quam pertinaciter negat. Quando verò ignorantia affectatur ad finem liberiùs errandi, distinguendum est. Potest enim id dupliciter intendi. Primò, quia eo animo est, vt etiamsi constaret de mente Ecclesiæ, nollet à sua opinione dimoueri: vt tamen vitet remorsum, & maiorem difficultatem, quam tunc sentiret, vult ignorare Ecclesiæ sensum, vt faciliùs, & liberiùs erret. Et eo casu concedimus, eam ignorantiam non excusare ab hæresi, cùm in ea dispositione animi non possit haberi voluntas debita subiiciendi omnino intellectum Ecclesiæ proponenti. Atque idem dicendum videtur, si ignorantia affectetur, vt peccatum leuius fiat, & aliquam habeat excusationem ignorantiæ: nam tunc etiam supponi videtur animus non acquiescendi Ecclesiæ etiamsi de eius sensu constaret. Secundò tamen potest id fieri ad liberiùs peccandum, quia si de Ecclesiæ sensu constaret, non auderes illi te opponere, & ideo ignorare vis, vt sine obstaculo audeas propriæ opinioni adhærere.

Et in hoc casu dicimus non excusare eam ignorantiam affectatam à peccato grauissimo, excusare tamen à pertinacia, & hæresi: iam enim te ostendis paratum ad credendum, si de Ecclesiæ sensu sufficienter constiterit, licèt cupias, & procures, ne constet.

192 Quod confirmari potest, quia potest contingere, quòd articulus, quem ignoras ignorantia affectata an sit ab Ecclesia propositus, non sit reuera propositus, nec verus, & tamen tu ex affectu ad obiectum contrarium, cui adhæres, nolis scire, an sit ab Ecclesia propositus, vt liberiùs possis ei assentiri, & ne auctoritate Ecclesiæ cogaris ad recedendum à tua opinione. Tunc certè non apparet quomodo, aut cur sis hæreticus, cùm nihil prorsus contra Ecclesiam sentias, & suppono te non esse in ea dispositione, vt velis ab Ecclesia dissentire. Si autem tunc non es hæreticus, nec etiam esses, licèt articulus negatus fuisset verè ab Ecclesia propositus: nam voluntas tua æqualiter se habet in vtroque casu, & pertinacia non potest esse sine noua culpa ex parte voluntatis, quæ non sit in eo, qui non est pertinax. In neutro ergo casu dici debes hæreticus quandiu ex parte voluntatis manet propositum acquiescendi Ecclesiæ, si de eius sensu sufficienter constiterit.

193 Petes, quid si nec habebas animum positiuum acquiescendi, nec etiam dissentiendi, si constaret de consensu Ecclesiæ; & tamen ne in eas angustias incideres, voluisti ignorare sensum Ecclesiæ, debésne tunc censeri hæreticus, propter errorem cum tali ignorantia affectata habitum? Respondeo, si anteaiam auctoritatem Ecclesiæ agnoueras, & recognoueras, censeris habitualiter in eadem voluntate perseuerare, quandiu eam non reuocas. Non est autem reuocare, velle fugere occasiones, & pericula reuocandi: sicut non reuocas fidem datam amico faciendi quidquid tibi iniungerit, quando postea ex industria eum fugis, ne petat aliquid tibi ingratum, & molectum. Sic in nostro casu non reuocat voluntatem assentiendi Ecclesiæ, qui fugit ne Ecclesia proponat aliquid, cui fortasse periculum sit ne dissentiat, quia adhuc non est posita voluntas contraria, imò cum illa ignorantiæ affectione stare potest actualis renouatio prioris voluntatis vt dictum est.

194 *Obiectio vltima.* Obiiciunt vltimò, quia ex nostra sententia sequeretur, vix vllos esse propriè hæreticos: nam ferè omnes, qui hæretici nunc dicuntur, & apud hæreticos degunt, non aliter errant, quàm per ignorantiam vel crassam, vel etiam affectatam, qua nolunt notas fidei Catholicæ inuestigare. Respondeo, hoc argumentum non solùm probare de ignorantia affectata, quòd non excuset ab hæresi, sed magis probare de ignorantia vincibili, quæcumque illa sit: pauci enim sunt apud hæreticos, qui errent ex ignorantia affectata; sed si errant ex ignorantia culpabili, illa quidem non est affectata, sed vincibilis, vel crassissima, vel crassa. Fateor itaque plures reperiri apud hæreticos, qui verè, & propriè hæretici non sunt, quales sunt multi rustici, & pueri apud hæreticos enutriti, quibus auctoritas Catholicæ Ecclesiæ nunquam fuit sufficienter proposita, & ex illis non pauci excusantur, non solùm ab hæresi, sed etiam à peccato graui contra fidem, propter ignorantiam inuincibilem. Alij sunt, qui non excusantur à peccato graui contra fidem, quia ignorantia in ipsis est culpabilis, excusantur tamen ab hæresi propriè propter ignorantiam. Sunt etiam aliqui pauci, in quibus ignorantia est affectata, & horum quidem aliqui excusantur ab hæresi propria, in hac sententia excusante etiam errantes ex ignorantia affectata. Plurimi tamen sunt, qui nullo modo ab hæresi excusantur, quibus nimirum Ecclesiæ Catholicæ auctoritas sufficienter proposita est, vt eam sequantur: habet enim pro se tot, & talia motiua Catholica Ecclesia, vt eius notitia sese ingerat etiam nolentibus. Quod experientia ipsa, & ipsimet hæretici volentes, nolentes testantur, dum fatentur in hac vita meliorem esse religionem suam, in morte nostram: quare in eo articulo facilè eam amplectuntur, teipsa comprobantes id quod verissimum est, se non veritatis studio, sed terreno affectu duci ad hæresim amplectendam, nimirum vel carnis illecebris, & vitæ licentia, vel diuitiarum, dignitatisque mundanæ affectu, vel etiam aliquando ne propriæ existimationi, quam apud homines comparasse sibi videntur, præiudicent profitentes palam se turpiter errasse, & turpiùs alios in errorem traxisse. Difficile enim superbi errores proprios fatentur, & manus dant in bello intellectuali, quandiu prætextu aliquo sustinere possunt propriam opinionem etiam contra veritatem sibi notam. Denique ij etiam, qui ignorantiam habent culpabilem, vel affectatam, vel non affectatam, sæpe non excusantur ab hæresi, quia ea sunt dispositione, & affectu, vt Ecclesiæ Catholicæ auctoritati sibi sufficienter propositæ resisterent, cum quo affectu esse non potest affectus Catholicus, non dissentiendi Ecclesiæ sufficienter propositæ, & proponenti.

195 *Ignorantia culpabilis in foro externo non semper excusat à præsumptione hæresi.* Vnde aduertendum est primò in foro externo ignorantiam culpabilem, non semper excusare à præsumptione hæresis, etiamsi dicat se ex ignorantia errasse, vt obseruant Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 3. puncto 2. num. 5.* Menochius, Farinacius, Penna, Simancas, Albertinus, & alij, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao, ibi, & Diana *4. part. tract. 7. de pœnis delictorum, &c. resolut. 36. §. Notandum est tamen.* Dixi, *non semper excusare*; quia aliquando etiam in foro externo proderit excusatio illa ad minuendam, & impediendam pœnam, vt aduertunt prædicti Doctores, quod totum pendet ex circunstantiis personæ, loci, dogmatis negati, & aliis, quæ prudenter considerandæ sunt.

Quæ obligatio habeat hæc doctrina. Aduerte secundò hanc doctrinam, quod ignorantia impediat pertinaciam ad hæresim requisitam, locum habere saltem in foro interno in omni materia fidei, etiamsi sit ex præcipuis articulis, vt notauit Suarez *dicta sect. 3. n. 19.* contra aliquos, qui articulos fidei excipiunt, circa quos ignorantia non excusat hæresim: qui tamen intelligendi sunt loqui quoad forum externum, in quo vix vnquam admitteretur illa excusatio vt diximus, in foro autem interno rariùs contingeret, non tamen negandum est, posse aliquando contingere.

196 *An si ignorantia sit circa ipsam Ecclesiæ auctoritatem, quam aliquis ex industria vult ignorare, excusat à culpa ignorans?* Supersunt aliquæ difficultates. Prima esse potest circa proximè dicta, an si ignorantia sit circa ipsam Ecclesiæ auctoritatem, quam aliquis ex industria vult ignorare, vt suos errores retineat, excuset etiam, nec ille sit propriè hæreticus. Ratio dubitandi est, quia si ita errat circa ipsam auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, non videtur posse esse Catholicus, nec habere actum, quo vniuersaliter

saliter velit omnia credere, quæ Ecclesia Catholica proponit, & credit, cùm ipsius Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem infallibilem in proponendo neget: ergo ille error non est talis, cum quo possit adhuc stare voluntas credendi in vniuersum cum Ecclesia, ratione cuius compossibilitatis, dicebamus ignorantiam etiam affectatam non constituere hæreticum propriè, & in rigore. Quam rationem approbare videntur auctores citati pro nostra sententia: nam Suarez *dicta sect. 3. num. 10.* ideo probat errantem ex ignorantia culpabili non esse hæreticum, quia, *quandiu perseuerat voluntas in proposito subijciendi iudicium suum, iudicio Ecclesiæ, non potest homo errare pertinaciter, nec esse hæreticus:* & num. 18. idem eodem argumento probat de ignorantia affectata. Clariùs Hurtado *dicta disput. 82. §. 50.* cum ea limitatione videtur conclusionem statuere his verbis: *nulla ignorantia antecedenti quantumuis crassa, & affectata constitui hæreticum eum, qui errat in materia fidei, dum paratus sit ad consentiendum Ecclesiæ, cum cognouerit, quid ipsa sentiat.*

197 Existimo tamen, magis consequenter ad doctrinam traditam, & magis etiam iuxta mentem auctorum huius sententiæ, dicendum esse, intelligi etiam de ignorantia circa ipsam auctoritatem Ecclesiæ, siue ea sit crassa, siue etiam affectata; ita vt quandiu non proponitur sufficienter auctoritas Ecclesiæ, & quòd habeat infallibilitatem in proponendo, qui negat hanc Ecclesiæ auctoritatem, vel idcirco negat aliquid aliud, quod videt ab Ecclesia proponi, nondum sit hæreticus durante ea ignorantia. Quod videtur Suarez *dicta section. 3.* omnino supponere: nam *num. 19.* excusationem illam ab hæresi ex qualibet ignorantia dicit habere locum vniuersaliter in qualibet fidei materia, & in quolibet articulo, in qua vniuersitate includi debet articulus etiam de infallibili Ecclesiæ auctoritate, alioquin debuisset hic excipi ab illa regula vniuersali. Clariùs id docuit *num. 14.* vbi dixit, non requiri quidem ad pertinaciam, quòd aliquis credat hanc esse veram Ecclesiam proponentem, & habere auctoritatem ad proponendum, quia hæretici de facto id non credunt; requiri tamen, quòd hæc auctoritas Ecclesiæ, licèt non credatur proponatur tamen sufficienter, vt possit, & debeat credi. Et in hoc sensu explicat quod dixerat num. 12. ad pertinaciam hæreticam requiri ex parte intellectus, *cognitionem, vel notitiam sufficientem auctoritatis Ecclesiæ, & quòd, doceat, seu proponat veritatem illam, contra quam aliquis errat.* Quam notitiam requisitam de auctoritate Ecclesiæ explicat postea dicto num. 14. esse illam, *per quam ita proponitur Ecclesiæ auctoritas, vt obliget hominem ad credendum, & ipsam esse veram Ecclesiam, & veram etiam doctrinam, quæ ex cathedra docetur.* In quo æquiparat etiam noticiam ipsius definitionis actualis, quam dicit pariter requiri talem, vt possit, & debeat credi, & acceptari definitio facta ab Ecclesia; vnde æquè negat pertinaciam, quando est ignorantia de auctoritate Ecclesiæ, ac quando est ignorantia de Ecclesiæ definitione.

198 Ratio etiam ex dictis, & ex mente eorum Auctorum videtur clara; quia ille, qui habet ignorantiam circa definitionem, & propositionem Ecclesiæ, ideo non est adhuc pertinax, nec hæreticus, quia potest adhuc habere voluntatem firmiter credendi quidquid Ecclesia proposuerit: similiter autem, qui ignorat Ecclesiæ auctoritatem, potest adhuc habere voluntatem captiuandi intellectum in obsequium fidei diuinæ, & firmiter credendi quidquid sufficienter propositum fuerit, vt reuelatum à Deo: ergo nec iste erit infidelis: nam sicut non est hæreticus, qui acceptat omnia, quæ Ecclesia sufficienter proposuerit, ita non erit infidelis, qui habet propositum firmiter credendi, quidquid fides proposuerit, seu quidquid sufficiètер proponetur vt reuelatum à Deo: neque enim fides perditur, per recessum ab obiecto formali fidei, quod est veracitas, & testificatio Dei vt arguit idem Suarez *vbi suprà n. 10.* Si autem ille non est infidelis, neque etiam esse potest hæreticus: cui enim non conuenit genus, non potest conuenire ratio aliqua specifica sub eodem genere contenta. Siue ergo Ecclesiæ propositionem ignoret, siue eius auctoritatem, potest non esse infidelis, atque adeo nec hæreticus, si habere possit simul voluntatem credendi omnia, quæ sub motiuo diuinæ reuelationis sufficienter proposita fuerint.

Ad rationem ergo dubitandi respondeti potest, hunc eo casu posse adhuc esse Catholicum 199
quia cum ignorantia de auctoritate, & veritate Ecclesiæ, potest habere propositum, & voluntatem credendi omnia, quæ proponet aliqua vera Ecclesia, quoties sufficienter proposita fuerit infallibilis auctoritas illius Ecclesiæ, in qua voluntate includitur implicitè voluntas credendi omnia, quæ hæc nostra Ecclesia proposuerit, posita notitia sufficienti de auctoritate huius Ecclesiæ, quod sufficiens videtur formaliter loquendo ad sentiendum saltem in communi cùm Ecclesia Catholica, quamuis materialiter propter ignorantiam ab ea in rebus creditis dissentiat.

Dices, ponamus, quod homo ille erret putans 200
non esse credendum vlli Ecclesiæ proponenti, sed soli spiritui interno, provt de facto aliqui hæretici docent, & simul habeat ignorantiam culpabilem de auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, imò & vllius Ecclesiæ possibilis: hic non videtur esse vllo modo Catholicus, cùm neque actu vniuersali paratus sit ad acceptandam vllam propositionem alicuius Ecclesiæ; ergo ignorantia illa culpabilis circa auctoritatem omnis Ecclesiæ possibilis sufficeret ad constituendum hæreticum. Respondetur in casu proposito inuolui non modicam repugnantiam, quomodo enim potest homo penitus non insanus credere, loquendo saltem de possibili quòd Deus possit immediatè per seipsum hominibus loqui, & non possit etiam loqui per alios ministros, qui eius mandata proponant, atque adeo per Ecclesiæ ministros, quos possit ad id munetis deputare? Constat namque, omnes, qui per seipsos loqui possunt, posse etiam per alios loqui, & mentem suam per internuntios, aut legatos exponere. Repugnat ergo, quòd aliquis velit Deo credere, & implicitè saltem eum non velle Deo credere, per Ecclesiæ ministros loquenti, si sufficienter constet, eos ad proponenda Dei verba legitimam auctoritatem habere.

Demus tamen per possibile, vel impossibile 201
hypothesim illam, quòd putaret aliquis Deum non posse per alios loqui, & ideo non haberet voluntatem etiam vniuersalem credendi Ecclesiæ, distinguere oportet: nam vel ille homo ha-

beret voluntatem firmam non credendi vnquam Ecclesiæ, etiamsi sufficienter proponeretur eius auctoritas infallibilis in proponendo verbo Dei. Et tunc homo ille esset propriè infidelis, nō quia per ignorantiam culpabilem erraret credendo Ecclesiam non habere auctoritatem, sed propter voluntatem illam efficacem non credendi Ecclesiæ, etiamsi eius auctoritas sufficienter proponeretur. Quare non solùm esset infidelis, sed etiam hæreticus, cùm in ea esset dispositione positiua, vt non esset paratus ad recipiendam doctrinam Ecclesiæ etiam sufficienter propositam. Si autem homo non haberet eam voluntatem conditionatam non credendi Ecclesiæ, sed haberet voluntatem vniuersalem credendi Deo, quoties eius reuelatio esset euidenter credibilis, etiamsi propter ignorantiam illam culpabilem crederet, Deum non posse vnquam per Ecclesiam loqui, & ideo haberet voluntatem absolutam non credendi de facto Ecclesiæ, quia de facto nunquam Deus per illam loquetur, adhuc homo ille non esset propriè infidelis, atque adeo nec hæreticus. Catholicus autem non esset dicendus omnino absolutè, posset tamen dici Catholicus, quasi conditionatè. Non quidem absolutè omnino, quia haberet voluntatem omnino absolutam nunquam credendi Ecclesiæ. Conditionatè verò posset dici Catholicus, quia in voluntate illa efficaci credendi Deo omne reuelatum, quoties sufficienter reuelatio esset credibilis, contineretur implicitè conditionalis voluntas credendi Ecclesiæ, si per possibile, vel impossibile constaret sufficienter, quod reuelatio Dei per Ecclesiam proponeretur, quæ voluntas conditionata sufficeret ad impediendam pertinaciam contra Ecclesiam: nam cum illa voluntate conditionata, si efficax esset, (vt suppono) non posset stare voluntas resistendi auctoritati Ecclesiæ sufficienter propositæ, in qua voluntate consistit pertinacia ad hæresim requisita.

281 Potest autem responsio hæc exemplo declarari, & vrgeri difficultas ad casum, quo aliquis haberet ignorantiam culpabilem, non solùm circa Ecclesiam possibilem, sed etiam circa loquutionem omnem, aut reuelationem possibilem, ex qua ignorantia erraret putans Deum nihil posse vnquam hominibus reuelare. Hic certè stante ea dispositione, nullum posset elicere actum fidei, cùm nullā crederet Dei reuelationem, nec etiam possibilem, posset tamen habere adhuc voluntarem conditionatam credendi Deo, si per possibile, vel impossibile Deus posset aliquid hominibus reuelare, quæ voluntas & dispositio sufficeret, vt ille non esset propriè infidelis, licèt peccaret contra fidem, ob illam ignorantiam culpabilem circa reuelationem Dei. Esset autem fidelis, si haberet habitum fidei infusum forsitan in baptismo in infantia suscepto, quem habitum nondum perdidisset ob ignorantiam illam culpabilem: si verò non haberet habitum fidei infusum, ille quidem non esset fidelis positiuè, non tamen esset infidelis propriè, cùm nondum abiecisset fidem scienter, sed solùm ex ignorantia culpabili, & posset in illa dispositione habere voluntatem conditionatam, quantum est ex se præparatam ad credendum firmiter Deo, si possibilis esset aliqua Dei reuelatio sufficienter proposita: quam voluntatem si haberet, posset ratione illius dici iam fidelis, non absolutè, sed quasi conditionatè: sic ergo in casu nostro posset ratione illius voluntatis conditionatæ dici Catholicus, saltem conditionatè, quandiu non haberet voluntatem contrariam conditionatam non credendi Ecclesiæ, etiamsi possibilis esset doctrina Dei per Ecclesiam sufficienter proposita.

Alia difficultas principalis esse potest de ignorantia concomitanti, an impediat pertinaciam requisitam ad constituendam hæreticum, v.g. aliquis aliunde animo pertinaci contemnit Ecclesiæ auctoritatem, atque ideo non dubium quin sit iam hæreticus internus, non tamen externus, quia hunc animum nunquam exteriùs manifestauit. Postea occurrit sermo de aliquo fidei dogmate, quod ipse ignorans ignorantia culpabili esse ab Ecclesia definitum, negat esse verum, idque exteriùs manifestat. Ignorantia definitionis Ecclesiæ potest tunc dici quasi concomitans, quia non fuit causa negandi: quamuis enim sciret esse ab Ecclesia definitum, negasset ex dispositione antecedenti nunquam retractata, sed habitualiter perseuerante. Sed neque ea ignorantia fuit effectus pertinaciæ præteritæ: non enim ignorauit nunc definitionem Ecclesiæ, quia antea habuerat animum resistendi Ecclesiæ. Dixi tamen, posse dici quasi concomitantem, quia in rigore non est concomitans, cùm supponatur esse ignorantia culpabilis, & per consequens voluntaria, & volita, atque adeò consequens & sufficiens ad contrahendam culpam grauem contra fidem: dicitur tamen concomitans quatenus non est antecedens, & causa erroris contra Ecclesiam, & ideo dubitari potest, an eo casu detur pertinacia sufficiens ad propriam, & rigorosam hæresim formalem. 283

P. Coninch *dicto dub. 7. num. 96.* videtur negare, quia æquiparat exemplum illius, qui cum ignorantia inuincibili occidit hominem, quem putat esse feram, & libentiùs occidisset, si sciret esse suum inimicum, provt reuera, erat, quo casu non peccat peccato homicidij, quia voluntas illa habitualis nullo modo influit in eum actum, vnde infert, idem dicendum de errante contra Ecclesiam cum illa dispositione habituali. Alij tamen videntur supponere eo casu contrahi peccatum hæresis: ita videtur supponere Sanchez *dicto cap. 7. num. 29. & 31.* vbi quoties adest dispositio illa habitualis non acceptandi definitionem contrariam Ecclesiæ, dicit contrahi hæresim, per errorem fidei contrarium, si dispositio illa habitualis fundatur in actu aliquo positiuo elicito præterito. Plus aliquid, & difficiliùs dicere videtur Suarez *dicta sect. 3. n. 16.* vbi postquam distinxit ignorantiam antecedentem, & concomitantem, fatetur concomitantem non excusare, à pertinacia, etiamsi inuoluntaria sit. *Si ignorantia*, inquit, *sit tantùm concomitans errorem circa fidem, non excusat ab hæresi, quia tunc illa ignorantia talis est, vt secum admittat, imò requirat voluntatem non mutandi sententiam, etiamsi constet, Ecclesiam aliud docere: nam ab hac voluntate habet illa ignorantia, quod sit concomitans, & consequenter non est causa errandi, nec excludit contumaciam; quod adeo verum est, vt habeat locum etiamsi illa ignorantia sit inuoluntaria, quia etiamsi talis sit, non est causa errandi, nec excludit modum assentiendi pertinaciter contra Ecclesiæ auctoritatem. Vnde à fortiori hoc verum est in qualibet alia ignorantia culpabili.* Eodem modo loquitur Hurtado dicta disputat. 82. §. 47. vbi postquam definiuit ignorantiam

conco

concomitantem esse, quæ nec est causa, nec effectus rei, cum qua est ignorantia, subiungit hæc verba: *concomitans ignorantia non excusat ab hæresi, sicut nec a peccato vllo; res enim, quam concomitatur, fieret, tametsi ignorantia non esset. Qui ergo negat aliquod obiectum fidei, ignorans concomitanter illud ab Ecclesia proponi, est hæreticus, quia habet errorem quem etiam haberet, tametsi sciret oppositum ab Ecclesia censeri: ita vt error ille non sit compossibilis, cum animi præparatione ad correctionem per Ecclesiam, nec cum subiectione Sedi Romanæ.* Idem videtur sentire Bonacina disp. 2. de Censuris, quæst. 5. puncto 1. num. 7.

205 In hoc puncto aliqua certa videntur, & extra controuersiam. Primò enim certum est, si homo cum illa ignorantia concomitanti siue culpabili, siue inculpabili habeat actum positiuum voluntatis, quo nollet suam sententiam relinquere, etiamsi de contrario Ecclesiæ sensu constaret, eum esse hæreticum saltem internum; cùm habeat quantùm est de se, voluntariam pertinaciam internam contra auctoritatem Ecclesiæ, & in hoc fortasse sensu de hæretico, & pertinaci interno, & in foro Dei, præscindendo à foro externo, loquuti sunt aliqui ex auctoribus proximè citatis, qui non explicuerunt hæresim, vel pertinaciam in foro externo: imò Suarez non videtur posse nisi de foro interno intelligi: nam post verba proximè citata, quibus pertinaciam agnoscit cum illa ignorantia concomitanti, subiungit immediatè, *quin potius, licèt contingat opinionem esse veram, si cum eo affectu teneatur persistendi in illa, etiamsi Ecclesia contrarium definiat, incidetur in hæresim propter talem affectum.* Quæ verba intelligi non possunt de hæresi externa; nam qui dicit merita mortificata statim in iustificatione reuiuiscere, etiamsi habeat effectum non recedendi ab ea sententia, licèt Ecclesia contrarium doceat, non potest esse hæreticus externus, cùm affectum illum hæreticum non manifestet exteriùs, sed solùm sententiam de reuiuiscentia meritorum non dilata, quæ nullo modo repugnet doctrinæ, & auctoritati Ecclesiæ Catholicæ.

206 Secundò etiam certum est, si homo manifester affectum illum internum, & dispositionem suam, non acquiescendi definitioni Ecclesiæ, etiamsi cum ignorantia culpabili, vel etiam inculpabili de definitione proferat aliquem errorem, imò & opinionem veram, vel probabilem, eum esse hæreticum externum, quia iam sufficienter manifestat animum hæreticum internum de contemptu Ecclesiæ, & eius infallibilis auctoritatis.

207 Tertiò certum est, si ideo non curat expellere ignorantiam de Ecclesiæ definitione, quia etiamsi illam sciat, contemnet, & absolutè Ecclesiæ auctoritatem contemnit, & postea cum ea ignorantia errorem contra fidem profert, esse hæreticum externum. Solùm posset obstare difficultas, quam tetigi sectione præcedenti ante quartam illationem, quia illa dispositio, & affectus internus non acquiescendi Ecclesiæ, etiamsi de eius definitione constaret, non videtur exteriùs manifestari. Nam qui cum illa ignorantia, seu dispositione conditionata dicit, Spiritum sanctum. v. g. non procedere à filio, non plus verbis externis significat, quàm si eam dispositionem prauam erga Ecclesiam non haberet, quo casu diximus non esse hæreticum, etiamsi ignoraret culpabiliter definitionem Ecclesiæ; ergo nec in nostro casu erit hæreticus externus, qui non est sine errore pertinaci interno, qui etiam quoad pertinaciam exterius manifestetur.

Hoc tamen argumentum parum vrget: probaret enim nimium, nempe sæpe excusari aliquē 208
ab hæresi externa, etiamsi nullam ignorantiam habeat de contraria definitione Ecclesiæ: quia nimirum non exprimit exteriùs, se scire sensum Ecclesiæ contrarium, atque adeo non explicat pertinaciam internam contra Ecclesiam: quare qui solùm dicit exteriùs, *Spiritus sanctus non procedit à filio*, non incurret censuras, licèt conscius sit definitionis Ecclesiæ: quod tamen sine maximo absurdo concedi non potest: omnes ergo respondere debemus, ad hæresim externam non requiri, quòd aliquis in actu signato exprimat, se esse pertinacem contra Ecclesiam: satis est, si id dicat in actu exercito negans exteriùs aliquid quod est contra Ecclesiam, cuius auctoritatem interiùs contemnit, & ex eo contemptu in ea verba prorumpit. Ratio autem est, quia ad incurrendam hæresim externam, satis est si verba externa possint significare hæresim internam, licèt non semper verè illam significent ex defectu hæresis internæ. Voces autem illæ *Spiritus sanctus non procedit à filio*, ex se aptæ sunt ad significandam hæresim internam, & pertinaciam contra Ecclesiam, vt constat ex communi sensu: nam qui audiunt aliquem constanter negantem præsentiam Christi in Eucharistia, eo ipso concipiunt pertinaciam contra Ecclesiam in loquente: si ergo adest illa pertinacia, & hæresis interna, & mouet ad ea verba proferenda, sufficienter manifestatur exteriùs, & licèt voces ex se non minùs significarent, deficiente pertinacia interna, tunc tamen non eam verè significarent, quam nunc verè significant.

Quartò certum videtur id, quod inferebat 209
Suarez etiamsi ignorantia definitionis ab Ecclesia propositæ non sit culpabilis, sed inuoluntaria si tamen sit animus non credendi Ecclesiæ proponenti, ignorantiam non excusare ab hæresi interna, de qua sola videtur ibi loqui Suarez, vt notaui, cùm afferat exemplum de tenente opinionem veram, sed cum animo persistendi in ea, etiamsi Ecclesia contrarium definiat. Quo casu non videtur posse dici hæreticum externum qui eam solam opinionem exteriùs manifestat, quandiu non manifestat animum etiam pertinacem internum.

His positis, difficultas solùm videtur esse, 210
quando aliquis ignorat inculpabiliter, vel etiam culpabiliter sensum Ecclesiæ circa dogma fidei, quod culpabiliter negat; eam tamen dispositionem habet, vt etiamsi definitionem Ecclesiæ sciret, in suo errore persisteret, ita vt hic animus prauus erga Ecclesiam non sit causa negandi illud dogma, nec influat in ignorantiam culpabilem, an sit hæreticus externus, si cum ea animi dispositione proferat errorem suum, non manifestando vllo modo contemptū Ecclesiæ concomitantem, quem habet. In quo dubio, ego in primis puto, difficilè id posse contingere, vt prauus ille in Ecclesiæ auctoritatem animus merè concomitanter se habeat, & nullo modo influat in assensum erroneum. Communiter enim, & de facto, sicut nunquam, aut vix vnquam occurrere potest, quòd aliquis fidem accipiat, & vero actu *Proponitur difficultas.*

fidei diuinæ credat, cui auctoritas Ecclesiæ Catholicæ non sit proposita: ita nunquam, aut vix vnquam contingere potest, quòd aliquis contra fidem culpabiliter erret, cui eadem Ecclesiæ auctoritas non proponatur, vel non occurrat ei cogitatio tunc, an doctrina illa, sit iuxta, vel contra Ecclesiæ sensum. Si autem hæc cogitatio ei occurrat, & nolit id examinare, impossibile apparet, quod si iam alias Ecclesiæ auctoritatem interiùs contemnit, non moueatur ex eo, quod Ecclesiæ auctoritatem contemnit, & ideo non curat de illius sensu inuestigando, quia licèt sciat Ecclesiam contrarium sentire, adhuc in sua sententia persistet; quare contemptus ille Ecclesiæ non erit merè concomitans, sed causa aliquo modo erroris, quatenus est causa ignorantiæ, sine qua, & sine contemptu illo Ecclesiæ non sequeretur error. Vnde de facto semper contemptus ille auctoritatis Ecclesiæ faciet, quod error culpabilis exteriùs expressus, non excusetur ab hæresi externa quia verba externa de se, vt diximus, sufficienter significant pertinaciam internã contra Ecclesiam, quare quoties de facto datur pertinacia illa interna, & mouet aliquo modo ad errorem, & ad eius expressionem, nihil deest ex requisitis ad hæresim externam.

211 Addo vltimò, si per possibile, vel impossibile dispositio illa interna, & animus non acquiescendi Ecclesiæ contrario definienti ita merè concomitanter se haberet, vt nullo modo influeret in ignorantiam definitionis, neque in errorem ipsum internum, nec externum, non video cur dicendus esset ille hæreticus externus. Casus est, vt dixi, metaphysicus, potius quàm moralis, qui posset ita fingi: si v. g. aliquis eum animum internum contra Ecclesiæ auctoritatem antea habuisset, nec vnquam reuocasset, postea verò quando de aliquo peculiari errore agitur, illius suæ prioris voluntatis non recordetur, atque ideo nec velit, nec possit eam velle significare per professionem illius erroris: tunc quidem per accidens omnino videtur esse, quòd homo habuerit illam voluntatem, & quòd si sciret hoc esse contra Ecclesiam, recordaretur illius propositi, & nihil de auctoritate Ecclesiæ curaret, id enim non videtur sufficere, vt voces externæ, quibus peculiaris error exprimitur, illam voluntatem præteritam significent, cùm nec sit animus eam significandi, nec verba procedant vllo modo à voluntate illa, atque adeo nec vt obiectum nec vt causam possint illam significare, nec videtur esse alius modus, quo actio externa possit internam hæresim significare, nisi vel tanquam obiectum, vel tanquam causam suam, vt inductione constare potest in omnibus actionibus externis, quæ iudicari solent sufficientes ad constituendum hæreticum externum.

212 Confirmatur, & explicatur, quia si aliquis esset verè hæreticus internus, auctoritatem Ecclesiæ contemnens, postea verò immemor omnino illius, voluntatis (quia fuit quidam consensus citò transiens, sufficiens tamen ad hæresim internam) comedat carnes in die ieiunij cum ignorantia culpabili prohibitionis, in ea tamen dispositione habituali, vt si recordaretur volũtatis præteritæ contra Ecclesiæ potestatem, quam nondum reuocauit, contemneret Ecclesiæ præceptũ, etiamsi illud sciret, adhuc comestio illa carnium, hîc & nunc non est sufficiens ad hæreticum externum illum constituendum; quia licèt sit verè hæreticus internus, non tamen procedit esus carnium ex hæresi interna, cuius nunc non recordatur, sed ex gula culpabili. Quæ tamen carnium comestio quando ex hæresi interna procedit, sufficit sæpè ad constituendum hæreticum externum, vt *infrà* videbimus, idem ergo dicendum de expressione erroris verbis facta, cum ignorantia concomitanti definitionis Ecclesiæ, cùm eadem sit ratio, quando error hic, & eius expressio non procederet vllo modo ex contemptu Ecclesiæ præterito. Ratio autem est; quia sicut actus fidei externus debet procedere ex fide interna, vel ex voluntate pia erga diuinam auctoritatem: ita infidelitas externa debet procedere ex infidelitate interna; alioquin non posset eam verè significare: nam actio externa hæretica eatenus significat hæresim internam, quatenus vel illam exprimit in actu signato, vt obiectum, vel est talis, vt ex ipsa tanquam ex effectu veniamus in cognitionem suæ causæ, nempe hæresis internæ. Si ergo verba externa non exprimunt contemptum Ecclesiæ, neque etiam ex ipso procedunt vllo modo, non erunt verum signum illius. Hoc tamen, vt dixi est in praxi ferè impossibile: sicut etiam est ferè impossibile, quod ille, qui habitualiter negat Ecclesiæ potestatem ad ieiunia præcipienda, postea quando habet ignorantiam culpabilem ieiunij præcepti, & comedit carnes, non moueatur ex errore circa Ecclesiæ potestatem, & ideo omittat inquirere de præcepto ieiunij: nam tota malitia, quam in esu carnium apprehendit, fundatur in præcepto Ecclesiæ; ergo ex ipso cogitat, an possit Ecclesia obligare, & ex dispositione habituali, quam habet, id negat, & ideo comedit carnes. Sic ergo qui peccat contra fidem ignotens culpabiliter definitionem Ecclesiæ, eo ipso apprehendit malitiam illius ignorantiæ, quæ cùm fundetur in auctoritate Ecclesiæ ac definiendum, eo ipso cogitat de illa auctoritate, & ex dispositione habituali, quam habet, eam negat, & permittit ignorantiam, & errorem subsequentem, qui iam procedit ex illo contemptu Ecclesiæ, qui non est concomitans, sed antecedens hæresim externam, cùm hæc ab illo procedat: ignorantia autem definitionis Ecclesiæ erit consequens respectu contemptus interni Ecclesiæ, cùm ab illo procedat: erit verò concomitans respectu erroris externi, imò etiam respectu dissensus interni, quo culpabiliter negatur dogma illud particulare, quia negatio illius dogmatis interna, vel externa non procedit hic & nunc ab ignorantia sensus Ecclesiæ, cùm ablata etiam illa ignorantia, & cognito Ecclesiæ sensu, non minus homo ille negaret dogma particulare, quod nunc negat. Vnde communiter, & moraliter loquendo verissimum est, ignorantiam concomitantem circa definitionem non excusare ab hæresi externa, quia stante illa dispositione praua habituali contra Ecclesiæ auctoritatem, moraliter loquendo, dissensus internus, & externus procedit semper ab illa praua dispositione, & illam sufficienter exprimit, atque adeò constituit hæreticum externum. 213

Restabat nunc videre de actibus externis sufficientibus ad hæresim externam, quia tamen id non est vtile nisi ad iudicandum de pœnis Ecclesiasticis hæreticorum, quando incurrantur, opportuniùs de hoc dicemus *infrà Disp.* 23. vbi de pœnis hæreticorum sermo erit. Sed antequam ad pœnas deueniamus, expediet ab vniuersalioribus

incipiendo

incipiendo agere de mediis, quibus Ecclesia vti potest ad hæreticos vel reducendos, vel comprimendos.

DISPVTATIO XXI.

De mediis, quibus Ecclesia vtitur ad reuócandos, & comprimendos hæreticos.

SECTIO I. *Vtrùm Ecclesia cogere possit hæreticos ad fidem Catholicam recipiendam.*

II. *De alio medio, quo vtitur Ecclesia contra hæreticos proȝibendo eorum libros.*

VARIA sunt hæc media, inter quæ possunt etiam numerari communicatio cum illis prohibita, & pœnæ etiam, quibus eos punit, sed de his duobus, quia longiorem exigunt indaginem, duabus disputationibus sequentibus agendum erit: in hac ergo Disputatione de reliquis mediis dicemus, & in primis de potestate, quam Ecclesia habet ad compellendos hæreticos, vt redeant ad Catholicam fidem, quam in baptismo professi sunt.

SECTIO I.

Vtrùm Ecclesia cogere possit hæreticos ad fidem Catholicam recipiendam.

1 DIximus suprà, Ecclesiam non habere potestatem cogendi infideles ad recipiendam fidem, sed solùm prædicandi, & proponendi fidem, relicta illis facultate libera illam, vel amplectendi, vel respuendi. Hinc oritur præsens quæstio: an hæreticos possit Ecclesia compellere ad audiendam, & recipiendam fidem Catholicam. *Ratio dubitandi.* Ratio autem dubitandi oritur ex ibi dictis, quia fides debet esse libera credenti, & per consequens coactio nec expedit, nec est iuxta ipsius exigentiam, cùm rationibus motiuis, & suasione, non metu, & coactione debeant homines ad veram fidem allici. De hoc tamen puncto latiùs controuersistæ contra hæreticos antiquos, & modernos disputant, & ideo à nobis breuiter expediendum erit. Poterunt autem videri Cardinalis Bellarminus *tom. 1. lib. 3. de laicis, cap. 21. & 22.* Valentia *in præsenti disp. 1. q. 11. membr. 3.* Suarez *in præsenti disputat. 20. sect. 3.* qui alios afferunt.

2 Aliqui ergo in primis dixerunt non esse religionis, & fidei causa dissensiones permittendas, sed singulos relinquendos suæ conscientiæ, & pacem ad inuicem seruandam, & charitatem, quæ est vinculum perfectionis: quare non solùm non esse puniendos hæreticos, sed nec ab aliorum consortio separandos, sed fraterna pace, & concordia retinendos. Ita dixit olim Apelles quidam apud Eusebium *lib. 5. hist. c. 13.* & Nicephorum *lib. 4. cap. 29.* dummodo omnes Christum confiteantur crucifixum, & in eo sperent. Idem ferè docuit nostro tempore Georgius Cassander apud Bellarmin. vbi suprà cap. 19. saltem quoad eos, qui symbolum, & Scripturam admittunt: nec defuere alij, qui nouissimè suadere voluerint modum conciliandi hæreticos cum Catholicis, dummodo quoad substantialia fidei conuenirent, licèt in aliis (vt ipsi vocant) accidentalibus dissiderent: de quibus quid quisque opinetur, non ita acriter curandum, vt ea occasione Christiana vnitas, & concordia turbetur.

Errores quorundam referuntur. *Primus error.*

3 Hunc tamen errorem Catholici damnant, & impugnant, & videri possunt Bellarminus, & Suarez locis citatis. Constat enim quemlibet errorem, quo aliquis à vera fide Catholicæ Ecclesiæ dissentit, sufficere ad hæresim excludentem à regno Dei: qui autem in vno delinquit, factus est omnium reus: quod maximè in fidei negotio locum habet. Qui enim semel Ecclesiæ Catholicæ aliquid certum definienti, & tradenti impudenter, & obstinatè resistit, non agnoscit veram Ecclesiam, nec eius auctoritatem; non est ergo Ecclesiæ membrum, nec in re parui momenti dissentit, qui Ecclesiam, eiusque auctoritatem negat, qui supremo Ecclesiæ visibilis capiti non obedit, nec obediendum putat. Vnde iam nec symbolum retinet, cùm veram Ecclesiam non confiteatur, sed aliam sibi fingat; nec etiam Scripturam sacram formaliter recipit, qui eam ad alios falsos sensus detorquet, nec iuxta Ecclesiæ & sanctorum Patrum sensum interpretandam vult. Non potest ergo esse consensus Christi, & Belial, nec lucis cum tenebris, sed ad minus separandi sunt hæretici omnes à Catholicorum gremio, vt ex dicendis à fortiori constabit.

4 Secundus ergo error est aliorum, qui dicunt, licèt conciliari non possint, saltem non esse hæreticos fidei causa puniendos. Ita olim Donatistæ, & posteriori tempore Ioannes Hus, & nouissimè Lutherus apud Suarez vbi suprà num. 3. & apud Bellarmin. cap. 21. in principio, & solet esse vulgaris hæreticorum querela, seu calumnia contra Catholicos, quod in homines diuersæ religionis atrociotibus pœnis sæuiant. Quam tamen calumniam iniustam esse agnoscunt mitiores alij sectarij eamque refellit nouissimè vnus ex eadem secta Hugo Grotius aduersus rigidiores hæreticos. Et certè mirum est, vt notauit Coninch *in præsenti disp. 18. dub. 14. num. 213.* quòd Ecclesiæ sæuitiam, & tyrannidem hac in parte hæretici accusent, qui in Anglia, aliisque locis nulli parcunt tormenti, & sæuitiæ generi, quod in Catholicos religionis causa non exerceant. Quare ex ipsis multi palam iam sermone, & libris editis fatentur, posse, & debere hæreticos ea de causa pœnis, ac vltimo etiam mortis supplicio affici, quos refert Bellarmin. *dict. cap. 21.* *Secundus error.*

5 Veritas Catholica constanter docet, posse hæreticos baptizatos, compelli, & pœnis etiam cogi ad fidem Catholicam recipiendam, ac eisdem pœnis ob hæresis crimen puniri, non solùm spiritualibus, sed temporalibus etiam, ac corporalibus, eamque potestatem in Ecclesia ipsa reperiri, quæ quando oportuerit per se vel per sæculares Principes potest eam exercere. In his conueniunt Catholici Doctores, qui latè hæc omnia probant, & videri possunt vltra suprà citatos Alfonsus, Castro, Arboreus, Roffensis, Simancas, & Farinacius, quos affert Suarez *num. 6.* *Veritas Catholica circa præsentem quæstionem.*

num.6. quibus adde Nicolaum, Sanderum de Claue Dauid *lib. 2. cap. 11. & sequentibus*, vbi eruditè de hoc argumento tractat.

6 *Probatur ex definitione Ecclesiæ.*

Probatur primò ex definitione Ecclesiæ in Concil. Constant. sess. 15. vbi damnauit articulum 14. Ioan. Hus id negantis, eundemque Hus, & Hieronymum Praga igni tradi iussit; ita ex Leone X. in Bulla contra articulos Lutheri; & ex cap. *ad abolendam*, *cap. excommunicamus*, & aliis, de hæreticis, *cap. super eo*, *eodem titulo lib.6.* ex Leone Papa *epist. 2. ad Episcopos Italiæ*, & aliis epistolis multis relatis apud Suarez *vbi supra num.11.* ex Lucio I. in epistola ad Episcopos Galliæ, Concil. Tolet. 4. c. 57. & 59. & ex Nicæno vbi postulatum fuit à Constantino, vt hæreticos Arianos puniret. Idem constat ex legibus optimorum Principum, qui grauissimas pœnas in hæreticos statuerunt, vt constat, ex l. *Manichæos.* l. *Arianis.* l. *Quicumque*, Cod. de hæreticis, & aliis quas refert, & laudat Augustinus *lib.* 1. contra epistolam Parmeniani *cap.* 7. & in epist. 166. ad Donatistas, vbi addit, solum Iulianum Apostatam contra hæreticos non animaduertisse.

7 *Probatur ex doctrina Patrum.*

Secundò probatur ex doctrina sanctorum Patrum, qui hoc idem docuerunt. Augustinus *locis citatis*, *& epist.48.* ad Vincentium, & *epist.50.* ad Bonifacium, qui licèt antea in locis relatis apud Suarez *num.3.* non probauerit pœnas corporales in hæretico, postea tamen prudentior experientia factus id retractauit *lib.2. retractat. cap.5. & epist.48. & 50.* imò licèt desiderauerit, vt à mortis supplicio abstineretur; id tamen iustè infligi posse planè sensit, vt constat *ex lib.1. contra epist. Parmen. cap.7. & tract.11. in Ioannem & dicta epist.50. ad Bonifacium.* Videri etiam possunt Gregorius Magnus *lib. 1. epistol. 72. ad Gennadium* Bernardus *sermone 66. in Cant. & lib. 4. de Consideratione ad Eugenium.* Leo Papa *epist. 91. & 93.*

8 *Colligitur ex Sacra Scriptura.*

Tertiò hoc ipsum ex scriptura sacra colligitur: Nam in veteri testamento contra eiusmodi delicta variæ pœnæ statuæ sunt, & exequutioni mandatæ, vt constat ex Deuteron. *cap.* 13. 17. *& 18. & lib.3. Reg. cap.18. & lib.4. c.10. & 23.* imò & ipse Nabuchodonosor capitalem pœnam imposuit blasphemantibus verum Deum, vt constat ex c.3. Danielis, quod edictum laudat Augustin. dicta epist. 50. & alibi. In nouo etiam testamento Christus flagello prophanatores templi exire coëgit, Ioann. 2. Petrus verò verbo suo Ananiam, & Saphiram mentientes Spiritui sancto interfecit. Act. 5. Paulus Magum nondum baptizatum, qui Proconsulem à fide auertere conabatur, cæcitate percussit Act. 13. quantò maiori iure si baptizatus iam fuisset, potuisset eũ punire: Et idem Paulus 1. ad Corinth. 5. incestuosum tradidit sathanæ *in interitum carnis*, hoc est, corporaliter vexandum, vt exponunt Theodor. S. Thomas, & alij, vt spiritus saluus fieret, & ideo hãc in se potestatem agnoscens dixerat. c.4. *vultis in virga veniam ad vos?* nimirum virga illa, de qua dictum Christo fuerat psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea*, & quampotestatis coerciuæ & punitiuæ virgam, cum Christus discipulis ad Euangelizandum missis initio prohibuisset secum ferre, Matth. 10. postea tamen Ecclesiã suam morti proximus erigens præceptum illud reuocauit, & gladij vsum concessit Luc. 22. quod de gladio etiam materiali, & corporeo intelligi debere probat eruditè Sanderus vbi suprà c. 11. Neque Christus gladium illum proprium Petri esse negauit, sed reprehendit abusum, vt rectè intulit Bernardus dicto lib. 4. de Consideratione loquens cum Eugenio Papa, *quem tamen gladium*, inquit, *qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu nisi non tua manu euaginandus: alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus, satis est; sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus; iste Sacerdotis, is militis manus; sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.* Videri etiam potest Augustin. contra Faustum Manichæum, eundem gladij è Christo præcepti sensum confirmans, cuius verba refert Sanderus *eodem cap.* 11.

9 *Probatur ratione.*

Quartò probatur ratione manifesta: quia nulla est Respublica bene ordinata, in qua non sit potestas puniendi subditorum delicta præsertim atrociora. Est enim necessaria criminum pœna in primis ad vindictam, & Reipub. satisfactionem ad quem etiam finem potestas hæc in Ecclesia reperitur, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. *in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*, nulla autem inobedientia deterior, quam hæresis. Secundò est necessaria punitio ad exemplum, vt alij in alieno capite sapiant, & ab iis criminibus caueant, iuxta illud eiusdem Pauli ad Titum 5. *peccantem coram omnibus argue, & vt cæteri timorem habeant.* Quod maximè in hæresi necessarium est, quæ teste eodem Paulo, *vt cancer serpit*; Vnde meritò doluit S. Hieronymus lib. 3. in epist. ad Galatas cap. 5. ea de causa Arianismum per orbem vniuersum fuisse propagatum: *Arius vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Tertiò denique prodest pœna ad bonum, & correctionem ipsius, qui punitur: ideo enim dicitur Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium:* & ad Heb. 11. *quem diligit Dominus, castigat.* Et Augustinus fatetur se experientia didicisse, quàm sint hæ pœnæ vtiles ipsis hæreticis, quorum multi hoc timore ad fidem Catholicam seriò redierunt: de quo videri potest dicta epist. 48. & 50. Ideoque Paulus 2. ad Corinth. 10. dicit, potestatem hanc esse in ædificationem, *Si gloriatus*, inquit, *fuero de potestate, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, non in destructionem, non erubescam.*

10

Hæc autem argumenta probant, penes ipsam etiam Ecclesiam, & eius Prælatos esse hanc potestatem compellendi, & puniendi hæreticos, quia Petrus, Paulus, & alij, qui potestatem hanc in se agnoscebant, non erant Principes naturales: & quidem quoad pœnas spirituales non potest esse difficultas, cùm non possint procedere, nisi à potestate spirituali. Quoad temporales verò, & corporales Suarez n. 21. dicit non posse sine errore negari. Fundatur enim in verbis illis vniuersalibus, *pasce oues meas*, & *quodcunque ligaueris super terram*, &c. Et constat ex definitione Innocentij IV. facta in Concilio generali Lugdunensi, & relata in cap. *Ad Apostolicæ*, de sentent. & re iudicata in 6. Et ex vniuersali, & perpetuo Ecclesiæ vsu, quæ in re tanti momenti falli non poterat: & tamen propter alia etiam delicta imponere solet pœnas grauissimas, vt constat *ex cap.* 1.

cap.1.de homicidio in 6. ex cap. *nouit*, de Iudiciis, ex Concil. Toletano 4.cap.59.& sequentibus,& aliis decretis,quæ congerit Suarez *num.*24. Cur ergo in peccato hæresis, quod aliis est grauius, potestas hæc Ecclesiæ deesset? Imo etiamsi deesset ad alia crimina punienda,ad hoc vnum non deesset, vt constat in ipso summo Pontifice, qui ob alia delicta non potest ab Ecclesia iudicari: si sit tamen hæreticus potest ex communi Doctorum sententia Ecclesia de hoc cognoscere, & vbi à Concilio generali declaratus sit hæreticus, eo ipso à Christo deponitur,& postea potest ab Ecclesia puniri, sine qua potestate Ecclesiæ Respublica defectuosa esset, sicut & quælibet alia,& experientia constat pœnas spirituales non sufficere ad coërcendos improbos, qui magis terrentur pœnis temporalibus, & corporalibus,quarum timore à delicto semel deterriti faciliùs præbent veritati auditum, nam vexatio ipsa dat intellectum, & applicant se ad meliùs ponderanda fidei motiua, vt eam iam seriò, & ex animo amplectantur.

11 *Soluuntur argumenta. Obiectio 1.* Argumenta, quæ in contrarium afferri solent, facile dissoluuntur. Primò solet obiici,quia fides debet esse libera,& spontanea,non ergo debet esse coacta: sequuntur enim inconuenientia fictæ conuersionis,& alia,ob quæ diximus *supra disp.* 19.*sect.*2. non esse infideles cogendos ad fidem amplectendam.Respondetur,etiam alias virtutes esse liberas,vt meritum habeant,& tamen homines pœnis coguntur sæpè ad earum actus,nempe ad iustitiam, ad castitatem, ad religionem, &c. Deinde ad fidem ipsam Deus compellit grauissimis inferni pœnis statutis,vt constat ex illis verbis, *qui verò non crediderit condemnabitur.* Non ergo impediunt pœnæ libertatem requisitam ad fidem, sicut nec libertatem ad alia opera bona: quia qui metu pœnæ operatur, liberè operatur, simpliciter,& absolutè.Cur autem infideles nondum baptizati non cogantur ad fidem, rationem reddidimus dicta sect.2. quia nimirum Christus non dedit Ecclesiæ potestatem nisi in subditos: fiunt autem subditi solùm per baptismum, ante quem sunt omnes foris extra Ecclesiam; nec baptismus licitè confertur iis, qui non præsumuntur dispositi,quales sunt coacti. Hæretici autem iam sunt intra Ecclesiam,& eius subditi,nec illis conferendus est baptismus, quare non multùm refert,quòd præsumantur indispositi,& ficti,minùs enim periculi est in hoc,quàm si impunè tolerentur errare,& dogmatizare.

12 *Obiectio 2.* Secundò obiicitur, quia in Scriptura solùm præcipimur hæreticos deuitare,& ab iis recedere, non verò eos torquere, punire, occidere, vt constat ex Paulo ad Titum 3. *post vnam, & secundum correptionem deuita*, & ad summum corripiendi dicuntur 2. ad Timot.2. quod idem habetur ad Titum.1.& 2.ad Thessal.3.&.Ioann. epist.2.Vnde Christus recedentes à se discipulos non puniuit, sed cæteris dixit, *Nunquid & vos vultis abire?* Ioann.6. vt notauit etiam Cyprianus epist.55. Et ipsemet Christus Math.18. de non audiente Ecclesiam,solùm dixit, *sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, quasi ibi sistere debeat Ecclesiastica correptio. Vnde Paulus potestatem suam non materialem, sed spiritualem appellat.2. Corinth.10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*, & ad Ephes. 6.*gladium spiritus,quod est verbum Dei.*

13 Respondetur, argumentum negatiuum non concludere, præsertim, quia licèt in aliquibus locis sola separatio ab hæreticis præcipiatur,quia hæc magis, & omnibus vniuersaliter necessaria est; in aliis tamen potestas puniendi satis significatur,vt vidimus. Et quidem nec adulteros,aut homicidas Christus præcepit occidi, aut puniri, ad quorum tamen punitionem nemo potestatem negabit.Permisit Christus abire discipulos recedentes, sed neque ij adhuc subditi erant Ecclesiæ Christianæ, neque Christus vsus est potestate sua ad pœnas, & correctionem materialem,nisi ratò,quia sic expediebat eo tempore, sicut etiam permisit se iudicio sæcularium iudicum,ad quod declinandum potestatem habent, & præceptum sæpe Ecclesiastici Prælati.

14 Tertiò obiicitur vsus antiquæ Ecclesiæ, in qua per multos annos non aliter hæretici puniti sunt quàm per meram separationem, nec Apostoli, vel antiqua Concilia aliud pœnæ genus agnouerunt, vt constat ex Cypriano, Irenæo, & aliis, quos affert Suarez *n.*5. Respondetur, in primis falsum esse antecedens, vt multis exemplis adductis ostendit Bellamin. *dicto lib.*3.*cap.*22. in responsione ad primum: deinde distinguenda sunt tempora, nam initio Ecclesia, & Prælati Christiani erant sub potestate Principum infidelium, quare non poterant vi coërciua hæreticos pœnis temporalibus, aut corporalibus, comprimere. Postea,quando Principes Christiani facti sunt, cœpit Ecclesia suam potestatem exercere, non solùm censuris eos puniens, sed etiam examinata eorum causa, tradendo eos Principibus, vt eorum ministerio pœna pecuniaria mulctarentur, quod cum non sufficeret, quia in exilio etiam scriptis, & doctrina nocebant, peruentum fuit ad vltimum remedium,vt omnino de medio tollerentur, & occiderentur, qui incorrigibiles probati essent. Exemplo ipsius Christi, vt ponderauit Augustinus *illa epist.*50. qui priùs inuitauit suauiter ad nuptias,postremò addidit, *compelle eos intrare.*Luc.14. neque enim à principio extrema remedia tentanda fuerant, donec de aliorum inefficacia constaret. *Obiectio 3.*

15 Quartò obiicitur exemplum S.Martini, qui vehementer reprobauit factum Idacij,& Ithacij Episcoporum, qui apud Imperatorem mortem Priscilliani hæretici procurabant, vt refert Sulpitius lib.2.sacræ historiæ circa finem, vbi idem Sulpitius inuehitur contra eosdem Episcopos. Respondeo cum Bellarmino *dicto cap.*22. Martinum, & Sulpitium meritò reprehendisse Episcopos illos,primò quia causam fidei, & Ecclesiasticam à Principe sæculari decerni voluerunt, quod S. Martinus dixit nouum, & inauditum nefas esse. Secundò quia Episcopi accusatoris munere functi sunt in causa sanguinis, quod quidem Episcopi facere non debent, sed declarare hæreticum, eúmque sic declaratum tradere iudici sæculari, perendo vt clementer cum eo se gerat,alioquin ipse Sulpitius ibi fatetur expressè Priscillianum, & eius socios vita indignissimos fuisse. *Obiectio 4.*

16 Quintò obiicitur,quia Iacobo, & Ioanni volentibus comburere igne de Cælo delapso Samaritas ob irreuerentiam in Christum, dixit ipse Christus *nescitis, cuius spiritus estis.* Luc.11. non est ergo iuxta spiritum Christi, & Ecclæsiæ hæreticos comburere. Respondetur, Samaritas illos nondum fuisse intrà Christi Ecclesiam sicut sunt hæretici. Addit Bellarminus, Iacobum, & Ioannem *Obiectio 5.*

Ioannem actos non zelo salutis animarum, sed amore vindictæ, ideo à Christo obiurgatos. Faciliùs dicipotest admonitos discipulos de doctrina & Spiritu Christi, quam ipse in memoriam eis reuocauitverbis proximè sequentibus dicens: *filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*; in suo nimirum humiliatis aduentu patientiæ potiùs, quàm potestatis exempla exhibiturus, sic enim interpretatur Hieronymus epist. ad Algasiam dicens: *Dominus, qui non ad iudicandum venerat, sed ad saluandum, non in potestate, sed in humilitate, non in Patris gloria, sed in hominis vilitate, increpat illos, qui non meminerint doctrinæ suæ*, &c. Sicut ergo Christus iudicandi potestatem in hac mortali vita non exercuit, sed postea; ita nec puniendi nisi rarò, vt quando negotiatores flagello è templo ad correptionem eiecit.

17 *Obiectio 6.*

Sextò obiicitur exMatth. 13. vbi seruis volentibus eradicari zizania, Dominus non permisit, sed dixit, *finite vtraque crescere vsque ad messem*, vbi zizaniorum nomine intelliguntur hæretici, quos non esse occidendos notarunt ex iis verbis, Chrysostomus *ibi*, & Cyprian. *lib. 3. epist. 3.* ad Maximum, & Vrbanum. Respondetur, hunc locum ad hoc ipsum obiectum esse Augustino à Donatistis, vt ipse testatur *lib. 3. contra. epist. Parmen. cap. 2.* qui Augustinus licèt *in libr. quæstion. in Matth. quæst. 11.* intellexerit per zizania hæreticos, id tamen postea retractauit *lib. 2. retra. c. 28.* vbi ex Cypriano docet, intelligit omnes malos, quod idem sentiunt Gregor. Ambros. & Theophyl. apud Cornel. in illum Matth. locum, & idem etiam Augustinus sermone 39. de sanctis. Quare sicut Christus non prohibet fures, homicidas, & alios extirpari è republica, pœnis etiam capitalibus; sic nec id prohibet de hæreticis, qui nequiores sunt: solùm prohibet, ne auferantur cum detrimento tritici, vt significant verba illa, *non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis, & triticum*. Quod periculum subest, quando vel discerni non possunt mali à bonis, vel extirpatio malorum rixas, & pericula probis ipsis excitabit. Ideoque Chrysostomus in contrarium adductus eo casu prohibet improborum, & hæreticorum occisionem; vt relatis eius verbis probat Bellarminus in respons. ad 10. Cyprianus verò non loquitur de solis hæreticis, sed de omnibus scelestis, quos tamen omnes auferre, dicit pertinere ad solum Deum qui solus potest eos omnes dignoscere. Alia argumenta leuiora omitto, quæ videri possunt apud Bellarmin. *dicto cap. 22.*

18 *Potestas puniendi hæreticos & cogendi ad fidem, ad eos qui in infantia, aut metu iniusto coacti baptismum susceperunt, extenditur.*

Erasmi error notatur.

Ex dictis infertur primò potestatem hanc puniendi hæreticos, & cogendi ad fidem Catholicam recipiendam, extendi etiam ad eos, qui in infantia baptizati sunt, & ad eos qui metu etiam iniusto coacti baptismum susceperunt, in quo errasse videtur Erasmus *in præfatione in Matthæum*, dicens, infantes baptizatos debere postea adultos interrogari, an velint in religione Christiana permanere, quod si nolint, relinquendos liberos ad eligendam religionem. Quod tamen absurdissimum est. Cùm enim potestas hæc fundetur in superioritate, & Iurisdictione, extenditur ad omnes subditos Ecclesiæ: certum est autem, quemcunque baptismo (si tamen inualidus non fuit, ex defectu intentionis requisitæ; vel ex alio capite) baptizatum ingredi in Ecclesiam, fierique eius subditum, vnde in Concil. Toletan. IV. *can. 55.* metu etiam baptizatos ad fidem retinendam cogendos esse definitum fuit, & ita perpetua Ecclesiæ praxi seruatur.

Infertur secundò, posse hæreticos cogi, per se loquendo, ab Ecclesia, vt filios suos paruulos offerant baptizandos. Nam sicut Ecclesia potest ad hoc obligare Catholicos, quia subditi eius sunt, ita potest, & hæreticos, in quos non minùs iuris habet: quare licèt de infidelibus etiamsi subditi sint Ecclesiæ in temporalibus, vel Principi Christiano, negent communiter Doctores posse eos ab Ecclesia cogi vt filios suos infantes baptizari permittant: de hæreticis tamen id omnes concedunt, quia subditi Ecclesiæ sunt, vt cum aliis docet Suarez *3. tom. in 3. part. disp. 25. sect. 3. in princip.* Quod intelligi debet, siue parentes sint subditi Principis Catholici in temporalibus siue Principis hæreticis, siue etiam Principis Pagani non baptizati, quia potestas hæc fundatur in iurisdictione spirituali, quam Ecclesia habet supra parentes baptizatos, quæ non deficit ex eo, quod illi in temporalibus Principi Pagano subditi sunt.

19 *Hæretici cogi possunt ab Ecclesia ad offerendos paruulos baptizandos.*

Dixi tamen, *per se loquendo*, posse cogi hæreticos ab Ecclesia, vt offerant suos paruulos baptizandos: quia per accidens aliquando non poterit Ecclesia vti hac potestate, imò nec baptizare hæreticorum liberos, quando scilicet certum est impiè postea à parentibus educandos in sua hæresi, nec est spes vt ab eorum potestate separari possint: hoc enim cederet in iniuriam ipsius baptismi, si conferretur iis, quos certum moraliter est per Apostasiam vel hæresim recessuros à professione fidei baptismo facta. Quare Theologi communiter dicunt non posse secluso necessitatis casu, Sacerdotem Catholicum licitè baptizare paruulos hæreticorum filios apud parentes educandos, atque adeo certissimè postea à Catholica fide defecturos. Ita Suarez *dicta disp. 25. sect. 5.* Coninck *de sacramentis, quæst. 68. art. 10. dub. vnico num. 81.* & alij.

20 *Per accidens aliquando non potest Ecclesia hæreticorum liberos baptizare.*

21

Non desunt tamen, qui benigniùs in hoc puncto loquantur. Layman enim *lib. 5. Theolog. mor. tract. 5. cap. 6. num. 12.* dicit contrarium in Germania seruatum esse in praxi sæpe à viris doctis, & piis, & meritò, quia periculum peruersionis non est adeo propinquum, aut certum, cùm fieri possit, vt infantes, ante vsum rationis moriantur, & per baptismum saluentur: & quia plerumque spes non parua est, vt hæreticorum filij aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentiùs recipiunt, si sciant à Catholico Sacerdote se esse baptizatos. Addi potest tametsi à parentibus, & ministris hæreticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare, atque adeo non esse pertinaces hæreticos, sed saluari posse, si de peccatis post baptismum commissis vera conuersione doleant. Hæc Layman, cuius sententiam probabilem satis dicit Diana *part. 3. tract. 4. de sacramentis, resolut. 7.*

22

Imò ipse Suarez non videtur longè ab hoc sensu abesse, nam *dicta sect. 5. colum. 2.* fatetur in primis videri valdè rigidum, & contra omnium consuetudinem negare id posse licitè fieri: idque confirmat, quia sequeretur etiam non posse licitè baptizari paruulum filium parentis Catholici quidem, sed hominis sceleratissimi, & in cuius potestate manens filius educabitur etiam in iisdem peccatis, amittet charitatem in baptismo

ptismo susceptam. Sequela autem probatur, quia baptismus non minùs requirit dispositionem ad charitatem, quàm ad fidem, & vtroque modo perditur effectus baptismi, siue postea à fide quis deficiat, siue à sola charitate. Propter quæ fatetur posse alicui videri, hunc solum articulum periculi peruersionis non sufficere ad reddendum illicitum hunc actum, si alioquin posset esse spes moralis subueniendi alio modo his periculis, & adhibendi diligentiam, ne illa sacrilegia sequantur.

23 *Quandonam conferendus sit baptismus filiis hæreticorum.*

Ego puto, in reipsa hos auctores parum, aut nihil dissidere. Vtrique enim fatentur, quando nulla esset spes fidei retinendæ, non esse conferendum baptismum. Vtrique fatentur conferri posse, quando spes probabilis talis esset. Dissidium, si quod remanet, est circa factum ipsum, an de facto possit concipi eiusmodi spes, quando paruulus hæretici filius, & in eius potestate mansurus baptizatur, quod iudicium morale pendet ex circunstantiis personarum, loci, sociorum, consanguineorum, & aliis. Sunt enim plerumque parentes hæretici, qui non ægrè filios suos in ætate adulta ad scholas magistrorum Catholicorum mittunt, vbi facile simul cum doctrina fidem Catholicam discunt, vel certè discere facilè possunt, & nisi nimis proterui sint, condiscipulorum exemplo, & pietate mouentur, quare de iis non est desperandum, sed potiùs prudenter sperandum, quod fidem retinebunt. Credo etiam, non paucos ex iis excusari per longum tempus à peccato infidelitatis ignorantia inuincibili, quia nec iis sufficienter proponuntur Catholica dogmata suis erroribus contraria, nec obligatio grauis inquirendi, & examinandi motiua nostræ religionis. Quare vbi consuetudo illa est, vt Sacerdotes Catholici baptizent hæreticorum filios à parentibus oblatos, ego eam non facilè damnarem. Præsertim cùm eo ipso, quòd Parens hæreticus filium suum sponte velit à Catholico baptizari, credi possit non esse ita infensum parentem in religionem Catholicam, vt sollicitè, & anxiè postea filium iam adultum ad suam sectam trahere conetur: neque etiam id continget, nisi in locis, vbi magna sit copia Catholicorum, & libertas fidei Catholicæ profitendæ, in quibus locis facillimè poterit filius postea fidem Catholicam scire, & in ea permanere, si velit eadem ferè facilitate, ac si à parentibus Catholicis genitus fuisset: quorum filij facillimè etiam possunt in iis locis hæreticorum consuetudine, & familiaritate peruerti, vel morientibus parentibus venire in potestatem consanguinei hæretici, quod tamen periculum non attenditur, vt iis in infantia baptismus non conferatur.

SECTIO II.

De alio medio, quo vtitur Ecclesia contra hæreticos, prohibendo eorum libros.

24 HOc est alterum medium, quo Ecclesia vti solet ad hæreticos comprimendos, eorúmque doctinam impediendam, dum eorum libros, eorúmque lectionem omnino prohibet. Aduersùs quam prohibitionem, & librorum incendium querelas multas hæretici iactant, quas doctè refellunt Bellarminus *lib. 3. de laicis, capite 20.* & Suarez *in præsenti disp. 20. sect. 2.* fingunt enim mendacissimè hæretici huius temporis, hoc genus prohibitionis incognitum fuisse in Ecclesia antiqua, cuius contrarium constat ex innumeris exemplis, quæ congerunt prædicti doctores. Nam in primis actuum 19. multi ex fidelibus denuò conuersis adduxerunt, & publicè combusserunt libros vanos, & superstitiosos, quos habebant: & Clemens *lib. 1. Constit. Apost. c. 7.* refert libros Gentilium, & falsorum Prophetarum fuisse fidelibus ab Apostolis prohibitos: & in Concilio Nicæno, teste Nicephoro *lib. 8. cap. 18.* statutum est, vt Arij libri cremarentur, & Constantinus addidit capitis pœnam eos occultantibus. Socrates item *lib. 1. cap. 24.* refert Marcellum, Ancyranum damnatum fuisse, quod noluisset more solito libros suorum errorum comburere: & *lib. 6. cap. 9.* refert Epiphanium in synodo Cypri coacta prohibuisse fidelibus Origenis libros: & in Concil. Carthaginensi 4. can. 16. solis Episcopis permittitur in casu necessitatis hæreticorum libros legere. Et Theodosius in l. *Damnato*, Cod. de hæreticis, ex præscripto Concilij Ephesini, iussit comburi Nestorij libros, & idem constat ex lege *Mathematicos*, Cod. de Episcopali audientia, in qua libri Mathematici nostræ religioni contrarij iubentur comburi in oculis Episcoporum. Et in l. *quicunque* §. *nulli*, & §. *omnes* Cod. de hæreticis, prohibentur, & igni adiudicantur libri omnes Eutichetis ex præcepto Concilij Chalcedonensis actione 3. Item Leo I. *epist. 91. ad Turibium cap. 15. & 16.* & Gelasius in cap. *sancta Romana*, distinct. 15. libros hæreticorum prohibuerunt, & addidit Leo, censendos esse hæreticos eos Episcopos, qui eiusmodi libros in domibus fidelium retineri permitterent. Idem constat ex 5. synodo *act. 1.* & ex constitutione Iustiniani, quæ habetur inter nouellas, & est 42. & ex 7. synodo *act. 5.* vbi etiam *Can. 9.* additur excommunicatio legentibus hæreticorum libros. Et in Concilio Constant. *sess. 8.* confirmatur decretum Concilij Romani prohibentis libros VViclephi. Videri possunt plura, quę congerit Basilius Pontius *in Appendice post librum 12. de matrimonio, cap. 2. n. 7.* Denique constat, opera hæreticorum antiquorum non reperiri, quod fieri non potuit, nisi studio eorum, qui ea omnino extinguere, & aboleri procurarunt.

Ratio etiam est clara, quia, si necesse est vitare sermones, & colloquia hæreticorum, vt ex Apostolorum doctrina apertè constat, multò magis necesse erit eorum scripta fugere, quæ efficaciora sunt ad peruertendos lectores: tum quia magis facile extenduntur, & facilè omnes prouincias, & loca penetrant, quàm vox viua extendi posset, tum quia maiori attentione, & studio composita sunt, & maiori etiam attentione leguntur, & considerantur & magis permanenter nocent. Vnde ipsi etiam Gentiles libros moribus, vel suæ etiam falsæ religioni contrarios accuratè prohibebant, & comburebant, vt constat ex Valerio Maximo *lib. 1. c. 1.* ex M. Tullio *lib. 1. de natura Deorum*, qui id circa libros protagoræ Athenienium iussu factum refert, & multa congerit Lorinus *in Act. Apost. c. 19. vers. 19.* 25

Est autem aduertendum, duplicem esse titulum ad hoc faciendum. Primus est per modum medicinæ, vt bono fidelium consulatur, auertendo scilicet ab iis venenum, quod ex horum librorum lectione haurire possent. Secundus est 26

per

per modum pœnæ, qua Auctor hæreticus iustissimè plectitur, vt qui in doctrinæ abusu deliquit, in eadem doctrina puniatur, ablata ei potestate vllo modo docendi. Prior autem titulus efficacior est, cùm extendatur ad libros etiam eorum, qui subditi prohibentis non sunt. Vnde Ecclesia potest prohibere fidelibus libros Paganorum, & Iudæorum, qui eius subditi non sunt, quia prohibitio solum dirigitur ad fideles subditos quibus in eorum bonum horum librorum vsus interdicitur. Possunt etiam ex hoc capite inquisitores vnius Prouinciæ, v.gr. in Hispania prohibere ibi libros Auctorum externorum, qui illis inquisitoribus non subduntur: non enim agitur causa contra personas vt puniantur, sed de bono subditorum, vt non peruertantur. Quare immeritò sæpè Auctores conqueruntur, quòd nec citati, nec auditi condemnentur: hoc enim necessarium esset, quando causa ageretur contra auctores vt Reos: secus verò est quando agitur solùm de bono subditorum procurando, licèt inde indirectè Auctoris nota aliqua subsequatur. Nam pater-familias punire non potest filium alienum, nec eum corripere: potest tamen proprios filios ab eius consuetudine separare eamque illis prohibere, ne fortè scelerati sodalis improbis moribus inficiantur. Fateor tamen, quia consequenter auctoris nomen ex libri prohibitione grauiter læditur, diligentiam maximam adhibendam, vt quod deest defensionis propriæ, dum Auctor non auditur suppleatur diligenti examine, & si fieri possit assignato quasi procuratore aliquo Auctoris absentis, qui bona fide adducat, quæ in defensionem Auctoris allegari possent: quando scilicèt Auctor Catholicus est, & bonæ alioquin existimationis; quo casu non videtur prætermittendum, quando error non est omnino manifestus, vt ab Auctore antea exigatur, vt declaret sensum suæ doctrinæ, qui sensus si Catholicus appareat, poterit iudicum iussu, si necesse fuerit, addi in ipso libro, nempe Auctorem non nisi in tali sensu doctrinam illam tradidisse, atque ita eam explicasse. Quo pacto res tota faciliùs transigitur, & cum leuiori Auctoris præiudicio obtinetur meliùs finis, qui desideratur, dum constat, Auctorem ipsum iudicum, & Censorum sententiæ consentire. Aliter cum hæreticis Ecclesiæ hostibus agendum est, quorum verba etiam dubia in deteriorem sensum iuxta eorum mentem interpretanda sunt: subdolè enim verbis ambiguis vtuntur, vt se se simplicioribus mentibus insinuent; aliter verò cum Catholicis, quando ij tales sunt, vt sperari possit ab ipsis vel spontanea correctio, vel talis interpretatio, qua apposita periculum totum doctrinæ parum tutæ præcaueatur.

Ecclesia potest prohibere fidelibus libros Paganorum, & Iudæorum.

27

28

Obiectio 1. Cur hæreticorum libri prohibeantur fidelibus, non autem libri gentilium, & Iudæorum.

Obiiciunt tamen hæretici primò, quia libri Gentilium, & Iudæorum permittuntur; cur ergo hæreticorum non permittuntur, qui magis ad fidem Christianam accedunt? Respondeo, imò ideo non permittuntur, quia faciliùs decipientur eorum lectione simpliciores, dum sub vestimentis ouium lupi rapaces latent; Gentilismus enim & Iudaismus emortui sunt, & cadauera superstitiosa, à quibus nullus Catholicus decipitur. Prohibentur tamen aliqui libri Turcarum, & Iudæorum, in quibus blasphemiæ contra Christum, vel religionem Christianam continentur, & prohibiti etiam fuerunt initio nascentis Ecclesiæ, vt vidimus, libri Gentilium, de falsa eorum religione quando manebat adhuc affectus aliquis non extinctus versùs superstitionem gentilium, quod tamen periculum etiam omnino in Ecclesia cessauit.

29

Obiectio. Ad deletos libros veterum.

Secundò obiiciunt, quia alioquin debuissent aboleri libri veterum hæreticorum, Tertulliani, Origenis, Eusebij, Pelagij. Respondetur in primis opera Pelagij non exstare nisi fragmenta aliqua relata à Catholicis: & in vniuersum ea opera permitti: tum quia iam errores noti sunt, & nemo de illis curat: tum quia necesse est, quòd maneat notitia eorum errorum, quales fuerint, vt constet cur fuerint damnati, & quia multa alia ad mores antiquæ Ecclesiæ spectantia, & vera dogmata in iis contineantur, quæ aliunde constare nobis non possent. Quæ ratio non procedit in scriptis nouiorum hæreticorum, in quibus licèt aliqua etiam vtilia reperiantur, eadem tamen meliùs, & tutiùs apud Catholicos scriptores legentur, & cùm eorum hæreses abolitæ nondum sint, periculum maius est, ne horum librorum lectione propagentur.

30

Obiectio.

Tertiò obiiciunt, quia Patres antiqui non abstinebant à lectione hæreticorum sui temporis, vt de Theophilo refert Socrates *lib. 6. hist. cap.* 15. & de se ipso fatetur Hieronymus *in epist. ad Alexandrum*, & *Minerium*, & de Dionysio Alexandrino refert Euseb. *lib. 7. hist. cap. 16.* qui cùm ea de causa reprehenderetur, & abstinere vellet, visione diuina monitus fuit his verbis, *lege omnia quæ in manus tuas veniunt, valebis enim omnia expendere, & probare.* Respondetur, imò hinc constare non bene audiisse in vniuersum, qui eos libros legerent: nam omnes ij Patres ea de causa detractiones passi sunt: sed immeritò, quia hodie etiam Ecclesia hæreticorum libros aliquibus doctis, & probatis viris permittit, quales ij erant, ideoque visio diuina rationem addidit Dionysio dicens: *valebis enim omnia expendere, & probare.* Da mihi nunc alium Dionysium, & facilè facultatem impetrabit: nunc tamen à sede Apostolica impetranda est, quæ tunc fortasse ab Episcopo haberi poterat, nam & Episcopi ipsi iure suo legere poterant.

Patres non bene audiisse, qui libros hæreticorum legerunt.

31

Obiectio.

Quartò obiiciunt, quia Paulus 1. ad Thessal. 5. monet: *omnia probate, quod bonum est tenete:* quæ verba Gelasius in tomo de vinculo anathematis ad hoc affert, suadens posse Concilium Calchedonense partim recipi, partim non recipi, sicut fit circa libros hæreticorum. *Nunquidnam* (inquit) *in ipsorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, posita leguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur? Aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur?* Respondetur, Paulus non dicit suscipienda esse omnia, sed probanda. Hæc autem probatio, & examen non ad omnes indiscriminatim pertinet, sed ad Prælatos Ecclesiæ, quorum iudicio libri hæretici reprobati sunt, propter certissimum peruersionis periculum, si omnibus in vniuersum permittantur. Verba autem Gelasij magis meo iudicio significant, libros illos, in quibus veritas erroribus admixta est reiiciendos; quamuis veritas ipsa materialis, quæ in illis reperitur, non ideo reiicienda sit, quia in libro, qui reiicitur reperiatur. Hunc enim sensum habent verba illa: *Nunquidnam ideo veritas*

Verba Gelasij explicantur.

veritas refutanda est, qua illorum libri, vbi prauitas inest refutantur? non dixit refutari solum prauitatem in libro repertam, sed librum ipsum etiam in quo reperitur. Vnde quamuis veritas ibi reperta suscipienda sit, librum tamen ipsum suscipiendum non dixit, sed potiùs id tanquam absurdum negauit, dicens: *Aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur?* Non ergo significat librum suscipiendum propter veritatem quam continet, sed veritatem ibi contentam suscipiendã, quamuis liber vbi continetur non suscipiatur.

32 Supposita itaque iustificatione causæ ad hanc prohibitionem, statuendum est, de facto prohiberi vltra leges antiquas iuris ciuilis, expressis verbis in Bulla Cœnæ Domini quotannis legi, & promulgari solita, vbi *num.* 1. excommunicantur excommunicatione soli summo Pontifici reseruata omnes hæreticorum *libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore.* Quæ prohibitio, quia solemnior est, & magis stricta, priùs breuiter declaranda erit, postea verò de aliis prohibitionibus aliquid dicemus. Oportet ergo circa hanc prohibitionem videre primò, quos libros comprehendat, secundo quas personas obliget, tertiò, quas actiones prohibeat, quartò sub quibus pœnis, de quo vltra alios scripsit optimè Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 10. num. 20. & sequentibus.*

§. I.

Qui, & quorum libri prohibeantur in Bulla Cœnæ.

33 *Libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes prohibetur in bulla cœnæ.*

PRohibentur libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes; circa quæ verba dubitatur primò, an vna epistola, vel concio hæretici comprehendatur nomine *libri*, in hac Bullæ clausula. Affirmat Vgolinus, quem affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp. 20. sect. 2. num. 10.* Megala etiam *in 3. part. lib. 3. cap. 1. num. 55.* & Farinacius *de hæresi quæst. 180. n. 30. & 31.* Alij tamen satis probabiliter negant, Thomas Sanchez *dicto cap. 10. num. 29.* Duardus, & Bonacina, quos affert, & sequitur Castro Palao *1. tom. tract. 4. disp. 2. puncto 10. §. 1. n. 5.* Layman, Laurentius Portel, & Sousa, quos affert, & videtur approbare Diana *parte 1. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 34.* Ratio est, quia verba legis pœnalis accipienda sunt in sua proprietate, nemo autem in communi sermone dicet, se habere, vel emisse librum nouum, quando vnam epistolam, vel concionem breuem accepit, vel emit. Confirmatur, quia quamuis non liceat libros sine Auctoris nomine imprimere de rebus sactis stante prohibitione Cõcilij Tridentini *sess. 4.* has tamen paruas scripturas sub eo Concilij decreto non contineri vsus ipse declarauit, vt testatur Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 17. quæst. 4. in fine.* Idem ergo dicendum erit de clausula Bullæ Cœnæ prohibente libros hæreticorum, vt quidquid sit de aliis prohibitionibus, quæ non solùm libros nominant, sed quamlibet scripturam, quas affert Castro Palao *vbi suprà, num. 6.* *Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.*

Libri nomine quid comprehendatur.

in hac tamen prohibitione, & censura Bullæ Cœnæ libri soli, qui propriè libri dicuntur, comprehenduntur,

34 *Obiectio 1.* Obiiciunt primò, quia lex hæc, licèt odiosa appareat, est tamen fauorabilis, cùm edita sit in fauorem fidei, & ad defensionem, & tuitionem fidelium, ergo non est restringenda, sed amplianda iuxta vulgarem regulam, *odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Respondeo in primis, nec in lege fauorabili extrahenda esse verba ad sensum, vltra eorum proprietatem, qualis esset, si vnica charta appellaretur liber. Deinde licèt finis vltimus huius legis sit fauor fidei, materia tamen immediata, & proxima est odiosa, nempe pœna legentis, & habentis libros tales: regula autem communis est, quòd in pœnis mitior est interpretatio facienda, quia omnis lex pœnalis est odiosa; quod non esset verum si attendendus esset finis vltimus, nam lex statuens pœnas homicidis, furibus, & aliis omnibus, habet pro fine bonum, & quietem Reipublicæ, defendere innocentes, vt tuto degant, &c. & tamen omnes illæ leges odiosæ censentur, & earum verba restringuntur potiùs, quàm amplientur.

35 *Obiectio 2.* Secundò obiiciunt, quia in his scripturis militat eadem ratio, quæ in libris, imò, & maior, cùm sit maius periculum, quò magis latenter communicantur, quam libri. Respondeo, in primis non esse eandem rationem: nam libri magis manenter nocent: deinde in pœnis non fieri extensionem ad casum diuersum, licèt procedat eadem ratio, donec legislator ea de causa extendat etiam legem ad eum casum.

Obiectio 3. Tertiò obiicitur responsio Cardinalium Congregationis Concilij Tridentini, qui dixerunt, decretum Concilij sess. 4. circa editionem librorum comprehendere etiam annotationes, sectiones, conciones, disputationes, & similia, vt referunt Capuccinus in compendio priuilegiorum fratrum mendicantium, verbo *Imprimere.* Eman. Roder. Barbosa, & alij, quos affert Castro Palao *vbi suprà num. 4.* & Marzilla, quem affert Suarez *dicto n. 10.* Ergo *librorum* nomine aliæ etiam breuiores scripturæ comprehenduntur, quamuis librorum solùm fiat mentio, quia frequentiùs in vsu habentur. Respondetur, meritò sacram Congregationem id respondisse, quia decretum illud Tridentini factum fuit ad obseruantiam decreti Concilij Lateranensis sub Leone X. *sess. 10.* vt constat ex eiusdem Tridentini verbis. In Lateranensi autem statutum fuerat de libris, & quacunque alia scriptura. Vnde cùm idem Concil. Trident. sess. 25. versus finem indicem librorum prohibitorum remisisset iudicio, & decreto Summi Pontificis Pij IV. ipse postea Bulla, & decreto speciali illum edidit, & confirmauit, & iuxta mentem Tridentini explicari voluit, quod in *librorum, aliarúmve scripturarum* impressione obseruetur decretum Concilij Lateran. vt habetur in regula 10. eiusdem indicis. Non ergo mirum, si Congregatio respondit, decretum illud Tridentini debere obseruari in aliis etiam scripturis imprimendis, cùm id habeatur expressum in Lateranensi, & in indice edito auctoritate Pij IV. ex præscripto eiusdem Tridentini. Imò inde retorquetur argumentum, quia Concilium Lateranense, & Pius IV. vltra libros explicuerunt etiam alias scripturas, eas vtique à libris distinguentes, ergo nisi explicarentur

carentur, non intelligebantur librorum nomine comprehensæ.

36 *Obiectio 4.* Quartò obiicitur, quia prohibito libro quælibet pars illius libri, atque adeo singula eius folia, etiamsi ab aliis separentur (prohibita sunt, fatentur Sanchez, & alij, ergo non solum prohibentur libri strictè sumpti: nam duo folia libri separata ab aliis, non sunt magis liber, quàm epistola duobus foliis, seu chartis contenta. Respondeo negando consequentiam: quia cùm liber, non sit aliud, quam omnes eius partes, non potuit liber prohiberi, quin prohiberentur eius omnes partes, quæ quocumque postea ferantur etiam ab aliis partibus separatæ, ferunt secum suam prohitionem partialem. Epistola verò brevis, nec est liber, nec pars libri prohibiti, quare nec totaliter, nec partialiter prohibitionem illam participat. Notant autem bene prædicti Doctores, prohibito libro, prohibitum etiam esse indicem libri, procœmium, & similia, quia hæc omnia in rigore partes sunt illius libri prohibiti.

37 *An si aliquis cum facultate requisita librum hæretici legat, & notet sibi ex eo aliqua, an hæc censeatur etiam prohibita.* Petes, quid si aliquis cum facultate requisita librum hæretici, vel prohibitum legat, & notet sibi ex eo aliqua censebuntúrne hæc etiam prohibita, ita vt sine licentia legi non possint? Respondeo, si solum notet sibi vnam, vel alteram sententiam, vel solum argumentum eorum, quæ hæreticus dicit, vt substantiæ recordetur, non videri prohibita, quia nec sunt liber hæretici, nec pars illius moraliter loquendo. Si verò transcriberet sibi partem libri, prout est in ipso libro, eadem esset ratio de illo scripto, ac si aliquas chartas à libro separaret, & sibi reseruaret, esset enim verè pars illius libri alio charactere scripta.

38 *Quando concio, vel epistola hæretici censeatur attingere libri mensuram.* Petes iterũ, quando concio vel epistola hæretici non censebitur attingere libri mensuram, vt in hac Bullæ cœnæ prohibitione non comprehendatur? Respondeo, hoc iudicium morale esse, & videndum iuxta communem, & vulgarem loquendi modum, an ille propriè loquendo appelletur liber, an potiùs codex, vel charta. Castro Palao *vbi supra num. 5. in fine* faretur disputationem hæretici decem folia continentem librum esse, & comprehendi hac prohibitione; quod fortasse intelligit de decem foliis papyri integre: nam si ea reducerentur ad formam minorem in octauo, vt dicunt, vel in decimo sexto, libellum certè complerent: sunt enim libelli aliqui præ manibus, qui 64. chartas in decimo sexto habent, quibus octo chartæ papyri integræ correspondent. Sic de Persij versibus dixit Martialis, *sæpius in libro memoratur Persius vno*: cum tamen omnia eius carmina libellum vix impleant paucorum foliorum; & quod plus refert, S. Ioannes Apocalysim suam librum sæpe appellat *c. 22* cùm tamen tota paucis foliis comprehendatur. Fateor tamen, moraliter hoc accipiendum esse, neque enim sola quantitas, vel mensura materiæ consideranda videtur: nam continget, orationem aliquam publicè memoriter recitatam plus materiæ continere, quàm totus Persij liber contineat: & tamen oratio illa si publicè edatur non appellabitur liber, sed declamatio; seu oratio: quare consulendus est hominum vsus, ex quo vocabula suam vim habent, & iuxta eumdem vsum videndum est, an aliquod hæretici scriptum sit, vel non sit dicendus liber.

39 *An comprehendantur libri hæreticorum tantum manuscripti, in ea* Secundò dubitatur circa eandem partem, an comprehendantur libri hæreticorum etiam non typis editi, sed manuscripti. Respondetur ex omnium sensu comprehendi: ita Suarez *dicta sect. 2. num. 10.* Sanchez *dicto cap. 10. num. 28.* Vgolinus, quem affert, & sequitur Castro Palao *vbi supra num. 3.* Ratio autem est clara, quia antequam Typographiæ ars inueniretur, componebantur, & euulgabantur verè libri, & prohibebantur, & comburebantur plures libri hæreticorum: non desierunt autem esse libri illi qui antea erant libri, per aduentum Typographiæ: liber ergo manuscriptus verè est liber, & Diaconatus qui confertur per contactum libri Euangeliorum, verè conferri poterit porrecto libro Euangeliorum manuscripto, & sic de aliis, in quibus de libris agitur, & in ipsis Bibliothecis celebrioribus præsertim in Vaticana, maxima librorum pars est ex manuscriptis antiquis.

40 Tertiò dubitatur, an ad hanc censuram bullæ cœnæ incurrendam, necesse sit quòd Auctor libri sit damnatus de hæresi, an verò sufficiat esse hæreticum. Nam Graffius 1. *parte decisionum lib. 4. cap. 18. num. 40. & 43.* dicit requiri vt liber sit hæretici condemnati. Hæc tamen verba non de condemnatione iuridica, sed de certitudine interpretatur Sanchez *vbi supra num. 24.* Nam ipse Graffius affert statim in Exemplum Erasmum, de quo non constabat clarè an esset hæreticus: si tamen id constet, id sufficit, vt docet Sanchez, Suarez *dicta sect. 2. num. 11.* Castro Palao *vbi supra num. 1.* & alij: & colligitur clarè contextu Bullæ, excommunicantur enim omnes hæretici, eorumque libros legentes tenentes, &c. ergo eorum libri ibi prohibentur, qui immediatè ante excommunicantur ob hæresim: excommunicatio autem illa comprehendit certissimè omnes hæreticos, etiam non denuntiatos, nec declaratos, ergo eorum etiam libri ibi sub ea excommunicatione prohibentur, si tamen lectori constet Auctorem esse hæreticum.

41 Non tamen comprehenduntur hac Bullæ clausula libri infidelium non baptizatorum, quia ij hæretici non sunt, vt cum aliis Suarez *dicta sect. 2. num. 11.* qui notat *hæretici* nomine hic intelligi etiam Apostatam, qui post baptismum ad Iudaismum, vel Paganismum transiit, nam ij omnes hæreticorum pœnas patiuntur; si autem non sit baptizatus non comprehenditur; licèt multi ex iis etiam libris aliis prohibitionibus peculiaribus extra Bullam cœnæ nominatim teneantur, vt notat Hurtado *disp. 76. num. 300.* & de libris Auctoris suspecti in fide idem notat §. 296. de libris verò Magorum, qui hæretici non sint, & ad Astrologiam iudiciariam prohibitam pertinentibus, non est dubium quod prohibiti sint, vt constat ex Bulla Sixti V. edita anno 1585. & confirmata à sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. Bulla edita anno 1631. vt cum aliis, quos affert, notat Diana *part. 4. tract. 7. de pœnis delictorum, &c. resolut. 6. in fine*: sed tamen ij non intelliguntur comprehensi in hac Bulla cœnæ, si Auctores hæretici non sint, vt docent communiter Doctores, quos affert, & sequitur idem Diana *part. 1. tract. de Bulla Cruciatæ resolut. 30.* & Sanchez *num. 32.* vbi notat à Pio V. fuisse comprehensos, sed postea id sublatum esse à successoribus illius.

42 Quartò tamen dubitari potest de ritualibus Græcorum, & aliorum schismaticorum, an comprehendantur in hac Bullæ clausula. Negat Farinacius *de hæresi quæst. 180. num. 10.* Sanchez *sub-*

sum

num.27.& Azor.1.tom.lib.8.cap.16.quæst.8. quia hi ritus non sunt ab Ecclesia Latina tanquam hæretici existimati: Alij tamen putant comprehendi,ita Suarez *vbi suprà num.*12.& Castro Palao *num.*1. quia Auctores de facto sunt hæretici,& libri illi de religione tractant,imò frequenter errores contra fidem Catholicam ibi reperiuntur admixti: & idcirco Græci Catholici Euchologium, seu Rituale græcum SS.D.N.Vrbano VIII. obtulerunt, vt Romæ reuideretur, & corrigeretur, vbi accurato examine reuisum, & à nonnullis, qui irrepserant erroribus, expurgatum fuit.

43 Vtraque sententia habet aliquid veri: distinguendum enim est, cùm aliquando eiusmodi libros precum,& rituum constet esse ab hæreticis compositos,quales sunt libri rituales, & precum à Caluinistis,& Lutheranis editi,quorum plures reperiuntur nominatim prohibiti in indice librorum prohibitorum: ij enim sunt planè libri hæreticorum,& agunt de religione,cùm tradant modum Deum religiosè (vt ipsi dicunt) colendi & orandi.Et idem dicendum esset de similibus libris à schismaticis factis, cùm hodie nulli sint schismatici,qui non sint hæretici,cùm negent ad minùs primatum, & potestatem Romani Pontificis; & denique in iis libris errores non pauci contra fidem inueniuntur. Alij tamen sunt libri rituales, quibus hæretici & schismatici vtuntur, quos non constat ab iis post hæresim, aut schisma compositos, sed potiùs creduntur esse antiqui, & ab Apostolis, vel Patribus antiquis deriuati; quales sunt plures lithurgiæ Æthiopum, Græcorum, & aliorum, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, & Euchologia Græcorum, & alia similia, quæ creduntur originem trahere à Patribus,& Catholicis, licèt postea aliqui fortasse errores tempore schismatis ab hæreticis fuerint admixti; quod tamen non sufficit, vt dicatur liber ille ab hæreticis compositus, sed ad summum corruptus, & vitiatus. Et hi quidem libri non censentur comprehensi in Bulla cœnæ, sed sine scrupulo retinentur, vt notitia antiquitatis non pereat, & quando spes apparet vtilitatis, expurgantur ab erroribus,qui irrepserunt, provt in rituali Græcorum factum est, in quo Petrus Arcudius libro integro de sacramentis Ecclesiæ Orientalis diligenter examinauit, qui essent ibi errores denuo introducti,& qui essent ritus verè antiqui à sanctis Patribus originem trahentes.

De lithurgiis Æthiopum, Græcorum,& aliorum.

44 Aduerte item, non comprehendi hac Bullæ prohibitione librum, quem hæreticus composuit,antequam in hæresim laberetur, vel postquâ ab hæresi resipuit,sed verba illa intelligi in sensu compositio, hoc est librum hæretici,id est, compositum ab hæretico, quando hæreticus erat. Sic legitur hodie ad maiorem Auctoris confusionem liber de Sacramentis, quem pro defensione fidei Catholicæ Henricus VIII. Angliæ Rex suo nomine edidit, & in Vaticana Bibliotheca originale ipsum asseruatur,quod ad Romanum Pontificem transmisit,antequam hæreticus fieret.Sic etiam legitur eruditum opus Sixti Senensis, quod postquam ab hæresi resipuit, pro Ecclesia scripsit,& alij libri similes.

An comprehendatur liber,què hæreticus composuit antequè in hæresim laberetur,vel postquam ab hæresi resipuit.

45 Aduerte etiam, non comprehendi hac prohibitione fragmenta hæreticorum librorum, quæ interdum apud Catholicos Auctores reperiuntur,vt refutentur, vel vt illis respondeatur; quia liber ille non est hæretici,sed Catholici,qui hæreticum non potest commodè refutare, nisi eius verba referat. Nec refert, quòd aliquis curiosè legat verba sola hæreticorum in eo libro recitata,vt sciat quid illi dixerint,quia animus hic non prohibetur in Bulla Cœnæ, vt notauit, Sanchez *dicto cap.*10.*num.*23. cum aliis multis quos affert. Secus tamen dicerem, si ex industria transcriberet omnia hæretici verba,& in vnum seorsim colligeret: illa enim scriptura seorsim posita sine impugnatione Auctoris Catholici esset vel liber,vel magna pars libri hæretici:quæ licèt cum antidoto illo,& vt pars libri Catholici permittatur,non tamen seorsim,& sine impugnatione apposita.

An fragmenta librorum hæreticorum quæ apud Auctores Catholicos reperiuntur, vt refutentur.

Quintò dubitatur de libro hæretici, cum commentariis Catholici, vel è contra de libro Catholici, cum notis, & commentariis hæretici.Sanchez *vbi suprà num.*25.negat comprehendi in hac Bullæ prohibitione librum Catholici, cum commentariis hæretici, quamuis commentarij excederent textum Catholici: quod docet etiam Sousa *in expositione Bullæ Cœnæ*, quem affert, & sequitur Diana *part.*1. *tract. de Bulla Cruciatæ,resolut.*32. quia is liber potiùs Catholici, quàm hæretici appellatur. P.Suarez *dicta sect.*2.*num.*13.& *tom.de Censuris disput.*21.*sect.*2. *num.*10. dicit in primis si liber æquè primò, & communi consilio compositus sit ab Auctore Catholico,& hæretico, vel à communitate constante ex Catholicis, & hæreticis, librum comprehendi in hac prohibitione, quia verificatur, quod habeat auctorem hæreticum,quamuis non solum idemque docet, si liber sit hæretici, cum scholiis Catholici: secus verò si liber sit Catholici cum scholiis hæretici,nisi scholia talia essent vt maiorem partem libri conficiant. P.Hurtado *disp.*76.*sect.*8.§.303.& 304. vtramque sententiam conciliat, vel temperat,dicens, librum hæretici,cum glossis, & commentariis Catholici prohibitione hac comprehendi, si verò liber sit Catholici cum scholiis,& commentariis hæretici distinguit. Nam commentarius aliquando est talis, vt non possit à textu commodè separari, quia solùm litteram explanat, qualia sunt Commentaria Caietani in S.Thomam, & hæc non comprehenduntur, quia liber ille nomen habet ab Auctore solùm Catholico, siue glossa textum excedat, siue excedatur ab illo: hoc enim parum refert.Aliquando verò commentator disputationes,& quæstiones instituit, occasione quidem à textu captata, sed quæ non pertinent ad litteræ explicationem, & possunt commodè à textu separari; & hoc casu dicit librum esse comprehensum,quia est liber hæretici. Sic enim tomi Suarij ipsius in S. Thomam, licèt textum S. Thomæ contineant, libri tamen Suarij appellantur, & sunt,cùm disputationes ibi positæ etiam sine textu S.Thomæ edi possent.

Catholicos reperiuntur, vt refutentur.

46 *An liber hæretici cum cõmentariis Catholici vel è contra.*

47 Hæc Hurtadi regula non videtur mihi solida: nam commentarios litterales in sacram Scripturam edunt passim eius interpretes, qui tamen libri simpliciter, & absolutè eorundem interpretum dicuntur, vt constat de tomis Alfonsi Salmeronis,Cornelij,& aliorum in varios Scripturæ libros. Vnde si hæreticus similes tomos ederet in Scripturæ explicationem, comprehenderentur planè in Bulla cœnæ. Quid enim refert, quod disputatio instituatur de sensu Scripturæ, vel de quauis alia materia sacra? Vtrumque certè argumentum potest esse libri de religione tracta-

tis. Vnde cùm aliunde non possimus in vniuersum commentarios omnes ab hac prohibitione excusare, vt bene probat Suarez, quia omnes ferè libri Theologorum scholasticorum commentarij sunt in Magistrum sententiarum, vt in S. Thomam, aut Scotum; sicut & plurimi Philosophorum libri sunt commentarij in Aristotelem, qui tamen omnes libri horum auctorum nominantur, & æstimantur, recurrendum videtur ad regulam ipsius Suarij, vt si textus Auctoris Catholici non excedat commentarium hæretici, ita vt maior pars trahat ad se minorem, libri illi censeantur Auctoris hæretici. Regula autem Hurtadi posset in vno casu deseruire ad magis restringendum. Quando scilicet hæreticus occasione accepta ex libro Catholici, disputationes apponeret, quæ non facerent vnum cum textu Catholici: nec tam essent commentarius quàm tractatus diuersus, intelligeretur liber hac prohibitione comprehensus, etiamsi pars ab hæretico addita minor esset quàm textus, Catholici: quia tunc non esset vnio sufficiens, vt vna pars maior traheret ad se minorẽ, sed potiùs videretur fraus in legem, vt sub vmbra libri Catholici ederetur alter liber hæretici, qui seorsim editus comprehensus clarè esset in Bulla cœnæ: quo prætextu inueniretur facilis via hanc Bullæ censuram eludendi.

48 *An liber hæretici nõ tractans de religione, qui tamen vnicam hæresim incidenter contineat; vel è contra*

Sextò Dubitatur, An in hac clausula comprehendatur liber hæretici non tractans de religione, qui tamen vnicam hæresim incidenter contineat; vel è contra, si tractet de religione, sed nullam contineat hæresim. Omnes fatentur, sufficere ad hanc censuram, si liber hæretici tractet ex professo de religione, licèt nullam hæresim cõtineat: quia verba disiunctiuè posita sunt, libros, *qui hæresim contineant vel de religione tractent*; quæ verba verificantur de libro tractante de religione, licèt non cõtineat hæresim. Ratio autem esse potuit, quia non decet Catholicos discere ab hæreticis, quæ ad religionem pertinent; nam (vt dixit ille) *timeo Danaos, vel dona ferentes*; & tunc etiam quando religiosi apparent, suspecti nobis esse debent.

49

Difficultas est, an si liber hæretici non tractet de religione, contineat tamen vnam hæresim, id satis sit ad hanc Bullæ censuram. Negarunt Sayrus, & Graffius apud Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 34. nisi liber ex professo tractet de religione, vel hæresi: quam sententiam probabilem esse dicit Diana 1. *part. tract. di Bulla Cruciatæ resolut.* 31. pro qua etiam affert Sousam ex ordine Prædicatorum *in expositione Bullæ cœnæ Disp.* 13. *cap.* 2. *concl.* 2. affert etiam (quod miratus sum) pro eadem sententia Filliucium *tom.* 2. *tractat.* 12. *cap.* 7. *numero* 204. qui tamen expressis verbis ibi cõtrariam docet, nec mentione quidem facta huius opinionis, cuius verba statim referam.

Alij ergo omnes hanc sententiam impugnant, & meritò, dicúntque sufficere, si in libro hæretici vna hæresis inueniatur, etiamsi ex professo de hæresi non tractet, ita Suarez *de Censuris Disput.* 21. *sect.* 2. *numero* 10. & *in præsenti dicta disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 16. Sanchez *dicto num.* 34. Bonacina, Conich. Farinacius, quos refert, & sequitur Castro Palao *dicto tractat.* 4. *disputat.* 2. *puncto.* 10. §. 1. *num.* 7. Alterius, & Portel apud Dianam, *vbi suprà*. Hurtado *ib præsenti disput.* 76. §. 295. & denique Filliucius malè pro contraria sententia adductus, verba illius eo in loco hæc sunt: *si liber sit hæretici, etiamsi vnam solam hæresim contineat, inducit excommunicationem legenti. At si ex professo de religione non tractet, non incurret eum legens.* In quibus verbis distinguit de libro hæretici cõtinente hæresim, vel non continente: primũ dicit cõprehendi hac censura, etiãsi vnam solam hæresim contineat, secundùm verò non cõprehendi, nisi ex professo de religione tractet. Vnde postea in collectione, seu compendio totius tractatus 22. & illius capitis septimi, solùm dicit *si contineant hæresim, vel de religione tractent, legens excommunicationem incurrit.* Nec aliud potuit ex verbis Bullæ colligi in quibus disiũctiuè petitur, quod liber vel hæresim cõtineat, vel de religione tractet, & quãuis ad hoc secundum necesse sit ex professo tractare, quia *tractare* non est obiter aliquid attingere; ad continendam tamen hæresim id non requiritur; nam si obiter etiam hæresim contineat, verè continet hæresim. Alioquin si requireretur ex professo de hæresi tractare, non oportuisset in Bulla distinguere illos duos casus, sed sufficeret vno verbo excommunicare legentes libros hæreticorum de religione tractantes: nam qui de hæresi ex professo tractat, eo ipso de religione tractat, cùm tractet de neganda propositione à Deo reuelata, cuius fides ad religionem pertinet. Non est ergo dubium, quod ad hanc censuram satis sit, si liber hæretici vnam hæresim contineat, licèt de ea ex professo non tractet.

Sed circa hoc septimò dubitatur, quid sit de religione tractare, Suarez *in præsenti dict. sect.* 2. *num.* 16. dicit, eum librum de religione tractare, qui per se continet sacram doctrinam, siue sit exponendo scripturam, siue scholasticam doctrinam, siue conciones, siue casus conscientiæ, siue alia, quæ ad cultum Dei vel sanctorum, vel salutem animarum spectant. Idem docet Sanchez *num.* 21. docens libros etiam, qui agunt de Clericis, & monachis, vel de moribus Christianis, & non solùm politicis, non tamen qui de Philosophia, aut inferioribus artibus, vel historia tractant. Addit denique Hurtado *dicta disput.* 76. §. 304. comprehendi librum, qui tractat de ritibus Ecclesiæ, de interpretatione epistolarum Põtificum, vel iuris Canonici, aut Ciuilis. Hoc tamen vltimum de iure ciuili non probo: si enim sint materiæ ad meras leges ciuiles spectantes, & intra legum ciuilium terminos tractentur, non videntur de religione esse: nam tractatus legitimus de suitatibus, de vsufructu, de officio Prætoris, & similes nihil habent cum religione commune, sed sunt sicut tractatus de medicina, vel Philosophia.

Dubitatur tamen octauò, an necesse sit, quod totus liber de religione tractet; vt hac censura comprehendatur; omnes fatentur requiri, quòd ex professo agat de rebus ad religionem pertinentibus, nec sufficeret, quòd obiter aliquid de religione attingat, si tamen hæresim non contineat: nam *tractare*, in rigore non est obiter sensum suum dicere, sed defendere, probare, contraria soluere. Vnde aliquis posset inferre, requiri, quòd libri argumentum de religione sit; nam omnia alia videntur incidenter, & quasi per transennam, ac obiter dici. Id tamen negant expressè Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 34. dicens, ad hanc censuram incurrendam non esse opus, vt argumentum libri sit de religione, sed cuiuscunque

que rei sit argumentum, si ita notabiliter tractat de religione, vt arbitrio prudentis censeatur ex professo, & non obiter de ea re tractare, id satis esse, quia verificatur librum illum de religione tractare. Mitiùs videtur loqui Suarez *dicta sect. 2. num. 16.* dicens, *non satis esse vt obiter aliquid de religione attingat, sed quod ex instituto de religione tractet, id enim in rigore verba significant. Dicitur autem de religione tractare, si per se contineat sacram doctrinam, &c.* vbi videtur exigere, quòd *ex instituto*, & *per se* tractet de religione, vnde contrarium videtur sentire, si præter institutum, & per accidens de religione loquatur.

52 Non tamen credo, quod Suarez iis verbis exigat, quòd præcipuum libri argumentum sit de religione; nam similiter à Paulo V. & sanctissimo domino nostro Vrbano VIII. prohibita est editio librorum tractantium, *de auxiliis diuinæ gratiæ*, sine licentia speciali sedis Apostolicæ, quam quidem prohibitionem non effugeret, qui in libro, cuius argumentum præcipuum aliud esset, quæstionem, & controuersiam de efficacia diuini auxilij insereret, & disputaret. Nec enim necesse est, quod de sola illa materia liber, vel auctor tractet, vt verè dicatur ibi eam tractare. Sic dicimus passim S. Thomam in 2.2. tractasse de voto, quamuis non fuerit argumentum totius illius voluminis: imò licèt occasionaliter suboriatur quæstio, adhuc dicitur tractari: sic enim multi Theologi *in* 1.2. dum tractant de meritis, & de reuiuiscentia meritorum, occasione accepta agunt de reuiuiscentia peccatorum, an possint peccata semel remissa reuiuiscere, quam quæstionem licèt ex occasione meritorum, in eum locum adducant, sed tamen verè, & in rigore ibi tractant de reditu peccatorum. Quando ergo dicitur ad hanc censuram exigi, quòd *ex instituto*, & *per se* tractetur de religione, non debet esse sensus, quòd illa tractatio per se pertineat ad institutum, & argumentum illius libri, sed quòd per se pertineat ad sermonem institutum in illa libri parte, quæ tamen pars non sit quasi parenthesis, vel digressio breuis ab instituto sermone, sed in qua de religione instituatur sermo. Quare si hæreticus librum scribat de politica suæ Ciuitatis gubernatione, & ea occasione agat de non permittendis otiosis, ac denique ea occasione caput inscribat de non permittendis in sua ciuitate religiosis mendicantibus, qui ex alieno viuant, dicetur verè in eo libro de religione tractare, quia de religioso argumento sermonem instituit, & circa religiosam materiam non solùm sensum proprium obiter significauit, sed probare instituit, & rationibus persuadere. Sicut concionator, qui ex verbis Euangelij occasione accepta, agit de necessitate alicuius specialis virtutis, v.gr. castitatis, & obiter reprehendit iudices & magistratus, quòd adulteros non puniant, dicetur tractasse de necessitate castitatis, non verò de iudicum obligationibus, quia de illa sermonem instituit, & ad illam confirmandam obiter reprehendit iudicum negligentiam in puniendis publicis delictis contra virtutem castitatis.

53 *An censeri debeat tractare de religione liber, in quo hæreticus agit de superstitionibus vel magicis artibus.*

Dubitabis ergo circa hoc ipsum, an censeri debeat tractare de religione liber, in quo hæreticus agit de superstitionibus, vel magicis artibus. Affirmat Suarez *in præsenti dicta sect. 2. num. 16. in fine*, quia hæc religioni aduersantur, & contrariorum eadem est ratio: quare prohibitis libris de religione tractantibus, prohibentur, qui tractant de vitiis religioni contrariis. Idem supponere videntur Nauarrus apud Sanchez, Viualdus *in bullam Cœnæ in explicatione primæ excommunicationis num. 13.* & idem Sanchez *dicto cap. 10. num. 32.* vbi notanter dicunt, habentes libros magicæ artis non comprehendi hac Bullæ censura, si Auctores hæretici non sint. Alij tamen aliter videntur loqui Antonius Sousa ex ordine Prædicatorum in explicatione Bullæ Cœnæ cap. 2. disp. 13. num. 5. dicit, hos libros Magicæ artis non comprehendi hac Bullæ censura, quia, *licèt sint suspecti, hæresim tamen non continent*; vbi videtur clarè loqui de libris compositis ab hæretico: alioquin etiamsi hæresim continerent, non comprehenderetur in Bulla Cœnæ. Eodem modo videtur loqui Bonacina *tom. 3. in explicatione Bullæ Cœnæ disp. 1. q. 2. puncto 4. num. 4.* vbi dicit, libros Magicæ artis comprehendi hac Bullæ censura, *quoties isti sunt libri hæreticorum, simulque hæresim continent*: si ergo hæresim non contineant, non comprehenduntur, quamuis de Magia tractent.

ticus agit de superstitionibus vel magicis artibus.

54 *Sententia Auctoris.*

Ego doctrinam Suarij approbo quoad libros hæreticorum, tractantes de superstitionibus, quãdo eas sub specie religionis tradunt, quasi virtus in illis superstitionibus sit ex Deo, quia tunc tractant de religione, vendentes falsam religionem, seu superstitionem pro religione vera. Quando verò agunt de Magia, supponentes & profitentes Magiæ virtutes esse ex Dæmone, & tradentes, quibus signis, & pactis inuocandus sit, vt auxilium præstet, non video clarè, quomodo hac Bullæ censura contineantur, licèt aliunde certum sit esse alibi prohibitos. Suppono enim, posse contingere, vt nullam hæresim contineant, sicut potest Magus reperiri, qui hæreticus non sit, sed credat id totum illicitum esse, & Dæmonem non nisi sacrilegè inuocari posse. Tradunt tamen regulas, & modum ex Dæmonis pacto ad eum efficaciter inuocandum. Aliunde verò non videtur satis probari, quòd liber ille de religione tractet; finge enim prohiberi ne edantur libri de iustitia, siue de legibus: nunquid hoc ipso prohibitus esset liber, quem aliquis scriberet, de arte cautè furandi, & fraudibus, quibus furta sua ingeniosi fures exercuerunt, quia furtum iustitiæ, & legibus aduersatur? Certè quando dicitur quòd contrariorum eadem est ratio, & disciplina, sensus est, quod ex definitione vnius contrarij colligi potest definitio alterius, & ad eandem disciplinam spectat de vtroque agere, & eius naturam explicare: vnde ad eandem disciplinam spectat agere de virtutibus, & vitiis, de iustitia, & iniustitia, de religione, & irreligiositate, de medicina, & de morbis, quibus medicina adhibetur. Non est tamen idem tradere præcepta vulnerandi hostes, ac agere de curatione vulnerum; nam illud primum spectat ad artem militarem, vel gladiatoriam, hoc verò secundum ad artem medici, vel chirurgi, vnde prohibitis libris medicinæ, nõ esset prohibitus liber dẽ arte gladiatoria, vel de præceptis practicis pugnandi, & vulnerandi hostes. Sic ergo prohibitis in Bulla hac libris hæreticorum tractantibus de religione, non videntur eo ipso prohibiti eorum libri, tradentes præcepta practica Dæmonem inuocandi: sicut nec prohibitus intelligeretur in Bulla liber hæretici de arte ingeniose furandi, quamuis furtum Christianis

moribus aduersetur. Neque in his est periculum falsæ doctrinæ, dum non asseritur id esse licitum, sed potiùs supponitur illicitum; & refertur quibus signis Dæmon se alligauerit, vt mirabilia, & præstigia operetur: quæ omnia verissima esse possunt, & absque vllo errore sciri, solúmque potest eorum notitia esse perniciosa, quatenus curiosi, & vani homines eam ad praxim reducere vellent. Vnde periculum non est ob falsitatem doctrinæ, vel falsi dogmatis, sed ob humanam fragilitatem, quæ abutetur notitia vera ad mores corrumpendos. Nec inuenio præter Suarium, alium, qui expresse contrarium dicat: nam Sanchez, & alij suprà adducti solùm dicunt, libros Magicæ artis non comprehendi hac censura, si Auctores hæretici non sint, per quod non significant comprehendi quoties Auctor est hæreticus, sed suppositis terminis habilibus, hoc est, si hæresim aliquam contineant prout frequenter continere solent, vel si de religione tractent. Nauarrus autem, quem Sanchez citat in Summa Latina *cap.* 27. *n.* 55. idem dicentem, in mea certè Romana editione anni 1590. nihil prorsus dicit.

55 *Si hæretici opus duplici vel triplici volumine diuisum sit, & in vno ex illis reperiatur aliqua hæresis, an omnia illa volumina censeantur prohibita.*

Dubitatur Decimò, si hæretici opus duplici, vel triplici volumine diuisum sit & in vno ex illis reperiatur aliqua hæresis, an omnia illa volumina censeantur prohibita in hac Bullæ clausula, etiamsi de religione non tractent, an illud solum, in quo hæresis reperitur. Sanchez *vbi suprà num.* 36. dicit, non censeri prohibitum volumen illud, quod nec de religione tractat, nec in eo hæresis continetur, pro quo affert etiam Vgolinum *cap.* 1. verbo *ac eorundem libros* §. 1. *num.* 2. *vers.* 6. quod tamen Sanchez intelligit, quando verè sunt diuersi tomi, etiamsi aliquis per accidens eos simul in eodem tomo conglutinet. Secus verò esset, si vnicus tomus in plures libros diuisus sit, sicut Magister sententiarum diuisit suum opus Theologicum in quatuor libros, & sicut ipse Sanchez diuidit singulos tomos de matrimonio in plures libros: tunc enim plures libri faciunt vnum tomum, & vnum librum vulgarem, & omnes erunt hac censura prohibiti, licèt aliquis commoditatis gratia singulos Auctoris libros seorsim conglutinaret.

56 P. Suarez *in præsenti dicta sect.* 2. *num* 9. dicit, hanc Sancij doctrinam vetam esse, quando tomi sunt ita distincti, vt sint omnino de diuersis argumentis, nec habent inter se vllam connexionem, tunc enim procedit ratio facta: secus verò si vterque tomus sit eiusdem argumenti cum connexione inter se: tunc enim vterque tomus comprehenditur hac prohibitione: tum quia vterque de religione tractat, quod sufficit ad hanc prohibitionem, tum quia reuera vterque est pars operis vnius, licèt per accidens diuidantur, propter vitandam magnam vnius voluminis molem.

Hæc tamen Suarij doctrina explicatione indiget, vel certè moderatione. Negari enim non potest, posse aliquando eundem Auctorem idem argumentum pluribus tomis ita prosequi, vt sint libri, & tomi diuersi, ita vt prohibito vno alij non prohibeantur. Et quidem hoc videmus in vsu sacræ Congregationis Iudicis Romanæ, quæ aliquando prohibet vnum solum tomum alicuius Auctoris, non verò cæteros eiusdem, licèt sint de eodem argumento: exempla possumus afferre, sed oportet bonorum Auctorum nominibus parcere. Deinde certum est, tomos omnes Cardinalis Baronij de eodem argumento esse, nempe Annales Ecclesiasticos: & tamen si Auctor esset hæreticus, nec argumentum esset religiosum, sed profanum, v. gr. historia politica, nemo diceret duodecim tomos esse prohibitos ex vi Bullæ cœnæ, eo quod in vno ex illis vna hæresis reperiretur. Ratio autem prima, quam Suarez affert ad probandum vtrumque tomum cnmprehendi, quia cùm vterque sit eiusdem argumenti, vterque trahebat de religione, quod sufficit ad hanc prohibitionem: hæc, inquam, ratio non videtur esse ad rem, quia hoc dubium non procedit, quando libri hæretici tractant de religione, sed solùm quando non tractant de religione, & tamen, quia continent hæresim, comprehenduntur hac censura; quod sæpè contingit in libris historicis, Philosophicis, Politicis, &c. Quo casu quæritur, an omnes tomi sint hac prohibitione comprehensi, quãdo in vno solo tomo aliqua hæresis reperitur.

57 Non est ergo vera regula in vniuersum, quod quoties plures tomi habent connexionem aliquam inter se ratione argumenti cõmunis, quod habent, sufficiat vna hæresis in vno tomo reperta, vt omnes alij tomi, etiam de religione non tractantes hac bullæ censura comprehendantur. Quod potest ab absurdo ostendi: ponemus enim, quod sicut fecit Cardinalis Baronius, ita hæreticum aliquem, non simul, sed successiuè plures tomos componere de historia prophana eosque successiuè edere, & in quatuor primis, qui iam vbique vulgati fuerant, & impunè legebantur, nullam contineri hæresim: postea verò in 5. tomo hæresis vna reperitur, nunquid ea de causa incipient ipso facto prohibiti esse ex Bulla cœnæ, omnes priores tomi, qui antea prohibiti non erant? Nemo, credo, id concedet, sed prohibitio sisteret in 5. tomo, in quo solo peccatum est nec retrotraheretur pœna ad tomos antiquiores innocentes. Non ergo sufficit connexio qualiscunque in argumento eodem, quod pluribus tomis continuatur, vt error vnius refundat prohibitionem hanc in omnes alios.

58 Fateor tamen cum Suario, non sufficere è contra diuisionem materialem eiusdẽ operis in plures tomos, vt error vnius non refundat prohibitionem in alios, sed credo attendendam esse diuisionem formalem, vt ita dicam. Vnitas enim, vel pluralitas in his rebus accipienda est moraliter, cum analogia ad entia physica; in quibus illa dicuntur duo simpliciter, quorum singula per se subsistunt, & non in alio. Sic per separationem fiunt duæ aquæ, quæ antea erant duæ partes solùm vnius aquæ, quia ex se illæ partes erant indifferentes, vt essent partes, vel tota diuersa. Alia verò sunt entia, quæ ita ex natura sua sunt partes, vt etiam post separationem non habeant singula denominationem totius, velentis completi, sed partis: sic materia, & forma hominis, etiamsi separentur, non dicentur duo suppositi, vel duæ naturæ, sed partes vnius naturæ: sicut etiam manus, pes, caput, non dicentur plures naturæ, etiamsi separentur, quia ex se sunt partes exigentes vnionem cum aliis partibus. Hoc ipsum cum proportione reperitur in libris, sunt enim aliqui ita diuisi in plures tomos, vt tamen singuli tomi non subsistant per se, vt ita dicam, sed quatenus cum aliis componunt vnum opus, vnde non possunt cõmodè edi in lucem seorsim, nec emi, aut vendi seorsim, quia singuli sine aliis essent ferè inutiles, vel parum vtiles. Quis enim emat partem hyemalem breuiarij sine parte æstiuali,

uali, licèt sint tomi diuisi: idem dicerem de Thesauro linguæ latinæ, qui licèt sit in plures tomos distributus; singuli tamen seorsim parum vtiles essent, nec ab vllo prudenter emerentur, nec vnquam singuli sine aliis omnibus imprimentur: quare Auctor non dicetur plura opera scripsisse, sed vnum solum opus in plures tomos distributum. Atque idem fortasse aliquis iudicabit de opere Thomæ Sanchez de Matrimonio, quod licèt sit in tres tomos ab Auctore diuisum, singuli tamen seorsim, nec edi, nec emi commodè possent, propter maximã dependentiam, & connexionem, quam ad inuicem habent. Alia vero opera sunt ita distributa in plura volumina, vt singula ex se sint apta subsistere per se, & seorsim ab aliis: quod constat à posteriori, vt diximus, ex effectus; nam seorsim; & successiuè ab Auctoribus scribuntur, & eduntur, & à lectoribus emuntur, vt de tomis Cardinalis Baronij constat, & idem fuit de tomis Bellarmini, qui omnes continent idem argumentum, nempe controuersias contra hæreticos: & idem faciunt plures alij doctores, qui successiuè edunt varios tomos Conciliorum, vel commentariorum, quos successiuè componunt, qui re vera sunt tomi diuersi, & singuli seorsim vtiles sunt, & emuntur.

59 Vnde in hoc librorum genere credo posse habere locum, quod Sanchez dicebat, licèt aliquis ad faciliorem vsum velit in eodem volumine conglutinare simul duos tomos, quos Auctor non simul, sed successiuè, & seorsim edidit, adhuc reputandos esse duos, ita vt si Auctor sit hæreticus, & in 2. tom. vnam hæresim dixerit, non ideo primus sit hac Bullæ censura prohibitus, si de religione non tractat. Quod idem verum credo, licèt alius typographus iterum imprimat vtrumque tomum in vno minoribus characteribus. Audio enim, typhographum nunc velle imprimere in vno volumine duos tomos, quos ego edidi de Sacramentis, & Eucharistia, & de Pœnitentia, quos ego dũos tomos feci, & seorsim, ac successiuè edidi, atque adeo semper erunt intrinsecè duo, quamuis in vnum volumen à typographo reducantur. Multùm quippe ad hoc valere credo intensionem, & factum ipsius Auctoris, à quo potissimùm tomi vnitatem, & pluralitatem accipiunt. Nam quamuis partes aquæ, vel vini etiam seorsim, & successiuè productæ possint postea à quolibet alio misceri, & faciant vnam aquam, vel vnum vinum; libri tamen, qui semel ab Auctore seorsim editi, & duo facti sunt, non videntur posse postea à quolibet alio reduci pro libito ad vnitatem, ita vt iam duo amplius non sint. Quia in his entibus successiuis, maximè quæ non habent successionem omnino continuam, sed discretam, vnitas vel pluralitas habet multùm moralitatis, atque ideo pendet multùm ad intentione operantis, & aliis operis circunstantiis, vt constat in sermone, & loquutione vocali. Quare si aliquis duas conciones habeat ad populum duobus diebus, non poterit typographus facere, quod ex illis fiat vna concio, quamuis eas simul edat, sed semper erunt duæ, quia Auctor non semel, sed bis concionari, & loqui voluit: Ita ergo Auctor duos tomos seorsim edens, non semel, sed bis vult lectoribus loqui, nec alius potest facere quod semel solùm loquatur, cùm id maximè ex intentione loquentis pendeat. Nec è contra Auctor vnum solum tomum edere voluit, potcrit typographus facere, quod sint duo, vt non sit vterque prohibitus propter hæresim in vno contentam: semper enim manebit vnus tomus, ea vnitate, quam ab Auctore accepit, sicut si vnicam habuit concionem, nunquam erunt duæ, licèt typographus eam in duas diuidat, quia Auctor solùm semel ore, vel scripto loqui voluit, quare vna loquutio vel scriptura erit, & non plures.

Non sufficit in libro expũgere hæresim vt reliqua legi possint, sed totus liber prohibitus est.

Aduertunt denique omnes, quando in eodem libro, vel tomo hæresis continetur, ita totum hac prohibitione comprehendi, vt nec illa capita, vel codices, in quibus nulla continetur hæresis, legi, vel retineri possint, imò nec indices, aut præfationes, quia sunt partes eiusdem libri; nec etiam sufficiet expungere hæresim, vt reliqua legi, aut retineri possint, quia totus liber, & omnes eius partes sunt immediatè prohibitæ: ita Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 35. Suarez *de Censuris dicta disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. *& in præsenti dicta disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 9. cum aliis, quos afferunt.

§. II.

Quas personas obliget hæc Bullæ prohibitio.

61 CErtum est omnes præter Summum Pontificem ligari hac censura, cùm illi soli excipiãtur in Bulla, qui facultatem à Sede Apostolica habeant, quæ exceptio omnes alios excludit, quicumque illi sint. Vnde ipsi etiam hæretici comprehenduntur, cùm illi subditi sint Pontifici, & eius legibus, ac censuris obligentur. Quod adeo verum est, vt si hæreticus retineat, aut legat librum illum, quem ipsemet in hæresi existens composuit, tractantem de religione, vel hæresim continentem, incurrat hanc Bullæ censuram, vltra illam, qua ligatur, quia hæreticus est. Ita cum Vgolino Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 37. & Suarez *in præsenti dicta sect.* 2. *num.* 26. Sicut enim si indulgentia concessa esset fidelibus legentibus per horam librum aliquem pium Catholicum, lucrari posset indulgentiam aliquis legendo librum pium, quem ipsemet edidisset: ita pœna imposita legenti librum impium hæretici incurri poterit ab ipso Auctore legente suum librum. Et quidem non deficit ratio legis, quia & ipse auctor mouetur, & fortasse maiori affectu ex lectione proprij libri, quàm alieni, ad cõfirmandam mentem in hæresi, ob rationes, & argumenta à seipso adducta, & inuenta: vnusquisque enim sibi magis complacet in prole propria, quàm aliena. Retentio etiam libri pernicioſa est, non solùm Auctori, sed aliis, quibus liber conseruatus nocere poterit.

Omnes præter Summum Pontificem ligantur hac censura.

Etiam ipsi hæretici.

62 Dubitari potest primò, An qui secũs de seipso, quod ei libri hæretici lectio non nocebit, sed potiùs fortasse proderit, possit licitè illum legere. Non desunt qui tentauerint hac via euadere hanc censuram, freti sententia eorum, qui dicunt legem, quæ fundatur in præsumptione, non obligare cessante ratione legis: quare cùm hæc lex fundetur in præsumptione, & timore periculi, cessante eo periculo, & timore, cessabit in eo casu particulari obligatio legis. Communiter tamen Doctores hanc exceptionem reiiciunt. Suarez *vbi suprà num.* 27. 2 Sanche *num.* 24. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 6. & magis in terminis Coninck. *disput.* 18. *dub.* 11. *num.* 170. & in re idem

An qui secũs est de seipso, quod ei libri hæretici lectio non nocebit, sed potius fortasse proderit, possit licitè illum legere?

docet Hurtado *disp.*76.§.307. quamuis profiteatur se media via procedere.

63 *Sententia Auctoris.* Ego fateor quidem cum vtrisque, cessante ratione legis, non solùm negatiuè, sed etiam contrariè, legem non obligare: dicitur autem cessare contrariè, quando obseruatio legis latæ ad bonum commune cederet in hoc casu particulari in destructionem eiusdem boni communis, quod per legem intendebatur. Hoc solùm concedit Hurtado, *vbi suprà*, quod non negant Auctores secundæ sententiæ, sed loquuntur quando cessat ratio legis negatiuè, quia aliquis nō timet sibi probabile periculum ex lectione libri hæretici: & quamuis aliqui explicent etiam in casu, quo legitur ad impugnandum, & ad procurandum idem bonum fidei: id tamen debet intelligi cum distinctione aliqua maximè obseruanda, & præ oculis habenda, quoties agitur de lege, an obliget, vel non obliget cessante ratione legis in aliquo casu particulari.

64 *Potest multipliciter cessare ratio legis.* Potest enim multipliciter cessare ratio legis. Primò in vniuersum, & pro omnibus, ita vt iam nunc v. g. expediat magis ad bonum fidei, quod omnes possint legere libros hæreticorum, quàm quod debeant ab iis abstinere. Et tunc non est dubium, quod cesset obligatio legis, imò desinit esse lex, quia legis anima est ratio, quare ablata in vniuersum ratione legis, manebit irrationabilis, atque adeo non erit lex. Secundò tamen potest cessare ratio legis, non in vniuersum, & pro omnibus, sed pro hoc indiuiduo, & casu particulari; & tunc communis Doctorum sententia negat cessare legis obligationem, quos latè congerit Diana 1. part. tract. de legibus resolut. 28. Alij verò dicunt, tunc cessare obligationem pro eo casu quos refert, & sequitur Granado *in* 1.2. *controuersia* 7. *de legibus tract.* 3. *part.* 2. *disp.* 15. *sect.* 2. & plures addit Diana *loco citato.*

65 Horum tamen Doctorum assertio rursus dupliciter intelligi potest. Primò, quod in hoc casu particulari maius bonum sit, quod lex non obseruetur, seu quòd fiat actus contrarius. Secundò quòd maius sit bonum, & vtilius sit ab bonum commune, quòd lex in hoc casu non obliget. Est enim magna differentia inter hos duos sensus, quia continget sæpè maius bonum commune resultare ex violatione legis in aliquo casu particulari, quàm ex eius obseruantia, & tamen non ideo cessare tunc legis obligationem, quia maius bonum commune resultat ex eo quod lex tunc etiam obliget, quàm ex eo, quod non obliget. Exempla adduxi, & rationem reddidi *disp.*23. *de Pœnitentia sect.*1. *num.*8. *& sequentibus, & tom.*1. *de Iustitia disput.*16. *sect.*2. *num.*29. vbi ostendi, posse legem etiam naturalem, exceptionem omnem excludere illius etiam casus particularis, in quo nullum damnum, imò maius bonum consequeretur ex actu contrario: quia licèt in hoc casu particulari maius bonum commune sequeretur, v.gr. ex mendacio officioso, quàm ex veritate: maius tamen damnum commune sequeretur ex eo quòd in hoc casu mendacium esset licitum: nam ea licentia pro hoc casu tolleret fidem humanam pro aliis multis, cùm semper possent homines formidare, an loquens apprehenderet in illo casu maius bonum, quàm damnum sequi ex suo mendacio. Non ergo cessat ratio legis in iis casibus, quia licèt cesset maius damnum commune, quàm bonum ex mendacio præsenti: non tamen cessat maius malum commune, quod sequeretur, si mendacium non solùm proferretur, sed licitè proferri posset in hoc casu particulari. Quod idem in lege positiua humana considerandum est, ad decernendum, an cessante ratione legis in casu particulari cesset legis obligatio. Non enim considerandum solùm est, an ex actu contrario sequatur damnum commune, vel potiùs commune bonum, sed an id sequatur ex eo, quod lex humana non obliget etiam pro eo casu, sunt quippe aliquæ leges humanæ, quæ ob hanc rationem obligant in omni casu, v.gr. lex Tridentini de Parochi præsentia ad matrimonium necessaria, quæ obligat etiam eo casu, quo deficiente Parocho maius bonum, quàm damnum commune sequeretur ex matrimonio tunc contracto: quia nimirum licèt ex illo matrimonio particulari magnum bonum commune, & nullam malum sequererur: maximum tamen damnum commune sequeretur ex eo, quòd saltem in casu extraordinario posset licitè, & validè fieri matrimonium sine Parocho, quia manerent matrimonia multa dubia, & litigiosa, sub prætextu talis necessitatis, & fingerent sibi homines necessitatem, quare maius bonum commune est, quòd etiam in eo casu fieri non possit.

Hinc ergo applicando eam doctrinam ad casum nostrum dicendum est, si casus sit talis, vt maius bonum fidei, & Ecclesiæ sit, quòd hæc lex non obliget in eo casu; posse quidem habere locum sententiam illam, & iuxta eam legi, & habere libros hæreticorum cessante omnino ratione legis in eo casu particulari, quamuis non cesset in communi: atque ideo non cesset absolutè lex & prohibitio. Ad hoc tamen in primis non sufficit quòd homo videatur sibi securus à periculo ex lectione librorum hæreticorum. Primò, quia fingimus nobis eam securitatem, sicut Salomon sibi eam finxit, quando accepit sibi vxores alienigenas, & infideles, quæ paulatim eius cor emollierunt, & auerterunt à lege Domini. Quis autem credat se magis doctum, & illuminatum, ac bene in diuina lege & cultu veri Dei fundatum, quàm Salomonem? Quis credat se in fide firmiorem, quàm S. Petrum Martyrem, qui tamen ex assidua cum hæreticis disputatione ad ipsius fidei propugnationem suscepta, sensit se circa fidem tentatum; & opportunè ad diuinum auxilium implorandum recurrit? Propinant quidem hæretici dulciter venenum suæ doctrinæ, & à facilioribus incipientes plausibilibus argumentis, & exemplis conantur reddere verisimilia leuiora aliqua dogmata, quæ non leuiter fidei Catholicæ fundamenta labefactant, & ab his insidiis omnes meritò timere debent, atque vtinam experientia non monstrasset, cedros Libani nostris temporibus vacillasse. Denique quamuis de hoc indiuiduo in particulari non possit probabiliter timeri, quòd ei lectio nocebit, in genere tamen, & in vniuersum prudentissimè timeri potest, quod si omnes, qui sibi nihil à lectione horum librorum timent, eos possint licitè legere, aliqui ex lectione illa nocumentum patiuntur: quare ob hunc iustum timorem, lex rationabiliter omnibus absque exceptione prohibere potest, ne legant, etiamsi singuli in particulari securi sibi videantur. 66

Addo præterea, legem hanc non haberi pro ratione solùm periculum damni lectoribus se- 67

quuturi

quuturi, sed etiam punitionem hæreticorum: nam sicut aliis pœnis puniuntur,& excommunicatione, quâ è consortio fidelium separantur, vt videntes se ab aliis relictos,& reiectos resipiscât: sic etiam prohibentur eorum libri, quæ non est leuis pœna Auctoris, quòd eius opera lectione, aut visu alij non dignentur, vt hoc etiam iis ad correctionem deseruiat. Quæ ratio semper manet, etiamsi lectores nihil mali sibi timeant ab eiusmodi librorum lectione,& tractatione.

68 *An in Anglia, Germania, &c. possint legi licitè hæreticorũ libri, qui in Bulla Cœnæ prohibentur?*

Hinc infertur, quid dicendum sit ad dubium illud, quod solet proponi,an in Anglia, Germania, & aliis locis, in quibus hæresis grassatur, possint legi licitè hæreticorum libri,qui hac Bulla prohibentur. Aliqui dicunt,non posse etiam ad eos impugnandos, sed habere licentiam peti à Summo Pontifice, qui huic necessitati prouidebit. Ita Suarez *dicta sect.2.n.27.* si tamen repentina necessitas vrgeat, & periculum sit in mora dicit, posse per accidens ex epijcheia pro illa vice fieri. Alij dicunt id verum esse,si Bulla cœnæ in illis prouinciis vsu recepta sit, vel obliget, ita Azor *1.tom.lib.8. cap.16.quæst.6.* quem sequitur Sanchez *vbi suprà num.42.* Alij quos affert Diana *1. part. tract. de Bulla cruciatæ resolut.35.* negant obligare prædictam Bullam in omnibus locis. Hurtado denique *dicta disp.76. §.306. & 307.* dicit Bullam cœnæ vbique quidem obligare, sed tamen illos, quibus incumbit fidei propagatio posse, & debere legere in prouinciis hæreticorum eorum libros ad eos impugnandos, quia in his cessat contrariè finis legis, quia maius fidei damnum sequeretur, si ab iis libri non legerentur; & affert exemplum Gregorij de Valentia, qui eorum librorum copiam occultè ex ipsis Typographis procurabat, ita vt simul cum libro eius impugnatio in lucem prodiret. Hoc tamen exemplum parum mihi probat; nam eo tempore poterant doctores Societatis ex facultate Generalis eos libros in Germania legere, & non est credibile, Valentiam eam facultatem à Generali non habuisse, quando alij eam habebant.

69 *Abstinendum est ab illo dubio, An Bulla Cœnæ vbique de facto obliget.*

Nunc itaque abstinendum nobis est, vt monuit etiam Azor *loco citato*, ab illo alio dubio,an Bulla cœnæ vbique de facto obliget, quod longiorem requireret quæstionem, quæ in tractatu de Censuris examinatur,vel etiam de legibus, & specialem habet difficultatem in hac Bulla, quæ singulis annis de nouo editur, & publicatur. Ex suppositione itaque, quod prohibitio hæc vbique obliget dicendum videtur cum Suario, intentionem solam impugnandi non esse titulum sufficientem,vt excuset ab hac prohibitione,nisi in casu à Suario expresso,quando necessitas vrgeret, & non esset locus petendi licentiam à summo Pontifice,quia periculum esset in mora,& bonum ipsius fidei peteret necessariò lectionem libri,quo casu ratio legis cõtrariè cessaret,quo tamen casu deberet saltem peti licentia ab Episcopo, & ipse deberet eam concedere limitatam vt dicam infra. Quando verò facultas peti potest, non video,quo titulo excusetur aliquis ab ea petenda,vt constat in aliis materiis,in quibus prohibetur ne aliquid fiat sine facultate superioris, v.g. in Bulla nouissima SS. D.N. Vrbani VIII. prohibetur Episcopis ne discedant à sua residentia, extra casus in eadem Bulla expressos, sine licentia sedis Apostolicæ:si occurrat necessitas absentiæ, adhuc obligatur Episcopus ad petendam licentiam, quia Pontifex vult sibi reseruare iudicium de causa, & necessitate. Item Religiosus non potest expendere sine licentia Prælati, quare si occurrat necessitas expendendi, debet petere licentiam,saltem si potest,nec poterit propria auctoritate expendere,non petita licentia, & sic in aliis. Idem ergo dicendum est de licentia necessaria legendi libros prohibitos, quæ quidem lectio non omnino prohibetur,sed ne sine licentia fiat,quæ si causa necessaria, vel sufficiens iudicabitur, concedetur, si verò non conceditur, hoc erit, quia non iudicatur necessitas sufficiens vel certè quia Pontifex alia via, vel per alias personas, quæ ei videntur magis idoneæ prouidendum iudicat:nemo enim est in causa propria bonus iudex, & experti sumus nonnullos Catholicos contra hæreticos scribere voluisse adeo frigidè,& insulsè,vt in causa præuaricari videantur, & adiciant animum hæreticis ad persistendum in suis erroribus.

70 *An aliqui de iure habeant facultatem legendi libros hæreticorum.*

Dubitatur itaque secundò, an aliqui de iure habeant facultatem legendi hos libros hæreticorum. Respondeo, quidquid olim fuerit,reuocatas fuisse omnes eas facultates omnibus etiam Episcopis, & Cardinalibus in Bulla Iulij III. & Pauli IV. & Pij IV. quas Bullas refert Peña in fine directorij sui Inquisitorum, & cum maiori rigore nouissimè Vrbanus VIII. in suo proprio motu edito 2. Aprilis anno 1631. in quo omnibus personis cuiuscumque gradus, status, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ,etiam speciali nota dignæ concessas licentias omnes reuocauit, & omnibus vniuersim abstulit potestatem eas licentias concedendi. Difficultas erat de Inquisitoribus, an ipsi possint eos libros legere iure officij sui. Affirmant enim Peña, Vgolinus, Azor, Grathius, Farinacius, & alij, quos affert,& sequitur Castro Palao *tom.1. tract.4. disput.2. punct.10.§.3. numero 2.* quia in prædictis Bullis excipiuntur. Alij de hoc dubitant,ita Suarez *vbi supra num.28.* Sanchez *num.46.* & Barbosa *de potestate Episcopi allegatione 90.num.8.* quia in illis Bullis non conceditur positiuè licentia Inquisitoribus, sed reuocantur licentiæ aliis concessæ, præter concessas Inquisitoribus; quare Hurtado *vbi suprà §.305.* dicit Inquisitores supremi concilij inquisitionis Hispaniæ posse legere libros illos, quos ipsi aliis permittere possunt, de aliis verò libris consulenda esse eorum priuilegia, & videndum an ad eos facultatem verè habeant.Prima tamen sententia probabilis erat extra Hispaniam, in qua ex Bulla Pauli V. solus Inquisitor generalis potest hæreticorum libros legere, & ij quibus ipse commiserit, quæ Bulla habetur in principio Iudicis expurgatorij Hispani, & eam testatur Castro Palao *vbi supra num 4.* Dixi tamen, *probabilis erat*, quia nunc post vltimam reuocationem sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. dubitari potest, an sit amplius probabilis, reuocatæ enim sunt omnes licentiæ quibuslibet personis concessæ cuiuscumque dignitatis, &c. & non fit exceptio illa Inquisitorum, sicut facta fuerat in illis aliis Bullis reuocatoriis.Credibile tamen est, quod idem Sanctissimus interrogatus iam fuerit, & suam mentem circa Inquisitores declarauerit. Certum tamen videtur, quod circa libros, qui non sunt aliunde prohibiti,nisi ab ipsis Inquisitoribus, possunt licentiam dare illos legendi illis, qui possunt prohibitiones reuocare,& auferre, & quòd possunt sibi

An Inquisitores.

Qui possint dare licentiã legendi libros prohibitos.

sibi eandem licentiam vsurpare quam aliis possunt concedere. Quantam verò facultatem circa hoc habeant Inquisitores particulares; pendet ex commissione, & concessione facultatis iis datæ, ab Inquisitore generali penes quem videtur ea potestas residere. Circa alios verò libros à summo Pontifice prohibitos, & multò magis circa libros prohibitos in Bulla Cœnæ; iam diximus à sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. fuisse omnibus ablatam potestatem concedendi eiusmodi licentias. Aduertit tamen Sanchez *vbi suprà num.* 43. in casu magnæ necessitatis non patientis moram propter periculum, si expectetur licentia summi Pontificis, posse Episcopum concedere tunc licentiam, quia in eiusmodi casibus recurri solet ad Episcopum. Addo ego primò debere recurri, quia cùm adsit Episcopus, qui potest eo casu licentiam dare, non excusat necessitas vrgens à petenda licentia. Secundò eam licentiam debere esse limitatam ad tempus, intra quod possit recurri ad Pontificem, quia cùm actus habeat tractum successiuum, necessitas non facit, quòd Episcopus possit dare licentiam, nisi pro eo tempore, quo durat impotentia recurrendi ad Pontificem.

Hæc licentia debet esse limitata ad tempus.

71 *Cardinalium collegium an Sede vacante possit hanc licentiam concedere?*

De collegio Cardinalium quærunt aliqui, an Sede vacante possit hanc licentiam concedere. Sed meritò id negant aliis relatis Sanchez *vbi suprà num.* 44. Suarez *num.* 27. Castro Palao *vbi supra* §. 3. *numero* 5. & alij contra Vgolinum, quia Cardinales Sede vacante præter illa, quæ ad electionem Pontificis spectant, non possunt sibi potestatem Pontificis vllam vsurpare, nisi tam grande, & vrgens periculum occurreret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur celeriter occurrendum, vt constat ex cap. *vbi periculum*, de electione lib. 6. & ex Clementina, *ne Romani*, de electione, vnde si necessitas talis circa lectionem libri prohibiti occurreret (quod moraliter non continget) posset ex omnium Cardinalium, nullo dissentiente, consensu, eiusmodi facultas ad tempus dari, quæ electo postea Pontifice, ipso facto cessaret.

§. III.

Quæ actiones hac clausula prohibentur.

72 *Excommunicantur qui prædictos libros legunt, retinent, &c. Quid intelligatur per legentes.*

EXcommunicantur in Bulla cœnæ prædictos libros *legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore.* Circa primam particulam dubitari potest primò, quid intelligatur per, *legentes*, an soli ij, qui ore proferunt, an ij etiam, qui visu solo percurrunt, & mente percipiunt, quæ in libro continentur, nihil ore recitantes. Fatentur omnes hos etiam incurrere censuram, Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 18. Vgolinus, & Graffius, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà num.* 41. Bonacina, quem affert, & sequitur Castro Palao *dicto punct.* 10. §. 2. *num.* 2. quia illa est propria, & vera lectio & actio externa pertinens ad visum: potest enim Ecclesia præcipere, vel prohibere visum alicuius obiecti sensibilis, sicut potest præcipere, vel prohibere auditum etiam alicuius concionis. Ad quod etiam affertur lex 2. §. *si dubitetur*, ff. quemadmodum testamenta aperiantur, vbi dicitur, quòd *inspectio* tabularum testamenti, significat etiam *lectionem*: quare è contrariò *lectio* poterit significare *inspectionem*.

Dubitatur secundò, an è contra incurrat censuram, qui nihil ex libro haurit, sed voce recitat verba ipsius libri, quæ memoriter olim didicit, Graffius apud Sanch. *n.* 47. dicit incurrere; Sayrus verò apud eundem id negat, quando bono fine recitat, quasi contrarium significans, si malo fine id faciat. Vtrumque impugnat Sanchez *ibi* quia ille non legit, nec lex finem punit, sed factum ipsum, & actionem legendi, cui consentit Suarez *vbi suprà num.* 18. Posset locum habere sententia Sayri, quando ille prauus finis ita exteriùs significaretur, vt ipsa recitatio ostenderet libri approbationem aliquam, vel defensionem, tunc enim censuram incurris, non quia legis, sed quia approbas, & defendis librum hæretici: in rigore tamen qui memoriter recitat, non legit, vnde dicere solemus ad commendandam memoriæ tenacitatem, & felicitatem alicuius, quod ita facilè, & fideliter ea, quæ semel vidit recitat, ac si ea tunc legeret, non ergo legit, sed lecta refert. 73

Dubitatur tertiò, an qui audit legentem incurrat hanc censuram. Azor, Sayrus, & Graffius apud Sanchez *num.* 48. dicunt incurrere, si ipse sit causa lectionis concilio, mandato, suasione, precibus, vel alio modo, secus si nullo modo sit causa: quia in primo casu, licèt non legat physicè per seipsum, legit tamen moraliter per alium, quo tanquam instrumento vtitur in secundo autem casu non legit per se, nec per alium, sed solùm audit. Quod docet etiam Hurtado *dicta disp.* 76. §. 3 10. Pro eadem sententia afferuntur Alterius, Layman, Megala, & Reginaldus apud Dianam *part.* 1. *tract. de Bulla cruciatæ resolut.* 34. Hanc tamen distinctionem impugnat Suarez *vbi supra num.* 19. & dicit in vtroque casu incurri censuram. 74

Alij tamen probabiliter dicunt, in neutro casu incurri hanc censuram, quod debet intelligi quatenus fertur contra legentes: nam ex alio capite posset incurri, quatenus extenditur ad approbantes, vel defendentes, si definitio, vel approbatio libri significaretur. Hanc sententiam tenet Vgolinus, quem refert, & sequitur Sanch. *num.* 49. quem malè affert pro contraria sententia Hurtado *dicto* §. 310. idem docent Farinacius, Duardus, Filliucius, Bonacina, quos affert, & sequitur Castro Palao *vbi suprà num.* 4. Coninch *disp.* 18. *n.* 178. dicit id certum esse quando audiens non est causa, & non esse improbabile, quando est causa. Eandem sententiam absolutè tenet Sousa, Portel, quos addit, & sequitur Diana *vbi suprà*. Ratio autem est, quia audiens siue inducat, siue non inducat legentem, verè non legit: lex autem imponens pœnam facienti non comprehendit mandantes, vel consulentes nisi id exprimat, vt cum aliis probat latè idem Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 42. *n.* 2. nec enim mandas homicidium occidit propriè, nec incurreret irregularitatem, nisi expressè fuisset imposita etiam mandanti: non est ergo cur excommunicatio hæc imposita soli legenti, extendatur etiam ad mandantes, vel consulentes. 75

Obiicit Suarez primò quia idem est periculum in audiendo, ac in legendo libro hæretico, imò fortasse maius, quia minùs laboriosum, & facilius est audire, quàm legere: quare lex suo fine fraudaretur. Respondeo negando esse idem periculum 76 *Obiicitur.*

culum, ac æquè facilè, quia sicut tu non vis legere, ne incurras censuram, ita ille alius ob eandem causam recusabit tibi legere. Nec ideo lex fraudatur suo fine, quia iam eadem lex ne tu audias; prohibuit aliis ne legant. Quod si aliquis sceleratus tibi complaceat, non oportet quod lex omnia incommoda efficaciter impediat. Denique verba in lege pœnali intelligenda sunt vt sonant.

77 *Obiectio 2.* Secundò obiicit, quia auditus non minùs est sensus disciplinæ, quàm visus: sicut ergo prohibetur lectio per solum visum, vt caueatur talis doctrina, similiter prohibetur per auditum. Respondeo eodem modo non esse eandem rationem cùm faciliùs possit solus quis sibi legere quàm inuenire casu alium legentem: si autem ex industria eum quærat, iam in hoc ipso peccat suadendo lectori actum prohibitum. Sufficit ergo prohibuisse lectionem, & quamuis ratio esset eadem non id sufficeret ad extendendam pœnam vltra propriam verborum significationem.

Obiectio 3. Tertiò arguit, quia lectio duas actiones includit, nempe prolationem, & perceptionem eorum, quæ scripta sunt: & hæc secunda ratio consummat lectionem; ille autem, qui audit verè percipit sensum: quare per seipsum legit, & per seipsum consummat actionem. Respondeo retorquendo argumentum: nam si lectio includit vtramque actionem, ergo qui non ponit vtramque, sed solam secundam, non legit: sicut quia hæresis consummata includit internam, & externam, qui solùm ponit externam, non est hæreticus: ille ergo tunc non consummat lectionem, deficiente prima lectionis parte: sicut nec proferens hæresim externam sine interna consummat hæresim.

78 *Obiectio 4.* Quartò obiici potest, quia hic audiens saltem quando est causa lectionis, licèt excusetur ab hac excommunicatione bullæ cœnæ, non tamen videtur excusari ab excommunicatione, quam contrahunt communicantes cum excommunicato in crimine criminoso, ob quod sunt excommunicati, & quæ habetur in *c. nuper*, & *c. si concubina*, de sent. excom. cùm participent in lectione prohibita, ob quam legentes ipsi excommunicantur. Respondetur tamen, ad eam excommunicationem incurrendam requiri participationem in crimine cum excommunicato denuntiato, aut publico Clerici percussore post Concilium Constantiense, vt cum aliis notauit Sanchez *dicto cap. 10. num. 50.* quales non sunt legentes hos libros, cùm non sint nominatim denunciati.

79 *Si dominus iubeat famulo vt legat ipsi domino aduturo librum hæreticii, an famulus excusetur à censura.* Hinc inferunt aliqui, si Dominus iubeat famulo, vt legat ipsi Domino aduturo librum hæreticum, famulum aliquando excusari à censura bullæ. quando scilicèt metu graui ad id compellitur: quia licèt peccet mortaliter, si id in contemptum fidei præcipiatur; non tamen peccat contra præceptum Ecclesiæ, quæ non obligat cum tanto detrimento, sed solùm contra præceptum diuinum. Ita Sanchez *vbi suprà n. 49.* Castro Palao *n. 5.* Duardus, quem affert Diana *dicto tract. de Bulla cruciatæ resol. 34. in fine* contra Bonacinam ibi adductum, qui dicit incurrere etiam censuram. Si verò non iuberetur legere in contemptum fidei, sed ob alium finem non culpabilem, & graui metu compelleretur, non peccaret mortaliter, vt indicat Sanchez ibidem. Ratio autem est, quia tunc non peccaret contra præceptum diuinum, cùm lectio illa præscindendo à præcepto humano non sit prohibita: aliunde verò excusaretur à præcepto Ecclesiæ, propter metum grauem.

Dubitatur quartò, an qui legit hos libros scriptos lingua sibi ignota, quam nullo modo intelligit incurrat hanc censuram latam contra legentes. Dixi, *contra legentes*, quia censuram latam contra tenentes hos libros non effugiet tenens eos, licèt non intelligat. Potest tamen contingere, vt is librum non habeat, sed inuentum apud alium, qui fortasse licentiam tenendi habet, legat. Affirmant incurrere Bonacina disput. 2. de censuris *q. 5. puncto. 4. numer. 14.* & Megala *in 3. parte lib. 3. c. 1. num. 45.* Sed alij omnes id meritò negant Sanchez *vbi suprà num. 51.* & post illum Filliucius *tract. 22. c. 7. num. 207.* Suarez *vbi supra num. 18.* Hurtado vbi supra §. 308. Castro Palao *vbi suprà §. 2. num. 2.* & Diana *vbi supra resolut. 36.* quia lectio formalis non consistit in solo visu characterum, sed etiam includit perceptionem verborum, quæ leguntur. Quamuis autem Suarez, & alij hunc excusent, eo quod deficit finis legis, meliùs tamen Sanchez hanc viam non acceptat, sed quia ille reuera non legit in sensu, quo Bulla loquitur, sed solùm in sensu materiali, de quo lex non cogitauit.

80 *An qui legit hos libros scriptos lingua ignota incurrat bullæ censuram.*

Petes: quid sit hic non intelligens legat, vt alter intelligens audiat? Respondeo adhuc non incurrere, quia adhuc non legit ita Hurtado *vbi supra §. 111.* & non dissentit Suarez nume. 19. in fine, dicit enim illum non peccare, eo quod ipse legat, sed quia cooperatur auditori legenti per ipsum, supponit enim, vt supra vidimus audientem etiam legere, & incurrere, censuram latam contra legentes. Aduertit tamen bene idem Hurtado legentem peccare grauiter contra charitatem, quando legit eam libri partem, in qua continentur praua dogmata, & periculum probabile est, ne auditores decipiãtur. Vnde infertur posse, cessante eo periculo, vtrumque excusari à peccato, tam qui consulit, aut iubet lectionem, quam qui legit, & non intelligit, quia neuter in rigore legit, & aliunde periculum cessat, vt suppono, & licèt videatur esse elusio legis, casus tamen est rarus, & qui nunquam ad praxim reducitur, & non est necesse, quòd lex humana ad omnes casus extraordinarios suis pœnis prouiderit, & aliunde incurretur censura ob retentionem libri.

81 *Quid si non intelligens legat, vt alter intelligẽs audiat.*

Dubitatur 5. An in lectione ipsa detur paruitas materiæ. Negant Toletus *lib. 1. c. 19.* & Vgolinus in explicatione bullæ cœnæ, vers. *ad eorundem libros §. 1.* qui ad hanc censuram sufficere dicunt, vnam vel alteram lineam legere. Alij tamen communiter dicunt dari materiæ paruitatem in sufficientem ad contrahendam hanc censuram: dissentiunt tamen in ea parte materia designanda Azor *dicto lib. 8. cap. 16. q. 3.* dicit materiam paruam esse pauca verba legere. Hurtado *dicta disp. 76. sect. 8. §. 311.* dicit non comprehendi legentem vnam, vel alteram lineam, Suarez *in præsenti disp. 20. sect. 2. num. 20.* dicit excusari, si non sit lectio multarum linearum, sed paucarum Merolla, & Graffius excusant legentem tres, vel quatuor lineas, quos vide apud Dianam *5. parte tract. 5. de paruitate materiæ resolutione 42.* Alij extendunt ad decem lineas, ita Castro Palao *vbi suprà §. 2. num. 6.* & Sayrus apud Dianam, vbi supra. Alij extendunt ad vnam paginam libri in folio, ita Sanchez dicto c. 10. num. 31. vbi id explicat de folio chartæ maioris, quam ipse

82 *An in lectione ipsa detur paruitas materiæ.*

voca

vocabulo hiſpano nominat *de marca mayor*. Quod idem de vna pagina libri in folio videntur ſentire alij apud eũdem Sanchez,& poſtea Duardus, Filliucius, Layman, & Portel apud Dianam 1. *parte tract. de bulla cruciatæ reſol.*30. quibus addi poſſunt Coninch *diſp.*18.§.179. & Farinacius de hæreſi, *q.*180.*n.*13. qui eam Sancij doctrinam referunt,& non reprobant,ſicut non reprobauit Diana *dicta reſol.*30. ſed tamen poſtea *parte* 5.*dict.tract.*5.*reſol.*42.eam reprobauit cum Gordono,Megalio, & aliis,quia in decreto Clementis VIII. edito 9. Ianuarij anno 1601. prohibentur confeſſarij etiam regulares in Italia extra Vrbem abſoluere à caſibus clarè, vel dubiè in Bulla cœnæ contentis: hic autem caſus continetur ad minus dubiè in Bulla cœnæ, cùm maior Doctorum pars doceat, illam non eſſe materiam paruam. Hoc tamen fundamentum efficax non eſt. Primò quia quando reſeruatur caſus dubius, intelligitur de dubio negatiuo,non de dubio poſiuo, quod oritur ex diuerſitate opinionum probabilium, in quo qui amplectitur opinionem adhuc probabilem dicentem illud non eſſe peccatum mortale, non peccat mortaliter, atque ideo non incurrit caſum reſeruatum, vt monui *diſp.* 20.*de pœnitentia ſect.*2.*num.*16.quare ſi illa Sancij doctrina habeat probabilitatem ſaltem extrinſecam, nihil obſtat clauſula illa decreti Clementis. Secundò,quia poſtea 26. Nouemb.anno 1602.edita fuit iuſſu eiuſdem Clementis explicatio, & moderatio illius prioris decreti,in qua ſublata fuerunt verba illa, de caſibus *dubiè* contentis in Bulla cœnæ,& ſolùm relicti fuerunt caſus in Bulla contenti,cum quibuſdam aliis ibi expreſſis, & cum reſeruatis Ordinario. Quidquid tamen de hoc ſit,non probo illam Sancij ſententiam, quæ communiter laxior iudicatur,ſed medium aliquid inter illam, & inter decem illas lineas, quas alij aſſignabant, ſtatui poteſt,ad quod tamen circunſtantiæ materiæ, & libri, & aliæ conſiderari debent,quia res morales non poſſunt in indiuiſibili conſiſtere.

83 *An excuſetur à peccato graui, & cenſura, qui legit paucas lineas libri hæretici, in quibus ſcit hæreſim contineri*

Circa hoc tamen dubitatur ſextò, an excuſetur à peccato graui & cenſura, qui legit paucas lineas libri hæretici, in quibus tamen ſcit hæreſim ipſam contineri. Negant excuſari Duardus, & Reginaldus apud Dianam *part.*5.*dict. tract.*5. *reſolut.*42. Ipſe tamen cum Merolla,quem affert dicit excuſari, tum quia non ſe exponit periculo imbibendi hæreſim,qui hæreſim ſolam legit,vel audit ſine eius probatione, quæ in illis paucis lineis eſſe non poteſt, tum etiam quia finis legis non cadit ſub obligatione,quare licèt totus liber prohibeatur propter hæreſim in eo contentam; non tamen fit contra legem, dum non ponitur lectio notabilis. Vtraque ſententia eſt practicè probabilis: ſpeculatiuè autem magis propendeo in primam: quia ſicut in Miſſa non omnes partes ſunt homogeneæ, ſed heterogeneæ, & diſſimiles,atque adeo non eſt idem dicendum de eo, qui non adeſt conſecrationi,vel communioni,ac de illo, qui non adeſt Euangelio, vel ſymbolo, quæ non ſunt partes ſubſtantiales,ſicut ille aliæ, vt cum aliis dixi *diſp.*22.*de Euchariſt.ſect.*1.*n.*4. ita partes libri hæretici nõ ſunt homogeneæ,ſed heterogeneæ;& illæ in quibus hæreſes continentur,videntur eſſe partes ſubſtãtiales libri hæretici,prout hæretici;quare pars illa æquiualet multis aliis,cùm ibi contineatur ſubſtantia veneni,& lectio illa licèt in entitate ſit breuis,in ſubſtantia tamen eſt longa, & ſubeſt periculum inficiendi lectorem. Sicut Alipius ille, cuius meminit S. Auguſtin.*lib.*6.*confeſſ.c.*8. breuiſſimo viſu ebibit totam theatri, & ſpectaculorum voluptatem, dum apertis repentè oculis vulnus lethale adſpexit gladiatori infligi: qui viſus licèt in ſe breuiſſimus & paruus videretur,in ſubſtantia tamen maximus, & valde noxius illi fuit:quod idem in lectione loci alicuius hæretici reperiri cũ proportione poteſt,præſertim ſi nõ merã hæreſim aliunde lectori odibilem contineat, ſed modũ argutũ proponendi,vel iocoſa verba,aut fundamentum breuiter indicatum, quæ omnia periculoſa eſſe ſolent,& ideo magis ſubſtantialiter prohibita.

Excommunicantur eadem clauſula non ſolùm legentes,ſed *retinentes* eiuſmodi libros:quo nomine intelliguntur non ſolùm, qui apud ſe, ſed etiam qui apud alios eos retinent, quibus eos commodarunt.vel apud quos habent in depoſito, ſicut è contra intelligitur etiam ille, qui librum hæreticum apud ſe habet ab alio ſibi commodatum,vel datum in cuſtodiam. Nec excuſat finis,quòd v.g.retineas ad refutandum:quod ego intelligo iuxta ſuprà dicta,quando neceſſitas impugnandi non eſſet talis, vt lectionem etiam licitam redderet:cui enim lectio licèt,licebit etiam retentio. Neque etiam excuſat,quòd habeas animum nunquam legendi, vel quòd librum non intelligas,vel quòd ad alium vſum habeas, vt ad ornatum, & pompam, vel ad vtendum chartis ad alios vſus. Videantur Suarez *vbi ſupra n.*21. Sanchez *num.* 52. Hurtado §.12. Caſtro Palao §.2.*num.*7.*& ſequentibus*,qui alios referunt. Ego tamen non puto, te comprehendi hac cenſura, ſi apud te in cuſtodia habeas libros *tui domini*, qui facultatem habet eos legendi,& retinendi: nam tunc Dominus eſt, qui retinet apud te, ſicut poſſet eos in ſuo ſcrinio habere. Comprehenditur verò ipſemet Auctor, ſi librum ſuum prohibitum retinet, quamuis eum non legat, vt obſeruat Hurtado *loco citato*. 84 *Excommunicantur eadem clauſula non ſolùm legentes, ſed etiam retinentes eius libros.*

Circa hanc partem dubitatur ſeptimò, An detur paruitas materiæ ex parte libri, v.g. ſi aliquis non retineat totum librum, ſed partem illius. Certum eſt,ſi retineat duas,vel tres lineas, quas ſine culpa graui poſſet etiam legere, non incurrere hanc cenſuram: ſed difficultas eſt,An in ordine ad retentionem poſſet reputari materia parua, quæ non eſſet parua in ordine ad lectionem. Sanchez *n.*54.putat non ſufficere ad hanc cenſuram retentionem vnius folij, quia minùs lædit retentio, quàm lectio, atque ideo maior pars requiritur, vt retinens grauiter peccet, quàm legens: quam ſententiam refert, & non reprobat Caſtro Palao *vbi ſuprà num.*11. *in fine*. Alij verò eodem modo videntur loqui de materia lectionis,& retentionis.Et quidem ego non video ſufficiens diſcrimen: imò in genere loquendo grauius periculum videtur timeri poſſe ex retentione,quàm ex lectione,cùm retentionis periculum eò magis vniuerſale appareat, quò occaſionem affert, vt à pluribus legatur, & ad plurium manus perueniat, quandiu ſcriptura illa non deſtruitur: quod periculum multò grauius erit,ſi pars illa, quæ retinetur doctrinam fideiadueriariam contineat. 85 *An detur paruitas materiæ ex parte libri, v.g. ſi aliquis non retineat totum librum, ſed partem illius.*

Dubitatur octauò, An detur ſaltem paruitas materiæ in retentione ipſa, ſeu tempore, quo liber retinetur. Non eſt autem dubium, quando retinetur,vt opportunitas expectetur tradendi librum

brum Inquisitoribus, in hoc enim conueniunt excusari à culpa Vgolinus, & Sayrus, quos affert, & sequitur Sanchez *n.*55. & Castro Palao *n.*10. Consentiunt etiam omnes dari paruitatem materiæ excusantem à mortali in tempore, quo retinetur. Quod tempus Suarez *num.*22. non determinat, sed dicit breuem moram non sufficere ad grauem culpam: Sanchez verò exemplum ponit in retinente per vnam, vel alteram diem, idemque docet Duardus, quem refert, & sequitur Diana prima parte tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 30. in fine, quod mihi etiam videtur satis probabile.

87 *An si habeas animum retinendi per longum tempus, & postea mutato animo ante biduum librum inquisitori tradas, euaseris hanc censuram.*

Difficultas est, an si habeas animum retinendi per longum tempus, & postea mutato animo ante biduum librum inquisitori tradas, euaseris hanc censuram. Quo etiam casu non est dubium, quòd peccaueris grauiter coram Deo, cùm voluntas illa prior habuerit obiectum graue, nempe retentionem longam; sed dubium solùm esse potest, an incurreris censuram. Prima sententia affirmat, quam tenet Hurtado *dicta disp.*76. §. 312. Affertur etiam Suarez *vbi suprà num.*22. Sed reuera ibi solùm dixit esse peccatum mortale, quamuis ex antecedentibus videatur etiam de censura loqui. Alij dicunt eo casu non incurri censuram, quia ad hoc non sufficit affectus, sed requiritur etiam effectus positus: tunc autem non sequitur retentio grauis, sed leuis: ita expressè Castro Palao vbi suprà, num.11. & Diana parte 5. dicto tract. 5. resol. 43. vbi alios affert, quorum tamen aliqui id non satis explicant, vt Sanchez *vbi suprà num.*55. qui non loquitur in casu, quo præcedit voluntas retinendi per longum tempus, imò vtitur exemplo eius, qui rem alienam non restituit, in quo breuis dilatio non imputatur ad culpam mortalem, ex quo exemplo, vt statim dicam, aliud dicendum videtur, si adsit animus differendi per longum tempus.

88 Insistendo ergo huic exemplo differentis restitutionem rei alienæ, quamuis sententia negans, eo casu censuram incurri, quando retentio libri est ad modicum tempus, licèt adsit animus diutiùs retinendi, probabilis sit; verius tamen videtur incurri, licèt postea animo mutato intra breue tempus restituatur. Pro quo recolenda sunt, quæ dixi *tomo* 1. *de Iustitia, disp.*8. *sect.*2. *num.*22. vbi notaui, si peccatum furti alicubi reseruetur, vel excommunicatione ipso facto puniatur, non excusari à reseruatione, vel excommunicatione eum, qui furatus est cum animo non restituendi, etiamsi post breuissimum tempus, v. g. intra horæ quadrantem animo mutato rem domino restituit. Quia nimirum illa ablatio rei alienæ cum animo retinendi graue nocumentum infert ex se Domino rei, qui priuatur tunc re sua, & facultate eam recuperandi, & magnum periculum subit ne vnquam ei restituatur. Quare peccatum illud externum graue est, & dignum ex se reseruatione, & censura independenter ab eo, quod postea nocumentum vlterius sequatur, vel non sequatur. Sicut qui proiicit hominem in flumen, cum animo non extrahendi, grauissimam ei infert iniuriam externam etiamsi postea mutato animo eum ex flumine extrahat. Rursus *ibid. disp.*16. *sect.*1. *n.*6. & 16. dixi, reseruato peccato furti grauis, intelligi reseruatam retentionem iniustam, quando bona fide, v.g. accepisti tibi rem alienam, & postea extante adhuc eadem re aliena apud te, superuenit mala fides, & adhuc eam retines, quia tunc res incipit esse furtiua.

Ex his itaque, quæ illis locis dixi, infero nunc retentionem libri, etiam per breue tempus, sed cum animo retinendi diutiùs, esse peccatum graue, non solùm internum, & in affectu, sed etiam externum, & in effectu; sicut furtum cum animo retinendi, est peccatum graue externum, etiamsi statim mutata voluntate res Domino restituatur: quare sicut furtum illud contrahet reseruationem, vel censuram furto impositam; ita de retentione dicendum videtur in casu nostro. Retentio enim externa cum animo retinendi diutiùs, graue periculum affert retinendi diutiùs, & ideo potest lege humana grauiter prohiberi, & puniri. Cùm ergo hac lege prohibeatur retentio grauiter peccaminosa, omnis talis retentio comprehensa videtur. Quamuis autem retentio videatur significare actum externum grauiter noxium, qualis non videtur esse retentio breuissima, adhuc comprehendit illam in casu nostro, quia grauitas retentionis, non pendet solùm ex effectu subsequuto, sed etiam ex periculo, quod secum affert in talibus circunstantiis, quod periculum graue est, quoties liber scienter retinetur, cum animo diutiùs retinendi. Sicut etiam *vsurpatio* grauis rei alienæ, comprehendi vsurpationem factam cum animo retinendi, licèt statim restitutio subsequatur; quia grauitas vsurpationis non desumitur solùm ex effectu possea subsequuto, sed etiam ex periculo, quod secum affert actio illa externa in talibus circunstantiis, quod periculum sufficit, vt actio illa sit grauiter noxia Domino; quod idem cum proportione dicendum est de retentione libri hæretici, cùm eadem sit ratio.

86 *Libri hæretici retētio etiam per breue tēpus, sed cum animo retinendi diutius est peccatum graue internum & externum.*

Excommunicantur etiam *imprimentes* prædictos libros: quo nomine intelliguntur omnes, qui vel typos ordinant, vel componunt, vel attramento tingunt, vel chartam madefaciunt, vel typis applicant, vel torcular premunt, vel aliter operam suam proximè ad impressionem adhibent: Dominus etiam typographiæ licèt manibus suis non laboret, quia hi omnes in communi loquendi modo, dicuntur imprimere. Videatur Sanchez *vbi suprà num.*57. & Suarez *num.*24. qui alios referunt. Qui idem dicunt de Auctore libri; quod ego intelligo, quando ipse curat, quod liber imprimatur, nam si eo inscio, vel etiam conscio, sed non curante, nec impediente, alius librum imprimi faceret, non diceretur in rigore Auctor libtum imprimere. Sicut neque ille qui characteres æneos, papyrum, & alia ad impressionem necessaria donat, quia hic non imprimit, vt fatentur communiter Doctores, & concursus ille videtur valdè remotus, & externus ad opus impressionis.

90 *Imprimentes libros prædictos excōmunicant. Imprimentiū nomine quinam intelligantur.*

Dubitatur tamen nonò de illo, qui expensas impressionis tribuit, de quo Sayrus apud Sanchez *dicto num.*57. dicit comprehendi nomine imprimentis; id tamen negant idem Sanchez *vbi*, Suarez *vbi supra*, Castro Palao *dicto §.*2. *num.*13. Ego distinguendum puto: si enim is auctor sit impressionis faciendæ, & ad hoc conducit typographi operas, ipse quidem dicitur communiter imprimere. Sic enim mortuo Auctore dicuntur hæredes eius librum imprimere, curando apud Typographum, vt imprimatur, & sumptus soluendo. Vnde idem Sanchez ibi cum Vgolino fatetur comprehendi eum, qui librum

91 *Imprimentis nomine an comprehēdatur qui expēsas impressionis tribuit.*

imprimendum typographo tradit, siue sit, siue non sit libri Auctor, quia is communiter dicitur librum imprimere. Si autem impressionem non procuret, sed Auctori non habenti, & petenti ab eo sumptus subministret, non dicetur librum imprimere. Sic enim Principes aliqui, quibus libri inscribuntur solent Auctori sumptus ministrare, qui tamen non ideo dicuntur libros illos imprimere, quamuis hi omnes possint ex alio capite excommunicationem incurrere latam in eadem Bulla, contra fauentes hæreticis.

92 *An impressionem corrigentes.*

Dubitatur decimò de iis, qui corrigunt impressionem vt errores emendentur: Quos Sayrus, & Graffius apud Sanchez vbi supra dicunt comprehendi nomine imprimentium, quibus accedit Hurtado *disp.* 76. §. *vltimo*, & Castro Palao vbi supra; quia licèt solùm videantur inspicere id, quod iam impressum est, quatenus tamen ea actio, & correctio ordinatur, & iuuat vt iterum liber correctus imprimatur, videntur & ipsi sub imprimentibus comprehendi. Contrariam sententiam docent Sanchez, & Suarez *locis citatis*, qui aduertit, hos incurrere saltem censuram latam contra legentes. Posset tamen contingere, quòd ij aliunde haberent licètiam legendi libros prohibitos, & hæreticos, quare vndique liberi essent. Magis tamen placet hæc secunda sententia: quia actio illa extrinseca est operi impressionis, nec ij dicuntur communiter impressores, vel imprimere, sed correctores, & monitores impressoris. Nec obstat argumentum in contrarium adductum, quia etiam scriptores, qui librum ab Auctore scriptum, correctis, & politioribus caracteribus transcribunt, vt typis mandentur, id faciunt vt liber correctus imprimatur, & tamen ij scriptores nullo modo dicuntur librum imprimere, sed præparare vt imprimatur.

93 *An transcribentes librum hæret. in hac Bulla censura comprehendantur.*

Hac occasione dubitari potest vndecimò, An transcribentes librum hæretici hac Bullæ censura comprehendantur. Affirmat Castro Palao *dicto* §. 2. *num.* 15. quia licèt ij non sint imprimentes sunt tamen legentes, & retinentes, cùm lectio & retentio ad transcribendum necessaria sit. Sed in primis ratio non videtur semper necessaria. Si v.g. famulus Domini habentis cum licentia illum librum, furtiuis temporibus eum in Domini cubiculo transcribat, quem librum famulus nullo modo retinet, sed dominus. Deinde finge, dominum dictare ex libro famulo transcribenti: tunc famulus nec retinet, nec legit librum, sed solùm transcribit. Hi tamen casus rari, vel metaphysici sunt magis, quàm morales, & adhuc famulus diceretur legens librum, non illum ex quo dominus dictat, sed quem ipse scribit; neque enim potest scribere, quin simul legat id, quod ipse scribit. Vnde idem dicendum videtur de illo, qui non transcribit sed excipit, & scribit tractatum, quem magister hæreticus de religione, vel hæresim continentem ex cathedra suis scholasticis, vel in cubiculo suo scriptori dictat.

94 *Excommunicantur defendentes eosdem libros. Defendentium nomine qui cõprehẽdantur.*

Vltimo loco, eadem Bullæ clausula excommunicantur *defendentes* eosdem libros, *quomodolibet, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore.* in quibus verbis comprehenduntur, qui librum occultat ne deferatur, vel comburatur, vel qui vi aut fraude id impedit: qui conatur suadere librum bonum esse, atque ideo non dignum prohibitione, qui doctrinam prauam in eo contentam tueri conatur, & ab omni labe defendere. Hi enim omnes re, aut verbis libros defendunt; & hoc licèt eo prætextu faciant, vt veritas eluceſcat, vel disputandi gratia: ideò enim additur, *quouis ingenio, vel colore.* Vnde neque excusaretur dicendo, se id facere, vt rationes inueniantur ad hæreticum conuincendum. Videantur Sanchez *vbi supra num.* 58. Suarez. *num.* 25. & Castro Palao *dicto* §. 2. *n.* 14. qui alios afferunt, & notant non comprehendi hac censura eum, qui doctrinam bonam, & veram in libro contentam approbat, & laudat, dum tamen librum ipsum absolutè non censeatur approbare: nec etiam, qui stylum, eloquentiam, phrasim, ingenium laudat, dum non arguat laudem, vel approbationem libri.

Castro Palao dubitat de eo, qui dicit, *hic liber optimus est secluſa hæresi.* & refert Suarium *dicto num.* 25. dicentem eam esse defensionem prohibitam, quod idem Castro Palao verum putat, si verba illa coram aliis proferantur. Sed nescio vbi id apud Suarium inuenerit, qui id nusquam dixit, nec dicere debuit. Nam si liber hæretici de religione non tractet, sed de medicina, v.g. & tamen quia aliquam contineat hæresim, sit eo ipso prohibitus, non est cur non possit quis dicere, *si hic liber non contineret hæresim, optimus esset*, nam reuera si hæresim non contineret, non reprobaretur, sed ab omnibus cum approbatione legeretur. Idem autem est dicere, *hic liber secluſa hæresi optimus est*, ac dicere; *si non contineret hæresim, optimus esset*: in neutro enim casu laudatur liber absolutè, sed sub conditione si hæresim non contineret. 95 *An opus quod continet hæresim, sit eo ipso prohibitum.*

Dubitari tamen potest duodecimò, an sufficiat ad hanc excommunicationem contrahendam dicere, vel scribere apud se solùm, *liber hic bonus est, & prohibitione indignus.* Non est autem dubium, si hæc verba dicantur, vel scribantur animo hæretico sufficere ad excommunicationem ob hæresim externam incurrendam. Sed quæstio est de excommunicatione præcisè contra defendentes hos hæreticorum libros. Et quidem si liber sit de religione nullam continens hæresim possunt ea verba dici sine hæresi interna; imò licet hæresim contineat, posset aliquis sine hæresis approbatione iudicare librum illum debere permitti, non obstante hæresi contenta, propter magnam vtilitatem, quam aliunde afferre potest ad alios fines. P. Sanchez *vbi supra* cum Vgolino, quem affert, videtur differentiam agnoscere inter eum, qui solus profert hæc verba nemine audiente, *hic liber optimus est*, & eum, qui solùm etiam scribit in libri defensionem: hunc enim dicit incurrere hanc censuram, etiamsi nulli scriptum communicet, illum verò alterum non incurrere, quia illa non est defensio. 96 *An ipse dicens, vel scribens se solum, hic liber bonus est, & prohibitione indignus, incurrat excommunicationem.*

P. Castro Palao *dicto num.* 14. dicit si argumenta dissoluas, quibus liber impugnatur, vel in eius fauorem rationes inuestiges, affici te hac censura, *etiamsi omnia hac occultè, & solus facias.* Pro quo affert Sancium, & Suarium, sed immeritò, cùm id nusquam dixerint, sed solùm quãdo publicè, vel occultè facit, ipse autem de suo addidit verba illa, *& solus*, quæ illi non posuerunt: nec idem est occultò facere ac apud se solum, cùm occulta sint quæ coram paucis fiunt, vt constat. Quod verò magis miror, paulò post idem Auctor agnoscit discrimen inter proferentem, vel scribentem apud se solum, verba illa, *hic liber non est prohibitione, aut combustione dignus*, ita vt scribens censuram incurrat, non verò ore 97

proferens

proferens, quia scriptura est quid permanens, & per illam continuò defendis, at verba statim transeunt. Quod non video quomodo cohæreat cum iis, quæ paulò ante dixerat, defendentem, & inuestigantem rationes contrahere censuram, licèt solus & sine auditoribus id faciat.

98 Ego puto, formaliter loquendo, nullam esse differentiam inter vocem, & scripturam, nec Suarez vllam agnouit, sed de vtraque dixit esse defensionem, siue publicè, siue occultè fiat: nihil tamen dixit de eo, qui solus apud se loquitur, vel scribit. Esse tamen potest differentia materialis ob quam communiter loquendo qui solus scribit, non verò qui solus loquitur, dicatur defendere. Nam defendere est armare librum, & munire illum, contra oppugnare, vel comburere volentes. Dux autem dicitur munire arcem, quando tormenta bellica in ea locat, quibus oppugnatores repelli possint, & licèt solus id faciat, verè arcem munit. Si tamen Dux tormenta ibi collocaret, quando hostes nnn possunt venire, eo animo ea statim auferendi, & solùm ad videndum, an locus capax sit, non diceretur adhuc arcem munisse, sed voluisse experiri, an muniri posset. Sic ergo loquens apud se solum non defendit, aut munit librum cùm voces illæ in iis circunstantiis neminem possint deterrere à libro impugnando. Quod idem propter eandem rationem dicendum esset, si aliquis apud se solum clauso cubiculo id scriberet, quando nemo ingredi, aut superuenire potest, qui scripturam legat, & cum animo firmo lacerandi, vel comburendi statim scripturam, ita vt nullum sit periculum, quod ad manus alicuius vnquam veniat. Quia tamen casus hic non est moralis, sed semper periculum esse potest, quod scriptura quantumliber in occulto facta, & clausa, ab aliquo superueniente videri possit, videtur iam esse defensio, & munimen libri, cum possit ea scripturta oppugnatores aliquo modo deterrere, atq; ideo liber iam sit magis munitus, & armatus contra oppugnare volentes: quare materialiter loquendo, & secundùm moralem, & communem rerum contingentiam, possumus differentiam illam inter scribentem & proferentem agnoscere.

99 *Is qui dicit, volo hùc librum defendere, nu si vlteriùs non progrediatur, censuram incurrat.*

Dubitatur decimotertiò de eo, qui dicit, *ego volo hunc librum defendere*: an si vlteriùs non progrediatur, censuram hanc incurrerit. Vgolinus, quem affert & sequitur Sanchez *dicto num.* 58. negant incurrere, quia id non est defendere, sed ostendere animum defendendi: secus verò si iam in procinctu esses, & prouocares ad certamen; quia ipsamet prouocatio, & ad certamen præparatio est defensio quædam. Sicut dux ille dicitur arcem defendere, qui contra hostem armatus stat, etsi actu non pugnet. Quibus consentit etiam Farinacius *de hæresi quæst.* 180. *num.* 12. Alij tamen, quibus magis assentior, dicunt, regulariter loquendo, hunc incurrere censuram; ita Castro Palao *dicto num.* 14. quia illa significatio voluntatis retrahit impugnare volentes, videntes librum esse patrono, & defensore munitum: quare hæc ipsa voluntatis significatio est defensio: liber enim non solùm rationibus, sed etiam auctoritate defendi potest; qua certè auctoritate munitur liber cùm aliquis se eius defensorem profitetur. Quod multò magis in casu nostro locum videtur habere, in quo verbis Bullæ designantur non solùm *defendentes*, sed etiam, *quomodolibet*, defendentes, quod verbum ampliat significationem ad eos etiam, qui non in omni rigore, sed in aliquo latiori etiam, & minùs proprio sensu defendere videntur.

100 *An incurrat hanc censuræ qui apud Sedem Apostolicam procurat ne liber hæretici nominetur in indice librorũ prohibitorum.*

Dubitari potest decimoquartò, An incurrat hanc censuram, qui apud Sedem Apostolicam consulit, vel procurat, ne liber aliquis hæretici nuper editus tractans de religione, vel hæresim continens nominetur in indice librorum prohibitorum: qui casus non semel mihi contigit. Et videtur ex supradictis id non posse sine censura fieri, quia nomine defendentium, doctores vt vidimus, intelligunt eos, qui impediunt, ne liber comburatur, vel deferatur, aut extirpetur, vel qui suadent, librum non esse prohibitione dignum. Aliunde verò videtur hoc officium non esse prohibitum: quia contingere potest, quòd summus Pontifex, & sacra Congregatio Cardinalium ab eo deputatorum, ob rationabiles causas iudicet, esse aliquãdo dissimulandum cum aliquo, cuius emendatio, & conuersio speratur, & qui euulgatione illa, & nominatione magis irritaretur, & rueret in peius: quo casu sicut ipse Pontifex potest id facere, ita potest petere consilium, vt videat, an id expediat: quare potest ei id consilium dari, quod in his circunstantiis vtilius ad fidei negotium existimatur. Et quidem aliquando interrogatus id ego consului, non quidem vt liber positiuè approbaretur, aut permitteretur, vel censeretur à prohibitione Bullæ cœnæ immunis, sed vt ad tempus differretur eius expressio in indice, cùm ea necessaria non esset, vt liber hæretici de religione tractans censeretur ipso facto prohibitus. Aliunde verò: in iis libris errores, & deliria ipsorum hæreticorum ex professo impugnabantur, quod testimonium efficacius videbatur pro Ecclesiæ auctoritate, salutem ex inimicis ipsis obtinentis paulatim ad veritatis viam accedentibus, & non longè iam à recta via sentientibus: in quibus circunstantiis absque vllo scrupulo credo posse id consuli, nec id esse libros hæreticorum defendere. Non enim laudatur, nec approbatur liber, nec asseritur non esse prohibitione dignum, imò nec procuratur, quòd non prohibeatur, cùm iam supponatur ex Bullæ ipsius verbis prohibitus, sed solùm consulitur dissimulatio, & dilatio expressionis, quę expressio non est necessaria ad prohibitionem, sed fit ad maiorem abundantiam, & cautelam. Atque id totum non fit in fauorem libri, vel Auctoris, sed in fauorem fidei & Ecclesiæ, cui noceret publicatio, & expressio in illis circunstantiis. Denique quia id totum fit apud Sedem Apostolicam, & Summum Pontificem, à quo sicut absque violatione Bullæ peti potest facultas legendi eiusmodi libros pro vna, & pluribus personis, sic posset peti facultas generalis pro integra prouincia, vel pro omnibus generaliter, ad tempus aliquod, concurrentibus rationabilibus causis, quæ id fore vtile suaderent. Minus autem est consulere, vt non vrgeatur nominatim pro legis obseruantia, quàm petere legis dispensationem, vel abrogationem. Non videtur itaque pœnam legis violatę incurrere, qui apud ipsum legis Auctorem agit, vt iustis de causis legis rigor in aliquo casu mitigetur, vel non vrgeatur eius executio: quia non potest lex violari, nisi legislatore inuito, qui non potest esse inuitus dum vel consilium petit, vel saltem audit, quæ debita reuerentia, & summissione eidem proponuntur.

§. IV.

De pœnis contra hæreticorum libros legentes, vel habentes.

101 *Præcipua pœna est excommunicatio maior Papæ reseruata.*

PRæcipua, & prima pœna est excommunicatio maior Papæ reseruata in Bulla cœnæ: quam tamen excommunicationem non incurrit nisi qui scienter legit, habet, vel defendit librum hæretici: nam in Bulla exprimuntur solùm *Scienter* hæc facientes. Vnde si sit ignorantia etiam culpabilis, & crassa, qua ignoratur Auctorem esse hæreticum, vel librum tractare de religione, aut hæresim continere, excusabit ab hac excommunicatione, vt cum aliis tradunt Suarez *dicta sect. 2. num. 17.* & Sanchez *dicto cap. 10. num. 38. & 39.* vbi aduertit non excusari, qui scit auctorem esse hæreticum, quamuis nesciat in particulari, quis sit Auctor: sicut sufficit scire, quòd continet hæresim, licèt ignoretur hæresis in particulari.

102 Addit tamen Sanchez *dicto num. 38.* non excusare ignorantiam ab hac censura, quando esset adeo crassa, vt esset ingens temeritas, quod rursus explicat reperiri, quando præcessit vehemens suspicio de malitia libri, quod idem in genere de omni lege pœnam imponente facienti scienter docuerat lib. 9. de matrimonio disp. 32. num. 39. vbi num. 40. idem extendit ad ignorantiam affectatam, qua quis eligit nescire, vt liberiùs delinquat, quam ignorantiam dicit scientiæ æquiparari. Quod idem de ignorantia affectata dixit Suarez *dicto num. 17.* Cæterùm idem Sanchez *de ignorantia affectata dicto c. 10. num. 38.* contrarium expressè docet, & dicit ignorantiam affectatam, qua quis affectat nescire, vt liberiùs legat, excusare à censura, quia reuera ille non legit scienter: vbi non tam miror eum sibi eisdem verbis contradicere: (sapientis enim est mutare sententiam,) quàm nullam facere mentionem sententiæ contrariæ, priùs à se traditæ, & ex professo probatæ, vt saltem eam retractaret, & rationem redderet mutationis illius.

103 Hanc eadem contradictionem, seu inconstantiam inuenies in Castro Palao, qui *in eodem 1. tomo* Sancij vestigiis inhærens, vtramque sententiam contrariam in diuersis locis amplexus est. Nam *tractat. 2. Disp. 1. puncto 18. num. 1.* dicit ignorantiam affectatam æquiparari scientiæ, & ideo non excusare à pœna imposita scienter facienti, iuxta primam Sancij sententiam ex libro 9. de matrimonio, quam affert. Postea verò *tract. 4. disp. 2. puncto 10. §. 2. num. 1.* secundam Sancij sententiam sequutus, quem ibi affert, dicit legentem libros hæreticorum cum ignorantia affectata non incurrere hanc censuram, quia lata est contra scienter legentes. In quo Auctore minùs excusabilis est contradictio in vno, & eodem tomo contenta, quàm apud Sanchez, qui in diuerso opere, & post longum tempus mutauit; quare ipsum retractasse postea priorem sententiam dixit Diana *3. part. tract. 6. miscellaneo resolut. 7.* Suarez autem *dicto num. 17.* priorem Sancij sententiam amplexus est, quia ipsa verba huius legis non restringi, sed ampliari debere putauit, vtpote quæ non sit odiosa, sed fidei fauorabilis, vt supra vidimus.

Ego tamen magis assentior secundæ Sancij sententiæ, & puto ignorantiam non temerariam, *Ego probabilius* sed tamen affectatam excusare ab hac censura, *sentio cum* quam tenent etiam Filliucius, Bonacina & Duar- *aliis* dus, quos refert, & sequitur Diana *loco proximè citato*, quibus adde Gasparem Hurtado, & Cælestinum, quos affert, & sequitur idem Diana part. 5. tract. 9. de excommunicatione resolut. 17. quia vndecunque ignorantia proueniat, tollit scientiam, quæ ad hanc censuram necessariò exigitur, cùm in solos *scienter* operantes lata sit: Notat tamen bene Suarez, non requiri scientiam euidentem: sufficit enim testimonium fide dignum, vel publica fama, vel quid simile.

Secunda pœna, vel quasi pœna violantium 105 hanc legem est, quòd fiunt de hæresi suspecti: *Secunda pœna* quod quidem ad forum conscientiæ parum refert, *violantium* quia in eo foro standum est confessioni pœni- *legem.* tentis. In foro autem externo, & quoad Iudices causarum fidei, quæstio esse solet an legentes, retinentes, &c. prodictos libros suspecti sint leuiter, vel etiam vehementer de hæresi, & qualiter torqueri, vel puniri possint. De quo videri possunt Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 4.* & Diana *parte 4. tract. 7. de pœnis delictorum, &c. resolutione 6.* qui alios plures referunt, & ferè id totum ad prudentiam, & arbitrium iudicum remittendum dicunt, qui ex variis personarum, librorum, materiarum, & aliis circunstantiis iudicare debent, an id ingerat veram hæresis suspicionem, an nullam, an leuem, an vehementem, vel etiam violentam, neque enim vna generalis regula tradi potest, cùm id totum ex innumeris circunstantiis dependeat.

Tertiò, & ferè eodem modo *solent* prædicti 106 aliquando haberi pro hæreticorum fautoribus, *Tertia pœna* præsertim imprimentes, scribentes, transportan- *habentes* tes hæreticorum libros. Id tamen totum pendet *retinentes* etiam ex circunstantiis iudicum arbitrio ponderandis, de quibus videri potest Castro Palao *vbi supra*, & alij quos affert, nam id etiam totum ad forum merè externum spectat.

Duo restant, quæ magis spectant ad forum 106 conscientiæ. Primum est, an excusentur à censu- *Ab excom-* ra, qui eos libros propria auctoritate comburunt. *municatione* Non desunt, qui eos à peccato excusent: quam *ex quibus* sententiam probabilem esse significat Diana 1. *libros propria* *part. tract. de Bulla Cruciata, resolut. 37.* & pro *auctoritate* ea affert Zanchinum *in tract. de hæreticis, cap. 7. num. 7.* & repertorium inquisitorum verb. *libri*, & Filliucium *tract. 16. cap. 3. num. 45. & tract. 22. cap. 7. num. 208.* & fauere videtur Bonacina *tom. 3. disput. 1. de excommunicationibus Bullæ Cœnæ, quæst. 2. punct. 4. num. 18.* Sed Auctor illius repertorij est multò antiquior Iulio III. qui in Bulla sua, quæ incipit, *cùm meditatio* præcepit, vt ij libri ad inquisitores deferantur; quam Bullam integram refert Penna in vltima parte directorij, & illius partem refert Castro Palao *dicto punctò 10. §. 2. numero 12.* Filliucius verò in primo loco suprà allegato, loquitur solùm de excommunicatione Bullæ Cœnæ, quam quidem fatemur non incurri à comburentibus libros, cùm non sint retinentes. In secundo autem loco licèt generaliter dicat non incurrere excommunicationem, non tamen dicat id licitè fieri, & videtur etiam intelligendus de excommunicatione Bullæ Cœnæ, non de illa alia Iulij III. qui non solùm id prohibuit, sed etiam excommunicatio-

nem

nem apposuit. Alios etiam plures auctores pro ea opinione affert Sanctarellus *tract. de hæresi, cap.* 13. *dub. vnico, n.* 16. Sed ij sunt antiquiores, & qui Bullam Iulij III. præcesserunt.

107 Omnes ergo communiter dicunt, hodie esse obligationem tradendi hos libros inquisitoribus propter speciale præceptum sub excommunicatione impositum, vt diximus: Ita Suarez *in præsenti dicta sect.* 2. *num.* 23. Sanchez *dicto c.* 10. *n.* 56. Hurtado *dicta disp.* 76. §. 312. Azor, Farinacius, & alij plurimi, quos congerunt, & sequuntur Castro Palao, & Diana locis citatis. Cùm autem hoc totum fundetur in iure humano, & voluntate Summi Pontificis id præcipientis, non oportet alias rationes superaddere. Aduertunt tamen benè prædicti Auctores, si quis propria auctoritate eos libros combureret, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, sed aliam, quia illa est contra retinentes, qui autem librum comburit, non retinet, nisi fortè iam antea culpabiliter, & scienter retinuisset: tunc enim iam Bullæ excommunicationem incurrisset, à qua per combustionem sequentem non liberatur; imò nec tradendo libros inquisitori, sed indiget absolutione, vt constat.

108 Secundum dubium esse potest, an legentes, vel retinentes libros alios prohibitos, qui non sunt hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, incurrant excommunicationem. De quo in vniuersum consulenda sunt edicta, & prohibitiones promulgatæ ab Inquisitoribus in suis prouinciis & territoriis. Et videri possunt Suarez *dicta sect.* 2. *numero* 29. Sanchez *num.* 26. & Castro Palao *dicto puncto* 10. *in principio*, & §. 1. *num.* 2. & 7. apud quos constat censuræ pœnam extensam esse, ad aliquos alios libros: & in vniuersum Pius IV. in sua Bulla relata ante indicem librorum prohibitorum expresse statuit, *vt qui hæreticorum libros, vel cuiusuis Auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat, eámque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat: præter alias pœnas super hoc ab Apostolica sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerítve, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.* Factæ sunt etiam aliæ extensiones excommunicationis, & aliquando reseruatæ ad libros Astrologiæ iudiciariæ, ad libros quoscunque hæresiarcharum, & ad aliquos libros Hebræorum, quæ videri possunt apud Suarez, & Castrum Palao locis citatis.

An legentes, vel retinentes libros alios prohibitos, qui non sunt hæreticorum, incurrant excommunicationē.

De denunciatione, & obligatione denuntiandi hæreticos remissiuè.

Agendum hîc esset de denunciatione, & obligatione denunciandi hæreticos, quod est aliud medium, quo Ecclesia vtitur ad hæreticos corrigendos, & coërcendos. De hoc tamen dixi quantum satis est *disp.* 38. *de Iustit. & Iure sect.* 2. quibus nihil nunc addendum videtur, & videri possunt, vltra Auctores ibi citatos, Suarez *in præsenti disputatione vigesima, sectione quarta*, & Castro Palao *primo tomo tractatu quarto, disputatione tertia, puncto quarto.*

DISPVTATIO XXII.

De Communicatione cum hæreticis prohibita, vbi de communicatione cum aliis infidelibus.

SECTIO I. *An ratione excommunicationis prohibita nobis sit communicatio cum hæreticis.*

II. *De communicatione prohibita cum hæreticis in matrimonio, vbi de separatione à coniuge in hæresim lapso.*

III. *Quando, & quomodo possit, vel debeat coniux à coniuge hæretico diuertere.*

IV. *De communicatione ciuili cum Paganis, & præsertim cum Iudæis prohibita.*

V. *Disputatio cum infidelibus, an, & quomodo licita sit.*

HOc est aliud medium vtile, & necessarium contra hæreticos, communicationem cum illis interdicere. Quia verò non solùm cum hæreticis, sed etiam cum aliis infidelibus, imò in pluribus aliquando casibus, & strictiùs, communicatio fidelibus prohibetur; comprehendemus hac disputatione, quæ ad communicationem etiam cum aliis infidelibus illicitam spectant, quam partem ad hunc locum remisimus, cùm debuisset superiùs examinari, quando de infidelibus non baptizatis sermo fuit. Agemus autem priùs de iis, quæ propria sunt hæreticorum, postea de iis, quæ pertinent ad alios infideles, postea denique de iis, quæ vtrisque communia sunt.

SECTIO I.

An ratione excommunicationis prohibita nobis sit communicatio cum hæreticis.

SVppono, hanc communicationem posse aliũde esse illicitam propter scandalum, vel propter periculum peruersionis, vel aliquid aliud: nunc verò solùm quærimus, an ex hoc præcisè capite, quod hæretici omnes excommunicati sunt, vt suppono ex disputatione sequenti, reddatur illicita communicatio cum illis. Est autem duplex excommunicatio, altera sacra, seu in rebus sacris, altera ciuilis, seu in rebus profanis, & ciuilibus, & de vtraque potest quæstio procedere. 1

Prima sententia docet, quoties constat aliquem esse hæreticum, eò ipso prohibitam esse

cum illo communicationem : Ita Sotus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. & 3. & *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *concluſ.* 2. Communis tamen ſententia id negat, quandiu hæreticus non eſt iuridicè declaratus, & denunciatus; quia Concilium Conſtantienſe indulſit generaliter omnibus fidelibus, vt poſſent licitè communicare cum omnibus excommunicatis, exceptis nominatim denunciatis, & notoriis Clericorum percuſſoribus : vbi nulla prorſus fit exceptio de hæreticis : non eſt ergo cur indultum illud ad communicationem etiam cum illis non extendatur. Ita Toletus, Vgolinus, Suarez, Azor, & alij, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 9. *num.* 3. Hurtado *in præſenti diſp.* 76. §. 4. & alij communiter, quod ego etiam in aliis locis ſemper amplexus ſum.

Sententia cõmunis.

2 Pro contraria tamen ſententia obiicitur primò ex cap. *Sicut ait*, de hæreticis, vbi anathemate puniuntur, qui cum hæreticis negotiationem exercere præſumunt. Reſpondet Hurtado §. 8. ante Concilium Conſtantienſe cum omni excommunicato notorio fuiſſe interdictam communicationem, quare interdicta etiam erat cum omni hæretico, quod tamen in Concilio illo prædictam moderationem accepit. Hoc tamen non ſatisfacit, quia communicatio ciuilis in negotiatione humana cum excommunicato etiam ante Concilium Conſtantienſe non puniebatur excommunicatione maiori, ſed minori, ſicut nunc de facto communicantes ciuiliter cum denuntiato non incurrunt, niſi minorem excommunicationem. In illo autem textu exercentes negotiationem cum hæreticis *anathemate* puniuntur, quod certè plus eſt, quàm excommunicatio minor : ergo prohibitio illa non erat communis omnibus communicantibus cum excommunicatis notoriis, ſed peculiaris in ordine ad hæreticos. Faciliùs ergo reſpondetur, etiamſi prohibitio illius capitis diuerſa ſit à prohibitione generali communicandi cum excommunicatis, eam tamen comprehendi ſub generali indulto Concilij Conſtantienſis, in quo omnis communicatio prohibita, ſiue ob cenſuram, ſiue ob quodlibet aliud Eccleſiaſticum præceptum aufertur, exceptis illis duobus excommunicatorum generibus: verba enim Concilij in extrauaganti illa, *Ad euitandam* : ſunt hæc : *Nemo poſt hac teneatur abſtinere, & ſeparare ſe, nec euitare communicationem alicuius ratione alicuius ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgatæ, &c.* Quæ verba generalia habentur in Concil. Baſilienſi ſeſſion. 20. ad finem, & decreto Concil. Conſtantienſis relato ab Antonino *part.* 3. *tit.* 25. *c.* 3. ſiue ergo prohibitio communicationis cum hæreticis procedat ex lege generali, ratione excommunicationis in genere, ſiue ex lege particulari ſtrictiùs, & grauiùs prohibente communicationem cum hæreticis, id totum ſublatum videtur illis generalibus verbis Concilij Conſtantienſis, quandiu hæreticus non eſt denuntiatus.

Obiectio 1.

3 Secundò obiicitur ex *c. ſi quem fortè* 24. *q.* 1. vbi puniuntur, qui ab hæreticis, & Schiſmaticis ſacramenta accipiunt, ſecluſa extrema neceſſitate. Reſponderur eodem modo prohibitionem illam, quatenus eſt ex iure humano, moderationem habere ex dicto decreto Concilij Conſtantienſis : manere tamen quatenus eſt ex iure diuino, vel naturali in multis caſibus: v. g. ſi timeatur periculum peruerſionis, ſi ſit implicita communicatio in falſa doctrina, aut ritibus falſis, ſi ſequatur ſcandalum, ſi detur ſine neceſſitate occaſio hæretico miniſtrandi indignè ſacramentum, & in aliis caſibus ſimilibus.

Obiectio 2.

Tertiò obiici poteſt, quòd excommunicatio hæreticorum videatur eſſe de iure diuino, atque adeo non potuerit ſubiacere moderationi Concilij Conſtantienſis. Reſpondet Hurtado *vbi ſuprà* §. 9. dato antecedenti, negando illationem: nam licèt hæretici de iure diuino eſſent excommunicati, atque adeo non poſſent licitè recipere, nec conferre ſacramenta; non eſt tamen de eſſentia excommunicationis, quòd alij fideles non poſſint cum excommunicato communicare, ſed id additum eſt ab Eccleſia, quæ poteſt hunc effectum aliquando tollere. Hæc tamen reſponſio non poteſt ſatisfacere: quia argumenta, quæ probant hæreticos eſſe de iure diuino excommunicatos, ſi quæ ſunt, probant potiſſimùm de communicatione aliorum cum illis prohibita. Ad hoc enim afferuntur verba Ioannis epiſt. 2. *ne aue illis dixeritis*, & Pauli 1. ad Corinth. 5. *cum eiuſmodi nec cibum ſumere*, & alia huiuſmodi, quæ immediatè de ſecunda communicatione agunt: & ex hac communicatione cum illis prohibita arguunt aliqui eos eſſe de iure diuino excommunicatos : non potuit ergo permitti ab Eccleſia communicatio cum illis, ſi non potuit eos non habere excommunicatos. Negandum ergo eſt antecedens, de quo ex profeſſo dicendum eſt diſp. ſequenti, agendo de excommunicatione hæreticorum.

Hoc ergo ſuppoſito, in quo omnes iam ferè conueniunt, reſtant dubia aliqua circa applicationem huius doctrinæ, ad caſus particulares. Dubitatur ergo primò an licèt communicare etiam cum hæretico, qui nominatim per ſententiam condemnatus eſt, & declaratus hæreticus. Prima ſententia ſatis communis id negat, quia cùm excommunicatio ſit indubitanter, & ſemper affixa hæreſi, idem eſt iudicialiter declarare aliquem nominatim hæreticum, ac declarare illum excommunicatum. Ita vterque Sotus Metina, Henriquez, Gutierez, & alij, quos affert Sanchez *dicto c.* 9. *num.* 4. dicens eam ſententiam probabiliſſimam eſſe, quam ex profeſſo probat Suarez *de Cenſuris diſp.* 9. *ſect.* 2. *nu.* 10. & *in præſenti diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 8. Alij tamen dicunt, id non ſufficere, vt ſit excommunicatus vitandus, niſi iudex declaret eum cenſuram incurriſſe. Ita Nauarrus, & Graffius, quos affert, & ſequitur Sanchez *dicto num.* 4. qui addit, non ſufficere, quòd declaretur incurriſſe pœnas, vel etiam cenſuras hæreticis impoſitas, niſi declaretur excommunicationem incurriſſe, quia aliqui adhuc ignorabunt, an hæreticis impoſita ſit excommunicationis pœna. Quam ſententiam Suarez *in præſenti dicta ſect.* 3. *num.* 8. probabilem putat, quando Iudex ſolùm declarauit crimen hæreſis, non verò ſi declarauerit incurriſſe cenſuras. Quando tamen declarauit incurriſſe pœnas hæreticorum, non nominando cenſuras, ipſe Suarez non explicuit, an exiſtimaret probabilem hanc Sancij odinionem.

Vnde obiter aduerte, ſtatum huius controuerſiæ non benè explicatum ab Hurtado *dicta diſp.* 76. §. 10. ſed præter vtriuſque partis mentem: ſiple enim

enim dicit, quæstionem esse an si Iudex dicat, *damno Henricum hæreticum, & illum dico incurrisse excommunicationem:* id sufficiat, vt sit vitandus. In qua quæstione affirmat P.Suarez: Sanchez verò negat, nisi Iudex addat, *illum nunc excommunico, aut iubeo vitari.* Quod quidem longè abest à mente horum Auctorum: nam Sanchez expresè asserit esse vitandum si Iudex declarat eum incurrisse excommunicationem, negat tamen, quando id solùm tacitè declarat, & per consequentias, nimirum declarando solum crimen, vel incurrisse pœnas, aut censuras, non exprimendo excommunicationem: Suarez verò dicit sufficere, quòd declaretur crimen, quæ est quæstio valdè diuersa. Vnde non meliùs idem Hurtado intulit hoc corollarium: *Ex opinione,* inquit, *Patris Suarez sequitur, nos non posse communicare cum hæretico damnato à Quæsitoribus ex opinione Patris Thomæ sequitur oppositum.* Quod approbauit etiam Diana *parte 5. tract. 14. Miscellan. resolut. 97.* Quæ certè illatio est contra mentem vtriusque. Nam Suarez *num. 8.* notat expresè, hanc quæstionem in praxi vix vnquam posse habere locum: quia vt fatetur Simancas *in instit. tit. 9. num. 164.* iudices non solent declarare aliquem hæreticum, quin simul declarent pœnas ab eo incursas, & incurrendas: quare de facto in vtraque sententia hæretici condemnati vitandi sunt, quia semper declarantur excommunicati: quod ego intelligo quandiu non absoluuntur. Communiter enim Inquisitores statim post prolatam sententiam faciunt reos abiurare, & eos absoluunt. Nec Sanchez dixit de facto posse nos communicare cum hæretico condemnato ab Inquisitoribus, sed solùm sub conditione si non declaretur incurrisse excommunicationem. Quæ quidem conditionalis de facto parum deseruit, quia vt constat ex formulis processuum & sententiarum sancti Officij, quæ circunferuntur in libris agentibus de praxi illius tribunalis, in sententia reus declaratur hæreticus, & incurrisse in omnes pœnas, & censuras hæreticis statutas: & postea expresè explicatur, quia reus pœnitentiæ signa ostendit, dari ei præmissa abiuratione absolutionem ab excommunicatione, quam ob hæresim prædictam incurrit. Falsum ergo est, quod iuxta Sancij sententiam possumus de facto communicare cum hæretico ab Inquisitoribus condemnato.

7 *Sufficienter declaratur hæreticus vitandus, quando publicatur sententia iudicis declarantis illum esse hæreticum & incurrisse censuras.*

Vt tamen de vtraque illa sententia iudicium aliquod feramus; ego in primis cum P. Suarez existimo, sufficienter declarari hæreticum vitandum, quando publicatur sententia iudicis declarantis illum esse hæreticum, & incurrisse censuras contra hæreticos statutas, etiamsi sub nomine *excommunicationis* non exprimatur, quia sufficienter per voces æquipollentes exprimitur. Sicut licèt in testamento nuncupatiuo testator debeat voce articulata coram testibus exprimere hæredem, vel scribere; sufficit tamen si dicat instituo hæredem fratrem meum, quando vnicum frattem habet, quia id æquiualenter est illum nominare, vt cum communi dixi *disp. 24. de Inst. sect. 1. num. 4.* Similiter ergo sufficiet dicere Petrum incurrisse censuras contra hæreticos latas, cùm constet hæreticos esse in iure excommunicatos: quis enim neget sufficienter exprimi esse excommunicatum eum, qui publicatur incurrisse censuram Canonis contra Clericorum percussores, cùm constet, hoc nomine, excommunicationem Canonis *si quis suadente*, significari, & intelligi? Imò in eodem decreto Concilij Constantiensis, hæc non exprimitur sub nomine, *excommunicationis*, sed sub nomine, *sententiæ Canonis* his verbis: *salvo si quem, pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, sententiam latam à canone adeo notoriè constiterit incidisse.* Ratio autem est, quia definitio, & definitum idem sunt: cùm ergo excommunicatio hæretici sit censura peculiaris contra hæreticos statuta, qui hanc iuridicè promulgat, eo ipso promulgat excommunicationem. Nec obstat, quod aliquis ignorare posset, censuram illam esse excommunicationem: nam posset etiam alius ignorare, illam esse excommunicationem maiorem, atque adeo non sufficeret declarare, quòd incurrerit excommunicationem, sed deberet exprimi, quòd incurrerit excommunicationem, maiorem, quod tamen Sanchez non concedet. Atque in exemplo etiam supra adducto posset aliquis testis ignorare Petrum esse fratrem testatoris: sufficit tamen, quòd sciat fratrem esse hæredem, ex qua notitia statim veniet facilè in notitiam personæ determinatæ.

8 *Non sufficit quod in sententia declaretur hæreticus, sed requiritur quòd censura fuerit à iudice promulgata.*

Existimo tamen secundò cum P.Sanchez ad obligationem vitandi hæretricum ob excommunicationem non sufficere, quòd in sententia declaretur hæreticus. Ratio autem est, quia in illa extrauaganti, *ad euitanda*, ad obligationem vitandi excommunicatum, requiri videtur, quòd non solùm crimen, sed censura ipsa fuerit à iudice promulgata, & non aliter, *nisi censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam certam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresè, &c.* vt videri potest apud Suarez *dicta disput. 9. de Censuris sect. 2. num. 2. vbi* extrauagantem integram refert. Iudex ergo debet non solùm crimen, sed censuram promulgare, vt obligatio vitandi oriatur, quod non fit, si Iudex solùm declaret hæresis crimen: tunc enim censura non publicatur à Iudice, sed à sola lege imponente excommunicationem hæreticis: non ergo concurrunt requisita à Concilio ad excommunicatum vitandum.

9 *Quandonam à Iudice aliquis publicetur hæreticus, & incurrisse pœnas hæreticis statutas, nō exprimendo cēsuras?*

Difficultas esse posset, quando à Iudice aliquis declaratur, & publicatur hæreticus, & contraxisse omnes pœnas hæreticis statutas, non exprimendo *censuras.* In quo casu Sanchez negat esse vitandum, Suarez verò affirmat, non tamen explicuit, vt dixi, an contrarium esset, vel non esset probabile, vt explicuerat in casu præcedenti esse probabile non debere vitari, quando solùm declaratur crimen: in hoc ergo casu, qui tamen rarò, aut nunquam contingere potest, vtrumque posset probabiliter dici. Qui enim cum Sancio negaret, posset id fundare in verbis dictæ extrauagantis, in quibus exigitur, quòd sit à iudice *censura* ipsa promulgata: quare ad minùs videtur exigi, quod sub nomine *censuræ* exprimatur: nam nomen illud genericum *pœnarum*, videtur nimis latum, & minùs sufficiens, vt censura ipsa dicatur à Iudice denuntiata, & publicata *specialiter, & expresè.* Aliunde verò qui id affirmet cum Suario, probare id potest, quia sicut excommunicatio, sufficienter exprimitur, vt dicebamus, quando exprimitur incurrisse censuram contra hæreticos latam, sic videtur sufficienter exprimi, quando exprimitur incurrisse pœnas hæreticorum, cùm constet hanc esse vnam ex iis pœnis. Verba autem illa *specialiter, & expresè*, referri

possunt non ad censuram, sed ad personam, vt necesse sit sententiam ferri ad personam specialem, & expressam, non in confuso, vt fit quando declarantur excommunicati omnes, qui tale crimen commiserunt. Hoc tamen, vt dixi, ad praxim parum refert, quia communiter Iudex in sententia declarat hæreticum incurrisse pœnas, & censuras, & excommunicationem, à qua si pœnitentiam ostendit, iubet, abiuratione præmissa, quòd statim absoluatur.

10 *An non solùm in ciuilibus, & humanis possimus cum hæretico non denuntiato communicare, sed etiam in sacris, & spiritualibus.*

Secundò principaliter dubitatur, an non solùm in ciuilibus, & humanis possimus cum hæretico non denunciato communicare, sed etiam in sacris, & spiritualibus. Certum autem est non posse nos cum hæreticis communicare in ritibus propriis sectæ hæreticæ; quia hoc esset contra præceptum confessionis fidei, & contineret, implicitam professionem erroris: sed quæstio est de rebus sacris nullum errorem continentibus, v.g. an liceat cum hæretico missam audire, vel eo præsente celebrare, vel ipsi ritu Catholico celebranti adesse, &c. Negat Basilius Pontius in tomo de matrimonio in fine in Appendice de matrimonio Catholici cum hæretico cap.9.§.1. num.8. dicens, *coram hæretico ex nulla causa celebrari posse, nec ex grauissimo metu*: idque pro comperto supponit, nec vlla ratione probat. Miror, virum doctum, non aduertisse in contrarium esse auctoritatem omnium Doctorum, quos sequuntur Sanchez *dicto cap.9. numer.7.* Suarez *dicta sect.3.num.5.* Azor, & alij, quos sequitur Hurtado *dicta disp.76.§.12.* & constat ex dictis, quia excommunicatus non denuntiatus, nec notorius Clerici percussor non est vitandus etiam in sacris, vt constat ex dicta extrauaganti, ex eo autem quòd hæreticus sit, non est specialis ratio, cur id non liceat, nisi aliunde sit scandalum, vel irreuerentia contra fidem, aut aliquid aliud, quæ omnia sunt extrinseca, & non semper inueniuntur. Vsus etiam est in contrarium, nam Principes aliqui hæretici, qui quandoque Romam, vel ad alia Catholicorum loca, permittentibus superioribus, veniunt, eunt ad Ecclesias, & sacris intersunt, sacerdotibus id scientibus, & absque scrupulo celebrantibus. Imò vidi ego aliquando eos coram sacro Cardinalium Collegio Missæ solemni interesse, scientibus bene omnibus eos esse hæreticos, & simulantibus, & meritò propter fructum experientia probatum concipiunt enim meliora de ritibus Catholicis, & fraudes suorum magistrorum aduertunt. Fateor, eos secluſa ignorantia non posse missæ interesse, cùm excommunicati sint, & Concilium Constantiense illis non faueat: qui tamen coram illis celebrant, non peccant, cùm ab eodem Concilio licentiam habeant cum illis communicandi in profanis, atque etiam in sacris.

11 *An possint Catholici ab hæreticis non denuntiatis sacramenta suscipere.*

Tertiò tamen dubitari magis potest, an possint Catholici ab hæreticis non denunciatis sacramenta suscipere. Negat Azor *1.tom.lib.8.c.11. q.7.& c.13.q.7.* licèt parum constans in fundamento: nam primo loco dicit, id prouenire non solùm ob excommunicationem, sed etiam ob hæresim: in 2. autem loco dicit, non esse ob hæresim, sed ob excommunicationem, quatenus omnis excommunicatus etiam occultus caret iurisdictione, cui fauet Sotus *in 4.dist.20.q.1. art.5. conclus.2.* ex alio fundamento, quia putat omnes hæreticos, & schismaticos censeri nominatim excommunicatos, & vitandos.

Contraria sententia communis, & vera est, nisi aliunde ratione scandali, vel ob negationem fidei implicitam illicitum sit, vel quia charitas obligat ad impediendum peccatum ministri hæretici indignè ministrantis, si necessitas non vrgeat: ita cum Nauarro Sanchez *vbi suprà num.10.* Suarez *num.5.* Hurtado *vbi suprà.§.13.* & loquens de sacramento pœnitentiæ idem dixi *disp.18. de Pœnitentia sect.2.num.18.& 19.* & loquens de matrimonio ac aliis sacramentis, idem dixi *disp.8. de sacramentis in genere, sect.14.* & constat ex dicta extrauaganti, in qua conceditur fidelibus communicatio cum excommunicatis toleratis in susceptione, & administratione sacramentorum: cùm ergo ij hæretici non sint excommunicati denunciati, nec notorij Clerici percussores, non est cur ratione excommunicationis prohibeamur ab iis sacramenta suscipere: quamuis id aliunde possit sæpè illicitum esse, nisi necessitas excuset, vt explicui in prædictis locis. An verò possit etiam Catholicus iis aliquando sacramenta ministrare, dixi *prædicta disp.8. de sacramentis in genere.*

Agit rursus Hurtado in hoc loco *dicta disp.76.§.15. & sequentibus* de aliis communicationum generibus in rebus sacris nempe de Catholico suspiciente ex sacro fonte filium hæretici: de comitante funus hæretici; de sepelienre hæreticum in templo: de quibus tamen, & aliis ad hanc materiam spectantibus nos diximus ex professo *supra disp.14. sect.5.§.5.* & ibi videri possunt. Restabat dicere de communicatione cum iis hæreticis in matrimonio cum illis contrahendo; de hoc tamen dicemus sectione sequenti.

SECTIO II.

De communicatione prohibita cum hæreticis in matrimonio, vbi de separatione à coniuge in hæresim lapso.

NOn agimus hîc de impedimento disparis cultus, seu de prohibitione contrahendi matrimonium cum infideli non baptizato: de hoc enim ferè nulla est difficultas, & de eo agitur ex professo *in tract.de matrimonio*, vbi de impedimento dirimenti disparis cultus. Nunc ergo solùm loquimur de matrimonio cum hæretico baptizato: de quo argumento agit post alios Thomas Sanchez *lib.7. de matrimonio disp.72.* & latiùs P. Serarius in opusculo de matrimonio Catholici cum hæretico, & postea Basilius Pontius in alio opusculo, quod ponitur post librum 12. de matrimonio, & inscribitur Appendix de matrimonio Catholici cum hæretico, vbi eruditè & copiosè hæc materia tractatur: quare nos breuiter & in compendio dicemus, quæ necessaria sunt, reliqua ad eos Auctores remittendo qui alios plures afferunt. 12

In primis ergo statuendum est, ea matrimonia valida esse; cuius contrarium docuerunt Hostiensis, Ancharanus, Simancas Carrerius, & Roias, quos affert Sanchez *ibi num.1.* quibus fauet glossa in cap. fin. verbo *contra substantiam*, de conditionibus oppositis. Nostram tamen sententiam tenent inhubitanter cæteri Iuris doctores, & Theologi omnes cum S. Thoma, quos affert, & sequitur Sanchez *ibi num.2.* & Recentio- 13

res,

res, quos refert, & sequitur Pontius *in dicta appendice cap. 1. n.1.* & colligitur ex *cap. decreuit* de hæreticis in sexto vbi catholica nubens hæretico punitur solùm priuatione dotis, non verò iubetur separari; item ex aliis decretis prohibentis quidem eas nuptias, nunquam irritantibus, quæ postea afferentur: Denique ex consuetudine, & vsu communi, nunquam enim ij coniuges separari coguntur, nec permittuntur aliud matrimonium contrahere viuente coniuge hæretico.

14 *Obiectio.* Obiicitur communiter ex can. 72. Synodi 6. in Trullo, vbi nuptiæ Catholici cum hæretico dicuntur irritæ, & nefarium illud coniugium dissoluendum. Respondetur primò Canones illos Trullanos auctoritatem sufficientem non habere, quod cum aliis probat Sanchez *dicto lib. 7. disp. 28. num. 7.* Respondet secundò Pontius *vbi supra num. 7.* primis illis sæculis matrimonia hæc fuisse fortasse irrita in aliquibus Ecclesiæ orientalis prouinciis, nunquam tamen in Ecclesia Latina in qua canon ille nec cognitus fuit, nec receptus. Respondet tertiò idem Auctor *num. 8.* nomine *hæretici*, in eo canone intelligi infidelem non baptizatum, quod quia aliis videtur gratis dictum, ipse probat ex ipso contextu, & ex Balsamone, & aliis coniecturis. Hæ omnes solutiones probabiles sunt; nobis sufficit consuetudo antiquissima contraria, qua potuit canon ille, etiamsi auctoritatem habuerit, & fuerit receptus aliquando, reuocari.

15 Secundò opponit idem Pontius lib. 7. de matrimonio cap. 47. num. 9. & 12. ex cap. *videtur nobis*, 35. quæst. 6. vbi Pontifex dicit *matrimonium, quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi.* Ad quod Auctor ille respondet, in eo textu sermonem esse de eo, qui viuente prima vxore secundam duxit, & quidem consanguineam; quare non mirum, quòd secundum matrimonium irritum declaretur, vtpote factum contra prohibitionem, & stante impedimento irritanti. Hæc tamen responsio licèt quoad partem vera sit, non est tamen vera, quatenus supponit secundum matrimonium factum fuisse viuente prima vxore: nam eo casu non præcesserat matrimonium, sed promissio matrimonij cum iuramento, seu sponsalia: quare secundum matrimonium non fuit ex eo capite inualidum, sed solùm propter impedimentum consanguinitatis cum secunda vxore. Quod ex ipso contextu constat primò, quia si præcessisset aliud matrimonium, & vxor esset superstes, secundum non solum esset contra legem Ecclesiæ, sed etiam contra diuinam; ibi autem solùm dicitur esse contra legem Ecclesiæ, & ideo non est ratum, quia *quod contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, tanquam inordinatum, ratum non habetur.* Secundò quia ibidem relicta secunda iubetur vir primam recipere, non quia eius vxor iam esset, sed quia ei fidem cum iuramento dederat, prole ex ea suscepta. *Cogendus est*, inquit, *eam recipere*, (non dixit ad eam *redire*, sed recipere in coniugem) *quam iurauit, & desponsauit, & ab ea prolem genuit, iuramenti religio non vilipendatur, & fides ad inuicem promissa seruetur, & proles in cultu Dei nutriatur, & educetur, & alij exinde occasionem peierandi, & alias decipiendi assumere non valeant.* Tertiò denique id constat, quia si superstes esset prima vxor, non opus fuisset deuenire ad probandam consanguinitatem cum secunda vxore, ad declarandum irritum secundum matrimonium. Constat autem intentum illius Decretalis fuisse declarare modum, quo probanda erat ad eum finem consanguinitas, & an parentes, & cognati admittendi essent vt testes ad eam probationem: & ad hunc finem inseritur illa epistola in libro Decretalium, sub titulo, *qui matrimonium accusare possunt.* Statuit ergo Pontifex eo casu secundum matrimonium non valere, quia contractum fuit contra legem Ecclesiæ de impedimento irritanti consanguinitatis, ad quam consanguinitatem probandam admittendi sunt parentes, & cognati, atque ideo cogendum esse virum ad ducendam primam, cui sub iuramento fidem matrimonij dederat, & ex qua prolem habuerat, vt fides, & iuramenti religio seruetur, & auferatur occasio peierandi, & decipiendi.

16 *Matrimonium Catholici, cùm hæretico lege saltem Ecclesiæ prohibitum est.* Hoc supposito, statuendum est secundò lege saltem Ecclesiæ prohibitum esse matrimonium Catholici cum hæretico, ita vt licitè contrahi non possit; Ita omnes, quos affert, & sequitur Sanchez *dicta disp. 72. num. 4.* & Pontius *in dicta Appendice c. 2. & lib. 7. de matrim. cap. 46.* & colligitur ex Concil. Chalcedonensi can. 14. Illiberitano can. 16. Laodiceno sub Syluestro 1. *can. 10. & 31.* Carthaginensi 3. *can. 12.* & alios, quos Auctores citati afferunt.

An nō solùm iure Ecclesiastico, sed etiā iure naturali seu diuino hoc matrimonium sit illicitum. His positis dubium primum est, an non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali, seu diuino hoc matrimonium sit illicitum. Affirmat Pontius, idque latè probat *dicto cap. 2.* sed in re non dissentit ab aliis: nam postea cap. sequenti fatetur, non esse semper illicitum de iure naturæ sed posse in aliquibus circunstantiis esse licitum. Est ergo frequenter illicitum, aliquando verò variatis circunstantiis potest esse iure naturæ licitum. Oritur autem eius turpitudo potissimùm ex periculo peruersionis à consortio intimo coniugis hæretici; ex periculo malè educandæ prolis, ex periculo dissensionum contra animorum coniunctionem in matrimonio intentam: vbi enim non est eadem fides, non potest esse stabilis, & firmus amor, & aliis eiusmodi, quæ ponderat, & probat latè Pontius *dicto cap. 2.* Quia tamen in aliquo casu particulari possunt omnino, vel maiori ex parte hæc pericula cessare, vel certè tot alia sperari bona, aut tot mala impediri ex matrimonio, vt compensentur pericula illa, hinc est, vt possit aliquando iure naturæ non esse illicitum: in quo etiam Scriptores omnes conueniunt, quos referunt, & sequuntur prædicti Auctores. Dissentiunt tamen materialiter, quoad casus particulares, in quibus magis pertinet ad prudentiam, quàm ad doctrinam iudicare, an cessent, vel non cessent pericula, & rationes ob, quas matrimonium iure naturæ censeretur illicitum. Certum est in iis casibus sufficere dispensationem summi Pontificis, quæ auferat obligationem legis Ecclesiasticæ, quæ sola tunc posset obstare, imò nec dispensatio hæc requiritur in iis locis, in quibus consuetudine legitima derogatum est legi Ecclesiasticæ: quod tamen Hurtado *dicta disp. 76. §. 233.* limitat, vt non procedat in Regibus, ij enim etiam in iis Prouinciis debent petere dispensationem, quia eorum matrimonia maioris sunt momenti, & ita eam petiuit Rex Galliæ, vt suam sororem daret Carolo nunc Angliæ Regi, cui addere possumus exemplum Sereniſſimi Regis Poloniæ, pro quo dispen

An in iis casibus sufficiat dispensatio summi Pontificis.

dispensationem aliqui petierunt, vt posset ducere filiam Comitis Palatini, hæreticam, à SS.D.N. Vrbano VIII. quam tamen dispensationem, vt puto, iustas ob causas non obtinet, & fœliciori, ac meliori consilio Cæsaris sororem duxit. Non tamen video, sufficiens fundamentum huius exceptionis nisi fortè consuetudo sit dispensationem petendi: tunc enim sicut consuetudo abrogauit prohibitionem quoad alios, sic contraria consuetudo exciperet Reges, ne à lege per vulgi consuetudinem eximerentur. Certè nostro tempore Princeps aliquis Serenissimus Germanus, qui Rex non erat, dispensationem petiit à Pontificè, non tam quia fœmina erat hæretica, quàm quia erat eius consanguinea. Sicut etiam Henricus IV. Rex Galliæ, petiit dispensationem à Clemente VIII. vt eius soror Catharina hæretica nuberet Duci Barensi Catholico suo consanguineo, quæ dispensatio mortua interim Catherina non fuit exequutioni mandata, vt notaui *disp.* 8. *de Sacramentis in genere n.* 227.

17 *An hæretico promittente conuersionem possit sine dispensatione matrimonium fieri.*

Dubitatur secundò, vtrùm hæretico promittente conuersionem possit sine dispensatione matrimonium fieri. Negat Sanchez *dicta disp.* 72. *num.* 4. *in fine*, & Pontius *in dicta Appendice cap.* 8. *numero* 6. Affirmat tamen Hurtado *dicta disp.* 76. §. 229. quando est certa spes de conuersione, quod antea significauerat Emanuel Sa, verbo *matrimonium, num.* 8. agens de impedimentibus dirimentibus: quod probat Hurtado, quia exceptio illa inuenitur in ipsis decretis prohibentibus hoc matrimonium. Sic enim habetur in Concil. Chalcedonensi can. 14. his verbis: *nisi fortè sponderit se venire ad orthodoxam fidem, & non coniungitur personæ orthodoxæ*: & ex capit. *non oportet* 28. *quæst.* 1. vbi dicitur, filias hæreticorum posse accipi, si spondeant se professuras orthodoxam fidem. Cùm ergo eadem lex, quæ hæc matrimonia prohibuit, hunc casum excepit, probabile mihi est stando in iure, non esse tunc necessariam dispensationem. Dixi, *stando in iure*, quia si consuetudo sit petendi etiam tunc dispensationem, ex consuetudine censebitur ampliata prohibitio ad hunc etiam casum. Non tamen probo quòd idem Hurtado ibidem hoc intelligit, quoties est spes certa de conuersione coniugis: nam lex solùm excepit casum, quo promittit conuersionem: si ergo spes non sit ex promissione, sed vel ex bona indole hæretici, vel ex eius animo non obstinato, vel aliis capitibus, necessaria erit dispensatio. Multóque magis necessaria erit, quando coniux hæreticus promittit solùm Catholico liberam fidei suæ professionem, nullámque ei molestiam, vel aliis Catholicis inferre: quo casu necessitatem dispensationis fatetur idem Hurtado §. 132.

18

Dices, cessante contrariè fine, & ratione legis cessat eius obligatio: talis autem est casus, quo est spes certa conuersionis hæretici; nam finis prohibitionis est ne minuatur numerus Catholicorum, si Catholicus ab hæretico coniuge perueratur: & in hoc casu minuitur potiùs numerus hæreticorum, reducto per Catholicum coniuge hæretico ad fidem, ergo in hoc casu cessat obligatio legis; ita arguit Hurtado §. 230. Respondeo non cessare contrariè finem legis, primò quia lex non prohibet nuptias absolutè, sed quòd fiant sine scientia, & consensu Pontificis: nullùm autem damnum religioni sequitur ex eo quòd petatur consensus, & dispensatio Pontificis saltem quando peti potest: secundò quia licèt hîc, & nunc fortasse maius sit bonum religionis ex hoc matrimonio, quàm ex eius omissione, non est tamen maius bonum, sed potius damnum religionis, quòd possit id licitè absque dispensatione fieri: quia ex eo, quod non sit necessaria dispensatio, sequitur, quòd vnusquisque possit fieri sibi iudex in hoc negotio, & contrahere cum hæretico, quando spem habet, quod conuertetur, quam spem facilè sibi concipient, & fingent pro suo desiderio. Vnde sæpe cum spe solùm apparenti, & fallaci contrahent, & cum vero periculo peruersionis. Maius ergo bonum fidei & religionis est, vt etiam quando est vera spes conuersionis id fieri non possit sine consensu summi Pontificis, quàm quod possit, ex qua licentia sequi possunt in aliis casibus maiora mala: sicut disput. præcedenti dicebamus de prohibitione librorum hæreticorum, ad quos legendos sine licentia non sufficit, quòd aliquis se existimet liberum à periculo ex lectione libri hæretici: nam si id esset licitum, sequerentur in genere multa alia maiora mala, & ideo neque in illo casu, neque in nostro dicendum est, cessare rationem legis: in vtroque enim casu remanet ratio legis saltem in genere loquendo, ob quam lex iustè prohibet, ne in hoc etiam casu licitè id fiat absque licentia Sedis Apostolicæ.

Sicut autem ibidem dicebamus, quando necessitas vrget, vt legatur liber hæreticus, cuius lectio necessaria est ad bonum fidei, & non est recursus ad fidem Apostolicam, posse excipi cheia legi, quia ille casus non est lege comprehensus: idem dicendum est de matrimonio cum hæretico, positis eisdem circunstantiis, & eadem necessitate, vt fatetur etiam Pontius *in dicta Appendice cap.* 8. *nnm.* 6. qui prudenter monet, negante Pontifice dispensationem, pro eo præsumendum esse: sicut etiam è contra, concedente dispensationem, in dubio pro eius iustificatione præsumendum est, quoties verè, & fideliter causæ, & circunstantiæ ei propositæ sunt, vt notat *ibid. num. sequenti.* 19

Dubitatur tertiò an hæretico non promittente conuersionem, nec stante spe conuersionis liceat cum eo contrahere nuptias, vel absque dispensatione, vbi ea peti non solet, vel cum illa vbi est obligatio petendi. Negarunt aliqui de hoc consulti apud Pontium vbi supra cap. 5. n. 2. scriptores tamen omnes id posse aliquando fieri meritò concedunt Sanchez *dicta disp.* 72. *num.* 5. Nauarr. Reginaldus, Coninch, Azor, Filliucius, & alij, quos refert & sequitur Pontius *dicto n.* 2. & affert exemplum Iudith, & Esther, quarum altera Holophernis nuptias licitas sibi fore existimauit, altera cum Assuero infideli contraxit, vtraque absque periculo propriæ peruersionis, & propter commune populi bonum. Ratio denique ex dictis est clara, quia etiam non stante spe conuersionis, possunt cessare pericula, quæ reddunt iure naturæ illicitum matrimonium, imò possunt aliunde concurrere alia bona, quæ compensent aliquod periculum, & reddant illud matrimonium expediens ad bonum publicum religionis, v.gr. si ea occasione detur libertas profitendi fidem Catholicam, vbi antea negabatur: si filij sperentur catholicè educandi, & alia eiusmodi. Non ergo remanebit, nisi prohibitio ex lege Ecclesiastica, quæ per dispensationem tolli potest, vbi lex illa obli-

gat,

gat, & aliquando tot, & talia bona ex coniugio sperare possunt, vt non solum possit, sed debeat dispensatio dari, vt cum P. Salas *disp.20. de legib.sect.7.num.74.* notauit Pontius *vbi supra c.8. num.6.*

21 *Quæ sit securitas desideretur implendæ promissionis, remissiuè.*

Quanta autem securitas desideretur implendæ promissionis, quando matrimonium fit sub promissione conuersionis, vel promissa libertate coniugi, & eius familiæ viuendi ritu Catholico, & an sufficiat pactum cum iuramento, vel desiderentur pignora, obsides, vel aliæ pœnæ, quæ ad exequutionem conduci possint, tractat idem Pontius *cap.5.n.4. & sequentibus*, qui videri poterit; est enim res tota hæc moralis, spectans ad prudentiam, cuius iudicium ex variis circunstantiis particularibus omnino pendet.

22 *An possit aliquando matrimonium hoc licitè fieri cũ periculo peruersionis coniugis Catholici.*

Dubitatur quartò. An possit aliquando matrimonium hoc licitè fieri cum periculo peruersionis coniugis Catholici, habita saltem dispensatione Pontificis, vbi dispensatio peti consueuit, vel sine illa, vbi lex Ecclesiastica non obligat. De hoc agit idem Pontius vbi supra.c.6. per totum, & partem affirmantem probat bene; quia potest aliquis licitè exponere se periculo peccandi, propter aliquod magnum bonum, cum proposito tamen resistendi tentationi, & vitandi peccatum, vt docent communiter Theologi, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.9. de matrimonio disp.45. n.8.* & *lib.1.in Decalogum cap.8. num.3.* & alij multi, quos Pontius ibi congerit, vbi non immeritò affert in exemplum Iudith, quæ vt populum suum saluaret, seipsam, suamque castitatem periculo exposuit, vt graues interpretes fatentur, & significauit Ambrosius lib.3. de officiis, c.12. de illa dicens: *non expauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est grauius bonis fœminis*, & rursus infra: *honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo.* Et consonat doctrina in vniuersum Basilij, in lib. de constit.monast.c.4. *Qui vrgenti, inquit, aliqua causa, & necessitate se periculo obicit, vel permittit se esse in illo, cùm alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud subire, & ideo magis prouidebit Deus, ne in illo pereat.* Vnde matrimonium hoc casu licitè contrahi ex eodem Pontio asseruit Diana parte 3. tract.4. de sacramentis resolut.269. Quibus ego addo, sicut periculum peruersionis non consistit in indiuisibili, sed in aliquibus maius, in aliquibus minus est; ita causas sufficientes ad matrimonium cum eo periculo non consistere in indiuisibili, sed in aliquo in quo periculum grauius est, grauiores causas requiri, in aliis verò minores sufficere, in quibus periculum minus est: in omnibus tamen quantum fieri poterit, præcauendum esse, & curandum, vt media adhibeantur, vt coniugi postea periclitari incipienti opportunè subueniatur.

23 *An minor causa exigatur, vt vxor Catholica detur viro hæretico, an verò maior vt vxor hæretica accipiatur à viro Catholico?*

Hac occasione dubitari potest quintò, an maior causa exigatur, vt vxor Catholica detur viro hæretico, an verò maior, vt vxor hæretica accipiatur à viro Catholico. Pontius *vbi supra cap.4. n.16.* dicit considerandum esse, an Principi Catholico habenti subditos etiam catholicos detur vxor hæretica, an verò Principi hæretico & habẽti subditos etiam hæreticos detur vxor Catholica: hoc enim secundum matrimonium facilius dicit posse permitti, quàm illud primum: nam in primo periculum est commune, si vir ab vxore inficiatur, & consequenter populus antea Catholicus periclitetur: in secundo autem periculum est particulare solius vxoris catholicæ, & aliunde non semel vxor Catholica reduxit virum Principem ad veram fidem, & subditi consequenter fidem receperunt. Alia regula colligi potest ex Concilio Laodiceno can.31. & ex Agathensi can. 67. relato in *c.non oportet* 28.q.1. his verbis, *non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamẽ se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos.* Vbi non constituitur differentia inter filios, & filias, sed inter *dare*, & *accipere*, quæ differentia difficilè intelligitur, cùm semper vxor videatur accipi, & vir videatur accipere, quare si non expedit filium dare vxori hæreticæ, non expediet eam pro filio accipere. Possunt tamen hæc verba in alio sensu intelligi, nempe non expedire, quòd Catholici filios, vel filias matrimonij causa dent hæreticis, vt apud ipsos maneant, propter periculum filij, vel filiæ Catholicæ, qui ad hæreticos mittuntur, meliúsque esse si hæretici filios, vel filias suas Catholicis dent, vt matrimonij causa apud Catholicos maneant: tunc enim fides Catholica illos facilè lucrabitur. Hoc autem videtur partim esse contra regulam à Pontio adductam, qui difficiliùs dicit accipiendam esse filiam hæretici, & hæreticam à viro Catholico in prouincia Catholica, quàm dandam vxorem Catholicam viro hæretico in prouincia hæretica.

Ego existimo, cæteris paribus, faciliùs posse 24
dispensari, vt Catholicus accipiat vxorem hæreticam, quàm vt hæreticus accipiat vxorem Catholicam: quia regulariter maior spes esse potest, quod vir trahat vxorem ad suam religionem, quàm è contra, propter maiorem nimirum auctoritatem, qua vir pollet, & propter maiorem subiectionem, quam vxor habet, quæ semper esse videtur sub potestate viri, & faciliùs priuari poterit à viro libertate necessaria ad exercitium propriæ religionis. Et in hoc sensu intelligo canones illos Concilij Laodiceni, & Agathensis, in quibus differentia constituitur inter *dare*, & *accipere*, quia filiæ communiter dantur, & accipiuntur, non filij: ille enim dat, qui filiam è domo sua ad domum viri mittit; qui autem filiam hæretici, in suam domum accersit, vt vxorem filij sui, non dicitur filium suum dare hæreticis, sed potiùs filiam hæretici accipere, pro suo filio. Vnde quia regulariter vxor sequitur virum, & vadit ad domum, & ad patriam viri, non è contra, ideo regulariter facilius erit permittendum matrimonium hæreticæ cum Catholico, quàm Catholicæ cum hæretico.

Dixi tamen, *cæteris paribus*, quia aliquando 25
ex circunstantiis poterit esse plus periculi in matrimonio Catholici cum hæretica, vt in exemplo à Pontio adducto. Si Rex Catholicus accersat sibi vxorem hæreticam, à qua eius subditi Catholici infici poterunt, & ideo difficilis visa fuit petitio dispensationis, vt Serenissimus Rex Poloniæ duceret Palatini filiam hæreticam, vt supra dixi: cùm tamen à Clemente VIII. concessa fuisset dispensatio, vt Dux Barensis Catholicus duceret Catharinam Henrici IV. Regis sororem hæreticam, quia ab hac non imminebat periculum infectionis. E contra verò si Catholica detur Principi hæretico, & mittatur è regno Catholico ad prouinciam hæreticam, poterit aliquando faciliùs id permitti, quia licèt sit aliquod periculum peruersionis vxoris, est periculum particulare, cui præponderare potest spes

spes aliqua conuersionis viri, & subditorum, vel certè, quòd Catholici maiorem libertatem habebunt sub vmbra Principissæ Catholicæ, quæ cum sint bona publica, & communia, præferenda sunt bono priuato: in quo casu loquitur Pontius, cuius doctrina à fortiori maiorem haberet locum si vir Catholicus accerseretur ad Regnum hæreticorum, vt duceret Reginam hæreticam, & ibi maneret: nam esset eò maior spes reductionis vxoris, & subditorum, quò maior est auctoritas & potestas viri Principis, quàm fœminæ, ad conciliandas voluntates coniugis, & subditorum. Vix tamen vnquam liceret, vel dispensari deberet, vt vir hæreticus accerseretur ad ducendam Principissam Catholicam in prouincia Catholica, vt ibi dominaretur: esset enim minor spes conuersionis viri, & maior multò timor, & periculum, quod Princeps hæreticus peruerteret vxorem, & subditos paulatim à vera fide transferret suam hæresim, cum communi damno totius regni: itaque totum hoc pendet ex circunstantiis, quæ prudenter ponderandæ sunt, & videndum, an sit maius bonum quod speratur quàm malum, quod timetur, & an certior sit spes, quàm periculum, vel è contra. In genere autem non sunt contemnendæ illæ duæ regulæ, vt scilicet communiter maius sit periculum ex viro hæretico, quàm ex fœmina, & quòd minus periculum sit, si coniux Catholicus accipiatur in prouinciam hæreticam, quàm si coniux hæreticus accipiatur in prouinciam Catholicam, propter rationes supra adductas.

26 *Qualis securitas, & diligentia requiratur circa prolis educationem vt hæc matrimonia sint licita?*

Dubitatur sextò, qualis securitas, & diligentia requiratur circa prolis educationem, vt hæc matrimonia sint licita, & in iis dispensari possit. De hoc agit Pontius *in dicta Appendice cap.7.* & quidem certum est in primis, non licere pacta, vt ex filiis alij Catholici, alij hæretici educentur. Ita Nauarrus, & Azor, quos refert, & sequitur Sanchez *d.disp.72.num.6.* Hurtado *d.disp.76.§.234.* Serarius *in dicto opusculo num.15.& 16.* & Pontius *dicto cap.7. in fine.* Ratio autem est clara, quia parentibus incumbit obligatio procurandi bonam, & religiosam singulorum filiorum educationem; quomodo ergo possunt se pacto obligare ad eam curam circa aliquos abiiciendam, & non procurandam eorum salutem: si fieret pactum de non subueniendo filiis, etiam extremè indigentibus, vel de non corrigendis, cùm commodè fieri possit, & aliis similibus, quæ sunt intrinsecè mala & contra præcepta naturæ, atque ideo non possunt in pacti obligationem venire: quia nemo potest se obligare ad aliquid, quod de se, & independenter à pacto est intrinsecè malum quale esset deferere prolem, & non procurare eius salutem, quando commodè saltem posses.

27 Habent enim parentes de iure ipso naturæ strictam obligationem procurandi bonam filiorum educationem, atque adeo non possunt contrahere matrimonium, nisi cum intentione satisfaciendi huic obligationi: imò tenentur qua potuerint securitate præcauere futuræ proli, vt possit bene educari. Non tamen tenentur abstinere à matrimonio, eo quod præuideant ipsis inuitis prolem esse malè educãdam. Sicut vxor, quæ ex corruptis viri moribus, præuidet filios malè ab ipso educandos, & ad suorum vitiorum consortia trahendos, non ideo debet, nec potest abstinere à reddendo debito coniugali, sed debet solùm habere animum procurandi postea, vt filij bene educentur: & sicut potest reddere idem debitum viro leproso, vel aliter infecto, præuidens prolem fore eodem morbo inficiendam, vt cum aliis docet Sanchez *lib.9. de matrimonio disp.24.num.25.* sic antecedenter potest contrahere matrimonium præuiso eo filiorum periculo corporali, atque adeo præuiso etiam periculo spirituali, à quo faciliùs poterunt filij seipsos si voluerint, liberare, quàm à lepra vel alio corporali morbo. Sic Græci Christiani præuident filios suos à Turcis adhuc paruulos vsurpandos, & nutriendos ad malitiam sub secta Mahometana: non tamen ideo debent à nuptiis, & earum vsu abstinere, cùm damnum illud totum prolis sit parentibus inuoluntarium: deberent tamen illud præcauere aliter, si possent, & debet etiam vxor Catholica pacisci, si potest, vt filij vsque ad pubertatem saltem, sub eius cura, & educatione sint: quod si postea à fide defecerint sibi imputent: neque enim Augustini lapsus in hæresim imputari debuit matri Monicæ, quæ eum vsque ad pubertatem optimè educauerat. Denique si neque mater hoc pacto impetrare potest, sufficit, si habeat animum procurandi ex parte sua bonam prolis educationem, & id postea exequatur licèt obtinere non possit, quia vt notat Pontius *vbi supra num.4.* magis tenetur coniux præcauere periculum peruersionis propriæ, quàm peruersionis filiorum, sicut salus propria multò magis stricte procuranda singulis est, quàm aliena etiam singulorum filiorum, & aliorum quorumcunque. Debet tamen semper causa sufficiens interuenire, vt fiat matrimonium cum hoc prolis periculo, vt mox dicam.

Dubitatur ergo septimò, qualis causa desideretur, & sufficiat, vt Pontifex dispensare possit ad eiusmodi nuptias faciendas. Azor tom.2.lib. 5.cap.2.quæst.2. plures videtur exigere conditiones: dicit enim non esse dispensandum, nisi cum *primarijs viris, & ad commune pacis bonum, & hæretico id petente, & volente, & fidem dante suæ ad fidem Catholicam conuersionis.* Hoc tamen benè impugnat Pontius *in dicta Appendice cap.8.num.4. & sequentibus*, qui dicit, etiam non præmissa conuersione posse subesse causam sufficientem, qualis aliquando erit commoditas conuictus humani, si aliunde cessent ea, quæ de iure naturæ reddere possent matrimonium illud illicitum. Quod à posteriori probat ex vsu Germanorum, & Polonorum, qui ex consuetudine recepta celebrant sine alia Pontificis dispensatione hæc matrimonia ob communem conuictum, & commoditatem matrimonij: non posset autem ea consuetudo excusare, aut inducere tacitum Principis consensum, nisi rationabilis esset, ergo causa eadem esset sufficiens, vt Pontifex explicitè consentiret, & dispensaret. 28

Ego puto, sicut in aliis materiis, sic etiam in hac, non semper requiri immediatè vtilitatem publicam, & communem ad dispensandum, sed sufficere vtilitatem priuatam immediatam quamuis hoc etiam indirectè, & consequenter reundet in vtilitatem communem, vt explicat Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.19.num.1.* & loquens de dispensatione voti *lib.4. in Decal. cap. 45. num.13.* Qualis autem ea causa esse debeat, puto in hac materia regulam generalem tradi posse, quidquid sit de aliis materiis, eam causam ad dispensandum sufficere, quæ seclusa lege Ecclesiastica sufficeret, vt in iis circunstantiis matri 29

trimonium licitè fieri posset. Quam regulam generalem probare possumus primò à posteriori applicando argumentum illud, quo Pontius probauit sufficere rationem conuictus humani, quod argumentum si quid probat, debet etiam nostrã regulam generalem probare. Quia circa quodlibet matrimonium Catholici cum hæretico, in quo de iure naturæ non appareat turpitudo, potest induci consuetudo, quæ aliquando vires obtineat ad derogandum legi Ecclesiasticæ; cùm eadem sit ratio de hac, vel illa causa reddente licitum de iure naturæ: sicut ergo consuetudo illa tunc esset rationabilis, sic dispensatio idem permittens non erit irrationabilis, sed rationabilis, & cum ratione, & causa sufficienti. Nam licèt stante adhuc lege, requiratur adhuc causa aliqua ad soluendum vnum subditum ab ea lege, quando tamen pericula huius matrimonij cessant, semper inuenitur causa aliqua positiua, nempe spes conuersionis hæretici, vel certè, quod non contrahat cum hæretico coniuge, & tollatur omnino spes fidei in eius filiis.

30 Secundò, & à priori probari potest, quia lex Ecclesiastica prohibens hæc matrimonia duplicem potest habere rationem, alteram puniendi hæreticos, prohibito cum illis commercio in nuptiis, alteram vitandi periculi, quod Catholici possent incurrere. Vtraque autẽ hæc ratio cessat, quando matrimonium illud de se non esset iure naturæ illicitum. Nam quod attinet ad punitionem hæreticorum, iam id videtur decreto Concilij Constantiensis iustas ab causas derogatum in fauorem Catholicorum in ordine ad hæreticos non denuntiatos, nolente Ecclesia cum tanto Catholicorum dispendio punire hæreticos, prohibendo Catholicos ab eorum conuictu. Quando ergo aliunde cessat etiam periculum Catholicorum in casu particulari, vel sunt alia bona præponderantia huic periculo, ob quæ, secluſa illa Ecclesiæ prohibitione, æstimaretur licitum illud matrimonium, nihil restat, ob quod Ecclesia debeat adhuc in hoc casu legis rigorem non relaxare, nec ex hac relaxatione præiudicium aliquod religionis timeri potest.

31 Per hoc tamen non intendo, quod in iis casibus possit matrimonium fieri sine dispensatione summi Pontificis, sed quòd dispensatio possit licitè concedi. Voluit enim meritò Ecclesia reseruare sibi hoc iudicium, an cesset, vel non cesset periculum in hoc casu particulari, vel an bona matrimonij præponderent periculo. Quia nimirum, vt suprà dixi, contrahentes non possent esse boni, & æqui iudices, noluit Ecclesia eos sibi fidere, sed prohibuit, ne contraherent, nisi Ecclesiæ iudicio, atque consensu præcedente: sicut libri etiam hæretici prohibentur omnibus, ob periculum, quod ex lectione timetur: cessante autem hoc periculo, vel etiam ob spem maioris boni, manente adhuc aliquo periculo, dispensat sæpe Pontifex, & facultatem legendi concedit. Non tamen vult, quòd etiam in iis casibus, in quibus rationabiliter licentia concedi potest, aliquis possit propria auctoritate, & sine alia facultate legere, quia multi non essent, vt suprà dixi, boni iudices, vnde idem ferè periculum in genere sequeretur. Sic in casu nostro cessante periculo, vel compensato aliis bonis, quæ, ex natura rei matrimonium licitum reddant, potest semper licitè dispensatio concedi: non tamen potest licitè sine dispensatione fieri, quia ex hac potestate maneret semper periculum, saltem in genere loquendo, quod potuit Ecclesia lege vniuersali præcauere.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.

32 *An supradictis obstet responsa aliqua Pontificum*

His videntur obstare responsa aliqua Pontificum indicata à Pontio *vbi supra num. 5. in fine*, qui rogati, vt dispensarent, dixerunt, se nec debere, nec posse dispensare, nisi adsit causa aliqua publici boni Ecclesiæ, & religionis restauratio, & augmentum: non ergo sufficit causa boni priuati, nisi adsit bonum publicum, tanquam motiuum directum, & immediatum. Nec satisfacit responsio eiusdem Pontij ibi dicentis verba illa accipienda esse de debito honestatis, multa enim licent, sed non omnia expediunt. Sed certè dum Pontifex dicit, se nec debere, nec posse, plus aliquid negat, quàm expedire. Vidi enim ego Principi enixè postulanti dispensationem ad quoddam matrimonium; Responsum prudenter Romæ fuisse, *dubium esse an Pontifex posset dispensare, certum non expedire*, vbi apertè condistincta fuerunt illa duo, *non posse*, & *non expedire*.

33 Faciliùs ergo responderi possumus occurrere non semel casus, in quibus stante solùm causa vtilitatis priuatæ dispensari licitè non possit, accedente bono publico possit, v. g. quia constat non cessare periculum peruersionis coniugis Catholici, quo casu etiam secluſa lege Ecclesiastica, non posset licitè contrahi, nisi accederet bonum publicum sufficiẽs ad compensandum illud periculum. Rursus cùm periculum hoc non consistat in indiuisibili, potest quidem magna ex parte cessare, sed adhuc remanere aliquid sufficiens, ad reddendum illud matrimonium de iure naturæ illicitum quidem, non tamen malitia mortali, sed veniali. In his ergo, & aliis similibus casibus potest Pontifex meritò dicere, se nec debere, nec posse dispensare, nisi accedat causa boni publici, & religionis, quod compenset periculum illud, & reddat matrimonium de iure naturæ licitum, & liberum ab omni culpa graui, & leui. Quando verò bonum priuatum ad id sufficeret, vel quando periculum reuera cessaret, tunc dicimus posse etiam Pontificem communiter licitè tollere impedimentum prohibitionis, & legis humanæ.

34 *An matrimonium inter Catholicum, & hæreticum sit verum Sacramentum*

Dubitatur octauò an matrimonium inter Catholicum, & hæreticum (& idem est de matrimonio inter duos hæreticos) sit verum sacramentum. Respondeo affirmatiuè, quia vterque est capax, cùm vterque sit baptizatus; videatur Hurtado *dicta disp. 76. §. 187.* Vtrum verò esset sacramentum, vel saltem matrimonium, quando hæreticus vellet non facere, nec recipere sacramentum, sed solum contractum, est quæstio pertinens ad tractatum de matrimonio, de qua videri potest Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 10. num. 6.* à quo dissentit Pontius *in dicta Appendice cap. 9. num. 10.*

53 *An saltem Catholicus peccet, quatenus confert Sacramentum indigno, nempe hæretico, & ab eodem recipit sacramentum.*

Posset hic quæri, an Catholicus peccet saltem, quatenus confert vt minister sacramentum indigno, nempe hæretico, & ab eodem recipit sacramentum. De hoc tamen dixi latiùs *disp. 8. de sacramentis in genere sect. 14.* vbi explicui, qua ratione excusari possit à peccato coniux Catholicus, & quomodo quoad hoc eadem ferè sit difficultas, quando Catholicus contrahit matrimonium cum Catholico existente notoriè in peccato mortali.

36 Dubitatur tamen nonò de Parocho assistente

An Parochus absque peccato possit assistere eiusmodi matrimonio.

huiusmodi matrimonio, vbi Parochi præsentia necessaria est ad matrimonij valorem, an absque peccato possit assistere. Distinguendum est; nam in locis, vbi prohibitio Ecclesiastica non est in vsu, & matrimonium hoc fieri solet sine dispensatione Pontificis, matrimonium illud licitè fieri aliquando poterit, quando de iure naturæ diximus non esse illicitum; & tunc Parochus licitè assistit, cùm cooperetur, & assistat actui, qui licitè fieri potest. Nec obstat, quòd vnus ex contrahentibus indignè accipiat sacramentum, quia Parochus illud non confert, nec est minister, sed assistit, sicut testis lege requisitus, vel sicut notarius, quo casu posse, & debere assistere, licèt constet notoriè de peccato contrahentis, dixi, & explicui latiùs *dict. disp.* 8. *de sacram. sect.* 13. In locis verò, vbi hæresis est impedimentum matrimonij ex lege Ecclesiastica ibi adhuc non derogata, maior est difficultas. Et quidem P. Serarius *in dicto opusculo cap.* 3. *num.* 21. *& sequentibus*, generaliter docet peccare Parochum, nisi hæreticus promittat conuersionem, quia cooperatur peccato contrahentium, reddendo eos habiles sua præsentia ad validè contrahendum, quando non possunt licitè contrahere, & quia finit hæreticum missæ assistere, & benedictiones nuptiales recipere, & sacram communionem.

37 Hanc Serarij sententiam latè impugnat Pontius *in dicto Appendice cap.* 9. §. 1. *num.* 4. & *sequentibus*: quia hoc argumentum æquè probaret de testibus, qui sua præsentia reddunt habiles contrahentes ad validè contrahendum: & quia Parochus assistit solùm vt testis qualificatus actui de se indifferenti, quem hæreticus posset licitè facere promittendo conuersionem. Fatetur tamen, Episcopum ex officio teneri, ad impediendum ne ea matrimonia illicitè fiant; quod si impedire non possit, non peccare ea tolerando. Quod verò attinet ad benedictiones nuptiales, dicit posse sine illis matrimonium celebrari; atque ideo non opus erit, quòd Parochus coram hæretico celebret missam, vel cum eo in sacris ritibus communicet.

38 Ego aliter sentio in hoc casu, iuxta ea, quæ latiùs dixi, *dicta disput.* 8. *de sacramentis sect.* 13. *num.* 206. *& sequentibus*, vbi explicui differentiam esse inter contrahentes matrimonium in statu peccati, vel cum excommunicatione (quibus licitè potest Parochus assistere, quia non est iudex qui debeat inquirere de ipsorum statu, nec ministrat illis sacramentum, sed assistit vt testis) & inter eos qui contrahunt cum impedimento siue dirimente, siue impediente, quæ impedimenta Parochus ex officio debet inquire, & iis stantibus non debet assistere; vt si constaret de sponsalibus contractis cum aliis, de voto, vel aliis similibus. Ad hoc enim debet præmittere denuntiationes, vt impedimenta, si quæ sunt, manifestentur, & quando de iis constat matrimonium impediat, tanquam publicus Ecclesiæ minister, qui ius habet, & obligationem, vt curet, contractus hos non nisi iuxta Ecclesiæ leges fieri. Cùm ergo hæresis sit impedimentum ex lege Ecclesiastica, quando de ea constat, etiamsi hæreticus conuersionem promittat, requiritur dispensatio, vbi lex illa non est vsu derogata; atque ideo sine dispensatione Parochus non potest procedere ad præstandam auctoritatem, & assistendum matrimonio, sicut nec posset, quãdo denuntiationes sine Ordinarij cõsensu omisse sunt.

Rationem autem differentiæ inter excommunicationem, & statum peccati, & inter hæc alia impedimenta propria matrimonij, vt contractus est, reddidi, & explicui latè loco citato, vbi videri potest. Quòd verò attinet ad benedictiones nuptiales iam diximus *supra disp.* 14. *sect.* 5. §. 5. *dubitatione* 4. non peccare Parochum celebrantem coram hæretico non denuntiato, & eum solemniter benedicentem, Eucharistiam tamen ei negare debet, atque etiam in publico; si hæresis sit publica, sicut cuilibet publico peccati negandа est etiam in publico petenti de quo dixi latè *dicta disp.* 8. *de sacramentis, sect.* 10. & 11.

Dubitat vltimò Pontius *dicto cap.* 9. §. 2. de intentione requisita ad hoc matrimonium validè celebrandum, videtur enim ea sæpè deficere ex parte coniugis hæretici, cùm hæretici putent matrimonium non esse sacramentum, atque adeo non habeant intentionem recipiendi, vel faciendi sacramentum. Aliquando etiam putant matrimonium posse ex causa adulterij, vel ob alias causas dissolui, etiam quoad vinculum, quare non videntur habere intentionem contrahendi matrimonium omnino indissolubile, sed dissolubile, quod non erit verum matrimonium. De hoc tamen defectu intentionis, & quando ex eo capite matrimonium cẽseri possit inualidè factum, dixi etiam latiùs *dicta disp.* 8. *de sacramentis in genere, sect.* 8. nec oportet nunc ea repetere.

SECTIO III.

Quando, & quomodo possit, vel debeat coniux à coniuge hæretico diuertere.

DIximus de obligatione non contrahendi matrimonium cum hæreticis: nunc dicendum est postquam iam contractum est, an sit obligatio, vel saltem facultas separandi se per diuortium à coniuge hæretico. Supponendum est matrimonium illud inter baptizatos contractum, non dissolui postea quoad vinculum, etiamsi alter eorum hæreticus fiat. Cuius contrarium sensisse Cælestinum III. in decretali quadam, quæ iam nunc non exstat, fatetur Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 4. *de Romano Pontifice cap.* 14. quem Cælestinum tacito nomine refert Innocentius III. in cap. *Quanto*, de diuortiis, vbi dicit, matrimonij vinculum per hæresim subsequentem non dissolui licèt contrarium quidam eius prædecessor senserit. Cæterùm vt notauit idem Bellarminus ibi, neuter aliquid definiuit, sed solum propriam sententiam significauit. Nunc tamen res hæc iam est omnino certa ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 5. *de matrimonio* his verbis: *si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit:* nam sicut adulterium carnale non dat causam sufficientem ad vinculi dissolutionem, sed ad separationem, & diuortium, sic nec hæresis, vel quælibet alia culpa nodum illum indissolubilem soluere potest.

Non defuerunt qui dicerent, potuisse saltem Ecclesiam in pœnam hæresis statuere, vt vinculum ipsum dissoluatur per lapsum coniugis in hæresim, nempe Hostiensis, Ioan. Andreas, & Brunellus, quos affert Thomas Sanchez *lib.* 10. *de*

de matrim. disp.15. num.7. quia putarunt ex potestate eiusdem Ecclesiæ prouenire, vt per conuersionem coniugis ad fidem, altero in infidelitate manente, matrimonium etiam consummatum dirimi possit. Hæc tamen sententia loquendo de matrimonio consummato inter baptizatos inito est omnino falsa, & ab omnibus reiicitur, & videri possunt Sanchez *loco citato*, Bellarmin. *lib.1. de matrim. cap.15.* & Hurtado *in præsenti disp.76.§.188.& sequenti.*

42 *An possit ob causam hæresis alter coniux ab altero diuertere, & separari manente integro matrimonij vinculo?*

Quæstio ergo prima est, an possit ob causam hæresis alter coniux ab altero diuertere, & separari manente integro matrimonij vinculo. Hæretici aliqui nostri temporis reprehendunt, quod Ecclesia ob alias causas præter fornicationē permittat separari coniuges quoad thorum, & habitationem contra id quod Christus dixit Matth.5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quod idem iterum dixit Matth.19. Veritas tamen Catholica est, posse alias esse causas legitimas præter fornicationem ad diuortium, quod definitum est in Tridentino sess. 24. can. 8. his verbis: *si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertúmve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Idem constat ex cap. *Quanto*, de diuortiis, & ex cap. *litteras*, in fine, & cap. *transmissæ*, de restit. spoliat. & cap.1. vt lite non contest. & aliis, in quibus ob alias causas separatio quoad habitationem decernitur.

43 *Explicantur illa verba Christi Domini, Qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, &c.*

Ad illa verò verba Christi Domini plures responsiones afferuntur, quæ videri possunt apud Bellarmin. *dicto lib.1.de matrim. cap.14.* & Sanchez *dicta disp.15. num.2.* Quibus omissis: breuiter dico, Christum loquutum de separatione, seu diuortio perpetuo, & quod fiat auctoritate propria dimittentis, sine consensu coniugis dimissæ: si enim vterque consentiat, & non sit incontinentiæ periculum, non est dubium, quod separari ad inuicem possint, vt castè viuant. Porrò loqui de diuortio perpetuo constat ex textu: nam illo cap.5. præmiserat vsum repudij illis verbis: *dictum est autem, quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij.* Quam permissionem abrogare volens subiicit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, &c.* Repudium autem non erat, nisi ad separationem perpetuam, vt constat: hanc ergo dicit non posse fieri; nisi ex causa adulterij. Idem constat clariùs ex dicto cap.19. vbi Pharisæi interrogauerunt, *si licet homini dimittere vxorem suam, quacunque ex causa?* nempe dimissione perpetua, vt ipsimet statim explicarunt vrgentes: *quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere?* nam libellus repudij non erat nisi ad perpetuam separationem, & de hac dimissione respondit: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur.* Vbi constat de eadem dimissione perpetua sermonem esse, qua scilicet vxor apparere posset iam libera, vt alteri nuberet. Ex quibus etiam constat, loquutum Christum de dimittent propria auctoritate: nam repudij libellus dabatur à viro auctoritate propria, & ideo ipse dicebatur vxorem *dimittere*, quod non dicitur propriè, quando à superiore separantur.

Non ergo opponitur definitio Tridentini huic 44
Christi doctrinæ: fatemur enim non posse coniugem propria auctoritate dimittere coniugem in perpetuum, nisi ex causa fornicationis: nam ex quacunque alia causa dimittat, siue ob hæresim, siue ob sæuitiam coniugis, siue ob aliam causam, non potest in perpetuum dimittere, sed ad tempus, quandiu causa durat, qua cessante, debet ad coniugem redire. Quamuis autem interueniente Ecclesiæ iudicio, & sententia, possit à coniuge hæretico diuortio legitimo in perpetuum diuertere, vt videbimus; tunc tamen non dimittit ipse auctoritate propria, sed Ecclesia inter alias pœnas priuat hæreticum iure, quod habebat, ad cohabitationem, & thorum cum coniuge, & consequenter absoluit coniugem ab obligatione, & debito. Sicut etiam punit coniugem ob copulam cum consanguineis coniugis, & priuat eum iure ad petendum debitum coniugale, absoluitque alterum coniugem ab obligatione reddendi, prout posset bonis aliis, & vita ipsa in pœnam priuare. In quo casu non dicitur coniux ipse dimittere coniugem hæreticum, nec fit contra verba Christi: non enim aufert se ipsum à potestate coniugis, sed aufertur ab Ecclesia. Sicut licèt sit verum in vniuersum loquendo, quod subditus tenetur obedire domino; verum tamen est, quod excusatur, quando dominus ob delictum priuatur à iudice iure præcipiendi. Seruus etiam non potest dimittere dominum, & tamen si dominus per sententiam priuetur potestate in seruos, poterit seruus eum dimittere, & sic in aliis: nam per has propositiones vniuersales solū significatur, quòd ipsi propria auctoritate non possint repudiare, aut dimittere, cum quo stat, quòd per potestatem superiorem possint consequenter liberari: nemo enim negabit, quòd saltem Deus possit liberare coniugem ab ea obligatione cohabitandi, quo casu iam poterit coniugem relinquere sine causa fornicationis, non tamen propria auctoritate, sed superioris, qua non tam dimittit, quàm educitur superioris auctoritate, in cuius voluntate continetur voluntas subditi, atque ideo iam non operatur inuito coniuge, sed consentiente voluntate sua contenta in voluntate Superioris.

Hoc supposito, quæritur secundò, an propria 45
auctoritate possit coniux Catholicus ab hæretico non resipiscenti discedere. Respondeo affir- *An propria auctoritate possit coniux Catholicus ab hæretico nō resipiscēti discedere.*
matiuè ex communi omnium sententia, quos refert & sequitur Sanchez *dicta disp.15. num.6.* & colligitur clarè ex cap. *de illa*, de diuortiis, vbi Vrbanus III. sic ait, *de illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine indicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quòd mulier (maximè si ea intentione discessit, vt lapsus in hæresim tadio pariter, & confusione affectus se ab errore suo conuerteret) ei cùm reuersus fuerit, est reddenda.* Vbi discessus approbatur, & sustinetur, quandiu vir non resipiscit. Ratio autem est, quia quantumuis verbis explicitis coniux hæreticus non pertrahat coniugem ad hæresim, ipsa tamen familiaritate, & consuetudine multum ei nocere potest & semper est periculum pertrahendi. Quamuis enim propter alia peccata mortalia, vel propter censuras etiam non sit dimittendus coniux, vt cum aliis fatetur Sanchez *vbi suprà num.12.* hoc tamen peculiare est in hæreticis,

quorum consortium vitandum esse ab omnibus indifferenter monet Paulus ad Titum 3. dicens, *hæreticum hominem, post vnam, & secundam correctionem deuita.* Vnde coniux scienter contrahens matrimonium cum hæretico, vel cohabitans habet contra se iam aliquam hæresis præsumptionem, vt docet Farinacius *de hæresi quæst.* 190. *num.* 50. & vxor receptans virum hæreticum, vt præsumptionem euadat, & ne tanquam fautrix hæreticorum puniatur, probare debet se non causa hæresis, sed affectu maritali eum recepisse, vt docet idem Farinacius *ibi quæst.* 182. *num.* 150. *& sequenti.* Imò volunt aliqui, non solùm posse sed debere coniugē diuertere à coniuge hæretico, quos refert, & sequitur Sanch. *vbi suprà num.* 5. Hoc tamen si vniuersaliter intelligatur, nimis durum est, quia sæpe tot damna ex separatione sequi possunt, vt teneatur coniux Catholicus non discedere, sed ad ea damna vitanda subire periculū aliquod proprium ex conuictu cum hæretico, quod cum diuina gratia superare potest, v.g. si filij paruuli relinquendi sint sub cura, & educatione parentis hæretici, quorum spirituali saluti parens Catholicus consulere debet, vt notauit Hurtado *dicta disp.* 76. *n.* 225. Aliquando etiam, licèt non teneatur manere, potest tamen ex separatione tale damnum pati, vt excusetur à separatione. Quod commune est in aliis materiis, in quibus agitur de vitando periculo etiam proximo alicuius peccati: potest enim contingere, & sæpè contingit, vt propter graue damnum possit aliquis manere in periculo, & occasione peccandi, licèt aliquando meliùs, & laudabiliter faceret eam deserendo. Quod ergo in aliis materiis contingit, potest facilè in hac etiam contingere. Nam potest coniux catholicus pendere ab hæretico, quod necessaria ad sustentationem iuxta sui status conditionem; potest etiam grauiter ferre, quod cogendus sit castè viuere, & ab omni coniugij copula abstinere, & alia eiusmodi, quæ quidem, licèt posset laudabiliter contemnere, & tolerare, vt tutiùs degeret, & longiùs ab omni hæresis periculo, non videtur tamen semper ad hoc sub peccato graui cogendus, vt significat idem Hurtado *vbi suprà* §. 224.

46 *An postquam coniux hæreticus emēdatus est, debeat Catholicus ad eum redire, & eum recipere?*

Quæritur tertiò an postquam coniux hæreticus emēdatus est, debeat Catholicus ad eum redire, & eum recipere. Concedunt omnes, quando res est adhuc integra, hoc est, quando catholicus nondum statum mutauit per transitum ad religionem: quando verò res non est integra, negant aliqui, quos affert Sanchez dicta *disp.* 15. *n.* 14. quia adulter emendatus non debet recipi ab innocente, qui ab eo recessit, etiamsi sit emendatus. Hoc tamen exemplum probaret etiamsi Catholicus statum non mutasset; nam adulter non debet recipi post emendationem ab innocente, qui adhuc statum non mutauit. Quare communis, & vera sententia Doctorum, quos affert, & sequitur Sanchez *ibi num.* 13. vniuersaliter asserit debere recipi hæreticum emendatum à coniuge Catholico, qui propria auctoritate discesserat, vt constat ex cap. finali, de conuersione coniugatorum, cuius hæc sunt verba: *mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè conuolare.* Vbi requiritur sententia diuortij ab Ecclesia antea prolata, vt post viri pœnitentiam vxor possit ad religionem transire, & clariùs idem colligitur ex cap. *de illa* de diuortiis: cuius hæc sunt verba: *De illa, quæ à viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reuersus fuerit, est reddenda: quæ etiamsi reuerti noluerit compellatur: si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Vbi vniuersaliter dicitur reddenda vxor, nulla facta differentia inter eam, quæ iam transierat, vel non transierat ad religionem. Vnde infert idem Sanchez ibi, professionem antea factam non præiudicare viro, sed præiudicare vxori, vt non possit debitum coniugale petere, sed solùm reddere, nec possit mortuo viro aliud matrimonium contrahere, vt in simili deciditur in c. *quidam* & cap. *placet*, de conuersione coniugatorū, quod idem dicēdum esset, si coniux Catholicus sacrum ordinem illo medio tēpore suscepisset. Differentia verò inter adulterum, & hæreticum constabit ex dicēdis.

Quando verò coniux Catholicus præcedente Ecclesiæ iudicio discessit, an post hæretici emendationem debeat eum recipere, non est eadem Doctorum sententia. Aliqui enim primò dicunt semper hæreticum emendatum esse recipiendum à coniuge Catholico, quos affert Sanchez *vbi supra num.* 16. fundamentum sumitur ex verbis Innocentij III. in cap. *quanto*, de diuortiis, vbi postquam respondit coniugem Catholicum, non posse viuente hæretico aliud matrimonium inire, quia matrimonium inter baptizatos initum est omnino indissolubile, atque hoc pacto impeditur fraus multorū, qui hæresim simularent, vt matrimonia sibi ingrata dissoluerent, & facto secundo matrimonio ab hæresi resilirēt postea addidit hæc verba: *Per hanc ipsam responsionem illa soluitur quæstio: vtrum ad eum, qui ab hæresi, vel infidelitate reuertitur, is qui permansit in fide redire cogatur.* Videtur enim sensus ex antecedentibus esse, quod cogendus sit reuerti, ne detur ansa hæresim simulandi ad celebrandum diuortium. 47 *Si coniux Catholicus præcedente Ecclesiastici discessit, an possit hæretici emendationem debeat eum recipere. Prima sententia.*

Ab hac sententia parum distant alij, qui tunc solùm dicunt non esse cogendum Catholicum vt redeat, quando hæreticus non vnius, sed plurium hæresum damnatus fuerat, & iterati criminis: quo casu potest biennio expectare, ad veram emendationem probandam, qua comprobata debet ad eum redire: non verò bene comprobata poterit ad religionem, vel sacros ordines transire ita Henriquez *lib.* 2. *de matrimonio cap.* 17. *num.* 6. vbi alios affert, non tamen satis ad eorum mentem, vt notauit Sanchez *vbi suprà num.* 17. qui bene aduertit huius secundæ sententiæ nullum apparere fundamentum. *Secunda sententia.*

Tertia sententia docet, debere coniugem Catholicum ad coniugem emendatum redire, etiamsi iudicium Ecclesiæ præcesserit, nisi velit ad religionem transire. Hanc tenent plurimi, quos affert idem Sanchez *ibi num.* 18. qui eam valde probabilem iudicat, sicut etiam probabilem putat Hurtado, *dicta disputatione* 76. §. 194. Hoc enim pacto conciliari videntur dicta illorum trium Pontificum, non quia vt aliqui volunt posteriores correxerint statuta priorum, sed absque vlla correctione: Nam Gregorius IX. in dicto cap. *mulier*, de conuersione coniugatorum dixit, quod vxor Catholica separata iudicio Ecclesiæ possit ad religionem transire, etiamsi coniux ad fidem rediret. Vrbanus III. in dicto cap. *de illa*, dixit solum separatam iudicio Ecclesiæ non esse com 48 *Tertia sententia.*

compellendam ad virum conuersum redire, quia nimirum non poterat prohiberi ab ingressu religionis, ad quam habebat ius. Denique Innocentius III. in dicto cap. *quanto* qui medius fuit inter Vrbanum III. qui præcesserat, & Gregorium IX. qui postea subsequutus fuit, neutri contradixit, sed solùm significauit in genere esse compellendam, vt rediret ad virum, non tamen vetuit religionis ingressum. Meliùs meo iudicio probari posset hæc sententia, quia in dubio in iis, quæ spectant ad ius positiuum, standum est decretis posterioribus: cùm ergo Gregorius IX. fuerit vltimus, & ipse in dicto cap. *mulier* expressè dixerit posse vxorem transire ad religionem, quando iudicio Ecclesiæ ab hæretico discessit, huic standum erit, etiamsi Innocentius III. contrarium antea significasset. Rursus licèt Vrbanus III. in dicto cap. *de illa* vniuersaliter significasset, non esse vxorem illam cogendam redire ad virum, quando iudicio Ecclesiæ ob hæresim ab eo discessit: cùm tamen postea Innocentius III. in dicto cap. *quanto* vniuersaliter etiam contrarium significauerit, huic standum erit, nisi in casu postea à Gregorio IX. excepto de ingressu religionis.

49 *Quarta sententia satis communis.*

Est tamen quarta sententia satis communis, quam perspicuam, & verissimam esse dicit Basilius Pontius *lib. 9. de matrim. cap. 32. num. 3.* quæ docet, quamuis coniux propria auctoritate discedens, debeat ad coniugem conuersum redire; secus tamen si iudicio Ecclesiæ interueniente, & hoc sua velit religionem ingredi, siue in sæculo separatus remanere. Hanc tenent plures antiquiores, & recentiores Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanchez *dicta disp. 15. num. 19.* Hurtado *vbi supra* §. 201. & alij, quæ etiam mihi magis placet.

Probatur primò quia legum correctio, quantùm fieri potest, vitanda est, nec facilè credendum Pontifices illos toties breui tempore in hoc puncto diuersa statuisse. Difficile autem est retenta tertia sententia, eos ita conciliare, vt idem omnes senserint. Si enim contendas Innocentium, & Gregorium extra vnum casum religionis, voluisse vxorem redire debere ad virum, ab hæresi conuersum, non apparet, quomodo non reuocauerint facultatem vniuersalem ab Vrbano III. commemoratam, vt mulier, quæ præcedente iudicio Ecclesiæ ab hæretico discesserat, nunquam compelleretur ad ipsum etiam ad fidem conuersum reuerti, nec ipsum ad se venientem recipere, vbi ex contextu aperte constat non loqui de ea, quæ vellet religionem ingredi, sed quæ nollet in domum suam virum ab hæresi conuersum, & reuertentem recipere.

50 Quòd verò posteriores Pontifices non intenderint moderari, aut ex parte reuocare facultatem ab Vrbano III. commemoratam, & assertam diuortij perpetui: probari potest secundò, quia si hoc intendisset Innocentius III. in dicto cap. *quanto*, sicut ibi meminit decretalis Cœlestini Antiquæ, cuius sententiæ dicit se dissentire quoad dissolutionem vinculi: sic etiam meminisset Decretalis Vrbani III. declarantis facultatem generalem ad diuortium perpetuum, quam facultatem maiori ex parte reuocare valebat. Quod tamen Innocentius non fecit, nec verbum de illa doctrina apposuit, sed verbis generalibus dixit, ex principiis positis colligi posse, quid dicendum de recipiendo hæretico conuerso à coniuge fideli, quæ verba non sufficerent ad reuocanda decreta prædecessorum expressa, vt constat ex praxi, qua eiusmodi decreta non per consequentias, sed formaliter, & expressè reuocari solent. Notandus obiter grauis lapsus Rebelli *de obligat. iust. 2. part. lib. 2. quæst. 18. sect. 4. in principio*, vbi dicit Auctorem illius capitis *quanto*, fuisse Alexandrum III. qui prior fuit Vrbano III. & ideo decretum Alexandri declaratum fuisse postea ab Vrbano III. in dicto c. *de illa*: errauit ergo putans Auctorem fuisse Alexandrum III. cùm fuerit Innocentius III. posterior Vrbano III. & ex illo errore conclusiones falsas intulit in explicanda horum Pontificum mente.

Tertiò probat. potest ratione, quia reuocatio illa in eo sensu non esset rationi satis consona: nam relicta esset coniugi Catholico facultas ad id quod plus, & difficilius esset, & ablata esset ad id, quod minus, & facilius erat: nimirum esset ablata facultas ad viuendum seorsim à coniuge in domo separata, & relicta esset ad mutandum statum per professionem religiosam, quod multò plus est; Nam coniux habens copulam cum consanguineis sui coniugis priuatur iure petendi debitum, atque adeo coniux potest ei non reddere, sed thorum separare: non tamen potest ingredi religionem sine consensu coniugis, aut nisi coniux etiam statum muret. Et certè in casu nostro multò plus præiudicat coniugi hæretico conuerso, quod eo inuito possit coniux Catholicus religionem profiteri, quàm quod possit quoad thorum, & habitationem separari. Nam professione religiosa semel emissa, præcisa est omnis spes alteri coniugi, qui debet manere incapax alterius matrimonij, dum coniux religiosus viuit, & sine spe reconciliationis. Quando verò singuli in sæculo seorsim manent, semper potest esse spes reconciliationis, ad quam promerendam, & obtinendam potest coniux conuersus continuò aspirare. Faciliùs ergo posset relinqui coniugi Catholico facultas ad manendum seorsim in sæculo, quàm ad præcidendam radicitus spem totam suo coniugi per professionem religiosam. 51

Dicet aliquis, coniux etiam potest post matrimonium ratum, & non consummatum fieri religiosus, & tamen non potest manens in sæculo separari à suo coniuge; non ergo mirum, quod hoc ipsum concederetur coniugi Catholico post iudicium Ecclesiæ. Respondeo esse magnum discrimen: nam in primo casu per professionem religiosam, dissoluitur matrimonium quoad vinculum; quare facultas illa multò minùs grauis est alteri coniugi, cùm maneat liber ad contrahendum aliud matrimonium, quàm si manente vinculo, posset fieri separatio quoad thorum eo inuito: non ergo daret facultas ad aliquid plus, & ad difficilius, sed ad aliquid minus, & quod minus præiudicat alteri coniugi: at in casu nostro vinculum remaneret integrum, & ablata esset omnis spes coniugi conuerso obtinendæ reconciliationis quoad thorum, quod quidem multò magis durum esset ipsi, quàm si coniux Catholicus remaneret in sæculo separatus. Cùm ergo tota hæc facultas coniugis Catholici, sit in pœnam hæretici, non esset rationi cõsonum, quod mitigaretur hæc pœna, quoad id, quod minus torquet, & relinqueretur quoad id, quod magis torquet: imò non solùm relinqueretur, sed etiam augeretur pœna: si enim

coniux Catholicus non posset separari sine professione religiosa, eligeret sæpius hanc professionem, ne ad coniugem cogeretur redire, quam tamen professionem non eligeret, si posset liberè in sæculo separatus manere: quod totum redundaret in grauiorem conuersi coniugis pœnam, cui melius esset, quòd Catholicus posset manere in sæculo separatus, quàm quod non posset, cùm ex illa necessitate ad professionem religiosam priuaretur sæpius coniux conuersus spe reconciliationis ad thorum, qua spe, & quidem satis probabili posset interim suam solitudinem facilius tolerare.

53 Quartò probant aliqui; quia hæc facultas vniuersalis in coniuge Catholico videtur fundata aliquo modo in iure, quatenus in iure fideles absoluuntur ab omni debito infidelitatis, & obsequij hæreticis damnatis debiti, vt constat ex cap. finali, de hæreticis (non lib. 6. vt citat Sanchez *vbi suprà*, *num.* 19.) vbi omnes ab eiusmodi debitis ipso facto absoluuntur, sub qua generalitate videtur etiam hoc debitum comprehendi. Hæc tamen fortasse non est ratio satis efficax.

Denique probari potest solutione fundamenti contrarij, quod totum desumebatur ex decretis Innocentij III. & Gregorij IX. suprà relatis. Et in primis Innocentius III. in dicto cap. *Quanto*, non videtur contrarium asseruisse. Omissis autem aliis solutionibus dicimus, Innocentium in illis verbis generalibus nihil determinasse, sed solùm dixisse, posse ex doctrina à se ibi tradita decerni an coniux Catholicus redire cogatur ad coniugem ab infidelitate conuersum. Præmiserat enim contra Cælestini opinionem per hæresim non dissolui quoad vinculum matrimonium inter baptizatos celebratum, nec eos posse postea alia matrimonia inire: ex qua responsione dicit colligi, quid dicendum sit in ea quæstione, an coniugi conuerso reddenda sit vxor Catholica: quod verissimum est. Nam ex illo principio, quòd scilicet matrimonium indissolubile sit quoad vinculum, pendet magna ex parte decisio huius alterius quæstionis. Consequenter enim dicendum est, coniugem Catholicum non potuisse aliud matrimonium celebrare, sed vel redituram ad priorem coniugem, vel cælibem mansurum. Rursus ex eodem principio sequitur, quòd coniux Catholicus non potuit propria auctoritate in perpetuum discedere; cùm enim maneat vinculum coniugij, tenetur cessante causa hæresis, ob quam potuit iustè discedere, redire ad coniugem conuersum. Cum hoc tamen stat, quòd si non propria auctoritate, sed Ecclesiæ iudicio discesserit, possit non redire, quia Ecclesia in pœnam potuit iustè priuare hæreticum iure repetendi, & cogendi coniugem, sicut potest eum aliis grauioribus pœnis punire; & sicut ob copulam cum consanguineis coniugis habitam, priuat perpetuò eum, stante etiam vinculo matrimonij, iure petendi debitum coniugale.

54 *Cur coniux discedens auctoritate propria teneatur postea redire ad coniugem conuersum, non verò qui iudicio Ecclesiæ discessit?*

Vnde infertur primò ratio discriminis, cur discedens auctoritate propria teneatur postea redire ad coniugem conuersum, non verò qui iudicio Ecclesiæ discessit. Quia nimirum discedens auctoritate propria vsus est iure naturæ ad vitandum periculum imminens ex consortio hæretici; quo periculo cessante, cessat ius ad separationem. Quando verò intercedit iudicium Ecclesiæ, separatio est pœna imposita ab Ecclesia, quæ priuat hæreticum iure repetendi coniugem, pœna autem non cessat etiam cessante peccato, sed adhuc post conuersionem punitur iustè peccator ob hæresim præteritam.

Infertur Secundò, differentia inter adulterum, & hæreticum; nam coniux innocens discedens etiam propria auctoritate ab adultero, non cogitur ad eum etiam emendatum redire: Catholicus verò propria auctoritate discedens ab hæretico, tenetur redire ad ipsum conuersum, & emendatum. Ratio autem differentiæ, omissis aliis, hæc est, quòd hæresis solùm dat ius separationis ratione periculi, quare cessante periculo cessat ius: adulterium verò non dat ius ratione periculi sed quia frangenti fidem fides seruari non debet; cùm autem fieri non possit, quod adulter fidem coniugi non violauerit, necesse est, quod maneat innocenti ius perpetuum ad non seruandam fidem in cohabitatione, & thoro promissis.

Hac tamen occasione quæri potest quartò, an sicut Ecclesia potest hæretico conuerso, & emendato remittere postea pœnas alias, quas per sententiam incurrit, sic etiam possit remittere hanc pœnam atque adeo cogere Catholicum coniugem, vt ad ipsum redeat etiamsi iudicium Ecclesiæ præcesserit de separatione perpetua: de qua quæstione nihil apud Auctores inuenio. Videtur autem ex proximè dictis sequi, quòd possit hæc pœna remitti, & consequenter coniux Catholicus possit postea cogi ad coniugem conuersum redire, quia cùm ex se non haberet ius diuertendi in perpetuum, sed solùm hæreticus priuatus esset iure repetendi coniugem in pœnam sui delicti, consequens est, vt condonata hac pœna, recuperet ius illud repetendi coniugem, atque adeo coniux Catholicus, non habeat exceptionem, qua excusetur à reditu. Confirmarique potest, quia similiter propter copulam cum consanguineis coniugis priuatur coniux incestuosus iure petendi debitum, & consequenter alter coniux potest ei petenti negare, & separare se quoad thorum: si tamen incestuosus dispensetur, vt possit petere, & condonetur ei pœna illa, eo ipso alter coniux perdit ius negandi, & tenetur petenti reddere debitum, vt fatetur Sanchez *lib.* 9. *de matrim. Disp.* 6. *num.* 10. Idem ergo erit in casu nostro condonata hæretico conuerso pœna, quæ sola dabat ius coniugi Catholico negandi reditum ad coniugem post iudicium Ecclesiæ.

Aliunde tamen videtur non posse post iudicium Ecclesiæ condonari hanc pœnam coniugi hæretico in præiudicium coniugis Catholici, qui iam videtur ius acquisiuisse ad diuortium perpetuum, nec videtur posse hoc ius semel acquisitum ab eo auferri, Ad quod est optimum exemplum in seruis hæreticis, qui in pœnam domini, liberi fiunt statim post declarationem hæretici à iudice factam: si verò postea beneficio Principis hæreticus conuersus in integrum restituatur, & condonetur ei omnis pœna, non ideo serui illi liberi iam facti redeunt ad pristinam seruitutem; quia libertas semel acquisita auferri non debet, vt cum Molina tom. 1. *de Iustit. disp.* 40. Penna, & Simancas docet Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 24. *numero* 12. similiter ergo coniux Catholicus, qui liber sit ab obligatione cohabitationis, & thori post declarationem iudicis, non debet hac libertate iam semel acquisita priuari, etiamsi coniux in pristinum statum Principis beneficio restituatur, &

pœnæ

pœnæ omnes ei condonentur. Ad quod potest etiam deseruire exemplum filij, qui per hæresim patris iuridicè declaratam exit ab eius potestate sitque sui iuris: si autem pater postea Principis beneficio restituatur, & liberetur à pœnis, non ideo filius debet recidere in patriam potestatem à qua semel liberatus fuerat.

58 Ego huic secundæ parti magis assentior, cuius exempla aptiora, & similiora videntur. Ad exemplum verò in contrarium adductum illius, qui dispensatione obtenta potest debitum coniugale petere, & coniux debet ei reddere non obstante copula cum consanguineis suis præcedente, respondeti potest differentiam esse, quòd in eo casu impedimentum petendi debitum totum se tenet ex parte cõiugis incestuosi, qui ob affinitatem contractam impeditur à petenda copula, licèt consequenter possit coniux innocens illam negare, cui quidem Ecclesia nullum ius concedit ad negandum, sed ipso facto, & ex natura rei, eo quod alter non habeat ius petendi, potest ei negari, quod sine iure petit. Impedimentum autem affinitatis etiam ante matrimonium contracta auferri bene potest ab Ecclesia per dispensationem inuito etiam vno ex contrahentibus, quare non minùs poterit auferri impedimentum affinitatis contractæ post ipsum matrimonium, & consequenter auferuntur eius effectus, quorum vnus erat, quòd coniux innocens negare posset copulam, quæ sine vllo iure propter impedimentum non ablatum ab ipso peteretur. At verò in casu nostro ius ad separationem, & diuortium perpetuum nõ consequenter, sed immediatè tribuitur coniugi Catholico ab Ecclesia in pœnam hæresis: sicut seruis conceditur immediatè libertas ob hæresim domini: neque enim illa libertas est effectus procedens ex aliquo impedimento tenente se ex parte domini, sed est beneficium propriè seruis concessum in odium domini, quod beneficium semel seruo concessum non potest ab eo inuito auferri, similiter in casu nostro coniugi Catholico immediatè, & non consequenter conceditur facultas diuertendi in perpetuum, quæ facultas, & quasi libertas à debito cohabitationis, & thori semel ei concessa non potest ab eo inuito auferri; quia id quod nostrum semel est, sine facto nostro auferri à nobis non potest, iuxta vulgarem iuris regulam.

59 Confirmatur, & explicatur primò hæc differentia exemplo excommunicationis, quæ priuat excommunicatum iure agendi in iudicio, atque ideo aduersarius potest eum exceptione repellere, vt constat ex cap. 1. de exceptionibus in 6. & tamen quia hæc facultas repellendi non cõceditur aduersario immediatè, sed est effectus naturæ suæ consequens ex impedimento tenente se ex parte actoris, qui ob excommunicationem non habet ius agendi in iudicio; hinc fit vt inuito aduersario possit totum illud impedimentum per absolutionem auferri, & consequenter aduersarius non habet ampliùs facultatem illum repellendi. Sic ergo se habet impedimentum ex copula illa incestuosa, quod totum se tenet ex parte coniugis incestuosi, & ideo potest inuito altero coniuge innocente auferri.

Confirmatur secundò quia impedimentum coniugis incestuosi ex copula cum cõsanguineis coniugis post matrimonium ortum non potest per conditionem coniugis innocentis condonati, itaut postea possit coniux incestuosus liberè debitum petere; sed debet per solam dispensationem auferri: cùm tamen ius ad diuortium, quod coniux Catholicus post iudicium Ecclesiæ habet, vt diuertat ab hæretico etiam conuerso in perpetuum, possit per ipsius coniugis Catholici condonationem auferri. Quæ differentia oritur solùm ex eo quod impedimentum primum ita sit pœna, vt non imponatur in fauorem coniugis innocentis, sed in meram pœnam incestuosi, licèt consequẽter innocens habeat facultatem negandi copulam; at verò ius ad diuortium ab hæretico ita est pœna, vt sit etiam fauor Catholico concessus, vt notauit Sanchez dicto lib. 10. disp. 15. num. 26. vbi obiter hanc nostram sententiam significauit dicens de hoc iure ad diuortium: *Vnde ipso Catholico inuito nequit id impedimentum tolli*: quia nimirum fauor ei immediatè concessus non potest ipso inuito ab eo per dispensationem auferri.

Quæritur quintò, qualis Ecclesiæ sententia 60
desideretur ad hoc ius diuortij perpetui, an scilicet sententia diuortij expressa, an verò sufficiat sententia declarans coniugem hæreticum, & an sufficiat sententia declarans fuisse hæreticum, an verò requiratur sententia declarãs esse adhuc hæreticum impœnitentem, & non reconciliatum. *Qualis Ecclesiæ sententia desideretur ad ius diuortij perpetui.*

Prima sententia est Durandi *in 4. disp. 39. diss. vnica, propositione* 13. dicentis, sufficere si hæreticus in absentia damnetur, & eius statua combutatur; secus si per inquisitores reconciliatus sit. Ab hac sententia parum distat Rebellus 2. *part. de oblig. iustit. lib. 2. quæst. 18. num. 5. & seqq.* qui docet, si vxore directè agente ad separationem ob causam hæresis, lata sit ab Ecclesia sententia diuortij, non teneri postea vxorem ad recipiendum virum reconciliatum, & emendatum, si vxor velit ingredi religionem, iuxta id quod deciditur in dicto cap. *de illa*. Si verò non præcessit sententia directa diuortij, sed condemnatio hæretici, vt pertinacis, licèt non sit improbabile, quòd possit etiam tunc vxor religionem ingredi; verius tamen esse, viro postea reconciliato reddendam esse vxorem, saltem si non fecerit professionem in religione: si verò eam fecerit, possit in foro conscientiæ vxorem non redire, in foro tamen externo reddendum esse viro resipiscenti, quoties sententia de diuortio non præcessit. Si verò vxori constet coniugem non esse emendatum, poterit, si damnum spirituale sibi ab eam consortio timeat, ad eum non redire, quantumuis ab Ecclesia redire cogatur. Vnde tandem *sectione* 3. concludit, quando vir per sententiam declaratur fuisse hæreticus, sed iam nunc emendatus, & ideo publicè reconciliatur, cogendam esse vxorem in vtroque foro ad illum recipiendum, nec posse ingredi religionem & in vniuersum quoties diuortij sententia expresse, non præcessit, debere reddi vxorem viro resipiscenti: præcedente tamen diuortij sententia ob hæresim posse vxorem religionem ingredi: quod si velit in sæculo manere reddendum esse coniugi, quoties resipuerit. Hæc Rebellus loco citato. *Prima sententia.*

Alij plures communiter docent, sufficere iu- 61
dicium Ecclesiæ, quo declaratur coniux hæresim contraxisse, etiamsi specialiter non declaret, facultatem diuortij alteri coniugi competere, quo iudicio posito, etiamsi hæreticus resipiscens reconcilietur Ecclesiæ, coniux Catholicus potest ad eum nunquam redire. Ita plures, quos affert, *Sententia communis.*

& sequitur Sanchez *dicta disp.*15. *num.*20. Basilius Pontius *dicto lib.9.cap.*22.*num.*3.Hurtado *dicta disp.*76.§.206.& alij,quos afferunt.

Probant verò sufficere, quod coniux declaretur ab Ecclesia hæreticus, licèt non declaretur impœnitens, sed ob pœnitentiam ad reconciliationem admittatur. Quia sicut aliæ pœnæ hæreticis impositæ non requirunt impœnitentiam, nec per pœnitentiam subsequentem auferuntur, sed incurruntur eo ipso, quòd aliquis hæresis damnetur; ita dicendum videtur de hac pœna, ad quam decreta suprà allegata nihil aliud petunt, nisi vt coniux propter coniugis hæresim iudicio Ecclesiæ separetur,& eo ipso dicunt,non esse coniugi reddendum, postquam ad fidem reuersus fuerit.

62 Obiicit primò Rebellus *vbi suprà num.*10. *§. prima ratio*,quia iudices,& inquisitores,quando hæreticum pœnitentem puniunt, non intendunt imponere hanc pœnam perpetui diuortij, imò contendunt, vt à suo coniuge benevolè recipiatur, provt dicit in Lusitania fieri. Responderi posset, imò hinc posse argui coniugem Catholicum habere ius ad diuortium, siquidem contendunt iudices in gratiam pœnitentis ab eo impetrare, ne iure suo vtatur, sed coniugem reconciliatum benevolè recipiat. *Obiectio 1.*

Obiicit secundò *ibidem*, quia si Ecclesia hoc intenderet,separaret coniuges fideles, postquam infideles esse desierunt, atque adeò cessante iam omnino causa separationis, quod iniquum esse constat. Responderi posset ex decretis suprà allegatis constare, quod Ecclesia in odium hæresis concedere velit coniugi Catholico ius,vt si iudicio Ecclesiæ discessit, non redeat ad coniugem, etiamsi conuertatur ad fidem. Nec hoc iniquum est, quia sicut confiscationem bonorum, & alias pœnas perpetuò sustinet hæreticus, etiamsi conuertatur, & reconcilietur; potest etiam hanc pœnam diuortij sustinere, præsertim cùm hæc possit à coniuge postea condonari,aliæ verò pœnæ non ita facilè possint auferri. Est etiam congruentia ex parte coniugis Catholici, cui durum esset, si cogeretur postea ad coniugem infamem, & damnatum redire, vt apud eum manens fieret etiam particeps infamiæ: quare meritò hoc totum benevolentiæ coniugis relinquitur. *Obiectio 2.*

63 Obiicit tertiò §. *sequenti*, quia hæc facultas perpetua cederet in præiudicium fidei: nam si vterque coniux esset hæreticus contingeret, quòd coniux nondum deprehensus minitaretur alteri iam comprehenso diuortium, si eum apud iudices manifestaret, vnde occultarentur hoc metu multi hæretici. Responderi posset, quidquid sit, an ius diuortij competat hæretico aduersùs hæreticum,de quo postea,casum esse non moralem, sed metaphysicum, cùm nunquam hæminæ fuerint intentatæ, nec quidem moraliter intentari posse, cùm non pateat aditus ad coniugem carceratum, vt coniux liber hoc ei dicat, nec deessent alia mala, quibus posset eum deterrere ab ipso detegendo,etiamsi non possit minari diuortium. *Obiectio 3.* *An ius diuortij competat hæretico aduersus hæreticum remissiuè?*

64 Vt tamen verum fatear,mihi adhuc satis probabile est,sicut coniux non potest propria auctoritate recedere à coniuge, postquam iam est conuersus; sic nec posse petere diuortium iudicio Ecclesiæ,nisi id petat, quando adhuc coniux est hæreticus.Fateor cum Sanchez,& aliis,diuortio hoc semel concesso,non esse cogendum coniugé vt redeat postea ad coniugem,quando conuertitur: puto tamen non posse peti nec dari hoc diuortium,nisi quando coniux in hæresi, vel infidelitate adhuc manet. Nam decreta omnia suprà adducta,ex quibus ius ad hoc diuortium, & eius perpetuitatem habemus, loquuntur planè de vxore,quæ à viro iudicio Ecclesiæ recessit ob hæresim,in qua adhuc maritus permanebat. Sic loquitur Vrbanus III.in dicto cap. *de illa*, supponit enim vxorem separatam iudicio Ecclesiæ ab hæretico,&ideo non esse illi reddendam,quando postea conuertatur. Si ergo postea conuertitur, antea hæreticus adhuc erat tempore separationis; eodem modo loquitur Gregorius IX. in dicto cap. *mulier*, de conuersione coniugatorum, dum dicit, posse inuito viro, qui ab infidelitate reuertitur,fieri religiosam vxorem, quæ antea ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ ob infidelitatem separata: fuerat ergo separata ob infidelitatem adhuc perseuerantem tempore separationis; siquidem postea sequuta fuit mariti conuersio. Nec habemus textum, in quo separatio concedenda dicatur ob hæresim præteritam, quare non video, quo fundamento hanc pœnam adstruere possimus,quam nullo iure videmus induci, nisi durante adhuc coniugis infidelitate. Aliunde etiam concedenda viderentur absurda aliqua, & contra totius Ecclesiæ praxim:si enim in Germania nunc duo coniuges hæretici Ecclesiæ reconcilientur, quis credat si vir triduo ante vxorem reconciliatus fuit posse postquam vxor etiam reconciliata est, petere diuortium ab ea, eo quod in hæresi permanserit triduo post viri conuersionem. Hoc certè inauditum est, & meritò petitio illa irridebitur. Non ergo sufficit hæresis præterita ad hoc diuortium intentandum, nec id vspiam in iure inuenitur concessum.Vnde meritò hanc sententiam expressè tradiderunt Ioan. Andræas *in dicto cap. finali de conuers. coniugat. num.*2. & Ancharanus *ibid.num.*4. *Sententia Auctoris circa prædicta.*

61 Maior difficultas esse potest,an ad hoc diuortium perpetuum sufficiat sententia super crimine, quin explicè feratur super diuortio. Et quidem licèt opinio suprà adducta, quòd sufficiat sententia lata super crimine probabilis sit; mihi tamen magis placet, quod requiratur sententia prolata super ipso diuortio. Ratio autem est, quia quamuis pœnæ aliquæ sint, quæ vt incurrantur,& exequutioni mandentur,non sit necesse quòd Iudex eas pœnas imponat,quia impositæ sunt à lege, ita vt non sit in potestate iudicis eas impedire, sed eo ipso quod Iudex condemnat reum talis criminis pœnæ censentur impositæ à lege iure ipso sine altera sententia: aliæ tamen sunt pœnæ designatæ quidem à lege,sed ita vt requiratur sententia iudicis eas pœnas imponentis,vt cum aliis probat,& explicat Thomas Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*22.*num.*27. vbi notat, prioris generis esse pœnam confiscationis bonorum, quando *ipso facto*, vel *ipso iure* per legem imponitur, iuxta id quod dicitur in cap. *cum secundum leges* de hæreticis in sexto, vbi ita statuitur: *confiscationis exequutio non fiat, donec sententia fuerit promulgata super crimine.* Requiritur ergo, & sufficit sententia super crimine hæresis, vt confiscationis pœna exequutioni mandetur,quamuis sententia nihil explicitè de confiscatione dixisset.Quo supposito,verius videtur pœnam diuortij perpetui non esse prioris gene- *An alia diuortia perpetua ipso iure fiant super crimine, quam hæresi? Et quando?*

ris, sed posterioris, & requiri iudicis sententiam de ipso diuortio, vt possit contra hæreticum exequutioni mandari. Nam decreta, ex quibus hæc pœna colligitur, sunt dictum caput, *de illa*, & dictum cap. *mulier*, in quibus si eorum verba considerentur, videtur exigi non solum iudicium Ecclesiæ circa hæresim, sed etiam circa separationem, seu diuortium. Nam in dicto cap. *de illa*, Vrbanus III. dixit reddendam esse viro conuersso vxorem, quæ sine iudicio Ecclesiæ ab eo recessit: & statim addit: *Si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendum.* Quæ verba intelligenda videntur in sensu formali de iudicio Ecclesiæ iudicantis posse recedere à viro: nam facere aliquid ex consilio, vel iudicio Petri, est Petrum consuluisse, vel iudicasse vt fieret: recedere ergo iudicio Ecclesiæ, est quod Ecclesia iudicauerit posse recedere. Quem sensum magis explicuit Gregorius IX. in dicto cap. *mulier*, vbi sic ait: *mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè conuolare.* Vbi exigitur quod Ecclesia ipsa separationem fecerit, quod propriè non fit, quando sola hæresis declaratur, nec sine violentia, & improprietate possunt ea verba alium sensum admittere: Cùm ergo non habeamus aliunde hanc pœnam diuortij perpetui, nisi ex iis decretis, in quibus tamen non exigitur sola sententia de crimine, vt factum fuerat circa pœnam confiscationis, sed iudicium de diuortio, & separatione, & nusquam hæc pœna *ipso facto*, aut *ipso iure* lege aliqua imponatur, non est cur dicamus, sufficere sententiam de crimine, nec opus esse, quòd à iudice Ecclesiastico sententia etiam diuortij proferatur.

66 *An coniux possit diuortium perpetuum apud iudicem petere quãdo coniux nõ in publico, sed secretò ab hæresi reconciliatus est?*

Quæri tamen potest sextò, an coniux possit hoc diuortium perpetuum apud iudicem petere, quando coniux non in publico, sed secreto pœnitentiam ab inquisitoribus accepit, & ab hæresi reconciliatus fuit. Affirmant Sanchez *dicto lib.* 10. *de matrim. disp.* 15. *num.* 20. *in fine*, & Hurtado *dicta disp.* 7 6. §. 206. quia siue in publico, siue in occulto, iam præcedit iudicium Ecclesiæ, quod sufficit ad perpetuum diuortium. Negant tamen id sufficere. Rebellus *vbi supra sect.* 3. & Barbosa apud Sanchez *loco proximè citato*, vbi fatetur huic etiam sententiæ fauere Sotum ibidem adductum.

Hæc quæstio videtur ex parte à præcedenti quæstione pendere. Qui enim dicunt, sufficere ad diuortium perpetuum, quòd præcedat iudicium Ecclesiæ de hæresis crimine, consequenter dicent, sufficere, etiamsi non in publico, sed secretò sententia proferatur; quia iam præcedit verè iudicium Ecclesiæ. Supposita tamen sententia, quam magis probauimus, quòd requiratur etiam Ecclesiæ iudicium circa diuortium, & separationem, posset magis dubitari, an reconciliato coniuge post sententiam secretam possit alter coniux vti iure suo, & petere diuortium, & an debeat iudicio Ecclesiæ id concedi. Videtur enim, id fore contra intentionem iudicum, qui ideo noluerunt in publico reum reconciliare, quia voluerunt eius famæ, & existimationi consulere, dum sententia in occulto profertur, & pœnitentia secreta imponitur. Id autem totum frustra fieret, si posset coniux obtinere diuortium legitimum intuitu illius sententiæ, & reconciliationis secretæ: nam eo ipso publicaretur sententia, & condemnatio præcedens; quod confirmari potest, quia confiscatio etiam bonorum est pœna magis annexa hæresi, & ad quam exequendam sufficit declaratio criminis, vt ex cap. *cum secundum leges*, de hæreticis in 6. supra vidimus; & tamen hæc ipsa pœna non mandatur aliquando exequutioni contra hæreticum, cui pœnitentia per secretam sententiam imponitur, vt videntur sentire plures, quos affert Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 5. *punct.* 24. *n.* 2. multò ergo minus debet exequutioni mandari pœna diuortij, ad quam noua sententia circa separationem, & diuortium requiritur.

67 Ego tamen in primis puto, sequendo sententiam dicentem posse intentari hoc diuortium, etiam post reconciliationem, & ob hæresim præteritam dicendum esse, si verè sententia condemnatoria circa hæresim præcessit, posse alterum coniugem diuortium petere, nec id posse à iudice Ecclesiastico negari, excepto semper Summo Pontifice, qui pœnam remittere potest. Nam decreta Pontificum, vt vidimus, eam pœnam statuunt, & quidem in fauorem coniugis Catholici, qui eo ipso habet ius petendi, vt iudicio Ecclesiæ declaretur id, quod ei de iure competit, nec potest iudex inferior pœnam lege statutam in fauorem tertij ei non applicare requisitus ab eo cuius interest: cùm ergo iam constet de crimine per sententiam, non potest iudex negare id, quod coniux iure suo petit, iuxta facultatem, & ius lege sibi concessum. Nec obstat, eo pacto posse diuulgari sententiam in occulto prolatam: quia in primis id per accidens erit, & quamuis iudices voluerint benignè, quantum erat ex parte sua consulere famæ delinquentis, non tamen se obligarunt ad id non detegendum, quando iure cogerentur. Pone enim, quod ageretur postea de illo eligendo ad Episcopatum, vel aliquid aliud, ad quod hæresis præterita esset impedimentum legitimum, & propter suspicionem de sententia, & reconciliatione illa cogeretur dicere, an haberet tale impedimentum. Adde, quoties sententia iudicè pronuntiatur, non manere vnquam rem ita occultam, vt non generetur infamia aliqua in reo damnato, ratione cuius durum sit coniugi, si cogatur ad illum recipiendum: quare potuisset ex lege ius habere, vt ab hac obligatione liberetur.

68 Nec etiam obstat, quòd pœna confiscationis, non semper in eo casu mandetur exequutioni: quia præterquam quod in Hispania nulli hæretico remittitur confiscationis pœna, nisi sponte comparanti, vt testatur Simancas & Peña, quos affert & sequitur Castro Palao *vbi supra num.* 3. Aduertendum est, pœnam illam non ita absolutè latam esse lege Ecclesiastica, sed cum facultate, vt iudices fidei possint eam in aliquibus casibus remittere, vt colligitur ex cap. *Vergentis*, de hæreticis, vbi de hæreticis dicitur: *neque ad eos bona vlterius reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit.* Atque ita remitti posse in aliquibus casibus fatentur Glossa ibi, Abbas, Felinus, Farinacius, Simancas, & alij, quos affert & sequitur Castro Palao *dicto punctо* 24. *num.* 1. quæ tamen facultas non inuenitur concessa illis iudicibus quoad remissionem diuortij.

69 *An coniuge hæretico reconciliato absque sententia, atque ad pœnitentiam admisso*

Difficiliùs tamen potest septimò quæri, an coniuge hæretico sponte comparente, & reconciliato absque sententia, atque ad pœnitentiam admisso

qñe lato abs-que sententia Possit coniux catholicus celebr iudicium Ecclesiæ circa diuortium?

admisso, & consequenter ad eandem opinionem quod possit ob hæresim præteritam peti hoc diuortium, possit coniux Catholicus petere iudicium Ecclesiæ circa diuortium. Negant omnes, qui de condemnato iudicio secreto negarunt, & rursus idem videtur sentire Hurtado *dicta disp.* 76.§.206. his verbis, *si verò hæreticus sine accusatore adit iudicium, & ab eo reconciliatur more paterno, absque strepitu iudiciali, non potest deseri ab alio coniuge; quia illa non est sententia, nec eam sequitur vlla pœna forensis:* & ratio videtur esse, quia cùm hæc separatio sit pœna, non potest infligi hæretico non damnato, nec potest esse damnatio, vbi nulla est condemnatoria sententia.

Hæc doctrina adhuc non caret difficultate; quia si decreta Pontificum ad hoc perpetuum diuortium coniugi Catholico concedendum nihil aliud exigunt, nisi ne fiat propria coniugis auctoritate, & sine iudicio Ecclesiæ, non facile apparet, cur coniux Catholicus non possit intentare causam diuortij ob hæresim coniugis, quamuis nulla de crimine sententia præcesserit. Vtitur enim iure suo ab Ecclesia sibi concesso, vt quia coniux hæreticus extitit, Ecclesiæ iudicio liceat ipsi ab eo recedere. Poterit autem coniugis hæresim ex propria confessione comprobare, qua hæresi probata videtur habere ius ad separationem Ecclesiæ iudicio faciendam.

70 Ego distinguendum puto, si enim coniux Catholicus probare potest in iudicio hæresim sui coniugis; videtur consequenter ad illam opinionem posse, & debere audiri, vt obtineat iudicio Ecclesiæ facultatem, & diuortium, & separationem, quamuis coniux sponte ante comparuerit, & absque sententia condemnatoria reconciliatus fuerit. Si verò in iudicio non probare id potuerit, confessio coniugis sponte comparentis non faciet, quod ex vi illius iudices proferant sententiam separationis. Ratio prioris partis est, quia hæc separatio fit quasi pœna hæresis, ob quam Catholico datur ius ad diuortium auctoritate Ecclesiæ faciendum: non est tamen merè pœna, sed fauor etiam mixtus, qui conceditur coniugi Catholico. Sicut etiam dotis amissio est pœna vxoris adulteræ, sed simul est fauor viri innocentis, vt dotem lucrari possit, & petere à iudice, vt eam sibi applicet; quare licèt vxor sponte comparens apud iudices adulterium proprium confessa impunitatem impetrasset; non tamen censeretur derogatum iuri mariti, ad lucrandam sibi dotem, & eam coram iudice petendam, si adulterium vxoris probare posset: nam impunitas concessa vxori non debet esse in præiudicium viri innocentis, cui ex lege ius datum est ad dotem lucrandam. Idem ergo dicendum videtur de hoc iure ad diuortium, quod ita est pœna hæretici, vt sit fauor lege concessus coniugi Catholico, cui in odium hæresis conceditur lege fauor ille, vt possit Ecclesiæ iudicio in perpetuum separari. Non est ergo hæc pœna sicut confiscatio bonorum, quæ est in merum odium hæretici, per accidens autem, & consequèter prouenit lucrum fisco, cui bona hæretico ablata applicantur. In nostro autem casu immediatè attenditur fauor coniugis Catholici fugientis hæretici consortium, & in eius fauorem imponitur etiam hæc pœna coniugi hæretico, arbitrio tamen coniugis catholici exequenda, si ad Ecclesiæ iudicium recurrat: sicut amissio dotis vxoris adulteræ respicit immediatè fauorem viri innocentis, & qui grauiter ab vxore læsus fuit, & ideo adulteræ imponitur etiam hæc pœna, si maritus eam à iudice petere voluerit.

Posterior verò nostræ sententiæ pars locum non semel habere poterit, quia sæpe coniux non poterit in iudicio probare hæresim sui coniugis, vt diuortium obtineat, nimirum quoties sponte comparens, non solùm voluit sibi promitti impunitatem ab aliis pœnis, & pœnitentiis publicis, sed voluit etiam sibi ad hæc alia præcauere, dando notitiam sui delicti solùm in foro paterno, ita vt notitia illa non posset ad iudicium contentiosum deseruire, sed solùm ad remedium spirituale suæ animæ: quoad cætera verò inquisitores non possunt vti notitia, & confessione illa. Postea ergo, quamuis coniux Catholicus ex suspicionibus, & rumoribus id sciat, non tamen poterit sufficienter in iudicio probare hæresim sui coniugis, nec recurrere ad notitiam, quam inquisitores aliunde habent, quia notitia illa deseruire solùm potest ad remedium, non ad damnum hæretici: in quo, & similibus admitto sponte comparentes effugere posse hoc iudicium Ecclesiæ ad diuortium; secus verò, quando aliunde probari potest eorum hæresis à coniuge Catholico: tunc enim impunitas eis promissa sponte comparentibus non aufert ius suum coniugi Catholico, ne causam diuortij ob hæresim coniugis prosequi possit, si reuera diuortium ob hæresim præteritam peti potest. In nostra tamen sententia hæ duæ vltimæ quæstiones locum non habent, quia ius ad hoc deuortium non conceditur, nisi durante coniugis hæresi: quare siue ipse sponte comparens, siue per sententiam secretam reconciliatus sit, non potest postea coniux intentare separationem iudicio Ecclesiæ, sed solùm posset in eo perseuerare, si ante reconciliationem iudicio Ecclesiæ separati fuissent.

An ad separationem ob hæresim sufficiat vnicus lapsus, an verò exigatur repetitio, & perseuerantia, quæ ostendat incorrigibilitatem.

Quæritur octauò, An ad separationem ob hæresim sufficiat vnicus lapsus, an verò exigatur repetitio, & perseuerantia, quæ ostendat incorrigibilitatem. Negant communiter doctores sufficere vnicum lapsum ad separationem auctoritate propria, licèt sufficiat ad eam iudicio Ecclesiæ faciendam. Plures affert, & sequitur Sanchez *dicto lib.*10. *disp.*15. *num.*11. Pontius *dicto lib.*9. *cap.*22. *num.*2. Hurtado *dicta disp.* 76. §.208. qui benè aduertit, sufficere vnum actum adeo vehementer expressum, vt non sit spes melioris frugis. Ratio autem est, quia cùm facultas discedendi ante iudicium Ecclesiæ non sit in pœnam, sed ex ipso iure naturæ ob periculum commercij, & cohabitationis cum hæretico, necesse est, quòd hæresis ita egerit radices in corde coniugis, vt sit ab ea timendum: ex eo enim quod casu, & ex fragilitate semel, aut iterum coniux lapsus sit, ita vt facilè resurrecturus, & corrigendus credatur, non timetur prudenter tale periculum, imò coniugij ipsius amor exigit, vt coniugi lapso manus porrigatur à coniuge Catholico, nec in ea necessitate spirituali deseratur. Cur autem vnicus actus aduersarij sufficiat ad diuortium, non verò vnus actus hæresis, ratio facilis est, quia per adulterium frangitur fides matrimonij, & frangenti fidem, non debet fides seruari: per hæresim autem matrimonij fides non frangitur, sed solùm periculum commercij pernicioſi reddit licitam separationem, quandiu coniux hæreticus non resipiscit, vel

vel quando intercedit iudicium Ecclesiæ concedentis diuortium perpetuum in fauorem coniugis Catholici,& odium hæretici.

73 *An si vterque coniux sit hæreticus p̃ sit qu libet vel auctoritate propria ad tẽpus, vel Ecclesia iudicio in perpetuum ab altero diuertere*

Quæri potest nonò, an si vterque coniux sit hæreticus, possit quilibet vel propria auctoritate ad tempus, vel Ecclesiæ iudicio in perpetuum ab altero diuertere. Affirmant Doctores recentiores, Sanchez dicto lib.10. disput.16. num.4. Hurtado dicta disp.76. §.220. & fauet Basilius *dicto cap. 22. num.6.* Quia pœna hæc imposita est in odium hæretici: ex eo autem, quod actor sit æquè nocens,non minuitur alterius delictum, nec fit vt minori pœna dignus sit. Nec obstat exemplum adulteri, qui non potest diuortium petere ab alio coniuge adultero, sed delicta quoad hoc compensantur: est enim differentia, quod diuortium ob adulterium conceditur in fauorem coniugis innocentis, & ab ipso debet hæc pœna infligi: diuortium verò ob hæresim conceditur in pœnam hæretici, qui semper manet ea pœna dignus, licèt coniux etiam hæreticus sit.

74 Hæc sententia nunquam mihi satis placuit nec eam in antiquioribus reperio; nec vnquam in vsu fuit, nec fortè moraliter continget, quod vnquam ad praxim reduci posset, & quod hæreticus petat diuortium ab hæretico, quia hæreticus est. Et in primis loquendo de separatione propria auctoritate facta absque iudicio Ecclesiæ non facilè apparet, quomodo possit subsistere, cùm iidemmet Auctores doceant, separationem illam non esse pœnam, sed esse licitam de iure naturæ ob vitandum periculum peruersionis.Quomodo ergo potest maritus.v.g.hæreticus, qui ipse propriam vxorem iam peruertit, & hæreticam fecit, separari ab illa, quandiu vxor non conuertitur,& hoc ad vitandum periculum ex eius consortio, cùm tamen vir ipse in hæresi obstinatè persistat, & vxorem in hæresi confirmet; Apparentius dici posset, quòd vxor tunc adhuc hæretica possit discedere à viro, si tamen aliqualem animum habeat cogitandi meliùs de religione vera eligenda,& examinanda,cui mariti conuictus impedimento maximo esse posset.

75 Loquendo verò de separatione, & diuortio faciendo auctoritate, & iudicio Ecclesiæ, non video, quomodo ex decretis Pontificum colligi possit, hæretico etiam aduersùs hæreticum facultatem hanc concessam fuisse: Imo enim expressè dicunt id coniugi Catholico concedi aduersùs hæreticum, vt constat ex sæpe citatò capitulo finali de conuersione coniugatorum,cuius verba sunt clara: *Mulier quæ in fide remansit potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur propter quam fuerat ab eo Ecclesiæ iudicio separata, ad religionẽ liberè conuolare,* in quo eodem, sensu loquutus fuisse videtur Vrbanus III. in dicto cap. *de illa*, de diuortiis, vbi non videtur dubium, quòd de vxore Catholica loquatur, dum dixit, *de illa, quæ à viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cùm reuersus fuerit, est reddenda, quæ etsi reuerti noluerit, compellatur; si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Certè si vxor fuisset hæretica frustrà censuris Ecclesiæ compelleretur,vt ad virum conuersum rediret, cùm ipsa Ecclesiæ censuras contemneret. Imò parum prudenter præciperet Pontifex, quod mulier hæretica redderetur viro iam ad fidem conuerso; deberet enim potiùs separata tunc magis retineri, ne virum conuersum iterum peruerteret.Denique minus de vxore hæretica verificari possent verba postrema, *si iudicio Ecclesiæ ab eo recessit*:quomodo enim vxor hæretica, quæ Ecclesiam non agnoscit veram, recurrisset ad Ecclesiæ veræ iudices Catholicos vt diuortium obtineret? Decreta ergo illa nunquam egerunt, nisi de discessu coniugis Catholici, ab hæretico, & hæc sola quæstio erat illo tempore agitata provt satis significauit Innocentius III. in dicto cap. *Quanto*,de diuortiis, dicens. *Per hanc ipsam responsionem soluitur illa quæstio, vtrum ad eum, qui ab hæresi, vel infidelitate reuertitur is qui permansit in fide, redire cogatur.* Non ergo erat quæstio generalis,de quolibet coniuge,sed de illo qui in fide remanserat,an posset coniuge iam conuerso adhuc separatus remanere.

76 Ratione item probari hoc ipsum potest secundò, quia inutilis esset lex concedens coniugi hæretico facultatem diuortij iudicio Ecclesiæ faciendi à coniuge hæretico: quia nunquam coniux hæreticus iudicium Ecclesiæ adiret, cùm veram Ecclesiam non agnoscat,nec eius potestatem, sed ab ea per hæresim se separauerit. Quorsũ ergo Ecclesia hunc fauorem lege sua promitteret hæreticis manentibus hæreticis, qui nunquam eo frui per Ecclesiæ iudicium vellent?

Tertiò probatur, quia coniux hæreticus excommunicatus est ipso facto, vt constat, excommunicatus autem excommunicatione maiori, non debet audiri in iudicio tanquam actor, sed repellitur ab agendo eo ipso quòd est excommunicatus, vt constat ex *cap.1. de exceptionibus in 6.*& ex cap.*solet.* de sententia excommunicationis eodem libro.Quod procedit etiam in excommunicato tolerato, & quidem, quando editæ fuerunt illæ decretales Vrbani III. & Gregorij IX. omnes excommunicati excommunicatione maiori erant vitandi, & non tolerati; quare inutiliter concederetur tunc hæretico ius agendi ad diuortium, cùm eo ipso, quod esset hæreticus,non deberet in iudicio audiri ad aliquid petendum.

77 Quartò denique ratio à priori est, quia falsò supponitur hanc esse meram pœnam, & non etiam fauorem concessum coniugi Catholico; constat enim ex dictis, esse etiam fauorem coniugi concessum,& ideo ipse solùm petente mandatur exsequutioni, & ipse coniux Catholicus potest postea iuri suo cedere, & reconciliari coniugi, à quo per iudicium Ecclesiæ discesserat, quod non posset facere,si esset mera pœna, vt constat in eo,qui cognouit consanguineam coniugis, & ideo non potest ampliùs debitum coniugale ab vxore petere,nec coniux innocens potest ei hanc pœnam remittere,quia non est fauor coniugis innocentis, sed mera pœna coniugis incestuosi.Non est ergo fundamentum, vt dicamus Ecclesiam hunc etiam fauorem coniugi hæretico concessisse aduersùs coniugem hæreticum.

Hoc tamen contrariæ sententiæ concederem quando vterque coniux in hæresim lapsus est,& postea alter ad fidem reuertitur,posse hunc coram iudice Ecclesiastico agere, & petere diuortium à coniuge,nec posse excludi, eo quòd etiam ipse fuerit hæreticus, quia iam nunc est Catholicus & vult recedere à coniuge ob eius hæresim, atque

que ideo verificatur de illo, quod remanens in fide à coniuge ob infidelitatem recedit, quod solùm potuit Pontifices in illis decretis ad hoc diuortium perpetuum concedendum.

78 *An coniux qui prior ab hæresi recessit, possit petere diuortium à coniuge, qui in hæresi remansit, etiam postquam reconciliatus est.*

Difficultas esse posset, an coniux qui prior ab hæresi recessit, possit petere diuortium à coniuge, qui in hæresi remansit, & hoc etiam postquam hic etiam ad fidem rediit, & reconciliatus est. Hæc tamen difficultas solùm procedit in sententia dicente, posse hoc diuortium ob hæresim præteritam, etiam postquam coniux est Ecclesiæ reconciliatus. Imò propter hoc absurdum ab illa sententia suprà recessimus, quia possent coniuges hæretici, postquam vterque est Ecclesiæ reconciliatus alter ab altero diuortium intentare, eo quod hæretici fuerint; quod certè inauditum est, & nullo modo in iudicio Ecclesiæ audirentur. Vnde constat hanc actionem nō concedi, nisi perseuerante adhuc coniuge in sua hæresi, vel infidelitate, prout ex ipsis Pontificum decretis supra deduximus.

79 *An coniux separatus à coniuge hæretico ob eius hæresim possit ingredi religionem.*

Decimò quæritur, an coniux separatus à coniuge hæretico ob eius hæresim possit ingredi religionem. De coniuge Catholico iam dictum est supra, non posse ingredi, si recessit auctoritate propria, posse verò si iudicio Ecclesiæ recessit, vt constat ex dicto cap. finali de conuersione coniugatorum, & aliis iuribus. Idem autem dicendum de facultate recipiendi ordines sacros extra religionem, docet Sanchez *dicta disp.* 15. *num.* 21. qui bene aduertit *num.* 22. ad hoc, vt Catholicus fiat religiosus, vel accipiat ordinem sacrum post sententiam illam diuortij, non esse necesse quòd alter coniux damnatus de hæresi fiat etiam religiosus, vel voueat castitatem manens in sæculo, quia hæc facultas Catholico conceditur in prædictis decretis, sine vlla conditione, aut limitatione, nec potest ille alius coniux cogi inuitus ad professionem religiosam.

80 *Quid dicendum de coniuge hæretico à quo Catholicus discessit, an possit ipse postea conuersus ad fidem, fieri religiosus.*

Difficultas est de coniuge hæretico, à quo Catholicus discessit, an possit ipse postea conuersus ad fidem fieri religiosus. Et quidem si Catholicus propria auctoritate discessit, non est dubium quòd hæreticus postea conuersus non possit ingredi religionē, cùm Catholicus teneatur illum iam conuersum recipere, quare solùm posset id fieri, si vterque communi consensu religiosus fieret, sicut possunt ex communi consensu alij coniugati. Quando verò præcessit iudicium Ecclesiæ, vi cuius Catholicus diuortium fecit: tunc variæ sunt sententiæ, quas omitto, quia quæstio communis est etiam ad adulterum, à quo coniux innocens diuortium fecit, de qua videri potest Sanchez *dicta disp.* 15. *num.* 24. *& disp.* 10. *eodem lib.* Cum quo breuiter dicendum est, hæreticum post sententiam diuortij prolatam reconciliatum Ecclesiæ non posse, sine coniugis Catholici licentia, ingredi, & profiteri religionem: quia non obstante diuortij sententia, potest Catholicus quoties voluerit, hæreticum conuersum sibi reconciliare, & ad eum redire, nec diuortium datur in fauorem hæretici, sed Catholici, qui potest licentia sibi concessa vti, vel non vti, prout voluerit, & quantum voluerit. Censetur autem coniux Catholicus facultatem dare coniugi hæretico, vt religiosus fiat (& idem est ad ordinem sacrum suscipiendum, nisi irregularitas contracta obstet) quoties ipse Catholicus religionem profitetur; vel sacrum ordinem suscipit, cùm iam non possit amplius ad coniugem redire. Sufficit item, si licentiam ei expresse concedat, quamùis coniux Catholicus in sæculo maneat sine voto castitatis prout in simili dici solet de adultero per sententiam diuortij separato, in quibus consentiunt etiam Hurtado *dicta disp.* 76. §. 221. & Pontius *dicto cap.* 22. *num.* 4.

Vndecimò quæritur, quid iuris habeat coniux Catholicus, si per vim impediatur, ne iudicem Ecclesiasticum adeat, & diuortium petat? Respondet Hurtado *vbi supra* §. 222. posse Catholicum religionem ingredi, & profiteri, vel sacros ordines accipere: quia non debet hæretico fauere violentia, qua impedit ne Catholicus iure suo vtatur, & obtineat diuortium, ad quod obtinendum ius habet ex lege id concedente. Mihi tamen hoc difficile videtur; quia licèt in damno pecuniarum, & aliis, quæ resarciri possunt ab eo; qui iniuriam infert, detur ex iniuria obligatio ad reddendum indemnem eum, qui passus est iniuriam, & violentiam: in iis tamen, quæ non sunt in potestate eius, qui vim intulit, vt reddat indemnem illum, qui vim passus est, non potest locum habere regula illa. Hoc autem maximè locum habet in iis, quæ pertinent ad dissolutionem vinculi, vel thori matrimonij. Exemplum, est in matrimonio rato non consummato, in quo sponsi habent bimestre, quo possint non consummare, sed ingredi religionem, & per professionem dissoluere matrimonij vinculum. Vnde vir extorquens copulam intra bimestre à sponsa per vim oppressa, infert illi manifestam iniuriam contra iustitiam. Non tamen potest postea sponsa ita liberè ad religionem transire, vt dissoluat matrimonij vinculum, quia priuilegium illud dissoluendi vinculum datur professioni solùm circa matrimonium ratum, non circa consummatum, quale verè est illud, vt cum aliis pro certo tenendum docet Sanchez, *lib.* 2. *de matrimom. disp.* 22. *num.* 4. nec enim vis illa facit, quod matrimonium maneat solum ratum, & non consummatum: noluit autem Deus hanc facultatem concedere coniugi circa matrimonium reuera consummatum: similiter ergo noluit Ecclesia concedere diuortium perpetuum coniugi catholico, & facultatem ingrediendi religionem ob hæresim coniugis, nisi præcedente eiusdem Ecclesiæ iudicio. Vndecumque ergo proueniat, quod desit Ecclesiæ iudicium, non potest matrimonium dissolui perpetuò quoad thorum ob hæresim, nec etiam per professionem religiosam coniugis Catholici; Quia coniux hæreticus ob vim illatam, non tenetur ad ponenda ea, quæ ipse non potest ponere, non potest autem ipse manens in sæculo laicus dare facultatem vxori ad profitendam religionem, id enim sola Ecclesia facere posset, & non facit, nisi præcedente sententia diuortij ob hæresim coniugis.

81

Dicet aliquis, retorqueri posse contra nos exemplum adductum: nam si sponsa post matrimonium ratum intra bimestre per vim opprimatur ad copulam, quamuis, matrimonium non dissoluatur quoad vinculum, ipsa profitente religionem; potest tamen inuito marito religionem profiteri ipso in sæculo cælibe manente, vt cum aliis docet idem Sanchez *eadem disp.* 22. *num.* 6. quia sponsa ius habebat ingrediendi religionem, quo iure priuari non debet ab iniusto oppressore: ergo cùm coniux Catholicus habeat ius ad diuortium ab hæretico, non debet eo iure posse priuari per violentiam ab hæretico, sed ipso

ipso inuito poterit religionem profiteri. Respondeo negando Antecedens, & doctrinam illam Sancij, & aliorum, cuius contrarium docet communior Theologorum sententia, quos affert idem Sanchez, *ibidem num.* 5. & probat latè, & benè Basilius Pontius *lib.* 9. *de matrim. cap.* 10. *num.* 3. Nam illud diuortium non procederet ex priuilegio professioni religiosæ concesso, vt dissoluat matrimonium ratum: neque etiam ex alia facultate ab Ecclesia concessa, cùm nullibi reperiatur, neque ex consuetudine, cùm nunquam fuerit in vsu. Ratio autem à priori est, quam indicauimus, quia vir ratione iniuriæ non tenetur ad ea, quæ non sunt in eius potestate: non est autem in eius potestate, quod manente viro laico in sæculo, vxor possit fieri religiosa, cùm id Ecclesia vniuersaliter prohibuerit: non debet ergo vir id permittere ad resarciendam iniuriam per violentiam illatam.

83 *Maior difficultas.* Maior est difficultas, An licèt hæreticus per vim impediens ne vxor diuortium petat, non possit postea, nec teneatur sinere, quòd vxor transeat ad religionem, prout transire potuisset, si petiisset diuortium; teneatur tamen permittere, quòd vxor sit separata ab eius thoro, sicut fuisset si obtinuisset iudicium Ecclesiæ ad diuortium, si suo tempore potuisset illud petere. Ratio dubitandi esse potest, quia si ratione violentiæ adhibitæ vir tenetur ad permittendam vxoris separationem, nec potest eam cogere ad thorum repetendum; iam videtur vxor absque iudicio Ecclesiæ obtinuisse diuortium perpetuum. Quid enim vxor Ecclesiæ iudicio obtineret, nisi facultatem separationis à viro, donec ipsa redire vellet? Hoc autem totum videtur per violentiam sibi factam obtinuisse, cùm iam non possit ampliùs vir eam cogere ad thori repetitionem.

84 Cæterùm in rigore loquendo, non videtur negandum coniugi Catholico hoc saltem ius ad thori separationem ob violentiam sibi factam ad non petendum diuortium, quod petere volebat. Diximus enim, virum ratione iniuriæ, & violentiæ illatæ obligari ad reddendam indemnem vxorem in iis omnibus, in quibus ipse indemnem reddere potest. Hoc quippe onus secum affert iniuriam cõtra iustitiam, vt qui eam intulit, debeat si potest reddere illum, qui iniuriam passus est, in eum statum, in quo fuisset, nisi præcessisset iniuria, ita vt nihil minus habeat, quàm secluſa iniuria habuisset. Hoc enim est ęqualitas, quam iustitia intendit. Quamuis autem vir non possit permittere postea vxori ingressum in religionem, quia leges Ecclesiæ non permittunt hunc ingressum durante vinculo matrimonij, nisi in certis casibus, & cum certis conditionibus: potest tamen permittere ei separationem thori: ad hanc enim possunt se se inuicem pacto mutuo coniuges obligare, & potest quilibet eorum alteri pacto remittere ius petendi debitum coniugale, qua cessione posita ex parte viri, v.g. non potest ampliùs vxor à viro cogi ad debitum reddendum, vt cum communi Doctorum docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 37. *n.* 19. Ad hoc ergo ipsum, quod vir nulla præcedente iniuria, aut violentia potuisset sponte sua promittere vxori, & ad quod ex vi pacti teneantur, cur non poterit teneri titulo iniuriæ, & violentiæ illatæ, vt seruet quantum potest vxorem indemnem, & fruentem eadem libertate, quam habuisset, nisi per vim fuisset impedita à petendo diuortio perpetuo tunc, quando facile diuortij sententiam obtinere potuisset?

85 *An coniux Catholicus possit condonatione cedere huic iuri, quod habet ad diuortium ob hæresim sui coniugis.* Duodecimò quæritur, an coniux Catholicus possit condonatione cedere huic iuri, quod habet ad diuortium ob hæresim sui coniugis. Ratio dubitandi esse potest, quod hæc separatio est pœna ab Ecclesia inflicta hæretico: pœna autem criminis non potest condonari, nisi à Principe. Omnes tamen supponunt, & fatentur posse coniugem Catholicum renuntiare huic iuri, & reconciliari suo coniugi, vt fatetur Sanchez *lib.* 9. *dicta disp.* 15. *num.* 16. & solùm dubitant, an per copulam censeatur hoc ius esse condonatum, de quo mox dicemus. Ratio autem est, quia, vt supra diximus, hæc pœna est mixta ex fauore etiam erga coniugem Catholicum: quare sicut eo non petente diuortium, non incurritur ipso facto, sic etiam eo remittente omnino cessat. Potest verò Catholicus multipliciter huic iuri cedere: nam in primis ante sententiam Ecclesiæ, habet ius diuertendi, donec hæreticus resipiscat, & licèt aliquando habeat etiam obligationem discedendi, & tunc non possit renuntiare huic iuri, quia non potest obligare se ad non faciendum id, quod sub peccato facere tenetur: quia tamen aliquando potest quidem, sed non tenetur discedere in iis casibus potest renuntiare huic facultati, & obligare se ad non discedendum saltem ante sententiam diuortij. Potest item renuntiare iuri, quod habet ad implorandum iudicium Ecclesiæ circa diuortium. Potest denique post ipsam diuortij sententiam prolatam renuntiare huic iuri, & obligare se ad recipiendum coniugem non obstante hæresi præterita, & sententia diuortij prolata. Imò ante ipsam sententiam potest antecedenter renuntiare iuri, quod per diuortij sententiam acquiret, si fortè ipso non petente, vel etiam petente proferetur: hæc enim omnia pacta non repugnant, cùm totum hoc ius sit concessum in fauorem Catholici, & eius voluntati subdatur.

86 *An copula cum coniuge habita sit tacita, & virtualis condonatio.* Quæritur ergo decimo tertiò, An copula cum coniuge habita sit tacita & virtualis condonatio ac reconciliatio, ac proinde æquiualeat condonationi expressæ. Certum est copulam habitam, durante in Catholico ignorantia de hæresi coniugis, non esse implicitam condonationem, sicut etiam dici solet de copula habita cum coniuge adultero, quando innocens ignorat adulterium. Idem etiam est quando Catholicus ex errore consentiret copulæ putans se ad eam obligari, non obstante hæresi sui coniugis: non enim potest esse condonatio, nisi sit spontanea, nec potest esse spontanea, quando ex errore, & ignorantia procedit, vt notauit Sanchez *dicto numero* 26.

Præcedens quæstio, quædam habet communia cum hac: An coniux innocens per copulam cum adultero condonet ei crimen adulterij? Quæstio est de copula absque ignorantia habita, in qua quæstione aliqua sunt communia cum quæstione simili, an coniux innocens per copulam cum adultero condonet ei crimen adulterij: aliqua tamen sunt in quibus ij duo casus differunt.

87 *In quo conueniant hæ duæ quæstiones?* Conueniunt primò hi duo casus, quod in vtroque copula innocentis habita post adulterium, vel post sententiam diuortij ob hæresim latam, non censetur condonatio diuortij, si vi, metu, vel dolo fiat; debet enim esse libera, & spontanea, vt censeatur esse reconciliatio, & condonatio: de quo videri potest Sanchez *dicto lib.* 9. *disput.* 14. *num.* 13. *& sequentibus*, vbi varios casus enumerat, quibus deficit condonatio ob defectum

fectum ſpontanei. Secundò in vtroque caſu ſufficiunt ad præſumendam condonationem oſcula, amplexus & alia ſimilia: quibus adulter, vel expulſus poſt diuortium admittitur ad conſortium coniugale, de quibus idem Sanchez *vbi ſupra num.17.* Tertiò in vtroque caſu poteſt eſſe eadem quæſtio, an copula non ſolùm in foro exteriori det præſumptionem condonationis, ſed reipſa ſit condonatio, ita vt coniux innocens non retineat amplius ius ad diuortium, etiamſi copulam habuerit animo non condonandi. De qua quæſtione agit latè idem Sanchez *ibi num.20.& ſeqq.* & ſatis rationabiliter docet, non eſſe reuera condonationem, ſed inducere præſumptionem illius atque adeo in foro interno poſſe coniugem innocentem, qui habuit animum non condonandi, retinere ius ſuum ad diuortium, & in eo perſeuerare.

88 *In quo differunt. Prima differentia.*

Differunt tamen in aliquibus. Prima differentia eſt, quod copula innocentis cum adultero præſumitur condonatio, ſiue habeatur ante ſententiam, ſiue poſt ſententiam diuortij, dum tamen ſpontanea ſit, & poſt notitiam adulterij, vt cum aliis docet Sanchez *dicta diſp.14. num.7.* At verò copula Catholici cum coniuge hæretico ante ſententiam diuortij in mea opinione (in aliorum verò opinione, ante ſententiam ſuper crimine hæreſis) non fundat præſumptionem condonationis quia nondum Catholicus acquiſiuit ius ad diuortium perpetuum, ſed ſolùm poteſt ratione periculi ſeparari ad tempus, donec coniux reſipiſcat: non ergo præſumitur reconciliari, qui adhuc non ſe ſeparauit: ita Sanchez *dicta diſput.15. num.26.* Hurtado *dicta diſp.76. §.13.* Pontius *lib.9.cap.22. num.5.* Cæterum, ſicut etiam ante ſententiam poſſet Catholicus expreſsè condonare, & renunciare iuri, quod habebit ad diuortium poſt ſententiam; ita poteſt tacitè per copulam condonare, etiam ante ſententiam ſi velit, vt fatetur idem Sanchez *dicto num.26.*

89 *Secunda differentia.*

Secunda differentia inter vtrumque caſum eſſe poteſt, quòd copula innocentis cùm adultero fundat adeo vehementem præſumptionem condonationis, vt etiamſi ipſemet coniux innocens neque habuerit animum condonandi, neque non condonandi, debeat tamen præſumere ſe condonaſſe, atque adeo non poſſit licitè diuertere: ſecus tamen in copula habita cum coniuge hæretico: quia magis connaturaliter, & quaſi neceſſariò conſequitur reconciliatio adulteri per copulam quàm hæretici, cuius iniuria non fuit diuiſio carnis, quæ facilè per copulam redintegratur, ſed infidelitas in Deum: ita Sanchez, *dicto n.26.* A quo profitetur ſe diſcedere Baſilius Pontius *dicto num.5.* docens, ſi copula habeatur poſt ſententiam concedendam eſſe condonationem, & ita iudicandum in foro externo, quamuis Catholicus contrarium affirmet, nec quoad hoc differentiam eſſe inter illos duos caſus. Sed reuera in hoc non diſceſſit à doctrina Sancij qui, vt eius verba legenti conſtabit, nihil ibi dixit de præſumptione, & iudicio faciendo in foro externo, ſed ſolùm dixit in foro interno eſſe differentiam, quia copula cum adultero eſt condonatio, etiamſi innocens non habuerit animum condonandi, nec non condonandi: copulam verò cum hæretico cum illo neutro animo non eſſe condonationem: non tamen negauit in foro externo præſumi condonationem & non credi coniugi affirmanti ſe non habuiſſe animum condonandi.

Loquendo tamen de re ipſa, verius mihi videtur non eſſe quoad hoc differentiam in foro interno inter vtrumque caſum: quia etiam requiritur in coniuge innocente animus aliquis poſitiuus condonandi adultero, ſicut requiritur in Catholico ad condonandum hæretico: omnis enim cõdonatio debet conſtitui per voluntatem aliquam cedentem iuri præſenti, vel futuro; in praxi tamen in vtroque caſu adeſt ille animus, dum non adeſt animus non condonandi; quia ſicut verba habent ex ſe ſignificare condonationem, atque adeo qui dicit coniugi, *condono tibi*, eo ipſo habet voluntatem implicitam condonandi, ſi non habeat voluntatem contrariam: ita copula ſignificat coniunctionem, & amorem, quare ſiue fiat cum adultero, ſiue cum hæretico, ſignificat reconciliationem, & amorem, & ponit condonationem, niſi impediatur per voluntatem contrariam.

Tertia differentia eſſe poteſt, quam inſinuare & conſiderare videtur Hurtado *dicta diſp.76.§.218.* quod innocens conſcius adulterij ſui coniugis, ſi copulam cum eo habeat, eo ipſo condonat in totum, nec poteſt poſtea ei ſui copiam negare: fidelis autem poſt ſententiam diuortij poteſt copulari coniugi ob hæreſim ſeparato, quin condonet in futurum, ſed retento adhuc ſibi iure ad diuortium, quòd cùm ſit pœna ab Eccleſia inflicta, habet plures partes, & tractum ſucceſſiuum: quare poteſt fidelis coniux condonare, quoad vnam partem, nempe quoad hanc copulam, retento ſibi iure ad negandas alias. Cæterùm iam vidimus, in vtroque caſu requiri voluntatem explicitam, *vel implicitam* condonandi: quare in vtroque caſu, ſi coniux innocens, vel fidelis habeat voluntatem poſitiuam non condonandi, copula non ſufficiet ad condonationem, licèt in foro externo præſumatur condonatio, quandiu voluntas contraria non probatur.

Hinc quæri poteſt decimoquartò, an contrahens matrimonium ſcienter cum hæretico cenſeatur eo ipſo condonare ius omne ad petendum diuortium ob hæreſim; an verò poſſit poſtea coniuge in hæreſi perſiſtente, petere diuortium ob coniugis hæreſim. Concedent fortaſſe, qui dicunt, quando vterque eſt hæreticus, etiamſi in hæreſi permaneat, poſſe ab altero per diuortium diſcedere. A fortiori autem confirmari poteſt, quando alter eſt Catholicus, quia licèt non poſſet diſcedere ob hæreſim antecedentem, qua non obſtante voluit matrimonium cum hæretico cõtrahere, & illi copulari: videtur tamen nouum ius acquirere ob hæreſim poſtea perſeuerantem, & continuatam, quæ eſt quaſi nouum hæreſis crimen, ex quo reſultat ſemper coniugi Catholico ius nouum ad diuortium: quare ſemper poteſt de nouo litem ſuper diuortio intentare.

Hic caſus multipliciter poteſt contingere. Primò, quod coniux Catholicus contrahat cum hæretico ignorans eius hæreſim; & tunc non eſt dubium, quin poſtea factus conſcius, & videns coniugem obſtinatum perſeuerare, poſſit petere diuortium. Secundò, fieri poteſt, vt cõiux ſciret hæreſim materialem, non tamen formalem, hoc eſt, ſciret coniugem habere talem profeſſionem, non tamen ſciret illam eſſe ſectam hæreticam, & tunc eodem modo dicendum eſt, poſſe poſtea diuortium

tortium petere, quando cognoscit illam esse hæresim, & coniugem in ea retinenda pertinacem, & incorrigibilem. Tertiò, fieri potest, vt vterque ante matrimonium esset hæreticus, postea verò alter ad fidem Catholicam conuertatur, & alter pertinax in hæresi perseueret: & tunc puto coniugem factum Catholicum posse in primis propria auctoritate discedere ab hæretico, quandiu non conuertitur, quia hoc ius independenter à concessione Ecclesiæ competit ex natura rei coniugi Catholico, vt suprà vidimus, nec ex eo quod idem etiam fuerit antea hæreticus, priuandus est hoc iure. Poterit etiam Ecclesiæ iudicio petere diuortium perpetuum: quia hoc ius in decretis suprà relatis conceditur coniugi in fide remanēti aduersùs coniugem infidelem, vel hæreticum; cùm ergo coniux Catholicus in fide permaneat, altero in infidelitatem lapso, in quam quotidie per nouam perseuerantiam relabitur, poterit iure suo vti, vt ab eo in perpetuum separetur. Vnde à fortiori idem dicendum erit, si alter coniux antea ignoranter hæresim amplexus postea melius instructus eam desereret: posset enim postea coniugem corrigi nolentem deserere, & diuortium perpetuum Ecclesiæ iudicio postulare.

94 Solùm posset obstare, quòd hæreticus cum hæretico scienter contrahens matrimonium, eo ipso videtur tacitè renuntiare iuri diuortij, quod eo titulo posset petere: nam qui vult contrahere cum hæretico, eo ipso significat se velle cum eo cohabitare, & thorum communem habere, non obstante hæresi: non potest ergo postea, ob solam coniugis hæresim, quam iam præuidit, diuortium petere: diximus enim, posse coniugem per condonationem, & renuntiationem antecedentem spoliare se omnino iure petendi diuortij, quod aliàs posset ei competere. Ad hoc tamen respondeti potest, in eo matrimonij contractu non intelligi explicitam, vel implicitam renuntiationem separationis: nam in primis non adest renunciatio explicita, cùm tũc temporis coniux nullum habeat tale ius, quòd renunciet, nec habiturus sit, donec ad fidem conuertatur. Nec etiam est implicita renuntiatio: imò videtur esse retentio implicita talis iuris futuri, si quando erit, sicut enim contrahens spōsalia de futuro, & promittens matrimonium, semper intelligitur reseruare sibi facultatem ingrediendi religionem, atque adeo promittere solùm sub conditione, nisi religionem ingrediar: sic coniux hæreticus contrahens matrimonium cum hæretico, videtur à fortiori reseruare sibi facultatem diuertendi, si ad religionem Catholicam ipse solus transierit, atque adeo obligare se ad cohabitationem, & thorum sub conditione implicita, nisi ad religionem Catholicam transiero, & diuortium in iudicio obtinuero aduersùs coniugem in hæresi persistentem: magis enim necessarius est ipsi transitus ad religionem Catholicam, quàm sponso transitus ad vitam religiosam; quare minùs videtur comprehendi casus ille, quàm iste in illa obligatione generali.

95 Quartò, & vltimò potest contingere hic casus, si coniux Catholicus scienter contrahat matrimonium cum hæretico, siue obtenta dispensatione Pontificis, siue etiam non obtenta in iis locis, in quibus ex consuetudine non est necessaria dispensatio. Quo casu non occurrente noua causa, non credo posse Catholicum petere in iudicio diuortium ob solam coniugis hæresim: tunc enim locum videtur habere tacita saltem renuntiatio illius iuris. Quia Catholicus sciens coniugem esse hæreticum, & tamen volens eum in coniugem accipere, eo ipso significat se velle cum eo cohabitare, etiamsi hæreticus sit, alioquin frustra cum eo contraheret, quem scit esse hæreticum, & nolle ad fidem conuerti: quare nunquam ij diuortium postea petunt, nec credo in iudicio audiendos si peterent, quod etiam sensit Hurtado *dicta disp.* 76. §. 223.

96 Dixi tamen, *non occurrente noua causa*; si enim hæc occurreret, posset diuortium intentare, v.gr. si matrimonium contractum esset præcedente ex parte hæretici promissione amplectendæ fidei Catholicæ, quod postea expellere nollet; frangenti enim fidem in re tanti momenti, non esset obligatio seruandi fidem; idemque esset si alia promisisset in fauorem fidei, nempe promittere vsum liberum religionis Catholicæ suis subditis, vel suæ, aut cōiugis familiæ, permittere quod filij baptizarētur à ministris Catholicis, vel educarentur in religione Catholica, quæ postea non obseruaret. Similiter esset iusta causa, si coniugem Catholicum sollicitaret ad fidem deserendam, vel non sineret liberè, & pacificè ritu Catholico viuere: Imò quoties coniux Catholicus non solùm, posset, sed deberet ab hæretico discedere propter periculum proximum peruersionis: promissio etiam explicita præcedens non diuertēdi nullo modo obligaret ad cohabitandum: promissio enim de re alioquin illicita nullius est valoris, vt constat, cū nemo possit validè se ad illicita obligare: quare etiamsi sciēter cum hæretico cōtrahat matrimonium, semper intelligitur exclusus casus ille, in quo secluſa promissione non possit licitè apud coniugem hæreticum manere.

97 Quæritur decimoquintò, an sicut in adulterio carnali datur compensatio, propter quam coniux adulter non potest petere diuortium à coniuge etiam adultero, sic etiam in hæresi detur similis compensatio, & ideo coniux hæreticus opponere possit hæresim coniugis petentis diuortium. *An sicut in adulterio carnali datur compensatio, sic etiam in hæresi?*

Illi, qui dicunt, hæreticum posse petere diuortium ab hęretico, dicunt consequenter, si vterque sit per sententiam Ecclesiæ damnatus de hæresi, posse singulos à coniuge diuertere, nec dari compensationem, si verò alter sit damnatus de hæresi, alter verò nondum sit damnatus, posse hunc ab altero diuortium facere; non è contra, nec posse damnatum opponere non damnato, quòd ipse etiam hæreticus sit. Ita Sanchez *dicto lib.* 10. *disp.* 16. *num.* 4. cui ferè consentit Basilius Pontius *dicto lib.* 9. *de matrim. cap.* 22. *num.* 6. & Hurtado *dicta disp.* 76. §. 220.

98 Nos tamen iuxta nostra principia suprà posita aliter ad hoc dubium distinguere debemus: nempe si vterque in hæresi permanet, siue vterque, siue alter solus damnatus sit de hæresi, neutrum posse petere ab altero diuortium ob hæresim, quia hoc ius petendi diuortium ab hæretico, vt suprà vidimus, solùm inuenitur concessum coniugi Catholico: quare eo casu datur compensatio in hoc sensu, quòd neutri permanenti in hæresi conceditur ius petendi diuortium. Si verò vterque sit iam ad fidem conuersus, neuter potest diuortium petere; quia hoc ius, vt suprà vidimus, solùm competit aduersus hæreticum non conuersum, & reconciliatum. Denique si vterque sit hæreticus, & alter conuersus est ad fidem, poterit hic diuortium petere à coniuge conuersionem renuente, nec hæreticus poterit opponere,

quòd alter etiam hæreticus fuerit: nam hæresis præterita non dat ius ad diuortium, nec impedit ius coniugis iam Catholici, vt petat diuortium ab hæretico: quæ omnia ex suprà dictis satis constant.

99 *An coniugi Catholico petēti diuortium ab hæretico possit hæreticus opponere quòd ipse sit adulterl*

Vltimò, quæri solet an detur compensatio adulterij carnalis cum spirituali, hoc est, an coniugi Catholico petenti diuortium ab hæretico, possit hæreticus opponere, quod ipse sit adulter, & ea ratione compensari debeant delicta, vel è contra, coniugi hæretico petenti diuortium à Catholico adultero possit Catholicus opponere, quod ipse sit hæreticus, sicut opponere posset adulterium carnale ipsius, vt ita delicta compensarentur. *Prima sententia.* Prima sententia affirmat dari eam compensationem mutuam: ita Antoninus, Syluester, Rosella Hostiensis, Abbas, & multi Canonistæ, quos affert Sanchez *dicto lib.* 10. *disp.* 16. *num.* 1. quia vtrumq; crimen est causa sufficiens diuortij perpetui, ergo potest inter illa admitti iusta compensatio. *Secunda sententia.* Secunda sententia concedit posse opponi hæresim, ad compensandum adulterium, atque adeo repelli hæreticum petentem diuortium ob adulterium coniugis, non tamen posse è contra opponi adulterium ad compensandum pro hæresi, atque adeo Catholicum petentem diuortium ab hæretico damnato non posse repelli, opponendo ei, quòd sit adulter. Quia compensatio debet esse inter æqualia, grauius autem multo est crimen hæresis, quàm adulterij: quare non est æquum, vt hæreticus velit vti compensatione contra coniugem Catholicum reum solius adulterij: sed adulter poterit, non obstante proprio adulterio, petere diuortium ab hæretico. Ita Paludanus, Ouandus, Alfonsus Castro, & alij quos affert Sanchez *vbi supra num.* 2. ex quibus Palacio id limitat, ne procedat, quando hæresis est occulta, & adulterium publicum, quo casu dicit forsitan dari compensationem.

100 *Tertia & verior sententia.*

Tertia & verior sententia negat compensationem quoad diuortium inter adulterium, & hæresim, quam cum aliis docet Sanchez *vbi supra n.* 3. & Basilius Pontius *dicto cap.* 22. *num.* 6. videtur etiam fauere Hurtado *dicta disp.* 76. §. 220. quatenus dicit, non dari compensationem inter hæresim vnius, & alterius quoad diuortium: sed tamen adhuc postea §. 223. dicit, vbi non est libertas conscientiæ hæretico accusanti coniugem adulterij non esse fauendum, si coniux ei probet hæresim, & addit hoc esse certum, loquitur autem in ordine ad diuortium petendum: quare non credo ipsum voluisse, quòd detur compensatio adulterij cum hæresi; hoc enim non debuit, nec potuit dicere esse certum cùm probabilior sententia id neget, sed fortasse solùm voluit hæreticum, siue ob excommunicationem, siue ob hæresim repelli posse ab agendo in iudicio, atque adeo non esse audiendum, quando accusaret coniugem adulterum in ordine ad obtinendum diuortium. Tunc tamen non daretur propriè compensatio, sed maneret inutile ius ad diuortium ab adultera, eo quod actor hæreticus non audiretur in iudicio.

101

Loquendo ergo de compensatione, probatur communiter, eam non habere locum in hoc casu, quia duo delicta illa, ex quibus oritur ius diuortij, sunt valde diuersa: quæ tamen ratio explicanda videtur, & omissis aliis, quæ in eius confirmationem affert Sanchez *vbi supra*, explicari potest quia compensatio ex natura sua tendit, vt is, qui compensatione vtitur, habeat id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Hac enim ratione licita est compensatio occulta cum certis conditionibus, quia hoc pacto creditor obtinet saltem in æquiualenti id, quod sibi debetur: & ideo *disp.* 15. *de Iustitia sect.* 3. *num.* 44. dixi non esse locum compensationi in detractione famæ, ita vt possis non restituere famam Petro iniustè ablatam, quandiu ipse non restituit famam tibi, quam iniustè abstulit. Quia nimirum retentio famæ alienæ, non facit vllo modo, quod recuperes tuam saltem in æquiualenti, quare non potest illa esse propriè compensatio. Similiter in casu nostro non apparet, quomodo possit esse propria compensatio: nam vir vxoris adulteræ, v.gr. ex adulterio vxoris acquisiuit quidem ius ad diuortium, seu ad negandum ei debitum coniugale: postea vxor ex hæresi mariti acquirit etiam ius ad petendum diuortium, post cuius sententiam non teneatur reddere marito petenti debitum coniugale. Vterque autem coniux habet suum ius ad diuortium, & neuter alterum impedit, quod illud habeat. Pro quo ergo debito volunt sibi compensare? Vxor enim habet suum ius ad petendum diuortium, & negandam copulam post sententiam, quod ius maritus illi nec aufert, nec negat. Maritus etiam ob adulterium vxoris habet ius ad diuortium, & ad negandam ei copulam, quod ius vxor ei non aufert, nec negat: si ergo vterque habet, quod suum est, quorsum est compensatio? Appellari potiùs deberet quædam quasi permutatio, qua singuli cederent iure suo, vt alter cederet iure suo. Permutatio autem non fit inuitis permutantibus, nec lex ipsa sine eorum consensu permutationes facit, *sed* finit singulos iura sua possidere. *Hæc ergo videtur ratio vltima à priori*, ob quam non obligentur coniuges in casu nostro ad faciendam compensationem.

Hinc soluitur facilè exemplum, quod aliqui afferunt dicentes, debita posse bene compensari, quantumuis procedant ex iniuriis, vel radicibus valdè diuersis, si tamen debita sunt eiusdem rationis. Si enim debes Petro ex contractu centum, & ipse debeat tibi totidem ex furto, vel iniuria, fit compensatio: ergo licèt iura ad diuortium oriantur ex diuersis delictis adulterij, & hæresis, poterunt compensari. Respondetur facile ex dictis, debita quidem vndecumque prouenient posse compensari, quia retinens centum, quæ debes Petro ex contractu, recuperas centum quæ ipse debet tibi ex delicto: at in casu nostro neuter coniux debet, sed potiùs per ius ad diuortium desinit esse debitor reddendi copulam: ad quid ergo indiget compensatione? Rursus, si quid viro v.gr. debetur ob adulterium vxoris, est quod vxor non possit eum cogere ad cohabitationem, & thorum: hoc autem non acquirit sed perdit, si compenset postea adulterium cum sua hæresi: ergo non est locus compensationi, per quam neuter acquirit, imò perdit id, quod sibi debebatur. 102

Difficiliùs obiici solet exemplum compensationis, quæ fieri debet inter adulteria vtriusque coniugis: si enim vterque adulter sit, compensantur delicta, & neuter potest petere, aut vlo pare sibi diuortium altero inuito: non ergo repugnat compensatio in ordine ad diuortium, nec apparet, cur sicut fit compensatio, quando iura ad diuortium procedunt ex delicto eiusdem rationis 103

tionis, non possit etiam fieri quando procedũt ex delictis diuersis heresis, & adulterij. Ad hoc etiã, omissis variis solutionibus, quæ in idem fortasse recidunt, respondeti potest, differentiam magnam esse inter illos casus; nam inter adulteria vtriusque coniugis potest reperiri aliqua species compensationis in ordine ad diuortium, quæ non potest reperiri in vno casu. Ius enim, quod coniux habet ad diuortium ob adulterium sui coniugis fundatur in ipso contractu matrimonij: & in obligatione mutua vtriusque coniugis in ordine ad indiuisionem corporum, vt sint duo in carne vna. Cui obligationi deficit adulter, atque adeo indignus redditur, cui fides seruari debeat; frangenti enim fidem in contractu fides non debet seruari. Hinc innocens acquirit ius ad non seruandam fidem adultero, manente tamen vinculo matrimonij, & obligatione radicali, quæ dissolui non potest, & ideo potest ab adultero diuertere, quia non debet seruare ei fidem cohabitationis & thori promissi. Quando verò idem innocens adulteratur, non potest ampliùs vti iure ad diuortium, quia iam vsurpauit sibi, & quidem modo illicito id totum, ad quod acquisierat ius: habebat quippe ius ad frangendam, seu non seruandam fidem, quoad corporis indiuisionem: id autem totum per proprium adulterium iam sibi vsurpauit: quare si vlteriùs pergeret non tradendo corpus coniugi petenti, vellet iam vltra id, ad quod habebat ius: in hoc ergo sensu dicũtur adulteria mutua compensari in ordine ad diuortium, quia extinguunt, vel impediunt ius ad diuortium: nam primus adulter nullum acquirit ius ad diuortium ex adulterio secundi adulteris, quia cùm ipse non seruauerit fidem, non est facta ei iniuria talis à secundo, vt dederit ius ad diuortium. Secundus etiam non retinet amplius ius, quod acquisierat ex adulterio coniugis ad diuortium, quia iam fregit etiam ipse fidem, & vsus est iure, quod habebat ad non seruandam fidem, licèt modo illicito, quare cùm vinculum matrimonij manserit insolutum, obligat vtrumque quoad thorum, & cohabitationem, cessante impedimento, quod hanc obligationem antea impediebat.

104 Hæc autem ratio non procedit, quando ius ad diuortium oritur ex hæresi vnius, & adulterio alterius: nam hæreticus ex adulterio coniugis Catholici, acquisiuit ius, quasi ex contractu ad non seruandam fidem, & debitum coniugale negandum propter fidem sibi non seruatam, quod ius retinet integrum, licèt labatur in hæresim, quia per hæresim adhuc non negauit aliquid coniugi promissum, ad quod negandum acquisierat ius ex coniugis adulterio; ergo potest adhuc petere diuortium ab adultero. Rursus adulter ex hæresi sui coniugis acquisiuit ius, ad petendum diuortium, non ob violatam fidem sibi datam, sed in pœnam hæresis, cui talis pœna ab Ecclesia constituta est. Nec potest ei opponi, quòd ipse etiam sit adulter: fatebitur enim se ea de causa dedisse ius coniugi, vt ab eo diuerteret, nec posse eum ad cohabitandum cogere; posse tamen se petere, vt patiatur etiam ipse pœnam lege statutam ne scilicet possit eum cogere ad habitandum cum ipso. Exemplum poterit esse ad hoc declarandum: si Titiùs conduxit famulum ad obsequium annuum, & famulus fidẽ contractus violet, poterit Dominus fidem pretij promissi nõ seruare, vel poterit etiam famulum cogere, vt stet promissis, & seruiat. Rursus si Dominus postea in hęresim incidat: tũc famulus poterit petere, vt declaretur absolutus ab obligatione seruiendi Domino hæretico; non tamen poterit cogere Dominum hæreticum, vt soluat pretium promissum. Ecce vterque retinet suum ius, Dominus ad non soluendum pretium ob fidem contractus non seruatam: famulus ad non seruiendum, quia habet ius, vt declaretur solutus ab obligatione famulatus, propter hæresim Domini: nec dabitur compensatio, sed vterque ius suum retinet, Dominus ex fide contractus violata, famulus ex pœna à lege statuta, quæ duo iura habent obiecta diuersa: nam ius Domini habet pro obiecto retentionem pretij promissi, & ius famuli habet pro obiecto negationem promissi famulatus; & ideo non se se mutuò extinguunt, quia potest vtrumque ius simul manere ad obiecta omnino diuersa. Sic in casu nostro coniux hæreticus habet ius ob fidem sibi ab adultero non seruatam: adulter etiam habet ius ob pœnam hæresi constitutam: quæ duo iura possunt simul remanere, nec se se extinguunt, quia habent obiecta diuersa: nam hæreticus habet ius ad negandum suum corpus coniugi adultero, propter fidem contractus non seruatam: adulter verò habet ius, vt declaretur absolutus à debito reddendi suum corpus hæretico: illa autem duo corpora sunt obiecta diuersa, quare singuli possunt retinere ius ad negandum suum corpus coniugi, sine eo quòd illa duo iura se se inuicem extinguant.

Aliqui agunt hoc loco de libertate conscientiæ hæreticis neganda, vel aliquando iustis de causis, & ob necessitatem permittenda, de hoc tamen diximus, quantum satis erat *suprà disp. 19. sect. 2. §. 4.*

SECTIO IV.

De communicatione ciuili cum Paganis, & præsertim cum Iudæis prohibita.

DIximus de communicatione prohibita cum hæreticis: nunc dicemus de prohibita cum Paganis, vel Iudæis, vt postea dicamus alia communia, ad communicationes prohibitas cum omnibus infidelibus. Nunc autem sub Paganis, & Iudæis comprehendimus eos etiam, qui post baptismum, ad Paganismum, vel Iudaismum transeunt: nam hi etiam Pagani, vel Iudæi propriè sunt, & communicatio æquè cum illis prohibetur. Non est autem sermo nunc de communicatione in eorum ritibus: de hac enim diximus satis *suprà disp. 14. sect. 5. §. 4.* vbi visum est, quomodo, & quando ea communicatio contineat negationem externam fidei saltem implicitam. 105

Magis posset dubitari de communicatione quasi actiua, qua iis infidelibus ritus nostræ religionis communicaremus. In quo certum est, non posse iis conferri sacramenta Ecclesiæ, cùm non sint eorum capaces sine baptismo; ipse autem baptismus potest iis conferri, si sint sufficienter dispositi. Sacramentalia aliqua possunt iis communicari, quando non essent itreuerenter accipienda, vt panis benedictus, aqua benedicta, & alia eiusmodi: possunt etiam admitti ad communiter orandum Deum verum ritu Catholico. Difficultas esse potest de sacrificio Missæ, an possint per- 106

mitti infideles, vt ei intersint. Aliqui enim id videntur in vniuersum negare, ex cap. *Episcopus nullum 67. de consecr. distinct. 1.* Ita Suarez alios referens *in præsenti disp. 18. sect. 6. n. 3.* Coninch *disp. 1. dub. 11. num. 164.* & Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disput. 2. punct. 9. num. 4.* qui tamen cum Coninch excipit casum, quo ex eorum admissione speraretur fructus, siue eorum conuersio; omnes verò concedunt, posse adesse Missæ, vsque ad offertorium exclusiuè, vt constat ex dicto cap. *Episcopus nullum*, imò quia communiter fructus speratur, credo sæpè Ecclesiæ ministros connivere, nec expellere infideles, quando turmis fidelium se se immiscent, vt res nostras sacras obseruent.

107 *An admitti debeat Iudæus, vel Paganus, qui delicti reus, ad Ecclesiam confugit, vt eius immunitate gaudeat. Prima sententia.*

Hac occasione dubitari potest, an admitti debeat Iudæus, vel Paganus, qui delicti reus, ad Ecclesiam confugit, vt eius immunitate gaudeat, & liberetur à ministris curiæ, qui eum capere volunt. Negant plures: Suarez *tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. c. 10. num. 11.* Farinacius, Peregrinus, Megala, Layman, Pereira, & alij, quos affert Diana *part. 1. tract. 1. resol. 22. & part. 4. tractat. 1. de immunitat. resolut. 50.* & alij plures, quos affert, & sequitur Castro Palao *tom. 2. disp. vnica, de reuerentia debita locis sacris, punct. 7. num. 5. & seqq.* quia fatentur gaudere immunitate infidelem, qui non simulato animo, sed vero baptismum petit, quamuis quæstio sit inter illos, an qui ante patratum delictum baptismum non petierat, & postea, quando extrahere eum volunt ab Ecclesia, baptismum petit, præsumendus sit fictè petere, & præsumptio illa sit iuris, & de iure, an verò possit probatio contra præsumptionem admitti, de quo puncto videri potest Suarez, Castro Palao, & Diana *locis citatis.* Fundatur potissimùm hæc sententia *in l. 1. Cod. de his, qui ad Eccles. conf.* vbi dicitur Iudæum simulantem voluntatem baptismi non gaudere hac immunitate: quod idem dicendum videtur de Paganis, & Saracenis. Quamuis autem lex illa sit ciuilis, & ideo in materia Ecclesiastica non videatur attendenda; aliunde tamen videtur approbata in cap. *inter alia*; de immunitate Eccles. vbi Innoc. III. respondet, hanc immunitatem seruandam iuxta statuta Canonum, & traditionem legum ciuilium: quare cùm lex illa non inueniatur reprobata in vllo Canone Ecclesiastico, non videtur immunitas infidelibus concessa.

108 *Secunda sententia.*

Alij tamen multi dicunt, eos infideles gaudere hac Ecclesiæ immunitate, si ad eam confugiant, siue baptismum petant, siue non petant. Ita Antonius, Sylvester, Azor, Gauantius, & alij plures, quos congerit, & sequitur Diana *locis proximè citatis, & 5. part. tract. 1. resolut. 2.* quæ sententia mihi etiam placet, quia leges Canonicæ, quæ in hac materia attendendæ sunt, generaliter loquuntur, & fauorem non concedunt delinquentibus, sed loco sacro, cui videtur inferri aliqua iniuria, & violentia, quoties ibi delinquenti vis infertur. Ad quod parum refert, quod ex Ecclesia violenter extrahatur fidelis, vel infidelis. Quod à posteriori confirmari potest, quia Legati Regum, & alij similes Principes ægro animo ferunt, quòd in eorum palatiis satellites publici, non petita saltem priùs ab eis licentia, delinquentes capiant, quicunque illi sint, siue subditi, siue non subditi, siue suæ, siue alienæ, & contrariæ etiam nationis reputant enim minùs reuerenter id fieri, quod locus ipse videatur quodammodo esse sub eorum protectione. Similiter ergo videtur fieri contra reuerentiam loci sacri, si iudices publici, & eorum officiales iurisdictionem ibi suam exercere præsumant: quod genus irreuerentiæ idem est siue sit contra fideles, siue contra infideles, si tamen sine licentia, & consensu Ecclesiæ id fiat. Denique (quod multum ponderis affert huic sententiæ) cùm paucis ab hinc annis in hac nostra Romana Vrbe Iudæus quidam homicidio facto, ad Xenodochium ægritudine simulata, & Iudaismo occultato, se recepisset, & inter ægrotos iaceret, cognitus tandem à satellitibus publicis extractus fuit, reclamans, & immunitatem loci sacri semper obtendens. Re denique multum agitata, iussus fuit loco sacro restitui, ne religio, & immunitas loci sacri in persona etiam infideli violaretur: cùm tamen eodem tempore Christianus quidam ob homicidium, cum imputato Assasinio factum, ab Ecclesia fuerit extractus, & capitali supplicio affectus. Vnde constat, mentem Pontificis esse, vt immunitas hæc ad infideles etiam extendatur. Aliam decisionem similem Congregationis immunitatis factam anno 1631. refert Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. c. 3. n. 44.*

Nec obstat dicta lex 1. *C. de his qui ad Eccles. conf.* nam limitatio in ea contenta videtur tacitè reprobari in iure Canonico, in quo immunitas hæc ad omnes personas delinquentes vniuersaliter extenditur, vt constat ex pluribus decretis relatis 17. quæst. 4. In dicto autem cap. *Inter alia*, non dicitur obseruandas esse limitationes contentas in legibus ciuilibus, sed solùm dicitur ex decretis sacrorum canonum, & traditione legum ciuilium constare seruandam esse immunitatem; quod verum est, quamuis non tota, & quoad omnes personas constare possit ex solis legibus ciuilibus. Nec obstat, quod infideles non sint subditi Ecclesiæ, & ideo legibus Ecclesiæ non videantur comprehensi. Respondetur enim, hac lege nihil infidelibus præcipi, sed fidelibus solis præcipitur, vt reuerentiam exhibeant locis sacris non illata vi vlla iis, qui ad ea confugiunt: quicunque illi sint. Sicut etiam præcipitur fidelibus ob eorumdem templorum reuerentiam, ne infidelium cadauera in iis sepeliant: & iudicibus fidelibus, ne iudicia sæcularia in templo exerceant etiam in causis infidelium. Denique licèt non sint digni Ecclesiæ fauore, qui Ecclesiam non agnoscunt, nec audiunt; ipsa tamen Ecclesia digna est, vt propter eius reuerentiam fideles abstineant in templis ab omni violentia aduersus personas quaslibet exercenda. 109

110 *Quid dicendum de iis, qui ad templa confugiunt.*

Vnde infertur, quid dicendum sit de hæreticis, qui ad templa confugiunt, non quidem ob hæresis delictum, sed ob alia, in quibus Catholici gaudent immunitate. Aliqui enim negant, Gambacurta, Peregrinus, Bobadilla, & Tannerus apud Dianam 1. parte tract. 1. resolut. 29. quia hæreticus indignus est, qui ab Ecclesia protegatur. Alij tamen communiter, & meritò gaudere dicunt, Suarez, Azor, Portel, Bonacina, & alij quos refert, & sequitur idem Diana *ibidem & 6. parte, tract. 1. resolut. 24.* quia nullibi excluſi reperiuntur hæretici ab hac immunitate, & quia hic fauor non conceditur delinquenti, vt diximus, sed loco sacro. Si tamen agatur de delicto hæresis, non gaudet, vt omnes fatentur, imò id extendunt ad eos, qui de hæresi suspecti sunt Farinacius, Penna, Peregrinus, & alij, quos affert, & sequitur idem Diana *dict. tract. 1. resol. 38.*

His

111 *De communicatione solùm ciuili cũ infidelibus prohibita.*

His ergo suppositis, nunc quæstio est de communicatione solùm ciuili cum infidelibus prohibita. Quam prohibitionem in primis certum est non posse vniuersaliter dirigi ad infideles, cùm illi non sint subditi Ecclesiæ, sed dirigitur ad fideles, qui Ecclesiæ subditi sunt, quibus prohibetur communicatio cum infidelibus in certis casibus: si tamen infideles illi fuissent baptizati, possent etiam ipsi ab Ecclesia obligari: suppono enim nomine Iudæorum, & Paganorum in his legibus comprehendi eos etiam, qui post baptismum ad Paganismum, vel Iudaismum defecerunt; nam ij etiam sunt propriè Pagani, vel Iudæi. Potest tamen Princeps Christianus hac ipsa prohibitione obligare directè infideles baptizatos sibi subditos propter pacem, & bonum regimen Reipublicæ, imò & Infidelibus exteris, & non subditis, propter eosdem fines, & propter bonum religionis prohibere commercium cum suis subditis, & ingressum in suum regnum, vt notauit Suarez in præsenti disp. 18. sect. 6. n. 5. qui ibidem bene probat, non deesse iurisdictionem in Ecclesia ad prohibendam fidelibus hanc communicationem cum infidelibus, quamuis ex se & intrinsecè non sit prohibita, vel mala: sicut alia sæpe præcipiuntur, vel prohibentur, quæ aliunde non erant præcepta, nec prohibita, sed talia, vt præceptum, vel prohibitio conducat ad fines honestos.

112 *Prohibetur fidelibus familiaritas cũ Iudæis.*

Primò itaque prohiberi fidelibus familiaritatem cùm Iudæis; suponunt Suarez *vbi supra num.6.* Sanchez *lib.2.in Decal.cap.31.num.3.* Castro Palao 1. *tom.tract.4. disputat.2. punct.9. num.6.* cum aliis antiquioribus. Quod probant ex cap. *Iudæi.* c. *Ad hæc*, &c. finali de Iudæis. Sed in iis textibus non inuenitur ea prohibitio vniuersalis, sed solùm quoad famulatum, & aliquas actiones peculiares, quare familiaritas solùm erit prohibita de iure naturæ, pro iis casibus in quibus periculum sit subuersionis, non verò de iure positiuo, vt bene notauit Coninch *dicta disp. 18. num. 167.* Videtur etiam colligi posse illa prohibitio ex Concilio Toletano IV. cap. 61. sed ibi non est sermo de omnibus fidelibus sed de conuersis nouiter ex Iudaismo ad fidem, quibus maius imminet periculum est frequenti conuersatione, & familiaritate cum Iudæis, vt fatetur idem Suarez *dicto num.6.*

In quibus casibus.

113 *Prohibetur fidelibus habitare cum Iudæis.*

Secundò prohibetur fidelibus habitare cum Iudæis; ita Sanchez *vbi supra num.4.* Suarez *num.7.* Castro Palao *dicto num.6.* & alij, & desumitur ex cap. *nullus* 28. quæst. 1. cap. *Iudæi* 2. de Iudæis. Hunc casum aliqui reiiciunt, quia illud caput *nullus*, desumptum est ex canonibus Trullanis, qui in Ecclesia auctoritatem legitimam non habent, ita Coninch *n.168.* sed reuera eadem prohibitio continetur in dicto cap. *Iudæi*, quod est Alexandri III. in Concil. Lateranensi, vbi expressè dicitur: *excommunicentur autem, qui cum eis* (nempe cum Iudæis, & Sarracenis, de quibus sermo erat) *præsumpserint habitare.* Non tamen intelligitur prohibitum, quòd Christianus seruum, habeat Iudæum, vel Sarracenum; imò id licitum supponitur in cap. *etsi Iudæos*, de Iudæis: quia dominus non dicitur habitare cum seruo, sed seruus cum domino, nec seruus videtur Domino afferre ruinæ occasionem, quam dominus seruo affert, & id praxis ostendit, qua Saracenis seruis fideles passim vtuntur, vt obseruant Suarez, & Sanchez, quos affert, & sequitur Hurtado *vbi supra* §. 42.

114 *Prohibetur fidelibus, ne ad cõuiuium Iudæi accedant, vel Iudæũ ad suum conuiuium inuitent.*

Tertiò prohibetur fidelibus, ne ad conuiuium Iudæi accedant, vel Iudæum ad suum conuiuium inuitent: ita Suarez, Sanchez, & alij locis supra citatis, & colligitur ex Concil. Agathensi cap. 40. relato in cap. *omnes* 28. quæst. 1. Idem etiam habetur in Concil. Aurelianensi 3. cap. 13. his verbis. *Item Christianis conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus si fortè fuisse probantur, annuali excommunicationi pro huiusmodi contumacia subiacebunt.* Vbi tamen non videtur prohibitum inuitare Iudæum ad conuiuia Christianorum, sed quòd Christiani ad Iudæorum conuiuia accedant. Vtrumque tamen prohibetur in dicto Concilio Agathensi, vbi ratio etiam prohibitionis additur his verbis: *omnes deinceps clerici, siue laici Iudæorum conuiuia euitent, neque eos ad conuiuium quisquam accipiat, quia cùm apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum, atque sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi, cùm ea, quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda; ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.* Quæ ratio ab aliquibus ita explicatur, ne nos videamur Iudæis minùs sancti, qui pluribus cibis abstinent. Alij tamen, quos sequitur Coninch *vbi supra num.169.* meliùs explicant, ne videamur nos iis hac in re tanquam inferiores cedere, nósque illis submittere comedendo quæ nobis apponunt, atque ita eorum agendi modum aliqua ratione probando, cùm illi nostrum improbent reiiciendo, quæ illi apponimus.

115 Aduerte primò, non fieri contra hanc prohibitionem, si vel casu, vel ex industria in eadem mensa cum Iudæo comedas, nec ab illo inuitatus nec illum inuitans, sed in diuersorio communi, vel etiam in eius diuersorio emens ab illo cibos, licèt ipse simul comedat; nam tunc non te inuitat, sed vendit tibi cibos: ita auctores supra citati. Vnde idem dicendum puto, si tu simul cum Iudæo ab alio Christiano inuiteris, quia tunc nec Iudæum inuitas, nec ab illo inuitatis, nec oblatos ab eo cibos comedis nec ipse oblatos à te respuit.

116 Aduerte secundò aliquos velle, non excusari Christianum ab hac prohibitione, etiamsi Iudæi cibos non discernant, quia adhuc nimia familiaritas cum Iudæis contrahitur: ita Sanchez *n.12.* Alij tamen dicunt eo casu non fieri contra hanc legem: ita Azor, Rosella, Angelus, Tabiena, Armilla, quos affert idem Sanchez ibidem atque etiam Coninch num. 169. & Castro Palao dicto num. 13. quod videtur satis probabile.

117 Aduerte tertiò aliquos hoc extendere ad Sarracenos discernentes cibos, ita Hurtado *vbi supra*, §. 42. & alij multi, quos refert, & approbare videtur Sanchez num. 25. Addit tamen Hurtado id intelligi in prouinciis Christianis non Mahometanis. Alij in vniuersum negant hanc extensionem, quia lex odiosa non debet ad alios non expressos extendi: quare quoad eos remanet solùm obligatio iuris naturalis vel diuini vt id non liceat, quando cederet in præiudicium nostræ religionis. Imò addit Coninch hoc totum quod ad conuiuia spectat, regulandum esse solo iure naturali, vel diuino, & iuxta consuetudinem in singulis locis receptam, quia canones illi supra adducti editi fuerunt in Conciliis Pro-

uincialibus, quæ non habent vim obligandi extra suas Prouincias. Vnde multò minùs hac prohibitione comprehendi videntur ea, ad quæ Sanchez *num.* 17. eam extendit; nempe ad nuptias Iudæorum accedere, vel ad eorum festiuitates eorum templa ingredi, cum eis ludos, & choreas agitare. Quæ omnia, vt benè notat Castro Palao *n.* 13. solùm intelliguntur prohibita iure naturæ, & hoc quando vel subuersionis periculum esset, vel in præiudicium nostræ religionis cederet, aut eius implicitam negationem continerent.

118 *Prohibetur fidelibus Azyma Iudæorum comedere.*

Quartò prohibetur fidelibus Azyma Iudæorum comedere, vt habetur in cap. *nullus* 28. q. 1. quem Canonem hac etiam de causa suspectum habet Coninch *num.* 168. *in fine*, ne fortè sicut alij editus sit ab aliquibus in odium Latinorum, vt suggillarent nostram consuetudinem conficrandi panem azymum, quam deinde eorum posteri in Ecclesia Latina apertè damnarunt. Quidquid de hoc sit, id solùm est illicitum, quando in approbationem ritus Iudaici id fieret. Alioquin ex curiositate, vel alia de causa non est illicitum panem azymum manducare, vt fatentur Coninch *num.* 168. & Castro Palao *num.* 9. & videtur consentire Suarez *vbi suprà num.* 7. Addit tamen propter suspicionem, & periculum intelligi hanc prohibitionem de quacunque manducatione azymi panis cum ipsis Iudæis, vel accipiendo ab ipsis, secluso autem scandalo, & præsertim interueniente necessitate, non esse illicitum illum tanquam communem panem manducare. Ego tamen video Romæ nullum esse scandalum, imò solere à Iudæis dono dari in festo sui Paschatis Prælatis, & aliis nobilibus Christianis placentas ex azymo accuratè factas, quæ sicut cibi alij ex parte delicatiores absque vllo scrupulo, ob delicias comedentur.

119 *Prohibetur fidelibus, ne in infirmitate Iudæos curationis causa aduocent, vel ab eis medicinam accipiant.*

Quintò prohibetur fidelibus in eodem cap. *nullus*, ne in infirmitate Iudæos curationis causa aduocent, vel ab iis medicinam accipiant. Quod omnes primò intelligunt extra casum necessitatis, in qua vtrumque licèt. Secundò intelligitur, ne medecina per manus, & ministerium Iudæi recipiatur, & applicetur, quare licebit eam vel gratis, vel pro pretio à Iudæo accipere, ab aliis postea applicandam, ita contra alios, quos affert Sanchez *n.* 9. Suarez *n.* 8. Hurtado §. 42. Castro Palao *num.* 11. Quidquid autem sit, an ex illo cap. *nullus* sit hæc obligatio (nam aliqui illius auctoritatem negant) idem habetur ex Bulla Gregor. XIII. quæ est 68. inter eius Bullas, in 2. tomo Bullarij communis, in qua renouauit eandem prohibitionem factam à Paulo IV. pro statu Ecclesiastico, & confirmatam à Pio V. & extensam ad omnes alias Prouincias in quadam Bulla, quæ est 6. inter Bullas Pij V. in eodem 2. tomo Bullarij communis, in quibus prohibentur Iudæi, & alij infideles Medici etiam vocati, venire ad curandos Christianos, & iidem Christiani eos vocare. Notat autem Suarez dicto num. 8. prohibitum hoc fuisse, non solùm propter periculum spirituale ægrotantium, sed etiam propter corporale: quasi significari posse meritò timeri aliquid mali à Medicis Iudæis Christiani nominis, & sanguinis hostibus. Quam suspicionem indicasse etiam mihi videtur Gregorius XIII. in prædicta tabula, in qua semel, & iterum dicit id prohiberi, ne Iudæis Medicis periculum detur grauiter delinquendi.

120

Addit Sanchez *num.* 10. eodem modo licere Medico Christrauo dare, aut vendere medicinas Iudæo ægrotanti, non tamen eas illi exhibere, & applicare extra casum necessitatis; eadem enim est ratio familiaritatis vitandæ. Hoc tamen meritò reprobat Castro Palao num. 11. tum quia lex prohibens non est extendenda ad personas non contentas, & lex illa solùm prohibet Christianis Medicum Iudæum, non è contra Iudæis Medicum Christianum: tum etiam, quia non est eadem ratio, cùm magis obligatus maneat infirmus Medico, quàm Medicus infirmo: quare magis timeri potest Christiano, ne afficiatur medico Iudæo, à quo curatus est, quam timendū sit medico Christiano, ne afficiatur Iudæo, quem curauit. Addere possumus rationem proximè iudicatam periculi corporalis quod Christiani ægroti subeunt, dum curantur à Iudæis quod periculum non subeunt Iudæi, si curentur à Christianis.

121

Sextò prohibentur fideles, ne simul cum Iudæo in eodem balneo lauentur in dicto cap. *nullus*: quod communiter intelligunt, ne quasi socij, & ex condicto id faciant; secus esset, si casu eodem tempore balneum ingrederentur, nec ibi familiaritatem contraherent. Addunt Coninch, & Castro Palao, hanc prohibitionem non haberi, nisi ex dicto cap. *nullus*, cuius auctoritas non est legitima, vt suprà retulimus.

122

Septimò prohibentur fœminæ Christianæ ne sint nutrices filiorum Iudæorum: de qua prohibitione, & eius sensu diximus satis *disp.* 19. *sect.* 3. *num.*

123

Octauò prohibentur fideles, ne Iudæos hæredes suos, vel legatarios instituant, quod probari solet ex l. 1. Cod. de Iudæis; sed ibi solùm excluditur Vniuersitas, seu Collegium Iudæorum. Affertur etiam caput, *si quis Episcopus*, & cap. *in vrbibus eos*, de hæreticis, sed ibi prohibito sit solis Episcopis, & Clericis, ne consanguineos etiam hæreticos, vel non Catholicos hæredes instituant, vel legatarios: in hoc tamen standum est consuetudini, iuxta quam dicunt institutiones, & legata huiusmodi, à quocunque fideli fiant haberi pro irritis: videatur Suarez *num.* 9. Sanchez *num.* 22. Coninch *num.* 172. Castro Palao *num.* 16. Hurtado *vbi suprà* §. 44. vbi benè aduertit, Catechumenum non comprehendi hac prohibitione, sed posse hæredem, vel legatarium fidelis esse, cùm non sit hæreticus, nec infidelis, sed Catholicus.

124

Vlteriùs prohibentur fideles famulam Iudæis, vel ipsos ad officia publica eligere inter Christianos: ipsi etiam Iudæi prohibentur seruos, vel ancillas Christianas habere in terris Christianorum: de his tamen dixi latiùs *dicta disp.* 19. *sect.* 3. nec oportet ea iterum repetere.

125

Circa hæc tamen nonnulla sunt aduertenda: Primum est, concessum esse iis, qui fidem infidelibus prædicant, vel de eorum conuersione agunt, cibos ab iis recipere, & cum iis manducare, vt ex eo cap. *quàm sit*, de Iudæis, colligunt Doctores communiter. Sanchez *num.* 16. Suarez *num.* 4. & 7. Castro Palao *num.* 13. qui alios referunt.

Secundò aduertendum est, præcepta hæc eo modo, quo obligant de iure positiuo, non esse dispensabilia, nisi à summo Pontifice; quia sunt præcepta vniuersalia, & ipsius Pontificis summi, in cuius legibus non possunt Episcopi, vel alij inferiores dispensare, nisi fortè in casu particulari magnæ, & vrgentis necessitatis, & per quamdam epiciheiam, de quo in materia de legibus. Atque ita in casu nostro docent Sanchez *n.* 27. Suarez

Suarez *num.9.* Castro Palao *num.19.* & alij communiter.

124 *An hæ prohibitiones intelligantur in ordine ad omnes Paganos.*

Dubitatur primò, an hæ prohibitiones intelligantur solùm in ordine ad Iudæos, an verò in ordine ad omnes Paganos. Affirmant aliqui, quos affert Sanchez *num.* 25. & Castro Palao *num.*18. Alij dicunt comprehendi saltem Sarracenos, non verò Ethnicos, seu gentiles: ita Suarez *num.*10. tum quia iura sæpe exprimunt Sarracenos simul cum Iudæis: tum quia eadem videtur esse de illis ratio, cùm non minùs sint hostes Christianæ religionis; nec minùs sit eorum familiaritas pernicioſa. Alij meliùs negant comprehendi alios infideles, nisi in iis casibus, in quibus exprimuntur: Ita Sanchez, & Castro Palao locis citatis, Hurtado §.46. & alij. Nam lex pœnalis non debet ad alios in ea non comprehensos extendi: & quia peculiaris est ratio in Iudæis, qui acerbiores sunt hostes Christianæ religionis, & magis solliciti de propagatione suæ sectæ, atque adeo magis pernicioſa est eorum communicatio. Denique quando lex voluit Sarracenos, vel alios Paganos comprehendere, illos etiam expressit: quare dum exprimit solos Iudæos, de aliis non censetur curare. Addit Castro Palao in duobus solis casibus, expressos fuisse alios, nempe non famulari Iudæis, & Sarracenis, & non præficere Iudæum, vel Paganum publicis officiis. Sed certè sunt & alij casus, in quibus alij præter Iudæos exprimuntur, v. gr. in cap. *Iudæi* secundo de Iudæis, vbi prohibetur habitare cum Iudæis, & Sarracenis. Item in bullis supra citatis Pontificum, prohibentur vocari medici Iudæi, vel infideles, & ipsi prohibentur venire ad ægrotos Christianos. Item in *cap. in eos* de hæreticis, prohibentur clerici aliquid testamento relinquere Iudæis, vel aliis non Catholicis: oportet ergo singulas prohibitiones examinare, & videre, an soli Iudæi nominentur, an etiam Sarraceni, an denique omnes alij Pagani vel infideles.

125 *An trãsgressio harum legum sit grauis.*

Dubitatur secundò, an transgressio horum legum sit grauis an solùm peccatum veniale. Negant aliqui esse grauem, quando nec est periculum subuersionis, nec dignitas Christiani nominis in aliquo minuitur, quæ sunt rationes illarum prohibitionum, quas refert Sanchez *vbi supra num.*26. & probabile putat Hurtado §.39. saltem in aliquibus casibus. Ipse verò Sanchez dicit non excusari à mortali, quæ quasi continuam conuersationem, vel nimiam familiaritatem inducunt, ac fidei dignitati derogant, vt cohabitare cum Iudæis, famulari illis domesticè in quibusuis ministeriis, eos in officijs publicis tolerare. At reliqua excusare à mortali, quando deest contemptus, & subuersionis periculum, ac scandalum, saltem si adsit aliqua causa iusta, vel ex incuria fit transgressio: excipi tamen esum azymorum Iudæi, qui semper est mortalis extra necessitatis casum.

126 Hanc sententiam nimis laxam iudicat Suarez, *num.6.* & 9. dicens has prohibitiones tam ex materia, quàm ex fine esse graues, & obligare sub mortali ex genere suo, quamuis ex leuitate materiæ possit transgressio interdum esse venialis: cui consentit Castro Palao *num.*17. dicens esse per se mortalia omnia illa, quæ in hac materia iure communi prohibentur. Quod ex genere suo mihi etiam verum videtur: nam vocare medicum Iudæum sine necessitate grauissimè prohibetur in bullis Pontificum, quem tamen casum non numerat Sanchez in iis, quæ sunt peccata gratia: quare immeritò à Castro Palao affertur idem Sanchez tanquam exprimens casum illum de Medico, inter eos, qui obligant sub mortali: id enim non inuenio saltem in eo loco, in quo citatur. Ratio etiam est optima, quam insinuat Suarez *illo num.6.* quia si prohibitio legis vniuersalis est, non cessat obligatio in particulari, etiamsi finis legis negatiuè tantùm in tali persona cesset: quæ ratio maiorem vim habet in casu præsenti, quia non cessat in totum ratio legis, ex eo quòd aliquis se firmum in fide reputet, & ideo putet non sibi imminere periculum peruersionis: multi enim se tales reputant, qui postea in ipsa occasione periclitantur. Alioquin possent etiam libros hæreticorum legere, qui se firmos reputant in fide, nec timent periculum peruersionis: quod tamen Sanchez non concedet, & meritò, quia lex iustè id prohibet omnibus, propter periculum, quod imminet multis, si possent licitè eos libros legere quicunque antea nihil sibi periculi timent. Idem autem cũ proportione est de quolibet alio genere communicationis, & familiaritatis, cum Iudæis, & Paganis, quæ iustè poterit omnibus prohiberi propter periculum generale, quod aliqui verè poterunt subire, si omnes, qui nihil timent, possent cum illis conuersari. Si ergo lex aliquid vniuersaliter omnibus prohibeat in eo genere, obseruandum est ab omnibus, licèt videantur sibi à periculo tuti, exceptis sæpe iis, quibus incumbit cura conuertendi infideles; in quibus finis legis cessat non solùm negatiuè, sed etiam contrariè, vt notauit idem Suarez *illo n.6.*

Hoc loco tractat latè Hurtado *dicta disp.*76. *sect.*3. de prohibita armorum delatione ad infideles. Hoc tamen pertinet ad materiam de censuris, in expositione Bullæ cœnæ, vbi latè à Doctoribus explicatur, nec enim oportet omnia, quæ vbilibet circa infideles tractantur, reducere ad tractatum de fide, qui hac occasione cresceret in immensum. Qua etiam de causa omitto quæstionem, quam late tractat idem Hurtado ibidem sect.4. de communicatione licita cum infidelibus in bello, nimirum quando liceat illos in bello adiuuare, vel ab illis ad bellum adiuuari, quod pertinet magis ad tractatum de bello.

127 *De prohibita armorũ delatione ad infideles, remissiuè.*

SECTIO V.

Disputatio cum infidelibus, an, & quomodo licita sit.

128 HOc etiam pertinet ad communicationem cum infidelibus prohibitam, & commune est omnibus infidelibus, tam Iudæis, & Paganis quàm etiam hæreticis. Potest autem prohibitio hæc prouenire aliquando ex iure naturæ, aliquando ex iure positiuo humano. Notant autem aliqui, duplicem esse disputationem, alteram formalem, alteram quasi materialem: disputatio formalis dicitur, quando fit ad conuincendum aduersarium, & persuadendum ei, quod ipse negat esse verum: materialis verò dicitur, quando vterque idem credit, sed tamen exercẽdi ingenij causa, &, vt dici solet, disputationis gratia, impugnatur conclusio de fide animo tamen catholico. De hac itaque disputatione materiali circa res fidei

Disputatio alia formalis, alia quasi materialis.

fidei non est prohibitio aliqua iuris positiui, sed solùm in ea seruari debent conditiones, quas ratio naturalis dictat, & quas attigit grauiter Suarez *præsenti disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 1. qui bene aduertit, non debere procedere ex dubitatione disputantis, nam dubium ipsum in rebus fidei pertineret ad hæresim, vt dictum est in superioribus. Non est etiam permittendum, vt etiam disputationis gratia proponantur defendendæ assertiones contra fidem, vel etiam erroneæ, imò nec improbabiles; tum quia doctrina assertionum, eo ipso asseri, & affirmari videtur; tum etiam quia ad nihil id deseruit, nisi vt paulatim afficiantur auditores ad doctrinam, quæ defendi potest.

129 Non est tamen putandum, disputationes omnes fidelium cum fidelibus esse solùm materiales; imò enim ferè semper sunt formales, quia rarò disputatur de veritate dogmatis fidei; sed de rebus partim philosophicis, partim etiam Theologicis, sed quæ in opinione versantur, & in quibus disputantes singuli trahere conantur ad suam sententiam aduersarios; quod proprium est formalis disputationis. Hæc tamen non est propriè disputatio de rebus fidei, atque adeo non censetur prohibita iis, quibus de rebus fidei disputare prohibetur: est enim hæc disputatio de conclusionibus aliis, quæ ex fide probabiliter deducuntur, vel de ratione diuersa, qua fidei dogmata, vel probari, vel defendi possunt: circa quem probandi, aut defendendi modum possunt diuersæ esse sententiæ apud Catholicos alioquin in fide ipsa, & dogmate quolibet consentientes.

130 Loquendo ergo de disputatione formali circa res fidei, certum est apud omnes, eam ex se licitam esse posse, vt cum S. Thoma *in præsenti disp.* 10. *art.* 7. docent omnes Theologi, & probat latè Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 3. *& sequentibus:* Colligitur autem ex Scriptura ad Titum 1. vbi dicitur, Episcopum oportere esse *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt posse eos, qui contradicunt arguere*; & ex 1. Petri cap. 3 vbi omnibus fidelibus loquens dicit: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe, sed cum modestia:* vbi in Græco legitur, *parati semper ad Apologiam:* & apud Fulgentium legitur, *ad responsionem*, & Actuum 6. *surrexerunt disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur* & cap. 17. *Paulus disserebat de scripturis secundum consuetudinem*, & infra: *disputabat in Synagoga cum Iudæis*: & passim reperiuntur exempla sanctorum Patrum, qui voce, & scriptis disputarunt contra gentiles, & hæreticos, iuxta illud Augustini præceptum epist. 48. *cum hæreticis verbis etiam agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum.* Quod ipse Augustinus opere præstitit, vt constat ex eius disputationibus contra hæreticos variis, & eruditis, quæ in 6. & 7. tomo operum ipsius continentur. Denique hoc ipsum necessarium est ad conuincendum hæreticos, ad confirmandos Catholicos, ad fidem ipsam persuadendam, quæ ex auditu concipitur, nec potest prodenter admitti, nisi propositis motiuis, & argumentis euidentis credibilitatis, atque adeo dissolutis contrariis argumentis quæ omnia disputatione indigent: videatur vltra alios Valentia *in præsenti disput.* 1. *quæst.* 10. *puncto* 4.

Huic certissimæ doctrinæ videtur obstare lex *nemo* Cod. de sum. Trinit. vbi dicitur, *nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publicè turbis coadunatis, & audientibus, tractare conetur in posterum ex hoc tumultus, & perfidiæ occasionem requirens.* Ad quam tamen legem, Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *capite* 26. *quæst.* 2. & Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 8. respondent, cùm sit lex meræ ciuilis, non potuisse obligationem in hac materia inducere. Sed certè S. Thomas dicto art. 7. in 2. argumento supponit legem illam esse per sacros canones confirmatam, & Suarez *vbi supra n.* 7. *in fine*, non sine fundamento putat legem illam editam fuisse ab Imperatore Martiano, consensu, vel etiam hortatu Leonis Papæ, vt colligi videtur ex epist. 48. aliàs 50. Leonis ad ipsum Martianum in illis verbis, *in eam fidem, quam Euangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus (nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa) omnium corda concurrant, ne per vanam fallacemque versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in Christo firmata sunt, & sine fine mansura.* Meliùs ergo S. Thomas vbi supra respondet, ibi solùm prohiberi disputationem, *quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ est ad fidei confirmationem.* Qui sensus colligitur satis ex verbis proximè subsequentibus eiusdem legis: *nam & iniuriam facit iudicio Reverendissimæ Synodi, si quis semel iudicata ac rectè dispositæ voluere, & publicè disputare contenderit.* & infra reddit aliam similem rationem, *quia non solùm contra fidem verè expositam veniunt, sed etiam Iudæis & Paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria.* Ex quibus verbis constat solum prohiberi ibi, vt dixit S. Thomas disputationem, quæ ex dubitatione procedit, & qua in quæstionem, & dubium reuocetur, ac nouo examini subiiciatur id, quod à Conciliis stabilitum est. Non ergo prohibetur disputatio, quæ ordinatur ad confirmandam fidem, eamque incredulis persuadendam. Alia Scripturæ, & Patrum loca obiici solent, quæ tamen non substantiam disputationis improbant, sed defectus aliquos, qui eam possunt reddere vitiosam, vt ex dicendis constabit. 131

Sunt ergo necessariæ conditiones aliquæ ad disputationis honestatem. Prima est, quod disputans ita sit in fide firmus, & constans, vt non subeat periculum dubitandi ea occasione de rebus fidei, alioquin non se debet ingerere, ne forte dum alios lucrari intendit, ipse miserè corruat. Secunda est, vt sit doctus, quantùm ad id muneris sustinendum requiritur; ad quod considerandæ sunt vires aduersariorum: minus enim requiritur ad disputandum cum hæretico simplici, & imperito, quàm cum docto, erudito, & sagaci, quales hodie in Hollandia & Gallia reperiuntur non pauci. Alioquin disputatio cedet in contemptum fidei, & periculum auditorum. Notat autem Coninch *disp.* 18. *n.* 141. sufficientiam hanc plerumque non tam metiendam ex maiori doctrina, quàm ex praxi & vsu, ac facilitate sese explicandi ad captum audientium. 132 *Conditiones necessariæ ad disputationis honestatem.* *Prima conditio.* *Secunda conditio.*

Tertia conditio est ex parte illius, cum quo disputatur, vt scilicet talis sit, cui speretur profutura disputatio: sunt enim hæretici plures, qui non ex ignorantia, sed ex malitia errant, nec corrigi cupiunt, & cum iis regulariter est illicita disputatio 133 *Tertia conditio.*

sputatio, vt notat Coninch *num.*143. Suarez *n.* 113.& alij. Nam tunc disputatio erit non solùm otiosa, sed etiam scandalosa,quatenus sine vtilitate præbetur occasio hæretico committendi noua peccata in ipsa disputatione, & obstinata defensione proprij erroris.In quo sensu intelliguntur verba Pauli ad Titum 3. *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita,sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, cùm sit proprio iudicio damnatus.* vbi Chrysostomus homil. 6. dicit: *hoc de illo monet, qui corrigi non vult, quem insanabili morbo detineri videris.* Addit autem,non esse facile desperandum, sed expectandum patienter: *& ab illis solis,* inquit, *discendum est, de quibus apertam possumus ferre sententiam, certique sumus, quod quantalibet faciamus, eos nunquam ad veritatis viam reuocabimus.* Imò eo etiam in casu non est damnanda disputatio, si fructus speretur in auditoribus, qui vel conuertentur, si hæretici sint, vel in fide solidiores manebunt, si erant Catholici, vel certè hæretici timidiores fient,nec ita insolenter insultabunt, vt dixit Bernard.sermone 64. in Cantic. *etsi hæreticus non surgat ex face, Ecclesia tamen confirmatur in fide.* His autem conditionibus cessantibus, & spe fructus ablata, disputatio fugienda est: & in eo sensu intelligi debent Gelasius Papa in commonitorio ad Faustum dicens, *nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communicationis alienæ, dicente Apostolo hæreticum hominem,* &c. Et Augustinus contra Faustum c.12.dicens: *non disputationem amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, vt congregent,quæ non pepererunt.* & Auctor imperfecti in Matth. sub nomine Chrysostomi homil.12. dicens: *Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis, si Pharisæi victi non sunt, tu certando contra hæreticum poteris eum placare, cùm vicerit?* Ex hoc tamen ipso exemplo constat,non semper disputationes omittendas,eo quod hæretici conuertendi non sint, cùm & ipse Christus frequenter publicè cum Pharisæis disputauerit, qui ob suam pertinaciam conuertendi non erant: proderat tamen disputatio illa ad eorum confusionem,& vt alij conuerterentur,vel in fide confirmarentur. Vide alia similia loca Patrum apud Suarez *n.*3.

134 *Quarta conditio.* Quarta conditio est ex parte auditorum, ne forte illis nocere possit disputatio audita, quod magis cauendum est,quando non sunt docti, vel ita perspicaces, vt rationes nostræ fidei callere possint, sed simplices, & rudes, qui aliàs in fide quieti degebant, & fieri facilè potest vt argumentis contra fidem commoueantur non ita facilè solutionis vim capientes,vel certè turbari incipiant, cogitantes posse in dubium reuocari ea, de quibus antea nunquam dubitarunt, qui primus gradus est ad hæreses introducendas, atque adeo omni ratione cauendus: si tamen simplices illi iam ab hæreticis sollicitarentur, & timeri potest, ne ab iis deciperentur, oportet coram ipsis disputare,ne silentium nostrum meliorem fortasse apud plebem reddat hæreticorum causam, & quia videbunt saltem non deesse nobis rationes ad tuendam fidem, licet ipsi eas non omnino percipiant. Ad quod facit illud Gregorij in Pastorali part.2. cap.4. *sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, eos qui erudiri poterant in errore relinquit.* Aduerte tamen cum Hurtado *dicta disp.*74.§.39. non esse constituendos iudices disputationis, & controuersiæ auditores Laicos, qui nullo modo de rebus fidei iudicare possunt. Nec obstat apud August. *tom.*1. *in breuiculo* referri disputationem habitam coram Tribuno, & aliis ex edicto Constantini Imperatoris, illi enim non erant iudices disputationis, sed imperiali auctoritate aderant ad continendos in officio securósque reddendos disputantes,& vt fideliter argumenta, atque responsa describerentur.

Quinta conditio exigitur ex parte modi, vt appareat in disputante modestia, sincerus veritatis amor, sine contentione, sine iniuriis,æmulatione, vt non minùs moribus, quàm rationibus aduersarios vincamus, quod optimè probat S.Thom. vbi supra ex illo Pauli 2. ad Timoth.2. *noli contendere verbis, ad nihil vtile est, nisi ad subuersionem audientium;* cui consonat illud eiusdem Pauli 1.ad Corint.2. *si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, sed neque Ecclesia Dei:* & in eodem sensu refertur Sisinij sententia apud Socratem lib.5. histor. cap.10. *disceptantes non solùm non reconciliare schismata, sed potius hæreticos ad contentionem magis accendere.* Quod maximè locum habet, quando contumeliæ admiscentur, quia vt dixit Chrysostomus dicta homil.6. in 2. ad Timoth. vt verbum fructificet, oportet vt alter gratè audiat, *gratè autem affici eum, qui iniuriis afficitur, vix contingere potest:* de quo videri etiam potest Epistola Constantini Imperatoris apud Eusebium *in eius vita, lib.*2. & Nicephorum *lib.*8. *cap.*13.

135 *Quinta conditio.*

Potissima conditio requisita de iure positiuo Ecclesiastico est, vt disputans non sit laicus, vt habetur in cap.2.§. *inhibemus* de hæreticis in 6. his verbis. *inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica disputare; qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quam excommunicationem notant communiter Doctores non incurri ipso facto, sed post sententiam, vt colligitur ex illo verbo, *innodetur*: id tamen sufficit, vt præceptum obliget sub peccato mortali: nam pro solo veniali non posset excommunicatio maior imponi. Aduerte etiam, intelligi non de disputatione materiali, sed de formali, vt supra diximus, in qua disputantes dissident circa fidei veritatem, vt cum Caietano notauit etiam Hurtado *vbi supra* §.20. qui bene etiam aduertit,non habere locum hanc prohibitionẽ, quando consentiunt circa fidei veritatem, & disputatur solùm de ratione Theologica, ad eam confirmandam,vel ad eam explicandam, quia hoc non est de fide disputare.Magis dubitari posset,quando disputatur, an res aliqua sit, vel non sit de fide, provt sæpe inter Theologos disputari solet: tunc enim videtur esse disputatio de ipsa fide.Ceterum si reuera opiniones sint probabiles apud Catholicos circa hoc ipsum,aliis asserẽtibus,aliis negãtibus id esse de fide,non credo comprehẽdi sub hac prohibitione,in qua solùm videtur laicis prohiberi disputatio de rebus fidei certæ, & exploratæ,non de rebus fidei dubiæ,quod etiam ex Caietano significat Coninch *vbi supra num.*146. dicens, prohiberi solùm disputationem susceptã aduersùs eos, qui in fide errant, in prædicto autem casu,neutet videtur errare in fide:& ita videtur vsu comparatum,cùm passim discipuli Theologi,qui adhuc clerici non sunt,sed meri laici,de

136 *Potissima conditio est, vt disputans nõ sit laicus.*

iis quæstionibus publicè disputent. Quorum disputatio non posset excusari, eo quod non sit formalis, sed solùm materialis: nam reuera est formalis, vt suprà monui, cùm sit sententiarum diuersitas, & disputans intendat aduersario id neganti persuadere rem illam esse de fide, quod tamen ille alter omnino negat.

137 *Qui intelligatur nomine laicorum.*

Circa hanc prohibitionem quæritur primò, qui intelligantur nomine *laicorum*. Certum est, non comprehendi clericos etiam primæ tonsuræ, quandiu clericatus statum retinent. Peccabunt tamen ij contra ius naturale, si absque doctrina sufficienti, vel aliis debitis conditionibus, sese ad disputandum ingerant. Certum etiam est, non comprehendi religiosos, qui simul ordines habent, saltem primam tonsuram: neque enim ij sunt laici. Dubium est de religiosis, qui nullum ordinem, nec primam tonsuram habent. Multi dicunt, eos non comprehendi nomine laicorum in hac prohibitione. Ita Sanchez *dicto cap. 6. num. 6.* Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 4.* & probabile ac tutum dicit Suarez *vbi suprà num. 10.* licèt videatur in contrarium inclinare quoad eos religiosos, qui in suis ordinibus laici appellantur. Affertur etiam pro eadem sententia adud Castrum Palaum P. Coninch *num. 145.* qui tamen contrarium docet illo loco, quoad religiosos laicos, his verbis: *Nota sub pœna excommunicationis ferendæ, prohiberi omnibus laicis, (quales sunt omnes ij, qui non gaudent priuilegio clericali, imò etiam Religiosi, qui non ad studia, sed ad opera domestica destinantur) ne cum hæreticis de fide disputent.*

138 *Religiosi laici an comprehendantur nomine laicorum.*

Alij ergo de iis Religiosis laicis dicunt comprehendi lege illa nomine laicorum; ita Coninch proximè citatus, & inclinat Suarez vt vidimus, & acriter Hurtado *vbi suprà §. 32.* durioribus in religiosos laicos inuectus verbis, quos quidem non debemus despicere: sed magis tamen credo eos hac prohibitione comprehendi: tum quia verè & in rigore sunt laici: tum quia ratio eadem in illis procedit, nempe carentia sufficientis doctrinæ ad disputandum necessariæ. Alia est ratio de illis, qui ex vi suæ professionis ad studia, & ordines sacros destinantur: ij enim licèt adhuc ordinibus careant, possunt tamen clerici appellari quatenus iam ex sua professione ad clerum spectant, atque ita nec Hurtado, nec alij dixerunt eos hac lege comprehendi; habent enim ex genere suo, & ratione status doctrinam requisitam, quæ si alicui in particulari desit, is siue primam tonsuram habeat, siue non habeat, lege naturali à disputando arcetur.

139 *An laicus doctus possit licitè disputare cum hæreticis.*

Secundò quæritur; an laicus doctus possit licitè disputare cum hæreticis. Affirmant aliqui, Caietanus, Bañes, Petrus de Ledesma, quos affert & sequitur Hurtado *vbi suprà §. 24. & sequentibus*, & probabile fatetur Sanchez *dicto cap. 6. num. 5.* fundamentum est, quia in eo cessat tota ratio legis proxima, & remota, nempe periculum disputantis, & Auditorum, ac etiam ne cedat in contemptum fidei.

Alij tamen meliùs id negant. Suarez *vbi suprà num. 11.* cum aliis relatis Sanchez *dicto num. 5.* Coninch *vbi suprà num. 145.* Valentia, Azor, & alij, quos affert & sequitur Castro Palao *vbi suprà num. 4.* Fundamentum præcipuum est, quia reuera non cessat tota ratio legis: nam, vt sæpè diximus in aliis casibus similibus, si vnusquisque laicus maneat iudex sui ipsius in hac materia, plures iudicabunt se habere doctrinam sufficientem ad disputandum: sumus enim faciles ad despiciendos alios, & ad gloriosè de nobis sentiendum: vnde eadem inconuenientia sequerentur, ad quæ vitanda potuit rationabiliter id laicis omnibus prohiberi; quia communiter loquendo, laici non sunt docti in iis materiis, & melius est quod vnus, vel alter laicus doctus non disputet, quàm quòd disputent laici plures indocti, & leges attendere debent ad ea, quæ communiter accidere solent. Confirmatque potest, quia lex hæc Ecclesiastica aliquid de nouo prohibuit: laicus autem indoctus iam erat iure naturæ prohibitus, ergo comprehenditur etiam doctus: alioquin non oportuit explicare laicos, sed indoctos: nam æquè clerici, ac laici indocti prohibiti sunt saltem quoad culpam.

Tertiò quæri potest, an saltem iubentibus clericis possit laicus disputare. Affirmant Suarez *vbi supra num. 11. in fine*, & Castro Palao *n. 7.* quod probant ex S. Leone epist. 62. c. vltimo dicente: *Præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi tarius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit monachus laicus qui alicuius scientia nomine glorietur:* & ex 6. Synodo can. 64. Trullano, vbi laicus prohibetur, ne sibi vendicet publicè docendi auctoritatem, & clariùs videtur haberi in Concil. Carthagin. 4. cap. 98. his verbis: *Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeat.* Hæc tamen loca nimium vel parum probant. Nam S. Leo solis sacerdotibus permittit propria auctoritate docere: cùm tamen Suarez, permittat etiam Diaconis, & aliis clericis disputare. Deinde Canon Trullanus solùm prohibet laico publicè propria auctoritate docere, quare priuata disputatio non esset illi prohibita, quod tamen Suarez, & alij non concedent. Denique in Concil. Cathag. solùm prohibetur laicus docere præsentibus clericis, nisi eorum iussu: quare clericis non præsentibus posset id facere: quod etiam Suarez non concedet. Non possumus ergo ex illis locis colligere facultatem, qua laici clericorum iussu disputare possint: sicut nec possumus eam colligere, vt possint in priuato, vel absentibus clericis id facere, & sicut non possumus colligere prohibitionem disputandi pro Diaconis, & aliis, qui sacerdotes non sunt.

140

Meritò ergo Hurtado *vbi suprà §. 24.* arguit sententiam illam inconsequentiæ, quatenus agnoscit prohibitionem extendi ad laicos etiam doctos, & aliunde concedit posse id facere iubentibus clericis: nam lex postrema hoc prohibens contenta in dicto cap. 2. §. *inhibemus* sicut non excepit laicum doctum, sic etiam non excepit laicum iussum à clericis: si ergo laicus doctus non potest disputare, nec etiam poterit iussus à clericis, cùm nullibi reperiatur concessa clericis hæc potestas permittendi laicis disputationem cum hæreticis. Non est ergo in hoc puncto standum decretis antiquioribus quatenus derogata videtur hoc decreto posteriori, siue illa lationa hoc sint, siue magis stricta.

141

Quartò quæri potest, an hac prohibitione comprehendatur laicus fidelis disputans de rebus fidei cum alio fideli. Affirmat Sanchez *vbi suprà num. 9.* quia formalis disputatio prohibita laicis est omnis illa, quæ ad fidei veritatem confirmandam, & suadendam suscipitur: qualis etiam est, quæ hæreticorum argumenta adducit, vt veritatem fidei iis solutis confirmet. Id tamen negant Hurtado

Hurtado §.21.& Castro Palao *num.*5.qui adducit Castrum *lib.*1. *de iusta hæreticorum punitione cap.*19. fauent Coninch *num.*146. dicens prohiberi solum disputationem susceptam ad conuincendos eos, qui in fide errant, & Suarez *vbi supra num.*1. dicens, non prohiberi disputationem quæ non susciputur contra hæreticos, sed inter fideles fit, quia illa non est formalis disputatio de fide. Et quidem non video, quomodo aut in quo possit P. Sanchez ab hac sententia dissidere, cùm ipse ibidem dicat, non prohiberi nisi disputationem formalem, quæ non est, nisi quando persuadendi causa suscipitur, non verò quando fit exercitij gratia, vel ingenij acuminis ostendendi. Si enim disputatio fit inter Catholicos, nihil de fidei veritate dubitantes, aut formidantes, necesse est, quod vel fiat solùm exertij gratia, vel certè si ordinatur ad conuincendũ & persuadendum non fit ad persuadendam fidem sed modum probandi,aut rationem aliquam,circa quam possit esse contentio, & diuersitas opinionum:quod tamen,vt diximus, non est de fide disputare,sed de rationibus, aut modo illam defendendi, quæ disputatio non videtur prohibita in illo derero,sed sola disputatio de fide.

142 *Duplex limitatio opponi solita huic prohibitioni. Prima limitatio.* Duplex limitatio opponi communiter solet huic prohibitioni. Prima est necessitas, v. g.si nullo præsente clerico,qui fidei partes tueri possit, hæreticus cum iniuria, vel præiudicio eiusdem fidei loqueretur, eamque improbaret: tunc enim si adesset laicus doctus,posset, imò & plerumque teneretur fidem defendere, vt os obstrueret hæretici: ita Aragon. & Valentia, quos affert,&sequitur Sanchez *num.*7.Suarez *num.*11. Coninch *num.*147. Castro Palao *num.*6. Hurtado §. 23. qui nomine necessitatis dicunt intelligi etiam magnam fidei vtilitatem, quam quidem lex illa impedire non intendit. Secunda limitatio est pro regionibus, & prouinciis,in quibus hæretici grassantur,vbi per contrarium vsum derogatum esse huic prohibitioni, testatur Valentia *in præsenti disp.*1. *quæst.*10. *punct.* 4. cuius testimonio fidem adhibent Sanchez *dicto num.*7. Suarez *num.*11.*in fine*, Castro Palao *num.*8. Hurtado §.22. & Coninch *num.*148.

Secunda limitatio.

143 *An consentiente Summo Pontifice possit fieri conuentus Ecclesiasticus in quo conueniant hæretici ad disputandum de Religione.* Iuxta doctrinam huius sectionis, respondeti poterat ad id,quod ante biennium quæsitum fuit an scilicet posset, consentiente saltem summo Pontifice, in prouincia quadam fieri conuentus Ecclesiasticus in quo Principis iussu conuenirent etiam schismatici, seu hæretici illius Prouinciæ simul cum Prælatis Catholicis, ad disputandum de religione, & stabiliendam concordiam inter ipsos. Dixi enim primò, non debere vllo modo permitti synodum, ad quam schismatici vel hæretici, aut eorum Prælati conuenirent etiam vt iudices,& cum iure suffragij: cùm hoc iure omnino careant, nec debeant comparere vt iudices, sed vt rei,vel certè vt à veris Prælatis instruantur & reducantur. Secundò non esse conuocandos Prælatos Ecclesiæ ad hunc conuentum à Principe sæculari,ad quem hoc munus non spectat,sed benignè inuitandos, & petendam summi Pontificis facultatem, vt possint ea de causa à propriis Ecclesiis abesse: schismaticos verò posse à Principe cogi, vt vocati à Prælatis Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, vt ita corrigi,& conuinci possint.Qui effectus cum non alter,nisi hac via sperari posset, vt dicebatur, videbatur posse Pontificem consensum præstare ad hunc conuẽtum potiùs,quàm synodum, faciendum: non quidem ad examinandas res fidei, aut de illis decernẽdum,sed ad conferendum coram cum schismaticis, eosque conuincendos; videbantur enim concurrere conditiones supra requisitæ ad licitam disputationem reddendam: disputaturi quippe erant nõ laici,sed Prælati Ecclesiæ,& alij sacerdotes Theologi, & docti, & hoc cum hominibus vt plurimum indoctis, & imperitis, qui facilè conuinci possunt, præsertim ostensis eorum libris à suis Ministris euidenter falsificatis ad eos decipiendos: quare spes erat, quòd eorum multi reducerentur ad Ecclesiam. Item disputandum erat non coram plebe, sed coram viris doctis: & hac ipsa occasione Catholici simpliciores magis confirmarentur in vera fide, quam à suis Prælatis scirent ita gloriosè defendi,nec posse ab aduersariis oppugnari. Cauendum tamen, ne pacta aut concordiæ ibi cum hæreticis fieri possent, saltem nisi scientè, & consentiente summo Pontifice, & multo minùs,ne dogmata de religione decernantur,sed solùm vt dogmata à Conciliis generalibus stabilita, & doctrina Romanæ Ecclesiæ defendatur & aberrantes ad eam regulam reducantur. Quia tamen re maturè examinata, compertum fuit, non concurrere conditiones illas requisitas, licentia meritò denegata fuit.

Agere solent aliqui hoc loco de communicatione licita, vel illicita cum infidelibus, dando illis res indifferentes, quibus ipsi ad falsos ritus sacrilegè vtuntur, v.g. an dari possit Iudæo agnus, quem vult ad sacrificium Iudaicum, vel ethnico idolum, quod petit ad illud colendum & sic de aliis. Quod tamen propriè spectat ad tractatum de scandalo, cùm sit quæstio generalis de danda, vel non danda re aliqua abusuro. Videri autem interim possunt Sanchez *lib.* 1. *in Decal.capite* 7. Coninch *in præsenti disput.*18. *dub.*13. & alij Recentiores, quos congerit Diana *p.*5. *tract.*7. *de scandalo resol.*6. & 36.

DISPVTATIO XXIII.

De pœnis spiritualibus hæreticorum.

SECTIO I. *De excommunicatione hæreticis imposita.*

II. *De actione externa requisita ad constituendum hæreticum externum,& incurrendam excommunicationem.*

III. *De absolutione ab hæresi, & excommunicatione ob hæresim contracta.*

Pœna hæreticorum sunt in duplici genere.

IN duplici genere sunt hæreticorum pœnæ; quædam sunt spirituales, quædam temporales, vel etiam corporales. Nunc agimus de solis spiritualibus, quarum notitia magis necessaria est Theologis, quia magis spectant ad forum internum; nam temporales, & corporales ferè pertinent ad forum externum, in quo per Canonistas examinantur, & mandantur executioni. Nomine autem *hæreticorum*,in ordine ad pœnas intelliguntur etiam Pagani,Mahometani,Iudæi,

& alij infideles,& Apostatæ,qui post baptismum susceptum à Catholica fide deficiunt, licèt non solùm partem fidei Christianæ relinquant per hæresim, sed totam, vel ferè totam per Paganismum, vel Iudaismum abnegent: ij enim eadem pœnas incurrant ac hæretici, vt fatentur Doctores omnes,quos refert,& sequitur Sanchez *lib.2. in decal. cap.7. num.18.* nam quoad culpam tota malitia hæresis continetur in Apostasia, & additur vlteriùs recessus totalis à fide, quòd non minuit, sed aggrauat peccatum, & facit Apostatam digniorem omnibus iis pœnis: Schismatici autem, qui hæretici non sunt, non intelliguntur nomine hæreticorum, quoad eorum pœnas, nisi exprimantur,vt docet Sanchez cum aliis lib.2.in Decalog. cap.36. vbi enumerat etiam proprias Schismaticorum pœnas.

SECTIO I.

De Excommunicatione hæreticis imposita.

1 *Excommunicatio maior est prima & antiquissima hæreticorum pœna.*

PRima, & antiquissima hæreticorum pœna est excommunicatio maior, vt constat ex cap. *Achatius* 24.qu.1. cap. *Ad abolendum* cap. *excommunicamus* 1.& 2. de hæreticis cap. *Quocunque* eodem: tit in 6.cap. *nouerit*, de sententia excommunicationis. Denique in Bulla cœnæ imponitur,& renouatur singulis annis hæc excommunicatio reseruata Summo Pontifici. Est autem hæc excommunicatio omnium antiquissima, vt notauit Azor *tom.1. lib.8. cap.10. quæst.1.* Est etiam ipso facto incurrenda quamuis iure antiquiori solùm esset imponenda, iuxta quod antiquum ius loquutus videtur S.Thomas *in præsenti, quæst.11. art. primo.*

Obstare posset illud Pauli ad Titum 3. *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita:* non ergo debet censeri excommunicatus ante duas monitiones. Respondet Suarez *in præsenti disp.21.sect.1.num.7.* in primis verba illa aliter legi à multi Patribus, quos ibi congerit, nempe *post, vnam admonitionem deuita,* quæ admonitio sufficienter fit per legem. Secundò tamen,& faciliùs respondetur, admissa nostra lectione vulgata, quæ tenenda est, ibi sermonem esse de excommunicatione ferenda ab homine scilicet ab Episcopo, qualis erat Titus, & ideo duplex admonitio exigebatur: nunc autem excommunicatio est à iure,quod semper monet, & ideo sufficit lex promulgata, vt ipso facto incurratur. Posset tertiò addi, duas illas monitiones non requiri,vt hæreticus incurrat excommunicationem, sed vt Episcopus certior fiat de eius pertinacia, & quam incurrerit censuram, & ita meritò, & prudenter possit illum declarare excommunicatum, vt ab omnibus vitetur: multi enim sine pertinacia sectantur hæreses, & ideo ab excommunicatione excusantur; imò à peccato etiam graui, aliquando vero licèt non excusentur à peccato,sed tamen quia peccant ex ignorantia culpabili, non sunt propriè hæretici, vt vidimus in superioribus, agentes de essentia hæresis.

2 *Hæc excommunicatio an sit iuris diuini.*

De hac ergo excõmunicatione quæritur primò an sit iuris diuini, an solùm iuris positiui humani. Aliqui voluerunt esse iuris diuini, ita Driedo, Echius, Almaynus, Penna, & alij, quos affert Suarez *vbi supra num.1.* Contraria tamen sententia verissima est, licèt hæreticus dignissimus sit hac pœna, non esse tamen impositam nisi iure humano; ita Soto, Valentia, Henriquez, quos affert, & sequitur Suarez, Castro Palao *1. tom. tract.4. disp.4. punct. 1. num. 1.* Alfonsus Castro, & Lorca, quos affert, & sequitur Hurtado *disput.83. sect.1. §.4.* & constat ex modo loquendi Pontificum, qui dicunt se excommunicare hæreticos, quod non dicerent si iam essent à Christo excommunicati. Constat etiam ex antiquiori vsu Ecclesiæ, quo hæc excommunicatio, vt diximus, non erat ipso facto, sed solùm ferenda, vt notauit Suarez *vbi supra num.5.* non ergo erant iam antea hæretici ipso facto excommunicati. Constat deinde ex praxi præsenti, qua hæretici non denuntiati non sunt vitandi, non sunt ergo excommunicati iure diuino. Alioquin non posset Ecclesia minuere ex parte excommunicationem illam, prout de facto minuit, cùm excommunicatio completè sumpta includat priuationem cõmunicationis cum fidelibus, quam priuationem saltem ex parte fidelium abstulit ex parte ipsa Ecclesia. Similiter Ecclesia aliquando admittit hæreticos ad communicationem suffragiorum communium, vt in feria sexta hebdomadæ maioris, qua die publicè,& solemniter orat pro hæreticis omnibus, quod non faceret, si iure diuino essent communibus suffragiis priuati. Denique ratio à priori est, quia licèt potestas Ecclesiæ ad excommunicandos hæreticos, & alios peccatores sit de iure diuino, ipsa tamen excommunicatio, & vsus illius est omnino de iure Ecclesiastico, quo constituta est talis excommunicationis censura, includens exclusionem à suffragiis;sacramentis;iurisdictione, communicatione sacra, & ciuili cum aliis fidelibus,quæ priuationes sicut ab Ecclesia constitutæ sunt, ita ab eadem augeri possunt, & diminui,& mitigari, & suspendi ad tempus, vel in ordine ad aliquem effectum, provt sæpe de facto fit, quia totum hoc in fieri, & in conseruari pendet ab Ecclesia, & ideo etiam summus Pontifex non ligatur legibus excommunicationis, nec ipse potest eam incurrere, nec etiam prohibetur à communicatione cùm excommunicato, nisi ad summum quoad vim directiuam, sicut aliis legibus Ecclesiasticis. Quare potest hæretico auferre incapacitatem ad beneficia, vel ad iurisdictionem, & concedere aliquibus facultatem communicandi cum hæreticis in iis, in quibus communicatio non esset prohibita lege naturali, vt dicemus; nec circa hoc inuenitur aliquod præceptum Christi, imò communiter Theologi dicunt, Christum in lege gratiæ non addidisse ex se præcepta positiua, nisi circa fidem & sacramenta; non ergo imposuit in hæreticos excommunicationem propriam, quæ in sua essentia est aggregatum quoddam ex multis præceptis positiuis.

3 *Obiicitur.*

Obiiciunt primò aliqua Scripturæ loca, in quibus videtur hæc excommunicatio in hæreticos lata, Ioan.epist. 2. *Nec aue illis dixeritis.* Ad Romanos 16. *declinate ab illis.1.* ad Cotinth.5. *cum eiusmodi nec cibum sumere.* 2. ad Thessal.3. *denuntiamus vobis fratres in nomine Domini Iesu Christi: vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam accepistis à nobis.* Quæ verba Cyprianus epist.55.intelligit de hæreticis,ad Galat.1. *si quis vobis*

vobis euangelizauerit, præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Ad Tit. 3. *hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita.* Respondetur, hæc omnia non probare propriam excommunicationem, sed ad summum obligationem fidelium non communicandi cum hæreticis. Excommunicatio enim propria multa alia includit, nempe obligationem excommunicati non communicandi cum aliis, carentiam suffragiorum, inhabilitatem ad iurisdictionem, ab beneficia, &c. Rursus sciendum est, communicationem cum hæreticis, magna ex parte illicitam esse de iure naturæ, etiam secluſa excommunicatione, vel prohibitione Ecclesiæ. Primò communicationem in ipsa doctrina hæretica, quæ est communicatio formalis cum hæretico, quatenus hæreticus est: Secundò in ritibus hæreticis: Tertiò familiaritatem talem, quæ communicantem reddat suspectum, prout de facto aliquando redditur, & indiget purgatione canonica, vt constat ex cap. *inter solicitudines*, de purgatione canonica, & ex S. Leone *serm.* 18. *de passione*, & *sermone contra Eutych.* Quartò, quando subest periculum peruersionis, prout plerumque subest. Quintò, quando adest scandalum aliorum, qui facilè inducuntur ad familiaritatem cum hæreticis. Sextò, quando est cum damno ipsius hæretici, qui audacior redditur, & insolens ac pertinax in suo errore. Quia ergo communicatio cum hæreticis regulariter noxia, & periculosa est, ideo Apostoli eam vitandam monent, & longissimè fugiendam, omissa etiam salutatione communi, quando id vtile est ad vitandum periculum, vt bene explicat Suarez *dicta sect.* 1. *numer.* 4. Nec vox illa *Anathema sit*, à Paulo vsurpata ad Galat. 1. propriam censuram eo loco significat, cum ibidem Angelo etiam aliter prædicanti anathema dicat, cùm certum sit Angelum non esse capacem Ecclesiasticæ censuræ.

Communicatio cum hæreticis illicita de iure naturæ, etiam secluſa excommunicatione, & prohibitione Ecclesiæ.

4 *Obiectio 2.*

Obiiciuntur secundò loca, & exempla sanctorum. Ambrosius lib. 7. in Lucam capit. 9. in fine, & cap. 10. in principio, dicens: *Hos non suscipit Dominus, sed a suo nido arcet, & prohibet:* sed hæc verba non significant propriam excommunicationem, sed exclusionem à Christi consortio. Item exempla Ioannis Apostoli, qui noluit ingredi balneum in quo erat Cherinthus hæreticus, & S. Antonij Abbatis, qui nunquam cum hæreticis pacificum sermonem miscuit, & S. Hermenigildi Regis, qui mori maluit, quam Eucharistiam de manu hæretici Ariani suscipere, & alia, quæ congerit Suarez *num.* 2. & 3. qui tamen *num.* 8. bene notat, non omnia, quæ sancti dixerunt, vel fecerunt in hac parte, esse sub præcepto, sed aliqua esse sub consilio ad exemplum aliorum, vt diligentiùs caueant, & ad ostendendam abominationem erga hæreticos. Illud tamen Hermenigildi factum credo fuisse sub præcepto, quia in illis circunstantiis susceptio communionis de manu hæretici erat signum communicandi cum illo in religione, & ad hoc ipsum missus erat à Patre Ariano Episcopus hæreticus ad filium, vt hoc signo Arianismi dato reconciliari posset cum filio.

5 *An hæretici nō solùm sint excommunicati, sed excommunicati vitandi.*

Secundò quæritur, an hæretici non solùm sint excommunicati, sed excommunicati vitandi, quales sunt notitij percussores Clerici. De hoc tamen dixi *disp.* 22. *sect.* 1. vbi etiam vidimus, qualis denuntiatio exigatur, & an sufficiat sententia declaratoria criminis, & alia dubia circa hanc quæstionem.

An ob hæresim meræ mentalē incurratur hæc excōmunicatio.

Tertiò quæritur, an ob hæresim meræ mentalem incurratur hæc excommunicatio. Affirmarunt non pauci ex Canonistis quos latè congerit Sanchez, *dicto lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. quibus consentit ex Theologis Adrianus, & aliqui Summistæ ab eodem relati: quia peccatum hæresis consummatur interiùs, ergo nomine hæreticorum comprehenditur hæreticus etiam mentalis, qui simpliciter & absolutè est hæreticus.

6

Contraria sententia verissima est, quam docent omnes Theologi, & amplectuntur iam communiter Iuris Doctores, quos latè refert, & sequitur idem Sanchez *ibid. num.* 2. Suarez in præsenti *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 4. & *disp.* 4. *de Censuris sect.* 2. & *lib.* 4. *de legibus cap.* 12. Hurtado *disput.* 83. *sect.* 2. & alij omnes. Fundamentum præcipuum est, quia Ecclesia non iudicat de occultis, seu internis, nec potest directè, & per se actus internos præcipere, aut prohibere, licet possit per accidens, quatenus deserpiunt ad integrandos actus externos humanos, & visibiles, vt clarè fatentur Pontifices in *cap. tua nos*, & *cap. sicut tuis*, de Simonia, & in cap. *erubescant* 32. *distinct.* Potestas enim Ecclesiæ, est ad gubernationem visibilem fidelium, qui Ecclesiam visibilem componunt: quare iurisdictionem inuoluntariam, & coactiuam non exercet circa merè interna, licèt exerceat aliquando iurisdictionem voluntariam, vt in concessione indulgentiæ, & dispensatione voti interni. Cur autem indirectè & per accidens possit Ecclesia præcipere actus internos, vide quæ dixi *disput.* 15. *de pœnit. sect.* 6. *num.* 139. & *sequentibus:* Nec obstat, quod peccata merè interna sint materia necessaria confessionis sacramentalis, & debeant ad Ecclesiæ tribunal deferri: Nam iurisdictio illa sacramentalis est alterius generis, nec est intra terminos potestatis, & gubernationis visibilis, sed pertinet ad forum Dei, qui iudicat etiam de internis, & voluit constituere Vicarios sui Prælatos Ecclesiæ, vt exerceant in eo tribunali potestatem ipsius Dei quoad soluenda, & retinenda peccata; sistendo tamen intra terminos potestatis visibilis, non potest Ecclesia de internis meris iudicare. Posset quidem Prælatis reseruare validè peccatum hæresis internum, quia illa non esset iurisdictio coactiua, sed solùm negare inferioribus sacerdotibus iurisdictionem ad absoluendum à tali peccato, quam ipsi de se non habent, nisi dependenter à superiore. Punire verò pœna excommunicationis hæreticum merè mentalem non potest, quia hoc esset obligare directè ad actus merè internos eosue prohibere adhibita pœna, quod excedit potestatem visibilem superioris. De hoc tamen agitur ex professo in tract. de legibus: sufficiat tetigisse fundamentum huius communis, & receptissimæ doctrinæ.

7 *An ob hæresim meræ externam.*

Quartò quæritur è contra, an incurratur hæc excommunicatio ob hæresim merè externam, qua quis exteriùs v.g. negat Trinitatem ob metum, vel aliam causam, cùm tamen toto corde eam interiùs credat. Affirmauit Caietanus cum aliis, qui ei adhæserunt, quos refert Sanchez *dicto lib.* 2. *cap.* 8. *numer.* 8. quia Ecclesia non iudicat de occultis, sed de actu externo. Contraria tamen sententia verissima est, quam docent omnes Theologi, quos affert, & sequitur Sanchez ibidem, Suarez *disput.* 19. *sect.* 4. *numer.* 6. & alij

quos affert, & sequitur Hurtado *dicta disp.* 83. *sect.* 6. Ratio autem est clara ex dictis in superioribus, quia non est hæreticus, qui non est infidelis, cum hæresis sit infidelitatis species: non est autè infidelis cuius peccato non amittetur fides, quæ certè non perditur ab eo qui credit firmissimè totam nostram fidem, & quidquid Deus reuelauit. Cùm ergo excommunicatio hæc lata sit in hæreticos, non ligat eum, qui adhuc Catholicus perseuerat. Fatemur, potuisse Ecclesiam excommunicare etiam propter hanc externam negationem fidei: id tamen de facto non fecit, sed propter hæresim. Fatemur etiam incurri posse eo casu excommunicationem latam in fauores hæreticorum, si hæresis assertio externa redundet in eorum fauorem: non tamen incurretur excommunicatio præcisè lata in hæreticos. Denique Hurtado *vbi supra* aduertit eum, qui sine infidelitate interna colit exteriùs idola incurrere excommunicationem latam in extrauaganti quadam Ioann. XXII. relata in directorio inquisitorum 2. *part. quæst.* 43. post numerum 9. vbi huic crimini imponuntur omnes hæreticorum pœnæ præpter bonorum publicationem. Cæterùm Sanchez *dicto cap.* 7. *num.* 10. cum aliis notat in primis id non procedere, quando ex metu id facit, sed quando sponte, & ex affectu ad idola operatur. Deinde dubium esse, an lex illa vsu recepta sit, quia aliqui id negant.

8 *An ignorans excommunicationem cõtra hæreticos latam, eam incurrat lapsus in hæresim culpabilem.*

Quintò quæritur, an ignorans excommunicationem contra hæreticos latam, eam incurrat lapsus in hæresim culpabilem. Hæc tamen quæstio communis est ad omnes excommunicationes, & de ea videri possunt occurrente casu Sanchez *dicto lib.* 2. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 5. & latiùs *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 13. Sanchez de censuris *disp.* 4. *sect.* 9. *num.* 19. Hurtado *in præsenti dicta disp.* 83. *sect.* 5. & alij, quos congerit Diana 4. *parte tract.* 2. *de irregularitate, resolut.* 85. qui tamen postea 5. *part. tract.* 13. *miscelan. resolut.* 18. cum Hurtado *in præsenti disp.* 84. §. 9. limitat sententiam negantem, quam tenuerat de habente ignorantiam etiam culpabilem, non tamen crassam, nec supinam, vt applicari non debeat ad hæreticos nostrarum prouinciarum, quia impossibilis videtur in aliis talis ignorantia. Quomodo autem iuxta illam doctrinam excusari possint plurimi ex hæreticis Græcis, Anglis, Scotis, & Germanis ab incurrenda hac excommunicatione, indicat satis idem Hurtado *dicta disputat.* 83. §. 43.

9 *An hæreticus externus, sed occultus qui sine teste hæresim suam exteriùs protulit, incurrat hanc excommunicationem.*

Maior difficultas, & propria huius loci est, an hæreticus externus, sed occultus, qui sine vllo teste hæresim suam exteriùs verbo, vel scripto protulit, incurrat hac excommunicationem. Nemo id negat in particulari, & ideo fortasse Hurtado *dicta disp.* 83. *sect.* 4. §. 36. dixit, à nullo Theologo, aut Canonista hoc negari. Sed tamen Suarez *in præsenti dicta disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. refert tacito nomine aliquos, qui de censuris in genere dixerunt non incurri ob delicta omnino occulta, & idem de hæresi omnino occulta docet nouissimè Crousers in regulam S. Francisci *cap.* 7. *lect.* 4. *folio* 518. apud Dianam 6. *parte tract.* 6. *miscellan. resolut.* 51. Ipse tamen Suarez, & alij omnes, quos refert *num.* 6. concedunt sufficere hæresim externam quantumcunque occultam ad hanc excommunicationem contrahendam. Plures autem congerit, & sequitur Diana *vbi suprà*, & Sanchez *dicto lib.* 2. *in Decal. cap.* 8. *num.* 6. Ratio autem est, quia licèt id delictum probari non possit in iudicio, vt iudex particularem sententiam ferat, id tamen est per accidens ob defectum testium: lex autem potest prohibere antecedenter delictum illud, cùm sit verè externum, & sensibile, & pœnas transgressoribus statuere, quæ in conscientia obligent: nec potest potestas hæc in Ecclesia negari, quæ ex praxi in aliis materiis apertissimè constat. Nam qui occultissimè homicidium committit, irregularitatem incurrit, licet id nemini prorsus, præter delinquentè, innotuerit: quando verbi gratia, venenum in cibo, aut potu miscuit, virtutis adeo occultæ, vt à nemine deprehendi potuerit. Sic etiam incurrit fructuum priuationem, qui officium non recitat, licèt hæc omissio occultissima sit, & ipsi soli manifesta esse potuerit, & sic de aliis passim: de quo videri potest Suarez *disp.* 31. *de Censuris sect.* 1. *num.* 67. Cùm ergo potestas non desit Ecclesiæ ad prohibenda, & punienda delicta externa occulta, & aliunde verba legis excommunicantis omnes hæreticos generalia sint, non est fundamentum ad excipiendos hæreticos occultos: quod idem de aliis omnibus pœnis hæreticorum dicendum est ob eandem rationem, quia scilicet non indigeant iudicis sententia vt imponantur.

Illud ergo commune axioma, quod de occultis non iudicat Ecclesia, intelligendum est cum distinctione, & proportione accommoda ad duplex genus occulti. Aliud enim est occultum per se, quod scilicet de se est obiectum insensibile, & eius incognoscibilitas, seu insensibilitas tenet se ex parte obiecti, quod tale est, vt non possit in seipso cognosci per sensus, quales sunt actus interni, qui in seipsis non possunt ab aliis cognosci, sed solùm quatenus per voces, vel alia signa exprimuntur. Atque de his occultis non potest Ecclesia iudicare, quia non sunt obiectum suæ potestatis, & iurisdictionis, quæ tota est ad visibilem, & sensibilem gubernationem huius corporis, & Reipublicæ visibilis: quare non potest actus merè internos præcipere, aut prohibere, nisi quatenus necessarij sunt ad actus humanos sensibiles, quos potest prohibere, aut præcipere. Vnde de actibus merè internis non potest ferre leges, aut pœnas pro iis faciendis, vel omittendis imponere. Aliud verò est occultum per accidens, cuius incognoscibilitas non prouenit ex obiecto, cùm hoc de se sensibile sit, sed ex absentia potentiæ cognoscitiuæ, & testium & de his quidem actibus Ecclesia non iudicat per sententiam particularé, vt eos puniat, quandiu occulti remanent, & nisi sufficienter probentur argumentis externis; non quidem ex defectu delicti, sed ex defectu probationis. Hos autem actus potest Ecclesia antecedenter per legem, vel sententiam præcipere, aut prohibere; cùm sint actus externi, & sensibiles, pertinentes ad sensibilem, ac externam gubernationem, & honestatem subditorum, ad quam Ecclesiæ potestas ordinatur. Vnde potest simul pœnas statuere, quæ quando indigent iudicis ministerio, vt mandentur exequutioni, necessaria etiam est notitia delicti ad sententiam particularem ferendam: quando verò ad sui exequutionem non requiritur ministerium iudicis, sed ipso facto incurruntur, & ab ipso delinquente mandari debent exequutioni, non est necessaria alia notitia, nisi delinquentis conscientia. Quæ autem sint pœnæ illæ, quas lex potest imponere ipso facto

facto incurrendas ante vllam prorsus iudicis sententiam, pertinet ad tractatum de legibus, & non est dubium, quod excommunicatio, & aliæ censuræ, atque etiam irregularitas in hoc pœnarum genere computentur.

Restat nunc præcipua difficultas de signo, vel actu externo sufficienti, vt aliquis dicatur hæreticus externus, atque adeo ad incurrendam excommunicationem, & alias pœnas spirituales hæreticorum: de quo dicendum est sectione sequenti.

SECTIO II.

De actione externa requisita ad constituendum hæreticum externum, & incurrendam excommunicationem.

11 *Sufficit ad hæresim externam constituendã, & incurrendam censuram, quòd hæresis interna signo aliquo externo manifestetur.*

REgula generalis est, requiri, & sufficere ad hæresim externam constituendam, & incurrendam censuram, quod hæresis interna signo aliquo externo manifestetur. Hæc autem signa ad duo genera reduci solent, nempe ad verba, & ad facta: sub verbis includuntur nutus, siue capite, siue manibus, siue aliter fiant, quare sufficit modus ille loquendi, quo aliqui se se inuicem intelligunt, signa aliqua digitorum motibus formantes: sub factis verò intelligi debent omissiones etiam alicuius facti externi, cùm non minùs aliquando manifestet hæresim internam omissio facti, quàm actus positiuus, vnde deprehendi solent sæpè hæretici ex omissione ipsa operum Catholicorum.

12 *Non sit hæreticus, qui manifestat Confessario suã hæresim internam.*

Ex hac regula generali plura inferuntur ad casus particulares practicos, quibus ea regula magis declaratur. Primò itaque infertur, non fieri hæreticum externum, nec incurrere excommunicationem eum, qui confessario manifestat suam hæresim præteritam internam, vt confiteatur suum peccatum, imò nec eum, qui consilij, & remedij petendi gratia manifestat suam hæresim internam præsentem. Cuius rationem reddidimus *supra disp.14.sect.1.* vbi latè de hoc dictum est, & ideo non oportet nunc iterum hoc repetere, & videri etiam possunt de hoc casu Suarez *in præsenti disp.21.sect.2.n.12.* & Granado *in præsenti controuers.1.tract.15.disp.13.n.14.*

13 *Quid dicendũ de eo, qui characteribus sibi tantùm notis hæresim scribit.*

Secundò infertur, quid dicendum sit de eo, qui characteribus vel notis, sibi tantùm notis hæresim externam scribit, quæ vulgò *cifra* vocantur, de quibus Sanchez *lib.2. in Decal.cap.8.num.10.* dicit, non sufficere ad censuram incurrendam: videtur autem supponere signa talia esse, vt à nullo alio intelligi valeant. Meliùs tamen Hurtado *disp.83. sect.3. §.15. notat*, eos characteres aliquando non posse ab vllo alio intelligi, præsertim quando pauci sunt, vel inconcinnè, & contra regulas scribendi characteribus ignotis scribuntur: aliquando tamen, & frequenter posse ab aliis peritis in ea arte explicandi eiusmodi scripturas intelligi, & de facto sæpe eorum sensum deprehendi. Quare tunc solum à censura, & hæresi externa excusabunt, quando à nemine prorsus potuissent explicari, & intelligi. Addo ego, in primis si iam antea dedisses alteri regulam legendi illas tuas notas occultas, provt fieri solet ad litteras arcanas inuicem transmittendas, habent enim singuli regulam interpretandi, vulgo *la contracifra*: tunc licèt illis notis abstrusis tibimet hæresim scribas, incurris hæresim externam, quia signa illa non sunt ab omnibus in intelligibilia, cùm sit alius præter te, qui ea si videret intelligere posset. Deinde etiamsi nullã artem interpretandi commiseris, si tamen memoriæ causa eam interpretandi regulam apud te scriptam conserues, incidis in censuram, quando postea illis notis hæresim scribis: quia iam non est per se occulta, sed per accidens ex eo, quòd alij formam illam interpretandi, quam apud te habes, non viderint. Non tamen repugnat ex natura rei, quòd moriente, vel abeunte Auctore, vel alio casu fortuito reperiatur vtraque illa scriptura, qua simul reperta manifestatur aliis illis hæresis interna.

14 Hinc tamen videtur oriri posse noua difficultas. Si enim hæreticus mentalis hæresim suam scriberet notis illis abstrusis, quas nemo tunc præter ipsum legere possit: postea verò elapso tempore ipse memor, vel immemor fortasse illius scripturæ, amico suo communicasset modum intelligendi suas notas, & caracteres, vel certè ad suam memoriam sibimet id in scripto notasset: iam tunc inciperet prior illa scriptura esse intelligibilis, quæ tamen antea intelligi à nemine alio poterat. Quæri ergo potest, an tunc inciperet esse hæreticus externus, & contrahere censuram quam antea nondum contraxisset; id enim difficile credi potest: nam tunc non peccat peccato hæresis, præsertim si non recordatur prioris scripturæ, & multò magis si iam hæresim internam reuocauit: imò etsi recordetur, non videtur oppositum grauiter præcepto fidei, quòd ipse scribat sibi modum interpretandi suas notas particulares, per quod nec sibi nec aliis intendit aliquid contra fidem asserere, imò priorem scripturam, vult omnibus occultare, ac si necesse sit quam primum lacerare, ne ab vllo inueniatur. Difficile ergo est, quòd peccet tunc grauiter contra fidem, & incurrat censuram, propter periculum metaphysicum, ne breui illo tempore vtraque illa scriptura ab aliquo inueniatur, & legatur.

15 In hoc casu, qui vix vnquam in praxi contingere potest, distingu endum puto. Potest enim fieri, vt scriptura prior hæresim continens hodie repetta, & intellecta manifestet legenti, Auctorem non solùm quando id scripsit, habuisse illam hæresim in mente, sed hodie etiam in eadem hæresi perseuerare, sicut diximus *dicta disp.14. loco supra citato*, aliquando qui dixit se fuisse in tali opinione (quæ reuera sit hæretica) significare se nunc etiam in eodem errore versari. Potest verò contingere etiam, vt illa prior scriptura hodie lecta, nihil aliud lectoribus possit significare, nisi hæresim præteritam, nec vllo modo significet, aut manifestet etiam probabiliter eius perseuerantiam. Et in hoc secundo casu res videtur facilior: nec videtur tunc peccari grauiter in secundo scripto, vel eius communicatione, atque adeo nec incurri censura, quia per illud non profitetur, se esse hæreticum; sed fuisse, quod sine peccato graui contra fidem dici potest, nisi ex hoc ipso grauis iniuria fidei irrogetur, iuxta dicta *in illa disp.14.* non est autem hæreticus externus, nisi qui exprimit se actu contra fidem sentire, quod à fortiori constabit ex doctrina Suarij infra adducenda, quod non sit hæreticus externus, qui dicit se habere propositum amplectẽdi tempore futuro aliquam hæresim: multò ergo minùs, qui so-

lùm dicit, se eam olim amplexum fuisse, & nullo modo significat voluntatem, vel affectum præsentem erga hæresim.

16 In primo autem casu, quando prior scriptura hodie lecta manifestare potest hæresim non solùm præteritam, sed adhuc perseuerantem Auctoris, in primis certum videtur, quòd si iam hodie non perseuerat auctor in hæresi illa mentali, non constituitur hæreticus exiernus, nec incurrit censuram, quia non potest hodie esse hæreticus externus, qui non est iam hæreticus internus, vt constat ex supradictis: si autem perseuerat adhuc hæresis interna, non videtur facilè excusandus Auctor ab incurrenda censura. Quod potest à posteriori probari; quia si eodem tempore vtrumq; scriptum exarasset, nemo dicet, tunc non incurrisse censuram, cùm tunc verè exprimeret exteriùs hæresim internam signis sufficienter intelligibilibus. Nihil autem referre videtur, quod simul, vel diuersis temporibus vtrumque scriptum exaret, si ex vtroque exarato sufficienter expressa maneat hæresis interna. Imò etiamsi eodem tempore vtrumque scripsisset; non tamen scripsisset in eodem instanti, sed successiuè, & priùs fortasse hæresim, & immediatè postea explicationem notarum; tamen per hanc secundam scriptionem compleretur prior in ratione exprimentis exteriùs hæresim internam. Quòd autem plus, vel minus temporis intercedat inter vnam, & aliam scripturam, parum videtur referre; & semper secunda complet primam in ratione signi externi manifestantis hæresim internam, quod complementum deerat ad incurrendam censuram: sicut ergo vtraque scriptura simul exarata, incurreretur censura, ita dicendum videtur, quando diuersis temporibus scriberetur.

17 Ad rationem itaque dubitandi propositam; admittimus, si immemor prioris scripturæ Auctor illius postea scribat secundam, non peccare tunc mortaliter, nec incurrere censurã, quia licèt iam manifestata maneat hæresis interna, id tamen fit inculpabiliter, & sine memoria prohibitionis, & cum ignorantia manifestationis resultantis ex vtraque scriptura: debet tamen postea, quando aduertit, comburere statim, vel destruere alteram ex illis scripturis, ne videatur moraliter conseruare manifestationem hæresis internæ. Si autem memor prioris scripturæ faciat secundam, non est excusandus à culpa graui, quia perinde est ac si simul vtramque scriberet, quo casu nemo eum excusabit à censura, & culpa graui, cùm ponat manifestationem externam hæresis internæ, quæ manifestatio est grauiter prohibita, & sub grauissimis pœnis. Nec excusat animus comburendi quamprimum priorem scripturam: idem enim dici posset, si simul vtramque scriberet: cum animo comburendi quamprimum vnam earum, qui tamen animus non excusaret à culpa graui, & ab incurrenda censura. Sicut non excusatur ab eadem culpa, & censura qui manens solus in cubiculo clauso scribit sibi soli suam hæresim internam, cum animo scriptum comburendi antequam ostium cubiculi aperiat, nam in iis omnibus casibus manifestat verè exteriùs suam hæresim internam, cui actioni impositæ sunt ab Ecclesia grauissimæ hæreticorum pœnæ.

18 *Non incurritur excõmunicatio.* Tertiò infertur, non incurri excommunicationem ab eo, qui ex hæresi interna prodit in aliquem actum externum, vel aliquod signum quod tamen de se non significat completè hæresim internam, vt si cogitans hæresim internam, eique assentiens percutiat mensam dicendo, *ita est*, vel cogitans de Deipara, dicat, *non est virgo*, quia hæ voces externæ non significant secundum se, nec significare possunt sufficienter audientibus hæresim internam, cùm non ostendant subiectum, de quo loquitur eas proferens. Ita contra nonnullos docent Azor, Sayrus, Bañes, Pequitur Sanchez *vbi supra numero* 8. Suarez *dicta sect. 2. num.* 10. Luisius Turrianus, & Lorca quos affert, & sequitur Hurtado *dicta disput.* 83. §. 20. qui bene aduertit ad censuram incurrendam sufficere ea concisa verba, *non est ita* vel, *falsum est*, quando proferuntur ab hæretico, dum alios conuincionando, vel docendo proponit doctrinam Catholicam, quia tunc verba illa coniunguntur cum verbis alterius, & faciunt sensum perfectum, nisi fortè hæreticus fingeret se loqui cum alio, aut agere de re alia: tunc enim licèt animo hæretico ea verba proferret, non incurreret censuram quia non possent audientes sensum hæreticum in illis verbis deprehendere, nisi aliæ circunstantiæ personæ, & loci concurrerent, quæ darent fundamentum ad malitiam hæretici prudenter in illis verbis deprehendendam. Idem est si hæreticus vt amicum paulatim ad suam hæresim trahat, muneribus, blanditiis, obsequiis conatur eum sibi conciliare: hæc enim omnia quandiu de hæresi ipsa nihil dicit, sunt adhuc signa indifferentia, quæ sola non possunt prudenter manifestare hæresim internam, vt notauit cum aliis Sanchez *vbi supra num.* 9.

19 Quartò infertur, quid dicendum sit de verbis æquiuocis, de quibus non idem omnes sentiunt in hoc puncto. Nam Suarez *disput. 4. de Censuris sect. 3. n.* 17. *& in præsenti dicta disp. 21. sect. 2. n.* 10. dicit, si verba illa in aliqua propria significatione sensum hæreticum prodant, licèt in alia significatione possint habere sensum Catholicum, nihilominus si proferantur ad significandam hæresim internam, sufficere ad hæresim externam, & ad censuram incurrendam: quia verborum ambiguitas solùm potest deseruire ad hæresim per accidens occultandam. Idem docet Sanchez *vbi supra n.* 26. dicens, si quis animo hæretico ita verba componat, vel amphibologicè eis vtatur, vt possit subterfugere, est verus hæreticus exterior, quia illa fictio non minuit culpam; sed per accidens occultat. Idem docet Bonacina *disput. 2. de censuris q. 5. punct. 2. n. 6.*

20 Alij tamen aliter loquuntur in hoc casu: Hurtado *dicta disput. 83. §. 13. & 14.* dicit in primis, si verba in sensu litterali sint Catholica, & in allegorico hæretica, non dari hæresim externam: secus si sensus litteralis sit hæreticus, & allegoricus Catholicus: si verò vterque sensus sit litteralis, dari hæresim externam, & incurri censuram, quando loquens erat aliunde suspectus, vel quando erat homo doctus, & debebat præuidere necessariam esse apud auditores explicationem propositionis ambiguæ in sensu Catholico: aliàs non incurri censuram, quia verba ambigua debemus interpretari in bono sensu, & in vniuersum ad censuram necesse est, quòd signum externum tale sit, vt prudenter, & absque temeritate possint videntes, vel audientes colligere animum hæreticum internum. Huic doctrinæ adhæret Castro Palao *dicto tract. 4. disputat. 3. punct. 3. num. 3.* vbi

vbi relata sententia Suarij, & Sancij, addit: *At hoc crederem intelligendum esse, cum verba non sint perfectè ambigua, sed in malam partem communiter accipiantur, aut ita accipienda esse, obligant aliquæ circunstantiæ. Nam si verba bonum, ac malum sensum habent, & ex qualitate proferentis, aut aliis circunstantiis ad malum sensum determinari non possunt; non video, qua ratione eorum prolatio hæresim externam, & cognoscibilem constituat. Præsertim cum recepta sit doctorum sententia, verba vel facta, quæ duplicem sensum habere possunt, Catholicum, & hæreticum, interpretanda esse in Catholico sensu.* Fauere etiam videtur Granado loco suprà citato, dicens, esse valde probabile non incurri pœnas ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod signum exterius, ex quo nullus alius, si esset præsens, posset probabiliter colligere illum esse hæreticum, quamuis, qui illud profert, haberet animum exteriùs hæresim profitendi. Quam etiam doctrinam approbare videtur Diana 4. *part. tract. 4. miscellan. resolut.* 240. & negari non potest quòd saltem ob auctoritatem horum Doctorum probabilis & tuta sit in praxi ea sententia.

21 Contrariam tamen cum Suario, & Sancio ego amplexus sum *disp. 11. de Eucharist. sect. 6. num.* 140. *& sequentibus:* & postea *disp. 13. de sacram. Pœnit. sect. 1. num. 22. & sequentibus*, vbi dixi aliud esse, quod in foro externo non possit probari hæresis illius, aliud verò quod non sit hæreticus externus, & hæresim internam exteriùs protulerit. Vtrumque enim verum est, & quòd hæresim suam euomuit, & quod verba eo artificio composuit, vt occultari, & subterfugere possit. Sic concionator doctus & hæreticus olim in concione dicebat, indignum esse homine Christiano, quod opera manuum suarum colat, quod ipse de sacrarum imaginum cultu intelligebat, postea verò, vt subterfugeret addebat: pecunias, domos magnificas, & alia eiusmodi, quæ sunt opera manuum nostrarum, non esse digna humano affectu, aut veneratione. Dixi itaque in prædictis locis, verba æquiuoca habere verè significationem externam, & sufficere ad producendos effectus, & dandum ius, licèt aliquando propter ambiguitatem ille, qui ius habet, non possit illud obtinere ex defectu probationis. Vnde si duo sunt Titij, & testator designet Titium tutorem suo filio, nec constare possit de quo intellexerit, neuter erit tutor ob defectum probationis: & idem est si Sticho seruo relinquatur libertas, & duo sint Stichi. Vbi tamen res diuidi potest, dixi eam esse diuidendam, & cum aliis id latè probaui 2. *tom. de Iustit. disp. 24. de testament. sect. 9. num. 250. & sequentibus*, quia legatum relictum Titio, licèt duo sint Titij, & non constet de quo loquutus sit testator, dedit verum ius vni Titio, non obstante æquiuocatione, quæ solùm impedit probationem, non verò ius vnius Titij: ex quibus & aliis quæ in prædictis locis videri possunt, constat verba æquiuoca esse verba externa, & parere omnes effectus loquutionis humanæ, licèt aliquando ij probari non possint.

22 Ex iis ergo, quæ ibi latiùs adduxi probari potest conclusio nostra; quia nimirum non plus requiritur ad incurrendam hanc censuram, quàm ad contrahendum matrimonium, ad hæredem instituendum, ad legata, & alia similia, ad quæ omnia requiritur vocibus, vel signis exprimere consensum internum: sine hac enim consensus interni expressione, non stat matrimonium, nec alij actus humani, vt constat: in illis autem non tollitur valor ex eo, quòd verba æquiuoca fuerint, & talia, vt audientes non possint scire, quem sensum loquens significare intenderit. Vnde si testator Titium hæredem instituit, licèt constare non possit de quo ex duobus Titiis intellexerit, institutio tamen valida fuit, nec succedere debent hæredes ab intestato, sed hæreditas diuidenda erit, vel aliter vni eorum adiudicanda, vt cum aliis probaui *dicta disp. 24. de Iustit.* Idémque dicendum esset, si verbis æquiuocis matrimonium contractum fuisset: nam si reuera intentionem habuit contrahendi, qui ea verba protulit, etiamsi ea intentio probari non possit propter ambiguitatem verborum, ipse tamen, qui sibi conscius est de vera intentione, & quid voluerit iis verbis significare, non poterit viuente illa vxore aliam ducere eo prætextu, quòd ob æquiuocationem verborum non fuerit consensus sufficienter expressus: imò si ipse intentionem suam fateatur, cogetur à iudice permanere in eo coniugio tanquam rito, & legitimè facto, vt pro comperto supponit Sanchez tanquam primam regulam *libr. 1. de matrimonio disput. 18. num. 1.* & Basilius Pontius *lib. 2. de matrim. cap. 8. num. 12. & 16.* & ideo vt notaui in loco citato de pœnitentia Iureconsulti fatentur, eo casu non deficere ius, sed probationem iuris: vnde læpè sustinetur valor: vt *in l. si quis à filio 32. §. 1. ff. de legatis 1.* vbi legato alicui seruo Sticho, si non constat de quo ex duobus Stichis loquutus fuerit, debetur legatario alter illorum, quem hæres elegerit: & in l. *Idem Iulianus 41. §. scio ex facto*, eodem titulo, vbi nominato certo fundo in legato, cùm duo fundi idem nomen haberent, cogitur hæres ad dandum vnum ex illis minoris pretij: ex quibus, & aliis similibus constat, æquiuoca verba non tollere valorem actus. Habent ergo propositiones illæ significationem externam ex intentione proferentis, quamuis nobis constare non possit qualis fuerit illa intentio. Ad quod applicari possunt exempla etiam ex aliis sacramentis: nam si Sacerdos ex malitia vellet consecrare vinum commune, quod est in prandio, & hac intentione proferret illa verba, *hic est sanguis meus*, quæ quidem ab Auditoribus acciperentur dicta de sanguine ipsius Sacerdotis volentis significare, se habere vinum earum, ac si esset suus sanguis, nec vlla alia intentio consecrandi potuisset prudenter ab auditoribus deprehendi, adhuc vinum esset verè consecratum: quia reuera verba prolata fuerunt ex mente sacerdotis ad significandum sanguinem Christi. Similiter ergo erit hæreticus externus, si intendens loqui de Deipara dicat: *Maria non fuit virgo*, licèt ille sensus non possit prudenter ab audientibus iudicari; tam enim requiruntur verba externa expressiua intentionis ad consecrandum quàm verba expressiua hæresis internæ ad incurrendam censuram.

23 Dices, qui cogitans de præsentia Christi in Eucharistia profert has voces, *non est ita* vel *non est ibi*, non incurrit censuram, vt supra diximus, quia audientes illa verba non possunt iudicare quod loquatur de Christo in Eucharistia; ergo idem dicendum est casu nostro, cum neque in eo audientes possint iudicare de quo subiecto loquatur. Respondeo esse magnam differentiam nam in primo casu deest significatio completa,

eo quod desint verba significantia, sed ponitur exterius media propositio, quæ integrat vnam cum conceptu interno. At in casu nostro ponitur exteriùs tota propositio cuius significatio determinatur ex intentione proferentis: impeditur tamen notitia apud audientes, propter fœcunditatem verborum, quæ possunt habere plures significationes. Quare si audientes non scirent alias significationes illarum vocum, nisi illam, in qua possunt significare hæresim, venirent determinatè in notitiam hæresis: vnde à posteriori constat, non ideo nunc non venire in notitiam hæresis, quia ignorant vim, & significationem verborum, sed quia sciunt alias eorum significationes: non ergo id prouenit ex defectu significationis in verbis, sed ex abundantia, vt ita dicam, quia de se possunt proferri ex intentione huius, vel alterius significationis. Nec enim verba, quæ priùs poterant vnam solam rem significare, amittunt illam significationem ex eo, quòd vsurpari incipiant ad aliam rem nouam significandam. In primo autem casu verba illa dimidiata non pariunt notitiam hæresis ex defectu solo significationis, quia nunquam fuerunt instituta ad rem illam integram significandam, sed solùm ad consignificandum cum aliis vocibus, cum quibus complere possint integram propositionem vocalem. Vide quæ in simili dixi *dicta disputatione 13. de Pœnitentia num. 19. vsque ad 26.*

24 Hinc autem constat, non esse solidum, sed falsum fundamentũ illud, quod supponebat P. Hurtado, illa solùm verba, aut signa externa sufficere ad hanc censuram, quæ si alij audirent, aut viderent, possent prudenter, & sine temeritate iudicare, quod procedunt ab hæresi interna. Hoc, inquam, fundamentum, quamuis locum habeat in ordine ad pœnam iudicialem, & in foro contentioso imponendam, non tamen est verum in ordine ad pœnam incurrendam ipso facto in foro conscientiæ, in quo foro non interrogantur alij testes, nisi sola conscientia delinquentis. Requiritur quidem actus externus, non tamen talis, qui in foro externo probari possit malus. Ratio enim, ob quam requiritur actus externus, est, quia Ecclesia visibilis non potest præcipere, aut prohibere, nisi honestatem, & inhonestatem visibilem, quam ponere, & vitare intendit. Ad hoc autem non requiritur quod bonitas, vel malitia actus externi probari possit per testes, vt constat in aliis materiis legum Ecclesiasticarum. Nam præceptum ieiunij v.g. prohibet comedere bis sine causa: comestio autem sola externa non probat violationem legis, quia potest comedens dicere, se habere defectum virium talem, vt ieiunare non debeat, quæ causa, vel eius falsitas non potest exterius probari: & tamen si causa sit ficta, ille incurreret proculdubio censuram, si imposita esset violantibus ieiunium, quamuis malitia violationis eo casu probari, vel iudicari absque temeritate non possit. Item si esset imposita excommunicatio procuranti pollutionem, pollutio externa non posset absque temeritate iudicari procurata, maximè si in somno contingeret, & tamen si verè procurata fuit cogitationibus turpibus præcedentibus, vel cibo ad eum finem sumpto, nemo dicet excusari à censura, eo quod procuratio ipsa exterius probari non possit. Idemque inuenietur in omnibus actibus externis, quorum malitia pendet ab aliquo actu interno, cuius existentia per actum externum probari non possit. Potest autem exemplum magis simile adhiberi in peccato periurij, cui si esset excommunicatio imposita, non excusaretur ab ea incurrenda, qui falsum iuraret verbis æquiuocis intendens tamen significare sensum falsum. Certè tunc verba externa non probant malitiam periurij, cùm potuissent proferri in sensu vero: & tamen si homo non cogitauit de sensu vero, sed solùm de falso, est verè periurus externus, nec excusaretur à censura periuris imposita. Idem ergo dicendum erit de hæresi, cùm eadem sit ratio de illa, ac de aliis peccatis externis, quorum malitia pendet ab actu interno, qui per ipsum opus externum secundùm se probari non possit. Non est ergo verum principium illud, quod non incurritur censura, quando videntes non possunt sine temeritate ex illo signo iudicare mentem hæreticam. Quod autem magis miror, ipsemet Hurtado paulò post, nempe §. 29. *in fine* ab ea regula in praxi recessit vt postea videbimus.

Quintò infertur, quid dicendum sit de hæresi interna ostensa non per verba, sed per facta, quæ ex ipsa procedant. Regula generalis est, quando facta talia sunt, vt in iis circunstantiis hæresim significent, constituere hæreticum externum, & inferre censuram, si verè ex hæresi interna procedant: Eiusmodi sunt rebaptizare, vesci carnibus sine causa excusante, quando ij actus procedunt ex hæresi circa baptismum, vel circa ieiunia. Non esset tamen talis fornicatio externa, etiamsi procederet ex errore, quo putarur licita: quia fornicatio communiter, & frequentiùs ex aliis causis procedit, nec significat communiter talem errorem. Ita Suarez *vbi supra dicta sectione secunda, numero vndecimo*, & alij communiter, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto libro secundo in decalogum, cap. 8. numero 15*. Nomine autem *factorum* intelliguntur etiam cum proportione omissiones actionum, quas alij Catholici faciunt: vt si quis Eucharistiæ transeunti, aliis genuflectentibus, non genuflectat, si nunquam Ecclesiam intret, vel missam audiat, & similia; Ita iidem Auctores. 25

Aduerte primò cum Hurtado *dicta disp. 83. §. 19.* non esse eandem rationem quoad hoc de violatione ieiunij, ac de esu carnium; nam ieiunium multi etiam Catholici ex fragilitate, vel gula violant: non tamen nisi rarò carnibus sine causa vescuntur diebus prohibitis; quare hæc actio magis, quàm illa sufficit ad ostendendam hæresim internam, etiamsi vtraque ab hæresi procedere possit. Aduerte secundò cum eodem §. 17. & 18. non esse hæreticum externum, qui de lege ieiunij rectè sentit, & habens alias hæreses carnes comedit diebus prohibitis, quia tunc illa actio non oritur ex hæresi interna, sed per accidens cum ea coniungitur. Item nec est hæreticus externus, qui fatigatur ex venatione carnes ex ipsa famelicus in monte comedit, etiamsi illicitè id faciat, & ex hæresi interna: quia in ea occasione Catholici etiam laxioris conscientiæ fortasse idem facerent, atque ideo non ostenditur hæresis. Item si quando eleuatur sacra hostia hæreticus distractionem ad alia, vel ægritudinem fingens non genuflectat. Quorum omnium eam solam rationem reddit Hurtado, quia in iis circunstantiis non potest homo, ob eas actiones prudenter, & sine temeritate iudicari hæreticus. Cæterùm iuxta doctrinam à nobis paulò ante tradi

traditam ratio est, quia hæ actiones non sunt sicut voces æquiuocæ, quæ ex se habent hanc vel illam significationem; nam ex se in illis circunstantiis non significant hæresim internam, nec ex hominum impositione, aut ex vsu eam significationem habent; quare etiamsi hæreticus id ex hæresi operetur, & eam velit significare; non tamen poterit nisi id explicet, quia in ipsis actionibus deficit virtus significandi. Vnde notauit bene Suarez *dicto num.* 11. aliud esse dicendum: quando actiones ipsæ de se aptæ essent ad hæresim significandam, licèt non semper illam significent: tunc enim idem dicendum esset de illis, ac de verbis æquiuocis, vt si ex hæresi procedant, illam significent, & faciant hæreticum externum sicut verba æquiuoca, nam ambiguitas signi, licèt impediat probationem delicti, non impedit rem esse exteriùs manifestam.

27 *Quid dicendum sit quando signũ externum est leue.*

Sextò infertur, quid dicendum sit, quando signum externum est leue. Potest autem dupliciter esse leue, primò ex paruitate materiæ; secundò ex indeliberatione; in primo casu omnes fatentur non sufficere ad constituendum hæreticum externum, vt si hæreticus ex hæresi interna comedat parum carnium in die ieiunij, quod ex se non sufficeret ad peccatum mortale: cuius rationem reddit Sanchez *dict. capit.* 8. *num.* 17. quia vt dixerat *num.* 7. ad excommunicationem maiorem requiritur quod actus externus de se sit malus, & mortalis, & non solùm per relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi quantitatem. Facilius tamen probari potest, quia eius carnium in ea parua quantitate, non est aptus ad significandam hæresim internam, cùm etiam ob gulam, vel curiositatem Catholici id sæpè faciant.

28 *Quid quando actio externa esset in se venialis ob indeliberationẽ.*

Maior est difficultas, quando actio externa esset in se venialis, ob indeliberationem, seu ob defectum plenæ deliberationis. Potest enim contingere, quod hæresis interna sit cum perfecta deliberatione, atque adeo peccatum mortale, actio verò externa eam significans, siue sint voces, siue facta, fiat cum semiplena solum deliberatione, sed tamen possit videntibus hæresim internam manifestare: quo casu dubitari potest, an actio illa externa constituat hæreticum externum censuræ, & pœnis hæreticorum obnoxium. Regula generalis tradi solet non incurri excommunicationem maiorem, nisi per actum externum, qui in se sit malus, malitia grauis: ita docet cum aliis, quos affert Sanchez *dicto n.* 7. & 17. Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 12. vbi inde probat hæreticum, qui in somnis loquitur & profitetur suam hæresim, non fieri hæreticum externum, quia ille actus exterior non est peccatum ex defectu libertatis: vnde consequenter videtur concedere, quòd si actus exterior sit solùm peccatum veniale ob defectum plenæ libertatis, non incurretur censura, quia proposuerat regulam generalem, quod requiritur ad hanc censuram actus exterior, qui sit peccatum graue intrà rationem hæresis. Idem docet clarè Granado *in præsenti tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14. alios tacito nomine asserens, quorum sententiam approbat, dicentium, non incurrere pœnas hæreticorum illum, qui exteriùs manifestaret hæresim cum deliberatione, quæ tantùm sufficeret ad peccatum veniale. Quam sententiam etiam approbare videtur Diana *part.* 4. *tract.* 4. *miscellan. resolut.* 240.

Regula generalis.

Ab hac communi regula, & sententia discessit Hurtado *dicta disp.* 83. §. 22. *& sequentibus* docens, quoties in hæresi interna grauiter peccatur, incurri censuram, & pœnas, quomodocumque illa manifestetur, siue in ipsa manifestatione grauiter peccetur, siue solùm venialiter, siue nec etiam venialiter. Sed immeritò sine alio Auctore ab ea communi sententia recessit; quæ quidem solido nititur fundamento. Nam Ecclesia suis pœnis non punit actum internum, nec eum prohibet, sed actum externum: vt ergo tunc grauiter prohibeat, ac pœnis grauissimis puniat, debet in ipsomet actu externo reperire grauem turpitudinem, saltem suppositò præcepto, & prohibitione Ecclesiæ: ergo si actus externus turpis non sit, sed licitus, quomodo potest eum Ecclesia prohibere, & grauiter punire? Fateor actum externum secundùm se non habere malitiam formalem, sed eam accipere extrinsecè ab actu interno, in quo tota malitia formalis intrinsecè reperitur: sed tamen vt prohiberi possit actus externus, & puniri, debet in ipso reperiri aliqua indecentia, vel malitia obiectiua, & fundamentalis, ratione cuius prohibeatur immediatè voluntas illius actus externi. Alioquin iam nihil prohibebit Ecclesia, nec puniet nisi actum solum internum: nam externum, nec odit nec vituperat, nec probat, cùm nullo modo sit malus, sed aliquando bonus, vt ille Auctor fatetur manifestationem illam externam aliquando non solùm non esse malam, sed bonam, & laudabilem, vt statim videbimus. Hoc autem est dicere, quod Ecclesia prohibeat, & puniat solos actus internos, & solam honestatem internam intendat: cuius contrarium Auctor ille supponit. 29

Arguit primò pro sua sententia, quia in casu nostro hæresis interna est exteriùs manifesta, ergo ille iam est hæreticus externus, cum eius hæresis non maneat intra mentem, sed sit extra illam. Respondetur, esse posse æquiuocationem in illis vocibus, *hæreticus externus*: possunt enim significare illum, cuius hæresis interna non maneat secreta intra mentem, sed manifestetur exteriùs: & in hoc sensu concedi potest illum esse hæreticum externum: id tamen non sufficit ad incurrendam censuram, ad quem effectum voces illæ *hæreticus externus*, sumuntur in sensu formali, nempe pro illo cuius hæresis, & peccatum contra fidem non committitur solùm intra mentem, sed etiam extra, seu qui intrà, & extra mentem exercet hæresim: in quo sensu ille non est hæreticus externus; quia licèt sit hæreticus internus, cuius hæresis extra est propalata, non tamen est hæreticus interiùs, & exteriùs hæresim exercens, & contra fidem peccans: quod tamen ad incurrendam censuram requiritur, cùm peccatum solum interius sine peccato externo ab Ecclesia non puniatur. Hæc autem responsio ab omnibus admittenda est, quia si verba illa, *hæreticus externus*, accipienda essent in primo sensu, in ordine ad censuram, sequeretur quòd ille qui tentatione victus hæresi assentitur, & tamen confessario, vel viro docto peccatum suum manifestat, petens remedium, & dicit planè, *tentatione victus perseuero hæreticus, sed vellem viam inuenire, vt possem liberari*: hic, inquam, eo ipso incurreret cẽsuram, quia iam eius hæresis non manet occulta intra mentem, quod tamen omnes negant, & ipsemet Hurtado postea §. 32. qui tamen dicit, tunc prolationem externam non oriri à mala radice, sed à 30 *Obiectio 1.*

bona

bona, nempe ab affectu pio credendi. At verò in casu nostri dubij oriri ab hæresi interna, saltem per sympathiam naturalem, qua verba ex interno sensu procedunt. Sed in primis iam ex hoc ipso habemus non sufficere ad censuram, quòd hæresis non maneat intra mentem, sed vlteriùs requiri ad minùs, quod verba, vel signa procedant ex ipsa hæresi interna. Deinde etiam in casu nunc adducto manifestatio procedit ex ipsa hæresi, quia si non esset hæresis interna, non proferrentur verba illa, nec homo confiteretur illam: quia tamen non procedit vitiosè, sed laudabiliter, atque adeo expressio externa non est peccaminosa contra fidem, ideo non fit hæreticus externus in ordine ad censuram, quia non peccat peccato hæresis in ipsa actione externa provt exigitur ad incurrendam censuram.

31 *Obiectio 2.* Arguit tamen secundò idem Auctor §.24. quia si in ciuitate in qua sit libera religionis electio, Princeps præcipiat Iudæis certo signo externo vti, Iudæi non peccant vtendo illo signo, imò debent illo vti, vt Principi obediant. Vnde si aliquis Christianus ibi ad Iudaismum transeat, potest absque nouo peccato, imò debet eo signo vti sicut alij Iudæi. Negari autem non potest, quòd per vsum externum illius signi fieret ille Apostata externus, & manifestus, & censuras incurreret, ergo sufficit actio externa posita sine nouo peccato ad constituendum hæreticum vel Apostatam externum, & censuris obnoxium.

Respondeo, in primis non esse verum, quòd ille, qui solùm interius ad Iudaismum transisset, teneretur eo ipso lege vtendi signo illo externo Iudæorum proprio: mens enim Principis est obligare solùm eos, qui externam etiam Iudaismi professionem faciunt, non eos qui mente sola illum amplectuntur: imò nec fortasse potest Princeps obligare subditos, vt arcana mentis exteriori signo manifestent, in eo ergo casu vsus illius signi non esset ad obediendum Principi, sed ad profitendum exteriùs Iudaismum. Deinde si falsò supponatur, quod homo ille ex suppositione Apostasiæ, vel hæresis internæ potest sine noua culpa, vel etiam laudabiliter vsurpare exteriùs signum illud, aut vestem, consequenter dicendum est, eo solo actu non fieri Apostatam, vel hæreticum externum in ordine ad censuras incurrendas, quia supponis non peccasse peccato vllo externo hæresis, vel Apostasiæ, sine quo peccato externo non incurruntur illæ pœnæ.

32 Dices, ergo si ille Iudæus internus diceret clarè exteriùs, *ego in mente mea Iudaismum amplector*: adhuc non incurreret censuras; quia ex suppositione Iudaismi interni licitè potest, imò & aliquando debet fateri se esse Iudæum, atque adeo nondum peccauit peccato externo Apostasis. Consequens autem videtur durum, quis enim magis Apostata externus, quàm qui clarè dicit se sectari, & amplecti talem, vel talem religionem damnatam? Respondeo, recolenda esse, quæ dlximus suprà disp. 14. sect. 5. §. 1. vbi notauimus, Catholicum, qui falsò dicit se esse paganum, vel hæreticum, peccare semper grauissimè contra fidei confessionem: hæreticum verò, vel Paganum, aut Iudæum, qui non falsò, sed verè dicit, se esse talis, vel talis religionis, quam reuera in mente profitetur, aliquando peccare grauiter contra fidem, quando id sine sufficienti causa testatur, aliquando verò non peccare, quia ex suppositione interni erroris, cedit in maius fidei bonum, quod eum fateatur, quàm quod occultet. Suppositа ergo illa doctrina, quam ibi latiùs explicuimus, & probauimus, dicimus nunc consequenter, quando verba illa externa continent peccatum graue contra fidem iuxta regulas ibi traditas, sufficere ad constituendum hæreticum, vel Apostatam externum excommunicationi obnoxium; quia iam interuenit peccatum graue interius, & exterius contra fidem: quando verò verba illa ex suppositione erroris interni possunt licitè, & sine nouo peccato proferri, non sufficere illa verba ad excommunicationem, & alias pœnas inducendas. Quod nec est singulare, nec durum, sed iuxta regulam communem, quam tradunt omnes docentes non incurri has pœnas nisi per actionem externam grauiter peccaminosam. Casus tamen huius obiectionis, non est moralis, quia nullus hæreticus, aut Apostata internus manifestat se pro tali nisi in confessione, vel certè, qui vel in ipsa manifestatione grauiter peccet, vel alios multos actus externus committerit, in quibus grauiter peccauerit contra fidem, atque adeo censuras incurrerit.

Hinc septimò infertur, quid dicendum sit de illo; qui dormiens fatetur, & profitetur voce hæresim internam, quam in mente occultauerat. Fatentur omnes manifestationem illam non sufficere ad incurrendam censuram. Suarez *vbi supra num.* 12. Sanchez *num.* 24. Hurtado §. 26. & alij. Ratio autem ex dictis est clara: tum quia illa non est manifestatio, cùm voces dormientis non sint significatiuæ sensus vigilantis, sed confusarum apprehensionum: tum quia actio illa externa, non est peccatum externum, sed actio naturalis, & inuoluntaria; quare non potest esse obiectum censuræ Ecclesiasticæ. Difficultas esse potest, quando præuidit in vigilia se ob assensum præsentem hæresis, fore eum in somno manifestaturum; & idem est, si sobrius præuidit se in ebrietate id dicturum; in iis enim casibus homicidium, & alia similia sequuta in somno, vel ebrietate imputari solent ad pœnas inducendas: quare Bonacinæ non videtur id improbabile *disput. 2. de censuris quæst. 5. punct. 2. n. 7.* sed immeritò, quia est clara differentia, cùm homicidium, pollutio, & similia retineant suam turpitudinem, & idem inferant damnum, siue fiant à dormiente vel ebrio, siue à vigilante vel sobrio: quare aliquando tenemur etiam in causa eos effectus impedire, quamuis non semper omnes; verba autem hæreticalia ab ebrio, vel dormiente prolata, non retinent eandem turpitudinem, cùm non sint verba humana, nec exprimant humanam mentem, quare non est eadem obligatio impediendi, & præcauendi in causa.

Maius dubium esse posset de hæretico interno, qui ad hunc finem se inebriat, vel coram aliis dormit, vt ebrius, vel dormiens proferat suam hæresim, quam non audet sobrius, aut vigilans proferre. Huic enim verba illa videntur esse voluntaria, non solùm inditectè, & permissiuè, sed directè, & formaliter: siquidem ex inductia ponit talem causam, vt sequatur talis effectus. Cæterùm nec adhuc in eo casu puto incurri censuram: pro quo videnda sunt, quæ in simili dixi *disput. 8. de Sacramentis in genere sect. 6. num. 101. & sequentibus*, vbi ratione reddidi, quia etsi verba illa sint directè volita, & voluntaria, non sunt tamen verba humana; nec manifestatiua mentis humanæ, præsentis, aut præteritæ: sicut nec peruigium in somno

somno prolatum est periurium, nec blasphemia, & similia propter eandem rationem, quam loco citato latiùs explicui, & exornaui.

35 *Aut qui fingit se dormire, vel ebrium esse.*

Hac occasione dubitant aliqui, quid dicendum sit de hæretico interno, qui quidem non dormit, sed fingit se dormire, vel ebrium esse, & exprimit hæreses, quas in mente habet, an hic incurrat censuras, tanquam hæreticus externus. De hoc dubio egit Hurtado *dicta disp.* 83. §. 29. vbi multa congerit ad probandum hunc non incurrere censuram, si fictio illa somni (idem autem videtur esse de ebrietate) à nemine possit probabiliter deprehendi. Primò quia nullus tunc sine temeritate potest interpretari illum esse hæreticum. Secundò, quia si quis fingat amentiam, ita vt ab omnibus credatur amens, licèt sit hæreticus, & hæreses loquatur à nemine censebitur hæreticus. Tertiò si aliquis verè in mente hæreticus, in comœdia agat personam hæretici, & hæreses illas ex corde proferat, non erit tamen hæreticus externus, cùm omnes accipiant verba illa mimicè, & tragicè prolata, non ad mentem propriam exprimendam. Sic ergo, si nemo prudenter credere potest fingi somnum, verba illa non sufficiunt ad constituendum hæreticum externum. Sed tamen Auctor ille concludit, se non audere asserere illos non esse hæreticos externos, quia hæretici sunt, qui exprimunt verbis suam hæresim, quam occultant per accidens, & non per se. Hæc omnia ex Hurtado affert Diana *part.* 5. *tract.* 13. *miscell. resolut. n.* 17. & concludit hos esse hæreticos, quia eorum locutio, licèt in somno simulato, coniungitur hæresi, & manifestatur, quod non accidit in vero dormiente.

36 Quidquid de doctrina sit, de qua statim dicã, illius tamen consequentiam desidero in P. Hurtado, qui sæpe posuerat principium ilud vniuersale, non esse hæreticum externum, nec incurrere censuras eum, qui talia signa ponit, ex quibus nemo prudenter, & sine temeritate potest iudicare illum esse in mente hæreticum. Si ergo nunc ponit casum esse talem, vt nemo prudenter & sine temeritate iudicet somnum esse factum, vel mimum ex mente propria loqui, debuit consequenter negare incurri censuram: & quidem animum negandi satis ostendit, sed quia videbatur ingratè accipiendum, argumentis propriis non solutis, discessit à regula totics à se antea stabilita.

37 Suppono, dupliciter posse fingi somnum, ebrietatem, vel amentiam. Primò, ita vt homo nolit plus significare per verba illa, quàm si à dormiente, aut ebrio proferrentur, in quo casu etiamsi hæreses materiales loqueretur, credo non incurrere censuram, quia non profert illas voces ad significandam mentem, sed haberet se sicut hæreticus internus, qui in scena ageret personam hæretici, licèt hæreses proferret, & quidem easdem, quas ipse in mente haberet, si tamen eas non profert ad suam mentem exprimendam, sed in persona quam repræsentat, non incurret censuram: & id quidem quamuis gauderet de occasione sibi data proferendi illas voces, dum tamen non eo fine proferret, vt mentem suam significaret. Sic fingens somnum, aut amentiam, licèt placeret ei occasio proferendi eas voces impunè, si tamen eas non proferret ad exprimendam suam mentem, sed ad fingendam etiam in iis vocibus ebrietatem, vel somnum, aut amentiam, non videtur hæresim incurrere. Ratio est, quia absque ea intentione non exprimitur hæresis interna, cùm de facto nemo eam deprehenderit, nec etiam verba illam significent: hoc enim habere deberent ex intentione proferentis: supponimus verò proferentem noluisse id significare, sed in alio sensu proferre: non sunt ergo posita vlla signa externa hæresis internæ. Nec credo illos Auctores in hoc casu à nobis dissentire.

Secundò tamen potest homo ille velle proferre illas voces, vt suam hæresim exprimat, & affirmare exteriùs quod in mente habet, quamuis propter fictionem somni, vel delirij ea intentio ab aliis non deprehendatur, & in hoc sensu credo dubium illud à prædictis Auctoribus propositum. In quo puto incurri censuram, & pœna hæretici externi. Ratio est quia licèt audientes id non intelligant, sed putent ab ebrietate, aut somno prouenire, re tamen vera illæ sunt voces, & verba humana sufficientia ad effectus alios, ad quos requirantur verba externa humana. Nam si ille esset Sacerdos, & simulans se dormire proferret verba consecrationis supra hostiam cum intentione consecrandi, proculdubio consecraret; item si ficta amentia infantem cum intentione baptizaret prolata forma, baptismus esset validus, licèt videntes omnes crederent eum dormire, vel delirare, & idem est, si fingeret se iocari, vel scenicè agere, & ex animo consecrandi proferret verba consecrationis, vel in scena baptizaret infantem cum intentione interna baptizandi, vt notaui *disp.* 8. *de Sacramentis in genere sect.* 2. *num.* 20. Similiter si in somno vel amentia ficta recitaret officium diuinum, satisfaceret proculdubio debito recitandi, ad quod certè requiruntur verba humana expressiua mentis, & sic de aliis omnibus, in quibus vltra verba non requiritur, quod alij ea percipiant, & intelligant propter mutuam obligationem, vel propter necessariam acceptionem &c. sicut ergo per illas voces potest aliquis conferre, & conficere sacramentum, orare exteriùs, & alia facere, ad quæ requiruntur verba, & signa externa, cur non poterit similiter profiteri, & asserere hæresim internã, ad quod non magis requiruntur verba, & signa externa, quam ad alia omnia? Quod idem propter eamdem rationem, dicendum est de mimo in scena asserente suam hæresim internam, si reuera per illas voces intendit eam affirmare, & non solùm alterius personam repræsentare. Ratio autem horum omnium desumi debet ex fundamento contrario, quia scilicet ad hanc censuram incurrendam non requiritur vt supra dixi, quod alij prudenter hæresim internam loquentis iudicent; sed sufficit quod ea exteriùs affirmetur, siue id sit, quia signa externa de se illam manifestarunt, siue quia saltem ex intentione proferentis voces eam significationem habent, ad quam ex hominum impositione aptæ erant, hoc enim satis est, vt iam sufficienter hæresis exteriùs affirmata sit. Sed iam faciliora alia inferamus.

38

Infertur itaque octauò, quid dicendum sit de proferente exteriùs propositionem veram animo hæretico, quia scilicet putat illam esse contra fidem, vel quia eam ita mordicus tenet, vt non sit paratus eam relinquere, nisi Ecclesia contrarium doceat: non enim est hæreticus externus, nec incurrit censuram nisi exprimat suum illum animum hæreticum, vt docet Sanchez *dicto cap.* 8. *numero* 11.

39 *Quid dicendum de proferente exteriùs propositionem veram animo hæretico.*

Infertur nonò, nec incurrere hanc censuram propriam,

An incurrat hanc censuram hæretici externi, qui cùm hæreticus sit, transcribit hæreses, & dum scribit eas ore profert.

propriam hæretici externi, qui cùm hæreticus sit, transcribit hæreses; & (vt fieri solet) dũ scribit eas ore profert, quia id non est asserere, sed quasi dirigere manum, ne erret in scribendo. Quod idem est si legendo librum hæretici, verba proferat, & easdem hæreses, quas ipse in mente habet, vt cum aliis, quos affert, docet idem Sanchez *vbi suprà num.* 13. Quod autem de scribente dicitur, intelligi debet de scribente, quæ alius hæreticus dictat, vel transcribente ex eius libro: si enim scriberet ex propria mente, proculdubio incurreret censuram etiamsi voces non formaret, quia iam scripto saltem loam mentem proferret.

40

Hanc censuram non incurrit, qui solùm dicit se habere propositum relinquendi postea fidem Catholicam.

Infertur decimò, nec hanc censuram incurrere eum, qui solùm dicit se habere propositum relinquendi postea fidem Catholicam, ita Sanchez *vbi suprà num.* 22. Quod difficile videri posset quomodo non exprimatur tunc sufficienter infirmitas saltem fidei internæ. De hoc tamen dixi latiùs *suprà disp.* 14. *sect.* 5. vbi ostendimus, licèt hoc propositum sit peccatum grauissimum contra fidem, non tamen reddere infidelem, nec etiàsi exteriùs manifestetur, inducere pœnas hæretici, vel Apostatæ.

Hæreticus internus prorũpens in blasphemias non hæreticales nõ incurrit hanc censuram.

Infertur vndecimò, hæreticum internum prorumpentem etiam ex mente hæretica in blasphemias non hæreticales non incurrere hanc censuram, quia blasphemiæ illæ non significant mentem hæreticam, licèt ex illa procedant, sed dicendum est de illis, sicut de peccatis fornicationis, furti, & aliis similibus, quæ licèt ex errore circa fidem procedant, non faciunt hæreticum externum, quia illum nõ significant: ita idem Sanchez *vbi suprà num.* 14. Quod tamen intelligi debet, nisi blasphemiæ illæ in eo loco signa essent hæreticorum, vt si in Anglia, vel Scotia, v.g. aliquis malediceret Papæ, vel sacris imaginibus: nam ea verba in hæretico interno ex hæresi procedentia rederent eum hæreticum externum, & censuræ obnoxium.

Quid dicẽdũ de hæretico interno negãte exteriùs propositionem Theologicam.

Dubitari hic solet de hæretico interno negante exteriùs propositionem Theologicam, an hoc sufficiat ad constituendum hæreticum externum de quo Sanchez *vbi suprà num.* 12. sed de hoc diximus satis *suprà disp.* 20. *sect.* 2. Dubitari idem solet de proferente exteriùs verba exprimentia dubium circa res fidei, de quo idem Sanchez *num.* 13. nos autem diximus latè *suprà disp.* 17. *sect.* 4. & *disp.* 20. *sect.* 1. quæ videnda sunt, ne iterum hic repetantur.

SECTIO III.

De absolutione ab hæresi, & excommunicatione ob hæresim contracta.

41 ANtequam vlteriùs progrediamur, operæ pretium est aliquid dicere de facultate absoluendi ab hac excommunicatione ob hæresim contracta, quibus competat, quod maximè necessarium ad praxim est. Supponendum est ergo primò hanc excommunicationem hodie reseruatam esse summo Pontifici quoad absolutionem: nam quidquid sit de antiquioribus decretis, iam hodie in Bulla Cœnæ reseruatur strictissimis verbis, & clausulis, & non nisi rarissimè concedi solet generalis facultas absoluendi, & reconciliandi hæreticos etiam pro foro conscientiæ.

Supponendum secundò, reseruationem hanc ita cadere supra excommunicationem, vt etiam cadat supra ipsum peccatum, ita vt sicut inferior non potest absoluere ab ea censura, ita nec possit absoluere directè ab ipso peccato: nam licèt peccatum hoc non reseruetur, quando aliquis non incurrit censuram, quia reseuatur ratione censuræ, quando tamen censura incurritur, reseruatur etiam ipsum peccatum in ratione peccati, vt cum aliis docet Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 8. *num.* 5. & *cap.* 11. *num.* 1. & nos diximus *disp.* 14. *de Euchar. sect.* 5. & *disp.* 20. *de pœnitent. sect.* 3. *num.* 26. & 27. in quibus locis notauimus, in iis casibus reseruatum etiam esse peccatum internum hæresis, quamuis nec hoc seorsim ab externo reseruatum sit. Ablata verò excommunicatione, vel eius reseruatione, aufertur reseruatio peccati hæresis quod, solùm ratione censuræ reseruatur vt notat Sanchez ibidem cum aliis quos affert. Quod intelligitur de reseruatione hæresis facta à Pontifice summo; quia si alius Prælatus inferior reseruaret peccatum hæresis merè internum (nam externum non potest reseruare, cùm sit Papæ reseruatum, iuxta ea quæ notaui *dicta disp.* 20. *de Pœnitent. sect.* 8. *num.* 149. & *sequentibus.* (reseruatio illa caderet in solum peccatum, & non in censuram. An verò possit licitè ea reseruatio peccati merè interni fieri, dixi eadem disp. 20. sect. 2. num. 13. & sequentibus. His suppositis, restat inquirendum, quibus, & quando commissa sit à summo Pontifice facultas absoluendi à peccato hæresis, & excommunicatione in hæreticos lata: de singulis tamen, de quibus dubitari solet sigillatim dicendum erit.

§. I.

De facultate Episcopis data ad absoluendum ab hæresi.

42 DVplex est difficultas in hoc puncto: prima, An Episcopi hodie facultatem habeant absoluendi ab hæresi; secunda qualis sit hæc potestas. Prima difficultas tota oritur ex decreto Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformat: cuius hæc sunt verba. *Liceat Episcopis, in regularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.* Vbi expresè concessa videtur Episcopis hæc facultas absoluendi subditos per seipsos, ab hæresi occulta in foro conscientiæ. Aliunde verò videtur Episcopis hæc eadem facultas ablata in Bulla Cœnæ, quæ singulis annis renouatur, & euulgatur, in quo postquam excommunicatio profertur contra hæreticos quoscumque, & multos alios, additur reuocatio omnium facultatum quibuscumque concessarum ad absoluendum ab ea censura, his verbis iuxta Bullas modernas SS. D.N. Vrbani VIII. quæ verba à Paulo V. & Gregorio VX. eius prædecessoribus vsurpabantur

bantur *Caterùm à prædictis sententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum monasteriis, conuentibus, & domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, litteris aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.*

44 *Prima sententia.* Duplex est sententia, vtraque satis celebris, & multorum ac grauissimorum doctorum. Prima docet facultatem Episcopis in Tridentino concessam adhuc perseuerare, nec fuisse aut esse Bullæ cœnæ promulgatione sublatam. Hanc tenent Nauarrus Gutierez, & pluribus aliis adductis Henriquez, Bannez, Aragon. Emanuel Sa, Vualdus, Eman. Rodericus, Petrus Ledesma, Vega, Rutilius Benzonius, & alij, quos affert Sanchez *dicto lib. 2. in Decal. cap. 11. num. vltimo*, qui eam sententiam fatetur probabilem videri; quam tenent etiam Fagundez, Puteanus, Portel. Sousa, Lorca, Nunus, quos affert Diana 1. *parte tract. de absolutione ab hæresi, resolut. 2.* quibus addit Duuallium & Texedam, & alios 4. *part. tract. 4. miscellan. resolut. 239.* Et *in 5. part. tract. 13. miscell. resolut. 43.* eámque probabilem dixit Suarez *tom. de censuris disp. 21. sect. 3. num. 5.* licèt postea, vt videbimus, duriùs contra eam sententiam loquutus fuerit, & amplectitur Granado *in præsenti tract. 15. disp. 14. sect. 2.* Denique eandem sententiam acerrimè defendendam suscepit Hurtado *in præsenti disp. 84. sect. 2. §. 11.* vbi refert illustrissimum Archiepiscopum Toletanum, & Cardinalem Gasparem Quiroga anno 1583. in synodo Toletana, licèt ipse inquisitor Generalis etiam esset, declarasse non esse abrogatam hanc Episcoporum facultatem, & monuisse Hispaniæ Episcopos, quorum Primas erat, de hac ipsorum facultate perseuerante.

45 *Secunda sententia.* Secunda sententia dicit eam facultatem ablatam intelligi Episcopis per bullam cœnæ. Hanc tenent Nauarrus in summa Latina nouiori *c. 27. n. 275. versic 14.* addens ita declarasse Pium V. & Gregor. XIII. Penna *in direct. inquisitorum 3. p. quæst. 92. comment. 141. versic. penult.* dicens ita sæpe declaratum esse in suprema, & Generali Romana inquisitione, Maiolus, Toletus, Felicianus, Bartholomæus ab Angelo, Paulus Fuscus, Antonatius, Azor dicens ita declarasse Clementem VIII. Suarez dicens ita declarasse Congregationem Cardinalium. Vualdus retractans, quod antea docuerat, Paramus, P. Molina, Vgolinus, Philiarcus, quos omnes affert, & sequitur Sanchez *vbi sup. n. 26.* & 27. eandem tenent Barbosa, Ricciulus, Villalobos, Riccius, Gratianus, Bellochius, Sanctarellus, Ragutius, Scortia, Nouarius, Syluius, Faber, Homobonus, Megala, Floronus, Torreblanca, Valerus, & alij, quos affert, & sequitur Diana locis supra citatis; idem tenent Farinacius, Bonacina, & Marcus Antonius Genuensis, *Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ*, referens ita declarasse Gregorium XIII. & Clementem VIII. & alij, quos refert, & sequitur Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 1. num. 22.*

Controuersia hæc, licèt videatur esse de iure, 46
sed reipsa tota reducitur ad factum: certum enim est summum Pontificem potuisse reuocare facultatem in eo loco Tridentini Episcopis concessam; præsertim cùm Patres eiusdem Concilij sess. 25. cap. 21. de reformat. protestentur, quòd in his omnibus, quæ in eo Concilio decreta fuerant salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur. Tota ergo difficultas est, an Pontifices in Bulla cœnæ facultatem illam reuocare voluerint. In quo dubio mihi maximè probatur sententia Suarij, quam maturior iam ætate, & doctrina testatam reliquit *in præsenti tract. de fide, disp. 21. sect. 4. num. 13.* vbi dicit, potuisse Episcopos probabiliter se conformare primæ sententiæ stando in iure, nisi certitudo facti contraria constaret de voluntate Pontificis reuocantis, quam tot Pontifices declararunt, propter quod censet non esse in praxi à secunda sententia recedendum. Ego autem idem aliis verbis explico, hoc modo. Si Episcopus non credat Pontificem eam facultatem de facto reuocare voluisse, potest primam sententiam probabiliter amplecti, quæ tot Auctores adeoque graues pro se habet: si verò id credat, debet stare secundæ sententiæ: ego verò non possem primam amplecti quia mihi moraliter certa est Pontificis mens, & sensus Romanæ Curiæ, in qua omnes Pontificis Ministri pro certo supponunt, singulis annis denuò eam facultatem Episcopis auferri, & ea solùm de causa, ad eúmque finem addita esse in Bulla Cœnæ verba illa, quibus reuocantur facultates concessæ etiam *per cuiusuis Concilij decreta*: nullius enim alterius Concilij decreto concessa est facultas aliqua, nisi in Concilio Tridentino, quod reuerentiæ fortasse causa nominatum non est, sed solùm illa generalitate verborum.

An Pontifices in bulla cœnæ facultate illa reuocare voluerint.

Contra hoc tamen arguit Hurtado *vbi suprà* 47
§. 17. retorquendo hoc argumentum: quia ante Concilium Tridentinum Bulla cœnæ euulgabatur singulis annis, & cum eadem clausula: ergo illa clausula non fuit addita ad derogandum Concilij Tridentini decreto: nec credibile est Pium IV. qui decreta Tridentini Concilij approbauit, & inuigilauit, & curauit vehementer, vt ab omnibus Ecclesiæ Prouinciis acceptarentur, & obseruarentur, statim eodem anno in Bulla cœnæ solito modo, & absque vlla mutatione edita voluisse derogare eiusdem Concilij decreto: hoc enim quid aliud fuisset, quàm illudere Episcopis, quibus eodem anno traderet decreta Tridentini onerosa, & fauorabilia suscipienda, sciens se eodem anno Bulla cœnæ solito more euulganda ablaturum Episcopis fauorem concessum, relictis oneribus? Hoc certè præsumi non potest: quod cùm eodem anno examinata essent decreta omnia Tridentini, & approbata, ac toti Ecclesiæ cómendata, statim absque noua causa voluerit ea reuocare, quæ quidem mutatio si post multos annos fieret post experiétiam nocumenti sequuti, leuitatis nota careret: quod tamen statim absque vlla tali experientia fieret, non posset à leuitate excusari: ita arguit *dicto §. 17. & 13. & 14.* vbi addit exemplum Bullæ cruciatæ, quæ singulis sexenniis conceditur de nouo, & in ea datur facultas absoluendi à casibus Bullæ cœnæ (excepta

hæresi) semel in vita, & semel in morte. Et quamuis anno sequenti euulgetur Bulla cœnæ, cùm eisdem clausulis derogatoriis, & auferentibus omnes facultates absoluendi, nemo dicet, auferri facultatem cruciatæ concessam anno præcedenti, ad sex annos: quia nimirum Pontifex concedens Cruciatam, sciebat se anno sequenti Bullam cœnæ renouaturum, cum eisdem clausulis derogatoriis: quare præsumitur noluisse Cruciatam reuocari per sequentes Bullas cœnæ, & in ea voluntate perseuerare, nisi nouam clausulam addat, qua ostendat se discessisse à voluntate quam habuit, dum anno præcedenti Cruciatam concessit, ne dicatur tunc illudere voluisse concedendo facultatem, quam iam sciebat post annum, vel aliquando post tres menses edita Bulla cœnæ fore eo ipso reuocandam. Idem ergo propter eamdem rationem dicendum est de facultate Episcopis in Tridentino concessa, quam illustrior Pius IV. approbasset, & Episcopis omnibus dedisset, sciens post paucos menses edita Bulla cœnæ cum solutis clausulis se ipsa ruituram. Imò ad hoc petita, & concessa fuit facultas illa Episcopis, vt quia singulis annis hæresis absolutio reseruatur summo Pontifici in Bulla cœnæ, possent tamen Episcopi, non obstante solita reseruatione ab ea, quando esset occulta, absoluere per seipsos. Quod si ad hoc non deseruiebat, ad nihil prorsus vtilis erat facultas in Concilio decreta, & à Pio IV. approbata, & confirmata, quæ vix ad vnum, & alterum mensem prodesse poterat, post quos in prima Bullæ cœnæ promulgatione reuocanda erat.

48 Respondeo, hoc argumentum non esse contemnendum, si P. Hurtado probasset id, quod pro certo supponit, nempe Bullam cœnæ nunc promulgari cum iisdem clausulis, & non aliis, cum quibus ante Concilij Tridentini confirmationē à Pio IV. & aliis eius prædecessoribus promulgabatur: nam si hoc verum esset, debilitaretur coniectura illa, quod reuocatio facultatum concessarum *in decretis cuiusuis Concilij*, apposita sit in Bulla cœnæ ad derogandum huic decreto Concilij Trident. Constat enim Pontifices antecessores Pij IV. non apposuisse verba illa Bulla cœnæ, nec mentionem fecisse vllius Concilij, vt videri potest in Bulla cœnæ promulgata à Martino V. quæ refertur apud S. Antoninum 3. patt. tit. 24. c. 72. & in Bulla cœnæ promulgata à Paulo III. qui paulo ante Pium IV. sedit, quæ refertur in Bullario communi, & est Bulla 10. eiusdem Pauli III. nec ego inuenio verba illa in Bullario communi ante Gregorium XIII. in cuius Bulla cœnæ reperiuntur, nec credo Pium IV. qui decreta Tridentini approbauit, ea verba vnquam apposuisse, & ideo fortasse nulla Bulla cœnæ Pij IV. in Bullario communi relata est, quia Cherubinus, qui Bullarij corpus congessit, dicit se illorum Pontificum Bullas cœnæ apposuisse, quæ possint ostendere mutationes, & additiones in Bulla cœnæ factas; sic enim testatur hic Auctor ante Bullam 63. Pauli V. quæ est Bulla cœnæ ab eodem Paulo V. promulgata. Falsò ergo supponitur in Bullis cœnæ modernis nullam apponi clausulam nouam derogatoriam huius facultatis, præter eas, quæ ante Concilium apponebantur, & contra quas concessa fuit ea facultas Episcopis in eodem Concilio.

49 Contra hoc tamen arguit secundò Hurtado *obiectio 2.* §. 22. quia idem Pius V. satis clarè ostendit suam mentem, quod scilicet per Bullam Cœnæ non fuerit ea facultas Episcopis ablata, dum speciali Bulla concessit Pontificatus sui anno 6. Generalibus & Prouincialibus Ordinis Prædicatorum, vt possint erga suos subditos vti facultatibus illis, quæ Episcopis conceduntur in dicto decreto Concilij Tridentini in foro conscientiæ, & procasibus occultis, ne religiosi deterioris conditionis sint, quàm sæculares, qui à proprio Episcopo absolui, & dispensari possunt: quæ Bulla habetur in Bullario regular. apud Rodericum, & est Bulla 13. Pij V. Respondeti potest primò hoc ad summum probare tempore Pij V. nondum fuisse ablatam Episcopis hanc potestatem, nec ego inuenire potui Bullam Cœnæ Pij V. in qua verba illa addita sint reuocantia Facultatem concessam etiam in decreto Concilij, quæ tamen in Bullis Gregorij XIII. inueniuntur. Deinde respondeti potest Pium V. in ea Bulla non dedisse Prælatis illius Ordinis facultatem absoluendi ab hæresi occulta, sed cōmunicasse illis eas facultates quas Episcopi adhuc haberent ex vi decreti Tridentini, quæcunque illæ essent; nempe illas, quæ non adhuc essent reuocatæ, vel quæ in posterum non reuocarentur: vnde nullam mentionem ibi fecit de hæresi, vel de casibus Bullæ Cœnæ, sed verbis generalibus concedit, *vt ipsi prælati per seipsos, idem omnino possint in fratres, & Moniales dicti Ordinis, sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & laicos sibi subiectos, tam quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm aliàs quascunque facultates, &c.* Quæ autem sint illæ facultates, adhuc perseuerantes, non explicat, sed solùm vult, ne sint religiosi deterioris conditionis in hac parte, quàm sæculares.

Arguit tertiò §. 25. ex responso Congregationis dato Christophoro Vela Archiepiscopo Burgensi, quod refertur apud Henriquez *lib. 6. de Pœnitent. cap. 14. num. 17. in margine*, quo dicebatur posse Episcopos absoluere. Respōderi potest, hoc responsum non inueniri inter decisiones eiusdem Congregationis, quæ vel Tipis editæ, vel manuscriptæ circumferuntur, in quibus tamen sæpius pars negans inuenitur ab eadem Congregatione decisa. Si tamen fortè tale responsum emanauit, id fortasse fuit, antequam illa verba derogatoria Concilij addita essent in Bulla Cœnæ, vel eo medio tempore, quo tempore Sixti V. & Clementis VIII. addita erant eidem Bullæ verba quædam in fauorem Episcoporum, nempe reuocari facultates concessas, *nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur*: quorum verborum virtute non parum ius Episcoporum fulciebatur, cùm in decreto Tridentini hæresis absolutio expressa esset. Hæc tamen verba sublata postea fuerunt à Paulo V. & hodie etiam auferuntur relicta derogatione Concilij cum tota sua efficacia.

Vnde nec etiam vrget exemplum Bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas ad casus Bullæ Cœnæ excepta hæresi, quæ facultas non censetur reuocata per sequentem promulgationem Bullæ Cœnæ, quantumuis habeat clausulas derogatorias vniuersalissimas. Hoc, inquam, exemplum non obstat, quia constat de mente Pontificis concedentis Cruciatam, qui scit benè se paulò post promulgaturum Bullam Cœnæ cum illis clausulis, & contra illas vult antecedenter condere facultatem in Cruciata, quare dùm non additur in Bulla Cœnæ clausula noua explicans recessum

recessum ab ea voluntate, illa censetur perseuerare; at vidimus additam esse clausulam nouam post decretum Tridentini, cuius sensus alius esse non potuit, nisi vt facultas illa reuocaretur, quem sensum ipsi Pontifices interrogati toties declararunt; quod tamen in concessione Cruciatæ non fecerunt, sed illius facultates ratas esse profitentur.

52 Dicunt, legum correctionem esse vitandam, quando conciliari possunt, provt possunt hæ duæ leges, si dicamus, per Bullam Cœnæ reuocari facultates concessas ad absoluendum vniuersaliter: in Concilio autem datam solùm fuisse ad casus occultos, & pro foro conscientiæ, quæ cùm sit specialis, locum habet regula, quod generi per speciem derogatur, & non è contra speciei per genus, nisi expressis verbis reuocet. Sed contra hoc est primò, quod in Bulla Cœnæ magis reuocari intenditur facultas Episcopis concessa, quoad forum interius, & quoad casus occultos, quàm quoad forum exterius. Nam ex communi sententia Episcopi non obstante Bulla Cœnæ retinent facultatem absoluendi hæreticos in foro externo, quæ absolutio proderit eis etiam in foro interno. Possunt enim Episcopi vt iudices cognoscere de hæresi, & hæreticum pœnitentem Ecclesiæ reconciliare, vt fatentur Doctores, quos congerunt, & sequuntur Farinacius *de hæresi, quæst.* 191. §. 4. *num.* 52. Castro Palao *vbi suprà dicto* §. 1. *num.* 23. qui cum aliis notat, vbi inquisitio Hispana viget, non posse Episcopum sine inquisitoribus eam iurisdictionem exercere. Si ergo aliquid Bulla Cœnæ reuocare intendit, non est pro foro externo, sed pro interno, atque adeo non magis latè patet reuocatio, quàm patuerat concessio, cùm vtraque sit pro solo foro conscientiæ, de quo si non intelligatur, inutilis est reuocatio posita in Bulla Cœnæ. Deinde non est locus coniecturis, vbi sufficienter exprimitur mens legislatoris, quæ certè nō potest esse de reuocatione facultatum solùm quoad forum externum, & publica: tum quia derogat decreto Concilij, in quo ad forum externum, & publicam nihil concessum fuerat, neque etiam in vllo aliquo Concilio generali: tum etiam quia si reseruatio illa non esset facta quoad occulta, & pro foro etiam conscientiæ, sequeretur non solos Episcopos, sed omnes alios confessarios posse hodie absoluere ab hæresi occulta, & pro foro conscientiæ: nam vt suprà diximus, nullibi reperitur reseruata hæc excommunicatio, vel peccatum hæresis Pontifici nisi in Bulla Cœnæ: si ergo ibi non sit reseruatio, & reuocatio facultatum, nisi pro foro externo, non est, vnde sit reuocata pro foro interno, & in occultis facultas inferiorum Confessariorum. Quod sine ingenti absurdo dici non potest; cùm in ipso Concilio Tridentino tanquam aliquid extraordinarium concessa fuerit Episcopis, vt per se ipsos possent ab hæresi occulta pro foro solùm conscientiæ absoluere, quia nimirum ea facultas per Bullam Cœnæ omnibus etiam Episcopis ablata fuerat.

53 Cæterùm quia contraria sententia aliquibus probabilis adhuc videtur, ea suppositā locum habet secunda difficultas supra iudicata, qualis sit hæc Episcoporum potestas, & quousque se extendat, de quo latè agit Sanchez *dicto cap.* 11. & Hurtado *dicta disput.* 84. §. 26. *vsque ad* 50. Nos breuiùs conclusiones infirmabimus.

Primò ergo dubitatur, quis in prædicto decreto Tridentini nomine *Episcopi* intelligatur in ordine ad vsum illius facultatis. Constat non intelligi Episcopum titularem, quia ille non habet subditos, quos absoluere possit. Hi tamen possunt retinere, & communiter retinent verum titulum alicuius ciuitatis, quam, quia ab infidelibus occupatur, adire non possunt: & tunc possunt quidem absoluere hæreticos occultos illius ciuitatis, si id possunt alij Episcopi, dum sunt extra suam diœcesim, quia verè sunt ipsorum subditi: Secus esset, si renuntiassent etiam titulo, & retinerent solam dignitatem. Sicut nec Episcopi alij, qui veras habuerunt Diœceses fideles, & renuntiarunt titulo possunt postea hac facultate vti, cùm iam nec habitu, nec actu vllos subditos habeant. Constat etiam *Episcopi* nomine ibi intelligi electum, & confirmatum à Pontifice, licèt nondum sit consecratus, imò nec Sacerdos, cùm absolutio à censura dari possit extra sacramentum, nec sit actus ordinis sed iurisdictionis, quā absque consecratione, vel sacerdotio habere, & exercere potest.

Quis in decreto Tridentini nomine Episcopi intelligatur in ordine ad vsum illius facultatis.

54 Dubitatur tamen secundò, an competat hæc facultas, vbi Concilium Tridentinum, quoad alia morum decreta receptum non est. Negat Suarez, quem affert, & sequitur Sanchez *suprà num.* 3. quia non debent fauores sentire, qui onera non sentiunt, & ita dicunt respōsum esse à sacra Congregatione Cardinalium, quam responsionem ego inuenio in manuscriptis his verbis: *Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt vti hac facultate concessa in hoc decreto.* Ex quibus verbis confirmari potest, quod notauit Sanchez *vbi suprà*, id non intelligi de locis, in quibus Concilium receptum est quoad alia, non tamen quoad aliquam legem, quia iam ibi Concilium receptum videtur. Idem iudicat, si Concilium ibi receptum fuit, sed postea consuetudo deobligauit ab eius legibus: potuit enim perseuerare quoad fauores iam introductos: & videtur probari posse ex verbis illis Congregationis, *in quibus Concilium adhuc receptum non est*, quæ non verificantur in casu nostro.

An competat hæc facultas vbi Concilium Trid. quoad alia morum decreta receptum non est.

55 Dubitatur tertiò dē Capitulo Sede vacante, an haberet hanc facultatem. Affirmant Sanchez *vbi suprà num.* 4. & Hurtado *dicta disputat.* 84. §. 40. quia Capitulum Sede vacante succedit in omnia munera spectantia ad iurisdictionem Episcopi, nisi specialiter aliquid ei prohibeatur: & licèt sit specialis difficultas in absolutione ab hæresi, quia hanc debet dare Episcopus per se, & non per Vicarium: hoc tamen ipsum potest præstare Capitulum, vel id toties quoties, & in casu speciali occurrente, committendo alicui pro illa vice, quod non videtur in Concilio prohibitum; vel certè decernendo absolutionem, per suffragia Capitularium, sicut potest decernere de rebus aliis.

An Capitulum sede vacante haberet hanc facultatem.

Meliùs tamen alij communiter id negant: nam licèt cætera, quæ in illo decreto Concilij conceduntur Episcopis, admittant posse à Capitulo fieri, non tamen absolutionem ab hæresi. Ita Suarez *tom.* 4. in 3. *part. disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 4. Pertus Ledesma, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castro Palao *dicta disp.* 4. *puncto* 3. §. 1. *num.* 3. Ratio autem esse potest primò, quia absolutio hæresis ita conceditur Episcopo, vt debeat eam per seipsum præstare, & non per Vicarium etiam specialiter designatum, vt constat ex

verbis Concilij, & postea videbimus. Capitulum autem non videtur posse per se absoluere ab hæresi, sed ad summum decernere absolutionem, eámque alteri committere: nam absolutio à censuris imitatur absolutionem sacramentalem, quâ etsi possint plures ministri conferre, non tamen ita singuli sint soli causæ partiales, & non operantes nisi dependenter ab aliis absoluentibus, sed singuli debent absoluere potestate totali ex se, & sufficienti vt dixi latè *disput.13. de pœnit. sect.7. num. 376. & seqq.* quod etiam videtur in vsu in omni absolutione à censura, quæ licèt imperetur à Collegio, vel commmunitate Ecclesiastica, semper tamen committitur alicui, qui immediatè absoluat, & ipsimet inquisitores, quando hæreticos reconciliant, non omnes ipsi immediatè absoluunt à censura, sed vnus ex illis ex omnium decreto id solemniter facit. Quia tamen aliquis contendere posset, non fore inualidam absolutionem datam à toto Capitulo, per modum Capituli, imò regulam generalem esse, vt qui potest excommunicare, possit etiam absoluere; quare si sede vacante Capitulum habet potestatem excommunicandi, debet etiam habere potestatem absoluendi: contra hoc posset instari, esto id verum sit loquendo de potestate ordinaria, & propria, quando tamen alicui committitur à superiore potestas per seipsum absoluendi, non solere vnquam committi absolutionem, nisi ab vna persona faciendam. Quidquid tamen de hoc toto sit probati potest faciliùs hæc sententia, quia in decreto Tridentini datur solùm facultas ad absoluendum in casu hæresi occulto, repugnat autem Capitulo dare eam facultatem, quia eo ipso, quod veniat ad notitiam Capituli, iam non erit casus occultus, sed publicus, atque adeo ex modo ipso, quo facultas hæc conceditur constat non dari Capitulo, sed Episcopo, qui secretò absoluat à crimine hæresis occulto per seipsum.

56 Dices hoc argumentum non procedere saltem in sententia dicente, posse Episcopum committere absolutionem hæresis occultæ alteri delegatione specialissima pro illa vice, & illa persona; quia iuxta eam sententiam dici posset, quod Capitulum etiam occurrente necessitate posset alicui pro illa vice committere absolutionem; quod fieri posset absque eo, quòd persona absoluenda veniret in notitiam Capitularium. Respondeo, nec admissa etiam illa sententia, id debere Capitulo concedi: nemo enim potest alteri committere absolutionem, quam per seipsum non posset præstare per se loquendo, quia illius solùm peccati absolutionem Episcopus committere potest, à quo ipsemet per seipsum posset absoluere: cùm ergo Capitulum nunquâ possit per seipsum absoluere ab hæresi occulta; quia eo ipso non esset occulta, consequens est, vt non videatur Capitulo concessa facultas ad absolutionem hæresis occultæ; atque adeo quòd nec possit illam delegare; nam delegatio supponit quod ea facultas primariò concedatur deleganti, & semel in se radicatam possit quasi secundario in alium transferre. Si ergo Capitulum in se est incapax talis facultatis, non potest illam delegare iuxta communem regulam, quòd nemo dat quod non habet.

57 Dubitatur quartò de Abbatibus, & aliis non Episcopis habentibus subditos in spiritualibus, sæculares exemptos ab Episcopis, & qui appellari solent nullius Diœcesis, an in dicto decreto intelligantur nomine Episcoporum. Affirmant plures, quos referunt, & sequuntur Sanchez *dicto cap.11. num.5.* & *lib.8. de matrimonio disp.2. num.12.* & Castro Palao *vbi supra num.4.* quia hi Abbates gaudent iurisdictione Episcopali in suos subditos, qui ea de causa exempti sunt ab Episcoporum cura; ergo gaudent hac facultate, quæ iurisdictioni, & dignitati Episcopali annexa est. Alij tamen meliùs id negant. Suarez *disp.30. de Pœnit. sect.2. num.6.* & *disp.41. de censuris sect.2. num.7.* Aragonius, & Petrus Ledesma, quos affert Sanchez *vbi suprà*, qui etiam dicit hanc sententiam esse satis probabilem. Quam etiam tenent Garcia, Cenedo, Barbosa, Toletus, Bonacina apud Castr. Palaum *vbi supra*; quibus accedit Hurtado *dicta disp.84.§.41.*

Probatur primò, quia ita respondit, & declarauit verba Tridentini, quoad totum illud decretum sacra Congregatio Cardinalium dicens: *in hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed Episcopi priuatiuè quoad alios.* Secundò probari potest (& hæc fortasse fuit ratio prædictæ declarationis faciendæ) quia licèt ij Abbates habeant quoad alia Iurisdictionem Episcopalem, in illo tamen decreto Tridentini limitatur hæc facultas ad proprios Episcopos habentes Diœcesim: dicitur enim exerceri solum posse circa subditos *in Diœcesi sua*: Abbates autem prædicti non habent propriam Diœcesim, quia Diœcesis est solius proprij, & veri Episcopi & ideo subditi illorum Abbatum dicuntur semper *nullius Diœcesis*. Ratio autem congruentiæ additur ab Hurtado ex Roderico, quia Episcopi ex officio sunt inquisitores contra hæreticos, non verò illi Abbates: quare non mirum, quod plus in hac parte illis concedatur, quàm istis.

Hinc infertur primò, si Episcopus habeat in Diœcesi alterius Episcopi Abbatiam exemptam non posse subditos illius Abbatiæ absoluere virtute illius decreti, quia respectu illorum non est formaliter Episcopus, sed materialiter, & per accidens: ita Hurtado vbi supra. Infertur secundò subditos horum Abbatum, ne sint deterioris conditionis, quàm alij fideles, posse recurrere pro absolutione in iis casibus ad Episcopum, in cuius Diœcesi continetur Abbatia: ita Suarez & Auila, quos affert, & sequitur hac in parte Sanchez *dicto cap.11.* & Hurtado *vbi suprà*.

Petes quomodo possit subditus Abbatis absolui ab Episcopo, cui non subditur in ordine ad sacramentum pœnitentiæ, sed suo Abbati, à quo debet absolui à peccatis aliis, vel à confessario, quem ipse approbauerit, & deputauerit. Respondeo, id posse dupliciter fieri, primò, habita licentia Abbatis, vt possit confiteri Episcopo, & ab eo absolui ab aliis peccatis: secundò & faciliùs si Episcopus absoluat eum extra sacramentum ab excommunicatione reseruata, qua ablata, auferetur etiam reseruatio peccati hæresis, atque adeo ab eo, & aliis peccatis poterit absolui per confessarium ab Abbate deputatum.

Hac occasione dubitari potest quintò, an Cardinales in suis titulis, in quibus videntur habere iurisdictionem quasi Episcopalem, possint vti facultatibus Episcopis concessis in prædicto decreto Tridentini. Affirmatiuam sententiam defendi posse dicit Monetа, *de commut. vlt. volunt. cap.*

cap.5. quæst.13. conclus.1.num.453. licèt contrarium ipse teneat: in eamdemque sententiam inclinare videtur Diana *part.5.tract.2. de potest. & priuileg. Cardinalium,resolut.59.* argumento desumpto ex Abbatibus supradictis, quibus ob potestatem quasi Episcopalem, quam habent, conceditur ab aliquibus ea facultas. Posset item hoc ipsum confirmari; quia Congregatio in sua declaratione videtur solùm loqui de Abbatibus, & aliis,qui sunt Episcopis inferiores, vt constat ex illis verbis, *non comprehenduntur inferiores*, &c. Cardinales autem non appellantur inferiores Episcopis, sed illis superiores, vt communiter dicunt Doctores, quos latè congerit id probans idem Diana loco citato resolutione prima.Consequenter tamen ad supradicta, negatiua pars amplectenda videtur,quia licèt verba Congregationis de Cardinalibus non loquantur:ratio autem, in qua diximus fundari illam declarationem, de Cardinalibus idem probat:cùm nec illi propriam habeant Diœcesim, sed titulum, seu Parochiam, atque adeo non verificetur de illis, quòd exercent eam potestatem circa subditos in sua Diœcesi. Imò in illis res videtur clarior,quia subditi illorum titulorum,non sunt nullius Diœcesis,sicut subditi Abbatis exempti,sed sunt propriè in Diœcesi Romana, & subduntur in spiritualibus immediatè Vicario Papæ, & eius Vicesgerenti, nec vllo modo pertinent ad Diœcesim Cardinalis titularis. Alioquin nullam, aut ferè nullam Diœcesim haberet Papa vt Episcopus Romanus, cùm præcipuæ Vrbis Ecclesiæ sint tituli diuersorum Cardinalium. Denique praxis hæc esse videtur nec enim vnquam audiui vllum Cardinalem hac potestate vsum in suo titulo. Loquor autem de Cardinalibus habentibus titulos suos in Vrbe Romana: nam Episcopus Ostiensis, & alij quinque Cardinales antiquiores,qui sunt Episcopi Cardinales, & habent suos titulos Episcopales in sex ciuitatibus Romæ proximis, non est dubium, quod possint in suis titulis,quod alij Episcopi possunt in sua Diœcesi, cùm habeant pro titulo Cardinalitio Episcopatum particularem, in quo habent propriam Diœcesim, & in qua habent potestatem plenam Episcopalem.

61 *An Archiepiscopus in tota sua Prouincia.*

Dubitatur sextò de Archiepiscopo, An non solùm in propria Diœcesi, sed etiam in tota sua Prouincia, & intra Diœceses Episcoporum inferiorum possit vti hac facultate.Conueniunt omnes, quod possit, quando visitat Diœcesim sui Suffraganei, nempe causa sufficienti existenti ad visitationem, & probata in Concilio Prouinciali, & postquam suam Diœcesim plenè visitauit ex Tridentino, *sess.24.cap.3.* Videatur Sanchez *dicto cap.11.num.6.* Suarze *dicta disp.30. de Pœnit.sect.2. num.8.* & *de censuris disput.41. sect.2. num.12.* Henriquez, Barbosa, Bonacina, Auila apud Castro Palaum vbi suprà,num.7. Fundatur autem hæc doctrina in cap. finali de censibus in 6. vbi dicitur: *Potest etiam idem Archiepiscopus dum visitat, subditorum suffraganeorum confessiones audire, & absoluere pœnitentes, & ibi pœnitentias iniungere.* Quare quoad hoc censetur pro illo tempore illa Diœcesis Archiepiscopi. Addit Sanchez *lib.4. in Decalog. capit.38. numer.16.* probabile esse,quod possit Archiepiscopus etiam extra tempus visitationis Episcopos suos Suffraganeos absoluere, quia sunt eius subditi in spiritualibus, licèt alij id negent,quod etiam videtur approbare Hurtado vbi supra,§.47. Sed id parum vtile videtur mihi ad praxim: nam si hæc facultas non sit reuocata per Bullam Cœnæ, ipsemet Episcopus potest suo confessario committere potestatem ad ipsum Episcopum absoluendum.Sic enim colligi videtur ex doctrina generali, quòd Episcopus potest circa seipsum, quod potest erga subditos, de quo dixi *disp.20. de pœnit.sect.5.num.57.& 65.* & clariùs ex declaratione sacræ Congregationis, quam affert Suarez *dict.disput.30. de Pœnit.sect.2.num.15.* his verbis: *An Episcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite, prolapso, liceat ad se absoluendum proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere: Congregatio censuit id Episcopo licere.* Quam declarationem inuenio etiam in meis declarationibus manuscriptis, vbi plus aliquid additum est in illo responso, nempe *Congregatio censuit licere, etiamsi Episcopus Romæ esset, & sic extra suam diœcesim.* Vnde non restat necessitas recurrendi ad suum Archiepiscopum, cùm ipse Episcopus posset facere se à suo Confessario absolui.

62 *An subditorum nomine intelligantur forenses, & qui domicilium in ea Diœcesi non habent, in qua reperiuntur.*

Dubitatur septimò, An subditorum nomine intelligantur forenses, & qui domicilium in ea Diœcesi non habent, in qua tunc reperiuntur. Respondeo de vagis,qui nullibi domicilium habent,certum censetur posse absolui,quia nullum alium habent Episcopum, nisi illum apud quem sunt. Idem dicendum de eo, qui duplex domicilium habet in duplici Diœcesi, in quorum quolibet æquè, vel ferè æqualiter habitat. Videatur Suarez *dict.disp.30. de Pœnit.sect.2.n.3.* & Sanchez *lib,2.in Decal.cap.11.n.8.*

De peregrinis, & aduenis, qui alibi domicilium habent, & ad breue tempus habitant in alieno Episcopatu,affirmant etiam Suarez,quem affert, & sequitur Sanchez *dicto cap.11.numer.8. 9.& 17.* Barbosa,Bonacina,& Garcia,quos affert, & sequitur Castro Palao *vbi suprà num.8.* atque etiam Hurtado dicta disp.84.§.48. Ratio autem est, quia hi omnes, quandiu ibi commorantur, subditi sunt illius Episcopi,quoad Sacramentum pœnitentiæ,& ad illa, quæ pœnitentiam concernunt:quare videtur satis tuta hæc sententia,si facultas illa non sit per Bullam Cœnæ reuocata. Præsertim cùm pro illa sententia inueniatur declaratio quædam Congregationis Cardinalium, his verbis: *Qui non sunt subditi Episcopi, puta Medicus, Prator, & similes exteri, qui tamen habitant in ciuitate, hoc decreto comprehenduntur, etsi commiserint crimina in aliis ciuitatibus: adhibita tamen hac distinctione, quod scilicet possent absolui in Sacramento Pœnitentiæ à suis criminibus, non tamen dispensari super his.* Quia nimirum aduenæ non sunt subditi quoad dispensationem, vt probat latè Sanchez cum aliis, *dicto cap.11.numer.9. & lib.3.de matrim.disput. 23.num.12. & 13.* Quamuis autem ibi exigatur quod habitent *in ciuitate*, id exempli gratia dictum est:nam idem esset, licèt habitent in oppido alio Diœcesis; saltem si ibi Episcopus etiam adesset,vel si ex oppido habitationis intra Diœcesim, veniant ad ciuitatem, in qua residet Episcopus,vt ab eo absoluantur. Notat verò Hurtado loco citato non posse absolui, si ex sua Diœcesi veniant ad aliam Diœcesim; vt ibi ab alieno Episcopo absoluantur:hoc enim esset in fraudem,& lex non fauet fraudulentis;vt si aliquis ex

Hiſpania tranſiret in Galliam, vt ibi abſoluere-tur ab hæreſi per Epiſcopum, cui Papa ob Prouinciæ neceſſitatem facultatem dediſſet hæreticos abſoluendi: & hac de cauſa *diſp.* 20. *de Pœnitent. ſect.* 5. *num.* 68. & 70. loquendo de abſolutione exterorum à reſeruatis, limitaui ſemper doctrinam illam ad eos, qui bona fide ad alium locum acceſſerunt, & non in fraudem, vt fugerent reſeruationem.

Idem dicunt communiter Doctores de Religioſis exemptis, qui nomine ſubditorum eo loco intelliguntur, & abſolui poſſunt ab Epiſcopo loci vbi habitant, ſi ipſi ex licentia ſui Prælati ſe illi ſubdant in foro pœnitentiæ: ita Sanchez *dicto cap.* 11. *n.* 10. vbi idem dicit de Monialibus exemptis, atque etiam de ſubiectis ipſi Epiſcopo. Suarez *dicta diſp.* 30. *de pœnitent. ſect.* 2. *n.* 3. Hurtado *dicto* §. 48. *in fine*, & alij communiter.

63 *An Epiſcopus extra ſacramentum Pœnitentiæ, poſſit vti ea facultate, & abſoluere ab excõmunicatione ob hæreſim occultam.*

Dubitatur octauò, an Epiſcopus extra ſacramentum Pœnitentiæ, poſſit vti ea facultate, & abſoluere ab excommunicatione ob hæreſim occultam, atque ita tollere reſeruationem peccati, vt poſtea Confeſſarius ordinarius poſſit ab eo abſoluere. Negant Barboſa, Aloyſius Riccius, & Garzia apud Caſtro Palaum *vbi ſupra num.* 10. & addit Garzia, ita reſponſum ſæpè fuiſſe à ſacra Congregatione. Ego duas declarationes Congregationis inuenio. Prima habet hæc verba: *Quærebatur, an Epiſcopus in cauſa huius capit.* 6. *habeat facultatem diſpenſandi cum ſuo Diœceſano abſente in aliena diœceſi legitimè impedito, commoranti? Congregatio cenſuit, quòd forenſis in caſu huius cap.* 6. *poteſt abſolui in ſacramento Pœnitentiæ ab illo Epiſcopo, in cuius Diœceſi, vel ciuitate commoratur: non autem ab alio diſpenſari. Facit ad hoc, quòd Nuncij, qui poſſunt abſoluere excommunicatos ob iniectionem manus in Clericos non poſſunt abſoluere ſubditos extra prouinciam. Accedit etiam, quod Concilium loquatur de abſolutione ſacramentali in foro conſcientiæ, quæ requirit præſentiam exemplo confeſſionis, quæ non poteſt fieri per nuntium, vel per litteras.* Altera declaratio eſt, quàm paulò ſupra retulimus, vbi cùm dictum eſſet, poſſe exteros abſolui ab Epiſcopo in cuius Diœceſi commorantur, additur: *adhibita tamen hac diſtinctione, quod ſcilicet poſſent abſolui in ſacramento Pœnitentiæ à ſuis criminibus, non tamen diſpenſari ſuper his.*

64 Contraria tamen ſententia communis eſt ferè omnium. Videantur Nauarrus, Emanuel. Roder. Suarez Petrus Ledeſma, quos affert, & ſequitur Sanchez *dicto cap.* 11. *num.* 13. Garcia, quem affert, & ſequitur Caſtro Palao *vbi ſup. n.* 10. Hurtado *vbi ſupra* §. 49. & alij. Et quidem ex verbis Tridentini non poteſt contrarium ſufficienter probari, & ex principiis generalibus deduci videtur, cum conſtet abſolutionem à cenſura poſſe ſeparari ab abſolutione à peccatis. Nec limitatio illa, *pro foro conſcientiæ*, cogit ad hoc, vt fiat in ſacramento: nam verba illa alium habent ſenſum, nempe ne profit abſolutio hæc pro foro externo, in quo quantumuis aliquis abſolutus ſit ab Epiſcopo pro foro conſcientiæ, habebitur tanquam non abſolutus, & punietur omnibus iuris pœnis.

65 Solùm ergo obſtare poſſunt declarationes ſacræ Congregationis ſupra relatæ. Ad has tamen dici poteſt, in iis agi non ſolùm de abſolutione à cenſura, ſed etiam ab ipſo peccato: ideo enim dictum eſt, poſſe *abſolui in ſacramento Pœnitentiæ à ſuis criminibus*, à quibus certum eſt Epiſcopum non poſſe abſoluere extra ſacramentum. An verò poſſit auferre reſeruationem peccati abſoluendo extra ſacramentum à cenſura, ita vt poſtea ab alio Confeſſario ordinario poſſit pœnitens in ſacramento abſolui à peccato, non fuit ibi quæſitum, nec deciſum.

Hic reſponſioni obiici poteſt ex verbis illius primæ declarationis. Primò, exemplo, quo vtitur, Nuncij non potentis ſubditos abſoluere extra prouinciam à cenſura Canonis: loquuntur ergo Cardinales de abſolutione à cenſura. Secundò, quia vtuntur exemplo cõfeſſionis, quæ debet fieri in præſentia, non ergo loquuntur de ſola abſolutione ſacramentali; nam ad hanc non eſſet aptum exemplum confeſſionis: eſſet enim adducere exemplum eiuſdem ſacramenti Pœnitentiæ, in quo requiritur præſentia ad probandum non poſſe conferri illud ſacramentum in abſentia, quod non eſſet exemplum, ſed res ipſa. Reſponderi tamen poteſt ad primum illud exemplum Nuntij, afferri ad probandum non poſſe Epiſcopum abſoluere ſubditum diſtantem, & exiſtentem extra diœceſim in illis caſibus: Nam ſicut Nuncius, quia accipit poteſtatem reſtrictam, vt exercere eam poſſit intra prouinciam, non poteſt abſoluere à cenſura eum, qui eſt extra prouinciam: ita Epiſcopus, cui datur facultas à Tridentino ad abſoluendum, quam exercere poſſit *in ſua diœceſi*: non poteſt ſubditum extra diœceſim abſoluere. Quare vel nihil dictum eſt de diſpenſatione cum ſubdito extra diœceſim exiſtenti, ſed ſolùm de abſolutione: atque ita fatendum erit voluiſſe in ea reſponſione declinare quæſtionem controuerſam, an poſſet Epiſcopus diſpenſare cum ſubdito commorante extra diœceſim, de quo erant Doctorum variæ ſententiæ, vt mox videbimus, & ſolùm dixerunt, quæ magis extra controuerſiam videbantur: nimirum ſubditum illum non poſſe tunc abſolui à ſuo Epiſcopo, ſed ab eo, apud quem commoratur, à quo in ſacramento poteſt à criminibus his abſolui, non tamen diſpenſari. An verò poſſet à ſuo Epiſcopo abſente diſpenſari, nihil dixerunt; quare verba illa: *non autem ab alio diſpenſari*: intelligenda erunt, *ab alio, quàm à proprio Epiſcopo*, licèt poſſit ab alio, apud quem peregrinatur abſolui: provt dictum fuit in ſecunda deciſione ſuprà allata. Vel certè ſi verba illa, *non autem ab alio diſpenſari*, ſignificent non poſſe à proprio Epiſcopo tunc diſpenſari, ſed ſolùm poſſe abſolui ab eo, apud quem commoratur, fatendum erit Cardinales reſpondiſſe iuxta opinionem eorum, qui, vt vidimus, dixerunt, Epiſcopo non fuiſſe datam facultatem à Concilio, non ſolùm abſoluendi, ſed nec etiam diſpenſandi, niſi intra diœceſim, quæ opinio an ſit certa poſtea videbimus.

66 Ad ſecundum reſponderi poteſt, exemplum confeſſionis, quæ fieri debet in præſentia affert ad probandum abſolutionem ab iis criminibus debere etiam dari in præſentiæ: facultas enim data ibi Epiſcopo ad abſoluẽdum ab iis peccatis, eſt ſolùm ad abſoluendum ſacramentaliter vt diximus, cum peccata non poſſint extra ſacramentum abſolui: vnde inferunt non poſſe fieri in abſentia: quod probant non quidem ex eo, quod ſacramentum Pœnitentiæ non poſſit miniſtrari abſenti (hoc enim eſſet idem per idem probare, & afferre rem ipſam in exemplum) ſed ex eo

quòd

quòd confessio non possit fieri in absentia per nuncium, vel per litteras: nam sicut confessio, quæ est vna pars huius sacramenti exigit præsentiam, ita absolutio, quæ est altera pars, exiget eandem præsentiam. Affertur ergo confessio in exemplum ad absolutionem, atque adeo exemplum non est idem, sed aliquid condistinctum ab eo, ad quod affertur. Qui sensus constat clarè ex ipsis verbis suprà relatis. *Accedit etiam* (inquiùt) *quod Concilium loquatur de absolutione sacramentali in foro conscientiæ, quæ requirit præsentiam exemplo confessionis, quæ non potest fieri per nuncium, vel per litteras.*

67 *An possit Episcopus hac facultate vti etiam in absentia.*

Dubitatur nonò, an possit Episcopus hac facultate vti, non solùm extra sacramentum, sed etiam in absentia, non quidem absoluendo à peccatis, sed à sola censura subditum absentem, qui tamen saltem sit intra diœcesim. Negant ij, qui negant facultatem hanc posse exerceri extra sacramentum Pœnitentiæ. Alij tamen omnes, qui dicunt posse extra sacramentum dari absolutionem ab hac censura consequenter, & meritò admittunt posse conferri absenti, quia absolutio à censura ex genere suo absenti dari potest: & hæc facultas non limitatur Episcopo, quoad hanc censuram: ita Suarez, Manuel, Petrus Ledesma, & Henriquez, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto cap.* 11. *num.* 14. Hurtado *vbi supra numer.* 49. & alij.

68 *An si episcopus sit in diœcesi, & subditus extra illam, vel è contra, possit Episcopus subditum à censura hac absoluere. Et quid si vterque extra diœcesim esset. Prima sententia.*

Dubitatur tamen decimò & magis, an si Episcopus sit in Diœcesi, & subditus extra illam, vel è contra, possit Episcopus subditum à censura hac absoluere, stante illo Tridentini decreto & idem dubitatur, quando vterque extra diœcesim esset. Variæ sunt doctorum sententiæ. Prima esse potest, requiri Episcopum, & subditum esse vtrumque intra propriam diœcesim: quam videntur supponere ij, qui volunt, non posse Episcopum vti hac facultate, nisi in sacramento Pœnitentiæ: si enim aliunde requiritur, quòd Episcopus, vel subditus sit intra diœcesim, vt significare videtur Tridentinum: consequens est, vt vterque debeat esse intra diœcesim, cùm vterque debeat esse in eodem loco ad valorem sacramenti pœnitentiæ. Ratio autem esse potest quia licèt actus iurisdictionis voluntariæ, qualis est hæc absolutio, possint exerceri ab Episcopo etiam existenti extra diœcesim, & erga subditos extra illam existentes, vt cum aliis probat latè Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 19. *numer.* 8. hanc tamen facultatem limitauit Tridentinum dicens *liceat Episcopis, &c. quoscumque sibi subditos in diœcesi sua absoluere:* cum autem verba illa *in diœcesi sua* non magis possint intelligi de subdito, quam de ipso Episcopo, de vtraque intelligenda videntur. Hæc tamen sententia communiter reiicitur, vt notant Sanchez *dicto c.* 11. *num.* 15. Suarez *disp.* 41. *de Censuris sect.* 2. *n.* 11. *in fine*, Hurtado *vbi supra* §. 49. & alij. Quia legum correctio vitanda est quantùm fieri possit quare cùm verba illa alium sensum habere possint, non debet imponi noua limitatio adeo exorbitans, vt vterque debeat intra diœcesim existere.

69 *Secunda sententia.*

Secunda ergo sententia ex aduerso docet, neutrius, præsentiam intra diœcesim exigi: ita Sanchez *vbi supra num.* 17. & indicat Petrus Ledesma apud ipsum, & clarè sequitur Hurtado *dicto* §. 49. verba autem illa, *in sua diœcesi*, non omnes eodem modo explicant. Nam Ledesma dicit, sensum esse, *ergà subditos suæ diœcesis.* Hæc tamen explicatio videtur aliunde limitare facultatem illam, ita vt non posset Episcopus absoluere subditum alienæ diœcesis apud se commorantem, quod esset contra id quod sacra Congregatio, vt vidimus, sæpius respondit.

Alij ergo dicunt, verba illa non esse restrictiua, sed explicare verba præcedentia, ita vt sensus sit, posse Episcopum absoluere subditos omnes suos, siue subditi sint ratione domicilij (& hos potest absoluere vbicumque sint) siue subditi sint solùm quia tunc in diœcesi commorantur, quales sunt peregrini: hos autem non potest absoluere nisi quandiu ibi sunt. Potest ergo absoluere subditos in diœcesi omnes, hoc est, vel qui ratione domicilij pertinent ad eius diœcesim, atque adeo licèt physicè sint extra illam, sunt tamen in illa moraliter: vel eos, qui licèt sint alieni, sunt tamen physicè in illa diœcesi, & ideo subduntur illi quoad forum pœnitentiale: ita explicant Sanchez, & Hurtado *locis citatis.*

70 *Tertia sententia.*

Tertia sententia docet requiri, quod Episcopus sit in sua diœcesi, & hoc sufficere, vt possit absoluere subditum existentem extra illam: ita Castro Palao *dicta disp.* 4. *punct.* 3. §. 1. *num.* 12. quia in iis decretis nulla clausula, imò nulla syllaba debet esse superflua, vt probat ipsemet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 6. superfluerent autem illa verba, *in sua diœcesi*, si non afferrent aliquam restrictionem: nam concessa semel facultate absoluendi omnes subditos, iam posset Episcopus absoluere habentes domicilium ibi, atque etiam aduenas, & peregrinos ibi commorantes, qui omnes nomine subditorum intelliguntur in ordine ad forum pœnitentiale: nihil ergo operarentur verba sequentia. Porrò verba illa magis debere intelligi de Episcopo, quàm de subdito præsente intra diœcesim, probat argumentis infra adducendis contra nostram sententiam.

71

Cæterùm Hurtado *vbi suprà* præoccupasse videtur, & occurrisse huic difficultati, significans verba illa non esse superflua, sed necessaria ad explicanda, & limitanda verba priora. Facultas enim absolui *quoscumque subditos* potuisset ab aliquo nimis latè intelligi, ita vt si Episcopus haberet aliquos subditos in temporalibus, qui non pertinerent ad eius Diœcesim, posset illos etiam absoluere. Item si haberet subditos in Abbatia aliqua, qui non subderentur ei, vt Episcopo, sed vt Abbati, eos etiam absoluere posset, quia sunt eius subditi. Ad hoc ergo, & similes subditos excludendos addita sunt verba, *in sua Diœcesi*, quibus limitatur facultas ad eos tantùm subditos, qui pertinent ad eum, vt Episcopum; nam Episcopus solus, vt Episcopus habet propriè Diœcesim: hi autem sunt solùm, qui vel ibi commorantur, vel ibi habent domicilium, licèt actu alibi peregrinentur.

72

Hæc tamen euasio, vt verum fatear, excogitata videtur ad effugiendam quouis modo difficultatem: non tamen iuxta mentem Concilij: nam facultas concessa Episcopis absoluendi subditos ex se significat satis apertè sensum formalem, nempe de subditis Episcopo, vt Episcopo. Alioquin cùm verba illa, *in sua Diœcesi*, non sint addita in facultate paulò ante in eodem decreto concessa Episcopis ad dispensandum in irregularitatibus, & suspensionibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, sequeretur posse Episcopum dispensare cum subditis suis tempo-

ralibus, non pertinentibus ad eius Diœcesim, quod nemo concedet: imò nec potest cum iis, qui ei, non vt Episcopo, sed vt Abbati subduntur, quia facultas Episcopo, vt Episcopo concessa semper intelligitur in ordine ad subditos, qui ei, vt Episcopo subduntur, etiamsi alia explicatio non addatur, quæ si addenda erat, cur non fuit etiam in priori concessione addita?

73 *Quarta sententia magis probabilis.*

Quarta tamen sententia, quam magis probo, docet verba illa limitare concessionem, vt non possit Episcopus absoluere subditos, quandiu extra suam Diœcesim commorantur. Ita Suarez *dicta disp. 41. de censuris*, & idem indicauerat *disp. 30. de Pœnit. sect. 2. num. 3. in fine*, qui eam dicit fuisse rationem Concilij ad hanc limitationem addendam, vt seruaretur vnio, & concordia inter Episcopos, non solùm in ordine ad subditos, sed etiam in ordine ad territoria. Quam rationem Auctores aliarum sententiarum impugnant: quia id potiùs suadebat limitandam esse facultatem, ne ipse Episcopus in aliena Diœcesi existens exerceret eum actum in subditos, quàm ne existens in propria Diœcesi absolueret subditum existentem extra illam. Ad hoc tamen responderi potest, licèt quoad actus Pontificales, qui concernunt potestatem ordinis propter auctoritatem quandam, & maiestatem, quam præ se ferunt, attendatur, ne Episcopus in alterius Diœcesi eos exerceat sine eius consensu; quoad hos tamen actus iurisdictionis voluntariæ, qui non habent eiusmodi solemnitatem, & pompam externam, parum curare Episcopum, quòd alius Episcopus in eius Diœcesi, sine eius licentia eos faciat circa proprios subditos alibi existentes, circa quos ipse Episcopus, in cuius Diœcesi ille alius Episcopus commoratur, nihil potest exercere, eo quod non sint eius subditi: Multum tamen curare, ne circa subditos, qui ad eum iam pertinent, dum ibi commorantur, alius Episcopus, siue præsens, siue absens, illos actus exerceat. Cùm enim hi eo tempore deberent ad ipsum Episcopum recurrere, in cuius Diœcesi sūt, multùm ei præiudicatur, si possint ad proprium Episcopum recurrere ipso relicto, eòque inuito se ostendere absolutos, qui antea excommunicati erant. Vt igitur hæc occasio querelæ Episcopis tolleretur, & debita seruaretur pax, prudenter cum ea limitatione facultas absoluendi concessa fuit, ne subditi extra Diœcesim commorantes à proprio Episcopo absoluerentur, sed ab illo apud quem actu sunt.

74

Ego potissimùm ad hanc sententiam amplectendam moueor, quia videtur esse iuxta sensum sacræ Congregationis, si considerentur eius verba in responsione illa supra relata; loquendo enim de subdito, qui extra propriam Diœcesim commoratur, de quo quærebatur quid circa ipsum posset Episcopus proprius absens ex vi illius Tridentini Decreti, dicunt, *posse ipsum absolui in sacramento pœnitentiæ ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi, vel ciuitate commoratur.* Quamuis autem non dixerint expressè, non posse absolui à proprio Episcopo, hunc tamen fuisse Cardinalium sensum, significant satis verba immediatè subsequentia, quibus redditur hæc ratio: quia *Nuntij, qui possunt absoluere excommunicatos, ob iniectionem manus in clericos, non possunt absoluere subditos extra Prouinciam.* Quod exemplum probat etiam de absolutione à censura, quasi diceret, vt suprà notabam, sicut Nuncius, quia accipit potestatem limitatam ad exercendam illam intra Prouinciam, non potest absoluere à censura subditum extra illam existentem; ita nec Episcopus, cui data est facultas absoluendi subditos *in sua Diœcesi*, poterit vi huius facultatis absoluere eos extra illam vagantes. Vnde constat, verba illa, *in sua Diœcesi*, intellecta fuisse à Congregatione, vt limitantia facultatem, ne exerceretur cum subdito extra Diœcesim cōmorante. Ex eodem autem Legati exemplo probari potest, Episcopum extra Diœcesim commorantem posse absoluere subditum suum intra suam Diœcesim existentem, quia Legatus Pontificis, licèt iurisdictionem limitatam ad suam Prouinciam accipiat, & licèt extra illam non possit iurisdictionem contentiosam exercere, potest tamen exercere voluntariam, etiamsi extra suam Prouinciam adhuc sit, vt notant cum aliis Azor *tom. 2. lib. 5. cap. 27. quæst. 6.*

Obiiciunt Sanchez, & alij, quia si contextum Concilij attentè inspiciamus, verba illa, *in sua diœcesi*, potiùs videntur referri ad Episcopum, vt ipse debeat esse in sua diœcesi, quàm ad subditum absoluendum. Dicitur enim: *liceat Episcopo, &c. quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua absoluere:* vbi ponderat Sanchez post particulam, *subditos*, esse virgulam diuidentem à verbis illis, *in diœcesi sua*, quasi hæc verba non coniungenda sint cum subditis. Respondetur, in primis in variis editionibus antiquioribus, quas ego vidi, Colonienſi, Antuerpiensi, Lugdunensi, non inueniri virgulam post vocem, *subditos*, quòd si in aliqua editione addita sit, id sine mysterio factum est, maioris claritatis gratia. Quod fateri debet ipse Sanchez, qui *eodem n. 17.* dicit, sensum illorum verborum legitimum esse, *subditos in diœcesi sua*, id est, *quoscunque sibi subditos, & quomodocunque subdantur:* iuxta quem sensum verba illa *in diœcesi sua*, referri debent ad subditos, atque ideo legi debent sine virgula, & interruptione. Vnde ipse Hurtado, qui sententiam Sācij sequitur, non solùm vsus non fuit illo argumento virgulæ interpositæ, sed potiùs ea verba sine virgula scripsit dicto §. 49. ibi: est ergo hic sensus: *Episcopus potest absoluere sibi subditos in sua diœcesi, id est, in quos ratione diœcesis ius habet sacramenti.* Non est ergo ex illa virgula fundamentum ad separandam diœcesim à subditis. 75 *Obiectio.*

Arguunt rursus ex iisdem verbis, quia dum Concilium dicit *in diœcesi sua*, non potest loqui de subditis, sed de episcopo, nam subditi non habent diœcesim, sed solus Episcopus. Respondeo verum esse, *li, sua*, referri ad Episcopos, non ad subditos, sensumque esse, Episcopos posse subditos in diœcesi sua, hoc est ipsorum Episcoporum absoluere. Hinc tamen non fit, non agi de subditis præsentibus in diœcesi: sicut si dictum fuisset, *liceat Episcopis absoluere subditos existentes in diœcesi ipsorum Episcoporum*; quamuis explicaretur diœcesis Episcopi, & non subditi, præsentia tamen in diœcesi referretur ad subditos, & non ad Episcopos. Idem autem est sensus verborum illorum, *in diœcesi sua*, ita vt, *sua*, referatur ad Episcopum, cuius est diœcesis; præsentia tamen significata per illud, *in*, referatur ad subditos, quia in ea diœcesi esse debent. 76 77

Maius dubium esse posset, an ad dispensationem in irregularitatibus, & suspensionibus occultis, quæ in eodem decreto fieri conceduntur ab Epi-

Episcopis, requiratur etiam præsentia subditi intra diœcesim proprij Episcopi, à quo dispensatur. Id enim aliqui affirmant, Henriquez, Auila, & Manuel apud Sanchez. *dicto cap.* 11. *num.* 12. & videtur illis fauere responsio Cardinalium suprà relata. Alij tamen id negant Suarez *disp.* 41. *de censuris, sect.* 2. *num.* 10. & 12. & Sanchez *dicto num.* 12. Quia verba illa *in diœcesi sua*, non sunt apposita in priori parte illius decreti, in qua conceditur facultas ad dispensandum, sed solùm in posteriori, vbi datur facultas ad absoluendum. Hoc tamen dubium non pertinet ad quæstionem præsentem, quæ solùm est de facultate ad absoluendum.

78 *An Episcopus possit hanc facultatem alteri committere.*

Dubitatur vndecimò, an Episcopus possit facultatem ad absoluendum ab hæresi alicui committere. Difficultas oritur ex verbis Concilij, in quo, licèt ad absoluendum ab aliis casibus occultis data sit facultas Episcopo, vel Vicario ad id ab eo specialiter deputando, de hæresi tamen subditur: *idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm* (scilicet Episcopis) *non eorum Vicariis sit permissum.* Adhuc tamen multi, & graues doctores putant, licèt Episcopus non possit deputare Vicarium ad absoluendum ab omnibus casibus reseruatis occultis, comprehensa etiam hæresi, imò nec specialiter ad omnes casus hæresis occultæ, posse tamen occurrente casu alicuius hæretici occulti, committere alicui specialiter absoluendi facultatem pro illo casu: ita Nauarrus, Corduba, Henriquez, Azor, Eman. Sa, Vega, Manuel. Roder. quos affert, & sequitur Sanchez *dicto cap.* 11. *num.* 23. Hurtado *dicta disp.* 84. §. 37. & alij. Quia de iure communi potestas ordinaria, qualis est hæc, cùm data sit, non personæ, sed dignitati Episcopali, cui perpetuò annectitur, delegari potest. Correctio autem iuris communis vitanda est, & strictè interpretanda. Potest verò explicari limitatio à Concilio posita dicendo, negari Episcopo facultatem deputandi vicarium generalem ad omnes casus comprehensa hæresi: vel etiam specialem ad omnes casus hæresis, non tamen committendi alicui facultatem pro casu particulari occurrente, cuius iam ipse Episcopus notitiam habet: qui certè vel non esset simpliciter vicarius, vel esset vicarius specialissimus, qui non censetur prohibitus, cùm Episcopus per seipsum in ampla diœcesi non posset omnes audire, nec adire, si v. g. longè distet, nec possit ad Episcopum venire sine scandalo, vt si sit fœmina nobilis, nec Episcopum accersere, si v. g. sit monialis in clausura degens; quare non esset sufficienter necessitati prouisum, si Episcopus tunc non posset alium loco sui deputare ad absoluendum. Et ideo sententiam hanc probabilem esse fatetur Castro Palao *vbi supra numero* 20.

79

Secunda tamen sententia verior negat hanc deputationem fieri posse, quam tenent Gutierez, & Petrus Ledesma, quos affert Sanchez *vbi supra num.* 22. P. Molina, Simancas, Garzia, & Lorca, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp.* 21. *sect.* 4. *numer.* 8. qui idem docuerat *disp.* 30. *de Pœnit. sect.* 2. *numer.* 9. & 15. Castro Palao *dicto num.* 20. & alij. Et videtur clarè colligi ex verbis Tridentini, quæ per voces satis vniuersales omnem Vicarij deputationem negant. Primò quia cùm Vicarium solum specialem pro aliis casibus permisissent, postea ad casum hæresis omnem Vicarium excludendo, id videtur necessariò intelligi de omni Vicario, qui pro aliis casibus permissus erat: qui autem pro aliis casibus permittebatur, deputari poterat vel ad omnes casus venturos, vel etiam adueniente casu, pro illo in particulari: vtrumque ergo Vicarium ibi concessum negant verba sequentia in casu hæresis dicendo, *non eorum Vicariis.* Secundò clariùs ex illa particula, *eis tantùm*, nam dictio, *tantùm*, est exclusiua vniuersalis omnium aliorum. Ideòque in summulis propositio exclusiua, *Petrus tantùm, seu solus currit*, explicatur, & resoluitur per has, *Petrus currit, & nullus alius à Petro currit.* Propositio ergo illa; *Episcopus solus possit absoluere* resolui deber per has. *Episcopus solus & nullus alius præter ipsum possit.* Qui autem *nullum* posse dicit, omnes prorsus absque vlla exceptione excludit. Quod magis ex argumentorum solutione constabit.

80

Ad quæ dicimus in primis hanc non esse propriè correctionem iuris communis, & eius restrictionem, sed potius concessionem nouam factam Episcopis contra ius, quo absolutio hæresis reseruata erat soli Summo Pontifici: quare retorqueri potest argumentum, quia correctio iuris antiqui vitanda, & restringenda est. Si ergo iure antiquo Episcopus, vel alius vllus non poterat ab hæresi absoluere, non est ab hoc iure antiquo recedendum, nisi quantum necesse fuerit ad verificandum ius nouum, atque adeo concessio nona, quæ non corrigit ius antiquum limitando, sed potiùs extendendo Episcoporum potestatem, explicanda est in proprio verborum sensu, vt sonat. Secundò retorqueri potest argumentum, quia si verba illa, *eis tantùm, & non eorum vicariis*, intelligi possunt, vt non excludant Vicarios omnes etiam specialissimos, sed solùm generales, vel speciales, quia hoc sufficit ad ponendam differentiam inter alios casus reseruatos, in quibus Vicarij speciales deputari possunt, & inter hæresim ad quam non potest deputari Vicarius etiam specialis, sed solùm specialissimus: eodem modo posset aliquis dicere, posse Episcopum deputare Vicarium ad omnes casus hæresis occultos, quia adhuc tunc esset differentia inter hæresim, & alios casus: quia in ordine ad alios potest Episcopus deputare Vicarium specialem, cum facultate generali ad omnes casus reseruatos occultos: at in ordine ad hæresim, non sufficeret ea deputatio, sed requireretur Vicarius specialior deputatus ad hæreses occultas, qui Vicarius esset specialior, quàm ille alius deputatus ad omnes casus. Vnde dicere posset non prohiberi Vicarium deputatum ad omnes hæreses, sed Vicarium, qualis deputari potest ad alios casus: quod tamen Auctores primæ sententiæ non concedunt. Ergo fatendum est omnem Vicarium etiam specialissimum prohiberi: alioquin, cur minus prohibetur specialissimus, quàm specialior, cuius permissio stare posset cum maiori restrictione circa hæresim, quàm circa alios casus.

81

Ad illud verò, quod dicebatur, Episcopum non posse per seipsum sine graui inconuenienti omnes subditos audire, & absoluere. Respondetur idem inconueniens sequi in sententia contraria. Si enim Episcopus non potest committere suas vices alteri ad casus omnes hæresis, sed debet toties, quoties, occurrente casu, eas pro illa vice committere; debet ergo toties quoties notitiam habere

habere de casu in particulari,& de impedimento personæ,ne ad ipsum veniat:quod etiam difficile est, cùm subditus in Diœcesi ampla possit nimium distare,& confessarius etiam, cui danda esset facultas: in iis ergo, & aliis similibus casibus, sicut Episcopus posset in sententia contraria facultatem pro illa vice dare alicui, ita æquè facilè poterit subditum intra Diœcesim existentem absoluere; quia vt suprà diximus, absolutio à censura potest absenti conferri, & ablata censura aufertur reseruatio huius peccati,à quo poterit postea Confessarius ordinarius absoluere. Potest autem Episcopus id facere imposita pœnitentia salutari subdito,& adhibito remedio necessario, ideo namque eligitur Episcopi industria in hoc casu, vt per seipsum morbo adeo periculoso medicinam adhibeat opportunam. Vnde rursus confirmari potest nostra sententia, quia quando eligitur industria personæ ad aliquod munus, non potest id alteri delegare; in prædicto autem decreto eligitur industria Episcopi ad absoluendum ab hæresi, qui ideo designatur vt per seipsum tantum absoluat: non potest ergo id alteri committere.

82 *Quid intelligatur per crimen occultum.*

Dubitari solet vltimò, quid intelligatur per crimen occultum pro quo solo data fuit ea facultas. Sed hæc quæstio generalis est ad omnes dispensationes, & absolutiones, quæ dari solent in casibus occultis, de qua videri possunt Sanchez *dicto c.* 11. *num.* 19. *& sequentibus*, & *l.* 8. *de matrim. disp.* 34. *num.* 55. *&* 56. Azor. 1. *tom. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 9. Suarez *dicta disp.* 30. *de pœnitent. sect.* 2. & *disp.* 41. *de Censuris, sect.* 2. Molina *tract.* 3. *de Iustit. disp.* 79. *num.* 8. Auila *de censuris part.* 2. *c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 12. *concl.* 2. *& p.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. & alij. Videantur etiam responsa aliqua sacræ Congregationis supra dictum decretum Tridentini, quæ, *occulta*, in hoc casu satis strictè accipere videntur.

§. II.

De facultate Inquisitorum ad absoluendum ab hæresi.

83 NOn est dubium de potestate Inquisitorum ad absoluendos hæreticos pœnitentes iudicialiter pro foro externo, atq; adeo simul pro interno: hoc enim faciunt, quando eos præmissa abiuratione reconciliant Ecclesiæ, & imponunt eis pœnitentiam. Sed difficultas est, an extraiudicialiter possint pro solo foro conscientiæ eos absoluere, quando ad ipsos non pro tribunali, sed secreto, & in priuato per se, vel per alios recurrunt pro absolutione obtinenda.

Prima sententia.

Prima sententia affirmat, quam aliqui tenent loquendo saltem de Inquisitoribus Hispaniæ: alij vniuersaliter loquuntur. Plures pro hac sententia afferuntur apud Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 12. *num.* 1. nempe Campegius, Rodericus, Toletus, Gutierez, Paramo, Bannes, Henriquez, Graffius, Simancas, & alij, quibus adduntur Nauarrus, Viualdus, & alij apud Castro Palaum 1. *tom. dicto tract.* 4. *disp.* 4. §. 2. *numer.* 2. Item afferuntur Homobonus, Puteanus, Villalobos, Freitas, Bonacina, & alij, quos affert, & sequitur Diana 1. *part. tract. de absolut. ab hæresi, resolut.* 3. & 4. *part. tract.* 8. *de officio, & potest. Inquisit. resol.* 35. & eam probabilem fatetur Sanchez *vbi supra num.* 2.

Secunda sententia negat solidè hanc Inquisitorum potestatem fundari, ita Sanchez *vbi suprà, num.* 3. Suarez *in præsenti disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 15. Garcia, Farinacius, & Barbosa, quos affert, & sequitur Castro Palao *vbi supra. num.* 3. Alij plures afferuntur à Diana locis proximè citatis, nempe Sanctarellus, Zecchius, Nouarius, Ricciullus, Ioan. Valerus, Riccius, Alfonsus de Leone, & alij. Quia nec ex Bulla aliqua ea concessio constat, nec eriam ex munere sequitur; nam totum hoc munus pertinet ad forum iudiciale, ad quod nullo modo requiritur, nec desseruit potestas absoluendi pro solo foro conscientiæ,& interno, quæ absolutio ad forum iudiciale impertinenter se habet. 84 *Secunda sententia.*

Afferri solet Bulla quædam Clementis VII. relata à Penna in direct. inquisit. inter Bullas illius Pontificis,& data fuit anno 1530. & incipit, *Cùm sicut*, in qua habentur hæc verba; *Vobis etiam, ac Vicariis præfatis extraindicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per ordinarium, siue alios iudices, aut alios quoscumque hæreticos, &c. si ad cor reuersi pœnitentes id humiliter petierint, postquam hæresim, qua polluti, & infecti erant, abiurauerint, & medio iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi hæresi penitus abstinere, absoluendi, illisque pro præmissis pœnitentiam iniungendi salutarem, eósque ad gremium sanctæ Ecclesiæ restituendi, & reducendi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium litterarum, licentiam, & facultatem concedimus.* In quibus verbis conceditur Inquisitoribus, & eorum Vicariis, nempe Commissariis, facultas extraiudicialiter absoluendi hæreticos occultos, quæ non potest esse alia, nisi pro foro conscientiæ, nam pro foro externo publicos etiam hæreticos poterant Inquisitores ex officio absoluere.

Hæc tamen Bullæ prohibitio multipliciter ab Auctoribus secundæ sententiæ refellitur: Primò quia Bulla illa non ad omnes inquisitores, sed ad aliquos solos ex ordine Prædicatorum in Prouincia Lombardiæ, & quidem non ad successores, sed quo ad eorum personas dirigitur. Secundò quia absoluere *extraindicialiter*, non significat ibi absolutionem pro solo foro conscientiæ, nec sine aliqua iudicij forma, & præsentia Notarij, sed solùm sine solemnitate, & publicitate judicij, cum secreta abiuratione, & pœnitentia, prout sæpe declaratum esse à Congregatione supremæ inquisitionis Romanæ testatur Barbosa *de potestate Episcopi.* 2. *part. allegat.* 40. *numero* 27. Tertiò, quia nimium probaret Bulla illa, nempe non solos inquisitores, sed etiam Commissarios posse ab hæresi absoluere, quod tamen nemo de facto concedit, nec expedit, cùm Commissarij illi in singulis oppidis sint, & homines sæpe non ita docti, & apti ad talem potestatem. Vnde Hurtado, qui eam potestatem inquisitoribus concedit *dicta disp.* 84. §. 53. fatetur id non posse ex illa Bulla Clementis VII. colligi, quia probaret vltra id quod intenditur. 85

Ipse verò recurrit tanquam ad vnicum fundamentum ab vsum; quia ipse vidit inquisitorem supremum in Hispania semel ea facultate vsum fuisse; Hoc tamen fundamentum debilius est: tum quia potuit inquisitor ille in praxi amplecti opinionem probabilem tot, & tantorum doctorum, qui eam facultatem in inquisitoribus agnoscunt: tum etiam quia reprobari potest

potest cùm passim inquisitores ipsi rogati de absolutione hæretici occulti, nolint eam dare, nisi pœnitens coram ipsis, & notario compareat, & extra sacramentaliter hæresim suam fateatur: quem vsum agnoscit, & tueri conatur ipse Hurtado §.74.& sequentibus, & idem testantur Bannes,& alij,quos refert,& eis assentitur Castro Palao *vbi sup. n.3.in fine.*

87 Ego in hanc secundam sententiam multò magis propendeo, quia in re dubia, & in facultate, cuius solidum fundamentum non inuenitur, magis credo sacræ Congregationi Cardinalium, qui expresse responderunt, inquisitores eam facultatem non habere, his verbis: *Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam non possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licèt hæc facultas à Concilio sit ipsis tradita.* Quæ responsio inter impressas, & manu scriptas eadem reperitur. Quidquid ergo sit de bulla illa Clementis VII. vel de qualibet alia, quæ non inuenitur, in qua hæc facultas inquisitoribus data sit; Congregatio censuit per bullam Cœnæ eas omnes facultates reuocari. Et quidem maior difficultas esse posset de Episcopis, quibus in decreto Concilij Tridentini, non sine diligenti examine, & consideratione ea facultas data fuerit; Si ergo horum etiam facultatem Congregatio censuit Bulla cœnæ reuocatam esse, quantò magis de facultate dubia inquisitorum, cuius concessio solida non apparet, dicendum erit reuocatam omnino esse eadem Bulla cœnæ, si quæ vnquam talis facultas extitit.

88 Hinc faciliùs responderi potest ad alia dubia, quæ circa hanc Inquisitorum facultatem occurrere solent. Primò dubitatur, an singuli inquisitores seorsim possint hæreticum occultum absoluere pro foro conscientiæ, an verò debeant omnes simul assensum præstare. Sanchez *dicto cap.*10.*numer.*4. dicit singulos seorsim posse, cui fauere videntur Gutierez, Graffius, & Viualdus ad eo relati.Primò,quia indirecta Bulla Clementis VII.conceditur ea facultas Vicarijs etiam,seu Commissarijs; Commissarius autem est vnus, & sine tribunali; ergo à fortiori vnus Inquisitor poterit sine tribunali, ne sit detetioris conditionis,quàm Commissarius. Ad hoc tamen respondet Hurtado §.55. inde probari concessionem illius Bullæ non subsistere,quia in Hispania Commissarij eam facultatem non habent, nec sine magno absurdo habere possent. Adde si eam vnquam habuerunt, reuocatam esse per Bullam Cœnæ.

An singuli Inquisitores seorsim possint hæreticũ occultum absoluere pro foro conscientiæ.

Secundò probat Sanchez, quia hæc est natura fori conscientiæ,vt facultas in eo concessa secretò, & sine testibus exerceri possit, quod non fieret,si pœnitens cogeretur toti tribunali suum crimen detegere, quod durissimum esset. Hoc etiam parum vrget,quia posset aliis Collegis detegi crimen tacita persona, vt ex eorum consensu vnus Inquisitor absolueret,sicut illi,qui dicunt capitulum Sede vacante posse absoluere à casibus occultis in Tridentino concessis,dicunt Capitulo posse proponi crimen tacita persona,vt facultatem concedat alicui ad absoluendum.

89 Ipse ergo Hurtado §.66. *& sequentibus* putat Inquisitores priuatos non habere eam facultatem, sed Inquisitorem supremum Hispaniæ,penes quem residet tota iurisdictio, posse per se solùm absoluere,vel committere alicui ex Inquisitoribus priuatis,imò etiam alteri Sacerdoti. Addit,quemlibet Inquisitorem,quando nomine Tribunalis Prouinciam visitat,posse absoluere,quia tunc ipse ibi repræsentat totum tribunal,& exercere potest,quod simul cum collegis facere posset. Atque ita consequenter ad eam sententiam dicendum videtur, iuxta quam in Inquisitore non requiritur sacerdotium ad eam absolutionem à censura,quia non est actus ordinis,sed iurisdictionis. Quod etiam locum habet in nostra sententia, possunt enim Inquisitores non Sacerdotes absoluere ab hac censura pro foro iudiciali:non tamen possunt singuli seorsim, nisi quando nomine tribunalis operantur. Vnde quando res secretò agenda esset,nec posset hæreticus occultus omnibus se præsentare, notat Suarez *in præsenti dicta sect.*4.*num.*18.expedire,vt alij committant suam iurisdictionem, vni Inquisitori, à quo absoluatur, vt pœnitentes faciliùs, & cum minori rubore,&onere accedant.Quod tamen ita debet intelligi, vt persona iam fuerit omnibus manifesta:non enim possunt iudicialiter decernere de persona in genere, præsertim cùm abiuratio,& absolutio debeant coram Notario in actibus manere.

90 Secundò dubitatur an retenta illa prima sententia, possint inquisitores absolutionem pro foro conscientiæ alteri committere. Negant aliqui apud Sanchez *vbi supra num.*5. Ipse tamen affirmat quia licèt ea facultas non videatur illis concessa,vt constituentibus tribunal,sed vt confessarijs priuatis, cùm sit pro foro conscientiæ, & priuatus confessarius non possit facultatem suam alteri committere: adhuc quia hæc facultas non committitur personæ Inquisitoris, sed officio cui est perpetuò annexa, non videtur ei commissum ministerium nudum,sed facultas delegabilis. In nostra tamen sententia non est difficultas, cùm nec inquisitores habeant talem facultatem pro foro conscientiæ, nec si eam haberent resideret in singulis,sed in tribunali. Tribunal autem potest, & de facto delegat confessario eam facultatem iudicialem,quam habet,vt vtteillius absoluat,vt cum Menochio,& aliis docet idem Sanchez *num.*6. & probat ex Clement.1. de hæreticis, vbi expresse dicitur inquisitores posse vices suas delegare; & ratio est, quia sunt delegati à Principe ad vniuersitatem causarum, quare possunt vnam, vel alteram causam delegare.

An retenta illa prima sententia possint Inquisitores absolutionẽ pro foro conscientiæ alteri committere.

Dubitatur tertiò,An hæretico occulto petenti absolutionem pro foro conscientiæ possint Inquisitores licitè eam negare,nisi velit iudicialiter coram Notario suam hæresim fateri.Ad hoc facilè responderi posset ex supradictis,posse id licitè fieri, quia possent ad minus inquisitores amplecti nostram sententiam negantem Inquisitoribus facultatem absoluendi pro foro conscientiæ,nec tenentur audire sacramẽtaliter pœnitentes,quos probabiliter putant non posse à se absolui. Retenta verò sententia contraria & quòd possint etiam in foro conscientiæ absoluere, an aliquando ad id teneantur,saltem ex charitate,&an communiter possint tenuere, nisi iudicialiter compareat pœnitens,& quibus de causis vsus ille iustificetur videri potest Hurtado latè id tractans *disp.*84.*sect.*5. *per totam.*

91 *An hæretico occulto petẽti absolutionem pro foro conscientiæ possint Inquisitores licitè eã negare, nisi velit coram Notario suam hæresim fateri.*

Dubitatur quartò, An si hæreticus fictè pœnitentiam ostendat, & absoluatur ab inquisitoribus, absolutio sit valida. Procedit autem hoc dubium

92 *An si hæreticus fictè pœnitentiam ostẽdat & absoluatur ab Inquisitoribus absolutio sit valida?*

dubium etiam de absolutione iudicialiter data pro foro externo, & licèt inquisitores non possint aliter nisi iudicialiter absoluere. Eman. Sa verbo *hæresis*, num. 2. dicit absolutionem valere. Id tamen meritò alij negant, Henriquez, & Sayrus, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto capit.* 12. *numer.* 8. Castro Palao *dicta disput.* 4. *punct.* 3. §. 2. *numer.* 5. Suarez *disput.* 7. *de Censuris sect.* 6. (non 7. vt falsò apud Sanchez, & Castrum Palao) *num.* 12. *& in præsenti disput.* 21. *sect.* 4. *numer.* 19. Tum quia absolutio à censura per fraudem extorta nulla est, vt cum aliis obseruat Suarez *dicta disput.* 7. *de* Censuris loco citato qualis esset in hoc casu, dum hæreticus se Catholicum fingit; tum etiam quia Inquisitores in absolutione iudiciali addunt verba illa: *si ita est, quod ex corde conuertitur, non tacendo de se, vel de alio rem aliquam, contra nostram sanctam fidem Catholicam, eum absoluimus & non aliter.* Deficiente ergo conditione, deficit absolutionis valor. Notat autem idem Suarez *in præsenti dicto numer.* 19. Hurtado *dicta disp.* 84. §. 67. & Castro Palao *vbi supra n.* 5. si postea redeat ad bonam mentem hæreticus, absoluendum quidem esse denuo ab inquisitoribus, vel ex eorum commissiue, non tamen esse necessariam præsentiam Notarij, & alias solemnitates, quæ iam præcesserunt, si fictio illa fuit merè interna, & post primam absolutionem fictam hæresis non prodiit in actum externum. Quod probant exemplo matrimonij, in quo non est necessaria præsentia noua Parochi, quando præstatur consensus, qui coram Parocho, & testibus fictus fuerat. Quæ doctrina æquè probabilis saltem erit in hoc casu, ac est sententia illa in casu matrimonij, de cuius veritate non oportet nunc disputare.

93 Addit Sanchez *num.* 9. si hæreticus aliquas hæreses confessus fuit in tribunali, & aliquas tacuit, absolutum manere à censura incursa propter illas, quas dixit, non verò ab incursa propter illas, quas tacuit. In quo tamen vel obscurè, vel non satis consequenter loqui videtur. Nam vel tacuit bona fide, vel mala, aut scienter: si bona fide, ille Auctor sibi esset contrarius, qui statim docet quando bona fide, & immemor illas tacuit, manere omnino absolutum à censura. Debet ergo loqui solum de tacente aliquas hæreses scienter, & mala fide. De hoc autem non video quomodo possit manere absolutus à censura incursa propter hæreses, quas falsus est: cùm ipsemet Sanchez paulò inferiùs referat formam, & verba, quibus Inquisitores absoluunt, nimirum. *Si ex corde conuertitur nihil tacendo, vel de aliquo alio, quod sit contra nostram sanctam fidem.* Si ergo scienter tacuit alias hæreses, non subsistit absolutio, quoad aliquam partem, quia tota fuit sub conditione. Quia tamen hæc confessio non est sacramentalis, atque ideo non exigitur ita exacta circa numerum, & alias circunstantias, aduertunt Hurtado *vbi suprà* §. 68. & Castro Palao *dicto* §. 2. *num.* 6. hanc integritatem confessionis intelligi moralem in ordine ad variandum iudicium. Qualis autem defectus reddat eam insufficientem, videri possunt iidem locis citatis.

94 *Quid dicendum de hæretico negatiuo.* Hinc vltimò dubitari potest, quid dicendum sit de hæretico negatiuo, qui nunquam delictum voluit fateri, & cùm testibus conuictus sit, traditur Curiæ sæculari vltimo supplicio afficiendus, an possit hic à Confessario, qui eum comitatur, absolui. Ratio dubitandi est, quia licèt Inquisitores assignent illi Confessarium, vt cum ad bene moriendum disponat, non videntur committere Confessario facultatem absoluendi ab hæresi, cùm ob defectum confessionis iudicialis ipsi Inquisitores reum illum non reconcilient, nec absoluant iudicialiter, sed potiùs præsumant eum pertinacem, & adhuc hæreticum, & ideo Curiæ sæculari eum tradunt. Cùm ergo Inquisitores non possint absoluere extraiudicialiter, non possunt dare Confessario facultatem absoluendi pro solo foro conscientiæ, quam ipsi non habent, atque adeo Confessarius etiam ab Inquisitoribus assignatus non poterit eum absoluere.

Pro parte affirmatiua Diana 1. *parte tract. de absolut. ab hæres. resolut.* 8. affert Laurentium Portel. *in additionibus ad dubia regularia*, verbo *Reus num.* 2. docentem posse absolui; ipse autem Diana nihil definit, sicut *nec parte* 5. *tract.* 3. *de casibus occurrentibus tempore mortis, resolut.* 78. vbi pro eadem sententia affert Hurtadum *disput.* 86. *de fide, sect.* 2. §. 29. & 30. Sed reuerà Hurtado non tenet sententiam illam Laurentij Portel, sed loquitur in casu longè diuerso: nempe quando Confessarius inuenit reum innocentem, vel quia id aliunde euidenter scit, vel certè ex confessione ipsius rei, cui in foro sacramentali debet magis credere, quàm aliis testibus contra eum testificantibus, quare audita eius confessione debet eum absoluere, in quo casu nulla est difficultas, cùm pœnitens sit bene dispositus, & indigeat absolutione ab aliis peccatis, quam sacerdos tunc non confert auctoritate ab inquisitoribus acceptà, vt expresè fatetur idem Hurtado ibi, qui bene etiam aduertit, si fortè non adesset alius Confessarius præter inquisitorem, hunc etiam in foro sacramentali petente Reo, vt ipsum audiret, & absolueret, debere illum absoluere etiam negantem se fuisse hæreticum; licèt in foro externo non deberet ei credere, sed testibus, & eum tanquam negatiuum punire. De hoc ergo casu non est difficultas, sed quando confessarius in ipsa confessione nouit pœnitentem fuisse verè hæreticum, & nolle id inquisitoribus fateri. In quo casu Portel dixit posse adhuc à confessario absolui, nec esse obligandum ad confessionem iudicialem: quia Rei aliorum delictorum, etiamsi sint conuicti, & iam in patibulo morituri, non obligantur à confessario, vt ibi delictum iudici fateantur, nec est differentia quoad hoc hæretici ab aliis, imò grauiorem infamiam ex hac confessione hæreticus incurreret, quàm ex confessione aliorum delictorum. 95

Contrariam tamen sententiam docui 2. *tom. de Iustit. disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 19. vbi licèt eam obligationem in aliis delictis regulariter negauerim contra alios eam ponentes, excepi tamen hæreticum negatiuum, qui ad vltimum supplicium ducitur. Quod etiam docuit Sanchez *lib.* 3. *in decal. cap.* 7. *num.* 11. & videtur supponere Suarez *disput.* 23. *de fide, sect.* 2. *num.* 5. dicens: hæreticos negatiuos, non posse absolui, nec reconciliari Ecclesiæ, cùm sine confessione non sit absolutio. *Et in hoc*, inquit, *sunt peioris conditionis, quam relapsi pœnitentes: nam his danda sunt sacramenta, illis autem dari non possunt, quia se indispositos ostendunt.* Vnde colligitur à posteriori ratio huius sententiæ: quia Ecclesia relapsos, etiamsi pœnitentiam ostendant, tradit Curiæ sæculari quia præsumit pœnitentiam eorum fictam: quia tamen hæc præsumptio non est omnino certa, 96

permit

permittit eis sacramenta dari ante mortem : negantibus autem hæresim non permittit vllo modo dari sacramenta , ergo ideo quia præsumptio impœnitentiæ habet certum fundamẽtum, scilicet indispositionem præsentem, quæ ex negatione criminis apertè constat. Certum ergo ab Ecclesia æstimatur non posse esse ad sacramenta dispositũ eum , qui hæresim suam non confitetur.

97 Ratio autem à priori duplex esse potest. Prima quam affert Sanchez *dicto num.* 11. ratione scandali, quia deberet hæresim fateri , & absolutionem petere ad tollendum scandalum : dum enim aliunde conuictus eam negat , censetur in ea perseuerare , & eam corde retinere. Nam licèt quandiu de crimine aliunde non conuincebatur, possent alij credere reum id negare ad euadendam infamiam , & pœnam : quando tamen neutrius , effugiendæ spes vlla apparet, sed declaratus est iam hæreticus , & infamis , & statim est comburendus , ita vt negatio criminis ad nihil deseruiat, nisi ad illud aggrauandum, quatenus impœnitens etiam iudicatur, deberet omnino scandalum illud publica confessione delere, atque ita Ecclesiæ satisfacere. Nam sicut præceptum confessionis fidei obligat nos abstinere ab actibus positiuis, qui contrariæ doctrinæ professionem significare possent, ita etiam & ab actibus negatiuis , qui possunt idem significare: cùm ergo silentium illud in iis circumstantiis , & omissio confessionis ita vehementer significent pertinaciam in hæresi, vt ea de causa meritò reus vltimo supplicio afficiatur , fides ipsa videtur obligare ad non vtendum silentio adeo pernicioso , quod vehementer indicat animum in hæresi obstinatum.

98 Secunda ratio desumi potest ex iis , quæ cum communi sententia dixi *disp.* 18. *de Pœnit. sect.* 2. *numero* 24. *& sequentibus* , non posse in articulo mortis absolui moribundum à peccatis reseruatis ab alio sacerdote non habente facultatem ad reseruata, si adsit vel adiri possit Prælatus , vel alius habens eam authoritatem ; quia facultas confitendi cuilibet in articulo mortis intelligitur in defectum proprij sacerdotis habentis auctoritatem ordinariam , vel delegatam. Cum ergo in casu nostro adsint inquisitores , qui possunt iure suo hæreticum absoluere à censura, & qui absolutionem ei offerunt, non potest alius sacerdos prætextu mortis instantis eum absoluere. Vnde colligi potest tertia ratio , quia in omni sententia certum est , eum qui in articulo mortis absoluitur ab excommunicatione Papæ reseruata per sacerdotem non habentem aliunde auctoritatem ad eum casum, absolui quidem cum obligatione recurrendi quam primum possit ad Pontificem , vel ad habentem ab eo auctoritatem , alioquin reincidet in eamdem censuram , vt constat ex cap, *Eos qui* , de sentent. excomm. in 6. Cùm ergo in casu nostro adsint inquisitores habentes auctoritatem ad absolutionem hæresis, & parati ad eam conferendam , frustra absolueretur pœnitens ab alio sacerdote , cùm deberet saltem reincidere statim in eandem censuram, nisi se sisteret inquisitoribus auctoritatem Pontificis habentibus, vt suo debito satisfaceret , nec sine illo onere , & proposito comparendi potuit ab alio sacerdote priuato absolui.

99 Dices non teneri pœnitentem adire superiorem pro absolutione à reseruatis , nisi in foro sacramentali : hoc autem modo non potest reus in casu nostro inquisitores adire , tum quia ipsi in foro solo conscientiæ non possunt absoluere, vt suprà diximus; tum quia nec ipsi volent eum aliter audire, vel reconciliare, quam in foro iudiciali, in quo foro non obligatur pœnitens adire superiorem, quam primum potuerit: nec ex dicto c. *eos qui*, ad hunc comparendi modum obligatur. Sed contra hoc est, quòd obligatio comparendi postea coram superiore imposita in illo textu , non arctat superiorem , vt intrà sacramentum eum audiat. Nam excommunicatus ab homine v. g. per sententiam specialem, non habet ius , vt superior intra sacramentum eum absoluat, sed potest iudex , cui reseruata est illa censura dicere, se nolle pro solo foro conscientiæ absoluere, sed pro foro etiam externo , & pœnitens habet obligationem petendi ab eo absolutionem eo modo, quo ille vult absoluere , saltem si sine graui incommodo potest , in nostro autem casu nullum graue incommodum sentit hæreticus iam damnatus, & diffamatus, & statim comburendus ex eo quòd cogatur recurrere pro absolutione, ad inquisitores in foro iudiciali, cùm nihil damni ex hoc patiatur, imò lucretur non solùm absolutionem, sed ablationem scandali , quod aliunde ex seipso tollere tenebatur, vt diximus ; dum ergo recusat se inquisitoribus manifestare, non est dispositus vt ab alio sacerdote possit absolui.

§. III.

De facultate per Bullam Cruciatæ , vel inbilæum ad absoluendum ab hæresi.

100 COntrouersia hæc iam magna ex parte cessauit: nam in Bulla Cruciatæ semper , & in Iubilæis ferè semper exprimitur exceptio hæresis. Dubium ergo solùm est de Bulla Cruciatæ antiqua, in qua non excipiebatur expressè , & de Iubilæo, vel alia simili concessione, in qua ea exceptio non ponatur.

Prima sententia. Prima sententia docet, concessa facultate absoluendi ab omnibus casibus etiam contentis in Bulla cœnæ, intelligi inclusam hæresim , nisi excipiatur ; ita Sotus , & Corduba apud Sanchez *dicto lib.* 2. *in Decal. c.* 12. *num.* 10. Reginaldus, Lorca, Farinacius, & alij apud Suarez *in præsenti disp.* 21. *sect.* 4. *numer.* 21. qui id probabile dixerat *disp.* 7. *de Censuris sect.* 5. *num.* 12. Idem tenent Penna , Frechilla, & alij apud Castro Palaum *dicto tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *puncto* 3. §. 4. *n.* 1. Fagund. etiam, Molfes. Alphonsus de Leone, Peirinus, & alij apud Dianam 1. part. tract. de absolut. ab hæresi resolut. 1. fundamentum est , quia vbi ius non distinguit , nec nos distinguere debemus ; qui autem omnes casus concedit, nullum excipit, quòd si aliquem voluisset excipere, illum nominasset.

101 Communis tamen sententia negat etiam virtute Bullæ Cruciatæ antiquioris absolui potuisse ab hæresi ; idemque dicit de facultate Iubilæi , aut alterius priuilegij concedentis absolutionem à casibus Bullæ cœnæ , nisi hæresim etiam exprimat. Hanc tenent Manuel , Couarru. Simancas , Roias , Gutierez, Henriquez, Azor, Auila, Zaullos , & alij quos affert, & sequitur Sanchez vbi supra dicens hoc esse certissimum. Idem docent Nauarrus, Viualdus, Vasquez, Miranda,

Sententia communis

randa, & Garzia, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disp.* 21. *sect.* 4. *num* 21. recedens ab eo, quod dixerat in tom. de censuris; Idem tenent Vgolinus, & Aragonius, quos refert, & sequitur Castro Palao *dicto* §. 4. *num.* 2. Accedunt Syluius, Floronus, Ragucius, Nouarius, Victorellus, Portel, Homobonus, Torreblanca, Ricciullus, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 1. Ratio est quia in concessione generali non veniunt intelligenda ea, quæ Princeps non concessurus esset, si specialiter proponerentur: talis autem est absolutio hæresis: quæ Pontificis mens constat in primis ex stilo Curiæ Romanæ quam testantur Azor, & alij apud Castro Palaum, vbi supra, constat etiam ex declaratione ipsorum Pontificum, qui ita mentem suam, & successorum declarauerunt. Nam Pius. V. ita declarasse refert Roias *de priuileg. inquisit. n.* 416. & motum proprium Gregorij XIII. id expresse declarantis refert ad verbum Manuel Roder. in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. num. 66.

102 Totum hoc pendet ex intentione concedentis, quæ ex coniecturis arbitrio prudentis indaganda est; Qualis fuerit hæc intentio olim in iis concessionibus generalibus, non est omnino certum, & vtraque sententia fuit tunc fortasse probabilis; & parum refert nunc id scire, sed solùm qualis nunc sit. Hoc itaque tempore faciliùs noscitur Pontificis mens: nam in Bullis Cruciatæ ad tollendum omne dubium expresse excipitur hæresis absolutio, quod etiam communiter fit in Iubilæis. Si quando verò in Iubilæo aliquo ex causa grauissima concesso non excipitur, apponuntur clausulæ derogatoriæ adeo speciales, & efficaces, vt apertè constet Pontificem voluisse pro ea vice absolutionem ab hæresi concedere, quarum clausularum exemplar inuenies apud Hurtadum *dicta disp.* 84. §. 111. qui §. 110. affert Filliucium testantem ita fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617. occasione Iubilæi concessi à Paulo V. Et quidem dubium non est, quod non obstante reseruatione facta, & facienda in Bulla cœne possit Pontifex facultatem eam concedere. Hæc autem voluntas in illis circunstantiis prudentissimè ex talibus verbis colligitur.

103 *Quid faciendum, quando in Iubilæo generaliter concederetur casus Bullæ Cœnæ, non addita hæresis exceptione.*

Magis posset dubitari, quando in Iubilæo generaliter concederentur casus Bullæ cœnæ, non addita hæresis exceptione, nec etiam appositis clausulis derogatoriis specialibus: vel si fortè in Bulla Cruciatæ omitteretur exceptio hæresis. Et quidem in iis, & similibus casibus ad coniecturas etiam veniendum erit, quæ circa Bullam Cruciatæ esse possunt, si præcessisset instans petitio alicuius apud Pontificem, vt exceptio illa auferretur, vel si sciret ex mandato, aut scientia Pontificis ablatam esse: præsumptio esse posset, quod vellet re etiam ipsa limitationem illam auferre. Si nihil verò tale præcessisset, præsumptio esset, quod per errorem scriptoris, vel secretarij, aut typographi omissa fuisset illa clausula. Quod idem cum proportione dicendum esset in Iubilæo in quo tamen maior præsumptio esse posset de facultate concessa: quia cùm ea concedatur pro hac solùm vice, & cùm formulæ illæ magno studio semper considerentur, & transcribi soleant ex aliis Iubilæis præcedentibus: exceptio illa iam nunc denuo ablata contra stylum tot annorum magnum indicium esset voluntatis contrariæ pro hac vice. Nec obstaret, quòd in concessione generali non debeat casus hic adeo specialis intelligi: nam id verum est, quando non sunt contrariæ coniecturæ, qualis non leuis esset mutatio stili adeo pertinaciter retenti per tot annos, & hoc postquam illa clausula addita fuerat ad impediendam absolutionem dari solitam. Nam licèt tempore Gregorij XIII. etiam non excepta nominatim hæresi, non censeretur inclusa in illa generalitate. Non tamen silentium illud non esset adeo efficax ad id persuadendum, sicut tunc, eo quod postea successores Pontifices noluerint silentio solo significare exceptionem illam, sed verbis expressis, qui vsus reddidit minùs efficax silentium ad id significandum, & indicaret recessum positiuum ab illa exceptionis voluitate: quamuis nec hoc esset certum signum, sed res tota ex variis coniecturis ponderanda, & iudicanda esset. Non credo tamen pro nunc fore periculum morale, quòd ea exceptio expressa omittatur à secretario, nisi ex voluntate Pontificis concedere volentis pro aliqua vice speciali eam facultatem.

In aliis verò concessionibus magis particularibus quæ fierent alicui personæ, vel alicui religioni, vt possint absolui, vel absoluere à casibus Bullæ cœnæ, locum haberet regula illa secundæ sententiæ, vt si non explicetur hæresis censeatur excepta, nisi concurrerent aliunde tales circumstantiæ, vt præsumptio illa vinceretur. Et quidem non solet ea facultas iam concedi, nisi cum variis limitationibus, & requisitis: quare non facilè præsumetur absque vlla limitatione, & instructione sub illa generalitate concessa. Quod à fortiori procedit, quando non nominatur Bulla cœnæ in ipsa concessione, sed solùm conceditur facultas ad casus Papæ reseruatos: sub hac enim generalitate non continentur casus Bullæ cœnæ dicunt doctores, quos afferunt, & sequuntur Sanchez *vbi supra num.* 13. & Castro Palao *vbi supra num.* 2. 104

Dubitari solet, an excepta hæresi censeantur excepti alij casus, qui reddunt aliquem de hæresi suspectum, v.g. fautores, receptatores, defensores hæreticorum, legentes, imprimentes, & tenentes eorum libros. Affirmant plures, quos affert Sanchez *vbi supra num.* 11. & alios affert Diana *dicto tractatu de absolut. ab hæresi, resolut.* 7. Communis tamen sententia docet excepta hæresi, non intelligi excepta alia peccata, quæ formalem hæresim non contineant, licèt reddant suspectum de hæresi, & ad Inquisitores pertineant: ita Sanchez *vbi supra num.* 12. vbi loquitur etiam de schismaticis, de quibus *num. præcedenti* loquutus fuerat. Eandem sententiam tenent Henriquez, Suarez, Duardus, Farinacius, Acosta, Filliucius, Alterius, & alij, quos affert, & sequitur Diana *dicta resolut.* 7. Aduerte tamen, in aliquibus ex iis casibus seruanda esse ante absolutionem aliqua, quæ ab Inquisitoribus, vel etiam ab ipso Pontifice præscribuntur, vt de fœmina sollicitata, quæ non denunciauit, notat cum aliis Diana *ibi*, & de habentibus libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos notat Sanchez *ibi num.* 11. Denique aduerte ex Filliucio 1. *tom. tract.* 8. *num.* 265. solere in iis Iubilæis concessa absolutione ab hæresi, excipi hæreticos denuntiatos, qui nec tunc possunt absolui. 105 *An excepta hæresi censeantur excepti alij casus?* *Affirmatiua.* *Negatiua.* *Quæ seruanda ante absolutionem?*

§. IV.

De facultate absoluendi ab hæresi, in articulo mortis, & in casu necessitatis.

106 DVo restant casus, in quibus absolutio dari potest ab alio, quàm ab eo, cui erat reseruata. Primus est articulus mortis, de quo latè agunt Doctores hoc loco, & latissimè Hurtado dicta disp. 84. sect. 8. sunt tamen difficultates communes omnibus habentibus in articulo mortis casus reseruatos, vel defectum proprij Confessarij: de quibus ego dixi quantum satis erat *disp. 18. de pœnit. sect. 2. & disp. 20. sect. 10. num. 218. & sequentibus.* Quibus solùm duo dubia breuiter addenda occurrunt, quæ magis propriè pertinere possunt ad absolutionem ab hæresi.

An hæreticus in articulo mortis possit à Sacerdote hæretico absolui ab hæresi, non adsit alius Sacerdos.

Primum dubium esse potest, an hæreticus, qui in articulo mortis non habet Sacerdotem alium, cui confiteatur, nisi hæreticum, possit & debeat ei suam hæresim confiteri, vt ab eo absoluatur: suppono enim ex doctrina locis citatis tradita, quemlibet Sacerdotem etiam degradatum, & hæreticum habere pro eo articulo iurisdictionem, & facultatem absoluendi à quibuslibet peccatis, & censuris absolutione non solùm indirecta, sed etiam directa, cum certis tamen conditionibus, & oneribus pœnitenti iniungendis in certis casibus. Dubium hoc proponit Hurtado *dicta disp. 84. §. 141. & sequent.* & dicit, Si hæresis confitenda est eadem quam tenet Confessarius, non esse obligationem eam illi confitendi, sed alia peccata diuersa; illam enim frustra confiteretur pœnitens Confessario, qui cùm putet errore saltem culpabili eam non esse peccatum, non habebit intentionem ab eo peccato absoluendi, cùm non putet pœnitentem eo peccato ligatum esse. Imò quamuis promittat, & iuret Sacerdos, se habiturum intentionem etiam circa illud peccatum, non esse ei credendum. Vnde postea infert, etiamsi hæresis sit diuersa ab ea, qua Confessarius errat, non esse confitendam formaliter vt hæresis est; sed tantùm materialiter: hoc est, non esse aperiendam, quatenus est pertinacia contra Ecclesiam, quia Confessarius Ecclesiam, & pertinaciam contra illam contemnet, sed solùm debere pœnitentem se accusare, quod pertinaciter errauerit in tali materia, non explicando, quod pertinacia sit contra Ecclesiæ authoritatem: illæ enim omnes, & solæ circunstantiæ sunt confitendæ, quæ sine graui incommodo explicari possunt. Potest autem illi Confessario sine incommodo explicari error pertinax, non verò pertinacia contra Ecclesiam: ergo illa circunstantia, & non hæc explicanda erit.

107 Hæc tota doctrina difficilis est, & subtilitate magis, quàm soliditate commendabilis. Nam incipiendo ab hoc vltimo, cur saltem non posset se pœnitens accusare, quod contra veram Ecclesiam pertinaciter errauerit in tali materia, non explicando quæ, & qualis sit vera Ecclesia? Neque enim pœnitens debet in confessione explicare, quæ sit vera Ecclesia, sed explicando se contra Ecclesiæ veræ auctoritatem pertinacem fuisse, explicat totam speciem, & essentiam sui peccati: & hic modus loquendi non ostenderet Confessarium hæreticum, quem supponimus non errare in illa materia, sed in aliis, imò illam etiam hæresim iudicare, quamuis erret in agnoscenda vera, & Catholica Ecclesia.

Deinde in vniuersum, & comprehendendo etiam primum casum, quo pœnitens actusat se de hæresi, qua Confessarius etiam laborat, probo non excusari ab eius confessione ex eo, quòd Confessarius non æstimet illud peccatum. Suppono autem Sacerdotem illum, licèt hæreticus sit, velle tamen ritè, & validè formam absolutionis proferre, cum intentione debita iuxta institutionem huius Sacramenti factam à Christo: nam si hanc intentionem non haberet, perinde est, ac si non daretur copia Sacerdotis, quia idem est Sacerdotem nolle, ac non posse Sacramentum pœnitentiæ ministrare.

Hoc ergo supposito, dico errorem Confessarij 108
eadem, vel diuersa hæresi laborantis, non excusare ab illius hæresis confessione: quia quod Confessarius errore priuato aliquid, quod à pœnitente dicitur pro peccato, & reuera peccatum est, putet non esse peccatum, non facit, quod postea ab illo etiam peccato directè cum aliis non absoluat. Ideo ex communi Doctorum sensu dixi disp. 21. de pœnit. sect. 4. num. 71. non requiri ad valorem absolutionis, quod Confessarius de omnibus, quę audit à pœnitente, iudicet, an sint peccata grauia, vel leuia; imò neque an sint, vel non sint peccata: sed sufficere, quod audiat, & intelligat, ac postea absoluat cum debita intentione. Et paulò antea in disput. 16. sect. 15. num. 604. & sequentibus cum communi sententia probaui, Confessarium errantem ex ignorantia circa maiorem partem peccatorum, & eorum grauitatem, adhuc ab iis omnibus directè absoluere, & ideo pœnitentem carentem alio confessario docto, debere illi omnia sua peccata integrè confiteri: sufficit enim, quod Confessarius audiat, & intelligat has voces, *occidi hominem*, & earum sensum, licèt ob ignorantiam nesciat, an illud sit peccatũ mortale, vel etiam peccatum: adhuc enim poterit ab illo etiam directè absoluere, nec postea est obligatio repetendi confessionem illius peccati. Hinc est, quòd si ego sciam meum Confessarium obstinatè tenere, quod aliquid non sit peccatum, quam opinionem ego improbabilem puto, satisfacio præcepto confessionis confitendo ei peccatum illud, quidquid ipse per errorem putet non esse peccatum, dum tamen error ille non proueniat ex me, qui grauitatem, & circumstantias peccati non benè explicuerim. Sicut ergo non excusor ego in illo casu à confitendo meo peccato Confessario, à quo scio non æstimandum peccatum: sic in casu nostro non excusabitur pœnitens a confitenda sua hæresi Sacerdoti hæretico, à quo scit non æstimandum peccatum.

Ratio autem à priori, qua simul soluitur ar- 109
gumentum contrarium, est, quia error priuatus Confessarij circa grauitatem peccati, quod audit, aut circa malitiam eius non nocet valori absolutionis ritè postea prolatæ: nam hæc non regulatur in suo valore à iudicio, quod Confessarius fecit de malitia, aut grauitate peccatorum, quæ audiuit, & intellexit; nec dicit Confessarius explicitè, vel implicitè, *ego te absoluo a peccatis, quæ iudicaui esse peccata.* Absit talis intentio, aut sensus eorum verborum: sed sensus est, *ego te absoluo à peccatis, quæ mihi confessus es:* loquendo de absolutione directa; nam absolutio indirecta non tam fit ex vi verborum directa; quam quasi per

concomitantiam ex eo, quòd gratia sanctificans non potest mandare ab vno peccato, quin auferat simul omnia mortalia, quæ secum non compatitur. Quamuis ergo Sacerdos hæreticus errore priuato putet pœnitentem, non esse ligatum peccato illo hæresis; quod confitetur; absolutio tamen non dirigitur ab illo errore priuato, sed habet intentionem soluendi omnia vincula, quæcunque sint ex processu, & confessione sibi facta dependentia: hic enim est sensus illorum verborum, quæ dum Sacerdos proferre vult iuxta sensum à Christo institutum, vult certè proferre cum tota efficacia, & vniuersalitate, quam ex institutione Christi habere possunt. Sicut etiã Caluinista baptizans, licèt errore priuato putet verba illa formæ esse solùm concionatoria, & non operatoria: quia tamen intentione magis vniuersali, & efficaci intendit baptizare iuxta Christi institutionem, habet intentionem proferendi illa verba iuxta eamdem institutionem, & per consequens verba operatoria, quod idem in aliis mille exemplis apparet. Si ergo Sacerdos hæreticus non obstante illo errore potest absoluere, & de facto absoluit directè ab illo etiam peccato hæresis, non potest excusari pœnitens, ab eo confitendo, quamuis Sacerdos errore priuato iudicet illud non esse peccatum.

110 *An ab alio, qui Sacerdos non sit.*

Secundum dubium potest esse, an deficiente Sacerdote, alius, qui Sacerdos non sit, possit hæreticum moribundum, & absolutionem petentem absoluere, non quidem à peccato, nec sacramentaliter, sed saltem ab excommunicatione Papæ reseruata. Prima sententia affirmat, quam tenent multi quos affert & sequitur Henriquez *lib. 6. de Pœnitent. cap. 9. num. 3.* & quos refert Suarez *disp. 7. de Censuris sect. 6. num. 4.* Item Antonius, Margarita Confess. & Bartholomæus à Ledesma, quos refert Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 13.* eamdem probabilem dicunt Auila, Ioann. Valerius, Ioann. Sancius, & Martinus Ledesma, quos affert Diana *parte 3. tract. 4. de sacram. resolut. 133.* quibus addit *parte 5. tractatu 3. de casibus occurrentibus tempore mortis, resolut. 77.* Abbatem, Sylvestrum, Armillam, Philippum de la Cruz, & Philibertum Machinum. Fundamentum est, quia Ecclesia potuit pro eo casu hanc facultatem iis omnibus concedere, cùm ad absoluendum à censuris, non sit necessarium sacerdotium: cùm ergo necessitas vrgeat, & aliunde omnibus, quibus potuit, nempe omnibus Sacerdotibus dederit pro eo casu facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, præsumi debet omnibus etiam aliis, quibus potuit, dedisse facultatem absoluendi ab omnibus censuris. Vnde multi ex iis Auctoribus addunt, deficiente Clerico, posse etiam quemlibet laicum fidelem, eam absolutionem conferre.

111

Secunda sententia communis, & verior id negat, ita Sanchez & Suarez locis citatis, Molina, Filliucius, & Bonacina, quos affert, & sequitur Castro Palao *dicta disp. 4. punct. 3. §. 5. num. 14.* Layman, Villalobos, Sotus, Couarruu. & Garzia, quos affert, & sequitur Diana *dicta parte 3. vbi supra dicta resolut. 133.* Ratio est, quia hæc facultas nullibi inuenitur concessa, nec etiam ex vsu Ecclesiæ colligi potest, imò enim vsus est in contrarium: & Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* de sacramento Pœnitentiæ solùm dixit: *ne occasione reseruationis aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscúmque peccatis, & censuris absoluere possunt.* Vbi in primis de solis Sacerdotibus fit mentio, deinde id fieri dicitur, *ne aliquis pereat.* Quæ ratio in casu nostro non procedit, cùm sine absolutione à censura possit quis saluari, si habuerit contritionem, sine illa autem absolutio à censura nihil prosit. Nec enim tanti refert, quod sepeliri possit in loco sacro, vel quod Missa possit pro eo offerri: præsertim cùm possit etiam ad hos effectus absolui ab habente legitimam potestatem. & aliquando etiam expediat mortuum in his puniri, vt timeantur censuræ, quæ ad hunc ipsum effectum ordinatæ sunt, vt fideles à grauioribus sceleribus terreantur.

Addi potest, si ratio primæ sententiæ efficax esset, nimium probaret; si enim Ecclesia presumitur in eo articulo dedisse potestatem absoluendi à censura omnibus, quibus dare poterat, sicut potestatem absoluendi à peccatis dedit omnibus quibus poterat, etiã degradatis, & hæreticis; posse aliquem inferre deficiente laico aliquo viro, posse etiam fœminam fidelem absoluere à censura in eo articulo: quia de potestate absoluta Ecclesiam eam potestatem fœminæ posse communicare, docet Suarez *de censuris disp. 2. sect. 3. n. 7.* cum Paludano, Soto, Nauarro, & Vgolino, quos affert. Adde non deesse qui dicant, posse Pontificem hanc potestatem communicare homini non baptizato: sic enim sentit Vgolinus, quem affert Suarez *ibid. num. 12.* Nemo autem ex Auctoribus primæ sententiæ adhuc eam facultatem in articulo mortis ad fœminas, vel ad infideles extendit: vereor tamen, ne paulatim ad eos etiam progrediantur. Non est ergo verum, quòd Ecclesia pro eo articulo potestatem dederit iis omnibus, quibus dare poterat, vtendo tota sua potestate.

112

113

Faciliùs admitti posset quod dixerunt Vgolinus, & Paludanus apud Suarez *dicta disp. 7. de Censuris sect. 6. num. 11.* deficiente sacerdote, ludicem Ecclesiasticum non sacerdotem qui, aliàs potestatem habet excommunicandi, & absoluendi à censuris posse, absoluere moribundum non sibi subditum, quem extra illum articulum absoluere non posset. Quia sicut iurisdictio ad absoluendum à peccatis, quam Parochus habet in suos subditos, extenditur in articulo mortis ad subditos alienos; ita iurisdictio, quam Iudex ille Ecclesiasticus habet, & potestas absoluendi suos subditos à censuris, extendi potest ex præsumpta Ecclesiæ pia voluntate ad subditos alienos. Quamuis non immeritò Suarez addat nec hanc extensionem fundamentum solidum habere in iure, vel consuetudine.

114

Negari tamen non potest primam sententiam saltem ob authoritatem tot Doctorum probabilem esse, prout fatentur Sanchez, Castro Palao, Diana, & alij, qui inde inferunt, non solùm posse, sed debere laicum in eo casu absoluere moribundum à censuris, quia cùm possit sequendo sententiam probabilem iuuare proximum in ea necessitate constitutum, non potest hoc beneficio eum licitè priuare. Ego difficilè hanc obligationem in praxi credam, & quidem vsus communis contrarius est, nam sæpè casus occurrit, & homines sine copia Sacerdotis moriuntur, nec vnquam laici præsentes eos absoluunt; nec Suarez, qui plures Auctores pro illa prima sententia adtulit, quicquam de hac obligatione intulit. Ratio autem

tem esse potest, quam insinuauit idem Suarez *dicta sect. 6. numer. 9.* ad excusandum, cur Ecclesia hanc potestatē solis Sacerdotibus dederit. *Quia*, inquit, *in re, quæ solùm ad quandam vtilitatem pertinet, & valde accidentariam, satis est, vt moraliter loquendo, vix possit accidere casu, in quo non possit per simplicem Sacerdotem huic incommodo prouideri: nam & copia Sacerdotis ferè semper inuenitur, & casus censuræ reseruatæ in articulo mortis, non est adeo frequens; ideoque raro accidere potest, vt ob defectum huius potestatis laico concessæ detrimentum aliquod magni momenti fideles patiantur.* Quam rationem paulò aliter ad nostrum casum applicare possumus hoc pacto. Ecclesia enim non minùs, imò magis tenetur ad subueniendum fidelibus in mortis articulo, quàm teneatur quilibet priuatus, cùm Ecclesia, & Pontifex teneatur ex officio priuatus autem ex charitate solùm erga proximum. Si ergo Ecclesia non obstante illo detrimento, noluit laicis, vel etiam non Sacerdotibus eam potestatem absoluendi communicare, vt docet communis sententia, & in hac ipsa negatione potestatis Ecclesia non peccat, cur peccabit laicus priuatus, qui ex officio non tenetur, negando vsum illius potestatis; quamultò verius est eum carere? Si enim detrimentum proximi tantum esset, obligaretur Ecclesia ad illud præcauendum: si ergo Ecclesia licitè detrimentum illud permittit, vt verior sententia docet, cur peccabit grauiter priuatus illud permittendo, præsertim cùm ipse non possit tutum remedium dare, sed dubium Ecclesia verò certum, & tutum dare potuisset? Si ergo Ecclesia non peccat contra charitatem, prohibendo fidelibus, ne hæreticum v.g. etiam cum signis pœnitentiæ mortuum sepeliant in loco sacro, vel pro eo publica suffragia offerant, quia licèt ea de causa aliquid plus in purgatorio patiatur, id tamen expedit ad aliorum terrorem, non peccabit etiam contra charitatem alius, qui ex officio non tenetur ad eum liberandum, si conformet se huic iustæ Ecclesiæ voluntati, & permittat Ecclesiasticas pœnas circa ipsum exequutioni mandari. Hoc enim totum redundat in bonum fidelium, quod Ecclesia intendit, nempe ad eos deterrendos, & coërcendos. Certè non peccauit contra charitatem S. Gregorius Magnus, qui (vt ipsemet refert lib. 4. Dial. cap. 55. Monacho proprietario cum contritione tamen defuncto sepulturam in loco sacro negauit, & per triginta ab eius obitu dies suffragia pro ipso non obtulit, quibus diebus elapsis, iussit pro eo missas offerri per alios triginta dies, post quos apparuit defunctus fratri suo referens quomodo in pœnis detentus fuisset, & sacrificiis tandem oblatis ereptus. Id enim sanctissimus Pontifex prudenter fecit ad deterrendos alios Monachos à vitio proprietatis, prout reuera efficaciter deterriti fuerunt. Non ergo apparet, quod hic sit ex iis casibus, in quibus charitas obligat grauiter ad subueniendum proximo, cùm possit laicus probabiliter iudicare, Ecclesiam nolle ei in hoc casu tam citò subuenire, sed potiùs velle, vt ad aliorum exemplum aliquandiu pati permittatur.

115 Exemplo vulgari hoc ipsum declarari potest: finge Petrum à iudice ad mortem damnatum petere, vt eum liberes, quia facultatem à Principe habes reos mortis aliquando liberandi. Quis dicet, te sub peccato graui ad id teneri, nec posse permittere, vt iusta iudicis sententia exequutioni mandetur? Multò autem minus tenereris, si facultas Principis tibi concessa dubia esset, & verius existimares non subsistere. Sic autem se habet laicus, vel non sacerdos in nostro casu: qui ex vno capite scit excommunicatum esse prohibitum ab Ecclesia sepultura sacra, & suffragiis publicis, & ex alio capite dubitat, an habeat facultatem illum ab hac Ecclesiastica pœna liberandi, quæ sicut iustè ab Ecclesia inflicta est, ita potest iustè permitti, vt eam patiatur. Aliunde esset, si ageretur de salute æterna illius animæ; tunc enim charitas proculdubio obligaret ad ei subueniendum, atque ideo ad hanc obligationem tenerentur non solùm priuati, sed multò magis Ecclesia, & summus Pontifex, ad quem pertinet eam ex officio procurare.

Addunt aliqui, quando excommunicatus absolueretur à laico, vel à clerico non sacerdote in illo articulo ob defectum sacerdotis, esse procurandam post mortem absolutionem ab illo, cui reseruata erat absolutio: quia absolutio prima fuit dubia, atque adeo si falsa esset reipsa prima sententia, non esset verè absolutus, & careret suffragiis Ecclesiæ, perseuerante adhuc efficacia censuræ non ablatæ. Ita Sanchez & Castro Palao locis citatis, & Trullench, quem affert, & sequitur Diana *dicta par. 5. vii supra dicta resolut. 77.* qui tamen non dicunt esse obligationem, sed expedire, vt procuretur ea absolutio. In quo tamen non video, quàm consequenter ij loquantur: quia si agnoscunt obligationem in laico absoluendi, ne defectu absolutionis, quæ fortasse prodesse posset, excommunicatus detrimentum patiatur carendo suffragiis publicis Ecclesiæ; ob eandem rationem erit obligatio procurandi secundam absolutionem certam, ne fortè prior fuerit inualida, & anima patiatur idem detrimentum. Imò ex vno capite maior erit hæc obligatio in hærede, cui magis commendata videtur cura animæ defuncti, cui succedit, quàm sit illa alia obligatio in aliquo extraneo, ad quem non spectat ea cura, nisi ex charitate communi. Dixi tamen *ex vno capite*, esse debere maiorem hanc obligationem: nam ex alio capite erit fortasse minor, nempe ex parte detrimenti, quod defuncto infertur: nam si absque vlla absolutione decedat, nullus sacerdos audebit pro eo offerre sacrificium si verò absoluatur priùs à non sacerdote, poterunt postea sacerdotes amplectendo opinionem illam probabilem, applicare illi suas missas; & quamuis opinio de valore absolutionis sit falsa; fructus tamen præcipuus sacrificij proueniens à Christo offerente, illi proderit, si decessit in gratia. Nam Ecclesia potest quidem prohibere, ne offeram sacrificium pro aliquo; si tamen ego vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia offero, non potest impedire, ne fructus præcipuus sacrificij illi prosit: hæc enim applicatio pendet à sola mea voluntate, vt notaui *disp. 19. de Eucharistia sect. 10. num. 185.* quare absolutio illa etiamsi sit falsa, faciet saltem per accidens quod fructus sacrificiorum, quæ aliàs pro eo non offerrentur, illi prosint omnibus tamen pensatis videtur hæres magis obligari ad procurandam defuncti absolutionem, cùm eius personam gerat, & eius causam agere debeat. 116

Excommunicatus in quo alio casu possit ab alio absolui, quam ab eo cui excommunicatio erat reseruata.

Secundus casus principalis, quo absolutio aliquando dari potest ab alio, quàm ab eo, cui erat reseruata, solet assignari quando excommunicatus est taliter impeditus, vt non possit vllo

modo adire eum, cui absolutio reseruatur: de hac tamen dixi satis *disput.20. de Pœnit.sect.10. numer.218.& sequentibus*, & videri posset Hurtado *in præsenti dicta disp.84. sect.9.§.169.& sequentibus.*

117 *An pœnitens non habens Confessarium à quo directè possit absolui ab hæresi, vel ab excommunicatione, possit ab alio approbato directè absolui ab aliis peccatis & indirectè à peccato hæresis.*

Hæc omnia dicta sunt de facultate absoluendi directè ab hæresi. Potest tamen quæri, an aliquando pœnitens non habens Confessarium, vel alium à quo directè possit absolui ab hæresi, vel ab excommunicatione ob hæresim contracta, & aliunde indigens confessione sacramentali propter necessitatem recipiendi Eucharistiam vel ob alias causas, ab quas differre non potest confessionem, possit tunc confiteri sacerdoti approbato qui eum possit directè absoluere ab aliis peccatis, & indirectè à peccato hæresis, non tamen ab excommunicatione ob hæresim contracta. De quo agit Hurtado *in præsenti dicta disp.84.sect.7. subsect.3.per totam.* Ego autem egi de eodem puncto *disp.14. de Euch.sect.5.per totam*, & præsertim à *n.99.* & ex ibi dictis constat posse etiam in peccato hæresis eum casum occurrere; vbi etiam dictum est quid tunc pœnitens agere debeat, & an sit obligatio confitendi sacerdoti inferiori peccatum etiam illud reseruatum, à quo ipse non potest directè absoluere, & alia, quæ circa hoc punctum desiderari possent.

SECTIO IV.

De aliis pœnis spiritualibus hæreticorum.

118 *Hæreticorum pœna spiritualis, non posse in loco sacro sepeliri.*

ALiæ assignari solent hæreticorum pœnæ spirituales, de quibus nunc breuiter agendum. Prima esse potest, ne possit in loco sacro sepeliri quam pœnam primo loco ponit Castro Palao *1.tom.tract.4.disp.4.punct.4.num.1.* & colligit ex cap. *quicumque*, de hæreticis in sexto vbi glossa idem docet, & Farinacius *de hæresi, q.192. toto* §. 3. *à num.* 38. qui aduertunt hoc intelligi de eo, qui ita notorie hæreticus obiit, vt nulla possit tergiuersatione celari: hunc enim qui præsumpserit in loco sacro sepelire, eo ipso manet excommunicatus. De illo tamen textu & de hac prohibitione an sit intelligenda de omnibus hæreticis diximus *supra disput.14. sectione 4.§.5. dub.5. & disputatione 20.* de Eucharistia *sect.2. num.56.*

119 *Irregularitas, peculiari titulo pœna hæresis.*

Secunda pœna assignari solet irregularitas, quam non solùm incurrunt hæretici ex infamia, quæ oritur ex notorietate criminis grauissimi, quæ communis est aliis criminibus generantibus infamiam, & non habet locum nisi in publicis, & notoriis; sed peculiari etiam titulo ratione hæresis, quæ ipso facto reddit hæreticum irregularem. Quare sententia satis communis, & probabilissima docet, quemlibet hæreticum externum etiam occultum esse ipso facto irregularem. Ita pluribus citatis Sanchez *lib. 2.in Decalog.capit.25. numer.2.* & alij plures, quos affert, & sequitur Suarez *in præsenti disput. 21.sect.5.num.1. & disput.43.de censuris sect.1.* Castro Palao *dicto punct.4.num.2.* Filliucius, Coninch, & Bonacina apud Dianam *1. parte tract.* de Bulla Cruciatæ *resolut.114.* Rodericus, Vgolino, Farinacius, Reginaldus, quos affert & sequitur idem Diana *2. part.tract.1. miscell. resolut.24.*

Alij tamen non contemnendi doctores putant hæreticum occultum non esse irregularem, nam textus omnes de notorio solum loqui videntur. Hanc sententiam probabilem esse dicunt Henriquez Eman. Sa, Sayrus, & Auila, apud Sanchez, vbi supra *num.1.* qui *num.18.* fatetur hanc irregularitatem esse valde dubiam. Vnde probabile hoc esse fatetur etiam Castro Palao *dicto num.2.* & Reginaldus *in praxi tom.2.lib.30.tract.2.cap. 15.numer.183.* & Diana *1.parte vbi supra dicta resol.114.* qui alios auctores addit *2.parte vbi supra dicta resolut.24.* & *4.parte tract.2.de irregularit. resol.46.* Et denique hanc sententiam, vt veriorem amplectitur Hurtado *in præsenti disp. 87.sect.1.§.10.* & mihi etiam probabilis videtur; omnia enim quæ pro contraria afferuntur, probabilem habent solutionem, & non sunt multiplicandæ irregularitates, vbi clarè non constant.

Afferri solent ad eam irregularitatem probandam aliqua antiqua decreta, ex Gregorio Magno in *c.nos consuetudinem*, dist.12.& ex 7.Synodo in cap. *conuenientibus* 1. q.7. & ex Leone Papa in cap. *saluberrimum*; eadem causa, & quæst. sed reuera ea decreta non satis id probant: nam in primis ex iis constat potiùs ab antiquo id obseruatum, vt clerici, sacerdotes, & Episcopi ab hæresi reuertentes, in suo saltem gradu benigne reciperentur, & retinerentur, non tamen ad altiorem ascenderent; non erant ergo irregulares: nam irregularis non posset exercere ordinem antea susceptum. Deinde in iis omnibus sermo erat de hæreticis notoriis, de quibus Prælati dubitabant, an eos possent, aut deberent in suorum graduum ministerio relinquere. Vnde considerandum etiam est, ea decreta non tam regulam, & legem tradere ipsius hæreticis conuersis, quid ipsi agere debeant, quàm Prælatis, quomodo se erga eos deberent gerere: sunt ergo leges, quas obseruare debent Prælati, quando eos Ecclesiæ reconciliant, non tamen videntur leges, quas ipsi debeant in seipsis exsequi, quando secretò, & in foro conscientiæ Ecclesiæ reconciliantur. Afferri etiam solet ex Innocentio III. in cap. *Inter sollicitudines* de purgat. canon. vbi laudatur Archiepiscopus, quòd Decanum de hæresi suspectum suspenderit à beneficio, & statuitur, quòd si in purgatione defecerit omnino priuetur. Sed tamen ipse Suarez dicta disp.43. de censur.sect.1.num. 3.fatetur, ibi non agi apertè de irregularitate, & crimen illud fuisse cum infamia publicæ. Nec magis vrget, quod alij afferunt ex Alexandro IV. in cap. *Quicumque §.hæretici* de hæret.in 6. vbi præcipitur, ne hæretici, aut illorum filij, fautores, & recepiatores, admittentur ad vllum beneficium, vel officium publicum. Inde tamen non potest colligi irregularitas, cùm non prohibeatur vsus ordinum: nec etiam de hæretico occulto: alioquin filius illius, qui semel solus in cubiculo peccauit contra fidem, esset irregularis, quod nemo dicet.

Magis posset vrgere Breue quoddam Clementis VII. (non Clementis VIII. vt per errorem citatur apud Suarez *vbi supra numer.2. & num.8.*) quod incipit: *Cùm sicut*, & refertur apud Pennam in fine directorij inquisit. Vbi Pontifex concedit inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate cum hæreticis occultis: supponit ergo, hæreticos etiam occultos esse irregulares. Respondetur tamen in primis, aliquos

aliquos putare non adstringi concessionem illam ad hæreticos omnino occultos, sed extendi ad eos, qui non sunt iudicialiter inquisiti, sed solum extraiudicialiter comparentes, quod indicare videntur verba illa concessionis: *Vobis enim, ac Vicarijs præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per ordinarium, siue alios iudices*, &c. Nam Lutherani non solent appellari, qui semel in cubiculo hæresim internam signo aliquo externo expressérunt, sed qui sectam illam profitentur, qui occulti dicuntur quoad forum iudiciale: ita Hurtado vbi supra. §. 7. Sed quidquid de hoc sit, responderi potest stante opinione contraria probabili, & satis communi, prudenter peti potuisse facultatem à Pontifice ad dispensandum cum hæreticis occultis, quos communis satis doctorum sententia iudicat esse irregulares.

123 *Quæ notorietas requiratur ad hanc irregularitatem.*

Hinc oritur dubium, quæ notorietas requiratur ad hanc irregularitatem, an sufficiat notorietas facti, an verò requiratur notorietas per iudicis sententiam. Respondetur de notoriis ad minus notorietate qualibet etiam facti loqui decreta supra citata: & ita fatetur Hurtado vbi supra. §. 8. & consuetudo ac praxis id satis declarauit: ij enim omnes dispensatione indigent. Quæ etiam praxis, & vsus declarauit hanc irregularitatem non esse sicut illam, quæ præcisè ex infamia facti oritur, quæ ablata infamia eo ipso absque alia dispensatione cessat: nam hæreticus semel notorius manet irregularis, donec dispensetur: quod fieri potuit, partim quia quantumcumque emendetur, semper manet illa macula hæresis præteritæ, quæ illum reddit minus aptum ad dignitates, & munera Ecclesiastica: partim quia potuit satis condignè hæc pœna imponi hæretico notorio, vt fideles magis ab eo crimine terrerentur: non sic autem expediebat fortasse hæreticos omnino occultos eadem pœna punire, ne cogerentur suam hæresim secretam, quam secreta etiam pœnitentia expiauerant, manifestare, quod illis difficillimum esset, propter infamiam, quam incurrerent apud Catholicos, & propter alia inconuenientia.

124 *Quis possit in hac irregularitate dispensare.*

Consequenter quæri solet, quis possit in hac irregularitate dispensare; Certum est posse summum Pontificem. Dubium est ergo primò, de Episcopo: & distinguendum est de hæretico notorio, & de occulto. Nam si occultus contrahit irregularitatem, & indiget dispensatione, videtur hæc facultas concessa Episcopis in Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformatione*, vbi generaliter illis datur facultas dispensandi in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Aliqui tamen volunt exceptam etiam intelligi implicitè hæresim, propter regulam communem, quod in concessione aliorum casuum non intelligitur hæresis, nisi exprimatur. Ita Maiolus apud Sanchez *dicto cap. 25. num. 15.* Suarez verò *dicta sect. 1. num. 7.* putat satis exprimi ibi hæresim; cùm paulò post explicetur absolutionem etiam ab hæresi occulta Episcopo committi, cum certis limitationibus, cum quibus dispensatio etiam in irregularitate censetur concessa: id enim significant verba illa generalia *idem, & in hæresis crimine*, &c. quæ ad omnia præcedentia referri videntur. Sed tamen Sanchez *n. 16.* meritò putat verba illa solùm referri ad absolutionem, de qua proximè actum fuerat.

Addit tamen in generali concessione dispensandi in irregularitate ex delicto occulto comprehensam fuisse etiam irregularitatem ex hæresi; atque ideo absque iis limitationibus, cum quibus postea conceditur absolutio. Nam licèt in concessione facultatis ad absoluendum non intelligatur hæresis, nisi exprimatur: id tamen non procedit in facultate ad dispensandum: nam strictior est reseruatio hæresis quoad absolutionem, quàm quoad dispensationem: sicut è contra difficilior est dispensatio irregularitatis homicidij voluntarij, quàm absolutio ab eo peccato, à quo omnes confessarij absoluere possunt de iure communi, nisi Episcopus id sibi reseruet; dispensare tamen nemo potest nisi solus Papa, qui ratissimè dispensat. Differentia autem oritur ex diuersitate horum peccatorum, quæ diuersas exigunt medicandi rationes: quare eandem sententiam tenent Hurtado *vbi suprà §. 13.* qui alios affert; item Farinacius *de hæresi, quæst. 192. num. 79.* Castro Palao *dicto puncto 4. num. 3.* qui idem dicunt, etiamsi facultas ibi data ad absoluendum ablata hodie sit per Bullam Cœnæ: nam ablata facultate ad absoluendum, non aufertur illa alia ad dispensandum, & Bulla Cœnæ nihil dicit de facultatibus ad dispensandum, sed solùm de facultatibus ad absoluendum ab illis casibus; quod mihi etiam satis probabile videtur, & pro ea sententia quam ipse etiam sequitur, plures affert Diana *2. part. tract. 1. miscellan. resolut. 24.*

125

Opponit tamen sibi Sanchez *vbi suprà n. 17.* argumentum, quod dicit esse satis difficile, ex cap. *Cùm illorum*, de sentent. excom. vbi generaliter dicitur, Episcopum non posse dispensare in iis casibus, in quibus non potest absoluere: quia ablata facultate ad minus, qualis est facultas ad absoluendum, aufertur facultas ad maius, qualis est ad dispensandum. Vnde illam regulam inferunt glossa, Abbas, Felinus, & alij ibi quod qui absoluere non potest, nequit etiam dispensare. Quod argumentum tanti ponderis est apud Suarez *vbi suprà num. 7.* vt propter illud fateatur reuocata per Bullam Cœnæ facultate Episcopi ad absoluendum ab hæresi, intelligi reuocatam facultatem dispensandi in irregularitate ex hæresi occulta.

Sed tamen Filliucius *tom. 1. tractat. 20. cap. 9. num. 246.* dicit in illo textu supponi potiùs, maius quid esse posse absoluere, quàm posse dispensare, atque ex eo quod Episcopus in casu ibi adducto non poterat dispensare, inferre Pontificem, quod neque possit absoluere: quem sensum dicit constare legenti, & obseruandum esse contra glossam, & alios, qui corrumpunt textum. Quam explicationem laudat, & approbat Diana *2. part. tract. 1. miscell. resol. 14.* Quam tamen negare non possum esse singularem, & contra communem interpretum sensum: quare oportet verba illius textus in medium proferre, vt eam examinemus.

126 *Quid agendũ cum excommunicatis ob violentas manus in Clericos iniectas, qui ordines susceperunt.*

Casus itaque ibi propositus erat, quid agendum sit cum iis, qui cùm essent excõmunicatione irretiti ob violentas manus in Clericos iniectas, quæ excommunicatio Apostolicæ Sedi reseruata est; Ecclesiasticos tamen ordines susceperunt. Quos Pontifex diuidit in duas classes. Primam eorum, qui scienter susceperunt ordines. Secundam eorum, qui ex obliuione criminis, vel iuris ignorantia id fecerunt. Qua distinctione suppositа sic statuit. *Primos si fuerint secula-*

res Clerici, à susceptis ordinibus censemus in perpetuum deponendos: in reliquis casibus, tam Archiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, dispensandi facultatem se nouerint non habere, quibus etiam est absolutio talium interdicta: cùm maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Poterunt tamen huiusmodi Romani Pontificis auribus intimari, vt ab eo secundum rigorem, vel æquitatem responsum prodeat, provt discretio sua viderit faciendum. Postea verò subdit quid faciendum sit cum regularibus, in iis casibus. Quidam ergo, nempe Filliucius, & Diana, in verbis illis, *cum maiora intelligantur illis prohibita*, &c. dicunt rationem reddi, non cur non possint Episcopi dispensare, sed cur non possint absoluere: nempe quia cùm non possint dispensare, quod est minus, non poterunt absoluere, quod est plus quàm dispensare: quare ex negata facultate ad dispensandum infertur negata ad absoluendum, non verò è contra. Alij verò interpretes dicunt, rationem non reddi, cur non possint absoluere, sed cur non possint dispensare, quod probat Pontifex in illis verbis: *quibus etiam est absolutio talium interdicta, cùm minora intelligantur illis prohibita*, &c.

127 Hæc secunda communisque interpretatio videtur mihi legitima, & genuina illius textus. Primò quia alioquin videretur sibi Pontifex in hoc eodem capite contradicere: nam reipsa postea loquens de regularibus, concedit Abbatibus facultatem absoluendi subditos ab ea excommunicatione, exceptis quibusdam casibus grauioribus, negat tamen facultatem dispensandi cum iis, qui scienter cum tali excommunicatione ordines suscepissent: pluris ergo facit Pontifex facultatem illam dispensandi, quàm absoluendi, siquidem illam Abbatibus regularibus negat; hanc verò concedit. Secundò quia verba illa, *quibus est etiam absolutio talium interdicta*: non videntur posse afferri, nisi vt rationem ad probandum non posse ab Episcopis dispensari, non verò vt conclusionem probandam: quia casus ibi propositus, de quo Pontifex consulebatur, non erat an Episcopi possent illos absoluere: de hoc enim non fuerat dubitatum, imò ad proponendum dubium tunc occurrens supponitur in ipso initio illius capitis absolutionem illam esse soli Pontifici reseruatam his verbis: *cùm illorum absolutio, qui pro violenta manuum iniectione in clericos labem excommunicationis incurrunt (quibusdam casibus à prædecessore nostro exceptis) sedi duntaxat Apostolicæ reseruetur: nonnulli Ecclesiasticam sententiam negligentes, in excommunicatione positi, Ecclesiasticos ordines accipere non formidant: quia autem de his fieri debeat, Apostolicum sæpius oraculum imploratur.* Vbi vides vnum supponi, nempe absolutionem esse reseruatam Pontifici; alterum quæri, nempe quid agendum cum iis, qui excommunicati ordines acceperunt. Non ergo erat, quod rediret Pontifex ad probandum id, quod supponebatur, nempe Episcopos non posse absoluere, sed id solùm affert ad probandum id, de quo quærebatur, nempe illos non posse dispensari ab Episcopis, quia eos nec possunt absoluere. Tertiò denique hoc ipsum colligitur ex verbis immediatè sequentibus: nam postquam dictum est Episcopos, non posse dispensare, qui nec absoluere possunt, *cùm maiora illis intelligantur prohibita, quibus vetita sunt minora*: statim immediatè subditur: *Poterunt tamen huiusmodi Romani Pontificis auribus intimari, vt ab eo secundum rigorem, vel æquitatem responsum prodeat*, &c. Quæ verba loquuntur planè de dispensatione, de qua Pontifex iudicaturus dicitur, an expediat, remisso Ecclesiastico rigore, aliquando concedere. Considerandaautem est illa aduersatiua, *tamen*, quæ referri debet ad præcedentia: non ergo erat sermo in proximè præcedentibus de probanda carentia facultatis, in Episcopo ad absoluendum, sed potiùs ad dispensandum, quæ probata fuit ex eo, quòd nec absoluere posset. Quare stabilio, quòd Episcopus dispensare non possit, optimè subiungitur: *Poterunt tamen huiusmodi*, &c. Quasi dicat, licèt ij non possint ab Episcopo dispensari, non tamen manent sine remedio, sed poterit Papa de iis informari, vt iudicet, an cum iis dispensare expediat. Quare iuxta illam communem interpretationem rectè omnia in textu cohærent nec alia sine violentia posse videtur adhiberi.

Solùm posset obiici in fauorem illius alterius 128
interpretationis, quòd in 2. parte illius capitis Cocdin.
Pontifex agens de regularibus, non solùm statuit, quis possit vel non possit cum illis eo casu dispensare, sed etiam, quis debeat eos ab ea censura absoluere: ergo fatendum est, ne doctrina circa sæculares fuerit diminuta, vtrumque etiam circa illos statutum fuisse à Pontifice nempe circa dispensationem, atque etiam circa absolutionem: quare verba illa; *quibus etiam est absolutio talium interdicta* non fuerunt solùm adducta ad probandum non esse dispensandos ab Episcopo, sed potiùs vt conclusionem statutam circa facultatem ad absoluendum. Ad hoc tamen respondeti potest negando consequentiam: nam circa sæculares solùm quærebatur de dispensatione, ideo nihil oportebat circa illos statuere de absolutione: circa Regulares verò voluit Pontifex ea occasione aliquid nouum statuere in ordine ad absolutionem, & mitigare rigorem antiquum in fauorem status Religiosi: ideo non mirum, quod de vtraque facultate decreuerit quid faciendum: cùm non posset nouum ius introduci sine decreto nouo, quod, tamen nouum ius circa absolutionem sæcularium inducere noluit.

Relicta ergo ea interpretatione, remanet difficultas supra proposita ex illo textu contra facultatem Episcopi perseuerantem ad dispensandum ablata per bullam cœnæ facultate ad absoluendum. Ad quam difficultatem Sanchez *vbi supra num.* 18. dicit regulam ibi statutam à Pontifice veram esse, quòd ablata facultate ad minus, auferatur etiam facultas ad id quod est plus: quæ regula bene applicatur ad casum illius textus: nam facultas dispensandi cum clerico male ordinato, plus est, quàm facultas illum absoluendi à censura Canonis: non tamen applicari bene regulam illam ad nostrum casum, quia reseruatio absolutionis ab hæresi strictissima est: quare si comparetur cum facultate ad dispensandum in hac irregularitate adeo dubia ex hæresi occulta, non maior, sed potius minor æstimanda erit facultas hæc ad dispensandum, quàm illa ad absoluendum, vnde ex reuocatione huius non arguitur reuocata esse & illa alia. 129

Hæc respõsio probabilis est & in eius confirma- 130
tionem

tionem ponderari potest, quod Paulus III. in bulla sua edita anno 1549. quæ incipit *licèt debitum*, concessit Generali Societatis facultatem dispensandi cum omnibus suis subditis, qui vota religiosa in Societate emiserint, in omni irregularitate, (excepta, ex homicidio voluntario, bigamiæ, & mutilatione membrorum) pro vtroque foro, atque adeo in irregularitate etiam ex hæresi occulta proueniente; & tamen in eadem Bulla negauit eidem Generali facultatem eosdem absoluendi à relapsu in hæresim, & aliquibus aliis. Pluris ergo faciebat absolutionem ab his criminibus, quàm dispensationem ab iis irregularitatibus. Et hæc quidem responsio ad præsentem difficultatem sufficeret. Cæterùm, vt verum fatear ego ægrè concedam regulam illam, cum tota illa vniuersalitate, vt quando aliquis habet iam facultatem ad duos actus non subordinatos, sed disparatos, si auferatur illi facultas ad faciliorem, intelligi debeat eo ipso ablata ad alium difficiliorem. Quod quidem in genere loquendo non videtur esse verum. Nam si subditus religiosus facultatem habeat generalem à suo Prælato exeundi, domo & facultatem etiam habeat dandi vnum librum alteri religioso, quamuis prima facultas maior sit, quàm secunda, reuocata tamen hac secunda non ideo censeretur reuocata prima: imò licèt vtraque esset in eodem genere, vt si facultatem haberet dandi vni quinque libros, & alteri vnum, reuocata hac secunda non censeretur prima reuocata. Quod idem cum proportione dicendum videtur de facultatibus à summo Pontifice concessis: si enim summus Pontifex reuocet vnum priuilegium, vel facultatem alicui religioni concessam, non ideo censetur reuocare omnia alia priuilegia, vel facultates maiores illi religioni concessas, quarum vsus constare potest sine vsu illius, quæ reuocatur, quod patet ex vsu, & praxi: sæpe enim Pontifex ex causa reuocat aliquod speciale priuilegium alicuius Ordinis, nec ideo religiosi putant se iam carere aliis omnibus priuilegiis, & facultatibus maioribus: cùm ergo Episcopi ex Tridentino haberent duas facultates diuersas, alteram ad dispensandum in irregularitate ex hæresi occulta, alteram ad absoluendum ab hæresi occulta, non est cur reuocata secunda censeatur reuocata prima, cuius vsus stare potest sine secunda, nempe ad dispensandum cum hæretico iam absoluto à Pontifice, vel ab alio habente facultatem absoluendi.

131 Solùm obstare videntur verba dicti cap. *cùm illorum*, vbi ex carentia potestatis ad absoluendum infertur carentia potestatis ad dispensandum. Ad id tamen dicere possumus ibi non probari ex reuocatione minoris facultatis reuocatam esse maiorem, sed ex carentia minoris probari carentiam maioris. Quando enim vnus habet duas facultates, & aufertur illi minor, non ideo aufertur illi maior, vt diximus, quia potest intercedere causa specialis vt auferatur vna, quæ non cogat ad auferendam alteram etiam maiorem. Quando verò aliquis prætendit sibi ex officio competere facultatem ad aliquem actum, tunc bene arguitur ex carentia potestatis ad minus in eodem genere carentia potestatis ad id, quod est plus. Hoc autem videtur esse argumentum, quo Pontifex vtitur in illo textu: non enim negat, posse Episcopis concedi à Pontifice potestatem dispensandi cum hæretico, non concessa eis facultate absoluendi: imò id fieri posse supponit ibi Pontifex, dum monet Episcopos, quod *absque mandato Sedis Apostolicæ speciali dispensandi facultatem se nouerint non habere* Habent ergo ex concessione sedis Apostolicæ, quando id eis conceditur, quamuis non concedatur facultas absoluendi, quæ non solet Episcopis cum commissione ad dispensandum delegari. Quod ergo Episcopi ex se, & sine concessione Pontificis, non possint dispensare cum hæretico, probat bene, quia ex se & sine simili concessione, non possunt illum absoluere: quod quidem est minus, & magis videbatur eis ex officio competere: nam Episcopus ex officio potest ab omnibus peccatis suos subditos absoluere: quam Potestatem abstulit Pontifex quoad absolutionem ab hæresi, eam sibi reseruando: dispensatio autem irregularitatis non competit Episcopo ex officio; quia cùm irregularitatis sit lex vniuersalis, & Principis superioris, in qua inferior dispensare non potest; non habet ex officio suo Episcopus potestatem dispensandi cum irregulari. Si ergo non potest absoluere hæreticum, quod quidem ex officio competere videbatur Episcopo, nisi Papa prohibuisset, quantò minus poterit ex officio, & sine concessione Pontificis dispensare cum hæretico, quod est dispensare in lege superioris, & quod ex officio non competit inferiori? Hoc est argumentum optimum, quod ibi vtitur Innocentius, non verò negat posse facultatem ad dispensandum concedi à Papa, sine facultate ad absoluendum, aut vtraque concessa vtramque reuocari, eo ipso, quòd facultas ad absoluendum reuocatur: Et hæc dicta sint pro explicatione illius textus, qui magnum negotium facessit Sancio, & Suario, vt diximus, & qui, ne nimium probet, ab omnibus explicandus videtur.

132 Aduerte tamen, si sermo sit, non de dispensatione simpliciter, vt hæreticus conuersus promoueatur ad ordines, sed solùm vt ministret in iis, quos habebat, potuisse Episcopos de iure antiquo cum hæreticis etiam notoriis ad hoc dispensare, vt colligitur ex 7. Synodo, & aliis decretis supra relatis, in quibus statuitur posse eos hæreticos recipi in eodē gradu quem habebant, quod necessariò intelligendum videtur ex voluntate Episcopi: nam si sermo esset de summo Pontifice, is potest etiam concedere vt ad altiorem promoueantur, vt obseruauit Suarez *dicta disp.* 43. *de censur. num.* 6. vnde id concedit Sanchez *dicto cap.* 25. *num.* 14. & Suarez *ibidem:* licèt postea *disp.* 21. *de fide, sect.* 5. *num.* 2. id videatur negare. Addunt tamen Pius V. Inquisitori Generali Hispaniæ prohibuisse, ne dispensaret, vt promouerentur, vel etiam vt promoti sacerdotes ad ministerium altaris accederent anno 1557. vt refert Penna *in director. inquisit.* 3. *part. quæst.* 126. *comment.* 175. Vnde inferunt, Episcopis etiam ablatam hanc potestatem quoad sacerdotes, & à fortiori, nec Episcopos ab hæresi reuertentes posse ab alio, quàm à Summo Pontifice, ad actus Pontificales admitti; præsertim cùm Episcoporum causæ in negotio hæresis sint Papæ reseruatæ in *cap. Inquisitores*, de hæret. in 6. Hurtado verò *disp.* 87. *sect.* 3. §. 27. multum dubitat, quòd ablata sit Episcopis ea facultas, Primò quia non satis constat de ea prohibitione: Secundò quia illa prohibitio facta est inquisitori non Episcopis. Tertiò quia ad summum facta est pro Hispania, non pro aliis locis: quare concludit, Episcopos in Hispania non posse licitè cum

sacerdo

sacerdotibus dispensare. Ego credo nec validè, quia causæ hæreticorum ibi auocatæ sunt ad inquisitores cum Ordinario, qui sine illis non potest in foro externo de hæreticis cognoscere. Si autem inquisitores ibi non possunt cum sacerdote hæretico notorio dispensare, nec Episcopus quidquam sine illis potest in foro externo, Consequens est, vt Episcopi facultas ibi non deseruiat: quod idem erit, vbicumque Episcopi non possunt sine inquisitoribus de hæreticis cognoscere: nam sicut non possunt sine inquisitoribus condemnare iudicialiter Reum, ita nec in foro externo absoluere, vt cum aliis multis probat Diana *part. 4. tract. 5. de Confessariis sollicitantibus resol. 53.* Aduertendum item est, an ij, aliunde incurrerint suspensionem ex eo, quod ordinati sint ab Episcopo hæretico, vel schismatico & quis possit ab ea absoluere: de qua videri potest Suarez *disp. 31. de censuris sect. 1. à num. 61.* atque etiã, an incurrerint irregularitatem aliam, ex eo quòd exercuerint actus ordinis, vel celebrauerint cum excõmunicatione, vel suspẽsione, in qua irregularitate, quando ex delicto non occulto procedit, nemo nisi Summus Pontifex, vel ex eius speciali commissione dispensare potest.

133 *Inquisitores an possint cũ hæretico conuerso dispensare in hac irregularitate.*

Secundò dubitari solet de inquisitoribus, an possint cum hæretico conuerso dispensare in hac irregularitate. Pro sententia affirmante affert aliquos Auctores Diana *4. part. tract. 8. de officio & potestate inquisitorum resolut. 85:* qui fundantur in concessione illa Clementis VII. suprà relata. Illa tamen loquebatur solùm de hæreticis occultis; deinde fuit fortasse solùm personalis pro illis, quibus facta fuit. Hurtado dicta disp. 87. §. 31. dicit fortasse posse illos dispensare cum hæreticis occultis pro foro conscientiæ, de quo tamen constare nobis non potest, nisi ex eorumdem inquisitorum testimonio. Alij absolutè negant eos posse dispensare, ita Sanchez *dicto capite 25. numero 19.* Suarez *disputatione 43. de censuris, sectione 1. numero 5.* Sanctarellus, & alij quos affert, & sequitur Diana *loco citato*, & cùm id non possint, nisi ex concessione Papæ, quandiu de ea non constat, non est cur aliter dicamus. Et quidem etiam quo ad occultos limitatam fuisse inquisitorum potestatem à Pio V. vidimus supra.

134 *An Prælati regulariũ ergà suos subditos.*

Dubitari posset de Prælatis regularium erga suos subditos; de hoc tamen consulenda sunt priuilegia, & facultates singulorum ordinum, quorum Prælati scient, quousque eorum facultas ex summorum Pontificum concessione extendatur: nec vidi adhuc reuocationem harum facultatum, nisi earum, quæ viuæ vocis solùm oraculo fuerant concessæ. Nam licèt facultates ad absoluendum per Bullam cœnæ reuocentur; iam diximus non intelligi eo ipso reuocari facultatem concessam ad dispensandum in irregularitate cum eo, qui iam sit legitimè absolutus.

§. I.

De Pœna infamiæ.

135 *Pœnam infamiæ ipso iure incurrunt hæretici.*

TErtia pœna numerari potest infamia, quam certum est hæreticos ipso iure incurrere, ex cap. *excommunicamus 1. §. credentes* de hæreticis, & ex cap. *statutum.* eod. titi. n 6. & ex cap. *Infames 6.* quæst. 1. & ex Authent. *Gazaros*, in principio Cod. de hæreticis, & ex l. *cunctos populos.* Cod de summa Trinit. & aliis quæ congerit Farinacius *de hæresi quæst. 189. num. 4.* Suarez *in præsenti disp. 21. sect. 5. num. 3.* qui notat, hanc infamiam consistere in hoc, quod infamibus omnes portæ ad quaslibet dignitates claudantur, iuxta regulam communem in regula *infamibus. 88.* de reg. iuris in sexto. Vnde hæretici non admittuntur in testes, vt dixit S. Augustin. epist. 50. ad Bonifacium comitem, quia nulla fides debetur testimonio illius, qui fidem negat testimonio diuino; in odium tamen eiusdem hæresis admittuntur testes hæretici ad conuincendam hæresim alterius hæretici. Dubium est, an hæc pœna incurratur ante sententiam, & an ab hæretico occulto.

P. Suarez *loco proximè citato in præsenti n. 4. & disp. 48. de censuris sect. 1. à num. 16.* nimis 136
strictè loquitur dicens incurri ante sententiam & ab hæretico omnino occulto, qui licèt non perdat famam quoad notitiam actualem aliorum, atque adeo non incurrat infamiam quoad substantiam, incurrit eam quoad effectus iuris, qui sunt inhabilitates ad officia, &c. Quare ab illo puncto irritæ erunt actiones exigentes ad sui valorem talem habilitatem; licèt plerũque propter communem errorem, & titulum coloratum sortiantur effectũ ex lege *Barbarius.* ff. de offic. Præt. Ratio autem est, quia alioquin nihil amplius operabitur verbum illud, *ipso iure*, si expectanda est sententia, à qua si infamia inferatur, iam non à iure, sed ab homine iudice inferetur.

Alij dicunt, non incurri ante sententiam declaratoriam criminis, licèt non requiratur sententia condemnans ad infamiam; ita cum aliis Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 26. num. 1.* Hurtado *dicta disp. 87. sect. 4.* Castro Palao, *dicto tract. 4. disp. 4. puncto 4. num. 4.* Addunt tamen Sanchez, & Castro Palao, hoc intelligi de infamia iuris, nam infamia facti contrahetur ipso facto, quod crimen notorium fiat, absque alia sententia: quam infamiam facti notat idem Sanchez num. 2. aboleri per factum contrarium.

Posset media via excogitari, & dici, non requi- 137
ri sententiam declaratoriam criminis ad hanc pœnam incurrendam, sed sufficere notorietatem non solùm per sententiam, sed etiam per factum ipsum, ita vt vbi primum crimen factum est publicum, incurratur, & ad hoc addi verba illa, *ipso iure*, quasi lex ipsa posita notorietate absque opera iudicis inferat illam pœnam. Hæreticam tamen occultum, quandiu occultus manet, eam nó incurrere, quia licèt incurrat alias pœnas spirituales, vt excommunicationem, & similes, id tamen in pœna infamiæ non procederet etiam quoad illius effectus. Nam effectus infamiæ non aliter imponuntur in pœnam hæretico, quàm vt effectus infamiæ, ex qua oriuntur: si ergo infamia ipsa quoad substantiam non incurritur ab hæretico occulto, vt fatetur Suarez,, quia adhuc retinet suam famam, imò, & ius ad illam conseruandam; atque adeo peccarent contrà iustitiam qui eum infamarent: non potest deficiente causa contrahere inhabilitatem, & alios effectus, qui solùm vt effectus infamiæ deberent incurri. Nota tamen cum Sanchez vbi suprà posse aliunde ratione excommunicationis, vel ex alio capite incurri ab hæretico occulto aliquam inhabilitatem, & incapacitatem ad beneficia, vel ad aliqua alia: nunc tamen loquimur de illis effectibus, qui præcisè

precisè ratione infamiæ prouenire deberet. Hanc autem mediam sententiam videtur amplecti Lorca *in præsenti disp.47.num.3.* quamuis non satis clarè loquatur, & illi fauent plures dicentes, hæreticum occultum non incurrere infamiam, quos affert Sanchez vbi suprà.

138 Dixi, posse hanc viam mediam excogitari, vt satisfaceret præsenti difficultati, & argumentis Suarij. Nolo enim nunc decidere quæstionem aliam magis vniuersalem, an in eiusmodi pœnis inhabilitatis ad officia, priuationis vocis, & alias similes requiratur sententia declaratoria criminis ad eas incurrendas, quando in ipsa lege additur, *ipso iure, & absque alia declaratione.* Scio namque sententiam esse multorum Doctorum, adhuc non incurri ante talem sententiam, de qua videri possunt vltra alios Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp.53.à num.5. & lib.9.disp.30.n.2.& lib.2.in Decal.cap.22. num.20.& cap.39.n.vltimo*, & alij, quos affert Castro Palao 1. *tom. tract. 3.disp.2.puncto 2.*

§. II.

De pœna priuationis beneficiorum, & aliis pœnis.

139 *Hæreticus priuatur beneficiis, & officiis acquisitis, & inhabilis redditur.*

QVæ tta pœna hæretici est, quod priuetur beneficiis, & officiis acquisitis, & inhabilis reddatur ad futura. Et quidem quod attinet ad futura, non est difficultas, quia cùm hæreticus sit excommunicatus, atque, si est notorius, sit irregularis, collatio beneficij eo ipso erit irrita. Præsertim cùm expresè in iure irrita reddatur talis collatio facta hæretico in cap. 2. §. *hæretici*, de hæreticis in 6. vbi si quid tale factum fuerit, irritum, & inane declaratur, vt cum aliis docet Sanchez *lib.2.in Decal.cap.26.num.4.* Obseruat autem Hurtado *dicta disp. 87. §. 20. & sequentibus*, verba illius textus intelligi de hæretico notorio: quare occultus, si sit reconciliatus, & absolutus, non erit incapax beneficij acquirendi: cùm iam non sit incapax ratione excommunicationis, nec ex alio capite sit hæc incapacitas in iure expressa. Quod etiã tenet Castr. Palao *tom.1.d.tract. 4.disp.4.puncto 5.§.2.* Addendum tamen videtur, non acquirere ius omnino firmum ad illud beneficium, sed infirmum, & irritabile; nam si postea probabitur in iudicio hæresis præterita, sicut declarabitur à die commissi criminis priuatus beneficio, quod habebat ante hæresim, vt mox videbimus, ita à fortiori declarabitur quoad effectum irrita collatio beneficij facta post hæresim. Quod saltem videtur concedendum in sententia communi dicente, confiscari omnia bona hæretici vsque ad sententiam acquisita, etiamsi aliqua acquisierit post hæresim relictam: & absolutionem in foro conscientiæ impetratam, quam cum aliis defendit Suarez *disp. 22. sect. 1. num. 15.* de quo dicemus disp. sequenti agentes de pœnis temporalibus hæreticorum: eadem enim ratio videtur de beneficio, ac aliis bonis, vt omnia acquirantur solùm amissibiliter, post sententiam subsequentem.

140 *An à die cõmissi delicti incurratur priuatio beneficii ante hæresim habiti.*

Difficultas est de priuatione beneficij ante hæresim habiti, an à die commissi delicti incurratur, ita vt ante vllam sententiam amittat reuera hæreticus titulum, quem habebat. Prima sententia affirmat quam tenent innumeri ex Theologis, & Iuristis, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto c. 26. tom. 6.* Suarez etiam *disp. 43. de Censuris sect. 1. n. 4.* Farinacius, Gonzales, & alij quos affert, & sequitur Castro Palao, *dicto punct. 5. num. 4.* Alij dicunt non perdi titulum vsque ad sententiam. Pro qua plures referunt Sanchez *vbi supra num. 5.* & Suarez *in præsenti disp. 21. sect. 5. num. 18.* qui magna ex parte ad eam accedit moderando id, quod in priori loco de censuris tenuerat.

Controuersia hæc iam ferè reducitur ad quæ- 141
stionem de nomine, vt notauit etiam Hurtado dicta disp. 87. sect. 2. §. 15. Quod si aliquid est de re, id non est magni momenti quod attinet, ad praxim. Nam Sanchez, Castro Palao, & alij plures doctores primæ sententiæ fatentur, non debere hæreticum ante sententiam dimittere beneficium antea legitimè acquisitum, sed posse illud retinere, percipere fructus, resignare in fauorem tertij, permutare &c. quia ratione possessionis legitimæ hæc omnia potest; quæ tamen sequuta sententia rescinduntur, sicut si facta non essent, & repetuntur fructus omnes; imò addit Sanchez *num. 8.* requiri non solùm sententiam, sed sententiæ exequutionem per iudicem factam, ante quam reus non tenetur ex se beneficium dimittere, nisi fortè iudex in sententia præciperet, vt Reus beneficium dimitteret, Rursus Suarez in præsenti loco citato, Hurtado *dicta sect. 2.* & alij concedentes manere titulum, vsque ad sententiam, fatentur tamen sequuta sententia eam retrotrahi ad diem commissi delicti, & omnia perinde haberi ac si fuissent irrita. Vnde resignatio, vel permutatio, medio tempore facta, non potuit ius firmum, & irreuocabile in alium transferre, sed infirmum, & reuocabile dependenter à sententia, si postea subsequatur: sicut etiam fructus interim percepti manent obnoxij confiscationi, sicut alia bona. Potest item impetrari beneficium illud tanquam iure vacans, quidquid sit an conferri possit non citato illo, qui possidet.

Restat ergo solùm dissensio, an hæreticus 142
medio illo tempore dicendus sit habere titulum, an verò solùm possessionem præstantem eosdem effectus, quos præstaret titulus; in quo placet magis modus loquendi Suarij *in 2. loco*, & Hurtadi, & in quem tandem deuenit Castro Palao *vbi supra num. 6. in fine*, manere aliqualem titulum vsque ad sententiam, & non meram possessionem: si enim titulum nullum habet, non apparet, quomodo non indigeat noua collatione ad illud beneficium perpetuò retinendum, ad percipiendos, & distrahendos fructus, & ad illud resignandum, & transferendum in alium, in quem non poterit transferre titulum, quo ipse omnino caret. Melius ergo dicitur vel priuatum quidem fuisse titulo sub conditione futura, idest si sententia sequitur, vt loquitur tandem Castro Palao: quare adueniente postea sententia purificatur conditio, & verificatur semper caruisse titulo: vel certè melius dici potest retineri totum titulum, infirmum tamen, & periculo expositum, quatenus ob crimen commissum, si postea probetur, & feratur sententia, potetit non solùm priuari, sed per fictionem iuris retrotrahi sententia ad diem commissi criminis, sicut si eo die titulum perdidisset, licèt reuera illum non perdiderit. *An hæreticus medio illo tẽpore dicendus sit habere titulum.*

Quamuis autem plura decreta afferri soleant ad

ad probandum statim hæreticum manere priuatum ipso iure beneficiis, ea tamen omnia benè explicant Suarez, & alij, quia in illis omnibus, vel est sermo de priuatione per iudicem exequenda, vel nimium probarent, nempe nec fructus beneficij ante sententiam percipi, aut possideri posse, quod tamen aduersarij non contendunt. Afferri etiam solet motus proprius Pij V. qui incipit, *cùm ex Apostolatus*, & refertur à Peña in fine directorij inquisit. inter litteras Apostolicas, vbi Pius V. beneficia ob hæresim vacantia reseruat Apostolicæ Sedis prouisioni: vnde arguere volunt, quod ipso iure vacent. Sed tamen ipse Sanchez fatetur *num.* 6. inde nihil probari: quia Pontifex non decernit, quando vacent, an post, an ante sententiam, sed solùm vult quandocunque vacent, pertinere ad prouisionem Sedis Apostolicæ.

Aduertunt prædicti Doctores, lata sententia exigendos esse pro fisco fructus omnes ab hæretico perceptos, nec posse ab ipso partem aliquam retineri eo prætextu, quod sit pars correspondens ministerio, & labori à se exhibito: cùm enim bona omnia hæretici confiscentur, pars illa etiam labori correspondens debet confiscari, ita Sanchez *n.* 11. Castro Palao vbi *supra num.* 6. post medium, & Hurtado *vbi supra* §. 18.

144 *An si hæreticus resipiscat possit & debeat etiam in foro externo sua beneficia retinere.*

Dubium est, an si hæreticus resipiscat, possit, & debeat etiam in foro externo sua beneficia retinere. Aliqui affirmant, & colligunt ex cap. *ad abolendam*, versiculo *præsenti* de hæreticis, vbi postquam dictum est, hæreticum omni beneficio, & officio spoliatum Ecclesiastico, relinquendum esse Curiæ sæculari, additur; *nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam vnitus, sponte recurrere, & errorem suum ad arbitriũ Episcopi regionis publicè consenserit abiurare, & satisfactionem congruam exhibere.* Affertur etiam ab Hurtado §. 24. ex Bonifacio VIII. in cap. *statutum*, de hæreticis in 6. vbi statutum prædecessorum suorum, quod hæretici, & eorum filij non admittantur ad aliquod beneficium moderatur, & postea addit, hoc intelligendum, de hæreticis, qui non egerunt pœnitentiam. Hic tamen textus parum vrget, quia illa exceptio pœnitentium refertur solùm ad pœnam, & inhabilitatem filiorum: quamuis enim antea de hæreticis, & eorum filiis, actum fuerat, postea id, quod dictum fuerat de filiis, limitat Pontifex dicens, id intelligi solùm de filiis eorum, qui sine pœnitentia decesserunt: non dixit intelligi solùm de hæreticis, qui pœnitentiam non egerunt, sed de filiis eorum.

145 Alij tamen vniuersaliter dicunt, non obstante pœnitentia, priuari suis beneficiis. Alij distinguunt; nam si seipsum deferat sponte, vt absoluatur, vel certè quandiu durat tempus gratiæ, seu ante receptas probationes fateatur, & conuertatur, dicunt, non priuandum beneficiis. Alij id extendunt ad totum tempus ante sententiam definitiuam. Auctores earum sententiarum vide apud Castro Palaum *vbi supra num.* 7. Ego puto in primis eos, qui se sponte deferunt, vt absoluantur, etiamsi non in solo foro conscientiæ, sed etiam iudicialiter absoluantur, posse retinere sua beneficia, quia illi non tam per sententiam damnantur vt hæretici, quàm absoluuntur, & hanc credo esse praxim. Quando verò ab aliis deferuntur, & per sententiam declarantur, & condemnantur tanquam hæretici, priuatio beneficiorum consequitur iure ipso, nec videtur posse ab inquisitoribus impediri, sed à solo summo Pontifice, vt fatentur Sanchez *vbi supra n.* 13. Castro Palao *num.* 8. Hurtado §. 24. Quod tamen videtur intelligendum, nisi inquisitores facultatem habeant temperandi, aut remittendi aliquando ex causa rationabili pœnas non solùm, quæ ab homine imponendæ essent, sed quæ ab ipso iure sine iudicis ministerio imponuntur, qualem diximus esse beneficiorum priuationem.

Pœna hæc extensa est in cap. *quicumque* §. *ad hæc*, de hæreticis in 6. ad eos, qui ad preces hæreticorum, vel credentium, receptatorum, defensorum, vel fautorum eorum, dignitates, personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, quos Papa ex tunc eis priuat in perpetuum: imò si scienter acceperunt, prohibet ne ad alia vel similia in perpetuum admittantur: Circa quem textum Castro Palao *vbi supra num.* 9. notauit Primò, preces debere esse efficaces. Secundò hoc ipsum constare debere accipienti: quod secundum verissimum est loquendo de inhabilitate ad alia beneficia, ad quam incurrendam Pontifex addidit conditionem illam, quod *scienter* acceperit, quod tamen cùm ad alia non addiderit, imo constituerit vnum casum ab alio, non video, quo fundamento possit ad primam etiam priuationem exigi. Nec mirum quod ignoranter accipiens priuetur beneficio; id enim potuit fieri in odium personæ intercedentis, vt contingit in Simonia per tertiam commissa, & in ordinato ab hæretico, aut excommunicato, & aliis multis. Magis credo id, ad quod aliquantulum inclinat idem Auctor ibi, nempe inhabilitatem ad alia beneficia, non esse pœnam ipso iure incurrendam, sed iudicis ministerio, cùm Pontifex solum dicat, *non admittantur.* 145

Aliæ pœnæ spirituales addi solent, de quibus Suarez *in præsen. dict. disp.* 21. *sect.* 5. *à n.* 6. nempe priuatio potestatis ordinis, & Iurisdictionis spiritualis. Quod attinet tamen ad potestatem ordinis, certum est, eam non admitti per hæresim, cùm sit indelebilis, quare hæreticus reconciliatus non indiget noua ordinatione, vt possit ordinis actus exercere, atque etiam durante hæresi validè eos exercet. Quod Suarez *num.* 11. extendit ad sacramentalia, qualis est consecratio Ecclesiæ, benedictio aquæ, & similia, quæ licet fortasse Ecclesia posset reddere irrita, non tamen id inuenitur fecisse; nec expediebat, vt qui validè potest cõsecrare Eucharistiam, non posset validè aquam benedicere. Prohibetur tamen hæreticus durante hæresi, eos actus exercere, cùm sit excommunicatus. Imò aliqua huiusmodi, si ab hæretico fiant, Ecclesia reddit irrita quoad vsum, quatenus ordinatus ab hæretico: v. g. prohibet ne ministret in ordine susceptо: quo pacto intelliguntur aliqui antiqui dicentes eam ordinationem iritam esse. 146 *Hæreticus non amittit potestatem ordinis & iurisdictionis.*

Quod denique attinet ad Iurisdictionem spiritualem: certum est per hæresim, & eius excommunicationem deperdi ex parte hæretici, quod commune est omnibus excommunicatis, excommunicatione maiori. Dixi, *ex parte hæretici*; quia post Extrauagantem *Ad euitanda*, possunt alij fideles licitè in omnibus communicare cum excommunicato non denunciato, & ab illo recipere absolutionem validam, sicut alij omnes

omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, & spiritualis validi erunt, licèt ipse excommunicatus illicitè ex parte sua eos exerceat, saltem quando non est ab aliis requisitus, quod pertinet ad materiam de censuris, nec habet aliquid speciale in hæretico, vt notauit idem Suarez n. 15.

DISPVTATIO XXIV.

De pœnis temporalibus, & corporalibus hæreticorum.

SECTIO I. *De pœna confiscationis bonorum hæreticis impositæ.*

II. *De pœnis corporalibus, & in primis de pœna capitali.*

III. *De aliis pœnis corporalibus, & temporalibus.*

NOTITIA, & praxis harum pœnarum ferè tota pertinet ad forum externum, & ideo latè de iis agunt doctores Iuristæ, quamuis ex Theologis satis diffusè de his egerint Sanchez *dicto lib. 2. in Decal.* & Castro Palao *dicto tract. 4.* qui videri possunt. Ego enim Theologo solùm offeram notitiam breuem ad dirigendam conscientiam pœnitentis, vel consulentis, reliqua verò apud Iuristas, vel apud prædictos Theologos videre poterit, occurrente fortasse casu difficiliori, qui latissimè omnia prosequuntur.

SECTIO I.

De pœna confiscationis bonorum hæreticis impositæ.

1 CErtum est, hanc pœnam tam iure Canonico, quàm Ciuili hæreticis esse impositam, in l. *Manichæos*, cum duabus sequentibus; Authent. *Gazaros* Cod. de hæret. l. *quisquis*, & l. vltima Cod. ad leg. Iuliam Maiest. & l. vltima Cod. de bonor. præscript. in cap. *vergentes*: de hæret. cap. *cùm secundum leges*, eod. tit. in 6. Quamuis autem hæc pœna redundet aliquando indirectè in damnum filiorum Catholicorum, & ideo olim ea bona dabantur filiis Catholicis, qui in ea successuri erant, saltem quoad legitimam: quod etiam approbatum fuit in Concil. Toletan. 4. cap. 60. relato in cap. *Iudæi* 1. q. 4. Postea tamen in totum applicata fuerunt fisco propter crimis atrocitatem, & damnum illud filiorum per accidens est: sicut enim idem damnum incurrissent, si parens ludo, vel scortationibus bona dissipasset, sic patente Reo facto læsæ Maiestatis diuinæ, censetur quod æquialenter is bona sua dissiparit, cum eo ipso, ea omnia fisco obligata reddiderit.

2 *An hæc pœna incurratur ipso iure à die criminis commissi.* Dubitatur primò, An hæc pœna incurratur ipso iure à die criminis commissi, & ante sententiam criminis declaratoriam. Sententia negans tribui solet Soto, *lib. 1. de Iustit. quæst. 5.* & Nauarro *in summa capit. 23. num. 66.* sed tamen Suarez *in præsenti disput. 21. sect. 2. num. 4.* bene *Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ.* eos Auctores explicat distinguens inter confiscationem, & priuationem bonorum: & dicit hanc secundam non incurri ante sententiam, de qua loquuti sunt illi doctores, quia vt mox videbimus non possunt ab hæretico auferri bona, ante sententiam. Pœna tamen confiscationis incurritur à die commissi criminis, quando lex non committit iudici, vt eam imponat, sed lex ipso iure imponit, provt fit in casu hæresis, vt constat ex dicto cap. *Cùm secundum leges*. Constat etiam à posteriori ex effectibus; quia alienationes illo medio tempore factæ ab hæretico in præiudicium fisci postea sequuta sententia rescinduntur, vt suppono ex dicendis: ergo iam erat fisco ius aliquod acquisitum, nempe per pœnam confiscationis incursam: nam confiscari bona nihil aliud est, quàm dare fisco ius ad illa bona. Hinc oritur alius effectus, quod scilicet mortuo hæretico ante sententiam, & antequam accusetur si postea iuridicè constet de hæresi defuncti, & condemnetur possunt eius bona ab hæredibus repeti, quod in aliis criminibus communiter non fit, nec hæres potest conueniri, nisi lis contestata iam fuisset ante mortem delinquentis, vt habetur in l. *ex iudiciorum* ff. de accusationibus. Habebat ergo iam fiscus à die criminis ius contra bona hæretici, ratione cuius bona manent obligata & transeunt cum suo onere. Hæc autem pœna confiscationis incurritur, etiamsi hæresis sit omnino occulta dum tamen sit externa, vt cum aliis notat idem Suarez vbi supra numero septimo.

3 *An hæc pœna locum habeat etiam circa omnia bona futura?* Hinc oritur secundum dubium, an hæc pœna locum habeat circa bona solùm, quæ tunc habet hæreticus, quando peccat, An etiam circa omnia futura. Prima sententia dicit, comprehendi omnia bona, etiam acquisita post sententiam. Secunda dicit solùm comprehendi bona, quæ habebat tempore delicti, non verò quæ acquirit postea ante sententiam. Auctores videri possunt apud Sanchez dicto lib. 2. in Decalog. c. 14. Cæterùm primam sententiam omnes ferè reiiciunt: & constat ex capit. *filius* versic. *verùm cùm talis*, de pœnis, lib. 6. ex *l. si mandauero* §. *is cui* ff. mandati, in quibus regula generalis traditur, quòd post publicationem bonorum, si quid de nouo Reus acquirit, sibi acquirit, & non fisco, nec aliquid speciale quoad hoc in hæresi statuitur. Videatur Suarez vbi supra numero 13.

4 *Quid dicendum de bonis acquisitis medio tempore inter crimen & sententiam.* Difficultas est de bonis acquisitis medio illo tempore inter crimen, & sententiam. Et quidem si hæresis durauit toto illo tempore, non potest esse quæstio, quia totum illud est tempus criminis commissi, quo sicut successiuè durat crimen ita successiuè incurritur pœna confiscationis bonorum iam tunc acquisitorum. Vnde etiamsi post primam hæresim pœnitentiam egisset, si tamen postea iterum peccauit hæresi externa, certum videtur confiscari omnia bona tempore pœnitentiæ acquisita, cùm vltimum delictum afferat nouam pœnam confiscationis bonorum præsentium. Aduertit autem bene Suarez *num. 14.* etiamsi actus hæresis transeat, quandiu tamen non retractatur, omnia bona, quæ successiuè acquiruntur esse confiscationi obnoxia; quia censetur virtualiter hæresis manere, & quia ille verè adhuc est, & dicitur hæreticus, & omnia hæretici bona confiscantur. Nec dissentit Sanchez *dicto lib. 2. c. 14.*

*num.*11. Imò videtur consentire, dum dicit, in dubio, an hæresis perseueret, præsumi perseuerare, nec morum mutationem præsumi.

5 Si tamen post hæresim resipuit, & ad fidem conuersus est, dubium est, an consequuta postea sententia, publicanda sint bona etiam, quæ post conuersionem acquisiuit. Non est dubium de bonis, quæ habebat tempore delicti: nam confiscatio horum bonorum non reuocatur per pœnitentiam sequentem, vt contra aliquos docent vt omnino certum Sanchez ibi *num.*12 & Suarez *num.*14. de bonis autem post conuersionem acquisitis probabile est non subiacere confiscationi. Quod cum aliis tenet Sanchez *ibi num.*10. & Hurtado *disp.*85.§.22. In quo tamen probabilius est omnia bona vsque ad sententiam acquisita confiscari, vt probat Suarez *num.*15. quia leges vniuersaliter loquuntur, & quia quandiu hæreticus in foro Ecclesiæ ei non reconciliatur, præsumitur in foro externo hæreticus.

6 *An hæreticus ante sententiam debeat ex se tradere fisco bona sua.*

Hinc dubitatur tertiò, an hæreticus ante sententiam debeat ex se tradere fisco bona sua. Affirmarunt aliqui etiam de hæretico occulto: Alij saltem de notorio. Auctores vide apud Sanchez c.22.& Suarez vbi supra sect.2. Verissima tamen, & communis iam hodie omnium sententia negat etiam de hæretico notorio. Tum quia expresse prohibetur fiscus ante sententiam auferre bona ab hæretico, vt habetur in dicto cap. *Cùm secundum leges*; ergo non obligatur hæreticus ea dare fisco ante sententiam, qui fiscus non habet adhuc ius ad ea possidenda. Tum etiam quia nullibi tale præceptum inuenitur, nec quidem expediebat, & vt aliqui volunt, etiam si fieret non obligaret, quia esset de re humano modo impossibili.

7 *An hæreticus ante sententiã amittat verè dominium suorum bonorũ.*

Hinc rursus dubitatur quartò, An hæreticus ante sententiam amittat verè dominium suorum bonorum, & retineat solam possessionem, & administrationem, an verò retineat etiam dominium; quam Suarez *vbi supra sect.3. numer.*6. putat magna ex parte esse quæstionem de nomine: suppositis, quæ diximus de facultate hæretici ad retentionem, & vsum suorum bonorum vsque ad sententiam, & de facultate fisci post sententiam ad ea accipienda, & retrotrahenda omnia ad statum, in quo erant tempore delicti commissi. Aliqui dicunt, hæreticum nullum retinere dominium, sed solam possessionem. Alij quos affert, & sequitur Sanchez *vbi supra cap.*22. *num.*3. Molina, Vasquez, & alij apud Suarem *numer.*2. dicunt retinere etiam dominium. Alij dicunt dominium in foro conscientiæ manere apud reum, sed in foro iudiciali apud fiscum. Alij dicunt dominium naturale esse apud reum, ciuile apud fiscum. Suarez verò *n.*6. concludit dominium directum esse apud fiscum, vtile verò apud reum. Ego magis assentior illis, qui dicunt dominium adhuc manere apud hæreticum, manere tamen obligatum fisco sub conditione sententiæ futuræ, vt ea sequuta transeat ad fiscum, cum retrotractione ad diem criminis, quoad omnes effectus. Moueor ex aliis exemplis in quibus ius, quod aliquis habet, vt sequuta aliqua conditione possit accipere rem aliquam cum retrotractione simili ad tempus præteritum quoad omnes effectus, adhuc non impedit, quod possessor tempore intermedio sit verè Dominus rei. Primum exemplum esse potest illius, qui emit à minori, qui quidem Dominus sit rei emptæ, licèt minor possit postea per restitutionem in integrum rescindere contractum, perinde ac si nunquam factus fuisset. Secundum exemplum magis ad rem sit de eo, qui emit rem cum pacto, vt adueniente postea tali causa, contractus censeatur non factus, & res non vendita, quo casu tempore intermedio, antequam casus adueniat, emptor est verè Dominus rei emptæ, quam possidet, vt fatetur Molina 2.tom. de iustit. disp.377. num.5.§. *in priori euentu*: & tamen venditor habet ius vt adueniente conditione recuperet rem cum fructibus omnibus vt dixi tom.2.de Iustit. disp.26.sect.13.num.203. & fatetur idem Molina ibi: rescinditur enim contractus cum retrotractione, perinde ac si res nunquam fuisset vendita. Quod idem in aliis mille exemplis inuenitur, ex quibus constat eum, qui ex sufficienti titulo rem possidet esse verum Dominum, licèt alius habeat ius sub conditione de futuro ad illam rem sibi accipiendam cum retrotractione ad tempus præteritum.

Ratio autem à priori esse potest, quia hæreticus ante hæresim habebat vtrumque dominium, & directum, & vtile suorum bonorum: nec potuit amittere directum dominium, nisi in alium transferretur: non est autem translatum adhuc ante sententiam dominium illud in fiscum; nisi sub conditione sententiæ futuræ, ergo absolutè fiscus non habet dominium adhuc directum, ergo absolutè remanet apud hæreticum: quia vna forma absolutè existens in subiecto non potest expelli per formam contrariam, quæ nondum sit absolutè, sed sub conditione, alioquin neutra forma maneret absolutè: cùm ergo dominium fisci nondum sit absolutè, sed solùm sub conditione futura, non potuit absolutè expellere dominium absolutum hæretici, sed solùm expellere eo modo, quo est, nempe sub conditione: at absolutè perseuerabit adhuc dominium directum penes hæreticum: quia conditio nondum existens, non potest nunc operari, & destruere dominium absolutè existens.

Fateor adueniente conditione, & sequuta sententia retrotrahi dominium fisci, ad diem commissi criminis; id tamen totum fit per fictionem iuris, qua in ordine ad effectus consideratur fiscus, ac si verè fuisset Dominus à die criminis, & vt eodem modo possit repetere fructus, & alia omnia, ac si fuisset Dominus. Hoc tamen non est fuisse verè Dominum, sed per fictionem iuris, & æquialenter in ordine ad effectus nunc operandos, ac si antea fuisset Dominus. In hoc autem sensu intelligi potest sententia ponens dominium in fisco, hoc est, quod si sententia sequatur, censebitur moraliter ac si fuisset Dominus; si tamen sententia non sequatur, nec hoc quidem modo fiscus est Dominus: quare ij Auctores meo iudicio non debuissent vniuersaliter dicere, à puncto criminis dominium auferri ab hæretico, sed debuissent addere limitationem, *si sententia sequatur*: si enim sententia non sequatur, nullum dominium auferetur ab hæretico; non enim auferetur, nisi sub conditione sententiæ futuræ: si ergo conditio non ponitur, nullum dominium auferetur, sed tamen incurritur pœna confiscationis, quia confiscatio non dicit ablationem dominij, vt diximus, sed dat ius fisco, vt si sententia sequatur, accipere possit illa bona, quod ius semper datum est fisco, siue sententia postea sequatur, siue non sequatur.

Dubita

10 *An hæreticus ante sententiam validè & licitè possit res suas alienare.*

Dubitatur quintò, an hæreticus ante sententiam valide & licitè possit res suas alienare. De alineationibus factis ante commissum crimen certum est eas validas, & firmas esse dummodo non fiant in fraudem fisci, vt docet cum aliis Sanchez *vbi supra cap.* 22. *num.* 31. *& cap.* 24. *n.* 25. 26. & 29. Vbi etiam affert differentiam inter lucratiuas, & onerosas, vt in his, non verò in illis requiratur etiam quòd alter contrahens, seu donatarius fuerit fraudis particeps, vt possint omnino reuocari sequuta sententia, & alia, quæ ad id pertinent, omnino videnda. Certum etiam est hæreticum post delictum posse alienare ad res necessarias, vt ad se suamque familiam alendam, ad soluenda debita, quæ fiscus etiam soluere debuisset, ad suam, vel suorum valetudinem, vel funera, ad propria causas defendendas, ad reparanda propria bona, non tamen ad dotandas filias, neque ad alias causas; de quibus videri potest late idem Sanchez *dicto cap.* 22. *à num.* 54. Denique certum est, eos omnes contractus post sententiam reuocari posse à fisco, quia retrotrahitur eius dominium, vt diximus, ad diem criminis commissi quod tamen intelligitur nisi possessores post mortem hæretici ea bona legitimè præscripserint, quæ præscriptio quando, & quomodo locum habeat, & quas conditiones requirat, tractat idem Sanchez *ibi num.* 37. *& sequentibus.*

11 De valore tamen harum alienationum, quæ post commissum crimen fiunt est controuersia, & multi eas validas negant, quos affert Suarez *vbi supra sect.* 4. *num.* 1. & Sanchez *num.* 48. Alij idem dicunt, quando timetur publicatio delicti, & sententia, quos tacito nomine refert Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 171. *cap.* 1. *n.* 9. Verior tamen sententia docet, eas esse validas, sed reuocabiles à fisco post sententiam, quam cum aliis tenent Sanchez *num.* 50. & Suarez *num.* 3. Vnde sicut hæreticus non tenebatur ea bona tradere fisco ante sententiam, & antequam petantur, sic nec ille alius tertius possessor tenebitur, in quem hæreticus transtulit ius totum quod habebat. Ratio autem sumitur ex suprædictis, quia hæreticus est adhuc dominus earum rerum, nec vlla lege ita prohibetur alienare, vt alienatio sit irrita, sed solùm irritanda post sententiam. Quod ex praxi constat, nam alioquin nihil accipere possumus ab hæreticis Anglis, Germanis, & aliis, nec cum illis contractus celebratus, quia ea omnia essent nullius valoris, quæ in praxi, non obseruantur.

12 An verò illæ alienationes sint licitæ, negant aliqui, quos affert Sanchez *num.* 58. Alij tamen communiter id concedunt, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibi num.* 59. & Suarez *num.* 4. Quia dominus nisi prohibeatur, licitè potest rem suam in alium transferre, ergo hæreticus id potest, quandiu dominium retinet. Neque enim iniuriam infert fisco, cuius res procurare non debet, antequam sint ipsius fisci, & cùm fiscus possit postea à possessoribus auferre, sicut posset ab aliquo hæretico. Neque etiam infert iniuriam illi, cui res illas tradit, si titulo lucratiuo eas tradat, si vero titulo oneroso, tunc considerãdum est an sit periculum, quòd detegatur hæresis, & res ab illo alio auferantur: si enim non sit periculum, non infert ei detrimentum, neque etiam quando fiscus non poterit reuocare contractum nisi reddito pretio, quod fuit solutum, vt dicemus. Denique si periculum sit, vt emptor v. g. amissurus sit, & rem emptam, & pretium, tunc fatemur hæreticum venditorem iniustè agere cum emptore, vendendo ei rem vitiosam, & periculosam non detecto vitio, id tamen generale est omni contractui dolosè inito & frequenter id non contingit.

13 *An fiscus repetendo ea bona hæretici à tertio possessore, debeat ei aliquid refundere.*

Hinc sextò dubitatur, an fiscus repetendo ea bona hæretici à tertio possessore, in quem euerant translata, debeat ei aliquid refundere. Respondetur; si translata fuerant titulo lucratiuo, ad nihil tenetur fiscus, quia siue donatarius bona, vel mala fide acceperit, nihil perdit, & non accepit bona illa, nisi cum iure dantis, qui post sententiam retinere ea non poterat. Si verò translata fuerant titulo oneroso, & pretium in se, vel in æquiualenti exet apud hæreticum, reddendum est emptori, si contractus rescindatur, & idem est, si conuersum fuit in res hæretico necessarias; si verò consumptum est alio modo, fiscus poterit rem recuperare, nullo pretio soluto, quia vtitur iure suo. Videatur Suarez *num.* 9. & Sanchez *num.* 68. qui *num.* 71. contra Vasquez id extendit ad casum, quo hæreticus pretium conuerterat in res vtiles, vt v. g. in equum vel triticum, quod eo pretio emit, quæ tamen casu postea perierunt: quo casu putat probabiliter possessori pretium à fisco refundendum, quia alioquin ex contractu illo ditior euaderet fiscus, quàm si non factus fuisset: nam hæreticus ex aliis pecuniis suis res illas emisset, quibus pecuniis tunc fiscus careret. Id ergo solùm cauendum est ne fisci conditio deterior fiat ob contractum ab hæretico factum. Denique *num.* 72. aduertit cum aliis, non requiri ex parte possessoris probationes euidentes, sed sufficere probabiles coniecturas, quod pretium conuersum sit in vtilitatem hæretici modo prædicto; quas coniecturas ibi enumerat. Debet autem à fisco recuperari res, etiam nihil soluendo possessori pro meliori statu quem res tunc habet, vt si prædium fœcundius factum fuerit, vel pretiosius ob raritatem &c. si tamen melioratio facta fuerit industria, aut expensis possessoris, valor excessus debet ei à fisco solui, vt notat Suarez *num.* 11.

14 *Quid dicendum de fructibus, quos interim debitor ille tertius percepit.*

De fructibus verò, quos interim possessor ille tertius percepit, an possint repeti per sententiam à fisco, dicendum breuiter est: si fructus extent deductis expensis pertinere ad fiscum, sicut pertinerent, si apud hæreticum extarent. Si extent, inquam, saltem æquialenter, quatenus ex illis factus est locupletior possessor rei illius: si verò non extent, sed bona fide consumpti sint, nec factus sit locupletior, non debet ab eo valor exigi: secus si mala fide consumpsit, de quo videri potest Suarez *num.* 11. & 12. & quæ in genere dixi latè de fructibus à possessore bonæ, vel malæ fidei restituendis *tom.* 1. *de iustit. disp.* 17. *sect.* 3. & 4. latissimè autem Sanchez *vbi supra, c.* 23. tractatum integrum hac occasione tibi suggeret de obligatione possessoris circa fructuum restitutionem.

15 *An fiscus debeat soluere creditoribus hæretici.*

Dubitatur septimò, An fiscus debeat soluere creditoribus hæretici. Regula generalis est, debere satisfacere fiscum omnibus creditoribus, pro debitis contractis ante crimen commissum, quia fiscus succedit, tanquam hæres, & successor vniuersalis, qui ad ea omnia debita tenetur, siue sint ciuilia, siue solum naturalia, vt cùm aliis tradit Sanchez *dicto lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 74. & 75. Vnde non video, cur Suarez *vbi supra sect.* 5. *num.* 7. non tradiderit doctrinam generalem,

ralem, sed particularem de debitis realibus dicens. *Et hinc est, vt si bona confiscata habeant reale onus ad soluendam alteri pensionem, cum illo onere transeant ad fiscum, ita vt illam ipse soluere teneatur.* Fortasse tamen id solùm in exemplum positum fuit, iam enim regulam generalem statuerat, confiscationem ita esse faciendam, vt in damnum alterius tertij innocentis per se non cedat. Cederet autem per se in damnum creditorum personalium, si non possent recuperare, quod iis debitum erat ante crimen commissum. Ratio etiam à priori est, quia bona alicuius non censentur, nec æstimantur, nisi deducto ære alieno, cuius valor facit æquè decrescere valorem bonorum. Si tamen debita contracta sint post delictum, fiscus non tenetur ad ea, nisi quatenus in bonum fisci redundarunt, vel contracta fuerunt ad hæretici necessitates: nam tunc etiam, vt diximus, redundant in bonum fisci, cùm hæreticus tantumdem ex aliis suis bonis ad eas necessitates expendere debuisset.

16 Hinc est, quod creditores possint, & debeant priùs exigere à fisco, quàm à fideiussore hæretici, quia priùs etiam debebant exigere ab hæretico debitore principali, quàm ab eius fideiussore. Non tamen tenetur fiscus vltra vires bonorum confiscatorum, etiamsi inuentarium non fecerit; quia hæc obligatio solum imposita est vero hæredi, qualis fiscus propriè non est, vt cum aliis notat Sanchez dicto *c.22.num.85.* Ipse tamen reus eo ipso liberatur ab omnibus debitis & obligatio tota transit in fiscum, quo, si bona confiscata sufficiebant, non soluente, Reus non tenetur soluere ex bonis, quæ post sententiam acquiret. Secus esset, si beneficio Principis ei sua bona restituerentur, rediret enim cum bonis obligationes. Si autem pars bonorum restitueretur, vel sola pars confiscata esset, teneretur fiscus pro rata ad partem debitorum, & condemnatus etiam pro alia parte: quæ, & alia fusiùs prosequitur Sanchez *ibidem.* Qui tamen *numer.91.* addit, hoc intelligi, quando creditores potuerunt à fisco recuperare, & sua negligentia non recuperarunt: secus autem esse, quando non potuere, aut quia defectu probationis causa ceciderunt, aut quia magnis expensis opus erat: neque enim æquitas patitur creditores illos re sua absque omni culpa priuari. Hoc tamen Sancij dictum impugnat Castro Palao *dicto tract.4.disp.5. punct.25.num.12.* quia delinquens non est causa, quòd creditores careant probatione, vel quod magnas expensas faciant, ergo non est cogendus illis satisfacere, cùm iam illis ex parte sua plenè satisfecerit transferendo obligationem totam in fiscum: aliàs bis idem soluere cogeretur. Hoc tamen non videtur multum vrgere: quia non censetur in conscientia satisfecisse creditori, quandiu non transtulit obligationem in eum, à quo moraliter loquendo creditor possit debitum exigere, quare soluendo postea non bis, sed semel soluit, quia antea moraliter non videtur soluisse.

17 Adhuc tamen si sermo sit de debitis realibus, quæ res confiscatas afficiunt, non videtur dubium, quod Reus liber maneat, cùm debitum illud transeat omnino cum re obligata: per accidens autem est, quod creditor non possit obligationem apud fiscum probare: sicut si res aliena apud hæreticum inuenta confiscaretur cum eius bonis, nec verus dominus probare posset esse suam, non ideo hæreticus deberet pretium ei soluere, nisi fuisset causa, quòd probatio deficeret. Hinc autem idem videtur probabile de debitis personalibus: nam licèt hæc afficiant immediatè personam: per successionem tamen vniuersalem, qualis est successio fisci, transferri videtur ipsa etiam persona, & successor vniuersalis repræsentat personam delinquentis, cum omnibus suis actionibus, atque etiam debitis passiuis. Cùm ergo non sponte, sed lege coactus, transferat suam personam cum omnibus iuribus, & debitis in fiscum, non imputatur ei, quòd creditor non possit recuperare debitum ab eo, in quem ex vi legis omnes illæ obligationes translatæ sunt, sed id per accidens sequitur ex casu fortuito, ex quo non est mirum, si alij ab ipso delinquente damnum aliquod sentiant.

§. Vnic.

Quæ bona confiscationi subiaceant.

11 Regula generalis est, omnia bona stabilia, vel mobilia, iura etiam, & actiones hæretici, ad fiscum transire, & in vniuersum omnia, & sola, quæ ipse hæreticus in hæredem extraneum transferre potuisset, si liberè testari posset de omnibus suis bonis. Hanc regulam statuunt Doctores, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto lib.2. cap.14.n.3. & sequentibus.* Suarez *dicta disp.22. sect.5.* & alij. Nam licèt nomine bonorum mobilium, & immobilium confiscandorum non veniant iura, & actiones, vt fatetur Sanchez *ibi num.2.* veniunt tamen sub nomine omnium bonorum, sub quo nomine hæc pœna hæretico imponitur in dicto cap. *cùm secundùm leges*, de hæreticis in 6. Limitat Sanchez *num.5.* hanc regulam, vt non sit vniuersalis affirmatiua, quæcumque ad hæredem extraneum transire possent, acquiri fisco; quia fiscus non est propriè hæres; sed hanc limitationem reiicit Suarez *vbi supra n.3.* tum quia vniuersaliter accipitur à doctoribus, nec facilè inuenietur casus, in quo deficiat. Meliùs limitat ipse Suarez *ibi num.4.* partem negatiuam, quæ nisi intelligatur de confiscatione perpetua, non est vniuersaliter vera: aliqua enim sunt, quæ hæreticus non posset transferre in suum hæredem, quæ tamen transferantur in fiscum, non in perpetuum, sed durante vita hæretici: v.g. vsusfructus datus hæretico in vitam, census vitalitius, & alia eiusmodi, quæ non possent transire in hæredem, cùm extinguantur mortuo hæretico; transeunt tamen in fiscum durante eius vita.

13 Dubitatur ergo primò, an quæ hæretico debentur sub conditione, pendẽte adhuc conditione, transeant in fiscum. Respondeo, si debita sint ex testamento, vel vltima voluntate, non transire ad fiscum, quia in iis quandiu conditio pendet, non est ius quod legatarius, vel hæres sub conditione institutus transferre posset ad suos hæredes, sed sola spes habendi ius si conditio impleatur: si ergo tempore sententiæ prolatæ, conditio non erat impleta, nullum habet ius hæreticus, quod tranferatur in fiscum: impleta verò conditione postea, iam illud computatur inter bona acquisita post sententiam: ita Doctores communiter, quos congerit, & sequitur Sanchez *dicto cap.14.num.15.* Vnde si hæreticus fuerat alteri substitutus, & post sententiam eueniat conditio, vel

Ad quæ bona hæretici alterius personæ debeantur, vel transeant ad fiscum.

vel casus substitutionis, ipse delinquens, & non fiscus succedit.

20 Si verò debita illa, quæ hæretico debentur sub conditione, procedant ex contractu, acquirantur fisco, etiamsi conditio impleatur post sententiam: quia in iis debitis, etiam ante impletam conditionem, creditor habet ius aliquod, quod transferre possit ad hæredes. Quod licèt aliqui intelligant solùm, quando conditio erat casualis, vel mixta, non verò quando erat potestatiua; hanc tamen limitationem reiicit Sanchez cum aliis vbi supra num. 26. quando conditio est talis, vt posset per hæredem impleri in forma expressa, vel æquiualenti in ordine ad effectum à contrahentibus intentum.

21 Cæterùm non dicit, quid iuris quando conditio non esset talis, quæ posset per fiscum impleri, sed esset potestatiua, vel mixta talis, quæ per solum delinquentem impleri posset, & ipse post sententiam eam impleuit, an tunc fisco acquiratur id, quod sub conditione debebatur, v.gr. si promissa erant hæretico 100. si picturam faceret manu sua, vel si Titiam duceret in vxorem. Puto tamen illa non acquiri fisco, sed delinquenti; & in hoc casu consentio Doctoribus, quos affert idem Sanchez *n.* 24. imò licèt illi loquantur de conditione potestatiua; ego id etiam credo habere locum in conditione mixta. Nam ius illud ante impletam conditionem tale erat, vt non posset transferri ad hæredem, ergo nec transit ad fiscum, quam consequentiam negatiuam vniuersalem esse fatetur Sanchez *num.* 5. & quia reuera in potestate delinquentis est postea adimplere conditionem, atque adeo eam adimplens censetur tunc moraliter acquirere lucrum illud: acquisita autem post sententiam non cedunt fisco, sed delinquenti vt dictum est.

22 *An quæ hæreticus debet sub conditione nondum impleta tempore sententiæ teneatur fiscus soluere impleta conditione post sententiam.*

Maius est dubium de iis, quæ hæreticus ipse debet sub conditione nondum impleta tempore sententiæ, an fiscus succedat in ea obligatione, ita vt impleta conditione post sententiam fiscus debeat ea debita soluere. Non est autem sermo de iis, quæ testamento, vel vltima voluntate, aut donatione causa mortis hæreticus sub conditione reliquerat, vel promiserat: nam ea non sunt debita, cùm possit hæreticus ea omnia pro libito reuocare; sed est sermo de debitis propriis, à quibus non poterat hæreticus recedere. Negant multi, quos affert Sanchez *n.* 22. quibus videtur ex parte consentire Suarez *vbi suprà sect.* 5. *num.* 2. dicens, si hæreticus ante delictum donauit aliquid alteri, sub conditione, quę conditio post delictum impletur, rem donatam pertinere ad fiscum; quia donatio sub conditione non est donatio simpliciter, nec transfert dominum, donec impleatur conditio: quare si hæc impletur eo tempore, quo iam donans non poterat dominium firmum tranferre in præiudicium fisci, donatio non præiudicauit fisco.

Sanchez cum aliis *vbi suprà num.* 23. dicit debita hæc conditionata pendente conditione transire ad fiscum, eumque obligare, quia eadem est ratio de debitis actiuis, & passiuis, vt vtraque æquè debeant ad fiscum transire. Postea tamen *num.* 24. & 27. id limitat, vt locum non habeat, quando reus debebat aliquid ex contractu sub conditione potestatiua: quia conditio potestatiua non retrotrahitur, sed in ea inspicitur tempus impletæ conditionis, quod probat ex l. *qui balneum* 9. in principio, & l. *potior* 11. in principio, ff. qui potiores in pignore. Cùm ergo conditio impleatur post delictum, non potest tunc hæreticus incipere obligari in præiudicium fisci.

Ego quoad primam partem conuenio cum Sancio, & dico ea debita passiua conditionata ex contractu transire ad fiscum, etiamsi conditio post delictum, vel post sententiam impleatur, quia iã creditor aliquod ius habebat aduerùs delinquentem, quo iure non debet ob delictum debitoris priuari. Quoad secundam verò partem, de debitis ortis ex contractu sub conditione potestatiua, non omnino cum eo auctore conuenio: videtur enim in illis eadem ratio procedere: si v. g. hæreticus promisit centum Titio, si hic picturam ei faceret, vel si cameram ei construeret; iam enim Titius ius aliquod habet, nec poterat hæreticus ab eo contractu resilire: non debet ergo ob alterius delictum Titius perdere ius, quod habet ex contractu. 23

Quare aliter ergo distinguerem de conditione potestatiua, vel enim illa est dependens à voluntate solius creditoris, vel etiam dependens à voluntate hæretici debitoris. In secundo casu admitto Sancij doctrinam, quod si conditio impleatur post delictum, vel post sententiam, non id fit in præiudicium fisci, nisi fortè ex conditione impleta fiscus factus sit ditior, quia v.g. inde in facultates delinquętis vtilitas redundauit. Tunc enim tenebitur fiscus quatenus ditior est factus. Quam limitationem concessit etiam idem Sanchez *dicto num.* 27. In primo tamen casu puto, impleta conditione fiscum obligari: de quo tamen casu expresè loquitur Sanchez ibi, nam affert exemplum, quando hæreticus ante delictum pactum fecerat cum Titio dicens, *si hoc feceris, dabo tibi centum*, & Titius post delictum conditionem impleuit; de hoc autem casu non loquuntur illæ leges 9. & 11. ff. qui potior in pignore, sed de secundo casu, in quo conditio dependebat à voluntate debitoris. Nam in dicta lege, *qui balneum* Iureconsultus regulam generalem posuit, creditorem sub conditione præferendum esse in pignore creditori posteriori, cui pendente conditione datum fuit idem pignus ob debitum aliud absolutum: ex qua regula excipit solùm; *si modò non ea conditione sit, quæ inuito debitore impleri non possit.* Vides, à regula generali non excipi omnem contractum sub conditione potestatiua, sed ea solùm, quæ poni non possit independenter à voluntate debitoris. Idem est casus in dicta leg. *potior.* cuius hæc sunt verba: *potior est in pignore, qui prior credidit pecuniam, & accepit hypothecam: quamuis cum alio ante conuenerat, vt si ab eo pecuniam accepit, sit ei res obligata licèt ab hoc postea accepit, poterat enim licèt antea conuenit, non accipere ab eo pecuniam.* Ecce non reddit pro ratione, quod conditio fuerat vtcumque potestatiua, sed quod debitor ipse poterat conditionem impedire, non accipiendo pecuniam: non enim se obligauerat ad accipiendam, sed obligauerat hypothecam, si acciperet. Quare ex iis legibus contrarium probatur potiùs, cùm nunc solùm dicant obligationem incipere à tempore conditionis impletæ, quando conditio dependebat à voluntate debitoris, & eo inuito poni non poterat, in aliis verò conditionibus, quæ inuito debitore impleri poterant, regulam contrariam statuant. 24

Ratio autem huius differentiæ est optima, quia promittens sub conditione, quæ ab ipso 25

promittente potest poni, vel impediri, nondum censetur obligatus, cùm sit adhuc in eius potestate impedire obligationem impediendo conditionem; quare tunc solùm censetur incipere obligatio, quando ex nouo eius consensu impletur conditio, quæ si impleatur post hæretici delictum, non potest fisco præiudicare, qui tempore confiscationis & delicti inuenit ea bona libera ab obligatione. Quando verò condictio non pendet à voluntate debitoris; iam manet debitor ex parte sua obligatus, cùm nihil possit facere, vt se ab obligatione soluat, nec impedire conditionem, sub qua sese obligauit, & ideo bona illa non inueniuntur à fisco libera, sed hæreticus inuenitur obligatus dependenter à conditione, quam creditor, vel alius ponere potest, inuito debitore.

26 *Alimenta hæretico relicta an debeãt confiscari.*

Secundò principaliter dubitari potest de alimentis hæretico relictis, an debeant confiscari. Respondeo cum Sancio *vbi suprà num.*42. debere confiscari ea, quæ iam tempore sententiæ cesserant, & debebantur, vel extabant exacta apud hæreticum, quia hæc iam pertinent ad eius bona; quæ autem in futurum debentur, non pertinent ad fiscum, quia legatum alimentorum non est vnicum, sed multa, & singula singulis annis cedunt: legatum autem ante diem nondum cedit, atque adeo non dat ius legatario, quod possit in fiscum tunc transferre. Vnde idem dicendum est de quolibet legato annuo, quod contineat plura legata, non verò de illo quod esset totum vnitum, & solutio sola diuisa esset in plures annos in fauorem hæredis, quem testator noluit grauare ad soluendum simul totam summam: hoc enim totum confiscaretur, vt notat idem Sanchez *n.*46.

27 *Hæreditas hæretico delata nondum adita tempore sententiæ an acquiratur fisco.*

Tertiò dubitatur de hæreditate hæretico delata vel ante hæresim, vel etiam post illam (si capax sit hæreditariæ institutionis) nondum tamen adita tempore sententiæ, an acquiratur fisco. Respondeo negatiuè cum communi Doctorum, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibi n.*48. quia ius adeundi hæreditatem delatam, non potest transmitti ad hæredes, sed aditio est actus personalis personæ alligatus. Quando tamen ius adeundi esset tale, vt posset transire ad hæredes extraneos, quale est ius, quod inuenitur in hærede suo, qui transmittit in quoslibet hæredes hæreditatem sibi delatam, & nondum aditam, dummodo illam non repudiarit, tunc fiscus etiam posset ius illud acquirere.

28 *An hæreticus hæreditatem sibi post delictum delatam possit in fisci præiudicium repudiare.*

Hinc quartò dubitatur, an hæreticus hæreditatem sibi post delictum delatam possit in fisci præiudicium repudiare. Negant aliqui, quos refert Sanchez *ibi n.*52. quando repudiatio fit post condemnationem. Ipse tamen cum aliis *num.*53. affirmat, quia id non est alienare, sed non acquirere, nec fiscus priuilegium peculiare in hoc habet. Vnde addit, posse id licitè etiam fieri quia quamuis debitor non possit in fraudem, vel præiudicium creditorum repudiare hæreditatem, quia ex iustitia debet soluere creditoribus, quoties commodè potest, fisco tamen nihil debet Reus ex iustitia, nisi ea bona, quæ actu habet, quando à fisco petantur.

29 *Serui hæretici, an & quomodo fisco acquirantur.*

Dubitatur quintò de seruis hæretici, an & quomodo fisco acquirantur. De hoc latè videri potest Molina *tom.*1.*de Iustit. disput.*40. & Sanchez *dicto lib.*2.*cap.*24.*à num.*9. Affirmant aliqui acquiri fisco, quos refert Sanchez *ibi n.*9. Communis tamen, & vera sententia id concedit de seruis infidelibus, seu non baptizatis, negat verò de seruis Christianis: hi enim sequuta condemnatione domini hæretici, liberi fiunt, & restrahitur libertas ad diem criminis commissi, sicut, & confiscatio. Quod colligitur ex lege *Manichæos.*4. in fine Cod. de hæreticis, & ex cap. vltimo de hæreticis. Ita Suarez *dicta disp.*22. *sect.*5. *num.*6. Hurtado *dicta disp.*85. *sect.*3. & alij plures, quos congerit, & sequitur Sanchez *ibi n.*10. Oportet autem, quod seruus fuerit domini ante hæresim: si enim post hæresim eum acquirit, tunc vel verè non acquirit, propter incapacitatem acquirendi ex testamento, vel donatione, vel certè seruus non ipsi acquiritur, sed fisco, sicut, & alia bona de quo Sanchez *num.*14. Hæc verò libertas seruo semel per domini hæresim acquisita, non ei aufertur, licèt postea beneficio Principis hæretico bona sua restituantur, quia id esse non debet in damnum serui, qui iam ius acquisierat ad suam libertatem. Hoc tamen beneficium competit absolutè seruo, quando plenè erat sub dominio domini lapsi in hæresim: si enim non erat plenè, sed ex parte, quia, v.g. erat seruus communis plurium, vel erat hypothecatus cum aliis bonis pro dote vel ex alia causa, non acquirit plenè libertatem, sed ex parte ita vt soluendo aliis interesse habentibus suam partem liber fiat; quod variis exemplis, & casibus adductis explicat latè Sanchez illo loco.

30 *Iuramentum an quis teneatur illud ante sententiam præstare.*

Dubitatur sextò de iure Patronatus, quod hæreticus habebat, an acquiratur fisco. Respondeo, publicari quidem maximè à iudice Ecclesiastico, nam laicus non potest illud ius nominatim publicare, sed bona, quibus adhærebat; non tamen *nam fisc.* applicari fisco, sed extingui in fauorem Ecclesiæ, quæ libera manet, qua parte ius illud ad hæreticum pertinebat. Quomodo autem id fiat, videri debet vltra alios, quos affert, Sanchez *dicto lib.*2. *c.*19. *à num.*2.

An ius Ecclesiasticum

Dubitatur septimò de pensione Ecclesiastica, quam hæreticus habebat, an confiscetur. Certum videtur, non posse à iudice laico confiscari, cùm sit aliquid spirituale, & extra illius iurisdictionem. Difficultas esse potest de iudice Ecclesiastico, ad quam Suarez *dicta disput.*22. *numero* 6. dicit, quoad fructus iam decursos confiscari, quia iam sunt bona hæretici, & pertinent ad fiscum, sicut omnia alia eius bona: quoad fructus verò futuros, non acquiri fisco, nec ipsi hæretico, sed extingui pensionem in fauorem illius, qui eam soluebat. Nam licèt pensio non sit propriè beneficium, in hac tamen materia sub nomine *beneficij* comprehenditur in fauorem fidei, vt tradit Gigas *de personibus quæst.*52. *numero* 4. & *quæst.*94. *num.*7. Cui doctrinæ consentit Castro Palao *dicto tract.*4. *disput.*5. *punct.*5. *numer.*12. non tamen videtur vti eadem ratione, sed alia, quia nimirum confiscatio non extenditur ad futura; neque etiam ius ad eos fructus colligendos propriè confiscatur; sed si crimen est dignum priuatione pensionis, in fauorem Ecclesiæ extinguitur, ita vt hæreticus nullam iam pensionem habeat. In quibus verbis non videtur decernere, an pensio ipso facto extinguatur post sententiam, sed solùm sub conditione, si crimen est dignum priuatione pensionis. Cæterum Sanchez *dicto lib.*2. *capit.*28. *numer.*36. loquens de filiis hæreticorum, an sicut amittunt beneficia, ita etiam amittant pensiones post patris condem-

condemnationem obtentas: respondet affirmatiuè, quia incapax ad beneficia, est etiam incapax ad pensiones, & quia pensio est pars beneficij, & eisdem modis amittitur, quibus beneficium: vt quia intra vtuntur verbis generalissimis significantibus quemcumque beneficij modum, & denique ita dicit sæpius à Rota decisum, & esse doctorum sensum quos ibi affert.

31 Tota hæc doctrina, stando in rigore iuris, difficultate non caret propter regulam generalem, quod *beneficij* appellatione pensio non comprehendatur, quæ colligitur ex Concilio Tridentino *sess.25. capite 14. & 15. de reformatione*, vbi pensiones expressè distinguntur à beneficiis; sicut & distinxit Sixtus V. in sua constitutione 30. & 31. de tonsura, & habitu clericali, & est communis doctorum sententia, quos affert, & sequitur Filliucius *in Appendice tract. 42. de pensionibus. cap. 1. numer. 8.* Nec etiam verum videtur, quod quicumque sit incapax beneficij, fiat incapax pensionis: extat enim contraria declaratio sacræ Congregationis, quam affert idem Filliucius *ibi cap. 3. numer. 11.* in qua dictum fuit incapacitatem ad beneficia ratione homicidij, non extendi ad pensiones: quare ibidem versu *sit quartò*, impugnat Navarrum, & Flamin. Paris. dicentes irregularitatem ita reddere quempiam inhabilem ad pensiones, sicut ad beneficia. Denique quòd confiscatio non comprehendat bona futura, non viderur obstare; quia licèt pensiones non sint præsentes, ius tamen ad illas est præsens, & licèt clericus non possit transferre in alium ius, quod ipse habet ad exigendos fructus beneficij (& idem est de pensione (quia hoc ius est ipsummet beneficium: potest tamen dare alteri ius exigendi fructus, non ita, vt nomine proprio eos exigat, sed nomine ipsius Clerici, vt cum communi supponebam *disput. 3. de iust. sect. 9. numer. 197.* Cur ergo non posset fiscus non suo nomine, sed nomine clerici pensionarij exigere fructus futuros pensionis, propter ius ad hoc acquisitum, quod ius posset ipse clericus in alium extraneum transferre? Cùm tamen stylus Cutiæ contrarius sit, & Rota ita declarauerit in hac materia sub nomine beneficij intelligi pensiones, vt hæ sicut, & beneficia extinguantur per condemnationem, vt doctores citati testantur, non erit ab ea sententia recedendum.

32 *An peculium filij familias, si ipse in hæresim labatur.* Dubitari solet octauò de peculio filij-familias, an eo in hæresim lapso, & condemnato acquiratur fisco. Quæ tamen quæstio non potest ad certas regulas reduci, nisi plura Iuris principia examinentur, quæ pertinent ad Iuristas, & tota hæc materia ad metum forum iudiciale spectat. Quare occurrente casu videri possunt ex nostris Sanchez *dicto lib. 2. c. 15.* & Castro Palao *dicta disp. 5. puncto 10. & 11.* vbi etiam, an patre in hæresim lapso confiscentur peculia filiorum, de quo idem Sanchez latè cap. 16. Ob eandem verò rationem omitto alia, quæ ad Iuristas, & forum iudiciale spectant, & longiorem tractatum exigerent, nempe, quæ bona coniugis fisco acquirantur, sine p. q. iudicio coniugis innocentis, de quo latè idem Sanchez *ibi cap. 17.* Item, an maioratus, & bona restitutioni, ac fidei commisso subiecta confiscanda sint, vel saltem durante vita hæretici ad fiscum pertineant, de quo idem Sanchez *cap. 18.* Quod idem *de Emphyteusi & feudo* tractat *c. 19.* Quæ omnia si examinanda à nobis essent, oportet ad alias materias longè digredi, & inutiliter repetere, quæ apud alios Auctores facilè inuenientur.

33 *Clericus si in hæresim labatur quæ & qualia eius bona publicentur.* Illud magis pertinet ad præsens institutum, quod dubitari nonò solet de Clerico in hæresim lapso, quæ & qualia eius bona publicentur. Certum est, non confiscari bona Ecclesiæ, imò id sub grauissimis pœnis prohibitum est Clement. 2. de hæreticis, de qua prohibitione, & eius pœnis, quomodo intelligendæ sint, agit latè Sanchez vbi suprà cap. 20. num. 3. & sequentibus. Certum etiam est, bona propria ipsius Clerici, quæ erant patrimonialia, vel quasi patrimonialia, & de quibus poterat liberè disponere, & testari, ac transferre ea in extraneos, confiscari, vt tradit idem Sanchez *ibi num. 22. & 23.*

De bonis verò acquisitis à Clerico intuitu Ecclesiæ, & de quibus non potest de iure communi testari, regula generalis est, vt ea non pertineant ad fiscum, sed ad Ecclesiam, vel Ecclesias à quibus stipendia perceperunt, vt decernitur in cap. *Excommunicamus. 1. §. damnatis verò*, de hæreticis, vbi glossa, & alij quos affert Sanchez *n. 24.* qui benè contra aliquos notat, id intelligi tam de beneficio simplici, quàm de habente curam animarum. Quia tamen alicubi inducta est consuetudo, vt Clerici inferiores Episcopis de iis bonis testari possint, ibi bona ea confiscationi subiacebunt iuxta regulam generalem, quod pertineant ad fiscum quæcunque hæreticus poterat ad hæredem extraneum transferre, vt cum aliis docet idem Sanchez *n. 25.* qui *num. 26.* aduertit ea bona ex vsu, vel priuilegio in regno Castellæ non ad fiscum Ecclesiæ, sed ad fiscum Regium applicari.

34 *An confiscatio extendatur ad bona, quæ sunt extra territorium iudicis condemnantis hæreticum.* Dubitatur decimò, An confiscatio extendatur ad bona, quæ sunt extra territorium iudicis condemnantis hæreticum. Respondeo, quidquid sit in aliis delictis, in hæresi tamen, in qua confiscatio procedit ex iure communi, dicendum est, extendi ad bona omnia hæretici, vbicunque sita sint. Debet tamen sententia confiscationis exequutioni mandari à iudice illius territorij in quo sunt bona, requisito per iudicem, qui sententiam tulit. Imò si fisci sint diuersi, singula bona pertinent ad fiscum territorij vbi sita sunt: ex qua regula aliqui excipiunt bona mobilia, quia hæc concernunt personam damnati, nec territorio adhærent. Videatur Sanchez *dicto c. 20. num. 30. & sequentibus.*

An hæreticus testamentum condere possit. Ad hanc pœnam confiscationis reduci potest illa alia, quod hæreticus testamentum condere non possit, quæ habetur in cap. *excommunicatus 1. §. credentes*, de hæreticis. Quam pœnam aliqui dicunt habere locum, etiam nulla sententiâ declaratoria sequuta. Contrarium tamen dixi cum aliis *tom. 2. de Iustit. disput. 24. sect. 4. num. 69.* & pluribus relatis eandem tenet Sanchez *dicto lib. 2. cap. 24. num. 3.* qui aduertit etiam post sententiam posse testari hæreticum de bonis post illam acquisitis.

35 *Hæreticus amittit ius patriæ potestatis in filios.* Huc spectare etiam posset illa alia pœna quòd hæreticus amittat ius patriæ potestatis in filios, quæ habetur in cap. 2. §. vltimo de hæreticis in 6. Ad quam etiam pœnam aliqui requirunt sententiam declaratoriam, quos affert Sanchez *dicto cap. 24. num. 6.* Ego tamen *tom. 1. de Iustit. disp. 5. sect. 1. num. 7.* dixi effectum sortiri à puncto criminis commissi, quod etiam aliis relatis tenet Sanchez *loco citato.* Qui *num. 7.* tractat, an filius

liberetur etiam ab obligatione naturali alendi pactis hæretici pauperis. Et tandem resoluit posse negare alimenta patri, præterquam in casu extremæ necessitatis: quia magis tenetur pater ad alendum filium, quàm filius ad alendum patrem: & tamen pater negare potest alimenta filio hæretico, cùm possit eum etiam exhæredare, vt constat ex Authent. *Vt cùm de appellatione cognoscitur*, §. *causas*, versic. *si quis de prædictis*. Hoc tamen nimis durum mihi videtur, & in primis id quod supponit magis strictè deberi à parente alimenta filiis, quàm à filiis debeantur parentibus: negatur communiter à Theologis cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 26. *artic.* 9. quos affert, & sequitur Azor *tom.* 2. *lib.* 2. *capite* 2. *quæst.* 16. Deinde aliud est exhæredare, aliud non alere indigentem; nam filius spurius non potest à patre hæres institui, & tamen potest, & debet pater ei alimenta necessaria subministrare, vt dixi *tom.* 2. *de Iustitia disput.* 24. *sect.* 7. *num.* 120. Meliùs ergo Azor *dicto lib.* 2. *capit.* 3. *quæst.* 2. *proposita quæstione*, an filius in vniuersum debeat parentibus egenis alimenta præstare? Respondet, *debere etiamsi pater sit paganus, à fide, & religione Christi alienus, hæreticus, vel Iudæus: item tametsi pater sit anathemati subiectus.* Hoc enim est magis iuxta pietatem naturalem, & debitum & à natura inditum.

SECTIO II.

De pœnis corporalibus, & in primis de pœna capitali.

36 HÆc quæstio magna ex parte pertinet ad controuersistas, ex parte verò ad forum iudiciale. Ad controuersistas spectat quatenus aduersùs hæreticos id negantes probant ex professo, esse in Ecclesia potestatem ad puniendos hæreticos vltimo supplicio, de quo vltra alios videri possunt Cardin. Bellarminus *lib.* 3. *de laicis cap.* 21. & 22. & Valentia *in præsenti disput.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 3. Et quidem potestas hæc constat ex Extrauaganti *Vnam sanctam*, de maioritate, & obedien. & ex cap. *Ad Apostolicæ*, de sententia, & re iudicata in 6. & cap. 1. de homicid. in 6. Et probari etiam potest ex scriptura, in qua falsi prophetæ, & inobedientes iudicio sacerdotis in controuersiis fidei iubebantur interfici *Deuteron.* 13. 17. & 18. & Principes laudantur, qui eas pœnas exequebantur, 3. *Regum.* 18. & 4. *Regum.* 10. & 23. & alibi, sæpe. Non est autem credibile hanc potestatem datam à Christo non esse suæ Ecclesiæ, quæ ad eius bonam gubernationem necessaria erat, & sine qua constat experientia hæreticos non posse corrigi, & coërceri. Et quidem mirum est, ab iis hæreticis negari hanc Ecclesiæ potestatem, qui ad falsam suam sectam non solum bonorum proscriptione, sed ferro & igne, & cruciatibus innumeris Catholicos compellere conantur. Ratio denique est manifesta, quia respublica habet potestatem ab puniendos subditos pœna condigna iuxta delicti grauitatem: Hæresis autem grauitas adeo excedit super alia crimina capitalia, vt respectu illius non sit indicanda grauis hæc pœna: idcóque Principes etiam sæculares eandem pœnam hæreticis imposuerunt. l. *quicumque* & l. *Ariani* Cod. de hæreticis, & in aliis iuribus, quæ videri possunt apud Farinacium *de hæres. quæst.* 178. 193. & 196. & in aliis locis.

Duo tamen fatenda sunt. Primum est, Ecclesiam non statim à primo initio hanc totam potestatem in hæreticos exercuisse, sed tentasse priùs omnia alia remedia, faciliora, vt hæreticos corrigeret, & Principes ipsos, ac imperatores Christianos incepisse ab aliis leuioribus pœnis, exilij, mulctæ pecuniariæ, confiscationis bonorum, ac denique experientia edoctos ad vltimum supplicium peruenisse. Qua in re difficultatem sensit Augustinus, & dubitauit aliquando, non quidem circa potestatem; sed an expediret hoc rigore procedere contra hæreticos licèt postea experientia ipse etiam edoctus fassus fuerit necessitatem: pro munere tamen suo, & iuxta regulas pietatis & Charitatis Christianæ sæpiùs deprecabatur iudices, & magistratus laicos, vt abstinerent eo supplicio, & parcerent hæreticis. Quo pacto conciliantur plura, & varia Augustini loca, quæ latè congerit, & bene ponderat Hurtado & explicat *in præsenti disp.* 86. *sect.* 1. Alia verò argumenta hæreticorum videri possunt apud Bellarminum vbi supra & apud Suarez in præsenti disp. 23. sect. 1. à num. 8. 37

Secundò fatemur, hanc potestatem, licèt principaliter in Ecclesia eiúsque ministris resideat, decentiùs tamen, & conuenientiùs exequutioni mandari per iudices, & magistratus laicos ad quos licèt non spectet cognoscere, & iudicare de ipsa hæresi, (hoc enim spectat ad Ecclesiam, cuius est examinare fidei doctrinam, & quæ ei opponi possunt) postquam tamen Ecclesia iudicat, & damnat hæreticum, eúmque tradit sæculari curiæ: vt iuxta leges contra ipsum procedat: tunc Iudex laicus ex consensu Ecclesiæ damnat eumdem hæreticum vltimo supplicio, & sententiam hanc exequutioni mandat: quod magis congruit personis Ecclesiasticis, quorum manus, & linguæ à sanguine humano, quantùm fieri possit, remotæ esse debent, solúmque declarant criminis grauitatem, cætera iudici laico permittentes, vt ipse prout de iure ad sententiam procedat. Si tamen Iudex laicus vellet processum examinare, vt cognosceret de crimine, an sufficienter esset probatum, & tergiuersaretur in sententia ferenda contra hæreticum; possent inquisitores iudicem per censuras compellere, vt debito modo suo munere fungatur, imò & inquirere contra illum, vt suspectum, quod sit hæreticorum fautor, vt docent communiter doctores, quos refert Diana 4. *parte tract.* 8. *de officio, & potestate inquisit. resol.* 26. & *resolu.* 52. vbi etiam notat, inquisitores non incurrere irregularitatem tradendo hæreticum Curiæ sæculari, non solùm propter protestationem, qua à iudice petunt, ne ad sententiam mortis, vel mutilationis procedat, sed etiam propter declarationes Pauli IV. & Pij V. qui quatenus opus erat, dispensarunt cum inquisitoribus, eorúmque vicariis, Commissariis, & Consultoribus, ne fierent irregulares, quantumcumque ad hæreticorum condemnationem concurrerent. Quæ declaratio facta primùm 29. Aprilis anno 1557. pro votum, & sententiam suam dicentibus in Congregatione Romana coram summo Pontifice, extensa postea à Pio V. ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consultores, refertur ab eodem Diana in fine dictæ 4. partis inter decreta, & constitutiones Pontifi- 38

Pontificum ad tribunal sancti officij spectantes.

39 *Quinam hæretici pœna capitali afficiuntur.*

Non tamen omnes hæretici hac pœna afficiuntur, sed aliqui: primò illi, qui obstinati in hæresi reduci nolunt ad fidem Catholicam: hi enim omnium pessimi, & supplicio dignissimi sunt, & ideo viui comburuntur; quæ pœna habetur in lege quadam Federici Imperatoris, quam ex directorio affert Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. *numer.* 1. & 4. & dicit, hanc legem acceptatam fuisse ab Ecclesia, & vsu seruatam. Maxima tamen cura, & diuturna adhibetur antea ad eorum conuersionem, introductis ad Reum hoc fine viris doctis, & piis, qui cum eo disputent, cúmque reducere conentur. Quod si obstinatus perseueret, profertur sententia, & traditur Curiæ sæculari.

40 *An condonari possit iis mortis pœna si conuertantur etiam post latam sententiam.*

Dubitatur, an condonari possit iis mortis pœna, si conuertantur etiam post latam sententiam. Multi negant, quos afferunt, & sequuntur Suarez *vbi supra num.* 16. & Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 19. licèt id in casu raro, & quo veræ pœnitentiæ maxima essent indicia, fieri concedant. Quam tamen sententiam nimis rigidam esse, & seueram dicit Hurtado *disp.* 85. *sect.* 2. §. 21. Nam licèt in *c. ad abolendam*, de hæreticis præcipiatur, vt hæreticus tradatur curiæ sæculari, *nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis, publicè concesserit abiurare.* Cæterùm in cap. *Excommunicamus* 2. eodem titulo benignius loquitur Gregorius IX. his verbis: *si qui autem de prædictis, postquam deprehensi fuerint, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.* Quod idem Auctor confirmat ex eo, quòd Inquisitores in Actibus generalibus deputant aliquem Theologum, qui concionem habeat ad hæreticos damnatos, vt resipiscant, antequam tradantur Curiæ sæculari. Addere etiam posset, eisdem hæreticis obstinatis tota illa die Theologos ab Inquisitoribus associari, qui eorum reductionem procurent. Hæc solùm probant ea fieri, vt anima salua fiat per pœnitentiam, non vt Reus à pœna corporibus post sententiam liberetur.

41 Ego distinguerem, vt si hæreticus resipiscat, antequam sententia legatur in publico foro, vbi actio illa solemniter celebrari solet, vel in Ecclesia ad id deputata, & antequam reus tradatur Curiæ sæculari, recipiatur ad pœnitentiam, etiamsi iam in tribunali secreto sententia prolata sit, & Reo etiam intimata: atque ita credo in praxi fieri: & vt ego aliquando Hispali hæreticum obstinatissimum iam iam curiæ sæculari tradendum, in ipso publico theatro resipiscentem reductum ad carcerem. Postquam verò curiæ sæculari traditus est, monetur quidem vsque ad mortem ipsam à Confessariis ad pœnitentiam: sed tamen licet conuertatur, non ideo mortem euadit, sed strangulatur, & postea comburitur. Huic autem doctrinæ consentire etiam videntur Penna, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao *vbi supra numer.* 20. Considerandum tamen esse conuersionem, ne sit ficta ad fugiendam pœnam mortis iam instantis, monent omnes: & quidem ego non consulerem Reum extra carcerem, & custodiam tutissimam postea teneri: captant enim occasionem euadendi, & redeundi ad hæresim in loco tuto, & vidi aliquem pœnitentiam tunc petentem, & doceri circa res fidei, quas dicebat se ex ignorantia negasse, qui cùm ad hunc finem in religiosorum conuentum ab inquisitoribus coniectus esset, non multò post fuga arrepta, ostendit se non ex animo fuisse conuersum; eiusmodi ergo homines in perpetuo carcere custodiendi sunt, quod & ad custodiam corporis, & ad animæ salutem remedium optimum est; Sed quid ex institutionibus inquisitionis Hispanæ obseruari debeat, videri potest apud Dianam, *parte* 4. *tract.* 7. *de pœnis delictorum &c. resolut.* 24.

42 *Ad impœnitentium classem reducuntur qui plenè conuicti sunt de hæresi crimine; illud tamen negant.*

Ad hanc impœnitentium classem reducuntur, & comburuntur etiam, priùs tamen suffocantur hæretici, qui de suo crimine testibus, vel aliis plenis probationibus plenè conuicti, illud tamen negant; & profitentur se semper Catholicos fuisse, eamdemque fidem Catholicam in corde habere. Hi tamen in foro externo reputantur impœnitentes, quia cùm constet de eorum hæresi, & nolint pœnitentiam, & absolutionem ab Ecclesia petere, præsumuntur adhuc in sua hæresi perseuerare, & ideo curiæ sæculari traduntur. An verò confessarius possit illum iam interficiendum absoluere in foro conscientiæ, si inueniat in eo foro illum innocentem, & quid si inueniat delictum fuisse verum, diximus *disput. præcedenti sect.* 3. Non ergo prodest illi in foro externo, quod fidem Catholicam profiteatur, & vniuersas hæreses damnet: quia sicut mentitur negans hæresim, de qua manifestè conuincitur, præsumitur etiam mentiri, dum se profitetur Catholicum, præsertim cùm oblatam pœnitentiam, & absolutionem nolit petere. Cautissimè tamen in hac condemnatione procedere debent Iudices examinando diligenter testes sæpius, & variis interrogationibus vrgendo: inquirendo item diligenter de testium qualitate, an bonæ conscientiæ, & famæ sint, an inimicitias cum reo habuerint, & alia similia, quæ tradit institutio quædam inquisitionis Hispanæ, quam refert Diana 4. *part. tract.* 7. *de pœnis delictorum, &c. resolut.* 25.

43 *An sit censendus negatiuus qui dicit, Ego non memini, me hæresim vnquam dixisse: si tamen sunt contra me testes: ego sto illorum testimonio, & omnem hæresim detestor.*

Dubitatur primò, An sit censendus negatiuus & vltimo supplicio afficiendus, qui dicit, *Ego non memini, me hæresim vnquam dixisse: si tamen sunt contra me testes: ego sto illorum testimonio, & omnem hæresim detestor.* Negant Gregorius Lopez, quem affert, & sequitur Hurtado *dicta disp.* 86. *sect.* 2. §. 31. quia non potest testibus conuinci, quòd recordetur hæresis præteritæ, & satis censetur confiteri, dum se testium subiicit attestationi. In contrarium tamen esse videtur doctrina communis dicens obliuionem non præsumi, saltem circa ardua, & atrocia, etiam post longum tempus, & idem esse circa solita, & consueta, licèt ardua non sint, & in iis, quæ semper delinquentes comitantur, quod tradunt communiter Doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao *vbi sup. dicto punct.* 2. *n.* 4. & Diana *dicta resolut.* 25. Hi autem Doctores agunt de obliuione in ordine ad excusandum hæreticum negatiuum; nimirum an qui negat simpliciter hæresim à se prolatam, excusari possit ob præsumptam obliuionem: in casu autem proposito est diuersa quæstio: nempe an censeatur negare hæresim, qui dicit se non recordari, subiicere tamè se testimonio testium: in quo casu placet mihi sententia Gregorij Lopez; nam qui dicit se stare testimonio testium, non negat, imò confitetur delictum: fatetur

An sit censendus negatiuus qui dicit. Ego nõ memini me hæresim vnquã dixisse: si tamen, &c.

fatetur enim se credere testibus, & propter eorum testimonium credere se ita deliquisse, quamuis autem non dicat, se id scire ab intrinseco, iam tamen fatetur se id credere, quod sufficit, vt non sit negatiuus: ille enim solus est negatiuus simpliciter & absolutè, qui negat se fuisse hæreticum.

44 *An puniendus sit hac pœna, qui fatetur aliquas hæreses negat verò alias, de quibus per testes conuincitur.*

Secundò circa hoc ipsum dubitatur, an puniendus sit hac pœna, qui fatetur aliquas hæreses, negat verò alias, vel alias, de quibus etiam per testes conuincitur, quæ vocari solet confessio diminuta. Affirmant omnes, quia quoad hæresim negatam præsumitur impœnitens: ita Suarez *vbi supra num.6.* Castro Palao *numer.5.* qui alios plures afferunt. Aduertendum tamen est, multò facilius præsumi obliuionem in hoc, quàm in negante omnia: vnde necesse in primis est, quòd diminutio plenè probetur, item quòd diminutio considerabilis sit, & non modica, qualis non est, si solùm non confiteatur omne delicti tempus; quia non est verisimile, quod qui delictum suum ingenuè confitetur, partem temporis, quæ circunstantia minoris momenti est, scienter neget: debet ergo esse diminutio maxima, & clarissimè probata, vt propter illam solam reus curiæ sæculari tradatur, vt notant Doctores de hoc puncto scribentes, quorum verba congerit Diana *dicta resolut.25.*

45 *An vt diminutus tradendus sit Curiæ sæculari, qui negat complices.*

Tertio dubitatur de confitente suas hæreses, negante tamen complices, an vt diminutus sit tradendus curiæ sæculari. Affirmant plures, quos sequitur Suarez *dicto num.6.* qui dicit, ita in praxi seruari, & pluribus relatis Castro Palao *dicto numer.5.* qui tamen fatetur, contrarium in praxi inquisitionis Hispanæ obseruari: quam praxim ego etiam credo, quia illam etiam testantur alij quos affert Diana *dicta resolut.25. in fine* dicentes, diminutionem confessionis circa complices, omittendo hunc, vel illum, nisi sit magister, pertinere ad minorem diminutionem, & ideo talem diminutum confitentem non relaxari curiæ sæculari.

46 *An is qui cõfessionem reuocat.*

Quartò dubitatur de eo, qui postquam in iudicio confessus est suos errores, confessionem reuocat, an sit tradendus curiæ, tanquam hæreticus negatiuus. Affirmat Castro Palao *vbi supra num.6.* quia præsumitur impœnitens, nisi causam afferat verisimilem reuocandi, & infirmandi priorem confessionem. Rationem autem reddit, quia ex propria confessione, iam delictum est plenè probatum: cùm verò postea reuocat, præsumitur reuocare dolosè, ad effugiendam pœnam ordinariam. Et rursus, quia si facta hac reuocatione non posset vt negatiuus condemnari, nullo modo puniendus esset, cùm neque etiam puniri posset, vt hæreticus pœnitens, qui nulla pœnitentiæ signa ostendit, sed negat peccatum: quare datur occasio hæreticis reuocandi suas confessiones ad effugiendam pœnam ordinariam.

47

Distinguendum videtur: nam si reus aliunde testibus, vel alia plena probatione conuictus est de crimine, quod fuerat confessus, & postea constanter negat, habendus erit pro negatiuo, & curiæ sæculari tradendus, quia iam nunc præsumitur impœnitens, cùm ante reconciliationem cum Ecclesia obtentam, pœnitentiam respuat, nec confessio prior eum iuuat, à qua per reuocationem desistit. Si verò aliunde non est conuictus, nec crimen nisi ex ipsius confessione facta in tortura constat, non est pœna negatiui puniendus: & in hoc casu admitto sententiam Canteræ apud eundem Castro Palao *ibi*, qui dixit, non esse vltimo supplicio afficiendum, vt negatiuum, qui priorem criminis confessionem reuocat. Ratio autem est, quia ille traditur curiæ sæculari, vt impœnitens, qui hæresim propriam negat, de qua aliunde plena probatione constat: in hoc autem casu non constat iam plenè de crimine, cùm non constet, nisi ex confessione ipsius, quæ confessio per reuocationem eliditur. Ad hoc enim confessio in tortura facta post 24. horas ratificatur, quia si tunc reuocetur, infirmatur, & amittit multum fidei, quam faciebat. Si verò confessio fuit facta sine tortura etiam imminente, reuocatio parum proderit, nec impediet probationem plenam ex confessione resultantem, nisi reus doceat de errore, in confessione facta. Et in hoc casu videtur loqui Castro Palao, atque etiam Farinacius, quem ibi pro sua sententia affert. De quo videri etiam possunt Auctores quos affert Diana *parte 4. tract.7. de pœnis delictorum, &c. resolut.12.*

48 *An sit necessaria.* *Quæ sint.*

Quintò dubitari potest de eo, qui crimen externum confitetur, negat verò intentionem internam, an sit puniendus vt hæreticus negatiuus. Omissis variis sententijs Doctorum, quos congerit Diana 4. *part. tract.7. de pœnis delictorum, &c. resolut.34.* & Castro Palao *dicto tract.4. disput.3. punct. 2. num.17.* qui tamen non satis clarè id explicat, distinguendum est. Vel enim reus aliunde conuictus est de factis, aut verbis externis, quæ sint in se verè, & propriè hæreticalia, vel non, nisi ex propria confessione: si aliunde conuictus est, & ipse etiam fateatur, sed neget intentionem hæreticam, imò dicat se interiùs non præbuisse assensum doctrinæ, quam verba, vel facta externa significabant, credo hunc perseuerantem in hac negatione damnandum vt hæreticum negatiuum. Quia si ipse negaret etiam actus externos damnaretur vt talis: tunc autem non magis constaret de eius hæresi interna, quàm in hoc alio sensu; nunquam enim conuincitur immediatè per testes de hæresi interna, sed solùm de externa, de qua etiam conuictus est per testes in casu nostro: quòd ergo conuictus est de hæresi interna per testes in vtroque casu, cùm æquè per testes conuictus sit in vtroque casu de hæresi externa, ex cuius sola probatione censetur conuictus de interna. Si ergo internam negat, iudicabitur negatiuus, cùm neget hæresim internam, quando de illa conuictus est per testes, quantum de illa conuinci potest. Alioquin nullus posset puniri vt hæreticus negatiuus, quia omnes possent confiteri actus externos, de quibus conuincuntur, & negare intentionem internam.

49

Si verò non constet de actibus illis externis, ni ex delinquentis confessione, qui tamen intentionem internam negat, non videtur puniendus vt hæreticus negatiuus. Quia vt dixi *tom.2. de Iustit. disp.37. sect.12. num.146.* confessio delinquentis fatentis se occidisse Petrum, sed in iustam sui defensionem, quando delictum aliunde non probatur, sufficit quidem ad pœnam extraordinariam, non tamen ad ordinariam. Quamuis enim magis credatur Reo contra se, quàm pro se dicenti in foro externo: illud tamen homicidium non constat tunc, nisi ex confessione ipsius delinquentis, qui non fatetur actum externum solùm, sed cum talibus circunstantijs excusantibus atque ideo manet debilitata ali-

quantulum

quantulum confessio actus externi ad probandam plenè malitiam homicidij: similiter ergo in casu nostro, cùm hæresis non probetur nisi ex confessione delinquentis, qui tamen in ipsa confessione excludit hæresim internam: non manet confessio cum tota sua vi ad probandam plenè hæresim internam. Cæterùm si cum illa confessione delinquentis concurrerent aliæ probationes, quæ se solis non sufficerent, sed cum illa confessione sufficerent ad plenè probandam hæresim internam: tunc iudicari posset hæreticus negatiuus, cùm conuictus plenè de intentione hæretica eam adhuc obstinatè negaret.

50 *Relapsi in hæresim plectuntur vltimo supplicio.*

Secunda classis hæreticorum, qui curiæ sæculari traduntur, & plectuntur vltimo supplicio, continet relapsos in hæresim, & constat ex cap. *Accusatus*, & cap. *super eo* de hæret. in sexto & ex lege Federici Imperatoris, quæ incipit, *Commissis*, quæ refertur in fine directorij: & ex cap. *Ad abolendam*, §. *illos quoque*: extra de hæreticis vbi dicitur: *Illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprij Antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari iudicio, sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.*

Quid si sponte compareat & se accusent.

Dubitatur primò quid si non sint deprehensi, nec accusati, sed ipsi sponte compareant, & se accusent? Communiter Doctores dicunt, misericorditer cum hoc agendum, quod colligunt ex illo verbo, *deprehensi fuerint*; quasi secus dicendum sit de non deprehensis, sed se manifestantibus: relapsus enim traditur curiæ sæculari, quia præsumitur incorrigibilis, & fictè conuersus: qui autem sponte comparet, pœnitentiam, & correctionem desiderat: ita Penna, & alij, quos affert Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 6. puncto 2. num. 7.* Imò Menochius ibi adductus id extendit ad eum, qui captus fuit, postea verò fatetur hæresim, de qua in processu non constabat. Aduertunt tamen, cautè considerandum esse, an hæreticus omnino sponte veniat, an metu accusationis, & probationum imminentium, quas intellexit contra se iam præparari: hic enim difficiliùs dimittendus erit: notant autem aliqui, quando delictum non est occultum, præsumi frequenter non ex pietate, sed ex dolo hæreticum comparere.

51 *An qui in primo lapsu sponte comparuit & in secundo deprehenditur per testes, sit tradendus curiæ sæculari.*

Secundò dubitatur de eo, qui in primo lapsu sponte comparuit, & abiurauit, & in secundo lapsu deprehenditur à iudice per testes, an sit tradendus curiæ sæculari. Respondeo, de rigore iuris damnandum esse, quia verè iam deprehenditur in relapsu. Temperatur autem hic rigor cum illis, qui ante pubertatem prima vice abiurarunt; iuxta institutionem inquisitionis Hispanæ, quam refert Castro Palao *vbi suprà*.

An relapsus quoad hanc pœnam incurrendam dicatur, qui non in eamdem primam hæresim, sed in alias postea incidit.

Tertiò dubitatur, an relapsus quoad hanc pœnam incurrendam dicatur, qui non in eamdem primam hæresim, sed in alias postea incidit. Multi negant, quos affert Suarez *vbi suprà num. 8.* qui eam probabiliorem putat, quia in dicto cap. *Accusatus*, ponitur illa conditio, *si postea peccauit in ipsa* & in §. 1. additur; *si posteaquam hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit*: quod non verificatur, quando specialiter vnam aliam solam hæresim abiurauit. Alij tamen putant, illum iudicari, vt relapsum, quos refert Suarez *vbi suprà*, & dicit esse satis probabile: quam sententiam sequuntur plures alij, quos refert, & sequitur Castro Palao *dicto puncto 2. n. 13.* & Hurtado *dicta disp. 86. §. 24.* Quia omnes hæretici conueniunt in vna & eadem hæresi, nempe in neganda Ecclesiæ auctoritate, à qua per quamlibet hæresim recedunt: in hanc autem hæresim eamdem semper relabuntur, quamuis circa alium etiam articulum errent.

52

Hæc controuersia hodie non multum refert, cùm iam hodie abiuratio generalis fiat omnium hæresum, & non solùm illius, de qua abiurans accusatus fuerat: quare in quacumque postea incidat labitur in hæresim abiuratam, idque ex omnium sententia sufficit, vt damnetur tanquam relapsus, & constat ex textu in dicto cap. *Accusatur. §. cum verò* vbi dicitur; *eum verò, qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in aliam hæresis speciem, siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus, vt relapsum in hæresim iudicari.* Quapropter nunc abiurans cogitur generaliter omnes hæreses abiurare, ne sit locus dubitationi, si postea in aliam hæresim relabatur. Si tamen abiuratio non esset generalis, sed peculiaris de illo primo errore, & postea in alium errorem incidisset, credo, illum iuxta canones non fore puniendum pœna relapsi. Id enim clarè videtur colligi ex relatis verbis textus in dicto §. *cùm verò* vbi, vt is dicatur relapsus, exigitur, quòd *hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauerit* hoc est, non vnam, vel alteram sed hæresim in communi, vel omnes omnino hæreses. Sciebat autem optimè Pontifex, omnes hæreticos errare in neganda Ecclesiæ auctoritate eam tamen putauit esse rationem, quasi generica hæresis, sub qua continentur aliæ species diuersæ, secundùm diuersitatem errorum, quibus ab Ecclesia receditur, & ideo subiunxit, *si ex tunc in aliam hæresis speciem, siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat.* Nam quidquid sit, an illæ duæ hæreses differant specie in ordine ad confessionem, & ad malitiam, de quo dictum est in superioribus; differunt tamen specie, vel quasi specie in ordine ad considerationem, & examen eorum, qui tractant de dignoscendis, & distinguendis singulis hæreticorum sectis, & erroribus, & in eo saltem sensu supponit Pontifex esse plures hæresum species, & posse aliquem relabi in eamdem, vel in diuersam hæresim in specie: nequit autem puniri vt relapsum, qui relabitur in diuersam, nisi præcessisset abiuratio omnium hæresum: supponit ergo posse aliquem non relabi in eandem, sed in diuersam; quia nimirum conuenientia illa generica in auctoritate Ecclesiæ negata non tollit, quòd possit vna hæresis esse diuersa ab alia in sensu vulgari.

53 *Duplex limitatio.*

Ex eodem tamen textu colligitur duplex limitatio. Prima est, si aliquis non probata prima hæresi, sed quia vehementer suspectus erat, coactus est abiurare, etiam abiuratione generali, & postea incidat in diuersam hæresim, non puniri vt relapsum, quia ad hoc requiritur, non solùm, quod suspectus fuerit, sed quod reuera lapsus antea fuerit in aliam hæresim, & abiurauerit generaliter. Ita colligitur ex dicto *cap. Accusatus*, in principio, iuncto §. *eum verò*: nam loquendo de eo, qui propter suspicionem vehementem abiurauit, dicit censeri debere quadam iuris fictione relapsum, *si postea committit in ipsa.* Loquendo

quendo verò de eo, qui incidit postea in diuersam hæresim, exigit, non quòd vt suspectus de alia abiurauerit, sed quòd *in vna hæresis specie, vel articulo commiserit, & errauerit, & postea generaliter abiurauerit.* Secunda limitatio est, non sufficere, si post vnam hæresim se ab illa purgauit, sed si abiurauit; abiurationem enim & non purgationem præcedentem exigit textus vt quis incidens in aliam hæresim dicatur relapsus, vt cum aliis notat Castro Palao *dicto puncto* 2. *num.* 13. si tamen relaberetur in eandem hæresim, sufficeret præcessisse purgationem ab illa, vt clarè colligitur ex capit. *super eo*, de hæreticis in 6.

54 *An sit puniendus vt relapsus, is cuius hæresis prima vice probata omnino non fuerat, sed tamen propter vehementem suspicionem abiurauit.*

Quartò dubitatur de eo cuius hæresis prima vice probata omnino non fuerat, sed tamen propter vehementem suspicionem abiurauit, & postea incidit in eandem, an sit puniendus, & iudicandus, vt relapsus. Iam diximus, si postea non incidat in eandem, sed in aliam, non puniri vt relapsum. Ille verò qui postea incidit in eandem, iudicatur iuris fictione relapsus, vt ostendimus ex verbis textus in dicto c. *Accusatus* in principio, vbi tamen subiungitur, ad hoc non sufficere, si priùs ob leuem solùm suspicionem abiurauerat, quamuis hic etiam si in eandem hæresim incidat sit grauiùs puniendus non tamen vltimo relapsorum supplicio.

55 *Et quid si ob leuem suspicionem.*

Petes, quid dicendum, si postquam ob leuem suspicionem abiurauit, incidit in eandem hæresim, & postea plenè probatur, & constat, ante abiurationem etiam lapsum fuisse? Respondeo puniendum vt relapsum, Quod etiam dicunt Squillacensis, & Sanctarellus, quos affert, & sequitur Diana *parte* 4. *tract.* 8. *de offic. & potest. inquisit. resolut.* 30. Probari autem potest ex dicto capit. *Accusatus*, §. *Ille quoque*, vbi dicitur: *ille quoque, de cuius lapsu ante abiurationem constiterat, vel nunc constat: si post illam hæreticos receptet, &c. meritò debet iudicari relapsus.* Vbi relapsus iudicatur, qui post abiurationem recipit hæreticos, vel illis fauet, & hoc licèt ante abiurationem non constiterit de lapsu, si tamen nunc iam constet de lapsu ante abiurationem. Si ergo sufficit ad pœnas relapsi, quòd primo lapsu ante abiurationem posito, constet post abiurationem, (id enim significant verba illa; *vel nunc constat*) & hoc etiam si secundus lapsus non constet, nisi ex suspicione vehementi propter fauorem hæreticis exhibitum: à fortiori quando secundus post abiurationem lapsus constat clarè, dicetur relapsus, licèt de primo lapsu non constiterit plenè ante abiurationem, si tamen nunc iam de illo plenè constat. Vnde obiter colligo, idem propter eandem rationem dicendum de eo, qui ob suspicionem de vna hæresi abiurauit generaliter omnes hæreses, & postea in aliam relabitur; & iam nunc constat plenè de primo ante abiurationem lapsu in illam aliam hæresim: hic enim etiam iudicabitur relapsus propter eandem rationem, quia nimirum sufficit, quod constet eum abiurasse post lapsum, & post abiurationem in eandem hæresim incidisse, vel etiam in aliam, si abiuratio fuerat generalis.

56 *An puniendus vt relapsus, qui propter vehementem suspicionem abiurauit.*

Quintò dubitatur de eo, qui propter suspicionem vehementem abiurauit, & postea denuò cogitur abiurare propter nouam vehementem suspicionem. Respondeo, eum non puniri vt relapsum, quia id solùm deciditur de eo, qui postquam abiurauit de vehementi, labitur in eandem hæresim, non de eo, qui suspectus solùm redditur de secundo lapsu. Atque ita declarasse Pium V. anno 1567. refert Cumbertus Locatus, quem affert Diana dicta resolut. 30. vbi cum aliis refert, non esse relapsum, qui tanquam fautor hæreticorum hæresim abiurauit, si post abiurationem iterum illis faueat. Vbi etiam notat, non esse relapsum, qui post purgationem relabitur in hæresim, si purgatio imposita fuerat ob leuem suspicionem de hæresi. Quod colligi videtur ex dicto cap. *Accusatus*, in principio. Secus autem dicendum putat, si purgatio imposita fuerat ob vehementem suspicionem, quod tamen iuxta supra dicta intelligendum est, si post purgationem incidat in eandem hæresim: nam purgatio non est de omnibus, sed de illa hæresi particulari, de qua fuerat suspectus.

57 *An sit puniendus vt relapsus, qui post primum lapsum, & abiurationem ideo factam, redditur vehementer suspectus de secundo lapsu, an sit puniendus vt relapsus?*

Sextò dubitatur de eo, qui post primum lapsum, & abiurationem ideo factam, redditur vehementer suspectus de secundo lapsu, an sit puniendus vt relapsus? Hic casus videri potest expresè decisus in dicto cap. *Accusatus*, §. *ille quoque*: vbi Pontifex videtur eum declarare relapsum his verbis: *Ille quoque, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat: si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, sine associet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit, etiam sine adoratione, (vt verbis vestris vtemur) meritò debet iudicari relapsus: cum illum ex approbati à se priùs erroris consequentia non sit dubium id fecisse.* vbi vehemens suspicio ex fauore hæreticis exhibito sufficit ad iudicandum relapsum eum, qui post primum lapsum hæresim abiurauerat.

58 Cæterùm multi, & graues Doctores negant vehementem suspicionem post abiurationem ad id sufficere. Pro hac sententia quam ipse etiam amplectitur, afferuntur à Diana *part.* 4. *tract.* 7. *de pœnis delict. & resol.* 26. Roias Sanctarellus, Treuisanus & Suarez *in præsenti disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 7. & eam sententiam seruari in praxi ab inquisitoribus Lusitaniæ testatur Sousa *in Aphorismis inquisit. lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 3. & de eadem praxi in Italia testatur Farinacius *quæst.* 195. *de hæresi*, §. 1. *n.* 18. Sed tamen Sanchez, Farinacius, & alij, non ita generaliter tradunt eam regulam, sed excipiunt casum, quando post lapsum, & abiurationem fauet hæreticis, quo casu expresè deciditur relapsus, vt vidimus in dicto c. *ille quoque*. Quo casu vt relapsum puniri, docet etiam Hurtado *in præsenti dicta disput.* 86. §. 26. concurrentibus tamen illis conditionibus in textu indicatis: nimirum, quod de primo lapsu constet, non solùm ex suspicione etiam vehementi, & quod fautor non fuerit necessitate vrgente exhibitus.

59 Alij tamen vniuersaliter dicunt, sufficere vehementem suspicionem vndecumque oriatur, vt iudicetur relapsus: ita Alfonsus à Castro Menochius, Zanchinus, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao *dicto puncto* 2. *num.* 9. & ita in casu occurrente seruatum fuisse à supremo consilio inquisitionis refert Cantera *in quæst. crimin. cap.* 1. *de hæreticis, num.* 58. Et mihi magis placet hæc sententia, quam tamen aliqui probant à simili, quia abiurans ex vehementi præsumptione, si postea in eandem hæresim labatur, iudicatur relapsus, vt vidimus, & constat ex eodem cap. *Accusatus*, in principio: ergo è contra si lapsus præcessit

cessit abiurationem,& postea subsequatur vehemens suscipio de relapsu in eandem hæresim æstimabitur relapsus : parum enim refert, quod suspicio vehemens sequatur, vel præcedat, cùm in vtroque casu æquè concurrant vnus lapsus certus,& vnus vehementer præsumptus,& abiuratio media inter vtrumque. Hoc tamen argumento non vtor, quia in pœnalibus non est semper argumentum firmum à paritate rationis, vt pœna extendatur ab vno casu ad alium. Cùm ergo in primo casu Pontifex fateatur, illum non esse relapsum, nisi fictione iuris; hinc videtur potiùs colligi, quod vbi ius idem non fingat, non inuenitur relapsus puniendus.

60 Magis ergo moueor verbis Pontificis in dicto §. *ille quoque*, vbi Pontifex declarat relapsum eum, qui post lapsum,& abiurationem fauet hæreticis, qui fauor non est relapsus clarus, sed solùm præsumptus ex vehementi suspicione. Nec videtur satisfacere, quod aliqui dicunt, id decretum fuisse pro illo solo casu, quo suspicio vehemens subsequens fundatur in fauore hæreticis præstito; atque adeo non esse extendendum ad omnes alios casus suspicionis vehementis subsequentis. Hoc, inquam, non satisfacit, quia Pontifex non dixit, se id pro eo casu statuere, sed dixit, ad ita iudicandum, quia in iis circumstantiis sufficienter constabat de relapsu. *Merito*, inquit, *decet iudicari relapsus, cùm illum ex approbati à se erroris conscientia non sit dubium id fecisse.* Si ergo lapsus præcedens abiurationem, & præsumptio ex fauore postea hæreticis dato, reddant omnino certum relapsum in errorem pristinum, consequens est, vt quoties post lapsum,& abiurationem consequatur alia æquiualens suspicio, de eodem errore retento, æquè etiam certus sit relapsus, atque ideo æquè tanquam relapsus iudicandus, & puniendus erit. Et in hoc sensu valet optimè argumentum à paritate rationis, quia si ideo solùm declaratur ille relapsus in casu fauoris hæreticis dati, quia ea præsumptio certò persuader relapsum: ergo quoties datur æqualis præsumptio, vndecumque ea proueniat, debet æquè certò æstimari relapsus, atque adeo debet vt talis iudicari, & puniri.

61 Dices, vrgere adhuc contra nos argumentum paulò ante desumptum ex principio eiusdem capitis: quia non nisi iuris fictione dicitur relapsus, qui ex vehementi præsumptione abiurat, & postea incidit in eamdem hæresim, ergo nec in nostro casu, quando lapsus præcedit abiurationem, & vehemens suspicio consequitur, relapsus erit, nisi fictione iuris : non ergo ex natura rei, vt ita dicam, sed ex legis decreto relapsus erit, quæ lex cùm solùm loquatur de casu fauoris hæreticis dati, non erit extendenda ad alios casus.

Respondeo negando primam consequentiam, in quo multùm disto à sensu Suarij, qui dicto num. 7. in fine dicit, esse differentiam inter vtrúque casum, & magis probari relapsum quando suspicio vehemens præcedit abiurationem, quàm quando subsequitur. Ego quidem credo esse differentiam inter illos duos casus, quia potiùs magis probatur relapsus, quando suspicio vehemens consequitur abiurationem post lapsum, quàm quando eam antecedit: Quam differentiam colligere possumus in primis ex ipsis verbis Pontificis, qui loquès priùs de eo, qui post suspicionem, & abiurationem labitur, solùm dicit esse iudicandum relapsum quadam fictione iuris. Postea verò loquens de eo, qui post lapsum,& abiurationem fit suspectus, ob fauorem hæreticis datum, non dicit esse iudicandum relapsum fictione iuris, sed meritò esse iudicandum relapsum, cùm non sit dubium eum fauorem hæreticis datum esse ob errorem pristinum adhuc retentum. Agnouit ergo Pontifex differentiam inter vtrumque casum, ita vt suspicio adeo vehemens consequens abiurationem magis ex natura rei probet relapsum, quàm quando abiurationem præcedit.

Ratio verò à priori huius differentiæ assignari potest, quia licèt in vtroque casu relapsus sit præsumptus, est tamen fortior præsumptio in secundo casu, quàm in primo. Nam quando suscipio præcedit abiurationem, cùm reus esset adhuc in possessione boni nominis circa fidem non præsumitur hæreticus, nisi probetur, quia præualet possessio. Nec ex eo quòd post abiurationem subsequatur labsus, probatur etiam clarè lapsus ante abiurationem, licèt sit magna præsumptio propter suspicionem præcedentem. In secundo autem casu, quando lapsus constat ante abiurationem, possessio stat pro hæresi, quare actus post abiurationem consequuti fortiùs probant perseuerantiam hæresis, pro qua stat possessio, de qua certò constat, & ideo Pontifex meritò iudicabit præsumptionem eo casu esse iuris, & talem, vt nisi contrarium probetur, ille meritò debeat iudicari relapsus. Ad quod deseruire potest, quod notauit Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 8. num. 17.* quando aliquis antea furiosus erat, præsumi actum gestum in furore, nisi contrarium probetur, secus verò si antea sanæ mentis fuerat. Hæc ergo potuit esse ratio discriminis inter illos duos casus, vt in secundo sine vlla iuris fictione relapsus declaretur. 62

Obiici etiam solet ex cap. *litteras*, de præ- *Obiectio 1.*
sumptionibus, vbi qui confessus hæresim abiurauerat, postea suspectus redditur, propter reuocatam confessionem, qua fratrem etiam suum hæreticum fassus fuerat, non tamen condemnatur vt relapsus. Ad hoc tamen bene respondet Castro Palao *vbi supra num. 10.* non constare ex illo textu, quod ante reuocationem, & suspicionem illam præcesserit abiuratio, quæ tamen necessaria est, vt aliquis relapsus dicatur.

Addit tamen idem Auctor *num. 11.* eum qui 63
lapsus in hæresim abiurauit, & postea fauet hæreticis, iudicari relapsum, etiamsi faueat alteri sectæ ab ea, quam abiurauit. Contrarium tamen dicunt Alfonsus de Castro Menochius, Simancas, & Azor ab eodem relati, & quidem meritò. Ad hominem verò in primis probari potest, quia ipse Castro Palao. *num. 9. & 10.* pares dixerat esse illos duos casus de suspicione antecedente, vel subsequente abiurationem : cùm ergo non dicatur relapsus, qui post abiurationem ex suscipione vehementi factam labitur, nisi in eamdem hæresim relabatur, vt colligitur ex dicto cap. *Accusatus*, in principio, & fatetur idem Auctor postea *num. 13.* non debuit dicere relapsum eum, qui post lapsum, & abiurationem sit suspectus de alia diuersa hæresi propter fauorem hæresis alterius sectæ exhibitum. Ratio denique est, quia licèt abiuratio post primum lapsum fuerit generalis de omni hæresi, atque ideo si postea incidat in quamlibet aliam iudicetur relapsus; ad hoc tamen non sufficit secundus relapsus præsumptus, sed clarus, & certus.

Quod enim sufficiat secundus lapsus in quamlibet aliam hæresim, vt iudicetur relapsus, habetur solùm ex decreto Pontificis, id ita liberè statuente, vt constat ex verbis eiusdem in dicto cap. *Accusatus* §. *eum vero:* vbi dicitur: *si ex tunc* (nempe post abiurationem generalem) *in aliam hæresis speciem siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus, vt relapsum in hæsim iudicari.* Illa ergo extensio noua ad reincidentes in aliam hæresim non est extendenda ad relapsum præsumptum, sed strictè intelligenda de eo, quem constat in aliam hæresim postea incidisse, qualis non est fautor hæreticorum, qui solùm præsumptionem habet contra se, imò præsumptio illa debilior est, quando fauet hæreticis alterius sectæ, cùm non ita facile possit præsumi id facere ex affectu ad errorem à se abiuratum, qui diuersus erat, & huic errori fortasse contrarius.

Aduerte denique cum Suario *dicta disput.* 24. *sect.* 5. *num.* 7. non esse relapsum, qui post abiuratam hæresim fauet damnato non de hæresi, sed vt suspecto vehementer de hæresi, quia ille non est fautor hæreticorum, quare nec incurrit censuras impositas fautoribus hæreticorum, vt cum aliis docuerat idem Suarez *disput.* 21. *de censur. sect.* 2. *n.* 14.

64 *Hæresiarcha traditur curiæ sæculari. Hæresiarcha si pœnitentiæ ostendant an sint ad pœnitentiam admittendi. Hæresiarcha quis dicatur.*

Vltima classis eorum, qui Curiæ sæculari traduntur, est hæresiarcharum, & dogmatizantium, de quibus tamen dubium est, an si pœnitentiam obstendant ad reconciliationem sint admittendi. *Hæresiarcha* dicitur hæresis inuentor, quamuis aliquando hoc nomen latiùs vsurpetur, & extendatur ad magistros erroris, vt in capit. *qui eliorum* 24. q. 3. *Dogmatista* autem dicitur, qui alios errorem docet; oportet tamen, vt non id faciat quomodocumque, sed quasi ex officio vel consuetudine discipulos instruens, vt cum aliis notat Suarez *in præsenti disput.* 23. *sect.* 2. *num.* 11. & hoc siue publicè, siue occultè id munus exerceat. Vtrosque posse, & debere ad reconciliationem admitti docent plures, Eymericus, & Penna apud Suarium *ibi num.* 9. quibus adde Decianum, & Canteram, quos affert, & sequitur Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 17. Quia in iure Canonico, cui, & non legibus ciuilibus in hac materia standum est, non inuenitur his negata reconciliatio, sed potiùs omnibus generaliter concessa, si pœnitentiam ostendant, vt fit in cap. *ad abolendam*, de hæreticis, vbi tam docentes, quàm sentientes admittendos statuitur, & eadem regula generalis desumitur ex cap. *vt officium.* de hæreticis in 6. & idem ex Concilio Biterrensi, & Tarraconensi ostendit Penna in direct. 2. parte comment. 64. vers. *an autem.* Praxis etiam Ecclesiæ id Suadet; sic enim receptus fuit ad pœnitentiam Berengarius in cap. *Ego Berengarius*, de consecrat. distin. 2. qui tamen fuerat hæresiarcha. Imò addit Cantera in quæst. crimin. rubr. de hæreticis c. 1. p. 70. vers. *est nunc videndum*: impetratum fuisse breue speciale sedis Apostolicæ, vt traderetur curiæ sæculari in Hispania pessimus quidam dogmatista dictus Cazalla, aliter non tradendus.

65 Alij plures dicunt, eos omnes etiamsi pœnitentiam ostendant, tradendos esse curiæ sæculari: ita Simancas, Roias, Repertor. inquisitorum, quos affert Castro Palao *vbi supra num.* 16. Suarez *dicta sect.* 2. *num.* 9. & idem ferè docent Lorca, & Sousa apud Dianam parte 4. *tract.* 7. *de pœnis delict. & c. resolut.* 23. & acerrimè, ac rigidè idem tuetur Hurtado *dicta disp.* 86. *sect.* 2. §. 15. *& sequentibus* dicens nullum ex iis dimitti debere, nisi quando aliquis minister ex prouincia hærerica, se recipit in Catholicam fidem. Imò nec dimittendum eum, qui vel semel de concione hæresim docet, & qui arrepto munere docendi, hæresim dicit, eam probans argumentis, & Catholicas rationes dissoluens, licet vni duntaxat id dicat, vel etiam qui non more magistri, multis tamen persuadere conetur, quibus non minùs nocere potuit, quàm si more magistri id fecisset, quem dicit auiditate hæresim persuadendi censeri dogmatistam & curiæ sæculari tradendum.

Fundamenta huius sententiæ sunt primò, quia 66
ita statutum est in multis legibus ciuilibus. *l. eum qui seruum*, Cod. de Apostatis, *l. Quicunque.* Cod. de hæreticis l. vltima C. de Iudæis l. 2. Cod. ne sacrum baptisma, quibus standum est, quoties in iure Canonico contrarium non habetur: solet enim in pœnis imponendis ius Canonicum per leges ciuiles suppleri: Secundò quia regula generalis iuris Canonici de admittendis hæreticis pœnitentibus, intelligi debet de hæreticis simplicibus, non de qualificatis, & à communi modo exorbitantibus: nam hæresiarcha, & dogmatista est pluspuam hæreticus, & hostis Ecclesiæ. Addit Hurtado *num.* 17. regulam communem Ecclesiæ in his non habere locum, quia hi non dant signa veræ pœnitentiæ, nec credi vnquam possunt veri pœnitentes sed ficti: quare regula vniuersalis de huiusmodi hæreticis non loquitur.

Ego in hac sententiarum varietate credo, do- 67
minos inquisitores communiter debere procedere iuxta vsum sui tribunalis, qui in iis rebus multum valere solet. Puto item non posse vnam regulam generalem præscribi, sed totum id pendere ex variis circunstantiis particularibus, personæ, erroris, occasionis errandi, & pœnitendi, & aliis, quas iudicum prudentia considerare debet, sicut & grauitatem maiorem, vel minorem delicti, an multum intulerit nocumenti, vel scandali, vt si Regem, vel prouinciam, aut ciuitatem peruertisset: fructum etiam, quem eius pœnitentia diuturna afferre potest. In particulari autem Doctores aliqua in praxi notare solent.

Primò eiusmodi homines, licet vltimo sup- 68
plicio non afficiantur, plectendos tamen esse grauissimis pœnitentiis, vt Ecclesiæ satisfaciant, vt criminis proprij grauitatem agnoscant, & vt probari possit veritas conuersionis, vt monuit Pontifex in dicto cap. *vt officium*: de hæreticis in 6. Vnde secundò notant, perpetuo, ac stricto carceri mancipandos, vbi occasionem non habeant alios iterum peruertendi, sed potiùs redeundi ad cor, si fortè non adhuc seriò redierunt, & sciant se omni spe libertatis carere, vt faciliùs de vera conuersione cogitent. Et quidem ego non consulerem eos etiam post longum tempus liberare: extant enim exempla in hoc genere miserabilia simulatæ conuersionis per longum tempus, vt recepta libertate ad vomitum redeant, & peiora sint nouissima hominum illorum. Tertiò non credendos, nec condonandum eis vltimum supplicium, quando non nisi morte iam instante conuertuntur: est enim vehementissima præsumptio quòd solùm ad vitam protrahendam redu- *Quidam in praxi non da.*

ctionem

ctionem fingant: si tamen certo eis persuadeatur quod etiam si conuertantur, debent interfici, & adhuc conuerti seriò voluut, possent facilius credi, & probata hac voluntate per aliquos dies quibus se ad piè moriendum præparent, posset mors in perpetuum, vt diximus, carcerem commutari. Quartò non esse in horum numero computandos parentes, qui filios suos hæresim docent, amicum etiam, vel socium, qui sociis, vel amicis eadem occurrente occasione, suggerit, & his similes, qui non sunt propriè dogmatistæ, cùm id muneris non quasi ex officio sed priuatim faciant. Quintò eum, qui præceptis, præmiis, minis, vel aliis exquisitis modis hæresim aliis persuadere conatur, vel qui Principes, Reges, vel alios eiusmodi peruertere tentauit, non esse nisi in rarissimo casu ad reconciliationem admittendum propter grauitatem criminis adeo qualificati, & in tantam Ecclesiæ perniciem vergentis, & propter aliorum exemplum. Hæc & alia apud prædictos doctores facilè inuenies.

69 *Hæretici mortui aliquando traduntur iudici sæculari, & eorum ossa comburuntur.*

Ad hos reduci possunt hæretici mortui, quorum memoria aliquando damnatur, & traduntur iudici sæculari, à quo eorum ossa, si ab aliis discerni possunt, & statua comburuntur. Nam licèt alia dilicta morte delinquentis extinguantur; id tamen fallit in crimine hæresis ex l. *Manichæos*, §. 2. vers. *in mortem.* Cod. de hæreticis: & ex dicto cap. *Accusatus* §. *in eo verò*, de hæreticis in 6. & cap. finali 24. q. 3. c. *si quis Episcopus*, extra de hæreticis, & alibi: sicut etiam Reus læsæ Maiestatis humanæ post mortem damnari potest ex l. vltima Cod. ad leg. Iuliam Maiestatis.

Ad hoc quid requiratur.

Requiritur autem ad hoc primò, vt constet, in hæresi decessisse, si enim solùm probetur suspectus, non potest vt hæreticus damnari, & alia crimina præter hæresim morte extinguuntur. Vnde nec damnanda est eius memoria, si ante mortem signa contritionis exhibuit, & ob temporis angustias non potuit iudiciliter absolui, vt constat ex c. *à nobis* secundo de sentent. excomm. & colligitur ex cap. *filij* de hæreticis in 6. & probat cum aliis Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 16. §. 6. *num.* 15.

70 *Quanto tempore post mortem extinguatur ius procedendi contra hæreticum defunctum.*

Secundò requiritur, quòd hæresis clarissimè probetur, vel per propriam confessionem sine pœnitentia, vel si in carcere custoditus ob hæresim se se sponte interfecit. quod æquiualet propriæ confessioni, & probat, & quod voluit hæreticus mori, vt fatentur communiter doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao *vbi supra num.* 3. Diana parte 4. tract. 7. de pœnis delictorum, &c. resolut. 28.

Tertiò requiritur, quod citentur filij, & hæredes defunctorum, quorum interest siue ad honorem, siue ad bona, ne defunctus damnetur, qui possunt per se, vel per procuratorem etiam comparere, vt illum defendant: & illis danda est copia indiciorum, & accusationum: non tamen hi possunt illum defendere, qui in extremis consolationem ab hæreticis postulauit, nisi velint probare, non fuisse sui compotem quando id fecit, vt constat ex c. *filij* de hæret. in 6. Imò & quilibet è populo, qui velit defunctum defendere, admittendus est, vt tradunt Doctores, quos afferunt, & sequuntur Castro Palao, & Diana locis citatis. Quanto verò tempore post mortem extinguatur ius procedendi contra defunctum, & quando eius bona sequestranda sint, atque etiam confiscanda, licèt ad tertium possessorem transierint vide apud eosdem Doctores.

Card. de Lugo de virtute Fidei diuinæ. MMm 2 *sanctum, remissiue.*

SECTIO III.

De aliis pœnis corporalibus, & temporalibus.

71 *Hæretici pœnitentes aliis mitioribus pœnis ab inquisitoribus puniuntur vt perpetuo carcere.*

HÆretici pœnitentes, qui non traduntur curiæ sæculari, solent aliis mitioribus pœnis ab Inquisitoribus puniri. Prima est carceris, qui aliquando perpetuus est, & habetur in cap. *excommunicamus* 2. de hæreticis, vbi dicitur: *si quis autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* Quia verò hæreticus confessus suum errorem, antequam testium dicta ei publicentur, nondum videtur perfectè deprehensus, non solet ad carcerem perpetuum cõdemnari; vt cum aliis, quos affert, notat Castro Palao *dicto tract.* 4. *disp.* 6. *punct.* 1. *num.* 1. & Diana *part.* 4. *tract. de pœnis delict. & c. resol.* 24. *in principio*, apud quem Roias dicit, eum, qui in limine iudicij ante accusationem confitetur, ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali pro breui tempore esse condemnandum: si verò post accusationem, augendam esse pœnitentiam. Si denique post publicationem testium hæreses confitetur, ad perpetuum carcerem esse damnandum; quia præsumitur quòd metu probationum confitetur, & talis conuersio non caret suspicione, & in omnibus casibus prædictis bona publicantur: ita ille.

72 *Hæc pœna potest ab Inquisitoribus mitigari.*

Aduerte primò hunc perpetuum carcerem posse ab Inquisitoribus ex causa mitigari, vel in aliam pœnam commutari, ex cap. *vt commissi*, versic. *& illorum*, de hæret. in 6. Hæc tamen facultas abbreuiandi carceris tempus post sententiam in Hispania reseruata est Inquisitori generali ex priuilegio Sedis Apostolicæ, vt testantur Castro Palao *vbi supra, num.* 4. & alij, quos affert Diana *vbi supra column.* 2. Commutatur autem sæpe pœna carceris in pœnam ad triremes ad tempus: nobiles autem aut similes personæ detrudi solent ad tempus in aliquo Monasterio, vt testatur cum aliis idem Diana *ibi.*

Aduerte secundò hunc carcerem non debere esse talem, ex quo vita delinquentis abbreuietur, vt cum aliis notauit Castro Palao *vbi supra num.* 3. quod de abbreuiatione notabili debet intelligi. Solet tamen post triennium dispensari cum condemnato ad carcerem perpetuum, vel in aliam pœnitentiam commutari. Si verò damnatus sit ad carcerem perpetuum irremissibilem, non nisi elapsis octo annis dispensari, vt ex aliis, quos affert, refert Castro Palao *num.* 4. cum aliquibus tamen cautè agendum, qui non sine periculo è carcere dimitti possunt, & tutior erit eorum salus, si in ipso carcere, & pœnitentia moriantur.

73 *In quibus casibus non possunt Inquisitores non tradere curiæ sæculari eos, qui pœnitentiam petunt.*

Aduertè tertiò in aliquibus casibus non posse inquisitores non tradere Curiæ sæculari eos, qui pœnitentiam petunt, quos determinauit Clemens VIII. in Bulla edita 3. Februarij anno 1603. Hi sunt missam celebrantes, vel confessiones audientes sine sacerdotio: negantes Trinitatem diuinarum personarũ; negantes diuinitatẽ Christi Domini, vel Christum conceptũ esse de Spiritu sancto

sanctio, vel Christum mortuum, vt nos redimeret, vel B. Mariæ virginitatem, item Magistratus, seu Domini Ecclesiastici, vel temporales Schismatici, aut hæretici, seu hæresim aut schisma excitantes. De cuius tamen Bullæ explicatione videndus est Scortia in Bull. Pontif. epit. 10. Theor. 36. & alij quos affert Diana vbi supra, apud quem Sousa testatur non esse in inquisitione Lusitana receptos omnes casus.

Aduerte quartò inter hæreticos pœnitentes computari eum etiam qui semper negauit, donec in tortura posscus confessus est, quam confessionem post 24. horas approbauit. Nam licèt olim iussus esset hic tradi Curiæ sæculari ex instructione Inquisitionis Hispanæ facta anno 1484. id tamen merito reuocatum fuit in alia instructione anno 1561. quas duas refert ad litteram Diana *dicta resolut.* 24. & Doctores, qui de praxi testantur.

74 *Pœna triremium, exilij, & fustigationis.* Solent etiam hæreticis pœnitentibus imponi pœnæ triremium, exilij, & fustigationis, quam tamen fustigationis pœnam non esse solitam imponi, nisi iis, qui tardissimi, durique fuerunt ad conuersionem, dicit Castro Palao *dicta disp. 6. puncto 2. num.* 1. Ad has reduci potest pœna portandi sacci benedicti, quem cruce ex vtraque parte signatum imponere solent Inquisitores Hispani eiusmodi pœnitentibus, & generet infamiam grauissimam, qui saccus supra omnes alias vestes in pœnitentiæ signum portari debet ad tempus vel in perpetuum, pro criminis grauitate: in cuius temporis abbreuiatione post sententiam, solus inquisitor Generalis dispensare potest, vt suprà de dispensatione carceris diximus. *Pœna portãdi sacci benedicti.*

75 *An censeantur impœnitentes qui pœnitentias ab inquisitoribus impositas non implent.* Hac occasione dubitari solet de iis; qui prædictum saccum sibi impositum & præceptum nõ portauerint, sed occultauerint, vel abiecerint, & in vniuersum, qui pœnitentias ab Inquisitoribus impositas non implent, an cẽseantur impœnitentes, & relapsi, & vt tales puniri debeant. Certum est, eos puniri posse, & suspicionẽ in hæresis incurrere, & pœnitentiæ non veræ, sed fictæ. Aliqui addunt, eos haberi vt relapsos, & tradendos Curiæ sæculari: ita Calderinus, Locatus, Zanchinus, Campegius, & alij apud Castro Palaum *dicto tract. 4. disp. 6. puncto 3. num.* 3. quibus alios addit Diana *dicto tract. 7. de pœnis delictor. &c. resolut.* 14.

Communis tamen, & vera sententia negat, eos esse verè relapsos, vel tradendos Curiæ sæculari: quam tenent Simancas vocans contrariam sententiam crudelem, & falsam, Roias, Riminaldus, Parinacius, & Zechius, quos refert, & sequitur Castro Palao *vbi suprà num.* 4. Iulius Clarius, Cantera, Sousa, & alij, quos affert, & sequitur Diana dicta resolut. 14. qui & Castro Palao id extendunt ad Reum, qui iuramento se obligauerat ad pœnitentiam implendam. Ratio est, quia licèt is suspectus fiat de pœnitentia ficta, communiter tamen præsumi potest id ob aliàs causa factum, nempe ex tædio pœnitentiæ, ex libertatis affectu, vel ob quid simile. Vnde non videtur satis consequenter in hoc loqui Castro Palao, qui vbi *suprà num.* 2. dicit incurri per hoc non leuem suspicionem de perseuerantia in hæresi, per quod significare videtur suspicionem grauem: cùm tamen idem Auctor puncto 2. præcedenti dixisset *num.* 9. hæreticum, qui post abiurationem fit denuo grauiter suspectus de hæresi, puniendum vt relapsum. Ex hac enim doctrina sequitur eum, qui non impleat pœnitentiam, esse vt relapsum puniendum, quod tamen ipse negat. Quare ego non concederem, ex qualibet violatione pœnitentiæ iniunctæ, incurri vehementem suspicionem de hæresi. Quid enim, si (prout de facto contigit) aliquis, qui domi manere iussus fuerat, semel domo sine licentia egrediatur; nunquid ideo est vehementer de hæresi suspectus? Hunc certè à relapsu defendit Riminaldus, lib. 2. Consil. 150. Et hoc videtur esse de mente aliorum Auctorum, qui tunc solùm agnoscunt suspicionem vehementem, quando pœnitentia iniuncta directè tendebat contra hæresim detestatam, v. g. si impositum fuerat in pœnitentiam, vt contra illam hæresim prædicaret, cum hæreticis non conuersaretur, &c. Quia *non facere prædictas pœnitentias* (inquit Diana dicta resolut. 14.) *est signum vehemens à iure statutum approbationis erroris.* Quale signum non est quælibet pœnitentiæ impositæ violatio. Et idem tandem videtur fateri Castro Palao *dicto puncto 3. num.* 4. dicens in eo solùm casu dari signum vehemens approbationis erroris, quando omittit pœnitentias directè contrarias errori detestato, vt si omitteret se purgare, errorem abiurare, hæreticis non fauere, secus verò de aliis pœnitentiis.

De his tamen pœnitentiis contrariis directè errori abiurato dubitant aliqui, an earum violatio faciat relapsum: & id negant Simancas *tit. 47. num. 77.* sed dicit condemnandum denuo arbitrio inquisitorum ad maiorem pœnitentiam. Alij tamen dicunt, tunc esse puniendum vt relapsum, quod fatetur Castro Palao *vbi suprà*, Riminaldus, Locatus, Menochius, & Treuisanus, quos affert, & sequitur Diana *illa resolut.* 14. Et ego etiam id vetum puto, imò idem dicerem de violatione cuiuslibet pœnitentiæ, quæ æqualem suspicionem hæresis generaret: quia diximus sectione præcedenti, eum, qui post hæresim, & abiurationem faueret hæreticis, esse relapsum, & idem diximus de eo, qui ex alio capite æquè vehementem suspicionem hæresis incurrisset, propter rationes ibi adductas: si ergo ex violatione alterius pœnitentiæ æquè vehementem suspicionem hæresis incurrit, ac ex violatione pœnitentiæ contrariæ directè hæresi abiuratæ, non minùs iudicabitur ex illa violatione relapsus, quàm ex hac alia. 76 *An violatio pœnitentiæ contrariæ errori abiurato faciat relapsum.*

Denique, si pœnitentias acceptare recusat, vel etiam abiurare, quando abiuratio imponitur, si antea conuictus, vel confessus fuerat, habetur pro impœnitenti obdurato, & nolente resipiscere, & traditur Curiæ sæculari. Si autem antea non fuerat conuictus, nec confessus, tunc excommunicandus est, in qua excommunicatione si per annum obduratus permanserit, vt hæreticus condemnabitur, vt tradunt Locatus, Eimericus, Riminaldus, Penna, Martinus del Rio, & Sousa, quos affert, & sequitur Diana *dicta resolut.* 14. *in fine.* 77

Aliæ sunt pœnæ arbitrio inquisitorum vsitatæ, inter quas aliqui non fustigantur, sed super asinum publicè deferuntur cum mitra Charticea ad ludibrium, alij cum candela accensa, vel non accensa in manu sententiam audire coguntur; alij alias pœnitentias accipiunt pro criminis qualitate, de quibus consuli possunt, qui de praxi illius tribunalis ex professo agunt.

DISPVT.

DISPVTATIO XXV.
De hæreticorum complicibus & aliis personis, quæ hæreticos concernunt.

SECTIO I. *De credentibus, fautoribus receptatoribus, & defensoribus hæreticorum.*

II. *De suspectis de hæresi, & eorum pœnis; vbi etiam de hæretico merè externo sine hæresi interna.*

III. *De schismaticis, & eorum pœnis.*

IV. *De filiis, & nepotibus hæreticorum, & eorum pœnis.*

POSTQVAM dictum est de hæreticis, dicendum erit de aliis, qui licèt hæretici non sint, habent tamen cum illis aliquam connexionem, & ideo pœnæ in totum, vel in partem ad illos extenduntur, de quibus tamen omnibus in vniuersum verum erit, quòd pœnæ hæreticis impositæ eos non comprehendunt, nisi expressè in iure ad illos extensæ fuerint, prout aliquæ ad aliquos extensæ inueniuntur, vt breuiter videbimus in hac disputatione.

SECTIO I.

De credentibus, fautoribus receptatoribus, & defensoribus hæreticorum.

1 IN Bulla cœnæ hi omnes simul cum hæreticis, & schismaticis excommunicantur; quare explicandum breuiter est, qui horum nomine intelligantur. In vniuersum autem notandum est primò si aliquis solùm sit suspectus de hæresi, & ideo etiam de vehementi abiurauerit, eius fautores, ac defensores &c. comprehendi hac censura, quia non sunt fautores hæretici, sed suspecti, qui in rigore non est hæreticus, vt cum aliis notat Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 10. n. 14.* Vnde neque etiam si aliquis sit fautor, &c. receptator fautoris hæreticorum comprehendetur hac censura, quia non est fautor hæretici, sed fautoris hæreticorum. Si autem fautor hæretici sit etiam simul hæreticus (vt frequenter contingit) ligabitur vna excommunicatione, quatenus est hæreticus, altera quatenus est hæreticorum fautor, vt notauit idem Sanchez *ibi num. 7.*

2 Secundò notandum est ad incurrendam hanc censuram, non requiri, quod hæreticus, cui fauor, vel defensio exhibetur, sit denuntiatus: imò nec requiritur quod sit excommunicatus: nam si ob ignorantiam inuincibilem censuræ eam iuxta aliquorum opinionem non contraxisset, si tamen hæreticus sit, fautor illius incurret hanc censuram, quæ non imponitur ob communicationem cum excommunicato, sed ob fauorem hæresi datum, vt contra Vgolinum notat idem Sanchez cum Suario *vbi suprà num. 6.*

Tertiò notandum est, hos omnes, si verè hæretici non sint, posse absolui à quolibet habente facultatem ad absoluendum ab omnibus casibus Bullæ cœnæ excepta hæresi; atque adeo posse absolui semel in vita, & semel in morte, virtute Bullæ Cruciatæ excipientis solam hæresim; cùm hi omnes possint absque hæresi hanc censuram incurrere, vt contra alios, quos refert, & notat Sanchez *dicto lib. 2. cap. 12. num. 12.* Hurtado *in præsenti disp. 88. sect. 3.* Suarez, Filliucius, & alij plures, quos congerit Diana *1. parte tract. de absolutione ab hæresi, resol. 7.* & *tract. de Bulla Cruciatæ resolut. 29.*

His suppositis declaramus singulas voces. Et imprimis circa *Credentes*, aduertunt doctores, posse id contingere vel ex parte intellectus, quo aliquis hæretico credit errores, quos docet, vel solùm ex parte voluntatis fidendo illi, & bonam existimationem de eo habendo: qui secundus modus si non fidas illi circa doctrinam, nec de eo, quatenus hæretico bonam existimationem habeas, non sufficit ad hanc censuram, quia non credis hæretico, vt hæretico, nisi fortè illa credulitas, & familiaritas redundet in fauorem hæretici, & hæresis, tunc enim incurres censuram, vt fautor hæreticorum. Credentes autem primo modo eo ipso sunt hæretici formales, & excommunicati; licèt ad maiorem explicationem distinguantur credentes, vt significetur non solùm hæresim docentes, sed etiam credentes excommunicari, si tamen ea credulitas signo externo sufficienter exprimatur. Videatur Sanchez *dicto cap. 10. num. 2. & 3.* & Suarez *in præsenti disput. 24. sect. 1. num. 3.* qui bene aduertit comprehendi sub hoc nomine eum, qui licèt actu nondum credat errorem, venit tamen ad eum gratia discendi, & ipsum audiendi, paratus etiam ad credendum, si rationes, & motiua ei placeant. Qui enim sic accedit, iam est dubius, & vacillans in fide, quod dubium si exteriùs exprimat, fit hæreticus externus. Aduertunt etiam, sufficere in confuso credere doctrinam alicuius hæretici, licèt in particulari errores non distinguantur, quia creditur doctrina hæretica. Ita Sanchez *numero 2.* & Suarez *num. 1.*

3 Credentium nomine quinam intelligantur.

Receptatoris nomine intelligitur, qui hæreticum recipit in hospitium, habitationem, vel locum: & sufficit vnicus actus recipiendi ex omnium sententia, sicut etiam in defensore, vel fautore. Quare hac censura comprehenditur non solùm, qui hæreticum in propriam domum recipit, & occultat, ne capiatur, sed etiam magistratus, & Principes, qui eos in proprias ciuitates, vel prouincias recipiunt, vt sub sua tutela liberi sint, & propriam sectam retinere possint. Quare etiamsi non in ædes proprias, sed alienas recipiantur, imò etiam in agrum, id sufficiet, vt cum aliis notat Sanchez *vbi suprà num. 10.* Qualis autem intentio requiratur in recipiente, vel fauente dicemus postea.

4 Receptator quis censeatur.

Defensor hæretici in præsenti significat eum qui defendit non solùm personam materialiter sumptam, sed ita vt redundet etiam in doctrinæ seu hæresis defensionem. Quod fieri potest in iudicio, v. gr. patrocinando, vel eum absoluendo, vel etiam extra iudicium, eius doctrinam ab aduersariis defendendo, vel armis eum tuendo. Si quis tamen hæreticum in alia causa ciuili vel accusatum de alio crimine defendat, vel iniustè inuasum, ne ab hostibus, vel inimicis occidatur, non est defensor hæretici, nec in vllo casu, in quo defensio, vt diximus, non redun-

Defensor hæretici quis.

detur in ipsius hæresis defensionem. Videatur Sanchez *num.* 18. & Suarez *num.* 5.

5 *Fautoris* nomen magis vniuersale est, & comprehendit etiam defensores, sed non solos, potes enim aliis multis modis hæretico fauere non defendendo. Semper tamen requiritur, quòd fauor redundet etiam in fauorem hæresis, quod qua ratione sit intelligendum mox dicemus. Potest autem quis dupliciter fauere hæretico, nempe commissione, vel omissione. Primo modo fauet, quando ei consilium dat, vt euadat pecunias, arma auxilium; quando eum laudat, quod probus sit, quòd iniustè patiatur, &c. Aduertunt autem Doctores, incurrere aliquem posse in hanc censuram, quamuis hæreticus cui fauet, iam non sit hæreticus, v.g. si impediat, ne condemnetur hæreticus mortuus, eúmque defendat, vel ei faueat, quo casu mortuus iam non est hæreticus, sed fauetur ei vt hæretico. Item si hæreticus postquam conuersus est deprehendatur ab Inquisitoribus, & tu eum defendas, vel ei faueas, ne puniatur: faues quidem Catholico actuali, sed in causa hæresis præteritæ: ita cum aliis Sanchez *num.* 17. & Suarez *num.* 6.

Fautores hæreticorum qui dicantur.

6 Secundo etiam modo, hoc est ômissione fauent hæretico, qui ex officio tenentur ad eum capiendum, puniendum, eiiciendum, & id negligunt, v.g. Magistratus ab Episcopo, vel Inquisitoribus requisiti, vel quibus tradetur ab illis hæreticus puniendus, ipsi etiam Inquisitores, & Prælati Ecclesiastici, si in hæresis fauorem negligant id ad quod ex officio tenebantur. Quod idem est de aliis ministris, & officialibus sancti officij, imò & de personis priuatis, quibus id munus imponitur à potente illud imponere, & de testibus, qui quando interrogati legitimè tenebantur verum dicere, id occultarunt, vt hæretico fauerent. Videatur Sanchez *num.* 11. & sequentibus, & Suarez *num.* 6. qui alios referunt.

7 Circa hos omnes dubitatur primò, an incurrant hanc censuram effectu non sequuto, v.g. occultasti hæreticum ne caperetur, sed tamen captus fuit, patrocinatus es hæretico in iudicio ne condemnaretur, sed tamen condemnatus est. Negat Sanchez *vbi supra num.* 9. quia excommunicatio hæc primariò, & principaliter fertur in hæreticos, & quasi secundariò & accessoriè deriuatur ad fautores, & defensores, pro quo affert Suarium *disp.* 21. *de Censuris sect.* 2. *num.* 8. Quando autem aliquis principaliter excommunicatur, & accessoriè mandantes, consulentes, fauentes, hi non incurrunt non sequuto effectu mandati, vel concilij, vt in homicidio, & similibus.

An fautores hæreticorum, receptatores, &c. incurrãt censuram effectu non sequuto.

Prima sententia.

8 Contrariam tamen sententiam tuetur ipse Suarez *in præsenti dicta disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 14. protestatus se immeritò fuisse adductum pro prima sententia, & hanc etiam tenet Sayrus *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Quam Suarez probat primò quia ex contraria sententia aliqua incredibilia, & contra praxim sequuntur: nam qui non denunciat hæreticum, quando denunciare tenetur, incurrit excommunicationem etiamsi alter postea denunciet. Idemque est de teste falso testimonio eum liberare procurante, qui certè non excusatur ab excommunicatione ex eo, quòd hæreticus aliis testibus conuictus sit. Secundò, quia regula illa, in qua fundatur prima sententia, non rectè applicatur, procedit enim, quãdo mandatum, vel auxilium ordinantur ad exequutionem eiusdem delicti, v.g. homicidij: hic autem non ita est, nam fauor per se non ordinatur, vt alter committat hæresim; imò illam supponit, & ad tuitionem hominis iam hæretici ordinatur, & ita hoc delictũ iam in suo genere est consummatum, quamuis effectus non sequatur. Dicitur tamen hæc prohibitio primariò pertinere ad hæresim, quia propter illam præcipuè fit, non quia quasi per hæresim consummetur delictum, cui annexa est hæc censura.

Secunda sententia.

9 Hæc secunda sententia, si rectè explicetur, & limitetur, magis mihi placet. Vt tamen ratio eius meliùs intelligatur, Aduerto, duos effectus posse considerari in hoc delicto, de quibus sermo sit, quando dicitur non incurri hanc censuram, nisi effectu sequuto, Primus est hæresis ipsa illius cui fauetur, vel etiam in aliis ea occasione futura, vel conseruanda. Secundus est fauor, vel tutela hæretico, & hæresi exhibita. De primo effectu non potest esse dubiũ, quòd sine eo sequuto incurratur hæc censura: quia qui hæreticum iam ad fidem conuersum, vel etiam mortuum defendit, no puniatur, vel condemnetur, non potest hoc suo fauore esse causa hæresis illius; & quamuis fauor maneat occultus, atque ideo non sit causa, quòd alij in hæresi permaneant, vel hæretici fiant, adhuc ille fautor vel defensor censuram incurrit. Debet ergo intelligi solùm de secundo effectu, & quoad hunc veram esse puto primam sententiam, quod nisi fauor hæretici, & hæresis reipsa ponatur, non incurritur hæc pœna, quia non est fautor hæretici simpliciter, & absolutè, qui fauere voluit, sed non obtinuit: oportet ergo videre quid sit necessarium, vt verum sit, quod fauor sit reipsa præstitus: ad hunc enim effectum duo requiruntur, nempe actio ex parte fauentis, & passio, seu receptio fauoris ex parte illius, cui fauetur, & vtrumque requiritur, vt hæc censura incurratur. Vnde si velis ex parte tua hæretico fauere, & ad hoc mittas ei pecunias. v.g. sed ad eum casu aliquo non perueniant, sed in itinere pereant, tu quidem ex parte tua cœpisti fauere, sed fauor non fuit completus, sicut si hæreticus, cui mittebas pecunias, mortuus esset antequam eas acciperet: in quibus, & similibus casibus credo te non incurrere censuram, quia non est positus effectus prohibitus, nempe fauor hæretici: si autem occultasti hæreticum, & recepisti domi tuæ, sed postea detectus, & captus fuit, incurristi censuram, quia ex parte tua fauisti, & recepisti, & ille etiam receptus est, & fauorem sensit licèt parum ei profuerit, vt omnino euaderet: quia effectus prohibitus non est omnimoda liberatio, sed receptio, & fauor hæretici, qui iam reipsa positus fuit. Similiter testis falso testimonio adiuuans hæreticum incurrit censuram, quia fauor ille, & defensio posita est, licèt non sequuta fuerit liberatio; & idem de aliis similibus exemplis iudicandum erit. Vnde non est simile exemplum de homicidij, in quo id, quod prohibetur, est occisio, & concursus etiam ad homicidium, concilio fauore, mandato, &c. quando verò mors non sequitur, non ponitur concursus vllus ad homicidium, sed voluntas concurrendi: concursus enim, & causalitas non dicuntur sine effectu. At verò in nostro casu, id quod prohibetur, non est concurrere ad hæresim, sed fauor, defensio, receptio hæretici: neque etiam prohibetur liberatio hæretici, sed fauor illius, qui esse potest sine liberatione sequuta.

10 Secundum, & grauius dubium est, quælis intentio

Qualis intētio requiratur ad incurrendam hanc censuram.

tentio requiratur ad incurrendam hanc censuram: an sufficiat fauere hæretico specificatiuè, recipere illum, defendere, &c. an vero requiratur fauere illi reduplicatiuè vt hæretico. Prima sententia affirmat hoc secundum requiri, atque adeo si faueas hæretico, quia consanguineus, vel amicus est, non quia est hæreticus, vel quia tibi placet eius hæresis, non te comprehendi hac pœna: ita Sanchez *vbi suprà num.* 5. qui conatur plures in eam sententiam trahere, & dicit tradi clarè à Suario *disp.* 21. *de censuris, sect.* 2. *num.* 8. ipse tamen Suarez *in præsenti disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 9. sese satis explicat, & negat, se in eo sensu loquutum, nec alios Auctores, qui afferuntur, id intendere.

11 Est ergo secunda sententia dicens, sufficere si faueatur hæretico, non quidem specificatiuè, sed reduplicatiuè, vt hæretico, non tamen requiri, quòd faueatur ei, quia hæreticus est. Aliud enim est fauere ei, vt hæretico; aliud fauere, quia hæreticus est. Ad primum sufficit si fauor, quacumque intentione detur, redúdet in fauorem hæresis, ita vt non solus hæreticus, sed ipsa etiam hæresis fauoré sentiat. Ad secundum vero opus esset, quod motiuum volendi, & fauendi esset ipsa hæresis: & hoc non requiritur ad hanc censuram. Vnde concludit Suarez: *Quoties in præstando hoc fauore hæretico præsertim cognito, peccatur mortaliter contra obligationem fidei habere locum iura, quæ de his fautoribus loquuntur, solúmque excipi casum, in quo aliquis excusaretur à culpa.* Quæ verba idem Suarez diuerso charactere notauit, quasi volens eam esse regulam firmam in hac materia. Quam sententiam ferè amplectitur Hurtado *disput.* 88. *sect.* 2. §. 31. *& sequentibus*, licèt obscuriùs loquatur.

12 Ego nunquam credere potui, nomine *fautoris* hæretici ab Ecclesia in his decretis intelligi solùm eum, qui fauet hæretico, quia hæreticus est: hoc enim esset confundere hæreticos, & fautores hæreticorum. Quis enim nisi sit hæreticus, faueat hæretico; quia hæreticus est? Aut quomodo potest esse motiuum fauendi hæresi, quando hæresis ipsa non placet, sed reprobatur? Quod etiam docent expressè Toletus, Vgolinus, Sayrus, & Farinacius cum aliis apud Suarez *dicta sect.* 1. *num.* 8. Et videtur colligi satis clarè ex verbis Martini V. in Bulla contra errores VVicleffi, & Ioannis Hus, & habetur post vltimam sess. Concilij Constantiensis, vbi postquam de credentibus eos errores dixit, subiungit de fautoribus eorum his verbis: *Receptatores quoque, fautores, & defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quæ erroribus ipsis crediderint, nec fauore, aut contemplatione errorum ipsorum, sed fortè carnalis amoris causa, vel occasione alia huiusmodi personas acceptauerint, præter pœnas ab vtroque iure talibus inflictas per iudices competentes, tanta seueritate pœnarum, in tam enormi scelere vltionem accipiant, quod cedat cæteris in exemplum.* Vbi non solùm pœnas auget, sed supponit vtroque iure pœnas impositas iam esse huiusmodi receptatoribus, & fautoribus, licèt non errorum contemplatione, sed carnalis amoris causa, vel alia occasione id faciant. Communis etiam loquendi, & sentiendi modus id suadet; quia quando leges prohibent sub graui pœna Bannitorum, vel Assassinorum receptionem, non loquuntur certè de iis solis qui eos ideo recipiunt, quia banniti, vel scelerati sunt, & quia eis scelera placent, sed de iis, qui scelera recipiendo fouent, quacumque alia intentione id faciant: idem ergo est sensus huius prohibitionis, ne faueatur hæresi, quacumque intentione id fiat.

Ratio verò à posteriori esse potest, quia lex 13
ad casus, qui communiter contingunt, ordinatur, non ad casum metaphysicum, & rarissimè contingentem. Quod autem Catholicus hæretico faueat, quia hæreticus est, vix vnquam contingere potest, nec aduocatus Catholicus defendet hæreticum, quia hæreticus est, sed propter lucrum, quod ex patrocinio sperat, & sic de aliis. Contra hæreticos verò, qui hæreticis fauent, quia hæretici sunt parum necessaria erat ea lex, & extensio Censuræ ad fautores hæreticorum, cùm ij, iam excommunicatione, & aliis pœnis tenerentur ob hæresim propriam. Extensa ergo est hæc censura ad fautores, etiamsi non sint hæretici; ad fautores inquam, quales communiter esse solent, qui fauent hæreticis, vt hæreticis, non tamen quia hæretici sunt. Confirmarique potest, quia eodem tenore, & eadem clausula excommunicantur in eadem Bulla cœnæ fautores hæreticorum, & eorum libros legentes, qui de religione tractent, vel hæresim contineant. Certum autem est, ad incurrendam hanc censuram non requiri, quòd Catholicus legat librum hæretici, quia Auctor est hæreticus; rarissimè enim id contingit; sed sufficit, si curiositatis causa, vel ob eruditionem, vel ex alia causa librum legat: ergo in eodem sensu intelligi debet fauor hæreticorum prohibitus.

A priori verò ratio esse potest ex dictis, quia 14
ille, qui fauet hæretico, ita vt id redundet in hæresis ipsius fauorem, verè fauet hæretico, vt hæretico, cùm fauor reduplicetur supra ipsam hæresim, cui fauetur, & quæ ex illo fauore robur, ac vitam accipit: ergo in sensu formalissimo est fautor hæreticorum: sicut illa est formalissima causa calidi, quæ producit in subiecto calorem, & ille est auctor & causa Sanctorum, qui causat in illis sanctitatem, & iustitiam: ille ergo est proprissimè fautor hæreticorum, qui fauet hæresi, à qua dicuntur hæretici.

Obiiciunt primò ex l. 2. ff. de receptatoribus 15
vbi dicitur non ita seuerè puniendum, qui reci- *Obiectio* 1.
pit latronem cōsanguineum, ac qui recipit extraneum: non est ergo imponenda pœna ordinaria ei, qui recipit hæreticum ob consanguinitatem, qua punitur, qui recipit ob hæresim. Respōdet Suarez, imò inde colligi illum esse adhuc simpliciter receptatorem, licèt ob eam excusationem mitiùs puniatur. Addo ego in primis non excipi ibi, à grauiori pœna eos, qui ob alios fines latrones reciperent, etiamsi non id facerent ex affectu ad latrocinia: imò paulò superiùs in lib. 1. expressè fuerant positi in pessimo receptatorum genere & seuerissimè puniendi ij, qui lucri gratia latrones, quos tenere poterant, sinebant elabi: non ergo sunt puniendi, vt receptatores ij soli, qui intuitu criminis receptant, vel fauent. Deinde excipiuntur ij, qui consanguineos receperunt quia quando pœna est diuisibilis, meritò eadem lex eam diuidit, vt partem solam experiantur, qui adeo plausibilem excusationem habuerunt. In nostro autem casu excommunicationis pœna est indiuisibilis, nec potuit quoad partē remitti. Satius ergo fuit, quoties grauiter in eo crimine peccatur, totam pœnam imponere: sicut etiam legens librum parentis sui hæretici non excusa-

bitur ea de causa à tota excòmmunicationis pœna.

16 *Obiectio 2.* Secundò obiiciunt ex cap. *Accusatus*, §. *Sacerdotes* de hæreticis in 6. vbi Pontifex iubet puniri Clericos, qui consilio vel auxilio causa sunt, vt hæretici fugiant, vel non puniantur, & rationem reddit *cùm non sit dubium eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis*. Si ergo constaret, ex alio fine eos illa facere, non ita punirentur. Respondeo, imò inde probari nostram sententiam: non poterat enim Pontifex ex illis actionibus colligere, quod fierent, quia hæresis placebat Sacerdotibus, & Clericis fautoribus: nec ibi eos iubet puniri vt hæreticos, sed aliis leuioribus pœnis, nec ea consilia, vel auxilia dari solent à Catholicis ex affectu erga hæresim, sed ex compassione, vel alio fine. Solùm ergo colligit Pontifex ea fieri in fauorem hæreticæ prauitatis, id est, ex intentione defendendi, & liberandi hæreticos ab Inquisitorum correctione, & pœnis, qui fauor est hæreticæ prauitatis, & hic ipse fauor intendebatur, non tamen erat motiuum ipsa hæresis, nec fauebant illis quia hæretici erant, sed quia amici, vel ob alium finem.

17 *An omnes hæreticorum fautores hac censura comprehendantur.* Petes, an omnes hæreticorum fautores hac censura comprehendantur? placet mihi regula suprà relata Suarij: quoties in præstando hoc fauore peccatur mortaliter contra obligationem fidei, censuram incurri. De hoc tamen ipso quæri potest, an omnis fauor hæretico exhibitus contineat peccatum mortale contra obligationem fidei. Respondeo negatiuè; nam qui ex eo, quòd domi hæreticum recipiat, concipit eius conuersionis spem, posset eum occultare, nisi ibi ex Ecclesiæ edictis obligatio esset denuntiandi omnes hæreticos, vt notat Hurtado *dicta disp.* 88. §. 31. Idem esset, si sine graui damno meo, quod me excusaret, non possem eum non recipere, vel ei non subuenire, vt notat idem Auctor §. *sequenti*. Regula mea vniuersalis hæc est, quando ex fauore hæreticis dato resultat graue damnum religionis, & fidei, quatenus hæresis, & hæretici potentiores redduntur, vt Ecclesiæ resistant, & alios peruertant, etiamsi illud hæresis incrementum non intendatur, sed permittatur, non excusatur à peccato mortali, atque adeo nec ab hac censura, qui hæreticis fauet, nisi damnum illud compensetur alio maiori bono, quod aliunde eadem fides, & religio hac via lucrabitur, quod solùm fauorem illum iustificare, vel excusare potest. Itaque considerandum est omnibus pensatis, quid vtilius sit ad bonum Ecclesiæ, & Catholicæ religionis, an hæreticis fauere, licèt inde alicubi foueatur, & promoueatur hæresis, quod quidem non intenditur, sed permittitur ex necessitate, & ad obtinendum maius bonum eiusdem Ecclesiæ, & fidei an verò hæreticos omnino deserere omni prorsus auxilio destitutos, vt resipiscant, vel coërceantur. Illud autem, quod in conspectu Dei, & præ oculis habendo bonum, & incrementum Catholicæ Ecclesiæ, quam Christus suo sanguine redemit, & construxit, melius, & vtilius syncera mente iudicabitur, id eligi poterit absque peccato contra obligationem fidei. Ad hoc autem iudicium faciendum, absque erroris, vel proprij affectus periculo, præ omnibus in summo pretio habenda est directio summi Pontificis, qui in specula constitutus melius iudicare potest de commodis Ecclesiæ vniuersalis, & cuius non solùm præcepta, sed consilia etiam primo loco suscipienda, & suspicienda sunt.

Excipitur ab hac regula ille, qui fauet hæretico, quem ignorat esse hæreticum, non solùm quando ignorantia est inculpabilis (de hoc enim non est dubium) sed etiam quando esset culpabilis; quia licèt non excusaret à peccato mortali contra obligationem fidei, excusare tamen posset ab hac excommunicatione incurrenda: Cùm enim id multi dicant sufficere, ad non contrahendam excommunicationem ob hæresim, à fortiori dicendum erit de excommunicatione fautorum hæresis. Ita docet Suarez *dicta sect.* 1. *num.* 12. qui tamen non loquitur de ignorantia crassissima, & supina, quæ scientiæ æquiparari solet. 18

Restat nunc videre de aliis pœnis spiritualibus contra eiusmodi personas statutis. Et in primis de irregularitate, quam hos omnes incurrere, etiamsi non sint notorij, sed occulti, tenent plures, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 7. & quos affert, & sequitur Auila *de censuris parte* 7. *disputat.* 4. *dub.* 2. *conclus.* 2. Suarez *de censuris disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 5. & alij plures, quos affert Diana *part.* 4. *tract.* 2. *de irregularitate, resolut.* 44. Alij tamen id negant, quando crimen est occultum: ita Henriquez, & Sà apud Sanchez *vbi suprà*, item Luisius Turrianus, Gaspar Hurtado, & Petrus Cornejo, quos affert Diana *dicta resolut.* 44. Et idem debet tenere Petrus Hurtado, qui *suprà disp.* 87. *sect.* 1. Idem dixerat de hæreticis occultis. Quare miror, quod postea *disp.* 88. §. 38. absque vlla distinctione inter notorios, & occultos dixerit fautores hæreticorum affici irregularitate. Id tamen proculdubio intellexit de notoriis, nam subiunxit, *aliisque pœnis quibus hæretici*. Tota ergo hæc quæstio pendet ex illa alia, an hæretici occulti sint ipso iure propriè irregulares, de quibus, cùm supra diximus probabile esse, quòd non incurrant irregularitatem, idem à fortiori de fautoribus hæreticorum non notoriis dicendum est: æquiparantur enim quoad hanc pœnam cum hæreticis in cap. *Quicumque*, & cap. *statutum* 2. de hæreticis in. 6. Posset fortasse in hanc sententiam citari Castro Palao *dicto tractat.* 4. *disputat.* 7. *punct.* 1. *num.* 11. vbi enumeratis pœnis fautoris hæreticorum subdit in fine. *His pœnis non quilibet defensor, receptator, aut fautor hæreticorum subiacet, sed illi tantùm, qui publicantur ob fautoriam excommunicati, & postquam sic publicati sunt, contemnunt intra annum satisfacere.* Sed id non potuit intelligere de omnibus pœnis ibi relatis; neque enim solùm irregularitatem, sed etiam excommunicationem enumerauerat, ad quam incurrendam non requiruntur illæ conditiones, vt constat ex verbis Bullæ cœnæ. Debet ergo intelligi de pœnis enumeratis in cap. *excommunicamus*, §. *credentes*, de hæreticis, quem affert ad id probandum, & in quo conditiones illæ requiruntur ad illas pœnas incurrendas. 19 *An incurrant irregularitatem.*

Alias pœnas fautoris hæreticorum enumerat Suarez *in præsenti disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 15. nempe, quòd careant Ecclesiastica sepultura, nec oblationes pro illis fiant, nec ab illis recipiantur, ex cap. *sicut ait*, & dicto cap. *excommunicamus*, §. *credentes*, de hæreticis, quæ pœna eodem modo, & cum iisdem limitationibus intelligenda est, sicut de illa eadem hæreticè imposita 20 *An incurrant Ecclesiasticæ sepulturæ.*

An puniantur pœna priuationis beneficiorum.

posita diximus *disp. 23. sect. 4. in principio.* Item puniuntur pœna priuationis beneficiorum, quæ habetur in dicto §. *credentes.* Quæ pœna intelligitur de beneficiis postea accipiendis, vt de hæreticis diximus *dicta sect. 4.* Quoad antea verò acquisita, licèt multi dixerint, vt ibi vidimus, ab hæretico, ipso facto, perdi titulum; Suarez tamen *dicto num. 15.* fatetur, quidquid sit de hæreticis, fautores non amittere beneficia antea obtenta, ante priuationis sententiam, quod etiam Couarruu. & Penna ab eo citati notarunt.

21 *An ipso iure pœnam infamiæ incurrant.*

Alia est pœna infamiæ, quam pœnam non incurrunt ipso iure, nisi per annum obdurescant, vt habetur in dicto §. *credentes*, vbi sub eadem conditione denuntiationis, & obdurescentiæ fiunt intestabiles, & inhabiles ad publica officia, & ad successionem hæreditariam, & ad proferendam sententiam in iudicio, ad electionem etiam actiuam, ad testimonium ferendum, ad aliquem citandum, vt ipsis respondere teneatur, ad patrocinandum, si fuerit aduocatus, ad instrumenta conficienda, si fuerit tabellio, quæ omnia ibi videri possunt, & apud Castrum Palao *dicto punct. 1. §. 11.*

SECTIO II.

De suspectis de hæresi, & eorum pœnis; vbi etiam de hæretico merè externo sine hæresi interna.

22 *Tres gradus in suspicione de hæresi.*

TRes gradus assignantur communiter in hac suspicione, prima dicitur leuis; secunda grauis, seu vehemens; tertia violenta. Suspicio leuis dicitur, quæ oritur ex indiciis, ex quibus aliquando, sed rarò concluditur hæresis crimen. Magna seu vehemens dicitur, quæ oritur ex indiciis frequenter hæresim concludentibus. Violenta denique dicitur, quæ moraliter æquialet sufficienti probationi, præsertim quando à iure approbatur, & affert secum præsumptionem, quæ vocari solet iuris, & de iure: cõtra quam non admittitur directa probatio, vt constat ex cap. *contra Christianos*, cap. *Quicumque*, cap. *cum contumacia*, cap. *filij*, de hæreticis in 6. cap. *Excommunicamus*, §. *qui autem*, de hæreticis. Admittitur tamen probatio indirecta, qua quis non intendit eneruare vim illationis vt ita dicam, qua ex illis indiciis præsumitur hæresis, sed intendit affirmare, & negare ipsa indicia, v.g. probando testes falsum deposuisse, vel aliter indicia non rectè probari, nec esse vera.

23 *Exempla harum suspicionum.*

Exempla harum suspicionem plura afferri solent, ex quibus potest de aliis iudicari. Suspicionem leuem contra fidem generat reiteratio Sacramenti non reiterandi; Missas celebrare, vel confessiones audire sine sacerdotio; secundam vxorem ducere, viuente priori, pœnitentes in confessione ad turpia sollicitare, & his similia, quæ non solùm secundùm se, sed etiam ex lege ita statuente reddunt hominem leuiter suspectum de hæresi: sunt enim pleraque alia, quæ licèt æquè reddant suspectum, quantùm est ex se, non tamen statuuntur à lege ad hunc effectum, vt de homine corruptis omnino moribus, & sine vlla conscientiæ ratione viuenti suspicio esse possit quod non sanè de animæ immortalitate, & alterà vita sentiat.

24 *Exempla suspicionis vehementis.*

Vehementis, seu grauis suspicionis exempla sunt citatum ad respondendum in causa fidei non comparare; impedire scienter sanctæ Inquisitionis officium, vel illud impedientibus præstare auxilium: hæreticos citatos ab inquisitoribus instruere, quomodo celare, & negare sua crimina debeant: hæreticis fauere, vel etiam cum iis specialissimam familiaritatem contrahere. Hæc & alia inueniuntur apud Eimerycum. 2. *parte direct. q. 56.* & alios, quos affert Castro Palao dicto. *tract. 4. disput. 7. punct. 1. numer. 2.* Aduerte tamen, ob eadem crimina, & indicia in aliquibus locis Reum obligari ad abiurandum de leui, propter quæ in aliis obligatur ad abiurandum de vehementi, vt sæpe obseruat Diana 4. *parte in tract. illo 7.* de pœnis delictor. &c. Quod mirum non debet videri, quia totum hoc ex prudentis arbitrio dependet, qui pensatis circunstantiis delicti, iudicare debet, an leuem, vel grauem suspicionem hæresis generent. Possunt autem alij aliter iudicare: tum quia indicia eadem possunt ad vtrumque iudicium dare fundamentum probabile: tum etiam quia idem delictum in vno loco maius fundamentum præbet, pro diuersa gentis, & prouinciæ conditione, quàm in alio: sic enim in prouinciis hæresi infectis esus carnium in diebus prohibitis magis reddit suspectum de hæresi, quàm in prouinciis Catholicis.

Exempla suspicionis violenta.

Violentæ suspicionis exempla esse solent, consolationem, vel communionem ab hæreticis accipere: excommunicatum in causa fidei, per annum in excommunicatione insordescere, item post hæresim, & abiurationem cum hæreticis conuersari, cósque recipere, & eis fauere: de quibus, & aliis signis agunt doctores, quos congerit Castro Palao *dicto punct. 1. numero 3.*

25 *Regula aliquæ circa pœnas suspectorum de hæresi quoad forum internum, & externum.*

His suppositis, regulæ aliquæ assignari solent, circa pœnas horum suspectorum, quæ ferè ad forum exterius spectant, nam quoad forum internum, regula generalis est, quod qui scit, se non fuisse hæreticum, non ligatur in conscientia hæreticorum pœnis, quod intelligi debet, quatenus est pœna hæretici: potest enim ligari pœna aliqua, non propter hæresim, sed propter crimen illud, quod eum reddit de hæresi suspectum, cui crimini secundùm se statuta sit aliqua pœna: v.g. fautor hæreticorum sit suspectus de hæresi; & quamuis in conscientia non sit hæreticus, incurret tamen pœnas fautoribus hæreticorum statutas, qualis est excommunicatio ipso facto Papæ reseruata. Sicut è contra, qui est de hæresi suspectus, & in iudicio non conuincitur, nec damnatur, adhuc tamen in foro conscientiæ ligatur pœnis hæreticorum, si reuera hæreticus fuit, & hæresim aliquo signo sufficienti externo significauit. Nam licèt id non fuerit satis ad eum condemnandum in foro externo, quia vel signum illud non potuit sufficienter probari, vel quia signum erat ambiguum, & æquiuocum, & ideo potuit tergiuersatione aliqua negari animus hæreticus, quo reuera actus externus factus fuerat: re tamen vera, si ex animo interno processit, & de se erat sufficiens ad hæresim significandam, etsi non omnino clarè, & sine

sine æquiuocatione, coram Deo iam fuit hæreticus externus, & pœnas hæreticorum incurrit. De quo videri potest Suarez *in præsenti disp. 24. sect. 2. num. 2. & 3.*

26 Quoad forum verò exterius, Prima regula pro suspicione leui esse solet, quod taliter suspecti non possunt pœna ordinaria puniri, nec vlla alia propter hæresim: quia leuia indicia, & leues coniecturæ non sufficiunt ad condemnandum Reum, vt notant Simancas, Eymericus, Farinacius, & alij, quos affert Castro Palao *vbi supra num. 4.* Huic regulæ obstare videtur lex 2. Codice de hæreticis, cuius hæc sunt verba: *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersùs eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deuiare.* Vbi videtur pœnis subiici, qui leuibus etiam indiciis suspectus redditur. Cæterùm sensus legitimus illorum verborum, *vel leui argumento*, est alius, nempe in hoc crimine non dari leuitatem materiæ, sed eum etiam, qui in re leuissima à vera fide discedit, subiacere omnibus hæreticorum pœnis. Sic enim communiter apud Latinos *argumentum*, idem est ac *materia*, iuxta illud Ciceronis, *quoniam nullum scribendi argumentum mihi relictum:* & ex contextu ipso eiusdem legis constat, non posse *argumentum* ibi accipi pro sola coniectura: nam subditur, *à iudicio Catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deuiare.* Non ergo loquitur de suspectis, sed de illis, quos constet contra fidem sentire in materia, quæ aliàs videri posset leuissima.

27 Dixi, non posse hunc puniri pœna aliqua, *propter hæresim*: nam propter delictum illud, in quo suspicio hæresis fundatur, si planè probatum fuerit, & delictum pœna dignum sit, puniri potest, vt significat Suarez *vbi suprà, numero quarto & quinto*, & in praxi ita debere fieri, docet Castro Palao *dicto puncto primo, numero 8. & nono*, vbi aliis relatis, dicit eum condemnari ad abiurandum de leui, & ad pœnam pecuniariam, vel aliam etiam grauiorem pro qualitate delicti attentis circunstantiis personæ, criminis; & aliis.

28 *Regula pro suspectis vehementer quàdiu delictum non plenè probatur.*

Pro suspectis vehementer, quamdiu delictum non plene probatur, regula etiam est; non posse affici pœna ordinaria hæretici, cùm de hæresi non constet. Condemnatur tamen ad abiurationem de vehementi, & ad pœnam correspondentem delicto in quo fundatur suspicio vehemens de hæresi. Atque ita in praxi obseruari testatur. Castro Palao *vbi supra, numero, decimo*, nunquam tamen traditur Curiæ sæculari, nisi se ostendat contumacem, & nolit abiurare nec purgationem admittere, nec Ecclesiæ satisfacere; tunc enim habetur pro conuicto, & suspicio vehemens transit in violentam, vt notat Suarez *dicto numero quinto*, vbi aduertit, eiusmodi suspectos ob eamdem rationem non priuari beneficiis obrentis, quia non subeunt pœnas ordinarias hæreticorum.

Regula generalis pro suspicione violenta.

Denique de suspicione violenta regula generalis est, vt habeatur pro probatione, nisi purgetur, vel ex circumstantiis ita minuatur, vt iam non sit violenta, sed vehemens. Ideoque notat Suarez *numero quarto* duplicem abiurationem solùm solere imponi, vnam de leui, alteram de vehementi, nam ob violentam non fit abiuratio. Aliam tamen rationem huius praxis indicat Castro Palao *vbi supra, numero duodecimo*, quia nimirum licèt hæc regula verissima sit, modus tamen procedendi in iudicio aduersùs sic suspectum, idem est, ac aduersùs suspectum de vehementi, vt aliis relatis testatur Farinacius *de hæresi, quæstione 187. num. 51.*

Dubitatur primò, An ob suspicionem de hæresi, incurratur irregularitas; Respondeo, irregularitatem hæreticorum propriam non incurri, posse tamen incurri aliam, si annexa sit delicto in quo fundatur suspicio, vt si fuerit fautor hæreticorum, qui etiam vt supra vidimus, incurrit irregularitatem, quando est notorius. Incurret etiam irregularitatem infamiæ ex notorietate criminis resultantem, quæ tamen irregularitas cessat purgata suspicione, & ablata infamia, vt cum aliis quos afferunt, docent Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 25. num. 10.* & Suarez *vbi supra num. 2.* & alios congerit Diana *3. parte tract. 2. de irregularitate resolut. 47. & 48.* Vnde eorum modo dicendum erit de inhabilitate ad noua beneficia acquirenda, quæ non aliter incurretur per meram suspicionem, nisi quatenus contrahitur irregularitas, vt notauit idem Suarez *n. 6.* Quod intelligo, nisi crimen ipsum, in quo fundatur suspicio, afferat secum pœnam inhabilitatis ad officia, & beneficia.

29 *An ob suspicionem de hæresi possit aliquis capi, & carcerari, & possit contra ipsum procedi. Aliqui negant etiam in suspicione ita vehementi; Simanc. & Penna, quos affert Suarez vbi supra numer. 4. & quando suspicio est leuis, idem docent alij quos affert Castro Palao vbi supra numer. 6. quia inquisitio, & examinatio de alicuius fide fieri non potest, nisi quia de eius recta fide dubitatur: ob leues autem coniecturas non licet dubitare de aliquo, an sit hæreticus. Alij dicunt id fieri posse cum persona vili, vel improba, non verò cum homine honesto, nobili, religioso, qui grauiter læditur, si ita examinetur in fide. Quare nec etiam homo vilis ob leuem supicionem carcerari potest.*

30 De re ipsa non videtur posse esse dissensio: si enim non esset illud crimen, nisi illud de quo est suspicio leuis, non posset ob illam solam fieri inquisitio, & processus, nedum captura. Quando tamen suspicio illa fundatur (provt communiter contingit) in alio delicto graui, tunc meritò carceratur homo ratione huius delicti, & de illo principaliter examinatur, & inquiritur, ac si necesse fuerit subiicitur torturæ: indirectè autem, & consequenter, ac accessoriè examinatur de fide, per quod examen nulla ei fit iniuria, cùm non significetur aliud dubium, vel alia suspicio circa eius fidem, nisi, quam leges habent ex illo delicto, & ideo postquam condemnatur circa delictum principale, imponitur ei abiuratio de leui: si verò delictum principale non esset graue, non deberet ob solam suspicionem leuem carcerari, vel contra ipsum inquiri circa fidem, vel hæresim. Videatur Suarez *dicto num. 4.* & latiùs Castro Palao *dicto puncto 1. num. 5. & seqq.*

31 Dubitant aliqui; an qui bis interfuit conciliabulis vel conuenticulis hæreticorum, sit suspectus

tionibus haereticorum sit suspectus vehementer de haresi.

suspectus vehementer de hæresi. Affirmare videntur Reperror. inquisit. Zanchinus, & alij apud Dianam *quarta parte tractatu octauo de officio & potestate inquisitorum resolutione nonagesima tertia.* Ipse tamen cum aliis id negat dummodo id non fiat in prouinciis Catholicorum, in quibus, si quis eiusmodi conuenticulis occultis affuisset, & ea non denunciaret inquisitoribus, fieret vehementer suspectus de hæresi, & abiurare deberet, nisi eum ignorantia excusaret, vel alia circunstantia, aut personæ qualitas concurreret. Pro qua sententia affert Suarium *disputatione vigesimaquarta de fide sectio 3. numer. 3.* Ego huic sententiæ assentior, sed locum illum Suarij nec ibi, nec in sectione 3. præcedentis disputationis inuenire potui.

De iis, qui exteriùs negarunt fidem, quam tamen mente firmiter retinuerunt.

33 Restat dicere de iis, qui exteriùs negarunt fidem, quam tamen mente, & corde firmiter retinuerunt, atque ideo non sunt hæretici, nec hæreticorum pœnis ligantur. De quibus, quod attinet ad fotum iudiciale qualiter torquendi, & puniendi sunt, tractant Doctores, quos circa hoc punctum accuratè congerit Diana *dicta parte quarta tract. septimo de pœnis delictorum, &c. resolutione tertia* vbi totam praxim huius delicti puniendi proponit. Nunc solum agimus de foro interno, in quo Apostatas, & hæreticos merè externos, qui fidem fictè negarunt exteriùs esse irregulares, docet Sanchez *dicto libro secundo capite vigesimoquinto numere sexto* Suarez Maiolus, & Viuardus, apud Sanchez ibi, quibus adde Sanctarellum, & Farinacium, quos affert, & sequitur Diana *quarta parte tractatu secundo de irregularitate resolut. 49.*

34 Alij tamen dicunt hos non esse irregulares, nisi irregularitate orta ex infamia ob notorietatem criminis notorij: ita Nauarrus, & Azor apud Sanchez *ibi numer. quinto* quod Azor intelligit siue sponte, siue metu coacti id fecerint: eandem sententiam probabilem reputat Filliucius *tom. primo tract. vigesimo cap. nono, numero centesimo trigesimo* & Diana *dicta resolutione quadragesima nona* vbi affert etiam Bonacinam indicantem huius sententiæ probabilitatem. Et quidem, si de hæreticis occultis probabile est non incurrere propriam irregularitatem, idem dicendum erit à fortiori de his, quando crimen est occultum. Quando verò est notorium, ad minus incurrunt aliquam suspicionem, & inhabilitatem, vt promoueantur vlteriùs, & rursus, ne sine dispensatione Episcopi possint in susceptis ministrare, imò nec ex Episcopi dispensatione in ordine sacerdotali, quod ad minùs videtur haberi ex cap. *Presbyteros*, distinctione quinquagesima, vt fatetur Filliucius *vbi supra num. ducentesimo trigesimo primo.* Qualiter verò in foro externo recipiantur, & puniantur hi Apostatæ, vel hæretici externi ficti, & qualem suspicionem contrahant, videri potest Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 7. punct. 1. in fine.*

SECTIO III.

De schismaticis, & eorum pœnis.

QVando schismatici hæretici sunt, vt regulariter contingit, easdem pœnas habent quas hæretici, potest tamen aliquis esse schismaticus, quin sit hæreticus: Est enim schisma disiunctio, qua quis se ab vnitate Ecclesiæ separat, in quantùm est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Hæc autem disiunctio fieri potest, vel separando se à capite, & ab aliis membris, vel separando se à solis membris, vel etiam à solo capite. Difficile est, vt quis se à membris solis per schisma separet, & non à capite; non est tamen impossibile, nam sede vacante posset aliquis per schisma se subtrahere à reliquo Ecclesiæ corpore, & nolle ei obedire in iis, in quibus tunc obedire tenetur, nec cum eo coniungi ad actiones Ecclesiæ communes. Contra hos, qui se separant à corpore Ecclesiæ, non tamen à capite, non habere locum pœnas schismaticorum, docet Hurtado *disput. 168. de charitate sectione prima §. 4.* quia id crimen vix potest contingere, nec oportuit pœnis coërceri: id tamen bene explicat postea *sect. 3, §. 14.* vt solùm verum sit quando expressè retinent vnionem cum capite, alioquin enim tacitè, & implicitè videtur recedere à Pontifice, cui cætera membra connectuntur, & cui in omnibus consentiunt: quod mihi etiam non displicet, quia sicut, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; ita quæ vniuntur vni tertio sunt adhuc vnita inter se saltem mediatè: sicut etiam è contra, propter eandem rationem non potest aliquis separare se à capite, quin tacitè se separet à reliquo corpore, quod capiti manet vnitum. 35

Notant autem Doctores communiter. Primò hanc separationem debere esse cum rebellione erga Pontificem in spiritualibus, & prout exercet potestatem Pontificiam: quare non sufficit nolle obedire in aliquo speciali præcepto v.gr. circa ieiunium, vel confessionem annuam: neque enim est rebellis in Principem, qui aliquam eius legem violat, sed qui excutit iugum, & non vult illi subiici: Secundò neque esse schismaticum, qui Pontifici non obedit vt principi temporali, nec exhibet illi subiectionem in ciuitate dominij temporalis Pontificij. Erit quidem ille rebellis, non tamen schismaticus, quia non negat Pontifici subiectionem debitam vt Pontifici. Tertiò neque erit schismaticus, qui negat Pontifici subiectionem, quia probabiliter dubitat de eius electione legitima, vel de eius potestate: videatur Sanchez, qui alios congerit *libr. 2. in Decalog. capit. 36. numero tertio, & quarto*, & Castro Palao *primo tomo tractatu sexto, disputatione quarta, punctо quinto.* Quartò. Neque esse strictè Schismaticum in ordine ad pœnas Schismaticis incurrendas, qui separat se à proprio Episcopo, eique obedientiam negat: quia hic manere adhuc 36

hæc potest conuictus reliquo Ecclesiæ corpori, & summo Pontifici. Quintò, Schismaticum esse eum, qui effectu, & opere separat se à Pontifice, licèt id directè non intendat: sicut potest esse rebellis in Principem sine illa voluntate directa, prout etiam potest esse homicida, detractor, & alia similia peccata committere, cum sola voluntate indirecta. Vnde licèt ad hæresim requiratur dissensus etiam internus, schisma tamen potest esse, sine expressa voluntate interna negandi subiectionem Pontifici: sufficiunt enim opera ipsa, quibus ita tangeris, ac si eam negares: sic sunt propriè schismatici, qui alium Pseudo-Pontificem eligunt, vel qui sine consensu veri Pontificis Concilium generale celebrant, vel prosequuntur, quia in hoc arrogant sibi Pontificiam potestatem.

Prima schismaticorum pœna, excommunicatio ipso facto.

His breuiter suppositis dicendum est de schismaticorum pœnis, quæ variæ assignari solent. Prima est excommunicatio ipso facto, de qua licèt attento iure communi dubitari posset; attenta tamen Bulla Cœnæ, non potest esse dubium, cùm ibi in prima clausula expressè excommunicentur omnes Schismatici, & qui à summi Pontificis pro tempore existentis obedientia se pertinaciter subtrahunt, vel recedunt: quæ verba vltima non sunt addita, vt aliqui voluerunt ad comprehendendos omnes, qui Pontifici etiam non vt Pontifici obedientiam negant, sed vel ad exprimendam magis huius criminis qualitatem, vt cum aliis vult Sanchez *dicto capite trigesimo sexto, numero duodecimo*, vel vt alij volunt, ad intelligendos nomine Schismaticorum eos, qui alium Pseudopontificem eligent, qui per antonomasiam Schismatici dicuntur, & in posterioribus verbis exprimendos eos etiam, qui sine alterius Pontificis electione separant se ab obedientia veri Pontificis; vel forsasse etiam, (quæ mea suspicio est) ad indicandos subdolos aliquos, qui malitiam velare conantur dicentes, se non negare obedientiam Sedi Apostolicæ, sed huic personæ, ob peculiares rationes; postea tamen eius successori obedientiam præstituros. Ideo expressè excommunicantur non solùm Schismatici, sed nominatim, qui huic personæ obedientiam negant additis illis verbis: *qui se à nostra, & cuiusuis Pontificis pro tempore existentis obedientia subtrahunt.*

38 Hac excommunicatione ligantur, vt diximus, etiam, qui hæretici non sunt. Vnde Angli Catholici, qui exteriùs solùm obedientiam Regi in spiritualibus exhibent, quasi Ecclesiæ Anglicanæ capiti, licèt non incurrant excommunicationem ob hæresim, incurrunt eam, vt Schismatici. A qua tamen potest absolui, licèt non possit ab hæresi, qui habent Bullam Cruciatæ concedentem alios casus Bullæ Cœnæ excepta hæresi, semel in vita, & semel in morte. Nec hanc censuram incurrunt fautores Schismaticorum non hæreticorum, quia in Bulla Cœnæ solùm extenditur ad fautores hæreticorum, vt cum Suario notat Sanchez vbi suprà num. 16. Hi tamen fautores incurrunt aliam excommunicationem non reseruatam ex Bulla Pauli IV. quæ incipit. *Cùm ex Apostolatus officio*, quæ est decima nona eiusdem in primo tomo Bullarij communis, vt notarunt Castro Palao *vbi suprà puncto sexto, numero octauo*, & Bonacina *disputatione tertia, quæstione quarta de charitate, puncto vltimo*; sed non aduerterunt, ibi non agi de omnibus Schismaticis, sed de Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, Cardinalibus, Legatis, Comitibus, Baronibus, Marchionibus, Ducibus, Regibus, & Imperatoribus schismaticis, & eorum fautoribus. Deinde ibi, requiri, vt ij Schismatici deprehensi fuerint, vel confessi, aut conuicti in schismatis crimine. Quare nihil etiam dicam de aliis pœnis ibi contra Schismaticos additis, quia, vt dixi, non sunt vniuersales contra omnes.

Secunda pœna est amissio potestatis Ordinis, 39
& Iurisdictionis, quæ colligitur ex capite primo de Schismaticis: capite *Nonatianus* septimo, quæstione prima, capite *didicimus*, & capite *audiuimus*, vigesima quarta, quæstione prima. Quod tamen quoad potestatem Ordinis non est ita intelligendum, vt actus à Schismaticis facti non sint validi, ad quos solus character desideratur: sed vt ordinati, v. gr. ab iis, non habeant vsum Ordinis accepti, quoad exequutionem, donec cum iis dispensetur. Quoad potestatem verò iurisdictionis faciliùs possunt inualidari quæ ab iis fieri tentantur. Dubitatur tamen, an id intelligatur etiam de Schismaticis occultis. Aliqui enim id affirmant, quibus consentit Castro Palao *dicto puncto sexto, numero tertio*, licèt postea addat, vt huiusmodi priuatio Iurisdictionis effectum habeat, requiri sententiam saltem declaratoriam criminis. Alij dicunt, occultum non priuari, sed solum manifestum etiam ante sententiam. Alij dicunt nullum priuari nisi sit denuntiatus. Quoad hoc tamen non magis est aggrauanda hæc pœna in Schismatico, quàm in hæretico, de quo, quomodo, & in quo sensu possit validè exercere actus iurisdictionis, diximus *disputatione vigesima tertia, sectione quarta in fine.*

Tertia pœna assignari solet irregularitas, quam 40
multi dicunt incurri à Schismatico; ita Azor, Penna, & alij, quos refert Sanchez *dicto capite trigesimo sexto, numero vigesimo.* Sed communis iam sententia dicit hanc pœnam non esse satis in iure fundatam, & ad omnia decreta, quibus probari solet, respondent Suarez *de Censuris disputatione quadragesima tertia, sectione secunda, numero septimo*, Sanchez *dicto numero vigesimo*, & ideo hanc sententiam sequuntur vltra alios Castro Palao *dicto puncto sexto, numero decimo sexto*, Bonacina, & alij, quos affert, & sequitur Diana *parte quarta tractatu septimo de pœnis dilect. &c. resolutione decima nona*, & alij recentiores communiter: qui tamen benè aduertunt, quando crimen est notorium, notorietate facti, contrahi irregularitatem generalem ex infamia, quæ cessante infamia cessare potest, iuxta generales regulas, quæ de illa irregularitate tradi solent.

Quarta pœna schismaticorum est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in posterum ac- 41
ceptanda, ex capit. *quia diligentia*, de elect. ita Suarez, Azor; & alij quos affert, & sequitur Sanchez *vbi supra numero decimo octauo*, quibus consentit Hurtado *loco supra citato*, de charitate sectione tertia, qui intelligunt ita, vt duret hæc inhabilitas etiam peracta pœnitentia de schismate, & post reconciliationem, & absolutionem. Addunt tamen, si crimen sit occultum,

occultum, posse Episcopum dispensare in foro conscientiæ ex facultate illi in Tridentino concessa. Alij tamen probabile existimant, cessare cessante crimine, & sequuta pœnitentia, & reconciliatione, quos affert Castro Palao *dicto puncto sexto, numero vndecimo*, & saltem quando delictum est occultum, probabile id putat idem Castro palao *ibi numero duodecimo*. Ego idem dicendum puto quoad hanc inhabilitatem de Schismatico, quod de hæretico diximus *suprà disputatione vigesima tertia, sectione quarta*, neque enim magis inhabilis reddendus est Schismaticus purus, quàm hæreticus, vide ibi dicta.

42 *Quinta pœna priuatio beneficiorum antea acquisitorum.*

Quinta pœna est priuatio ipso facto beneficiorum antea acquisitorum, quam esse Schismatico statutam dicunt Rebuffus, & Flaminius apud Sanchez *vbi suprà, numero decimo nono* Hanc tamen pœnam in iure non esse fundatam dicunt meritò, & ad decreta contraria respondent Sanchez *ibi*, & Castro Palao *vbi suprà, numero decimo quinto* vbi alios affert, quibus consentit Hurtado *vbi suprà dicta sectione tertia*, §. 13.

Sexta pœna, suspenduntur qui à Schismaticis ordinantur.

Sexta pœna est, vt qui scienter à Schismatico Ordinem recipit, suspensus maneat ab eo Ordine ex capite primo, & secundo de Schismaticis: capite *ordinationes* nono, quæstione prima de qua pœna videri possunt Suarez *dicta disputatione vigesima tertia de Censuris, sectione tertia, numero quarto*, Sanchez *dicto capite trigesimo sexto, numero vigesimo*, Bonacina, & Farinacius, quos affert Castro Palao *dicto puncto sexto, numero decimo septimo*.

Septima, irritatur collatio beneficiorum à Schismaticis.

Septima pœna est, vt collatio beneficiorum à Schismatico facta irritetur ex capite primo de Schismaticis. De qua pœna vltra alios, quos affert videri potest Castro Palao *vbi suprà numero decimo octauo*, qui benè cum aliis notat, probabile esse, quod ad has duas pœnas requiratur Schismaticum esse notorium, & per sententiam declaratum, & quod Ordines seu beneficia à Schismatico scienter recipiantur.

43 *Octaua, Schismatici sunt suspecti de hæresi.*

Octaua pœna est, quod Schismatici sint suspecti de hæresi, & de ea debeant abiurare, quam suspicionem esse vehementem tradit cum aliis Castro Palao *vbi suprà, numero decimo nono*. A quo tamen dissentit Diana *tractatu septimo, resolutione vigesima nona*, qui cum aliis, quos affert, dicit solùm esse suspectos, & abiurare debere de leui, quamuis pro temporis diuturnitate, quo in schismate perseuerarunt possint aliquando suspicionem vehementem incurrere, & debeant de vehementi abiurare. Mihi tamen regulariter placet prima sententia, quia suspicio grauis, & vehemens ex supradictis est, quæ in eo crimine fundatur, ex quo frequenter hæresis colligitur, licèt aliquando non colligatur. Frequenter autem, imò ferè semper Schismaticus est hæreticus, & errat circa potestatem summi Pontificis; ergo regulariter schisma ingerit vehementem hæresis suspicionem. Hæc tamen pœna spectat ad forum externum sicut & aliæ, quibus grauioribus, vel leuioribus, pro criminis qualitate puniri debent, aliquando etiam tradendo eos Curiæ sæculari, si sint pertinaces: de quibus videri potest Farinacius, & alij, quos citat Castro Palao *vbi suprà numero vigesimo*. Formam verò abiurationis, qua debent abiurare non solùm hæresis suspicionem, sed etiam schisma, desumptam ex capite *quoties cordis* primo, quæstione septima, vide apud Sanctarellum *tractatu de hæresi capite 43. dubio primo num. 16.*

SECTIO IV.

De filiis, & nepotibus hæreticorum, & eorum pœnis.

HI etiam, licèt non participent in crimine, participant tamen in aliquibus hæreticorum pœnis, & numerantur inter personas ad hæreticos spectantes. Quo autem iure filij innocentes puniri possint ob delictum alienum, disputat Hurtado *in præsenti disputatione 88. sectione prima*. Et fatendum est, eos non posse in vita, vel membris puniri, nec alia corporali pœna affici. Quod colligitur ex Deuteron. capite vigesimo quarto, *Non occidentur filij pro parentibus, nec pater pro filiis*: sicut neque etiam vxor propter crimen mariti, vel è contra, quamuis sint duo in carne vna. Regula ergo generalis est, quæ traditur Ezechiel. 18. *Hic non morietur in iniquitate Patris sui. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris.* Vnde Suarez in præsenti disputatione vigesima quarta sectione tertia, numero secundo, dicit, id excedere potestatem iudicis, & legislatoris humani: Potest quidem Deus, qui Dominus est nostræ vitæ, & potest pro libito eam tollere, occidere filios ob delictum patris, provt de facto mori fecit filium, quem Dauid ex adulterio genuerat secundo Regum duodecimo, & hoc propter patris delictum, vt constat ex illis verbis: *Verumtamen quia feciſti blaſphemare inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur:* & omnes filij, & filiæ Acham lapidati sunt Iosue septimo, vt ex textu colligit Abulensis ibi quæstione septuagesima secunda, & secundo *Regum* capite vigesimo primo crucifixi sunt quinque ex posteris Saul, ad placandos Gabaonitas ob scelus patris. Homo tamen eam potestatem non habet, vt vitam innocentis auferat, propter delictum alienum, & idem est de aliis pœnis corporalibus, quia vitæ, & corporis dominium non est penes Rempublicam, sed penes solum Deum. 44

Obiici potest ex lege *quisquis*, Codice ad legem Iuliam Maiestatem, vbi reus læsæ Maiestatis humanæ morte damnatur, & de eius filiis subditur: *Filij verò eius, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur) à materna, vel auita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione, habeantur alieni*, &c. Quæ etiam lex refertur in capite *si quis*, sexto, quæstione prima, & quod plus est, laudari videtur, vel approbari ab Innocentio tertio in capite *Vergentis* de hæreticis; vbi Pontifex excusat confiscationem ibi præceptam ob crimen hæresis, licèt filiorum inopia consequatur, quia nimirum legitimis legibus, ob crimen læsæ Maiestatis humanæ filij omni successione priuantur, relicta illis vita solummodo ex misericordia. Supponi ergo videtur, 45 *Obiectio.*

quòd ex iustitia occidi potuissent, licèt ex lenitate, & misericordia vita eis condonetur. Respondetur, iactari nimis in lege illa lenitatem, & clementiam imperatoriam, quòd filij cum patre non occidantur; nec id approbari ab Innocentio tertio, sed referri, quòd lex ciuilis ex misericordia vitam solummodo filiis relinquat, vel non excludi debitum iustitiæ: potest enim aliquis ex motiuo simul iustitiæ, & misericordiæ aliquid facere, vt si quis creditoris indigentia cognita, ei debitum soluat ex misericordia, & iustitia: ita respondet Hurtado dicta disputatione 88. paragrapho quinto. Addere possumus, aliquando præsumi posse in filiis proditoris animum proditorium, & participationem sceleris, ob quam præsumptionem procedi posset, & inquiri contra illos ad grauiores pœnas, quod iudicare videtur ratio ibi insinuata, *in quibus paterni criminis exempla metuuntur*, nimirum non solùm futura, sed etiam præsentia, & hæc ipsa inquisitio ex lenitate non vrgetur.

46 Hinc infert idem Hurtado paragrapho tertio, & duodecimo non posse priuari filios hæreticorum beneficiis, aut bonis, quæ habebant ante paternum delictum: quia non potest quis directè puniri qualibet pœna ob delictum alienum: non enim potest puniri, qui non est dignus pœna, nec potest esse dignus pœna, qui culpam non commisit, vt probauerat paragrapho sexto in quo principio ego libenter consentio, quòd nulla pœna possit puniri directè filius ob dilectum paternum: non tamen facilè conueniam in illatione: nam multa ex iis, quæ enumerat, infligi possunt non puniendo directè filium, sed solum patrem, ex cuius punitione, resultat consequenter, & indirectè aliquod damnum filij; qui verbi gratia ea occasione redditur infamis: potest ergo resultare in filio talis infamia, quæ reddat eum ineptum, non solùm ad accipienda officia, aut beneficia noua, sed etiam ad retinenda, & exercenda ea, quæ antea habebat, quod loquendo de possibili concedendum videtur. An verò de facto ita sit, postea videbimus.

47 Certum ergo est etiam, posse filium indirectè, & consequenter puniri ob hæresim patris. Nam pater directè punitur confiscatione bonorum, ex qua consequenter filij patiuntur hæreditatis paternæ iacturam, & sic in aliis; ablatis enim à patre opibus, honore, & aliis, indirectè filij incurrunt inopiam, defectum honoris, famæ, & aliorũ bonorum, quæ à patre accepturi erant. Quod in primis non debet fundari in infectione sanguinis, cum quo parentes vitia sua in filiis transmittunt, vt bene probant aliqui apud Sanchez *libro secundo in Decalog. capite vigesimo septimo, numero sexto*, quia sanguis ex vitiis paternis nullam qualitatem contrahit ad ea inclinantem: alioquin æquè deberent puniri filij, ob crimen maternum, quod non fit, cùm nepotes etiam puniantur ob delictum patris, & soli filij ob delictum matris, vt videbimus; cùm tamen quoad corpus plus participent filij ex substantia matris, & ideo pueri frequenter matrizent. Præsertim cùm hæresis sit vitium merè spirituale, quod frequenter nullam cum corpore connexionem habet. Nec etiam videtur solidum fundamentum, quod significatur in dicta lege *quisquis*, Codice ad legem Iuliam Maiestatem, quod in filiis, *paterni, hoc est, hæreditarij criminis exempla metuuntur*. Nam licèt id sufficiat ad fundandam aliquam præsumptionem, & timorem, ne fortè filij patris exempla sequantur, & ideo hanc rationem multis exornet Sanchez *vbi suprà, numero septimo*. Hæc tamen præsumptio in multis casibus debilitari posset, & omnino euacuari, quando in filiis apertè constaret probitas, & honestas omnino contraria moribus paternis, prout manifestè visa est in sancto Petro martyre acerrimo hæreticorum hoste, qui ex parentibus pessimis, & hæreticis natus erat, & in mille aliis sanctissimis viris ex impiissimis parentibus ortis. Verum ergo, & legitimum fundamentum, vt notat Menochius *de præsumptionibus libro quinto, præsumptione trigesima tertia, numero octauo, & duodecimo, & Concil. 99. numero ducentesimo vigesimo, volumine primo* est, quòd ob atrocitatem delicti meritò puniuntur parentes in filiis hoc, est, eo genere pœnæ, quæ etiam in filios redundet, quorum mala acerbissimè parentes ipsos cruciare solent. Ideoque ad eos solos posteros pœnæ eiusmodi deriuari solent, quorum pœnas viuentes adhuc parentes videre possint iuxta illud Exod. 34. *Qui reddis iniquitates patrum filiis, & nepotibus in tertiam, & quartam, progeniem.* Vbi Abulensis obseruat, non extendi vltra quartam generationem, quia nunquam parentes vltra illam in vita permanere solent.

His suppositis, & antequam veniamus ad pœnas in particulari, quas hæreticorum filij incurrunt, nonnulla dubia generalia examinanda occurrunt. Primò ergo dubitatur, qui intelligantur nomine *filiorum*, quando de hæreticorum filiis aliquid statuitur, an soli filij legitimi, an etiam illegitimi. Aliqui videntur significare solos legitimos intelligi, non spurios, seu vulgo quæsitos: nempe Ioannes Andræas, Dominicus, Francus, & Villadiego relati apud Sanchez *dicto capite vigesimo septimo, numero primo*, qui tamen eos dicit excludere solùm filios, quorum pater est incertus, quia in dubio non est filius condemnandus. Quando tamen pater est certus, omnes fatentur intelligi in his pœnis filios etiam illegitimos, quos congerit, & sequitur idem Sanchez *ibi*, Castro Palao *dicta disputatione septima, puncto secundo, numero sexto*, & Hurtado *vbi suprà, paragrapho vigesimo quarto*. Quia non debent esse melioris conditionis filij, eo quòd cum peccato geniti sunt, ne plus honoris luxuriæ quàm castitati tribuatur.

Secundò dubitatur, an quando pater absens, & non comparens in contumaciam condemnatur, & eius statua comburitur, eius filij incurrant pœnas hæreticorum filius statutas. Affirmant plures, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà numero decimo nono*, quibus consentit Hurtado *vbi supra, paragrapho vigesimo tertio, resumens*. Si pater saltem potuit respondere, & non comparuit: si autem pater vel nesciuit, vel non potuit se purgare à crimine falsò obiecto, tunc dicit in foro conscientiæ, filios non afficiis pœnis, secus in foro externo, donec re probata pater renuncietur innocens, vel non potuisse comparere. Aliter distinguit Gigas *tractatu de crimine læsæ Maiestatis, libro tertio titulo de pœnis, quæ*

quas incurrunt filij, &c. *quæstione decima tertia, numero tertio.* Si enim ex processu constet, probatum esse plenè crimen, sententia lata afficiet etiam filios: si verò id non constet, sed ob meram contumaciam habeatur pro confesso, & damnetur, pœnæ non transibunt ad filios. Fundamentum huius sententiæ est, quia quidquid sit de aliis criminibus, in quibus quando contumax habetur pro confesso, confessio non transit ad hæredes, in crimine tamen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ ea regula fallit, & contumax reputatur conuictus, & verè hæreticus, si tamen contumacia habeat conditiones requisitas in capite *cum contumacia* de hæreticis in 6. secus enim esset, si contumacia ipsa non plenè probaretur.

50 Alij tamen satis probabiliter id negant de pœnis, quæ exequendæ sunt in personis filiorum. Nam quod attinet ad carentiam hæreditatis paternæ, certum est, si patre iam condemnato eius omnia bona confiscentur, filios eo ipso incurrere carentiam illorum bonorum. Nunc tamen sermo est de aliis pœnis, quæ respiciunt immediatè personas filiorum, v.g. irregularitate, inhabilitate, & similibus. Hinc itaque sententiam tenent Farinacius, Rolandus, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao *dicta disputatione septima, puncto secundo, numero duodecimo.* Quia regula generalis est, quòd in contumacia damnatus ita habeatur pro confesso, & conuicto, vt eiusmodi ficta confessio non noceat aliis, nisi ipsi soli, cùm non sit, nisi præsumpta probatio, quæ delinquenti soli nocere potest, vt ex lege *eius qui delatorem, digestis de iure fisci*, tradunt communiter Doctores, quos afferunt Sanchez, & Castro Palao; & fatetur ipse Sanchez, sed dicit, excipi crimen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ: hæc tamen exceptio non habet solidum fundamentum in iure, cùm leges generaliter loquantur de contumace, & dicant haberi pro conuicto, & confesso: sicut idem dicunt de hæretico contumaci: sed tamen eædem leges sæpe explicant, probationem delicti ortam ex contumacia, non facere probationem requisitam ad delictum præiudicans tertio, lege vltima, Codice de probation. iuncta lege *Sancimus*, Codice de pœnis; Item sententiam latam aduersùs aliquem præiudicare etiam hæredibus, nisi in contumaciam lata fuerit, lege *preses*, Codice de pignoribus. Ratio autem esse videtur, quia condemnatio ob contumaciam non videtur solùm fundari in delicto principali, sed etiam in delicto contumaciæ; quod secundùm delictum, cùm reuera non sit hæresis, sed contumacia non comparentis, non debet aliis præiudicare, qui ex solo delicto hæresis puniuntur indirectè. Hinc etiam est, sententiam illam non transire quoad pœnas corporales in remiudicatam: sed quandocumque reus comparuerit, etiamsi eius statua combusta sit, audiendum esse, vt cum aliis fatetur ipse Sanchez *numero decimo octauo*, quod signum est, quòd non erat delictum plenè probatum, sed iuris quadam fictione habebatur pro probato in odium contumacis. Erat ergo sententia adhuc quasi in pendenti, quare pro eo statu non videtur apta ad præiudicandum aliis innocentibus. Placet tamen mihi limitatio, quam Gygas apposuit, vt non sit aliunde crimen plenè probatum: tunc enim condemnatio non fundabitur in sola contumacia, sed etiam in delicto plenè probato, & iam verificabitur, illos esse filios eius quem constat fuisse hæreticum, & non incorporatum Ecclesiæ ante mortem.

51 Tertiò dubitatur, an filij illius hæretici, qui ante mortem resipuit, & Catholicus obiit, comprehendantur eiusmodi pœnis. Certum est, si pater hæreticus ante mortem pœnitentiam egit, vel promptum se ostendit ad eam agendam, atque ideo Ecclesiæ incorporatus fuit, filios pœnas non incurrere; ita enim habetur expressè in capite *statutum* de hæret. secundo in 6. vbi antiquiores leges, & decreta generaliter loquentia corriguntur, & limitantur, vt non puniantur filij, & nepotes, nisi hæreticorum, & fautorum, *qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ vnitati, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosequutioni eius insistunt, vel parati fuerint, ad recipiendam eandem.* Vbi vides, vt filij contrahant pœnas, non esse expectandam patris mortem in hæresi, sed adhuc patre viuente contrahi à filiis pœnas, si probetur pater in hæresi perseuerare: sicut è contra, vt filij immunes sint à pœnis, non est necesse expectare perseuerantiam patris in fide Catholica vsque ad mortem, sufficit enim quòd pater iam pœnitentiam acceperit, quod vtrumque colligitur ex verbis illis, *qui tales esse, vel tales etiam decessisse probentur*, & ex illis aliis; *vel humiliter prosequutioni eius insistunt.*

An filij illius hæretici, qui ante mortem resipuit, & Catholicus obiit, comprehendantur eiusmodi pœnis.

52 Hinc oritur graue dubium, an filij relapsorum, qui propter relapsum, vel vt dogmatistæ traduntur Curiæ sæculari, & vltimo supplicio afficiuntur, quamuis pœnitentiam ostendunt afficiantur pœnis, statutis filiis hæreticorum. Prima sententia negat, quam tuentur plurimi relati apud Sanchez *dicto capite vigesimo septimo, numero vigesimo secundo*, qui eam ibi probabilem fatetur, & eandem defendit Hurtado *dicta disputatione octuagesima octaua, paragrapho vigesimo secundo*, quia hi ante mortem reincorporantur Ecclesiæ, & Sacramenta publicè suscipiunt, quare in suprà adducta decretali excepti videntur, præsertim cùm ibi non requiratur, quod pœnitentiam impleuerint, sed quòd saltem parati fuerint ad pœnitentiam recipiendam. Fatentur tamen aliqui ex iis auctoribus, non esse immunes filios eorum, qui cùm sint conuicti, negant se fuisse hæreticos, & ideo vt negatiui traduntur Curiæ sæculari; hi enim in foro præsumuntur in hæresi decedere: ita expressè Hurtado *dicto paragrapho vigesimo secundo in fine*, & Cantera *in quæstionibus criminalibus, titulo de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum capite primo numero decimo tertio.*

An filij relapsorum.

53 Sententia contraria est communis, quam tenent innumeri, quos affert, & sequitur Sanchez *vbi suprà numero vigesimo tertio* Suarez *de censuris disputatione quadragesima tertia, sectione tertia, numero quarto*, & *in presenti disputatione vigesima quarta, sectione tertia, numero tertio*, Auila *de censuris parte septima, disputatione quarta, dubio tertio*, Azor *tomo primo, libro octauo capite decimo tertio post quæstionem octauam.*

octauam, Castro Palao *dicta disputatione septima, puncto secundo, numero sexto.* Et mihi etiam verior videtur, quia hi omnes iudicio Ecclesiæ præsumuntur in hæresi mori, nec eorum pœnitentia vera æstimatur, sed ficta ad fugiendam pœnam, quam licèt non omnino effugiant, hoc tamen obtinent, ne viui comburantur, tanquam impœnitentes; & de negatiuis res videtur clara, quia iis nec in morte Sacramenta conceduntur; reliquis verò licet concedantur, non tamen solemniter aut iuricè, vel iudicialiter Ecclesiæ reincorporantur, vel reconciliantur, & absoluuntur, prout fit cum aliis omnibus, qui abiurata hæresi, publicè, & solemniter reconciliantur. Quidquid ergo sit de pœnitentia interna, & reconciliatione pro foro conscientiæ, quam Ecclesia illis non negat; in foro tamen iuridico non conceditur eis reconciliatio, quia eorum pœnitentia non iudicatur vera, & ideo traduntur Curiæ sæculari, quia eorum conuersio Ecclesiæ sufficienter non constat. Cùm ergo in dicto capite *statutum*, eximantur solùm filij eorum, *quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ vnitati*: dum hæc Ecclesiæ non constant, filij eorum non debent esse immunes. Ad eos quippe spectat onus probandi patrem emendatum fuisse, quod Ecclesia ex testimonio delinquentis, testantis de sua pœnitentia non credit. Sicut ergo patri dicenti se velle corrigi, non fuit fides adhibita in foro externo, & iudiciali, sic nec filiis credetur, qui id solùm probare possunt ex Patris confessione testificantis propriam pœnitentiam. In foro ergo iudiciali, & externo non constat patrem emendatum, & pœnitentem obiisse, atque adeo non censentur filij exempti à pœnis, à quibus illi soli exempti intelliguntur, quorum patris pœnitentia iuridicè probari, & constare potest.

54 *Obiectio.* Obiicit Hurtado, quia si pater pœnitentiam habeat, & dolorem de suo peccato, & hoc filiis constet, possunt se existimare immunes à pœnis, licèt pater decesserit ante publicam reconciliationem iuridicam, vt fatetur ipse Sanchez *vbi suprà numero vigesimo octauo*, non ergo exigitur semper reincorporatio iuridica in Ecclesia, vt filij intelligantur excepti à pœnis. Respondeo, casum antecedentis posse multipliciter occurrere. Primò si hæresis patris sit occulta. Secundò, si sit notoria, & publica, nondum tamen per sententiam declarata, vel in iudicio probata. Tertiò; si interueniat sententia declarans patrem hæreticum, vel constet id in iudicio esse probatum. In primo casu transeat filios non incurrere pœnas, de quo postea dicemus: hinc tamen non valet argumentum ad casum nostrum, in quo adest sententia declarans hæresim patris, & ob eius impœnitentiam, vel defectum sufficientis pœnitentiæ eum condemnans. De secundo casu potest esse maior dubitatio, & Hurtado ibi inclinat ad hoc, quod sententia requiratur, vt filij incurrant pœnas, quam dicit fuisse sententiam Suarij *disputatione quadragesima tertia*, (quam per errorem typographi citat 13.) *de censuris sectione tertia*, licèt postea *in præsenti disputatione vigisima quarta, sectione vltima, numero quinto*, eam reliquerit. Sed certè Suarez in hoc secundo loco non solùm ab ea sententia recedit, sed dicit se contra illam in primo loco tenuisse; & reuera ita est: nam in primo etiam loco *dicta sectione tertia, numero secundo* ponderat, in dicto capite *statutum* dictum fuisse, *qui tales esse probentur*; & explicans, verbum illud, *probentur*, addit: *Aduertendum autem est illud verbum*, probentur; *quia vt filij incurrant hanc pœnam, necesse est, vt parente in iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel saltem, vt res sit satis publica, & omnibus probata.* Tunc ergo procedit doctrina illa Sancij ex qua obiectio sumebatur: nam: *illo numero vigesimo octauo* dicit non requiri sententiam condemnatoriam patris, vt filij pœnis ligentur, quando delictum est notorium euidentia facti; tunc tamen non esse necessarium, vt filij liberentur à pœnis, quod pœnitentia patris per iudicis sententiam declaretur, sed satis est, quòd pœnitentia etiam constet. *Nec credo*, inquit, *exigi, quando parentes ad iudicium delati non sunt, iudicis sententiam reincorporati Ecclesiæ, sed satis est si constet iam eos Catholicos esse, & emendatos.* Quare videtur exigere etiam tunc pœnitentiæ notorietatem, sicut antea fuerat notorietas delicti. Subiungit enim statim hanc rationem: *Quia cessat infamia, cui textus innititur*: infamia autem orta ex notorietate hæresis tolli non potest, nisi pœnitentia etiam sit notoria. Ex illo ergo casu non licet arguere ad casum nostrum, imò retorqueri potest argumentum: quia si quando hæresis paterna est notoria notorietate facti, requiritur, quod eadem notorietate constet de patris reincorporatione, & pœnitentia, vt filij liberentur à pœnis: ergo quando de hæresi constat notorietate iuris, quia in iudicio probata est, oportet, quod constet etiam in iudicio de vera patris pœnitentia ad eundem effectum. In casu autem nostro in iudicio constat de hæresi, & non de pœnitentia, quia iudices eam iudicialiter non approbant, nec veram esse credunt, sed fictam, & ideo reum tradunt Curiæ sæculari; ergo non concurrunt tunc requisita, vt filij à pœnis eximantur.

Aduertunt aliqui in vno casu non sufficere notorietatem hæresis paternæ, sine sententia condemnatoria ad refundendas pœnas in filios; quando scilicet pater viuit, vel vixit hæreticus in ea prouincia, in qua hæresis non generat infamiam, vt in Anglia, & Scotia, & similibus: ita Henriquez, & Sà, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto numero vigesimo octauo*, & Hurtado *vbi suprà* §. 19.

Hac autem occasione dubitatur quartò, an si filiis solis nota sit hæresis patris, id satis sit, vt æstiment se pœnas incurrisse. Hurtado *vbi suprà paragrapho decimo nono* partem negantem late probat, & mihi etiam placet, quia notoritas facti, quam Doctores ad hunc affectum exigunt, maior videtur esse, quàm quæ ex sola filiorum notitia resultat, quamuis filij plures sint.

Dubitatur quintò, de filiis suspectis de hæresi, an incurrant easdem pœnas. Affirmat Azor *tomo secundo, libro sexto, capite quarto, quæstione tertia*: sed contrarium docet Sanchez *dicto capite vigesimo septimo, numero vigesimo nono*, Hurtado *vbi suprà paragrapho vigesimo tertio*, & alij communiter, & merito: quia decreta loquuntur de filiis hæreticorum: suspecti autem etiamsi propter suspicionem vehementem coacti sint abiurare, nondum tamen reputantur hæretici

hæretici, nec sub ea appellatione comprehenduntur.

56 *An eadem pœnæ extendantur ad filios receptatorum, & fautorum.*

Extenduntur tamen eædem pœnæ ad filios receptatorum, & fautorum hæretici, si tales esse, vel decessisse probetur, vt constat ex capite secundò, paragrapho *hæretici*, & capite *vt commissi*, paragrapho vltimo de hæreticis in 6. Nomine autem *filiorum*, non intelliguntur omnes posteri, sed per lineam paternam vsque ad secundam generationem, nempe filij, & nepotes, per lineam vero maternam filij soli. Quare nepos hæretici ex filia non comprehenditur; quia iam descendit ab hæretico per lineam maternam, vt cum aliis notat Sanchez *dicto capite vigesimo septimo, numero secundo.* Qui benè aduertit *numero tertio*, & *quarto* non obstare constitutionem Pauli IV. confirmatam à Gregorio XIII. quæ loquitur de omnibus descendentibus à Mauris, Iudæis, & hæreticis vsque ad quartam generationem: quare corrigi ibi videtur, quod de prima generatione per lineam maternam, & de secunda per paternam decretum fuerat in capite *statutum* secundo de hæreticis in 6. Nam omissis aliis solutionibus, quas ibi affert, Constitutio illa loquitur solùm de non recipiendis in Ordine Minorum, vt ex ea constat, quam refert ad litteram Manuel, *quæst. regul. tomo primo, quæstione decima quarta, articulo primo & secundo*, vbi *articulo primo in fine* notat, restrictam postea fuisse à Sixto V. ad secundam generationem paternam, & primam maternam. Sicut nec etiam obstat constitutio quædam Federici Imperatoris, quæ liberos omnes committentium crimen læ Maiestatis diuinæ, vel humanæ afficit infamia, & excludit ab omnibus dignitatibus, & officiis publicis: nomine autem *liberorum*, descendentes omnes intelligi solent. Cæterùm in hoc crimine legi Ecclesiasticæ standum est, quæ potest leges ciuiles corrigere. An verò consequenter censeatur etiam correcta lex illa quoad liberos reorum læ Maiestatis humanæ, videri potest Anton. Gomez *tomo tertio variarum capite secundo, numero decimo quinto.*

57 *Filij denunciantes Inquisitoribus proprios parentes an sint immunes à pœnis.*

Dubitatur sextò de filiis denunciantibus inquisitoribus proprios parentes hæreticos, an eo ipso immunes sint ab iis pœnis. Liberari ab his pœnis testantur Penna, Alfonsus de Castro, Simancas, & Roias, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà numero trigesimo*: ita enim statutum esse constitutione quadam Federici Imperatoris, à variis Pontificibus confirmata dicit idem Penna referens constitutionem illam, & videri potest Constitutio Innocentij IV. quæ est eius octaua, & habetur in volumine constitutionum Pontificiarum, vt refert Sanchez *vbi supra, numero nono in septimo argumento.* Loquuntur autem de pœnis ipsis filiis statutis, non de pœnis patri imponendis, quare non impedient, quod bona patris hæretici confiscentur, & ideo Hurtado *vbi suprà paragrapho vigesimo tertio* aduertit, non fore ab æquitate alienum, si eo casu non confiscentur bona paterna, saltem omnia, sed relinquantur filiis, vnde honestè vitam possint degere: alioquin reddetur moraliter impossibilis accusatio parentum. Aduerte denique, sub his pœnis non comprehendi filios paganorum, Iudæorum, aut Saracenorum, qui non sunt verè hæreticorum filij, cùm eorum parentes nunquam fuerint baptizati: ita Suarez *dicta disputatione quadragesima tertia de censuris, sectione tertia, numero octauo*, & Filliucius, quem affert, & sequitur Bonacina *disputatione septima de censuris, quæst. 3. puncto 7. num. 11.*

58 *An prædictæ pœnæ extendantur ad filios etiam genitos ante hæresim parentum.*

Dubitatur vltimò, an prædictæ pœnæ extendantur ad filios etiam genitos ante hæresim parentum, an solùm ad eos, qui postea generantur: quæ est quæstio satis controuersa, & celebris in hac materia, & de qua latè vltra alios agunt P. Thomas Sanchez *dicto libro secundo in Decal. capite vigesimo septimo à numero nono*, Castro Palao, & Hurtado *loco citato*; & Suarez *disputatione quadragesima tertia de censuris sectione tertia, numero secundo*, qui alios referunt; & afferunt duas sententias satis communes, & vtramque satis probabilem; quarum altera liberat ab his pœnis filios ante delictum genitos, altera eos etiam comprehendit: de vtriusque autem fundamentis plura dici possent. Cùm tamen calamum iam paratum haberem, vt ab hac postrema quæstione me expedirem, interpellatus repentè fuit, sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. improuiso præcepto, quo me nulla mora præmissa ad Cardinalatus onus suscipiendum vocauit, quæ res multa secum afferebat impedimenta, & negotia, non ita breui expedienda, quibus huius tomi editio longiùs protraheretur. Quare melius iudicaui, ne remora hæc opus iam alioquin absolutum nimium retardaret, vrgente præsertim typographo, indicare breuiter meam sententiã, quam mihi praxis potissimùm persuadet, vt cum multis, quos afferunt, & sequuntur Suarez, & Castro Palao, putem omnes filios hæreticorum comprehendi. Quod quidẽ, loquendo de possibili, negari non potest, vt fatetur etiam Hurtado, licèt de facto id neget. Et constat ex supra dictis, quia hæ omnes pœnæ non imponuntur directè ipsis filiis. vt diximus, sed solùm indirectè, quatenus ex parentum infamia redduntur inhabiles ad aliquas dignitates, & munera, quæ inhabilitas incurri potest absque vlla filiorum culpa, vt vidimus. De facto autem negari non potest, quod Pontifices satis vniuersaliter loquantur de omnibus filiis, absque vlla distinctione, imò loquantur de casibus in quibus vix vnquam contingere poterat, quòd filij ante parentis hæresim essent concepti, & consuetudo atque praxis, quæ est optima legum interpres ita vniuersaliter leges illas Canonicas intellexit.

59

Confirmatur quoque potest primò quia fundamentum, quo Sanchez *loco citato* potissimùm mouetur, ex sanguine, & semine infecto, ex quo imitandi paternos mores periculum oriatur, quatenus in ipso semine inclinatio aliqua ad eosdem mores imbibita sit; hoc, inquam, fundamentum retorqueri facilè potest, quia si hæc esset ratio excludendi à pœnis filios ante delictum genitos, deberent æquè excludi filij geniti post parentis hæretici pœnitentiam: si enim pater in hæresi per vnum diem permansit, & postea resipuit, & per annum integrum ante mortem pœnitentiam egit, eóque tempore filium genuit, magis credi potest, quod semen afferret secum inclinationem ad pœnitentiam diuturnam præsentem, quàm ad peccatum breue præteritum, & tamen de hoc filio nemo dubitat, quod eiusmodi pœnis comprehendatur.

60 Secundò confirmari potest, retorquendo iterum idem fundamentum, quia si pater in corde suo fuit hæreticus per annum, antequam hæresim exteriùs proderet, & eo medio tempore filium gigneret, hic ex sententia Sancij non comprehenderetur pœnis, sed ij solùm, qui post hæresim externam concipientur. Atqui semen magis afferret inclinationes ad affectum cordis paterni internum, quàm ad verba externa, cùm sanguinis qualitates maiorem habeant connexionem cum cordis affectibus, quàm cum ore, vel lingua. Non ergo attenditur in hac filiorum pœna ad qualitates physicas sanguinis, vel seminis malè affecti, sed ad puniendum patrem in filiis etiam, quorum mala ad ipsius patris pœnam, & dolorem augendum multum conferre possunt. Quare si alicubi vsus esset puniendi solum filios post delictum hæresis genitos, ego eam consuetudinem laudarem, & libenter amplecterer. Vbi tamen contrarius sit vsus, damnare non possum, sed puto esse magis conformem verbis sacrorum Canonum, qui rorum hoc potuerunt intendere, & intendisse de facto videntur. Hæc autem de virtute fidei dixisse sufficiat. Quæ omnia, & quæ in cæteris meis scriptis dixi, vel in posterum dixero, eidem Catholicæ fidei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eiusque Summi Pastoris Romani Pontificis iudicio, & correctioni sponte subiicio.

INDEX